NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
13
1 M
12

R. P. M. FRANCISCI
BORDONI
PARMENSIS,
RELIGIONIS TERTII ORDINIS
Sancti Francisci in Prouincia Bononiensi Prouincialis, & S. Officij Consultoris;

OPERVM TOMVS SECVNDVS.

QVO CONTINETVR

VARIARVM RESOLVTIONVM
Pars Prima.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN, & MARCI-ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXV.
CVM APPROBATIONIBVS.

INDEX CONTENTORVM TOMI SECVNDI.

TITVLI RESOLVTIONVM.

24. *De*

VARIARVM

VARIARVM RESOLVTIONVM REGVLARIVM PRO VTROQVE FORO

Pars Prior.

RESOLVTIO I.

De immunitate quò ad Reos confugientes ad Ecclesias, & Loca Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ, & Monasteria gaudent immunitate.*
2 *Loca, ad quæ confugere possunt Rei, numerantur.*
3 *Monasteria gaudent hac immunitate.*
4 *Monasterij nomine quæ loca veniant.*
5 *Grangiæ gaudent.*
6 *Cæmeteria gaudent.*
7 *Domus cœpta fabricari.*
8 *Episcopi est extrahere reos non gaudentes immunitate.*
9 *Personam quamlibet Clericalem eligere potest interuenientem extractioni.*
10 *Casus excludentes reum sunt septem.*
11 *Regulares Prælati aliàs sine licentia Episcopi extrahebant reos.*
12 *Pœnæ contra extrahentes afficiunt etiam priuatos.*
13 *Pœnæ censurarum sunt excommunicatio, & interdictum.*
14 *Peregrini opinio de pluribus pœnis excluditur.*
15 *Attentatio sine extractione non inducit pœnas.*
16 *Excommunicatio respectu Regularium non est reseruata.*
17 *Decretum prohibens absolutionem à reseruatis, afficit Confessarios Secularium.*
18 *Religiosi gaudent immunitate Ecclesiarum, non verò suorum Monasteriorum.*
19 *Arma auferentes in Ecclesia à reis incurrunt pœnas.*
20 *Violantes Ecclesias, & Loca Regularium sunt excommunicati.*
21 *Statutum prohibens ingressum reorum est nullum.*
22 *Scandalosi aliàs rei expelli possunt.*
23 Præsumo, *importat dolum, & temeritatem.*
24 *Crimen læsæ Maiestatis quid sit.*
25 *Generalis Princeps vocatur in Religione.*
26 *Imperium merum, & mixtum habet.*
27 *Syndicatus non est subiectus.*
28 *Crimen committens in suum Generalem est priuatus immunitate.*
29 *Superior Regularis non potest obstare Vicario Generali extrahenti.*

SATELLITES quemdam reum à Domo Religiosorum abstraxerunt, putantes id se posse facere, quia erat Domus simplex, nondum redacta in Monasterium, seu Claustrum, maximè cùm illuc pateret aditus etiam fœminis, & locus erat nouus receptione, in quo nondum habitabant duodecim, iuxta Bullam 31. Gregorij XV. §. 3. sed pauci incumbentes constructioni fabricæ; imò iure communi præter Ecclesiam, vt videre est *cap. Miror. 7. c. Reum, 8. c. Frater 9. c. Nullus 15. c. Metuentes 25. 17. quæst. 4. cap. Inter alia 6. de Immunitat. Eccles.* solùm atrium, & porticus Ecclesiæ gaudent eo priuilegio, vt inde rei confugientes extrahi non possint, *cap. Si quis 20. 17. q. 4 & cap. definiunt 28. ead.* dicitur atrium trigiuta passibus claudi, & cap. Id constituimus 29. ead. atriis adiicitur domus Episcopi, & cap. fin. de immun. supponitur, Cœmeterium hac immunitate gaudere, & idem est cœmeterium, quod atrium, vt alia occasione dicit glos. in *cap. Nulla 4. 12. q. 1. expressius cap. Præcipiendum 15. 13. quæst. 2.* ergo de iure communi, exceptis Ecclesiis, loca Regularium non gaudent immunitate. Nec obstat Gregorius XIV. Const. *Cum alias,* Dat. 24. Maij 1591. in Bull. nouo 7. supponens gaudere, illis verbis: *Super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & Secularibus, Locisve sacris, aut Religiosis;* quia veniunt intelligenda de Monasteriis, & claustris, cuiusmodi non est illa Domus. His tamen non obstantibus.

Resp. Ecclesiæ, Cœmeteria, Monasteria, Domus, Clau- 1
stra, & alia Religiosorum Loca gaudent hac immunitate, vt ad illa confugientes rei inde extrahi non possint, si quod pater non tantùm iure communi locis citatis,

& Constitutione Gregorij XIV. quàm iure priuilegiorum Regularibus concessorum; & ita concessit Clemens IV. *Constit. In quibusdam*, *Dat. 9. Maij 1265. Fratribus Prædicatoribus*, *apud Confect. pagin.* 17. eisdem etiam *Bonifac. IX. Constitut. Sacræ Religionis*, *Dat. 27. Aprilis 1403. apud Confect. pag. 26.* excommunicatione lata in transgressores, sibi reseruata, absoluenda solùm à Conseruatore Religionis, vt in vtraque dicitur; Leo tamen X. Superioribus Regularibus fecit facultatem absoluendi in foro conscientiæ viuæ vocis Oraculo, *Compend. vers. Absolutio quò ad Secul.* 2. §. 15. sublatam olim per Decretum Sacræ Congreg. de casib. reseru. quod habes apud Quarant. vers. Casus reseruati; *Confect. tit. 17. cap. 6. pag. 425.* & per Greg. XV. & Vrbanum VIII. reuocantes omnia Viuæ vocis Oracula, Constit. *Romanus Pontifex*, inserta in illa Vrbani incipiente, *Aliàs felicis*, Dat. 20. Decembr. 1631. De hac immunit. locorum Religiosorum vide *Rodr. tom. 2. quæst. 50. art. 3. cum suo Compend. resol. 56. Portel. vers. Ecclesiæ immun. Suar. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 9. Bonac. de immunit. § 2. num. 7. Peregr. cap. 4. n. 49.*

Quare ex his rationabiliter infertur, præfatos Satellites non potuisse reum extrahere è domo illorum Religiosorum, quia ex supradictis iuribus habetur etiam Domum Religiosorum, licèt non sit formale claustrum, aut Monasterium, gaudere ea immunitate, non enim sine causa Greg. XIV. in sua Constitutione expressit hæc duo verba, *Monasteriis, & Domibus Regularibus.*

Quæres autem 1. quænam sint ea Loca Religiosorum, quæ gaudent hac immunitate?

2 Resp. Sunt Ecclesia, & Monasterium. Nomine Ecclesiæ venit primò, & principaliter totum corpus Ecclesiæ tam interiùs, quàm exteriùs totius fabricæ, siue vocetur Ecclesia simpliciter, siue Oratorium publicum, de quo Panorm. *in cap. fin. de consil. Silu. vers. Immunit. 1. quæst. 1. §. Tertium, & ex eis Peregrin. de Immunitat. c. 4. num. 61.* Vt autem hæc fabrica gaudeat hoc priuilegio, non est necesse, quòd sit aut consecrata, aut benedicta, aut authoritate Episcopi per impositionem primi lapidis fundata, sed sufficit, quòd in ea celebrentur publicè Diuina Officia per licentiam saltem tacitam Episcopi, Panorm. *in cap. Inter dilectos, de Donat. num. 8. Silu. vers. Loca Sacra, num. 4. & 5, Peregr. aliis citatis, cap. 4. num. 10.* Sufficit autem, quòd sit cœpta, & constructio continuetur, & docent Panorm. *Host. Ioan. Andr. Anchar. Cardin. Abb. Boich. Felin. quos refert Gabr. in suis commun. lib. 1. de præsumpt. concl. 52. & ex eis Peregrin. cap. 4. num. 47.* Venit 2. porta ipsius clausa, *Conarr. lib. 1. variar. cap. 2. num. 18. Decian. tom. 2. Tract. crimin. lib. 6. cap. 25. num. 17. Suar. tom. 2. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 9. num. 8.* Veniunt 3. Scalæ ipsius Ecclesiæ, Fariniac. *in sua pract. crim. part. 1 tom. 2. quæst. 28. tit. de carcer. num. 14. Nauar. cap. 25. num. 18.* Venit 4. atrium, quod triginta partibus clauditur, *cap. Si quis 16. cap. Diffiniuit 28. cap. Id constituimus 29. 17. quæst. 4.* Est autem atrium prima pars domus, quæ continet mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia descendit, inquit Calepinus vers. eod. *Cortile della casa.* Venit 5 Sacristia, quæ enim Religiosis adhærent Religiosa sunt, *l. Quæst. de rei vendic. Bonac. § 2 de Immun. num. 5.* Venit 6. Campanile, *Suar. cit. num. 7. Bonac. num. 5.* Venit 7. ambitus Ecclesiæ, aliquo muro circumdatus, & dicitur Septum Ecclesiæ, *cap. Metuentes, cap. Frater, 17. q. 4. Gonni ampl. 11. num. 2. Peregrin. num. 36.* Venit 8. porticus ante Ecclesiam, *cap. Si quis contumax 17. quæst. 4. Anchar. consil. 160. Alexand. lib. 7. consil. 145. n. 12. Tusc. lit. E. conclus. 9. num. 3. & 6.* Venit 9. corpus Ecclesiæ superius, quod sunt tegulæ, *Peregr. cit. num. 40. Marius Italia lib. 1. de Immunit. cap. 4. §. 9. num. 24.* Venit 10. Locus subterraneus, *Italia cit. cap. 6. §. 2. n. 31. Peregr. n. 45.*

3 Monasteria gaudent immunitate hac de iure communi supra, *arg. cap. Ligna, dist. de consecr. iuncta gloss. versic. Ad perfectum*, eò quòd sunt loca Religiosa, & Deo dicata, vt colligitur ex tit. de Religiosis domibus, quia in fauorabilibus nomine Ecclesiæ venit Monasterium, vt dicitur *cap. Abbati 16. §. Quod autem, dist. 54. Ioan. Andr. in cap. 2. de integr. restit. in 6. Domin. ibid. quos refert Gonni ampliat. 2. n. 9. § Ioann. Est communis opin Peregr. cit. num. 49.*

Nomine autem Monasterij veniunt omnia loca, quæ 4
continentur intrà, vel infrà claustra, septa, seu ambitum totius fabricæ, & habitationis, vt sunt Claustra, Dormitoria, Cellæ, Refectorium, Capitulum, Nouitiatus, Horti, Areæ, & loca pro famulis, hospitibus, & habitationes animalium, Gymnasia, & similia, ad quæ Religiosi accedere possunt sine licentia Superioris, regulariter loquendo, ita concessit Seruitis Innoc. VIII. *vt refert Peregrin. cap. 4. num. 50. Rodr. tom. 2. q. 75. art. 2. Portel. vers. Ecclesiæ immun. num. 9. Compend. res. 56. n. 7. Gonni ampliat. 2. n. 10. & 11.*

Grangiæ Monasteriorum gaudent, vt referunt præ- 5
citati *Peregr. Rodr. Portel. Compend.*

Cæmeteria item, & hospitalia etiam in se, cùm sint 6
loca Religiosa, *cap. de Xenodochiis 3. cap. Ad hæc 4. de Relig. dom.*

Domus noua, seu habitatio de recenti in domo con- 7
tigua Ecclesiæ, inceptæ pro Religiosis, vt præsefert nostrum Consilium, gaudet hoc priuilegio, quamuis inibi Religiosus etiam solus habitet pro fabrica. Tum quia fabrica incæpta pro finita habetur in fauorabilibus, arg. eorum, *quæ habet glos. vers. Ante consummationem cap. 7. de regul. & in cap. Cum in cunctis de elect.* tum quia in hoc comparatur Ecclesiæ, quæ sufficit, vt sit cæpta fabricari, iuxta dicta hic §. Respondetur. Tum quia hoc priuilegium immediatè conceditur Loco, & Monasterio materiali, quod non desinit esse tale, etiam si inibi nulli Religiosi deinceps habitent.

Quæres 2. An Episcopus reum in casibus à iure concessis è Monasterio extrahere possit, ad effectum consignandi illum Curiæ seculari, si non gaudet immunitate, an verò spectet ad solum Prælatum Regularem Monasterij Superiorem?

Resp. Spectat ad Episcopum, quod expressè statuit 8
Greg. XIV. in citata Constitution. illis verbis: *Volumus, dictaque Auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia secularis, eiusque Iudices, & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris prædictis, laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis, sine licentia expressa Episcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ, ab eo authoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alias Ordinarij sint, aut nullius Diœcesis, aut Conseruatores, ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat.* Ex quibus verbis hoc ita manifestum est, vt probatione non indigeat, nam vbi habemus clarum ius, non est vlteriùs inuestiganda ratio.

Quæres 3. Quænam sit ea persona Ecclesiastica, quæ debet interuenire, dum in casibus, quibus priuilegio non gaudet, reus extrahitur?

Resp. Pendet à voluntate Episcopi, tam quò ad ele- 9
ctionem, quàm quò ad auctoritatem ad hoc speciale munus, vt ex supradictis verbis relatis in præcedenti quæstione colligitur, siue sit in dignitate constituta, siue non, Papa enim ibi loquitur simpliciter sine vlla distinctione, ergo sine ea est intelligendus, siue sit Secularis, siue Regularis: vnde neque tenetur eligere aliquem Patrem, vel Superiorem Conuentus, à quo reus est extrahendus, cùm id in Bulla non præscribatur. Quamuis ex alio capite huiusmodi abductio, neque tentanda est sine consensu, & interuentu Superioris Loci, cuius est habenda ratio, cùm sit patronus Monasterij, non Episcopus, aliàs de illo conqueri posset.

Casus autem, in quibus reus non gaudet immuni- 10
tate, ac proinde extrahi potest de licentia Episcopi, vt supra, sunt Septem ibidem relati, his verbis: *I. Publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel*

vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. II. Aut depopulatores agrorum. III. Quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmiteriis committere non verentur. IV. Aut qui proditoriè proximum suum occiderint. V. Aut assassinij, VI. Vel hæresis. VII. Aut lesæ Maiestatis in personam ipsius Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Et quòd in quibuscunque aliis criminibus, & delictis, quantumvis grauibus, malefactores gaudeant immunitate, non obstantibus aliqua consuetudine, aut iuris communis decretali, quibus per dictam Constitutionem Gregorij derogatum fuit, docent communiter omnes, *Bonac.§.4.de immunitat.n.4.§. Tum, Megal.lib.4. de censur. cap.2. num. 15. alios citat Diana resol.1. de hac immunitat.*

Quæres 4. An Prælati Regulares ante hanc Constitutionem poterant concedere hanc facultatem, extrahendi reos, hoc priuilegio non gaudentes?

11 Resp. Poterant ipsi, & alij Ecclesiarum Rectores concedere licentiam extrahendi reos confugientes ad eorum Ecclesias, *ex c. Reum 8. c. Definiuit 28. c. Id constituimus 29. 17 q.4. cap. Inter alia 6, de Immunit. Nau. hoc supponit. consil.1. de Immunitat. Rodrig. tomo 2. q.50. art.3. §. Verum est;* Erant enim singuli Iudices in his causis contra reos fugientes ad Ecclesias, quarum priuilegio non gaudebant, nunc per dictam Bullam prædictis id sublatum, solis Episcopis relictum.

Quæres 5. An Regulares attentantes huiusmodi extractionem contra formam huiusmodi Constitutionis incurrant aliquam pœnam?

12 Resp. *Si quis quacumque dignitate* (vt verbis Bullæ vtar) *& authoritate praditus, pramissorum, aut alio quouis prætextu quicquam præter, aut contra huiusmodi nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum, ipso facto, censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis Iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumque Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ.* Ex quibus verbis licèt videatur inferri præfatas pœnas incurri tantum ab Officialibus, & Personis publicis, ibi, *quacumque dignitate, & authoritate praditus*, vt tenet M. Anton. lib. 3. resol.15. num. 4. incurruntur etiam à quibuscumque personis priuatis, & non tantùm publicis, quod suadetur. Tum quia relatiuum, *Si quis*, denotat vniuersalitatem, & comprehendit tam masculinum, quàm fœmininum, tam personam publicam, quàm priuatam, tam secularem, quàm Ecclesiasticam, & Religiosam, *arg. cap. Si quis 17. q.4. & in simili docet Graff. prax. lib.2. cap.26. initio.* Tum quia ratio dubitandi, consistens in illis verbis, *Si quis quacumque dignitate, &c.* euanescit, dicendo sumi ampliatiuè in hunc sensum, *Si quis etiam quacumque dignitate.* Tum quia pœnæ, quæ erant ferendæ iure antiquo infra citando, erant contra quoscumque extrahentes, tam publicos, quàm priuatos quoscumque; ita tenet Genuens. *in praxi Neap. cap.17. num.5. Peregrin. cap.14. num.10. vbi citat Suar. tom. 1. de Relig. tract.2. lib.3, cap.13. num.17.* & de Religiosis in specie, *Sorbus vers. Ecclesia immun. post Bullam, §. Ex supradictis, & ex eo Rodr. tom.2. quæst. 51. art.3. §. Circa quam, vbi, & art. 5. quem sequuntur sui Compend. resol.56. num.6. Portel vers. Eccles. immun.* dicit, ex secuta extractione sine licentia Episcopi, fieri irregulares extrahentes, si sequatur mors, aut mutilatio, quamuis Iudex dederit fidem non interficiendi, aut mutilandi, & cum illis *Graff. cons.2. de immunit. tom.2. Nald. versic. Immunitas.*

13 Pœnæ autem, quas de facto contrahunt præsumentes extrahere, ante constitutionem Gregorij ferendæ, sunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, *cap. Frater 9. 17. q.4.* Item restitutio extracti cum omnibus damnis Ecclesiæ illatis, cap. Miror ead. Item excommunicatio, qua tunc feriebantur, nisi restituissent extractum, *cap. Miror, cap. Frater, cap. Nullus, cap. Si quis contumax, cap. Definiuit, cap. Id constituimus, vt refert cum aliis Peregrin. cap. 15. num. 3.* vbi subdit ex cap. Quisquis, quòd sunt puniendi pœna pecuniaria, & ex cap. Si quis contumax, vbi adiicitur etiam publica pœnitentia. Certum ergo est ante Constitutionem Gregorij XIV. eas pœnas fuisse, non ipso iure, vt docent *Silu. vers. Immun. 3. ad finem, Tabien. n. 13. Angel. num.21. Remig. de Gonni quæst. 9. de Immun.* nunc verò eam excommunicationem esse latæ sententiæ, vt docent *Bonac. §.6. num.5. Floron. de casibus reseru. part.1. cap 2. §.4. num.8 quos, & alios nouissimè citat Bossius de Iubilæo sect.1. casu 2 num.9.* vbi refert alias opiniones contra sentientes, sed hæc est certa, cùm disertis verbis id statuat ibidem Papa.

Peregrinus eo cap. 15. num. 5. asserit, quòd intentio 14
Summi Pontificis fuit, punire violatores supradictos non solùm supra relatis pœnis, sed etiam omnibus aliis censuris, & pœnis ex quibuscumque casibus statutis per sacros Canones, Concilia generalia, & Pontificias Constitutiones contra violatores cuiuscumque alterius immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & ibi enumerat diuersas excommunicationes, & demum num.6. id probat, quinque rationibus.

Prima est, quia in ea Constitutione Gregorius agit de vtraque immunitate tam Ecclesiæ materialis, qua scilicet gaudent rei, quàm Ecclesiæ viuentis, qua Ecclesiastici gaudent priuilegiis fori, & personæ, de priori non est dubium, de posteriori affert ea verba. *De crimine verò hæresis*, &c. ibi, *Sicut etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas*, &c. Sed hoc argumentum nil probat, quia luce clarius est, ibidem loqui de hac immunitate Ecclesiæ materialis, respectu hæreticorum extrahendorum, quorum tota causa spectat ad forum Ecclesiasticum, & simul etiam de viuentis Ecclesiæ immunitate limitata ad subiectam materiam.

Secunda est, quia multi cum Cajetano vers. Immunitas §. Sexto, ponunt differentiam inter libertatem, & immunitatem Ecclesiæ, dicendo illam pertinere ad personas, hanc verò ad Ecclesias, quare cùm Papa de vtrisque mentionem faciat his verbis: *Contra libertatis iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores*, &c. Reiicitur, quia per hæc verba Papa indicat violantes eam Bullam, offendere non solùm Ecclesiam, sed etiam personam ream, contra formam ibi præscriptam extractam, cùm reus etiam in casibus ibidem expressis habeat ius, vt inde extrahi non possit sine licentia Episcopi, suprà quæst. 2. consequenter vtrique fit magna iniuria, ac proinde vtriusque ius, scilicet libertatis extracti, & immunitatis Ecclesiæ offenditur.

Tertia est, quòd in cap. Clericis, de immun. Eccles. in 6. & in Bulla Leon. X. *Supernæ dispositionis*, & Martini V. *Ad reprimendas*, & in Trident. sess.22. cap.11. de reform. tractatur de immunitate Ecclesiæ materialis. Sed nescio ad quid hoc argumentum paginam occupat, nihil probans, cùm in dictis locis sit mentio de exactionibus, & aliis oneribus Ecclesiasticis impositis, non Ecclesiæ materiali.

Quarta est, quia in ea Constitutione non distinguit Ecclesiam viuentem à materiali, ergo cùm generaliter loquatur de omni immunitate, etiam vniuersaliter loquitur de omni pœna contra quoscumque violatores; nec coarctari potest ad Ecclesiam materialem, cùm sit prohibitum aliter interpretari, vt dicitur ibi: *Aliter iudicandi, & interpretandi.* Sed dico, Papam satis se declarare, & restringere ad immunitatem Ecclesiæ, & reorum non extrahendorum, verba enim quantumvis generalia, semper intelligenda sunt secundùm subiectam materiam, *ex cap. Solitæ, de maior. cap. Constitutus, de Relig. domib. Bart. in l. Si vnico, ff. Locat. Barbosa lit. V. alios referens num.9.* Et si huic Doctori licuit suo modo ampliare eam Constitutionem sine aliquo firmo fundamento, absque eo quòd contra fecerit menti Papæ, cur mihi non licèt expressiùs dicere, quòd Papa clarè expressit?

Quinta demum est, quia cùm hîc agatur de fauore Reipublicæ Ecclesiasticæ, lata debet fieri interpretatio *ex*

ex glossa vers. Alias, cap. Sciant cuncti, de elect. in 6. vbi Doctores asserunt, id habere locum etiam in pœnalibus; quare transgressores huius Constitutionis incurrunt pœnas, & censuras statutas non solùm contra violatores immunitatis Ecclesiæ materialis, sed etiam formalis. Dico, quòd extensio stat dupliciter, vel quò ad casus occurrentes, & materiam legis, an scilicet Bulla ad eos extendatur: vt si quæratur, an hæ pœnæ restringantur tantùm ad Iudices, & Officiales, an etiam ad personas priuatas, vt asserui supra sub num. 12. & sic procedit argumentum; vel quò ad pœnas, & hoc modo non fit extensio, quia pœna pendet potiùs à voluntate prudentis Legislatoris, quam à ratione, *ex Castro apud Sanch. libr. 2. cap 29. num. 13. & lib. 10. disput. 4. num. 3. & nobiscum sentit Genuens. cap. 17. num. 4.* dum dicit, non omnes violantes libertatem Ecclesiæ esse excommunicatos in Bulla Cœnæ Domini, sed solùm statuentes contra eius libertatem.

Quæres 6. An sufficiat sola attentatio sine extractione; vt, si quis inuitet malitiosè reum in domum vicini, vel ad exeundum nocte, suadendo, non esse periculum, & is de facto non exeat, an suasor incurrat censuram?

15 Resp. Sola suasio, seu procuratio absque exitu non inducit excommunicationem, quia licèt hoc sit attentare secundùm quid, non tamen simpliciter in se, quod in subiecta materia respicit actualem effectum exitus, argum. *cap. Si quis 12. iuncta gloss. Exigitur, cap. Si quis 6. dist. 5. de Pœnit. iuncta gloss. vers. Sed attentauerit,* vbi dicitur, quòd attentatio non contingit sine actu, qui hic erit ipsamet extractio, dicta attentatio respectu aliorum actuum, ibi prohibitorum, qui non possunt venire sub nomine extractionis, sed attentationis ad extrahendum, vt vexatio, captio, &c. Diana resol. 15. de hac immun. refert duas opiniones, vnam Gambacurtæ libr. 8. capit. 23. cum quo sentimus, alteram oppositam *Marij Italia lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 60. Farinac. cap. 20. num. 322. de hac materia Peregr. cap. 14. num. 7. Megal. lib. 4. de Cens. cap. 2. num. 30.* asserentium, solam attentationem etiam sine extractione puniri quoque iure ciuili. Sed isti fundantur in iure ciuili, l. Præsenti, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, ibi; *Nuda saltem cogitatione, atque tractatu;* quòd scilicet attentantes sine extractione possunt puniri, quod non negamus; non tamen incurrunt excommunicationem, quæ semper requirit completum effectum sub ea ratione, sub qua prohibetur, cùm autem hic prohibeatur, ea non sequuta, excommunicatio non incurritur; quod confirmatur attentis illis verbis: *Quicquam præter, aut contra huius nostra Constitutionis tenorem attentare præsumpserint.* Ecce, quòd verbum [attentare] refertur indeterminatè ad quemcumque actum hic prohibitum, si ergo determinetur, specificabitur per hos actus, extrahere, capere, carcerare, &c.

Quæres 7. Quis possit absoluere ab hac excommunicatione transgressorem tam Religiosum, quam Secularem?

16 Resp. Religiosi possunt absolui à suo Confessario, quia de iure communi, in quo erat solùm ferenda, neque ex hac Bulla reseruatur; remanet ergo, quòd absolui possint à suo Confessario ordinario, nisi eorum superior eam pœnam, vel omnem excommunicationem sibi reseruauerit, quia tunc Confessarij ordinarij nihil possunt.

Secularium respectu hæc excommunicatio reseruata est Summo Pontifici, per Decretum Sacræ Congregationis, incip. *Editum fuit.* Dat. 26. Nouembr. 1602. extensum apud Quar. *vers. Casus reseruati, Confess. pag. 415. Mirand. part. 1. quæst. 46. art. 2.* Ab ea autem potest absoluere Episcopus, quia contra ipsum non est decretum, sed contra Confessarios simplices, Ita ferè omnes cum *Bonac. de Immun. §. 6. num. 8. Megal. par. 3. lib. 4. de Cens. cap. 2. n. 34 quos sequendo cum alijs citat Diana resol. fin. Bossius sect. 1. de Iubil. cas. 2. n. 11. Gratian. discept. forens. cap. 414. lib. 3. Genuens. in Pract. c. Archiep. Neapolit. cap. 22. n. 3. Fontanel. dub. 201. n. 16. & 17.* Oppositum sentiunt *Duard. Farin. Italia, Filiuc. & Pereg. apud Dianam citatum,* eo quòd ita respondit Paulus V. & est reseruata ex dicto Decreto, & in Bulla Cœnæ. Sed tu dic, hos Doctores supponere, violantes hanc Bullam incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quos reieci suprà sub num. 14. præterquam quod clarum est, Decretum supradictum non esse contra Episcopos, sed simplices Confessarios, à reseruatis absoluentes, prætextu priuilegiorum à reseruatis.

Decretum autem hoc prohibens absolutionem à reseruatis est contra Confessarios respectu Secularium pœnitentium, non Regularium, vt respondit Sacra Congregat. apud Nald. vers. Reseruatio, Vecchium disputation. 9. dub. 7. 17

Quæres 8. An Religiosi gaudeant immunitate Ecclesiastica confugiendi ad Ecclesias, & Loca Sacra?

Resp. Gaudent immunitate Ecclesiarum etiam suarum, & cæterorum locorum, quæ non sunt sua Monasteria. Primum de Ecclesiis suadetur, quia priuilegium datum fuit Ecclesiis, vt debitus honor Dei in illis conseruetur, Ecclesia autem iniuria afficitur tam extractione Ecclesiasticorum, quàm Laicorum. Ita tenent *Cenedo quæst. 42. & Gambacurta lib. 4. c. 11. quos pro se citat Diana part. 1. tract. 1. de immun. resol. 25. §. At hoc.* Et ita declarauit S.C. die 24. Ian. 1617. neque inde possunt extrahi, præter quàm in casibus degradatione dignis, si secus fiat, restituantur, ex eadem, die 27. Aug. 1618. similem responsionem de fruitione huius priuilegij ab Ecclesiasticis refert ad verbum *Diana part. 3. resol. 15. de Immun.* Secundùm, quòd non gaudeant immunitate suorum Monasteriorum, sed extraneorum, suadetur ex absurdo, quòd nunquam possent capi, incarcerari, neque puniri, cùm Monasterium sit perpetuum eorum domicilium. *Ita cum citato Cenedo Diana cit. resol. 25. § Sed contrarium.* Dicta procedunt respectu cuiuscumque delicti, modò non sit de septem exceptis sub num. 10. Quare etiam Apostata à Religione gaudet immunitate Ecclesiæ sui Ordinis, contra Dianam resol. 23. tract. 1. de Immun. Iterum infrà num. 29. 18

Bonacina *§. III. num. 7. §. Alij, cum alijs, & Portel vers. Ecclesiarum immun. Compend. resol. 56. num* 5. putant, Prælatum posse suos subditos à loco sacro extrahere, etiam in illis casibus, in quibus seculares extrahi non possunt à Iudice seculari Probant I. quia immunitas Ecclesiæ non præiudicat potestati Ecclesiæ. Reijcitur, quia certum est, Ecclesiasticæ potestati requisitæ à Iudice seculari in casibus, in quibus reus gaudet immunitate, non præiudicari, ex eo, quod illi non potest concedere extractionem; prætterquam quod argumentum supponit, potestatem inesse Prælato in hoc casu, quod est probandum, non pro ratione ducendum. Probant II. quia est maior immunitas personalis Ecclesiasticis ob hunc statum, quam concessa Fidelibus ratione loci Sacri; sed immunitas personalis non obstat captioni, & extractioni, ergo neque immunitas localis, & materialis. Puto falsam maiorem, quia honor Dei, respectu cuius principaliter, & immediatè priuilegium Ecclesiæ conceditur, præponderat decentiæ Ecclesiasticorum, quibus ab Ecclesia communicatur iste fauor, non ratione sui, quia vti rei digni sunt pœnæ magis, quàm protectione, sed vt debitus honor erga Deum seruetur in Ecclesiis, quæ more castrorum custodiendæ non sunt. Deinde non tenet argumentum ab immunitate personali ad materialem. Probant III. quia in Bulla Gregorij nulla fit mentio Clericorum, sed tantùm Laicorum. Non obstat, quia subticentur honoris causa, non vt excludantur, indecens enim est in delictis, & flagitiis conferre Clericos cum Laicis, arg. cap. Beatus 6. quæst. 1. Vnde de Laicis expressa mentio facta fuit, quia hi negotiis secularibus se implicantes, magis sunt procliui ad crimina, & flagitia, quam Clerici, vnde meritò illi exprimuntur. Deinde Papa ea, quæ de hac immunitate iura, & Prædecessores eius diuersimodè decreuerant indifferenter de

omnibus

omnibus hominibus, voluit reducere ad vnam formam; in iuribus autem antiquis, citatis initio huius Resolutionis, indifferenter fit mentio de omnibus tam Clericis, quàm Laicis, per voces generales, vt facit etiam Gregorius in sua Bulla, ibi: *Homines reos*; sub quibus comprehenduntur etiam Clerici.

Quæres 9. An Index secularis, mandans extrahere arma etiam prohibita ex Ecclesia Religiosorum, tam ipse, quàm extrahentes, præter peccatum mortale, incurrant aliquam censuram?

19 Resp. Peccant mortaliter, & incidunt in pœnam excommunicationis huius Bullæ auferentes arma reorum, existentium in Ecclesia, ab Ecclesia, vel locis Sacris. Præterea sunt excommunicati quovis modo auferentes, aut violentiam inferentes Ecclesiæ Regulari, aut eorum locis.

Primum, de peccato mortali constat, quia est graue sacrilegium, cùm exerceant iurisdictionem in Ecclesia, quod illis prohibitum est *cap. 1. & 2. de Immunit. & 2. eod. in 6.* quod extenditur ad Monasteria, in quæ seculares nullam potestatem habent, vt docent *Confect. tit. 5. cap. 4. Rodr. tom. 2 quæst. 62. eius Compend. resol. 63. per cap. Definimus 17. quæst. 4. Diana resol. 8. de hac immunitat.* quòd Ministri Laici non possunt auferre ab Ecclesia arma prohibita, aliis citatis, cum Peregrin. cap. 13. num. 5. contra alios.

Secundum, de excommunicatione Bullæ Greg. constat ex q. 5. sub n. 12. vbi retuli verba Summi Pont. infligentis pœnas, & censuras antea comminatas, aut inflictas per sacros Canones, aut Prædecessorum Decreta, quæ pœnæ iure antiquo erant interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & excommunicatio ferendæ, de quibus supra sub num. 13. nunc autem latæ.

20 Tertium, quòd vim damnabilem inferentes Ecclesiis, & Locis Regularium, sint excommunicati, constat ex Bulla incip. *In quibusdam locis*, Clem. IV. apud Confect. pag. 17. & Bonif. IX. incip. *Sacra Religionis*, apud eundem pag. 28. ad instantiam Dominicanorum.

Quæres 10. An Superiores Regulares condere possint statutum, ne Superiores Locales in suis Conuentibus aliquos reos, ad sua Monasteria confugientes, admittant?

21 Resp. Non possunt. Probatur; Tum quia nullus inferior Summo Pontifice potest statuere contra ius commune, & Pontificium, *capit. 4. dist. 21. Clem. Ne Romani, de elect. Nau consil. 3. de elect. num. 1. Rodr. tom. 1. qu. 10. art. 3.* Prælibatum autem Statutum est contra ius commune, quod reis concedit confugium ad loca Religiosa, ergo non tenet. Tum quia non minùs obligatur Superior Regularis non statuere contra immunitatem, quàm Secularis; sed is prohibetur tam directè, quàm indirectè statuere contra illam *ex capit. Aduersus, de Immunit. cap. Nouerit 49. cap. Grauem 53. de sentent. excommun.* Tum quia ille Clericus infringit immunitatem, qui in ea incarcerat reum, ad eam se receptum, vt docet *Guidopapa quæst. 121. num. 3. apud Graff. tom. 2. consil. 2. num. 6. & 7.* ergo multò magis, si illi impedit ingressum. Et licèt Statutum non sit directè contra reos, prohibens illis ingressum ad loca Religiosa, ideo quia statuentes nullum ius habent in Laicos; est tamen indirectè, quia hoc ipso, quòd inferiores non possunt illos admittere, consequenter illis indirectè prohibetur ingressus, iure non tam Canonico, quàm ciuili concessus.

Sic autem statuentes incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, & dictorum capitum Nouerit, Grauem, & docet Peregr. *cap. 2. num. 4. & 17.* quamuis excusari possint, putantes bona fide se id præstare posse, habito respectu ad conseruationem Monasterij, vt Religiosi remaneant alieni à conuersatione malorum hominum, vnde Superiores iam ingressos, vel ingrediendos possunt illos benignè licentiare aliquo quæsito colore, vel prætextu incommodæ habitationis, etiam fingendo se non posse recipere similes personas intra sua claustra, non tamen possunt eos per vim, aut alio modo extrahere, aliter violant præsentem Constitutionem.

Quæres 11. An Superior Conuentus, seu eius subditi expellentes eum, qui de Curia suspectus, ad Monasterium, seu Ecclesiam confugit, non eo fine, vt perdat hoc priuilegium, & sic faciliùs incidat in manus Iustitiæ, sed ex eo præcisè, quod est homo facinorosus, inquietus, iniurius, & tædiosus Religiosis, incurrant supradictas pœnas, de quibus suprà *q. 5.* Pasqual. *decis.* 470.

Resp. Non incurrunt. Probatur; Tum quia pœnæ huius Bullæ infliguntur contra præsumentes, quales sunt illi, qui temerè, & dolosè reos expellunt, *Card. in Clem. 1. de priuileg. q. 39. Sanch. lib. 9. disput. 32. n. 38. vbi quamplures citat*, dicentes, verbum [*Præsumere*] importare temeritatem, malitiam, & dolum; sed præfati expellentes dolosè, neque temerariè expellunt, siquidem ille dicitur dolo agere, qui malo animo operatur, dolo enim æquiparatur malus animus, *l. Dolum ff. de dolo, Boja part. 2. casu 3. §. In hanc*; neque dolosus dicitur vtens iure suo, *Reg. 55. Sanch. lib. 5. disput. 5. num. 33.* quo vtuntur dicti Religiosi; neque dolus præsumitur in actu solito fieri, *Farinac. de pænis temper. quæst. 89. num. 62.* Igitur cùm dicti Religiosi non eiiciant malo animo, sed iure suo vtantur, expellendo, & fugiendo consortium malorum hominum infectorum, quos omnes boni solent fugere, excusantur à pœnis. Neque etiam temerarij dicuntur, quia ex rationabili causa eosdem eiiciunt, idem enim est agere temerariè, & sine rationabili causa; *Instit. de pæn. temper. litigant. l. Eum, qui temere ff. de iudic. gloss. vers. Porrò, in fine Clem. 1. de Summa Trinit.* Tum quia priuilegium meretur amittere, qui illo abutitur, vt dicitur de hoc, cap. fin. de Immunitat. Eccles. Tum quia exceptio causæ rationabilis admittitur in omni Statuto, & lege ex cap. Si quando 5. de rescr. 22 23

Quæres 12. An occidens suum Superiorem, vti Localem, vel Prouincialem, aut Generalem gaudeat Immunitate Ecclesiæ? Difficultas pendet ex Bullæ his verbis *Læsa Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei immunitas non suffragetur.* An nimirum occisio Prælati sui sit crimen læsæ Majestatis, eo enim asserto, sine dubio occidens non gaudet. Pro resolutione nostri Instituti accipe hæc pauca.

Crimen læsæ Majestatis est offensio Principis, & eius Ministrorum, facta ab eius subdito. Declaratur sic. *Offensio*, sub eo nomine venit quælibet læsio, vti percussio, vulneratio, carceratio, insecutio, coniuratio, conspiratio, machinatio, seditio, conuenticula, proditio, &c. *Principis*, sub hoc nomine venit I. Princeps habens maiestatem, hoc est, summum, & absolutum Imperium, in quo non recognoscit Superiorem, habens merum Imperium, idest, potestatem gladij ad animaduertendum facinorosos homines; & mixtum, cui iurisdictio inest, quòd in danda bonorum possessione consistit, l. Imperium, ff. de iur. omn. Iudic. vt Papa, Imperator, Rex, Respublica, Dux, Marchio, Comes, &c. II. veniunt alij Principes recognoscentes superiorem, à quo sunt inuestiri in dignitate, vt sunt Feudatarij Papæ, Imperatoris, &c. & hi etiam habent merum, & mixtum Imperium, si habent. III. veniunt Cardinales recognoscentes solum Papam. *Et eius Ministrorum*, cuiusmodi sunt Legati, Nuntij, Proreges, Gubernatores, Consiliarij Laterales, Oratores, & cæteri Officiales. *Facta ab eius subdito*, ad incurrendum hoc crimen necesse est, quòd lædens sit subditus Principi subiectione originis, vel domicilij tantùm, & non alia ratione; neque sufficit subiectio naturalis, aut materialis, sed necessaria est formalis, hoc est, Ecclesiasticus natus sub districtu Principis ad hunc effectum non dicitur subditus, neque proinde reus est criminis læsæ Maiestatis illum lædens: Omnes verò Christi fideles, etiam quò ad hoc, Imperator quoque, & Reges subiiciuntur Papæ, qui omnium supremum Caput est. Vide Gigas in tract. de hac materia; nonnulla habet Peregrin. cap. 9. & 10. de Immun. 24

Ad rem nostram, ad hoc vt crimen læsæ Majestatis inducat priuationem huius priuilegij Immunitatis, necesse

est primò, quòd crimen inferatur immediatè in personam Principis per vnam ex supranarratis actionibus, rebellio autem, vel se faciens Principem non inducit priuationem, vt docet *Peregr. cap. 18. num. 9. & 13. Secundò ex opinione eiusdem cap. 9. num. 6. §. Sed quicquid, & Barbos. Collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 6. num. 10. Farinac. cap. 13. de immunit. num. 187. Italia lib. 1. de Immun. cap. 6. §. 7. n. 29. & sequent. quos pro se citat Diana part. 1. tract. 1. de hac re resol. 6.* requiritur vt Princeps læsus sit summus, & absolutus, non recognoscens Superiorem, contra Megalium lib. 4. de cens. cap. 2. num. 22. quia licèt Principes, recognoscentes Superiorem, non habeant Maiestatem, habent tamen merum, & mixtum Imperium ex Afflicto, & aliis, apud cit. Peregrin. cap. 9. consequentes cùm crimen in eosdem dicatur læsæ Majestatis in Principem, sine dubio inducit huius immunitatis priuationem; verba enim Bullæ æquè, benè, & propriè iis appropriantur, &
25 non extenduntur. In Religione autem Generalis saltem dicitur Princeps, vt colligitur ex Aretino in sua praxi in
26 fine cap. 3. Præterea habet merum, & mixtum Imperium, cùm omnem potestatam vtriusque fori, personæ, & Rei habeat super omnes suæ Religionis, vnde neque syndicatu subditur ex Cephalo consil. 39. ex Gennent.
27 cap. 58. in fine Annotat. Quare contra hunc saltem committens crimen priuatur iure immunitatis. Igitur.

28 Resp. Crimen committens in personam sui Generalis priuatur immunitate.

Quæres 13. An Superior Regularis contradicere possit, ne reus extrahatur à Vicario Episcopi?

29 Resp. Vicarius Gen. potest suum clericum non gaudentem immunitate Ecclesiæ ob delictum exceptum in Bulla Gregoriana, capere, & extrahere ab Ecclesia, & Monasterio etiam Regularibus, ad quæ confugerat, & hoc ad formam Bullæ præfatæ non obstante contradictione Superioris Regularis, aut eius loci exemptione.

Nam disposita in Bulla Gregorij incip. *Cum alias*, habent locum non solum pro, & contra Laicos reos, vt notum est, verum etiam pro, & contra Clericos, & Religiosos, cum Ecclesiastici non minus gaudeant Priuilegio huius immunitatis secundum tenorem Bullæ, quam Laici, secundum veriorem sententiam Doctorum, quos pro se citat. *Diana part. 1. tract. 1. resol. 24. & 25. & part. 3. tract. 1. resolut. 35.* vbi super hac re refert responsum S.C. & quod priuilegium immunitatis respectu Clericorum intelligendum sit ad formam huius Bullæ, colligitur ex verbis eiusdem. *Ad vniformem regulam reducere*, nam hæc constitutio, inquit *Peregr. Theatinus super hanc Bullam in fine num. 8.* est antiqui iuris declaratiua, antiqua autem iura omnibus indistinctè concedunt immunitatem, ergo & Clericis, consequenter iudicandi sunt ad formam huius Bullæ, in cuius terminis loquitur *Ambrosinus cap. 12. de immun. num. 2.* constat igitur ex hac Bulla non excludi Ecclesiasticos, licet de illis non fiat expressa mentio propter honorem status Clericalis, incongruum enim est, cum sermo est de Laicis malefactoribus, verba facere de Clericis, quasi cum illis comparando in delictis, *arg. cap. Beatus 6. q. 1.* Subiungo minorem, sed clarum est ex Bulla Vicarium Generalem posse extrahere Laicum ab Ecclesia, & Monasterio Regularibus requisitum à iudice Laico, quando non gaudet immunitate, ergo pari ratione, & auctoritate sibi attributa per hanc Bullam potest extrahere suum Clericum. Confirmatur. Tum quia cognitio causæ, an reus gaudeat necne immunitate, quæ facienda est à solis Episcopo, vel Vicario, aliis exclusis, vt dicitur in Bulla, communis est Laicis, & Clericis, cum respectu vtriusque dubitari possit, an gaudeant immunitate; cum autem huiusmodi cognitio ordinetur ad extractionem rei ab Ecclesia, seu Monasterio faciendam de licentia solius Episcopi, vel Vicarij, necessario infertur ex vi huius Bullæ, Vicarium suum Clericum extrahere posse à loco Religioso. Tum quia omnes extrahendi deducendi sunt in carceres fori Ecclesiastici, à quocumque loco extrahantur, sed nullus præter Vicarium potest deducere in carceras Ecclesiasticos; ergo ad ipsum tantum spectat extractio à quocumque loco.

Neque valet contradictio Superioris regularis, cum sit irrationabilis, quia in Bulla hac præcipitur omnibus Prælatis etiam Superioribus Regularibus, vt rei ad eorum Ecclesias, vel Monasteria confugientes consignentur Ministris iustitiæ de licentia Episcopi, vel Vicarij cum interuentu vnius personæ Ecclesiasticæ, quare Superior, cognito quod reo non competit priuilegium hoc, non potest contradicere.

Neque exemptio regularis hic locum habet, quia cum reus non gaudeat immunitate, neque Ecclesia, neque Monasterium quoad hoc dicuntur exempta, cum in hoc casu prædictis nulla alia exemptio competat nisi hæc confugij.

Gambacurta lib. 6. cap. 9. Ludou. Correa, part. 4. num. 3. in Ferrariis Bullæ *apud Barbosam de iure Eccl. vniuer. lib. 2. cap. 3. num. 157.*

RESOLVTIO II.

De Potestate Prælatorum Regularium absoluendi sibi subiectos Religiosos.

SVMMARIVM.

1 *Superiores sunt Confessarij ordinarij suorum Fratrum.*
2 *Prior dicitur Parochus suorum Religiosorum.*
3 *Potestatem ordinariam omnes à Papa habent.*
4 *Qui est omnium Generalis, Prouincialis, & Prior.*
5 *Delegatur à maioribus minoribus.*
6 *Prior in suo Conuentu potest quicquid Prouincialis in Prouincia.*
7 *Ordinaria probatur hæc potestas.*
8 *Vicarij sunt in triplici differentia.*
9 *Custos in Religione Minorum eam potestatem habet.*
10 *Amotus à superioritate caret hac potestate.*
11 *Pœnitentes in hoc sunt omnes de familia sua.*
12 *Ordinarij sunt etiam respectu aduenarum.*
13 *Vbique illos audire possunt.*
14 *Cogitur nemo illis confiteri non reseruata.*
15 *Magistro Nouitiorum committitur hæc potestas.*
16 *Socius eius nullam habet.*
17 *Prælati maiores in ea æquiparantur Episcopis.*
18 *Maiorem habent respectu fori externi, 22.*
19 *Tridentini priuilegium competit etiam Prælatis maioribus.*
20 *Monasteria vocantur Diœceses.*
21 *Prouincialis Mediol. non punit in ditione Veneta.*
22 *Tridentino priuilegio quomodo vti possint.*
23 *Extraneus Confessarius delegari potest à Priore suis subditis.*
24 *Confitentur intra Ordinem.*
25 *Superior tenetur audire toties, quoties.*

Quidam Religiosus, qui antea nunquam admissus fuit ad sacras confessiones audiendas, electus fuit in Priorem, ad quem pro confessione accessit subditus humiliter petens, vt illius confessionem sacramentaliter audiat, dictus Prior aduertens se non habuisse antea facultatem exercendi hoc sacrum munus, & dubitando an in præsenti habeat, vt securiùs agat, remittit subditum ad Confessarium, & interim consilium petit, an possit audire in confessione suos subditos, & cùm casus accidere possit respectu cuiuscumque Superioris, siue Generalis, siue Prouincialis, aut Localis, quouis inde alio nomine nuncupentur, ideo quæstio erit indistinctè de omnibus, an simplex Sacerdos, nondum Confessarius, eo ipso quòd eligitur in Superiorem, seu Prælatum, habeat authoritatem audiendi confessiones?

Resp. Omnes Superiores Regulares, hoc ipso, quod 1
tales

tales prouidentur, aut eliguntur, habent iurisdictionem audiendi confessiones suorum subditorum, ac proinde in casu nostro ille Prior poterat sine scrupulo audire suum subditum. Quare supposita duplici potestate, Ordinis nimirum, & iurisdictionis, de qua dixi resolut. 36. quæst. 5. §. Tertia, necessaria ad validè administrandum hoc Sacramentum, probatur nostra responsio, quia ex capit. Omnis 12. de pœnit. omnis vtriusque sexus Fidelis sua peccata propriu Sacerdoti confiteri debet; sed præfati Prælati, & Superiores sunt proprij Sacerdotes suorum subditorum, cùm singuli habeant curam animarum, ergo possunt audire in confessione suos subditos, & illos absoluere. Quòd autem præfati Superiores, nempe Generalis, Prouincialis, & Prior habeant curam animarum ex suo officio, ac proinde iurisdictionem ordinariam, & sint proprij Sacerdotes, suadetur quia tres sunt personæ, quibus immediatè subest quælibet anima, vt dixit Hostiensis *in sum. tit. de off. Archipr. §. Quæ pertinent. & in tit. de pœnit. §. cui Patriarchæ, referente Megal. qui lib. 1. de pœnit. cap. 7. num. 6. respectu secularium* distinguit triplicem potestatem iurisdictionis ordinariæ, nempe Papalem, Episcopalem, & Parochialem, & applicat hanc iurisdictionem supradictis Prælatis Regularibus num. 17. loquendo de Generali, num. 20. de Prouinciali, num. 21. §. & hinc loquendo de Priore, cuius tamen dicta ibi in omnibus non sequor alibi examinanda, sufficit mihi ex illo, quòd isti tres Superiores habent hanc iurisdictionis ordinariæ potestatem, & curam animarum sibi subiectarum, vt etiam implicitè insinuat Faber *disput. 25. de pœnit. num. 79. & expressè num. 89. Mirand. tom. 2. quæst. 33. artic. 2. Beja part. 2. casu 16. §. Præterea, Rodr. tom. 1. quæst. 12. art. 5. & Fagundez lib. 8. de præceptis Eccles. cap. 4.* ait, Priorem esse Parochum, & habere curam animarum, vt etiam colligitur argum. eorum, quæ habet glos. vers. Istos, prope finem, Clement. Ne in agro, de statu mon. Et hoc patet etiam de iure speciali singularum Religionum, vt colligitur ex extrau. *Inter cunctas*, de sepult. & in nostra Regula cap. 14. dicitur, quòd Fratres nostri Ordinis suis Ministris, id est Superioribus Localibus sua peccata confessione reuelent, quod intelligitur, si placet, vt dicam infra *quæst. 7. & ex Eug. IV. Constit. Iniunctum nobis, dat. 5. Febr. 1442. & Nicol. V. Constit. Apostolica Sedes, dat. 23. Apr. 1450.* in quibus vterque Papa concedit Visitatori Generali existenti in Regnis, vt per se, vel per alios à se deputatos facultatem audiendi confessiones Fratrum, & aliorum cum eis degentium; idem concessit, & administrandi alia Sacramenta Fratribus dictus Nic. V. in alia Constit. *Pastoralis officij*, Dat. 20. Iulij 1447.

Quæres autem 1. à quonam iure, diuino ne, an humano præfati Superiores habeant hanc iurisdictionem ordinariam, quæ illis incumbit ex officio.

3 Resp. A iure humano, nempe à Summo Pontifice. Tum quia ad Papam spectat approbare Religiones, *cap. ne nimia, de Relig. dom. cap. Religionum, eod. in 6. extr. Sancta Romana, eod.* ergo ab eodem Superiores recipiunt potestatem iurisdictionis. Tum quia Episcopi, & cæteri Prælati, & inferiores etiam Curati à Papa habent, *Bellarm. libr. 4. de Romano Pontific. cap. 23. Suar. disputat. 16. sect. 3. & disput. 25 sect. 1. & cum aliis Megal. lib. 1. de pœnit. cap. 7. num. 2. Fabr. disput. 31. de pœnit. à num. 46.* aliàs si à Deo immediatè eam haberent, non posset efficaciter impediri à Papa; quamquam non desunt alij asserentes Prælatos Regulares hanc potestatem immediatè habere à Deo, sicut & aliam fori exterois, quorum rationes, & authoritates, quæ in oppositum referri possunt, loquuntur vel de potestate Ordinis, aut de Apostolis, vel quòd dependent à Deo, tanquam à prima causa, & originario fonte, à quo omnes riuuli iurisdictionum dimanant, iuxta illud, *Omnis potestas à Deo est.*

Omnes autem prædicti Prælati hanc potestatem immediatè à Summo Pontifice accipiunt, cum quia non est maior ratio de Prælatis Secularibus, qui omnes illam immediatè à Papa recipiunt, vt probat Megal. cit. cap. 7. quàm de Regularibus. Tum quia Papa est supremus Superior respectu omnium Regularium, & illorum Generalis, Prouincialis & Prior, *Soto lib. 8. de iust. quæst. 5. art. 1. quem pro se citat Rodr. quæst. 52. art. 6. Nauar. consil. 3. de statu mon. num. 51.* ergo immediatè singulis hanc potestatem communicat. Et in nostra Religione patet ex citata Constitut. Nicolai V. 4

Ex hoc autem modo recipiendi potestatem ordinariam ita Papæ omnes non sunt omninò subiecti, quin inferiores suis maioribus subiiciantur, nam potestas hæc in singulos descendit dependenter à Superioribus delegantibus, quibus subordinantur; ita quod Prouincialis potest limitare, & ampliare iurisdictionem hanc Superioribus Localibus, & Generalis vtrisque prout expedire prudenter iudicauerint, & ita docet Fagund. lib. 8. c. 4. de præcept. Ecclesi. 5

6 Quare quod quidam aiunt Superiorem Localem posse in suo Conuentu, quidquid potest Prouincialis intra suam Prouinciam, & Generalis in tota Religione; item & Prouincialis quidquid Generalis, procedit si intueatur eorum potestas, quatenùs immediatè à Papa procedit, non verò si spectetur subordinatio inferiorum ad Superiores, nam in hoc sensu explicatur dictum, nisi obstet maioris Superioris prohibitio, qua sine dubio potest inferiorum iurisdictionem restringere.

7 Supposui hactenus hanc potestatem esse in illis ordinariam, quod nunc probo; Tum quia illis incumbit ex proprio officio suæ prælationis, quod est non solùm temporaliter, sed etiam spiritualiter pro foro conscientiæ eosdem regere, & hanc esse ordinariam tradunt omnes per titulum de off. Ord. Tum quia is habet iurisdictionem ordinariam, cui committitur non nudum ministerium, nec respicitur illius industria, sed constituitur vel perpetuus Superior, vel ad tempus à lege definitum super gubernationem in spiritualibus aliquorum; huiusmodi autem sunt omnes Superiores Religionum, ergo sunt ordinarij. Tum quia illi sunt ordinarij, qui constituti sunt ad gubernandum Collegium, vel Vniuersitatem, & in quibus eliguntur ab ipso Collegio, vel Vniuersitate ex c. 1. de elect. huius generis sunt Regulares, ergo sunt ordinarij. Ita in re nostra luculenter, & succinctè *Confess. tit. 11. cap. 1. Rodr. tom. 1. q. 16. art. 6.*

Quæres 2. An vices illorum gerentes habeant hanc iurisdictionis ordinariæ potestatem?

8 Resp. Vices gerentes sunt in triplici differentia, alij constituuntur ab ipsismet Superioribus, vt suas vices agant, & isti non sunt ordinarij, sed delegati ad hoc munus, & vocantur Commissarij, si delegentur à Generali, vel Prouinciali. Alij eliguntur de iure, qualis est Prior Claustralis ad Monachos nigros, cap. cùm ad Monasterium, de statu Mon. & is est ordinarius, vt inde colligitur, consequenter potestas absoluendi in illo est ordinaria, neque expirat morte Abbatis, vt tradit *Abbas in cap. Precarium, de precar. num. 6. apud Graff. tom. 2. consil. & difficult. 1. de pœnit. num. 9.* In nostra Religione Commissarius Generalis olim erat de iure Reg. cap. 1. eligendus, sublatus à Sixto V. Constit. *Romani Pontificis*, dat. 29. Martij 1586. Tertij demùm prouidentur, seu sufficiuntur sine electione per solam prouisionem Superioris in locum Superioris præmortui, aut aliàs amoti ab Officio, donec eligatur Superior, & is communi nomine vocatur Præsidens qui pariter ordinarius est, ac proinde habens iurisdictionem ordinariam illi incumbens ex vi sui officij, quod est spiritualiter gubernare Religiosos sibi commissos; de his Præsidentibus, & Commissariis, aliàs Vicariis nonnulla tetigi resol. 34. §. Resp. ad 2.

Custos in Religione Minorum de prima Regula est Prælatus, habens sub se plures Conuentus, quorum Religiosos temporaliter, & spiritualiter regit ex officio suo, ac proinde Prælatus est in ea Religione, docent *Mirand. tom. 2. quæst. 18. art. 1. Rodr. tom. 1. q. fin. art. 2. cum suo Compend. resol. 49. num. 4.* consequenter habet hanc ordinariam potestatem. In nostra verò Religione præter votum electiuum in Capitulo Generali pro electione Generalis, & quatuor Definitorum Generalium nullum 9

aliud ius habet, & de ipso ne verbum quidem in Regula, aut in Constitutionibus Pontificiis ad hunc Ordinem spectantibus, excepta Constitut. Clem. VIII. *Decet Romanum*, dat. 29. Iul. 1595. in Bull. nouo 33. in qua illi prædictum ius electiuum tribuitur, ac proinde cùm non gubernet Religiosos non est necesse asserere, ipsum habere eam potestatem, cùm illi ad nihil deseruiret.

Quæres 3. An huiusmodi Prælati remoti à suo Officio, dato quòd nullam habeant facultatem, quam quod habebant antequam finiretur eorum Prælatura, possint nihilominus prosequi, excipere confessionem Religiosorum, sicut faciebant ante, dum erant Superiores?

10 Resp. non potest, sed requiritur noua licentia, suadetur; Tum quia amisit potestatem ordinariam, quæ fundatur in Prælatura Superioritatis, fundamento enim sublato, tota fabrica ruit, arg. ca. Cùm Paulus I. quæst. 5. & sublato principali, quod est Superioritas, tollitur etiam accessorium, quod est potestas ordinaria audiendi confessiones, & aliam non habet, vt supponit casus, ergo inualidè absoluit, cùm ad valorem huius Sacramenti aliqua alia potestas, quæ dicitur iurisdictionis, præter potestatem Ordinis requiratur. Tum quia Archiepiscopus, Episcopus, Parochus abdicati à suis Prælaturis, & officiis, non possunt amplius audire confessiones, si aliam iurisdictionis potestatem non habeant, nisi eam, quam habebant ex vi sui officij, nam ita intelligendum est, quod dicitur in Concilio sess. 23. cap. 15. de habentibus Parochiale beneficium, siue sit Episcopale, siue Curatum, vt docent *Vinald. de confess. num. 27. Suar. tom. 4. disputat. 24. sect. 4. num. 20. quos, & alios refert Barbosa ad dictum locum Concilij num. 17. 18. & 21. Floren. de casib. reseru. cap. 4. §. 12. num 7. Bonac. quæst. 7. de pœnit. p. 4. §. 1. num. 7. Bossius sect. 3. de Iubilæo casu a num. 56.* ergo idem dicendum de Prælatis Regularibus, cùm eadem militet ratio, siquidem habent curam animarum ex suo officio, & dictam facultatem amiserunt, & hoc tractaui etiam capit. 4. de profess. Regul. quæst. 65. §. Hoc idem.

Dices 1. Generalem, & Prouincialem à suis officiis absolutis posse prosequi, sine alia facultate sibi à suis Superioribus concessa, quia adhuc existentes in vltimo instanti sui officij possunt eam facultatem sibi communicare, sicut aliis delegant, exercendam cùm finierint sua officia. 2. Tenet absolutio data ab eo, qui antea erat Superior, ex l. Barbarius ff. de offic. Prætoris, vbi dicitur, quòd gesta cum titulo colorato, errore communi valida sunt non solùm pro foro externo, sed etiam pro foro animæ, secundùm *Panorm. in cap. Nihil, de elect. & ex eo Nauar. cap 8. num. 11. Megal. part. 1. libr. 5. cap. 19. num. 12. de qua re in genere Sanch. libr. 3. disputat. 22. per totam, Bonac. quæst. 2. de Matrim. p. 8. num. 24.* sed iste iam habuit titulum etiam verum, & nunc communiter existimatur Confessarius, ergo validè administrat hoc Sacramentum.

Resp. Ad primum negando posse sibi eam potestatem communicare, quia delegans, & delegatus debent esse inter se personaliter distincti, cùm nemo possit actum iurisdictionis in se ipsum exercere *l. qui iurisdictioni ff. de iurisd. omn. Iud.* sed delegare est actus iurisdictionis, *cap. de Off. Ord. in 6.* etiam in hac materia, vt docent omnes cum *Fabro disp. 30. de pœnit. num. 31. & Bonac. quæst. 7. de pœnit. p. 4. §. 1. num. 16.* Ad 2. dico non sufficere Confessarium iam habuisse titulum, quia simul cum ipso actu exercitij habere debet titulum, præter errorem communem, vt docent omnes ex supra citatis, qui tres conditiones requirunt. I. Titulum coloratum existentem actu in officiali, dum suum munus exercet, non enim sufficit illum habuisse, cùm non entis nullæ sint proprietates. II. Error communis, quo communiter putetur verus Officialis, vt puta Generalis, Prouincialis, Prior, &c. III. Quod nihil desit de iure naturæ, aut diuino requisitum.

Quæres 4. Respectu quorum subditorum Prælati habeant hanc potestatem ordinariam? Seu an omnes de familia dicantur subditi ad effectum absoluendi ab ipso Prælato vi huius ordinariæ potestatis?

11 Resp. Prælati illi virtute huius ordinariæ potestatis possunt audire, & absoluere quoscumque de sua familia perpetuò commensales, vt sunt Religiosi professi, Nouitij, Tertiarij, & etiam famuli, nam omnes isti dicuntur subditi ad effectum consequendi hoc spirituale beneficium, & in hoc nullam pono difficultatem, cùm isti omnes pro confessionibus subiiciantur Prælatis Regularibus qui eorum sunt ordinarij Iudices, vt probaui res. 34. quæst. 15. & 16. Prior igitur super omnes de suo Conuentu hoc ius habet, Prouincialis super omnes de sua Prouincia, & Generalis super omnes totius Religionis. Compend. resol. 3. num. 17.

Quæres 5. An hoc ius habeant respectu aduenarum, ad sua Monasteria accedentium, ita quòd ex vi huius facultatis possint illos absoluere, licèt aliam potestatem, quàm ordinariam non habeant?

12 Resp. Possunt absoluere etiam ex vi sui officij, quia dum reperiuntur in extraneis Conuentibus suæ Religionis sunt subditi, & viuunt, quamdiu ibi sunt sub obedientia illius Superioris. Quamquam quoque ex alio iure, nempe electionis, a Summo Pontifice ex Clem. IV. Constitutione inserta in Mari magno incip. *Regiminis vniuersalis*, Dat. 1474. in nouo Bull. 6. Sixti IV. conceditur Prouincialibus Ministris, eorum Vicariis, ac etiam Custodibus in suis Prouinciis, & Custodiis potestatem absoluendi Fratres ibidem constitutus, & alios ad se declinantes, qua postrema clausula veniunt aduenæ, & forenses. Quod idem concessit Dominicanis, inclusis etiam Localibus, Greg. XI. in suo Mari magno; & ex eo etiam, quia inter agentes possunt eosdem Prælatos eligere, si volunt, vt concesserunt Dominicanis Innoc. VII. & Franciscanis Sixtus IV. vt retuli fusiùs resol 34. præsertim initio, & faciunt ibi dicta præsertim quæst. 3. §. Altera.

Quæres 6. An vbique suos subditos audire possint virtute huius ordinariæ potestatis?

13 Resp. Possunt, quod probaui resolut. 36. quæst. 7. de Confessariis Regularibus pro audiendis confessionibus secularium, ergo à fortiori Superiores possunt audire vbique terrarum proprios subditos actu de familia, quod dico propter aduenas, quos extra proprium districtum, vel Conuentum audire non possunt ex vi huius officij, cùm respectu illorum non sint Prælati, neque Superiores, quamquam ex alio capite, nempe electionis, illos audire possint. Ita tenet Coriol. part. 1. de casib. reseru. sect. 1. art. 22. num. 2.

Quæres 7. An huiusmodi Prælati cogere possint suos subditos ad sibi confitendum?

14 Resp. Clemens VIII. in Decreto *Sanctissimus*. Dat. 26. Maij 1593. de casibus, quos Superiores Regulares sibi reseruare possunt, & debent, id prohibuit illis verbis; *Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet sponte, aut proprio motu id ab ipsis petierint.* Coriolanus part. 1. de casib. reseru. sect. 3. art. 19. ait in sua Religione hoc Decretum non procedere, sed iuuenes secundum Statuta Religionis confiteri debere Superiori, vt de mente Clemem. VIII. retulit Anselmus Monopolitanus, tunc Generalis Capuccinorum, & ait hoc procedere, dum manent in Nouitiatu, vel Seminario, seu Professorio. In nostra autem Religione possunt quidem Fratres confiteri Superiori, sed non præcipitur hoc, vt videre est cap. 14. & 22. Regulæ, in quibus locis solùm præscribuntur, & deputantur Confessarij, quibus habent confiteri. Et de Nouitiis idem dixi in meo Tractatu de Profess. Regular. cap. 4. quæst. 65. §. Suboriuntur.

Quæres 8. An Magister Nouitiorum ex vi sui officij sit Curatus animarum Nouitiorum, ac proinde eam potestatem ordinariam habeat?

Resp.

15 Reſp. Stando in rigore verborum horum: *Ipſi autem Magiſtro ſoli Nouitiorum confeſſiones audiendi cura committatur.* Clem. VIII. in ſuo Decreto de educat. Nouit. Magiſter iſte non videtur aliquam habere iuriſdictionem, ac proinde neque ordinariam, ſi nullam habet, niſi illi committatur, nihilominus hoc ipſo quòd eligitur Magiſter, puto ex vi huius officij poſſe audire confeſſiones Nouitiorum, quia ſubintelligitur hæc facultas illi commiſſa. Sed non immoror, quia hoc idem tetigi in Tractat. de Profeſſ. Regular. cap. 4. quæſt. 65. & reſol. 34. q. 15.

16 Sed quid dicendum de Submagiſtro, ſeu Socio Magiſtri, an ex eò quòd eſt Socius habeat facultatem audiendi Nouitios?

Reſp. Non, Tum quia hæc facultas committenda eſt præcipuè ſoli Magiſtro, ergo excluditur Socius. Tum quia Papa in Socio requirit vitæ, & morum probitatem, doctrinam, & exceſſum triginta annorum ætatis, nulla facta mentione ſacerdotij, ſicut in Magiſtro. Neque illius poteſt in hoc dici Vicarius in abſentia eius, quaſi poſſit illis hoc, & alia Sacramenta miniſtrare, tunc enim hoc ſpectat ad Superiorem Conuentus; præterquam quòd illi datur ex ſuppoſitione, ſi neceſſarius ſit Magiſtro per multitudinem Nouitiorum inſtruendorum, non autem primario, vt eius vices abſentis gerat.

Quæres 9. An tantam poteſtatem ad abſoluendum, vel ampliorem habeant Prælati Regulares, quantam habent Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum.

17 Reſp. Prælati Regulares maiores, vti Prouincialis, & Generalis non ſolùm habent tantam poteſtatem quò ad abſoluendum, quantam habent Epiſcopi, ſed etiam ampliorem, non ſolùm pro foro conſcientiæ, ſed etiam pro foro externo. Primum ſuadetur. Tum quia huiuſmodi Prælaturæ æquiparantur Epiſcopalibus, *Gloſſ. verſ. Regularis, cap. Ne pro defectu 41. de elect. per cap. Si quis deinceps 16. quæſt. fin.* ergo æqua poteſtas in vtriſque. Tum quia Prælati Regulares habent poteſtatem vti Epiſcopalem, & eam omnem iuriſdictionem exercere poſſunt circa ſuos ſubditos, quam tenent Epiſcopi in ſuos, *Gloſſ. verſ. proprij, Clemen. 1. de reb. Eccleſ. non alien. Nauar. conſ. 23. de priuileg. Rodr. in Summa part. 1. c. 29. Suar. tom. 4. diſp. 55 ſect. 3. Coriol. ſect. 1. de caſib. art. 2.* vnde ſi non eſſent prohibiti, poſſent circa ſuos ſubditos, quicquid poteſt Papa in toto Orbe *Rodr. tom. 1. qu. 17. art. 6.* Tum quia Pius V. Conſtit. 132. *Romani Pontificis* 10. apud Confect. pag. 226. Prælatis Regularibus etiam Localibus D. Dominici tribuit eandem facultatem, quam habent Epiſcopi virtute cap. 6. ſeſſ. 24. illis verbis: *Ne Prior Conuentualis, & Superiores Prælati dicti totius Ordinis tam in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut Seculares exiſtant, eiſdem Priori Conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipſi per ſeipſos idem omninò poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & Laïcos ſibi ſubiectos, tam quoad abſoluendi, & diſpenſandi huiuſmodi, quàm alias quaſcumque facultates eadem authoritate, & tenore etiam perpetuò concedimus.* Hoc priuilegium continet duas limitationes; vnam, quód prodeſt tantùm pro foro animæ; alteram, quòd Prælatus per ſe ipſum debet abſoluere, vel diſpenſare, & non per alium; nihilominus puto, quòd ſi hæc facultas ſit reſtricta in aliquo capitulo ad Prælatos maiores, hos poſſe deputare Priores, vel alios Officiales, qui abſoluant, ſicuti poteſt Epiſcopus deputare Vicarium, qui abſoluat virtute Sacri Concilij, ne Prælatus Regularis in hoc dicatur inferior Epiſcopo. Secundum, quòd Prælati Regulares maiorem habeant poteſtatem, quàm Epiſcopi, docent Rodr. *tom. 1. q. 24. art. 16. in fin. §. Aduertit, cum ſuo Compend. verſ. abſolutio ordin. quo ad Fratres, Portel verſ. Prælatus, n. 5. Beja part. 4. caſu 37. §. Et quamuis, in fine;* quod intelligo quoad forum externum, in quo Epiſcopus non abſoluit à reſeruatis Papæ.

Quæres 10. An conceſſione facta Epiſcopis in cap. Liceat 6. ſeſſ. 24. gaudeant Prælati Regulares non ſolùm virtute priuilegij Pij V. de quo in ſuperiori quæſito, ſed etiam virtute ipſius Concilij, ita quòd in illo ſit ſermo etiam de Prælatis Regularibus, ſaltem æquiparatis Epiſcopis, qui ſunt Prouincialis, & Generalis.

Reſp. Huiuſmodi facultas competit Prouincialibus, & Generalibus vigore Decreti Sacri Concilij, quod probatur. Tum quia, licèt hi Prælati non ſint in ſe Epiſcopi, ſunt tamen tales æquipollenter, & quoad poteſtatem iuriſdictionis, neque in dicto capite nomen Epiſcopi ſumitur formaliter, & intranſitiuè, ſed pro quocumque Prælato habente iuriſdictionem Epiſcopalem, cuiuſmodi ſunt Capitulum Sede vacante, & quidam Abbates exempti, habentes ſub ſe populum, vt tenent omnes infrà citandi; Sed Prælati Regulares, ſaltem maiores, habent iuriſdictionem Epiſcopalem, Doctoribus citatis in præcedenti quæſtione, ergo gaudent priuilegio Concilij. Tum quia ſubditi Prælatorum Regularium non debent eſſe deterioris conditionis, ſed potiùs melioris ſubditis Epiſcopo; & cùm ſint in ſtatu perfectiori, & cùm non deceat illos vagari, ergo intelligitur conceſſa hæc facultas illis à Tridentino, ſic enim ſunt paris conditionis, & aufertur illis materia vagandi. 19

Tum quia illis benè, & aptè quadrant verba illius capitis, nam in ſuis locis, & Monaſteriis ſunt æquipollenter Epiſcopi, valentes abſoluere quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua, nam eorum Monaſteria dicuntur illorum Diœceſes, cùm in illis habeant ius ſuper perſonas etiam dependenter ab illis locis, quod ex eo patet, quia 20

Prouincialis, exempli gratia, Mediolanenſis non poteſt in Prouincia Veneta caſtigare ſuum ſubditum, & ibi contra illum exercere ſuam iuriſdictionem ſine licentia Prouincialis Veneti. *Ita tenent Rodr. tom. 1. qu. 61. art. 9. Sanch. lib. 8. diſput. 2. num. 12. Boſſius ſect. 1. de Iubil. caſu* 10. *num.* 220. *Beja part. 4. caſu 37. Sair. in Claui lib. 6. cap. 11. n. 83. in fine, aliis contra ſe allegatis Barboſ. ad hoc cap. 6. ſeſſ. 24. num. 9.* 21

Oppoſitum tenent quamplurimi ab illis citati, quos refert Barboſa, probantes tum ex rationibus diſcuſſis, tum ex declaratione Sacræ Congregationis dicentis, nomine Epiſcopi venire Prælatum, in hac dignitate formali conſtitutum, & nullum alium; ad quam reſpondet Beja part. 4. caſu 37. §. Et rationes, illam non loqui de Prælatis Regularibus, ſed de quibuſdam Abbatibus ſubiectis in pluribus Epiſcopis, quibus non competit illud ius, cùm neque æquipollenter poſſint dici Epiſcopi. Vel dic tu, non comprehendi Regulares, quia Sacra Congregatio reſpondit, non comprehendi inferiores Prælatos, Prælati autem Regulares, quoad iuriſdictionem, non dicuntur inferiores, ſed pares, ex iis quæ attuli præcedenti quæſtione; vel dic, reſponſum Sacræ Congregationis facere opinionem, vt dixit Valerus, loquendo de illis apud Boſſium ſect. 3. de Iubilæo caſu 2. num. 104. & fuſiùs num. 223.

In vſu autem huius Tridentini Priuilegij Prælati ſe debent gerere eo modo, quo Epiſcopi abſoluunt, & diſpenſant in occultis tantùm ſuos ſubditos; vnde vi huius Decreti non poterunt abſoluere à caſibus publicis, neque deductis ad forum contentioſum, neque aduenas alterius Prouinciæ. Pro qua re vide *Sanch. lib. 2. cap. 11. Bonac. quæſt. 3. de cenſur. in comm. p. 2.* Non tamen poſſunt abſoluere à reſeruatis in Bulla Cœnæ, quia huic capiti derogatum fuit, vt videre eſt in ipſo Proceſſu Bullæ, & dixi quæſt. 2. ad finem reſol. 3. Sed quia eſt ſolùm pro foro interno, ideo contingente caſu pro externo, & delictis publicis, recurre ad id quod probaui reſolut. 3. quæſt. 6. Et in hoc caſu Prælati Regulares dicuntur habere ampliorem poteſtatem ad abſoluendum, & diſpenſandum, etiam pro foro externo, qua carent Epiſcopi. 22

Quæres 11. An Superiores Locales quandoque hanc facultatem poſſint pro ſuis ſubditis delegare aliis Sacerdotibus

dotibus extra Religionem, dando licentiam suis subditis, vt extra eligant Confessarium?

23 Respond. Possunt, probatur tum iure communi, *cap. omnis 12. de Pœnit.* vbi dicitur, quòd proprius Sacerdos potest dare licentiam suo subdito, vt alieno Sacerdoti confiteatur; ergo & Prælatus Regularis, est enim sui subditi proprius Sacerdos, vt dixit *Faber disput. 25. de pœnit. num* 89. Tum iure speciali omnium Religionum, quarum Religiosi quò ad Sacramentum pœnitentiæ subduntur dispositioni suorum Prælatorum, vt Bullis citatis retuli *resol. 4. initio in resp.* ergo illos disponere possunt tam intra, quàm extra Religionem. Tum quia in multis Religionibus Superiores Locales approbant & deputant suis subditis Sacerdotes pro audiendis confessionibus suorum subditorum, ergo si illis expressè non prohibeatur, vt aliquando non possint deputare extraneum, poterunt, concessum enim censetur, quod non est expressè prohibitum, ex cap. Nonnulli 25. 16. quæst. 1. cap. Iam nunc 3. 28. quæst. 1. ibi; *Hoc non vetat Dominus*; nec dicas expressè prohiberi in Mari magno Dominicanorum & Franciscanorum, illis verbis: *Inhibemus insuper vniuersis Fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum alij, quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis vrgente articulo, vel nisi forsan Magister, vel Prior proprius alicui Fratri dederit Fratri alteri eiusdem Ordinis licentiam confitendi.* Apud Confect. pag. 60. quia aliud est designare Sacerdotes, quibus Superiores committere regulariter possunt licentiam absoluendi suos Fratres, in quo sensu loquitur Papa verbis citatis; aliud est designare tales Sacerdotes, quibus solùm, & non aliis extraneis quandoque Superiores dimittere, & licentiare possint, in quo significatu non est sermo ibi, aliter neque Prouincialis, neque Generalis possent licentiare Fratres ad extraneos Sacerdotes, quod tamen est falsum, vt multis probaui cum *Sanch. resol. 34. quæst. 4.* Et in mea Religione de hac re non dubito, quia Priores possunt deputare Sacerdotes pro confessionibus suorum Fratrum, quod fusè retuli *resol. 4. quæst. 7.* vbi dixi verè esse approbationem audiendi confessiones, & cùm nullibi in Regula prohibeatur, vt quandoque prior non possit licentiare illos ad Sacerdotes extraneos concluditur Priorem posse dimittere suum subditum, vt extra confiteatur, nam in Regula *cap. 14. & 22.* dicitur, quòd Prior potest pro audiendis confessionibus suorum Fratrum deputare Sacerdotes, non distinguendo Sacerdotes sui Ordinis à Sacerdotibus extraneis, vt fecit Mare magnum, ergo neque nos distinguere debemus, ex vulgatis iuribus, nisi æquitas, vel alia lex distinguat *Rodr. tom. 1. quæst. 11. art. 6. §. Nona, cum suo Compend. resol. 90. num. 49. §. Nona*, vt distinguit, seu potiùs limitat Mare magnum in deputatione ordinaria, vt nimirum Prior deputet Sacerdotem sui Ordinis, quod non obstat, quin possit aliquando deputare extraneum, vt pie complaceat conscientiæ Fratris sui, vt conueniens est in paruis Conuentibus. Tum quia hæc potestas, quam habent Priores, est ordinaria, audire enim possunt, imò tenentur ex officio sui excipere confessiones suorum subditorum, sicut Parochus suas oues, cùm in hoc æquiparentur; sed potestas ordinaria delegari potest, *cap. Aqua 9. de consecr.* & Parochus licentiam facere potest suo Parochiano, vt confiteatur non solùm Presbytero seculari, sed etiam Regulari, aut cuiuis alteri, approbato tamen ab Ordinario, propter Decretum Sacr. Concilij, quod non comprehendit Regulares pœnitentes. Certum ergo est ex vna parte, quòd Prior potest deputare suis subditis Sacerdotem sui Ordinis, & ex alia dubium an possit deputare extraneum, quod tamen probaui posse; quia id non prohibetur in Regula, neque aliis Constitutionibus, neque iure communi, imò in eo id expressè conceditur, neque in dicto Mari magno, quando deputatio fit rarò, & extraordinariè. Et hoc tanquam notum supponunt *Molina tom. 4. de iust. disp. 61. num. 2. & Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 28.* loquentes de absolutione à non reseruatis, & tradit Diana resolut. 2. de dub. Regul. vbi in fine ait, Religiosum confitentem extra de licentia sui Prælati, vel priuilegio non teneri eligere approbatum ab Ordinario, sed sufficere si eligat idoneum, hoc est, non excommunicatum, non suspensum, cum Crua lib. 2. de statu Regul. cap. 6. dub. 11. conclus. 1. in fine, potest ergo eligere simplicem Sacerdotem à nullo hactenus approbatum, puto enim esse ridiculum, quod aiunt aliqui, teneri eligere Sacerdotem approbatum, si non ab Episcopo, saltem ab eius Superiore, si sit Religiosus, nam ad quid huiusmodi approbatio facta à Superiore electi, cùm Superior non possit deputare suum Sacerdotem, nisi pro suis subditis, deputare enim, seu approbare Sacerdotem ad confessionem, est illi subiicere materiam, seu pœnitentes, qui aliàs illi sibi subiecti non erant in hoc foro; porrò Superior v.g. Carmelitanus non potest pro me approbare suum Sacerdotem in meum Confessarium, cùm non sim subiectus illi, nec proinde me subiicere potest suo Sacerdoti, cui tantùm subiicit suos alumnos. Et ista ratio est tam euidens, vt contrarium sustineri non possit, quòd si dicas, est necessaria iurisdictio condistincta à potestate Ordinis pro valida administratione huius Sacramenti, à quo ergo Superiore habet? Dico habere pœnitentem à suo Prælato, qui dum illi dat licentiam confitendi extraneo nondum approbato, dicitur illi communicare eam iurisdictionem via electionis, vt pluribus probaui resol. 34. q. 3. num. 8.

Vnum noto, illum Superiorem, qui non potest approbare, seu deputare suos Sacerdotes in Confessarios pro suis, neque posse licentiare ad extraneos, quia per licentiam non potest Sacerdoti etiam suo subdito communicare iurisdictionem per electionem factam de ipso ab illius subdito.

Quæres 12. An Religiosi quoad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum sint omninò subiecti suis Superioribus, ita vt extra confiteri non possint?

Respond. Sunt subiecti tam intra, quam extra claustra, quando habeot copiam Sacerdotis sui Ordinis; quando verò carent Sacerdotibus sui Ordinis, & sunt extra, possunt eligere Confessarium quemlibet Sacerdotem.

Prima pars, quòd confiteantur Confessariis sui Ordinis, probatur tum ex cap. Omnis 12. de Pœnit. vbi dicitur, quòd vnusquisque Fidelis debet confiteri proprio Sacerdoti, quo nomine hic venit Superior Regularis, & ab eo Sacerdos deputatus pro suis subditis, *Faber disputat. 25 de Pœnit. num. 89.* Tum, quia Benedictus XI. in sua extra. com. Inter cunctas de priuileg. concedendo facultatem Regularibus audiendi confessiones secularium, subdit hæc verba: *Non Religiosos, qui secundum Statuta suorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent*, & notat *Gloss. sub dubio, vers. Volentium, in Clem. Dudum; de sepult.* Tale autem Statutum extat apud nos Tertiarios cap. 14. & 22. Regulæ, vbi dicitur, quòd Fratres confiteantur Prioribus, aut aliis Sacerdotibus per ipsos electis. Tum quia extat expressa prohibitio in Mari magno Sixti IV. illis verbis: *Inhibemus insuper vniuersis Fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum alij, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis vrgente articulo, vel nisi forsan Magister, vel Prior proprius alicui Fratri dederit Fratri alteri eiusdem Ordinis licentiam confitendi.* Imò Clem. VIII. Bull. 64. in nouo, prohibet Religiosis, ne vtantur electione Confessarij extra Ordinem, prætextu Priuilegij Cruciatæ, aut alterius facultatis à Sede Apostolica emanaturum, sed eius intentio est, vt quoad hoc Sacramentum subiecti sint dispositioni suorum Superiorum. Et confirmauit Vrbanus VIII. Const. in specula, Dat. 29. Iunij 1630. quam refert Peyrin. tom. 3. cap. 12. pagin. 323. Vide resolut. 34. num. 42. 24

Secunda pars, quòd confiteantur extra, quando carent copia Sacerdotis sui Ordinis, probatur tum ex citato Mari magno, tum ex aliis priuilegiis relatis *infrà resol. 34. de elect. Confess. ab initio vsque ad q. 10.*

Quæres

Quæres 13, An Superior teneatur audire ſuum ſubditum in confeſſione toties quoties petit?

25 Reſp. Tenetur. Tum quia opinio aſſerens, Parochum teneri pro ſuis ouibus, multum probabilis eſt, quam tenet *Nauar, tom. 2. in cap. Placuit num. 152. & alij, quos refert, & ſequitur Bonac. quæſt. 7. de pœnit. p. 4. §. 2. num. 23.* ergo eò magis Superior Regularis, cui magis ſubiiciuntur Religioſi, quàm Parochiani ſuo Parocho. Tum quia Religioſi habent frequentare Sacramenta, per quæ maximè tendunt ad perfectionem, ergo Superior debet eos excipere toties, quoties petunt, & hoc ſub mortali, niſi rationalis cauſa, aut importunitas pœnitentis nimis ſcrupuloſi ipſum excuſet. Eadem ferè obligatione tenentur Deputati, cùm vices gerant Superioris de mandato. Ita tenet *Coriolan. part. 1. de caſib. reſeruat. ſect. 1. art. 10. num. 8.*

RESOLVTIO III.

De Poteſtate Prælatorum Regularium abſoluendi ſuos ſubditos à caſibus Papæ reſeruatis.

SVMMARIVM.

1 *Prælati abſoluunt ab excommunicatione ob violationem immunitatis reorum.*
2 *Priuilegia abſoluendi à reſeruatis Papæ referuntur.*
3 *Priuilegia concernentia Religioſos inter ſe adhuc integra remanent.*
4 *Bullæ Cœnæ caſus non tollunt Prælati.*
5 *Inquiſitorum caſus non tollunt.*
6 *Multò minus reſpectu pœnitentium ſecularium.*
7 *Cui licet plus, & minus, explicatur.*
8 *Tertij Ordinis priuilegia abſoluendi.*
9 *Dubia octo ſuper dicta priuilegia proponuntur.*
10 In foro conſcientiæ, *quid denotet.*
11 *Nouitij gaudent priuilegiis abſolutionis.*
12 *Seruitorum, & Familiarium nomine qui veniant.*
13 *Sororum nomine quæ veniant.*
14 *Sorores abſoluuntur à reſeruatis Papæ.*
15 *Tertij Ordinis incepit Generalis anno 1447.*
16 *Tertij Ordinis olim erant ſubiecti Ordinariis, & Curatis.*
17 *Prælati omnes abſoluunt à reſeruatis Papæ.*
18 *Tertij Ordinis Priores abſoluunt à reſeruatis.*
19 *Reſeruatio publicorum tollitur.*
20 *Nominatim excommunicatus abſolui non poteſt.*
21 *Cenſura extra Sacramentum tolli poteſt.*
22 *Forum triplex.*
23 *Superior poteſt ſe facere abſoluere, ſicut alios abſoluit.*
24 *Valens abſoluere à reſeruatis Papæ, non ideo ab aliis.*
25 *Caſus Papales, à quibus nunc poſſunt abſolui.*
26 *Excommunicationem Papæ reſeruatam tollunt,*
27 *Suſpenſionem pariter, &*
28 *Interdictum.*
29 *Delegare poſſunt hanc facultatem etiam extraneis.*
30 *Nouitij abſoluuntur à reſeruatis Papæ.*
31 *Peccare in contemptum Clauium quid ſit.*
32 *Peccare in confidentiam priuilegij quid ſit.*
33 *Vtroque modo peccans abſoluitur.*
34 *Ægrotus abſolutus non tenetur ſe præſentare.*
35 *Prælati Regulares ex legitimo impedimento abſoluunt ſicut Epiſcopi.*
36 *Eo ſublato tenentur ſe præſentare.*
37 *Tenentur concedere licentiam pro reſeruatis.*

Quidam Prouincialis dubitauit, an poſſet ſuum ſubditum abſoluere ab excommunicatione contracta ob violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Greg. XIV. quæ incipit; *Cum alias;* quia in quodam Decreto Sacræ Congregationis, alterius declaratiuo de caſibus reſeruatis, extenſo apud Quarant. *verſ. Caſus reſeruati, apud Confeſſ. tit. 17. cap. 6.* huius abſolutionem Clement. VIII. de cuius mandato editum fuit, ſibi reſeruauit reſpectu quorumcumque Confeſſariorum etiam Regularium; derogando in hoc eorum priuilegiis; & non poteſt dubitari de eius non obſeruantia, quia Paulus V. die 7. Ianuar. 1617. illud innouauit, declarando ſub illo comprehendi non ſolùm caſus reſeruatos, ſed etiam excommunicationes reſeruatas etiam Ordinariis locorum; hoc autem Decretum refertur ad verbum à Nald. verſ. Caſus reſeruat. in fine, quod nouiſſimè confirmauit Vrbanus VIII. per ſuum Decretum dat. 17. Nouem. 1628. His tamen non obſtantibus.

Reſp. Dictum Prouincialem poſſe licitè abſoluere ſubditum ſuum ab ea excommunicatione, ſi aliud non obſtet, quia dictum Decretum, & alia ſubſequentia illius declaratiua, & innouatiua nihil diſponunt de Prælatis, aut Confeſſariis Regularibus reſpectu ſuorum Religioſorum pœnitentium, ſed ibi ſermo eſt de eiſdem Confeſſariis in ordine ad pœnitentes ſæculares, *vt dixi reſol. 1. quæſt. 7. Doctoribus citatis, quibus adde Peregr. in ſuo Compend. verſic. Abſolutio quoad Fratres in Schol.* Dicta ergo excommunicatio reſpectu Religioſorum non eſt reſeruata, vt probaui loco citato, ideò à quouis Confeſſario, ne dum à Prouinciali, auferri poteſt. 1

Quæres autem 1. An Prælati Regulares habeant aliqua priuilegia abſoluendi à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ?

Reſp. Habent plura priuilegia circa hanc materiam, 2 referam ſolùm eorum ſubſtantiam, ne ſim prolixus, acceptam à Mari magno Sixti IV. Conſtitutione authentica pro Franciſcanis regiſtrata Conſtit. 6. & pro Dominicanis Conſtit. 7. in Bullar. Nouo, ambabus incipientibus, *Regimini viuerſalis,* apud Confeſſ. pag. 54. Summa ergo eſt, quòd Prælati Regulares dictarum Religionum, & aliarum cum eis communicantes poſſunt abſoluere ſuos ſubditos, & alios ſui Ordinis ad ſe declinantes à quibuſcumque peccatis, & cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, atque exceſſibus, quantumuis enormibus, niſi talia forent, propter quæ eſſet conſulenda Sedes Apoſtolica; & ibidem exprimuntur caſus, in quibus conſulenda eſt. Hi autem ſunt Hæreticorum relapſorum, Schiſmaticorum, falſificantium litteras Apoſtolicas, & deferentium ad infideles prohibita. In aliis caſibus quibuſcumque abſolui poſſunt à ſuis Superioribus. *Vide Compend. priuileg. verſ. Abſolutio ordin. quoad Fratres, §. 7. & 13. & ibi Capuc. Mirand. tom. 2. quæſt. 9. art. 10. Rodr. tom. 1. quæſt. 20. art. 1. cum ſuo Compend. reſolut. 3. num. 1. Portel. verſ. Prælatus ad abſoluendum num. 23. Confeſſ. 17. cap. 7. Sanch. lib. 6. cap. 17. n. 43. Vecch. diſp. 9. dub. 6 Beja part. 4. caſu 37.*

Circa hanc conceſſionem faciunt difficultatem Moderni quidam, parum verſati in materia priuilegiorum, dicentes, ea ferè omnia ſublata eſſe præſertim Maris magni, poſteriores enim Summi Pontifices ferè ſinguli aliquid ex eo detraxerunt, & ex magno Mari reſtrinxerunt ad paruum, & hoc in exiguum flumen concluſerunt, inquiunt iſti; ſed reuerà ita non eſt, quia etſi in multis derogauerunt Regularium priuilegiis, derogatio huiuſmodi refertur ad quædam ſpecialia concernentia iuriſdictionem Epiſcoporum, non autem ea, quæ ſpectant ad ipſos Regulares inter ſe ipſos; præſertim in materia abſolutionis, quòd ſi quandoque ſibi reſeruauerunt abſolutionem aliquarum cenſurarum, derogatis in hoc illorum priuilegiis, poſtea Clem. VIII. Conſt. 51. *Ratio paſtoralis officij,* apud Confeſſ. pag. 286. ex certa ſcientia innouauit, & confirmauit omnia priuilegia conceſſa tribus Ordinibus D. Franciſci, quatenùs non aduerſantur Decretis Sacri Concilij, & aliis ab eo factis 3

in fauorem Fratrum reformatorum, cum clausula derogatiua derogante quæcumque alia in contrarium. Postea Paulus V. Const. *Quantum Religio Societatis*, pro Iesuitis, quæcumque priuilegia confirmauit de plenitudine potestatis, prout refert *Vecch. disputat. 9. dub. 13.* nulla clausula restrictionis addita, vt fecit Gregor. XV. Constit. *In Apostolica Sedis*, Dat. 16. Octobr. 1621. pro Theatinis, qui idem Gregor. Constitut. *ad vberes*, ex certa scientia renouauit priuilegia pro Monachis Cartusiensibus, cum ea clausula: *Dummodò tamen sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa, sacrisque Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis non repugnent.* Dat. 3. Februar. 1623. Hæ clausulæ inceperunt poni præsertim sub Paulo V. vnde sub eo vim inceperunt habere, nam ante Clement. VIII. sicut non ponebantur, ita neque vim habere possunt respectu reuocationum ante illud tempus, quia sufficienter sublatæ intelliguntur per citatum priuilegium Clem. VIII. Quare dictum priuilegium absoluendi à quibuscumque reseruatis habet locum, & suum robur adhuc obtinet, paucis quibusdam sublatis, de quibus in sequentibus. Faciunt dicta *infrà q. 11. §. Tertia.*

Quæres 2. An Prælati Regulares possint absoluere virtute dictorum priuilegiorum à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ Domini suos subditos? Affirmant *Rodr. tom. 1. quæst. 20. artic. 9. cum suo Compend. resolut. 3. num. 3. Portel. vers. Abbas num. 12. Peyrinus tom. 1. ad Constit. 4. Sixti IV. num. 6. & tom. 3. cap. 2. num. 35.* & alij apud illos asserentes, Prælatos Regulares posse absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ Domini, exceptis quatuor, propter quæ consulenda est Sedes Apostolica, vt retuli in respons. præced. quæst. excepta quoque hæresi occulta, contra *Bossium de Iubilæo sect. 1. casu 10. n. 222.* quia apud Sixtum IV. fit mentio de hæreticis relapsis, ergo possunt absoluere ab hæresi non relapsorum, & Compend. ait, non posse absoluere conspiratores in personam Papæ. Probant ergo I. quia in Bulla adest clausula hæc in fine §. Cæterùm à prædictis: *Nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur.* Quæ denotat non derogari priuilegiis Regularium, continentib. casus huius Bullæ expressos; quæ clausula licèt sublata fuerit à Successoribus post Clem. VIII. tamen idem operatur, ac si exprimeretur, quia taciti, & expressi eadem est virtus. II. Aiunt extare expressa priuilegia id concedentia per Bullas, & per Oracula concedentia ab illis absolutionem, non obstante Bulla singulis annis promulgata cum clausula derogatoria. III. Priuilegia Cruciatæ non censentur derogata, ergo neque Regularium. IV. Dato quòd reuocentur, intelligitur respectu casuum publicorum. V. Frustrà aliter petitur singulis annis confirmatio priuilegiorum. VI. Prælati Regulares possunt cum suis subditis, quidquid potest Episcopus cum suis, vt concessit Pius V. Constitut. *Romani Pontificis*, apud Confect. pag. 227. sed Episcopus suos absoluit à casibus Bullæ Cœnæ Domini, vt quamplures citat pro se Bossius de Iubilæo sect. 1. casu 10. num. 10. & contra se Barbosa ad dictum cap. num. 67. qui Bossius nouissimus de anno 1635. loco citato asseruit de omnibus, etiam de occulta hæresi. Quibus tamen non obstantibus.

4 Resp. Prælati Regulares nullatenus possunt suos subditos absoluere à casibus Bullæ Cœnæ Domini pro quouis foro. Quod alia ratione non probo, nisi refellendo opposita argumenta, ostendendo esse multùm debilia, & nullius probabilitatis. Nam ad primum constat, per oblationem dictæ clausulæ suprà relatæ factam per subsequentes Legislatores, Summorum Pontificum intentionem claram esse, ne in posterum possint absoluere; nec locum habet, quòd eadem sit virtus taciti, & expressi, siquidem hoc axioma præterquam quod est generale patitur multas exceptiones; nam illa clausula non est substantialis, sed accidentaria, & ideo nil tacitè potest subintelligi, conditiones enim extrinsecæ, cuiusmodi est illa clausula, non subintelliguntur, nisi exprimantur, l. Si ita stipulatur §. Crysogonus ff. de verb. obligat. Deinde stando in verbis illius clausulæ, nihil probatur, aut saltem parum, quia priuilegia Regularibus concessa rarò exprimunt, vt eorum Prælati possint absoluere suos subditos ab hoc, vel illo casu specie exprimendo, sed in genere concedunt hanc facultatem, ergo saltem indistinctè non possunt absoluere à casibus Bullæ, cùm huius casus expressè, & distinctè non exprimantur in eorum priuilegiis. Secundum argumentum nil valet, non solùm quoad Oracula iam sublata, iuxta ea, quæ dixi resol. 31. Verùm etiam per Bullas alias iam derogatas per hanc, quæ singulis annis promulgatur, cui non derogantur priuilegia etiam subsequentia, nisi contineant clausulam reuocatoriam expressè Bullæ Cœnæ, quæ est tantæ authoritatis, & efficaciæ, vt illi non derogetur sine speciali eius mentione. Ad tertium non benè infertur ex perseuerantia Bullæ Cruciatæ, vt docent multi apud Dianam resolut. 96. de Bulla Cruciatæ, durare priuilegia Regularium quoad hoc, quia est diuersa ratio. Ad quartum dico esse voluntariam distinctionem. Ad quintum dico, confirmationem priuilegiorum prodesse ad alia. Ad sextum dico, adesse opinionem pro vtraque parte, & probabiliorem esse, quæ tenet etiam Episcopis sublatam fuisse facultatem illis concessam virtute citati cap. 6. sess. 24. absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, vt cum Sanch. lib. 2. cap. 11. verbis extremis tenent quamplures ab illo citati num. 26. vbi opiniones, & rationes pro vtraque parte refert; & Bossius sect. 1. de Iubilæo casu 10. §. per totum, vbi adhæret negatiuæ, & prior opinio affirmatiua mihi videtur indubitata per illam clausulam, *Ac cuiusvis Concilij Decreta*; consequenter si est sublata Episcopis, etiam Prælatis Regularibus. Vel dic, esto Episcopi possint absoluere virtute dicti cap. vel ex speciali officio, quales sunt Inquisitores, non posse Prælatos Regulares, cùm non sint Inquisitores, & eis sublatum sit priuilegium Pij V. quoad hoc.

Hanc opinionem tenent Sigismund. de elect. dub. 69. num. 13. Nald. vers. Nouitius num. 7. Vecchius disputat. 9. dub. 6. Cruz lib. 6. cap. 6. dub. 15. conclus. 1. Sorbus, Tamburinus, Zanard. Diana resolut. 72. de dub. regul. cum aliis apud eosdem, Lupus part. 1. de casib. Bergomi distinct. 13. art. 1. diff. 3. in fin. Lezana cap. 18. num. 38.

Quæres 3. An Prælati Regulares possint suos subditos absoluere à censuris, quas sibi Inquisitores reseruant? exempli gratia Reuerendiss. Inquisitor mandat sub pœna excommunicationis sibi reseruatæ, sibi denuntiari quamprimùm blasphemos, & alios, &c. An Regularis possit absolui à suo Superiore?

Resp. Non possunt. quia illas communiter sibi reseruant; & huiusmodi reseruatio esset inefficax, & vana respectu Regularium, si posset tolli ab eorum Prælatis. 5
Confirmatur, & roboratur saltem id esse verum post Paulum V. nam in sua Constit. 26. *Romanus Pontifex*, extensa apud Nald. vers. Hæresis, apud Quar. vers. eod. reuocat facultates Superioribus quorumcumque Ordinum concessas, cognoscendi causas suorum subditorum, ad Officium Sanctæ Inquisitionis pertinentes, eosdem subiiciendo in his Inquisitoribus, & Ordinariis locorum; & licèt primariò videatur respicere forum externum, tamen etiam secundariò respicit forum pœnitentiale, absolutio siquidem ab excommunicationibus huiusmodi ex officio spectat ad Inquisitores, quando illas sibi reseruant. Et ita indistinctè tenet Bonac. tom. 5. par. 1. de onere, & oblig denunt. §. 10. Vide infrà resol. 6. quæst. 14.

Portellus vers. Solicitare num. 24. Freitas in Addit. ad tract. de confess. solicit. Acugna quæst. 21. num. 31. quos refert Diana resol. fin. de absolut. ab hæresi, dicunt, Regulares virtute suorum priuilegiorum posse absoluere seculares à casibus contentis in edictis Inquisitorum, ergo à fortiori suos subditos. Probat I. Portel. ex priui- 6
legio

legio Pauli III. incip. *Cum inter cunctas*: apud Confect. pagin. 184. apud Rodr. quæst. 61. art. 5. illis verbis: *Ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumuis grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis*. Nam dictio, *etiam*, quæ implicatiua similium casuum cuicumque inferiori Prælato reseruatorum, includit casus reseruatos Episcopis, & Inquisitoribus, nam Episcopus est Superior solùm respectu secularium pœnitentium, non Confessariorum Regularium, Inquisitor verò Iudex est super omnes in casibus Inquisitionis, ideò non habet locum illud priuilegium, quod concedit absolutionem à casibus reseruatis illius Superioris, à quo exemptus est, habens priuilegium absoluendi. Secundò illud priuilegium procedit pro secularibus pœnitentibus, vt notum est, non pro Regularibus respectu suorum Superiorum. Tertiò, hisce nostris temporibus etiam respectu secularium subsistere non potest in ordine ad casus Episcopales, non solùm intra Italiam, vt obseruat ipsemet Portel. vers. casus reseru. num. 6. & benè pro eo tempore, sed neque extra Italiam vbique, quia Decretum Clement. VIII. de non absoluendo virtute priuilegiorum à reseruatis Episcopi, quòd hîc citaui initio Resolutionis, ab Vrbano VIII. extensum fuit per Sacram Congregationem etiam extra Italiam, quod refert Synodus V. Comensis sub Reu. Carafino ibi Episcopo, pag. 159. Peyrinus tom. 5. priuileg. c. 2. n. 38. sub . 17. Nouembris 1628.

7 Probat 2. ex regula 53. in 6. quia cui licèt quod est plus, licèt vtique quod est minus; plus autem est absoluere à reseruatis Papæ, quàm absoluere à reseruatis Inquisitoribus, ergo si possunt à Papalibus, eò magis ab Inquisitoribus. Dicas, hanc regulam non habere locum in odiosis, vt dixit Sigism. dub. 80. num. 3. per aliam regulam, quæ à iure communi exorbitant, non sunt ad consequentiam trahenda Reg. 28. eod. Præterea non habet locum in dispensationibus secundùm Riccium in sua praxi resol. 227. num. 4. apud Barbosam de locis commun. lit. P. num. 4. & Sanch. lib. 8. disputat. 1. num. 32. ac proinde neque in absolutione, quæ cum eâ pari passu currit.

Tertiò probat per Rodr. tom. 1. quæst. 61. art. 6. vbi ait, posse Religiosos per sua priuilegia absoluere nominatim excommunicatos, parte satisfacta; sed obligatus denuntiare iam satisfecit, vel saltem paratus est satisfacere, ergo absolui potest. Dico, hoc argumentum non facere ad rem, quicquid sit de excommunicatis nominatim, nam neque isti absolui possunt hisce nostris temporibus, cùm Regulares nullum ius habeant super casus reseruatos Ordinariis, vt ostendi in primo argumento, & solùm in Iubilæo magno conceditur facultas absoluendi nominatim excommunicatum pro foro conscientiæ, parte satisfacta, aut concordio facto, & non aliter, nunquam verò valere pro foro externo. Loquendo autem in casu nostro, puto neque in foro conscientiæ validè absolui, quia in hoc casu excommunicantes sunt verè Iudices Regularium, ergo ipsis in vtroque foro competit absolutio. Deinde nullum reperio priuilegium concedens Prælatis Regularibus facultatem absoluendi subditos nominatim denunciatos, nam in Mari magno fit mentio de censuris generaliter latis, & Rodr. tom. 1. quæst. 20. art. 6. facit mentionem de Iubilæo, ergo cùm agatur de re odiosa, dicta de Iubilæo extendenda non sunt ad priuilegia Regularium. De qua re iterum infrà quæst. 7. Excommunicatus igitur ab Inquisitore siue generaliter, siue nominatim absolui non potest à Prælatis suis, quando excommunicatio est particularis, cùm verò est generalis potest, si non est expressè reseruata, quamuis parti satisfecerit, quia non satisfecit Iudici suo competenti, qui illum nominatim excommunicauit.

Quartò probat, quia ab excommunicatione ab homine potest absoluere excommunicatos vel eius Superior, vel ad id legitimè delegatus; sed Regulares habentes facultatem absoluendi à reseruatis Papæ, possunt absoluere ab iis, à quibus Papa; sed Papa potest absoluere à censuris latis per Inquisitores, ergo & Regulares. Dico etiam Delegatum posse absoluere, sed in casu nostro tam pro secularibus, quàm Regularibus Religiosi Confessarij, aut Prælati non sunt delegati ampliùs ad huiusmodi casus, vt patet ex confutatione primi argumenti. Præterea falsa est hæc propositio, quòd Regulares habentes priuilegium absoluendi à censuris reseruatis Papæ habeant iurisdictionem absoluendi ab aliis censuris reseruatis, à quibus potest Papa absoluere, nam Papa absoluit à censuris Bullæ Cœnæ sibi reseruatis, à quibus tamen non potest absoluere Regularis, habens priuilegium Pauli III. de quo suprà in primo argumento, ibi siquidem excipiuntur casus Bullæ Cœnæ Domini, à quibus per dictum priuilegium Confessarij Regulares absoluere non possunt. Insuper parem cum Papa potestatem haberent, quòd omninò est falsissimum. Stat ergo, quòd absoluunt à Papalibus, non ab Episcopalibus, aut Inquisitorum, quia Papa in hoc contentus est, non autem tales præsumuntur illi, cùm non constet de hoc placito, quòd neque tacitè continetur in priuilegio Papali, quia odiosa non extenduntur ad ea, quæ expressa non reperiuntur.

Adducit demùm, quòd excommunicatio expressa in Indice librorum prohibitorum non est reseruata, ac proinde ab ea omnes absoluunt, vt docent Graff. Sayr. Azor. Vgol. cum aliis, quos pro se citat Sanch. lib. 2. c. 10. n. 26. & tamen hæc pertinet ad Inquisitores. Sed totùm argumentum conceditur, quia illa non reseruatur, vtique in casu nostro, quòd si probat de non reseruata, frustrà tempus cunterit, quia certi iuris est cap. Nuper, de sentent. excomm. excommunicationem nulli reseruatam posse tolli à simplici Confessario.

Quæres 4. An Regulares Prælati Tertij Ordinis habeant priuilegia absoluendi suos subditos à quibuscumque peccatis, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis?

Resp. Habent, nam Eugenius IV. Constitut. *Iniunctum nobis*, dat. 8. Februar. 1442. pagin. 30. in nostro Bullar. concessit Visitatorem Generalem Tertiariis existentibus in Regnis Legionis, & Castellæ, cum potestate absoluendi sub his verbis: *Nec non quoties opus fuerit omnes, & singulos præsentes, & futuros Ordinis huiusmodi Fratres, ac Sorores ab omnibus, & singulis excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententiis, & pœnis, quibus pro tempore irretiti fuerint, in foro conscientiæ dumtaxat absolutionem*, Et infrà subdit; *Nec non etiam per se, vel alios idoneos ex Fratribus in Sacerdotio constitutis prædictis omnium, & singulorum omnium Fratrum, & Sororum præsentium, & futurorum prædictorum, ac illorum, & illarum seruitorum pro tempore confessiones audire, & pro commissis, dummodò talia non sint, propter quæ sit meritò Sedes Apostolica consulenda, debitam absolutionem impendere, & salutarem pœnitentiam iniungere; & eorum cuilibet Ecclesiastica Sacramenta ministrare liberè, & licitè possit, & valeat, plenam, & liberam authoritate Apostolica tenore præsentium facultatem concedimus, ac etiam potestatem.* Deinde Nicolaus V. eisdem in Italia existentibus in sua Constitut. *Pastoralis Officij*, 20. Iul. 1447. in Bull. huius Ordinis pag. 33 concessit in hæc verba; *Ipsisque Sacerdotibus celebrandi, ac confessiones dictorum Fratrum in Domibus, Oratoriis, & locis huiusmodi degentium audiendi, illisque pro commissis, nisi talia fuerint, propter quæ Sedes ipsa sit meritò consulenda, debitam absolutionem impendendi; & salutarem pœnitentiam iniungendi, ac Ecclesiastica Sacramenta, quoties expedierit ministrandi, Parochialium Ecclesiarum iuribus semper saluis.* Idem Nicol. in alia Constitut. *Apostolicæ Sedis*, dat. 23. April. 1450. degentibus in Diœcesi Leodiensi ita concedit. *Quodque omnes, & singuli Fratres prædicti vnum Presbyterum dicti Ordinis professorem in eorum Generalem Ministrum, qui quoties opus fuerit, per se, vel alium, seu alios ad id per eum deputandum, seu deputandos quibuscumque dicti Ordinis Fratribus, & ipsorum familiaribus, seu* 8

seruitoribus eorum confessionibus diligenter auditis in omnibus, præterquam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, debitam absolutionem, &c.

Habetur ergo ex his, Prælatos huius Ordinis posse absoluere suos subditos à quibuscumque peccatis, & censuris, dummodò pro eis non sit consulenda Sedes Apostolica; in quatuor autem casibus est consulenda, pro Hæreticis relapsis, Schismaticis, pro illis qui literas Apostolicas falsificant, aut ad Infideles prohibita deferunt, vt suprà quæst. 5. retuli ex Sixto IV. in suo Mari magno; sed quia hi casus includuntur in Bulla Cœnæ Domini, super quam nullum ius absoluendi habent Regulares, vt probaui hic quæst. 2. idcircò, vt vno perstringam verbo, dico Prælatos posse absoluere à quibuscumque reseruatis, exceptis casibus in Bulla Cœnæ Domini.

9 Dubia quædam suboriuntur ex mox allatis priuilegiis, I. Quid illa verba, *In foro conscientiæ dumtaxat*, in Constit. Eug. significent? II. An Nouitij gaudeant priuilegio absolutionis in dictis Bullis? III. Qui veniant sub nomine seruitorum, vel familiarium, qui gaudent hoc absolutionis beneficio? IV. Quæ nomine Sororum? V. Quomodo in Bulla priori Nicolai V. conceditur omnibus Sacerdotibus hoc priuilegium? VI. Quid ibidem significent illa verba; *Parochialium Ecclesiarum iuribus semper saluis*. VII. An contineantur censuræ in vtraque Constitutione Nicolai, de quibus non fit inibi expressa mentio? VIII. Quid in posteriori Bulla significent illa verba; *Præter quam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus*.

10 Primò: Significant hoc priuilegium absoluendi prodesse tantùm pro foro conscientiæ, & non pro foro externo, vt docent communiter Doctores, illam clausulam in aliis priuilegiis exponentes, *Sanchez libro 2. cap 11. num. 13. & lib. 8. disputat. 34. num. 29. cum aliis Bonac. de cens. in genere quæst. 3. part. 10.* Itaque Prælatus Visitator in Regnis illis ex hoc capite nihil potest pro foro externo; Nec obstat quòd postea Nicolaus V. pro Leodiensibus, & Italis indistinctè loquutus fuit idem priuilegium concedendo, illam clausulam subticendo, quia adiecit aliam illi æquiualentem, nempè *Auditis eorum peccatis*, quæ eundem sensum habet, vt dicam infrà q. 8. §. Ex his.

11 Secundò: Nouitij gaudent prædictis absolutionis priuilegiis, vt colligitur ex illis verbis: *Fratrum præsentium, & futurorum*: nam qui nondum sunt professi dicuntur futuri, ac proinde Nouitij pro tempore. Deinde Nouitij in fauorabilibus veniunt sub nomine Fratrum. Insuper gaudent his priuilegiis seruitores, ergo à fortiori Nouitij medij inter vtrosque magis adhærentes Fratribus, quàm faciant seruitores.

12 Tertiò: Nomine seruitorum, & familiarium veniunt Tertiarij gestantes semihabitum, seu habitum sine capitio, & alij perpetui commensales intra claustra cùm professis vitam degentes, licèt possint retrocedere, quando illis placuerit; isti absolui possunt à quibuscumque peccatis à Prælatis, iuxta quæ dixi resol. 34. quæst. 16.

13 Quartò, Nomine Sororum venire possunt Tertiariæ, in propriis domibus degentes, & hæ cum hisce nostris temporibus subiectæ sint in omnibus Parochis, non videntur posse vti illis priuilegiis, cùm non possint confiteri, nisi approbatis ab Episcopis, vt sæpius declarauit Sacra Congregatio, vt ipsamet dixit in suo decreto extenso apud Nald. *verf. Clausura, num. 7. Laurium Tit. 2. de prisco, & recenti funer. cap. 11. num. 102. de quo etiam agunt alij à me citati resol. 34. quæst. 16.* Nihilominus dico, huiusmodi Sorores priuilegiis dictis potiri, & esse exemptas à iurisdictione Ordinarij, si virginalem, aut cœlibem, aut castam vidualem expresso voto vitam ducant; ad hoc autem votum admittere non possunt Superiores, nisi spectatæ vitæ non sint, & 40. saltem annorum, de proprio habentes, cum consanguineis, aut affinibus in primo tantùm gradu cohabitantes, licentiâ priùs ab Ordinario impetrata; hæ conditiones ibi exprimuntur; ad priuilegium autem hoc mihi videtur sufficere prædictum votum expressè factum in manibus Prælati Superioris, & si alia desint, puto non frustrari priuilegium, quia ex illo voto præcisè incipit esse Soror, non ex reliquis, quæ sunt conditiones accidentariæ, & ad benè esse, quæ si deficiant sicut nullum non reddunt votum, ita neque inane faciunt priuilegium. Quare 14
Prælati non solùm poterunt, si tamen sint approbati ab Episcopo, absoluere ab omnibus reseruatis Sedi Apostolicæ, exceptis casibus Bullæ, sicut faciunt Religiosi sui, verùm etiam à casibus Episcopalibus, eo quòd illis non subiiciuntur, cùm, vt dicit Decretum citatum, exemptæ sint ab Ordinariis locorum. Idem à fortiori dicendum est de eisdem Monialibus, cùm sint exemptæ à iurisdictione Episcopali, debent tamen Prælati Regulares esse approbati ab Episcopo eius loci, vbi degunt Moniales, ex Const. Gregorij XV. de qua dixi resol. 36. q. 27. Sed non est immorandum, quia hæ Moniales in Italia sunt subiectæ Episcopis, nam nostri ab antiquis temporibus renunciauerunt illis.

Quintò. Non verè conceditur omnibus Sacerdotibus 15
indistinctè potestas absoluendi à casibus Papalibus, sed ita loquitur Summus Pontifex, quia eo tempore, quo de anno 1447. nondum habebant hîc in Italia aliquem Superiorem maiorem, vt colligitur ex eadem Constitutione, quæ concedit, vt hi Sacerdotes possint congregare suum primum Capitulum, & in eo eligere vnum Patrem principalem in suum Generalem, & Visitatorem, qui in vtroque foro habeat potestatem non solùm prædictam quamcumque aliam pro bono regimine, & gubernatione Fratrum sibi subiectorum, vt colligi potest ex aliis Bullis suprà relatis.

Sextò. Iura Parochialia sunt administratio Sacra- 16
mentorum, & ius sepulturæ; hinc argumentum colligitur, huiusmodi Religiosos tunc temporis fuisse subiectos Episcopis, & eorum Parochis, vt patet euidenter in Regula Nicol. IV. cap. 5. 10. 11. & 18. & pro Flandrensibus in Constit. *Personas vacantes*, Dat. 26. Augusti 1413. Ioannis XIII. in nostro Bullario pag. 20. dignoscitur eorum subiectio Episcopis, quoad criminalia, & statuta ab illis facta ab Episcopo confirmanda; Eugen. autem IV. Constitut. *Iniunctum nobis*, dat. 8. Febr. 1442. in nostro Bullar. pag. 32. propè finem, existentes in Regnis Legionis, & Castellæ exempta iurisdictione Episcoporum, subiiciendo illos suo Generali eiusdem Ordinis, quæ amen non obstante, huius Ordinis Religiosi in Italia degentes adhuc remanserunt sub iurisdictione Ordinariorum tempore Nicolai V. vt suprà, quia nondum habebant communicatum priuilegium præcitati Eugen. prout videre est non solùm in prima, sed etiam in secunda, propè finem, vbi pag. 44. pro Leodiensibus habentur hæc verba: *Absque tamen matricis, ac Parochialium Ecclesiarum præiudicio*; Postea Paulus II. in Constitut. *Excitat arcanum*, dat. 26. Maij 1467. pag. 44 communicando Italis omnia priuilegia ab Eugenio IV. & Nicolao V. concessa Regnicolis Castellæ, Legionis, & Leodij, inter quæ eximebantur Priores à iurisdictione Episcopi, sine dubio Italos exemit titulo excommunicationis à iurisdictione Episcopali; nec obstat Sixtus IV. dum in Constitut. sua: *Sedes Apostolica*; dat. 29. Nouembr. 1471. concedendo huius Ordinis Sacerdotibus in Italia degentibus facultatem absoluendi omnes vtriusque sexus personas ad illos confugientes; exceptis casibus Episcopalibus, & saluis iuribus Parochialibus, quia hæc verba referuntur ad Pœnitentes Seculares, quibus dicti Confessarij non possunt ministrare Sacramenta Parochialia, vt sunt Viaticum, Extrema-Vnctio, & Communio in Paschate, aliter Papa sibi aduersaretur, hoc ipso, quòd in hac eadem Constitutione illis confirmat priuilegia communicata à Paulo II. concessa alias Regnicolis, inter quæ illud priuilegium erat, quòd eximebantur à iurisdictione Episcopali; vt eosdem expressè exemit Clem. VII. Constit. *Ad vberes fructus*

dat.

dat.15.Martij 1526. ſed iu his immorandum non eſt, cùm iam ſit certi iuris.

Septimò ; Eſt priuilegium abſoluendi tam à peccatis, quàm à cenſuris,hoc ipſo,quòd Nicolaus V. dicit,quòd audiant eorum confeſſionea in omnibus, præter quàm Sedi Apoſtolicæ reſeruatis,auditio enim confeſſionia refertur tam ad cenſuras,quàm ad peccata ; & in hoc non eſt difficultas.

Octauò : Illa verba ; *Præter quàm Sedi Apoſtolicæ reſeruatis* ; idem important,quòd illa alia clauſula de Sede Apoſtolica conſulenda,nimirum in quatuor caſibus tempore Sixti IV. & nunc in omnibus caſibus Bullæ Cœnæ Domini,vt dixi §.Habetur.

Quæres 5.An huiuſmodi facultas abſoluendi à reſeruatis Papæ extra Bullam Cœuæ Domini competat omnibua Prælatis non ſolùm Maioribus, vt ſunt Generalis, & Prouincialis, & Cuſtodes in Ordine Minorum ſub prima Regula, verùm etiam Localibus, & immediatis Superioribus Locorum,& Conuentuum?

17 Reſp. In Religione Dominicanorum, huiuſmodi facultas abſoluendi à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ competit Generali, Prouincialibus,& Localibus Superioribus, atque eorum vices gerentibus ex Mari magno Sixti IV. non obſtante Bulla Aurea, quæ eam facultatem reſtringebat ad Generalem, quia idemmet extendit, vt ſuprà etiam ad eorum Priores, & vices gerentes,Conſtit. *Quoniam omnes*. apud Confect. pag. 74. in Religione Minorum ſub prima Regula huiuſmodi facultas competebat omnibus Prælatis, Generali, Prouincialibus, ac eorum Vicariis,& Cuſtodibus,exclusis Localibus, cum de ipſis non fiat mentio, neque de Vicariis Cuſtodum,nihilominus ex communicatione priuilegiorum, quam habent Minores cum Dominicanis,poſſunt Superiores Locales, & eorum Vicarij abſoluere à reſeruatia Sedi ; & ita docet *Rodr. tom. 1. quæſt. 20. art. 2. cum ſuo Compend. reſolut. 3. num. 1. Confect. tit. 17. cap. 7.* Nomine autem Superiorum Localium veniunt etiam Præſidentes, vel quouis alio nomine ſubrogati in locum præmortui,vel amoti ab officio.

An autem Vicarij eorum hoc habeant hoc Ipſo,quòd conſtituuntur Vicarij, an debeat illis committi à ſuo Prælato?

Reſp. Habere ex ſe abſque alia commiſſione, cum in dicto Mari magno immediatè illis à Papa concedatur. Non videntur tamen poſſe vti ea facultate, niſi in abſentia ſuorum Prælatorum, quia ad hoc ſunt Vicarij, vt eorum vices gerant, quando ipſi abſunt, vel aliter præſentes, non poſſunt fungi ſuo officio, aliis occupati.

18 In Religione Tertij Ordinis hæc facultas videtur competere ſolùm Generali,vt conſtat ex verbis Conſtit. Eugen. IV. & Nicol. V. ſecunda, relatis ſuprà quæſt. 4. ex alia parte ſi inſpiciatur prior einſdem Nicol. hæc facultas tribuitur omnibus Sacerdotibus huius ordinis. Dicas veriùs hanc facultatem abſoluendi à reſeruatis Sedi extra Bullam Cœnæ Domini habere omnes Prælatoa maiores nempè Generalem, Prouinciales,& Locales, Maiores quidem ex vi Conſtitutionum prædictarum ; neque obſtat, quod non fiat mentio de Prouincialibus, quia tunc temporis nondum erat eorum inſtitutio, & pro numero Fratrum, qui pauci erant, ſufficiebat vnus Superior Principalis ; Locales tunc ſine dubio erant, & cùm non fiat meutio de illis virtute dictarum Bullarum,non dicuntur habere hanc poteſtatem,ſed ex communicatione priuilegiorum cum Dominicania, & aliis Mendicantibus, & non Mendicantibus. Nec illis obſtat cap. 14. Regul. Tum quia illi nulla mentio de tollendo, reſeruata Sedi Apoſtolicæ, tum propter rationes adductas reſol. 28. quæſt. 20. §. Difficultas, §. Dico. Horum Vicarij hanc facultatem non tenent,quia in Bullis dicitur, quòd illis Prælatus committere poteſt, quamuis ex alio capite per communicationem priuilegiorum illa non careant.

Prædicta de Prælatis inferioribus, & eorum vices gerentibus locum habent, niſi in Religione adſit Statutum, vel Præceptum prohibens illis huiuſmodi exercitium abſolutionis, quod in mea Religione non extat, quare poterunt liberè abſoluere ſaltem in caſibus occultis,vel etiam notis,ſed non enormibus,quia grauiora reſeruantur maioribus.

Quæres 6. An huiuſmodi priuilegia abſoluendi ſint non ſolùm pro foro interiore, verùm etiam pro externo? Exempli gratia, notorium eſt in Conuentu Fratrem percuſſiſſe alterum enormiter, aut oculum eruiſſe, vel etiam occidiſſe,an is percuſſor poſſit abſolui à Prælato maiori?

Reſp. Poteſt ; Probatur. Tum quia dicta priuilegia non diſtinguunt inter forum interiùs, & exteriùs, ſed ſimpliciter loquuntur, ergo abſolutè ſunt intelligenda pro vtroque foro, quia Principis beneficium latiſſimè eſt interpretandum, *cap. cùm olim, de verb. ſignificat. l. Beneficium ff. de Conſtit. Princip.* & maximè Regularium priuilegia,vt aliis citatis docet *ex ſuo Authore Compend. reſolut. 62. num. 6. §. Quod tandem.* Tum quia iu opinione quorumdam poſſunt abſoluere nominatim excommunicatum, iuxta quæ dixi quæſt. 5. §. Tertiò, & dicam mox quæſt. 7. ergo & pro foro externo, quis enim non excommunicatur in particulari, & nominatim, niſi conſtet de eius delicto. Et ita tenent *Rodr. tom. 1. quæſtione 24. art. 13. & 16. cum ſuo Compend. reſolut. 3. numero 2. Confect. Titul. 17. cap. 7. Nauar. conſilio 47. de ſentent. excommun. numero 2. Portel. verſ. Prælatus num. 25. Sanch. lib. 6. cap. 17. num. 43. Vecchius diſputat. 9. dub. 8. num. 3. Beja part. 4. caſu 37. §. Et quamuis, & alij communiter.* 19

Quæres 7. An poſſint abſoluere nominatim excommunicatum? Ad propoſitum noſtrum, qui loquimur de caſibus Sedi Apoſtolicæ,quæſtio non poteſt habere locum, niſi in caſu, quo Papa denuntiaret aliquem in indiuiduo excommunicatum, vel de facto excommunicatum, an poſſet abſolui à ſuo Superiore? Sed quæſtionem extendamus ad alioa legitimos Superiores, qui poſſunt excommunicare, & cenſurare Religioſos, cuiuſmodi ſunt Protector, Sacra Congregatio, Legati à latere,Inquiſitores,& Epiſcopi, qui in aliquibus excommunicare poſſunt,& excommunicationem declarare talem, ſecundùm quorumdam opinionem, de qua dicam reſolut. 7. quæſt. 6. & 7. An Superiores Regulares poſſint abſoluere ita excommunicatos, vel tales declaratoa à prædictis Iudicibus competentibus,ſiue pro foro conſcientiæ, ſiue pro foro externo. Quæſtio procedere etiam poteſt de Nouitiis, qui excommunicationem, vel aliam cenſuram contraxerunt, & nominatim declarati fuerunt ante ingreſſum.

Reſpond. Nominatim excommunicatus, ſeu aliâ 20
cenſura ligatus à legitimo Iudice extra Religionem, ſiue ſit Profeſſus, ſiue Nouitius non poteſt abſolui à ſuis Prælatis neque in foro externo, neque interno, ita quòd nulla prorſus eſt abſolutio. Probatur primò, quia in Mari magno facultas reſtringitur ad cenſuras generaliter latas, ergo excluduntur particulariter latæ, vt in ſpecie fecit Gregorius XIV. approbando Religionem Miniſtrorum infirmorum, conceſſit, quod eorum Generalis poſſit abſoluere à quibuſcumque cenſuris reſeruatis, excepta excommunicatione nominatim contracta, vt refert *Sorbus verſ. abſolutio ordinar. quò ad Fratres, & ex eo Rodrig. tom. 1. quæſt. 20. artic. 4. quod artic. 6.* ait intelligi non prodeſſe pro foro externo ; ſed dicas tu, neque pro foro interno : ideò probatur ſecundò, quia priuilegium interpretandum eſt, vt nulli noceat ſaltem notabiliter ; ſed hoc priuilegium notabiliter læderet Iudicem excommunicatorem, quia per hoc aliqua ratione ſe ſubtraheret ab eius iuriſdictione, quod eſt magnum abſurdum. Probatur tertiò, quia certi iuris eſt, quod nullus poteſt abſoluere nominatim excommunicatum, niſi eius Iudex, aut Iudicis Superior,vt omnes docent,aut delegatus ab his, ſed nullum expreſſum priuilegium inuenitur, concedens

hanc facultatem; nam quædam declaratio, quam ex Pio V. referunt *Rodrig. citat. quæst. 20. art. 6. & ex eo Mirand. tom. 2. quæst. 35. art. 22.* qua dicitur posse Confessores per priuilegia Apostolica absoluere in foro conscientiæ tantùm, & pœnitentiali pœnitentes, parte non satisfacta, ea verò satisfacta etiam in foro externo, non facit ad rem nostram, qui loquimur de priuilegiis concessis Prælatis Regularibus extra Iubilæum, nam dicta declaratio habet locum super Iubilæis, vt clarè colligitur ex verbis relatis à dictis Doctoribus; quamquam non placeat mihi, vt nominatim excommunicatus possit parte satisfacta absolui virtute Iubilæi etiam pro foro externo, & saltem hoc falsum est hisce nostris temporibus, quòd possint absolui pro foro externo, cùm vix possint absolui pro foro conscientiæ, si parti læsæ satisfecerint, aut cùm ea concordauerint intrà tempus celebrationis Iubilæi, vt id expressè ponitur in Iubilæis modernis, de qua re vide Bossium sect. 1. de Iubil. casu 5. Probatur quartò, quia iudicium finiendum est ab eo, à quo cœptum fuit *ff. de iur. omn. Iudic. l. Vbi certum est, l. Si quis postea ff. de Iudic. ex capit. proposuisti 19. de foro compet. iuncta glossa versic. præuentui*; sed absolutio quouis modo spectata est para huius Iudicij, ergo ad ipsum excommunicatorem pertinet. Probatur quintò, quia licèt Leo X. in sua Constit. 21. *Dum intra*, dicat non esse absoluendos excommunicatos intrare volentes Religionem, nisi præuia satisfactione, non ideò tamen exprimitur danda in Religione. *Ita Collector priuileg. versic. Absol. quoad Secular. 2. num. 19. cui videntur adhærere Suar. & Reginald. apud Vecchium disputat. 9. dub. 9. qui num. 4.* ait prodesse tantùm pro foro interno, licèt satisfacta parte, & citat in hanc opinionem *Nau. cons. 47. de sentent. excomm. Sair. de censi lib. 2. cap. 20. num. 29. Sanch. lib. 6. cap. 17. n. 43.* cum aliis, quamquam nonnulli istorum loquantur de priuilegio Iubilæorum. *Vide Lupum Strict. Obseruant. part. 1. de casib. reseru. Bergomi dist. 6. art. 1. diff. 3. §. Altera est.*

Rodrig. *tom. 1. quæst. 20. artic. 6. & quæst. 61. artic. 6. Mirand. eum sequutus tom. 2. quæst. 35. art. 22. Sorbus versic resolut. mater. absol. conclus. 4. pagin. 57. & alij apud Vecchium disputat. 9. dub. 9. num. 3.* asserunt prodesse pro vtroque foro parte satisfacta, cum quibus videtur Peyrinus tom. 3. cap. 3. num. 12. Probantes, Tum ex declaratione Pij V. cui iam satisfactum est habere locum in Iubilæis, non in casu nostro. Tum quia cap. 12. sess. 25. dicitur non esse absoluendum nominatim excommunicatum, ex quo decimas defraudauit, vel nè soluerentur impediuit, donec parti satisfaciat; ergo parte satisfacta potest à quouis absolui. Hoc argumentum nihil probat contra nos, sed in eo loco Concilium prohibet absolutionem, ante executionem satisfactionis, post autem non dicit posse absolui à quouis, hoc enim modo plus probaret, quàm vellet aduersarius. Tum quia parte satisfacta nulli infertur iniuria, non parti, cùm illi iam satisfactum sit, neque Iudici, quia excommunicat ad instantiam partis, ergo id totum videtur pendere ex parte offensi, ergo sublata offensione, absolutio videtur libera cuique Confessario. Dico, aliud esse remittere offensam, vel satisfactionem recipere, & remittere absolutionem; Primum spectat ad partem, posterius verò ad Iudicem, qui quoad absolutionem dandam, nihil commune habet cum parte, sed hæc tota facultas ab eo pendet, ergo parum prodesse potest satisfactio partis Confessario, vt dicatur habere Ius ad absoluendum. Præterea huiusmodi argumenta, si quid probant, quod nego, suadent similes excommunicationes, parte satisfacta, ex sua conditione nulli esse reseruatas, quod tamen apud omnes falsum est.

Quæres 8. An huius absolutio, qua Prælati Regulares possunt absoluere virtute suorum priuilegiorum suos subditos à reseruatis Sedi Apostolicæ, dari possit extra Sacramentum pœnitentiæ, an necessariò in eo danda sit, auditis priùs pœnitentium peccatis. Non loquor de peccaris, quia hæc per absolutionem Sacramentalem tollenda sunt, sed de censuris an possint tolli extra absolutionem Sacramentalem?

Respond. Censuræ tolli possunt extra Sacramentum 21
Pœnitentiæ, quando priuilegium non restringit absolutionem dandam esse sacramentaliter, quod cognoscitur ex his verbis: *Absoluat sacramentaliter. Absoluat in foro sacramentali, seu pœnitentiali. Auditis eorum confessionibus.* In his omnibus clausulis priuilegium conceditur in ordine ad absolutionem Sacramentalem; vltima clausula indiget distinctione, nam si priuilegium simul concedat facultatem absoluendi à peccatis, & censuris, in eo casu sensus distribuendus est, nam respectu peccatorum absolutio debet esse Sacramentalis, si verò tollantur solùm censuræ, sufficit absolutio extra Sacramentum, sic explicant *Rodrig. quæst. 61. art. 7. Sanchez lib. 8. disputat. 16. in fine cum aliis citatis nouissimè à Lupo part. 1. de casibus Bergomi distinct. 21. art. 1. diff. 3. in fine.* Clausula verò, *In foro conscientiæ tantùm*, significat absolutionem non posse prodesse, nisi pro conscientia, & apud Deum, in foro verò externo nullius esse momenti, ac proinde eam posse dari extra Sacramentum. Vnde communiter distinguuntur tres fori,
Forus Sacramentalis, seu Pœnitentialis, quo absolutio 22
datur solùm in Sacramento Pœnitentiæ; secundus dicitur Forus conscientiæ, respectu cuius absolutio prodest tantùm apud Deum; tertius dicitur Forus externus, quo absolutio prodest apud Iudicem pro externo; & vtraque dari potest extra Sacramentum. Hæc doctrina ab omnibus admittitur, & ferè nostra responsio, quam tenent *Rodrig. tomo 1. quæstione 20. articulo 7. & quæstione 61. articulo 7. Mirand. tomo secundo, quæstione 35. articulo 21. Sanchez libro 8. disputation. 34. numero 29. & 30. & libro 4. capite 54. numero 14.* Oppositum tenent *Nauar. capite 26. numero 31. consilio 48. de sentent. excommunication. numero 11. & multi alij, quos citat Bossius sectione 1. de Iubilæo casu 24. per totum, vbi hoc ex professo tractat, sequens opinionem Nauar. num. 16.*

Ex his habes priuilegia Maris magni esse ampla, cùm non contineant illas clausulas, ac proinde prodesse pro vtroque foro. Priuilegia verò Tertij Ordinis sub quæstione 4. videri restricta ad forum conscientiæ, cùm in primo Eugenij IV. exprimatur hæc clausula; & in aliis duobus Nicolai V. adsit clausula; *Auditis eorum confessionibus*; quæ magis videtur restringere absolutionem pro foro interno, & Sacramentali; sed iam dixi illam clausulam, cùm sit communis peccatis, & censuris, ad illa referri in foro Sacramentali, ad has autem extra hunc forum; quare ex hoc capite priuilegiorum non possunt Prælati huius Religionis absoluere suos subditos pro foro externo, quia illæ clausulæ restringunt absolutionem prodesse pro foro conscientiæ tantùm; quare alio medio illorum facultas amplianda est, dicendo hoc illis competere per communicationem aliorum Prælatorum, qui hoc possunt, prout probaui quæst. 6.

Quæres 9. An Prælatus eisdem priuilegiis, seu facultate, quibus potest alios absoluere, vti possit pro se, faciendo se absoluere à suo Confessario, seu alio à se electo, delegando illi hanc facultatem.

Resp. Prælatus habens huiusmodi priuilegia, vel 23
aliàs facultatem indistinctè absoluendi alios, potest eisdem pro se vti; quod probatur, Tum quia id expressè dicitur in Mari magno. Tum quia Superior non debet esse deterioris conditionis suis subditis. Tum quia priuilegia conceduntur fauore Religionis ob labores, quos Regulares passi sunt, vel patiuntur pro Ecclesia Catholica, & propter eorum merita; sed tam meretur, & laborat Prælatus, quàm subditi, ergo priuilegium intelligitur etiam pro illo concessum. Tum quia in his facultatibus censetur ordinarius: & quia est delegatus à Principe, qui sine dubio potest subdelegare, cap. Cùm causam 62. prope finem, de appellation.

&

& ibi gloſſ. citat alia iura; & quia eſt delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, qui poteſt ſubdelegare vnum, vel alterum articulum, niſi expreſsè prohibeatur Gloſſ. verſicul. Delegatus citati capit. & quia in priuilegiis noſtri Ordinis relatis quæſtione quarta expreſsè dicitur, quòd ad abſoluendum Prælatus poteſt alios deputare, ergo & pro ſe deputare poteſt Sacerdotem, qui ſeipſum abſoluat. Et in hoc nulla difficultas. Ita tenent *Rodrig. tomo 1. quæſtione 21. articulo 8. vbi citat Caietanum, Sylueſt. verſicul. Confeſſor §. 6. Coriolan. parte prima, de caſibus ſection. prima, articul. 22. Mirand. tomo 2. quæſtione 34. articulo 14. Compend. reſolution. tertia, numero vigeſimo-ſecundo, & reſolution. 69. numero octauo, & multis aliis citatis docet Boſſius ſectione prima, de Iubilæo, caſu decimo, num. 187. Vide reſolution. 34. quæſt. 11.*

Dici, *Vel aliàs facultatem indiſtinctà abſoluendi alios*, quia ſi quis habeat facultatem abſoluendi hunc, vel illum à caſibus reſeruatis etiam omnibus, non ideò poteſt ea facultate vti pro ſe, quia cenſetur gratia facta fauore pœnitentium tantùm, & electa perſonæ induſtria, ac proinde non poſſe ſubdelegare illam ſuo Confeſſario in proprium fauorem.

Quæres 10. An Prælati Regulares virtute horum priuilegiorum abſoluendi à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, habeant etiam facultatem abſoluendi ſuos ſubditos à quibuſcumque reſeruatis Prælatis inferioribus, ſiue in Religione, ſiue extra Religionem? quod potiſſimum habet locum reſpectu cenſurarum, quæ promulgari poſſunt vel à Protectore, vel à Sac. Congregatione, vel à Legato à latere, vel quandoque ab Epiſcopo, cum reſeruatione abſolutionis.

24 Reſp. Non. Probatur; Tum quia huiuſmodi facultates ſunt odioſæ, & ideò reſtringendæ, & ſufficit, ſi in aliquo habeant ſuum effectum. Tum quia ex duobus impedimentis, vno ſublato, remanet alterum, argument. cap. 5. de author. & vſu pall. gloſſ. verſicul. Indulgentiam cap. Paſtoralis 19. de priuileg. per l. Si domus tua ff. de ſeruitut. vrban. præd. vbi de duabus ſeruitutibus, vna ſublata, remanet altera. Tum quia licèt in Iubilæis à Summo Pontifice conceſſa facultate abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, videatur ſublata reſeruatio facta ab Ordinariis, & à Prælatis inferioribus, & hoc noſtris temporibus ſit extra controuerſiam, cùm in recentioribus Iubilæis vniuerſalibus, vti de forma exprimatur huiuſmodi priuilegium reſpectu caſuum Papalium, & Epiſcopalium, tamen non valet inferre, id locum habere etiam in aliis priuilegiis, præſertim Regularium; certum enim eſt hac noſtra tempeſtate Regulares Confeſſarios habere priuilegia abſoluendi à quibuſcumque caſibus Papalibus, & eiſdem denegatam eſſe abſolutionem à reſeruatis Epiſcopis, vt videre eſt in Decreto Clement. VIII. edito à Sacra Congregatione anno 1601. & altero eius declaratiuo, extenſis à Quaran. verſic. Caſus reſeru. & à Confect. tit. 17. cap. 6. ergo ex conceſſione caſuum Papalium non infertur conceſſio Epiſcopalium, aut alterius Superioris. Tum quia Prouincialis virtute priuilegiorum valens abſoluere ſuum ſubditum à reſeruatis Papæ, non ideò ſequitur, quòd poſſit abſoluere à reſeruatis ſuo Generali, ergo neque aliis Superioribus extra Religionem ſuper enumeratis. *Ita Sorbus verſ. Abſol. quoad Secul. verſ. caſ. reſeru. Rodr. quæſt. 61. art. 13. §. Imò.*

Quæres 11. Quinam ſint illi caſus Papales, à quibus nunc non poſſunt abſoluere virtute ſuorum priuilegiorum?

Reſp. Non poſſunt abſoluere à caſibus in Bulla Cœnæ Domini contentis, neque à caſibus, quos alij Superiores ſuorum ſubditorum competentes poſſunt ſibi reſeruare; neque demum à caſibus Papalibus reſeruatis poſt vltimum priuilegium à Papa Regularibus conceſſum. Hæc reſponſio habet tres partes diſtinctè explicandas.

25 Prima, de caſibus in Bulla Cœnæ Domini, eſt certò probata ſuperiùs quæſt. 2. Vnde tollitur ita difficultas, An Prælati Regulares poſſint abſoluere ab hæreſi occulta ſuos ſubditos? dicendo, quòd non, quia continetur in Bulla Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis derogat priuilegiis Regularium, quæ illi derogare non poſſunt ſine illius expreſſa mentione, vt dixi ſub cit. quæſt. 2. *Ita tenet Megal. conſil. 21. quem pro ſe citat Diana reſolut. 6. de hæreſis abſolut. §. Sed his*, de qua opinione ait non eſſe amplius dubitandum ob declarationem Sacr. Congreg. ſub die 17. Nouembr. 1628. Sed hæc declaratio, quam ad verbum refert Synodus Comenſis, pag. 159. & Peyr. tom. 3. cap. 2. num. 38. non facit ad rem noſtram, cùm loquatur ſolùm de Confeſſariis Regularibus in ordine ad pœnitentes Seculares, vt ibidem obſeruat Peyrinus, & clarè hoc colligitur ex contextu verborum; vera igitur, & potiſſima ratio eſt allata à nobis.

Secunda, quòd non poſſint abſoluere à caſibus reſeruatis aliis Superioribus extra Religionem, conſtat de Inquiſitoribus ſupra quæſt. 3. quamquam iſti facta denunciatione, non videntur ibi eam excommunicationem reſeruare incurſam ob negligentiam, & lapſum termini. Et de aliis conſtat ex præcedenti quæſt. 10. quia priuilegium Papale non extenditur ad caſus reſeruatos aliis Prælatis inferioribus, vt ibi probaui.

Tertia, quòd non poſſint à caſibus neque Papalibus reſeruatis poſt vltimum priuilegium, probatur clarè, & ponamus caſum, quòd Vrbanus VIII. in ſua Conſtitut. *Inſcrutabilis Iudiciorum*, dat. 10. Apr. 1631. reſeruauerit ſibi excommunicationem (quod non fecit) à ſe latam contra prædicentes ſuprà vita, aut morte Summi Pontificis, eiuſque conſanguineorum, vſque ad tertium gradum incluſiuè, de qua mentionem facit *Nald. ad Tit. de Sortilegiis pag. 92.* Sic excommunicatus Religioſus abſolui non poteſt à ſuo Prælato etiam Generali, niſi Religio poſt huiuſmodi reſeruationem obtinuerit confirmationem, & innouationem ſuorum priuilegiorum, per quæ Prælati incipiunt habere ius ſuper omnes caſus Papales reſeruatos poſt præcedentem vltimam confirmationem, & non aliter; quod inquam probatur clarè. Tum quia facultas abſoluendi à reſeruatis intelligitur de reſeruatis ante conceſſionem priuilegij, vt ſatis innuit participium præteriti temporis, quod non extenditur ad futura, niſi concedens id exprimat, quod non facit in caſu noſtro in priuilegiis relatis quæſt. 1. & 4. & in caſu expreſſionis adhuc reſtringitur priuilegium ad reſeruanda ab ipſomet concedente, quia non eſt æquum, vt anteceſſor ponat falcem in meſſem Succeſſoris. Tum quia nullus Prælatus quantumuis magnus, neque etiam Papa poteſt ligare manus ſui Succeſſoris, vt vulgò dicitur, quin efficaciter poſſit ſibi reſeruare aliquam cenſuram. Tum quia par in parem non habet imperium, cap. Innotuit 20. de elect. vnde dato etiam, quòd Papa concederet abſolutionem à cenſuris reſeruandis à ſuo Succeſſore, adhuc non ſuſtineretur hoc priuilegium defectu poteſtatis, cùm prior non habeat iuriſdictionem in poſteriorem.

Sed quæres quodnam ſit vltimum priuilegium, vt poſſis ſcire quænam ſint cenſuræ Papæ reſeruatæ, à quibus abſoluere valeas? Dico aliud priuilegium moderniùs, & ampliùs, atque efficaciùs me non inuenire, niſi illud, quod Gregorius XV. fecit in ſua Conſtitut. *In Apoſtolica Sedis*, dat. 16. Octobris 1621 quam extendit Peregrin. tit. confirmat. priuileg. §. 4. Regularibus Clericis Theatinorum, quibus confirmauit eorum priuilegia omnia, & ſingula, etiam per communicationem conceſſa, abſque vlla limitatione, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis. Itaque Patres Theatini, & omnes Regulares aliarum Religionum Prælati poſſunt vti ſuis priuilegiis in caſu noſtro abſoluendi ſuos ſubditos à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ ab illo die 16. Octobris 1621. retroactis temporibus. Quod poſſint omnes Regulares vti eo priuilegio, patet ex titul. de commun. priuileg. inter omnes Religioſos, & de tribus

Ordinibus S. Francisci est clarum, præsertim ex Clement. VII. in Constitutione, *Dum fructus*, 30. Maij 1525. qui eisdem ex certa scientia confirmat priuilegia alias concessa,& concedit priuilegia omnia concessa,vel concedenda cæteris Mendicantibus, ac non Mendicantibus; & hoc referunt *Rodr. tom.2. quæst.55. art.1. Mirand. tom.2.q.46.art.1.*

Quæres 12. An Prælati Regulares virtute suorum priuilegiorum possint absoluere non solùm ab excommunicationibus, sed etiam suspensionibus,& interdictis Papæ reseruatis?

Resp. Possunt absoluere à prædictis omnibus censuris Papæ reseruatis in iure extrà Bullam Cœnæ Domini, quod de singulis probatur.

26 Primò, de excommunicatione ex citatis priuilegiis suprà hic num.2.& 8. *& docent Rodr.tom.1.quæst.20.Mirand.tom.2.quæst.9 art.10.& quæst.35.art.19. Vecchius disput.8.de Nouitiis dub.7.Lezana cap.18.num.30.31. Confessions tit.17.cap.7.*

27 Secundò,possint etiam virtute suorum priuilegiorum absoluere Religiosos sibi subiectos à quibuscumque suspensionibus. Sunt autem suspensiones in duplici differentia, aliæ latæ ad tempus, vel cum clausula; *Donec satisfecerit:* & in his casibus,tempore transacto,vel parte satisfacta, cessat huiusmodi censura absque alia absolutione; *Nau. cap 27. num.161. Tolet. lib.1. cap.46.& aly cum Bonac.de suspens.in fine,vbi num.5.* dicit, Episcopum posse absoluere à suspensione perpetua. Hæc tamen est secunda differentia, vnde aliæ sunt perpetuæ,eò quòd in illis non limitatur tempus, aliquibus verò limitatur, sed eorum absolutio reseruatur Papæ, illis concessa priuilegio Triden. cap.6.sess.24: quo pari ratione gaudent Superiores Regulares, vt probaui præced. resolut. 2. quæst.10.docet ita Compend.resol.3.num.8.& suprà citati. Regulares igitur suos subditos absoluere possunt etiam pro foro externo à suspensione,vt docent *Rodrig. tomo 1. quæstione 20. art. 14. eius Compend. resolutione 3. num. 8.* quidquid ibi restringat ad hoc forum internum, *& Mirand. tomo 2. quæstione 36. artic. 6. conclusion. 6. & 7.*

28 Tertiò, Interdictum etiam tollere possunt, vt expressè dicitur in Mari magno citato sub quæst.1.*Rodr.tom.2. quæst.107. art.3.& ex eo Compend. resolut.* 80. *num.5. & num.22. §. de relaxatione.* Est autem obseruandum in re hac, quòd Interdictum est duplex, Locale, & Personale, & vtrumque Generale, & Speciale. Ius autem non habent relaxandi neutrum generale, sed tantùm personale speciale. In iure autem pauci sunt casus Interdicti contra speciales Religiosos. Quorum primus est contra Abbates alienantes bona suorum Monasteriorum contra Extrauagantem Pauli II. *Ambitiosæ*, de reb. Eccles. non alien. sed ibi non reseruatur. Secundus est contra Sacerdotem, admittentem interdictum ad diuina Officia; seu tempore Interdicti diuina celebrando, ex cap. Episcoporum 8. de priuileg. in 6. cessat autem satisfactione data illi, qui interdictum posuit. Tertius est contra ferentem censuram sine scriptura, vel absque expressione causæ ex cap.1. de sentent. excommun.in 6. vel sine competente monitione, qui incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ per mensem cap. Sacro, de sentent. excommun. & in priori textu suspensionem ab ingressu Ecclesiæ pariter per mensem. Sed Iudices Regulares non sunt subiecti huiusmodi pœnis,*vt docent Riccius Collectan. 757. parte 4. Nald. Superior numero 3. Homobon. part. 4. respons.90. Megal. lib. 5. de censur. cap. 5. num. 29. Bonacin. part. 8. de censur. in genere num.* 2.

Quæres 13. An Prælati Regulares hanc facultatem, quam ex priuilegio habent, possint delegare non solùm Sacerdotibus intra Religionem, sed etiam extraneis ad absoluendum suos subditos? Suppono autem esse delegabilem, tum quia manat à Principe, tum quia competens ex priuilegio perpetuo censetur ordinaria, ac proinde delegabilis,vt docent omnes cum *Compend. resol.4. num.14.Sanch.lib.2.disput.40.num.14.& lib.7.disput.31.& faciunt dicta sub quæst. 9.* procedunt tamen hæc quando priuilegians non restringit priuilegium, vt Superior illo vtatur tantùm per se.

29 Resp. Potestas absoluendi ex priuilegio est delegabilis saltem excommunicatione priuilegiorum, si non directè per priuilegium, quia inter priuilegia aliqua exprimunt, vt Superiores per se absoluant,vt fecit Pius V. cùm indulsit priuilegium cap.6.sess.24. iuxta quod dixi resolut.2. quæst.9.& in hoc sensu si non potest delegare Sacerdotem suæ Religionis, multò minùs extraneum. Quandoque possunt delegare vnum ex suo Ordine, & tunc excluditur extraneus, sic concessit Eugen.IV. relatus hîc quæst 4. Generali Tertij Ordinis Regnorum Legionis,& Castellæ, vt per se,vel alios idoneos ex Fratribus sui Ordinis, posset absoluere à reseruatis Sedi Apostolicæ. In aliis verò duobus priuilegiis ibidem relatis exprimit, quòd possit deputare alios Sacerdotes,& cùm non restringat ad Sacerdotes Ordinis, ideò poterit delegare etiam extraneos, quia cùm expressè non sit id prohibitum, censetur concessum, *cap.Omnes dist.3.capit. Nuper 29.de sentent.excommunicat. iuncta gloss versic.Retinuit.* Quamuis ergo aliquod priuilegium id neget, alia tamen id concedunt, saltem ex eo, quòd expressè non prohibent, quare non poterunt delegare extraneum pro absolutione. *Faciunt dicta resolut. 34. quæst. 4. §. Difficultas.*

Quæres 14. An huiusmodi priuilegia absolutionis prosint etiam Nouitiis,& Tertiariis,aliisque Commensalibus perpetuis.

30 Resp. Prosunt,vt probaui sub quæst.4.§.Secundò, & §.Tertiò.Et faciunt quæ dixi resol.2.quæst.4.

Quæres 15. An Prælati possint absoluere à reseruatis suos subditos, qui illa incurrerunt in contemptum Clauium? vel qui peccauerunt in confidentiam priuilegiorum? Ille autem dicitur peccare in contemptum Clauium, qui non se vult submittere potestati Ecclesiæ,cui tamen credit habere potestatem, *ita docet Rodr. tom. 1. quæst.20. artic. 15. ex D. Thoma, Cajetan. Soto, & Castro.* Sed non placet hoc, qua enim ratione non vult se submittere? vel quia præceptum sibi durum videtur; vel quia sibi videtur iniustum, vel quia odio habet Superiorem censurantem, qui in casu nostro est Summus Pontifex; puto igitur,Religiosum dici peccare in contemptum Clauium Papæ, ad effectum, vt non possit absolui à suo Prælato, quando incurrit censuram,arbitrando, præceptum sub censura esse iniquum, & indiscretum, ac proinde Papa benè excipit hunc casum, quia in hoc iure dubio consulenda est Sedes Apostolica, cùm sic resistens dubitet, vel Iudices Claues Ecclesiæ præcipere iniqua, ac proinde sit hæreticus; nec scio concordare hæc duo, quòd quis nolit se submittere Ecclesiæ, abstrahendo à motiuis odij, iræ, & affectionis, & illi credat, cùm huiusmodi resistentia inferat ex suo conceptu aliquod saltem dubium in Clauibus Ecclesiæ; vnde placet quod ait Pottel. vers. Prælatus num. 31. 31 illum dici peccare in contemptum Clauium, qui renuit se submittere potestati Ecclesiæ, putans esse intolerabilem, iniustam, duram, & indiscretam, & in hoc sensu nullo modo potest absolui, vt dixi, & ita intelligendus est Bonifacius IX. excipiendo hunc casum, in alio verò sensu, quando Religiosus non vult obedire ex odio, vel quia præceptum sibi durum videtur,vel ex negligentia, tunc potest absolui, quia non contemnit Claues, sed personam ex aliquo particulari fine, qui non redundat in præiudicium Ecclesiæ. Quoad alterum, ille 32 dicitur peccare in confidentiam priuilegij, qui sub spe veniæ obtinendæ per priuilegium peccat, dicendo, habeo priuilegium, facilè potero eius virtute absolui, si peccauero.

33 Resp. Peccans in contemptum Clauium modo explicato,nulla ratione potest absolui,vt probaui. Peccans verò sub spe veniæ potest absolui,si non virtute illius priuilegij,saltem aliorum,quæ indistinctè loquuntur. *Ita Compend.*

pend.reſ.3. num.9. & 10. Portel.verſ.Prælatus n.31. Vide Beiam part.2.caſu 29.de peccante ſub ſpe conſequendi abſolutionem per Bullam; qui validè, & benè abſolui poteſt.

Quæres 16. An abſolutus in articulo mortis à ſuo Prælato à cenſuris Papæ reſeruatis virtute priuilegiorum, acquiſita ſanitate debeat ſe præſentare Apoſtolico conſpectui?

34 Reſp. Non tenetur ſe præſentare, quia illi tantùm tenentur ſe præſentare, qui propter mortis periculum, vel aliud impedimentum abſoluuntur ab eo, qui aliàs non poterat abſoluere, quare cùm in caſu noſtro Prælatus habeat priuilegium abſoluendi, nullam habet obligationem ſic abſolutus præſentandi ſe Apoſtolico conſpectui, vt colligitur ex *cap. Eos, qui 22. de ſent. excomm. in 6.* vbi ſermo eſt de Confeſſariis, ſeu ſimplicibus Sacerdotibus, qui aliàs nullam habebant facultatem abſoluendi à cenſuris. *Rodr.1.quæſt.61.art.*8. Quòd ſi in articulo mortis, vel alio ſimili periculo, vel caſu abſolueretur à reſeruatis in Bull.Cœn.Domini, ſine dubio teneretur ſe præſentare Apoſtolico conſpectui. Sed quid, ſi interim publicaretur Iubilæum, an accepta abſolutione directa virtute Iubilæi, euaneſceret illa obligatio ſe præſentandi? Reſp. Ita, quia prior abſolutio non obſtat, quin nouam poſſit obtinere, vt dixerunt *Henr. lib.6. cap.10. num.3.in comm. lit.G. ex eo Sanch. lib.2.cap.13. num.32. ex eis Bonac. p.3. de abſol.à cenſur. num.13. §. Addo.* Tamen multùm dubito de hac re, quia per acceptam abſolutionem ſe obligauit ſub iuramento præſentare ſe Superiori, cui illa cenſura eſt reſeruata, aliter in aliam excommunicationem reincidit; modò virtute Iubilæi, aut alterius priuilegij non poteſt tolli huiuſmodi obligatio iurata, quia non conceduntur ſimilia priuilegia, neque per Iubilæum, quod ſolum concedit abſolutionem à cenſuris, & peccatis, & commutationem votorum expreſsè, quibuſdam exceptis, nulla mentione facta de iuramentis; in quo caſu aliqui negant poſſe tolli iuramenta eiuſdem materiæ votorum, aut ipſa vota iurata, *vt de hac re fusè tractat Boſſius ſect.2. de Iubil.caſu* 5. vnde maior videtur difficultas in caſu noſtro, nam nullum Iubilæum concedit huiuſmodi relaxationem, ergo per illam nouam abſolutionem non liberatur ab ea obligatione, maximè cum præiudicet Superiori. Attende tamen quæ dico infra *reſol.37. quæſt.15. §. Secundum.*

35 Quæres 17. An Prælati Regulares habentes dignitatem quaſi Epiſcopalem, gaudeant eâ facultate, quam habent de iure communi Epiſcopi abſoluendi à quibuſcumque reſeruatis Sedi Apoſtolicæ in caſu legitimi impedimenti, quo non patet aditus ad Sedem Apoſtolicam? Eſt autem certi iuris, quòd Epiſcopus poteſt abſoluere à reſeruatis Papæ, quoties ligatus ab illis non poteſt accedere ad Sedem Apoſtolicam legitimo ſubſiſtente impedimento, vt expreſsè dicitur *cap. de cætero 11.cap. Ea noſcitur 13. cap. Quod de his 26. c. Quamuis* 58. Quod procedit reſpectu cuiuſcumque cenſuræ, & non tantum reſpectu ſacrilegæ percuſſionis, de qua ſola ſermo eſt in citatis capitibus, patet ex eo, quod in *cap. Eos 22. de ſent.exc.mm. in.* 6. Papa indiſtinctè, & abſolutè loquitur de caſibus ſibi reſeruatis, ſeu de ſent. canonis, & ibi gloſſ. verſ. Canonis, caſus quamplures refert. Ratio eſt, quia vbi eſt eadem ratio, ibidem debet eſſe eadem iuris diſpoſitio. *Ita tenent Silu.verſ. Abſolutio 4.num.7 dub.4. Nau.cap.17. num.89. §. Ad primum, quos pro ſe citat Sair. lib.2. cap.28. num.39. Megal. de cenſ. lib.1. cap.7. num.61. Bonac.diſp.1. de cenſ. quæſt 3. p.2.num.4. Floren.part.1.de caſib.cap.4.§.7.num* 2. Procedit 2. ſiue ſit occulta, ſiue publica, & notoria, qui citata iura non diſtinguunt inter occultam, & publicam, ergo de vtriſque ſermo eſt. *Ita Bonac.cit.num.4. Megal. cit.num* 18. Procedit 3. licèt poſſit adire Legatum Papæ, quia non obſtante hoc poſſibili acceſſu poteſt Epiſcopus abſoluere, excepta ſacrilega percuſſione, pro cuius abſolutione non poteſt Epiſcopus, ſi patet aditus ad Legatum *ex cit.cap. Ea noſcitur 13. cap. Quamuis 58. de excomm.* quia de hac ſola cenſura ibi ſermo eſt, & non de aliis. *Megal.cit.num.19. ſic intellige Nau. cit.n 90. §. Ad quartum, Sair.num 37. Floren.m. cit.num.2. §. Excipitur.* Procedit 4. licèt in Conſtitutione Papa prohibeat dari abſolutionem ab alio, quàm à ſeipſo, extrà mortis articulum, quia iſta prohibitio extrà articulum mortis refertur ad ſimplices Confeſſarios, vel priuilegiatos, vt dixit *Sanch.lib.2.cap.13. num.36. Regin. lib.1. num.133.& ex eis Homob part.1.cap.5.de caſib. §. Alterum eſt ratione, pag.mihi 86.Flor.cit. §. Et hoc,* Epiſcopus igitur non comprehenditur ſub ea prohibitione, prætereà cùm reſeruationes Papales ſemper fiant cum ea exceptione, nullum eſſet priuilegium hoc. Oppoſitum tenet *Silu.& ex eo Megal.cit.lib.1.c.7.num.21.* Procedit 5. etiam in caſib. Bull. Cœn. Domini, quod ſuadetur; Tum quia non eſt præſumendum Summum Pontificem velle, vt huiuſmodi excommunicati priuentur beneficio abſolutionis, quotieſcumque ex parte ſua ſunt parati ad ſatisfaciendum parti. Tum quia lex non includit caſus impoſſibiles, neceſſitas enim: & impoſſibilitas non eſt ſubiecta legi. Tum quia non eſt maior ratio, cur Epiſcopus poſſit abſoluere extra caſus Cœnæ Domini, & non in eiſdem caſibus, cùm in vtriſque ſit par ratio, & impedimentum, ergo idem ius. Officium autem Epiſcopi eſt ſic abſoluto præcipere ſub iuramento ab illo recepto, vt ſe, quàm primùm poterit, præſentet Apoſtolico conſpectui ſub pœna reincidendi in excommunicationem, *iuxta cap. Eos qui de ſent. excomm. in 6. iuxta quæ dixi præc.quæſt. His præpoſitis.*

Reſp. Prælati Regulares habentes dignitatem quaſi Epiſcopalem, comprehenduntur ſub eodem priuilegio conceſſo Epiſcopis in præcitatis iuribus, quia in illis capitibus nomen Epiſcopi non accipitur formaliter, & excluſiuè quoad omnes alios Prælatos inferiores, ſed extenſiuè, & æquipollenter pro habente dignitatem Epiſcopalem. *Ita tenens Panormit.in cap. cùm Monachi de ſentent. excommunic. num. 3. quod deducit etiam ex Clem.1.de reb.Eccleſ.non alien.per gloſſ.verſ.Propry,n.18. Feder.de Senis conſ.14. Tolet.lib.1. cap.17.n.3. & ex eis Megal.de cenſ.lib.1.cap.7.n.24.*

Sed dubium eſſe poteſt, an ſublato impedimento Religioſi, & Moniales teneantur ſe præſentare Apoſtolico conſpectui; 36

Reſp. Quò ad viros Religioſos, iſtos teneri, quia illis patet aditus ad Sedem cum licentia ſui Superioris; vnde melius eſt vti priuilegio alio Sacri Concilij quod non obligat ad hoc, & multo meliùs priuilegijs immediatè conceſſis Religioni pro vtroque foro, in his enim abſolutus, ſe præſentare non tenetur, iuxta quod dixi *præced.quæſt.* Quò ad Moniales, puto illas teneri perpetuo impedimento clauſuræ, ac proinde abſolui poſſe etiam à caſibus Bullæ ſine huiuſmodi obligatione ſe præſentandi, quia clauſura perennis eſt illis perpetuum impedimentum, *vt dixi reſol 5.q.5.*

Quæres 18. An Superior teneatur concedere facultatem Confeſſariis petentibus nomine pœnitentis, vel ipſi pœnitenti, vt abſoluatur à ſuo Confeſſario? An vero poſſit pœnitentem cogere, vt ſibi immediatè confiteatur?

Reſp. Superior non tenetur eam concedere pœnitenti per ſe petenti, vtique confeſſario, ſi ita iudicauerit ſibi concedendam, vt probaui *reſ. 39. q.19.n.48.* 37

Ita quòd ſequitur, ſi non tenetur immediatè concedere pœnitenti, poſſe eam illi denegare, vt probaui *ibid.num.47.* tamen ex charitate quandoque debet concedere, vt ibi *num.48.* aliter Superior nimis rigoroſus, & difficilis, in hac re peccat mortaliter, cùm hanc poteſtatem habeat in ædificationem, non in deſtructionem, & qui nimis emungit, elicit ſanguinem, *vnde Mirand. tom.2. quæſt.35. art.9.* ex quadam Bulla probat, tales Superiores peccare mortaliter, negantes hanc facultatem.

RESOLVTIO IV.

De Confessariis Religiosorum.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi confitentur approbatis à suis Superioribus.*
2 *Absolutio est actus iudicialis.*
3 *Confessarius Religiosis duobus modis deputatur.*
4 *Ab origine nascentis Ecclesia omnes Sacerdotes erant Confessarij.*
5 *Ad quos Religiosos se extendat facultas Religiosorum.*
6 *Audiunt etiam aduenas.*
7 *Licentia præsumpta absoluendi duplex.*
8 *Sufficit præsumpta de præsenti aliquo signo externo.*
9 *Absolutio data sine facultate nulla est.*
10 *Mutatio Confessarij deputati quandoque irritat absolutionem.*
11 *Tertiarij mutare possunt Confessarios.*
12 *Confessarij simpliciter approbati audiunt quoscumque de Conuentu.*
13 *Duratio facultatis colligitur ex tenore concessionis.*
14 *Tertiariorum Confessarij pro Religiosis.*
15 *Deputatio horum Confessariorum est approbatio.*
16 *Priores ampliorem habent facultatem, quàm Parochi.*
17 *Priores approbant solùm pro suis subditis.*
18 *Confitentur Tertiarij bis in mense.*
19 *Monachi nigri singulis mensibus confitentur.*
20 *Confessionis prædictæ omissio an sit peccatum?*
21 *Confessarij prædicti vbique suos audiunt.*
22 *A reseruatis non absoluunt.*
23 *Ab excommunicatione minori absoluunt.*
24 *Sacerdos simplex non absoluit etiam à venialibus.*
25 *Extra confiteri non possunt.*
26 *Nouitius Sacerdos approbari potest.*

NOnnulli Religiosi putatunt, se confiteri posse cuilibet Sacerdoti sui Ordinis, licèt à suo Superiore non admisso. Tum quia quilibet potest confiteri cuilibet Sacerdoti, vt probant *Nauar. tom.3. in cap. Placuit dist.6.num.1. & consil.13. de priuileg. num.4. & cum eo Graff. part.1. lib.4. cap.15. num.14. per cap. Aducimus, §. Ecce 16.quæst.1.* Tum quia licentia audiendi confessiones requiritur à Sacro Concil. *sess.23. cap.15.* solùm pro pœnitentibus sæcularibus etiam Sacerdotibus, vt ibidem expresè habetur. Tum quia probaui *resol.34. initio*, Religiosum posse sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, nondum à quoquam Superiore approbatum, ergo nulla est difficultas, quin Religiosi possint confiteri cuilibet Sacerdoti. His tamen non obstantibus.

1 Resp. Nullus Religiosus potest confiteri Sacerdoti, qui non sit approbatus, vel designatus, aut deputatus à suo Superiore per collationem iurisdictionis, quod
2 probatur. Tum quia absolutio est actus iudicialis, qui sine iurisdictione exerceri non potest. *Sotus in 4. dist.20. q.1.art.3. Medin.C.de Confess. tract.1. quæst.35. & ex eo Graff.tom.1.consil.6.de pœnit.num.*13. Hanc autem Sacerdos non habet ex vi suæ ordinationis, vt probaui *resol.34.quæst.3.§.Colligitur*; ratione cuius habet tantùm potestatem Ordinis, sed illam acquirit ex licentia, & approbatione sui Superioris, vel pœnitentis, ac proinde sicut pœnitens non potest confiteri, nisi alicui ex approbatis à suo Superiore, ita neque Sacerdos aliquem audire potest, nisi sit approbatus à Superiore suo, vel pœnitentis. Tum quia vnaquæque Religio designat suis subditis proprios Confessarios, vnde dicit Extr. Inter cunctas, de priuil. quod vnaquæque Religio habet sua Statuta, per quæ Religiosi debent confiteri suis Prælatis, aut aliis Sacerdotibus Ordinis, ab illis deputatis; Summi enim Pontificis intentio est, vt Regulares quò ad Sacramentum Pœnitentiæ remaneant subiecti dispositioni suorum Prælatorum; vt dicunt Pius V. Constit.132. *Romani Pontificis*, apud Confect.226. Clemens VIII. Constit.64. *Romani Pontificis*; *apud Quar. vers. Confessor, pag.*173. Vrbanus VIII. Constit. *In specula militantis*; apud Peyrinum *tom.3. pag.*523. Tum quia non 3
obstat, quòd ab exordio nascentis Ecclesiæ omnes poterant confiteri cuilibet, quia posteà deputati fuerunt Sacerdotes, qui huic muneri incumberent, & non omnes indifferenter, obstantibus prohibitionibus, quæ postea factæ fuerunt à Superioribus, *vt dixit Nauarr. tom.3. in cap. Placuit dist.6.num.27.* Primus autem, qui deputauit Sacerdotes in Confessarios, vnicuique assignando proprias oues, per distinctionem Parochiarum, fuit Dionysius Papa *cap.1.13.quæst.1.* qui regnabat anno 250. quem postea subsequutus fuit Vrbanus II. creatus anno 1088. ex nouo Bullario, prohibendo, ne cui Sacerdoti liceret, quemlibet commissum alteri suscipere ad pœnitentiam, *cap. Placuit 9.quæst.2. & dist.6. de pœnit.cap.Placuit.* Deinde Calixtus II. creatus anno 1119. ex eodem Bullario idem decreuit *cap.1. 9. quæst.2.* vt nullus alterius Parochiam vsurparet, neque alterius parochianum iudicaret (*Nau.cit. in dictum cap. Placuit à num.1. ad 5.* est multùm diuersus in Historia horum Pontificum, nam dicit primum illorum fuisse Calixtum anno 228. secundum Dionysium anno 250. tertium Vrbanum anno 1000. circiter) Postea Innoc III. creatus 1198. in Concilio generali relato *in cap. Omnis 12. de pœnit. decreuit*, vt omnes saltem semel singulis annis omnia peccata confiterentur proprio Sacerdoti. Demum Tridentinum illa *sess.23.cap. 15.decreuit*, vt nullus Sacerdos etiam Regularis posset audire confessiones Secularium etiam Sacerdotum, nisi esset Parochus, aut ad id esset delegatus ab Episcopo per examen, aut alio modo idoneus reputaretur cum approbatione. Demùm non obstat, quod dixerim loco præallegato, posse Religiosum confiteri in itinere extraneo etiam simplici Sacerdoti, nondum ab aliquo approbato, quia in eo casu per electionem censetur approbatus, & deputatus, à Superiore eligentis, quod sufficit. Nostram responsionem docent expresè *Mare magnum apud Confect. pag.60. & in Summ §.30. Rodr.tom.1.quæst.62.art.4. cum sue Compend. resol. 32. num.21. Portel. vers. Confessor Regular. num.10.*

Quæres autem 1. Quid sit ista deputatio, seu licentia, quam debet obtinere Sacerdos Regularis, vt possit ritè, & validè absoluere suum Conreligiosum? & ad quos Religiosos sui Ordinis se extendat?

Resp. ad primum. Ista deputatio, seu admissio, & approbatio, atque licentia est facultas iurisdictionis delegatæ, qua Sacerdos effectus Confessarius, potest audire confessionem Religiosorum sibi designatorum à suo Prælato. Hæc autem delegatio, & licentia committi potest duobus modis? vno, immediatè ipsi Sacerdoti iubendo, vel committendo, vt audiat confessiones Fratrum, & hæc communiter dicitur iurisdictio delegata; altero modo, eidem Sacerdoti mediatè, id est mediante pœnitente, cui immediatè à suo Superiore datur licentia, & fit gratia, vt possit eligere Sacerdotem, cui per electionem à Superiore pœnitentis eligentis communicatur, & delegatur iurisdictio ad audiendum, & absoluendum illum pœnitentem? & hæc vocatur iurisdictio delegata per viam electionis, seu priuilegij; & de hac iurisdictione egi fusè per totam resol.34. 4

Resp. ad secundum. Quando delegatio fit à Generali simpliciter absque limitatione personarum, tunc sacerdos delegatus potest audire non solùm quoscumque eiusdem Religionis subiectos Generali ad se accedentes in Conuentu suo, sed vbique in omnibus. Conuentibus. licèt in illis sit aduena, & per modum transeuntis. Quãdo delegatio fit à Prouinciali simpliciter absque limi

limitatioue personarum, & locorum, in eo casu Confessarius in sua Prouincia potest audire in singulis Conuentibus omnes de Prouincia, quia in eo casu Prouincialis dicitur creare illū Cōfessariū pro omnibus Fratribus suæ Prouinciæ. Quādo delegatio fit à Custode pro sua Custodia; vel à Priore pro suo Conuentu, in eo casu delegatus potest audire omnes de Custodia, vel Prioratu sui Superioris delegantis. Hæc procedunt de iure, quia quilibet Superior potestatem, quam habet, non potest extendere vltrà actiuitatem suæ sphæræ, sed arctatur ad terminos, intra quos circunscribuntur sui subditi, ergo consequens est dicere, Superiorem dando licentiam alicui ex suis Sacerdotibus audiendi confessiones intrà Religionem, eam concedere in ordine ad Religiosos sibi subiectos; *quod Rodr. tom. 1. q. 21. a. 3.* probat exēplo Episcoporum, qui approbantes Sacerdotes pro sua Diœcesi, dant licentiam excipiendi confessiones solùm personarum subiectarum suæ Diœcesi, & conferendo alicui beneficium Parochiale communicant facultatem audiendi solùm Parochianos suæ Parochiæ.

Quæres 2. An admissus solùm à Prouinciali, vel solùm a Superiore Locali, possit audire confessiones eorum Fratrum, qui non sunt de familia, vel sub obedientia Superiorum admittentium, sed aduenæ?

Resp. Possunt audire, non ex vi delegationis, quam
6 habent à proprio Superiore, sed ex vi electionis, quam Summus Pontifex, seu Superior, ex licentia, quam fecit ad Peregrinandum, dat saltem præsumptiuè, & tacitè ad confitendum cum Sacerdote sui Ordinis intra Monasterium, vbi reperitur, *iuxta dicta resol. 34. initio per allata ibi priuilegia.* Et in Mari magno hoc expresè conceditur Prælatis, vt audiant confessiones etiam aduenarum, *vt dixi resol. 2. quæst. 5.* non autem aliis Confessariis, qui solùm audiunt aduenas ad se accedentes ex potestate delegata, & illis communicata per Prælatum eligentem Confessarium, & non per dictum Mare magnum, aut per priuilegia concessa itinerantibus, vt dixi. Sic intellige quæ habet *Rodr. tom. 1. quæst. 21. artic. 3. & ex ipso Portel. vers. Confessor Regularis, num. 11.*

7 Quæres 3. An sufficiat licentia præsumpta ad ritè, & validè absoluendum Religiosum? Licentia autem præsumpta spectari potest dupliciter; vno modo pro ea, quæ de præsenti explicatur per aliquod signum externum, quo Superior, dum quis confitetur alicui Sacerdoti, quem Superior scit non esse Confessarium, id videndo non resistit, sed sinit pœnitentem confiteri; altero modo, quando Superior nil scit, aut videt, sed Sacerdos putat Superiorem, quando id sciet, non esse contradicturum, sed probaturum factam confessionem.

Resp. Sufficit licentia præsumpta ex aliquo signo
8 præsenti, non autem ex futura approbatione, quare Sacerdos non debet carere actuali licentia, dum actu ministrat hoc Sacramentum, vt docent omnes cum *Toleto lib. 3. cap. 13. num. 4. Coriolano sect. 2. de casib. art. 10. Bonac. quæst. 7. de pœnit. p. 4. §. 1. num. 13. & 14. alios citante Diana res. 11. de dub. Regul.*

Quæres 4. An sit illa confessio facta ad libitum Sacerdoti non habenti licentiam audiendi confessiones à suo Superiore? Quod idem quæritur de mutatione Confessarij; in aliquibus enim Religionibus est Statutum, nè quis Religiosus Confessarium semel electum mutet, an accedens ad alium Confessarium sui Ordinis etiam eiusdem Monasterij, validè confiteatur? Et quid quando in eodem Conuentu sunt descripti tot Confessores pro Sacerdotibus, & tot pro Clericis, an Clericus confitens Confessario Sacerdotum, & Sacerdos Confessario Clericorum, validè absoluatur?

Resp. In primo casu non tenet. Suadetur, Tum quia
9 nullius momenti est illa absolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. *Trident. session. 14. capit. 7.* Sed supradictus Sacerdos nullam ex dictis iurisdictionem habet, ergo nulla absolutio. Tum quia absolutio est quædam sententia simul absolutoria, & condemnatoria; sententia autem lata à non Iudice est nulla, cap. Ad audientiam, *de consuetud. cap. 4 de Iud.* ergo absolutio lata à Sacerdote sine licentia est nulla. Et hoc omninò certum, ac proinde probatione vlteriori non eget. *Vide Coriolan. id probantem sect. 3. art. 21. §. Facit ad hoc.*

Casui secundo dico, mutatione Confessarij semel 10
electi, in alium electum iam approbatum, sed contra Statutum Ordinis, non sequi inualidam absolutionem, quando illam expressè non annullat, per illud axioma, multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent; nec obstat, quia transgressus sit suæ Religionis Statutum, quia cum non obliget ad culpam, vt suppono, non peccauit, neque proinde transgressio fuit formalis, & peccaminosa, sed solùm materialis non impediens valorem Sacramenti. Et hoc procedit vbi Statutum non obligat sub mortali, nam in casu huiusce obligationis nulla absolutio defectu peccati mortalis, quod tunc committeretur incapax absolutionis respectu electi de nouo Confessarij. *Vide Coriolanum sect. 3. de casibus reseruatis art. 21. à num. 6. ad num. 16.* vbi ait ita declarasse Sacram Congregationem.

Tertio casui respondetur, quòd si per talem deputa- 11
tionem Sacerdotes instituantur Confessarij, certè pœnitentes non possunt eligere alios, quàm deputatos, cùm reliqui careant iurisdictione, vt suppono, & faciunt responsa ad primum. Si verò deputentur iam instituti Confessarij, non omnes, sed aliqui, in eo casu pœnitentes indistinctè possunt confiteri cuilibet ex approbatis, licèt non sit de deputatis, & designatis pro suo gradu; & in hoc sensu tertius casus coincidit cum secundo de mutatione Confessarij semel electi, vel deputati in alium Confessarium non deputatum, ideo faciunt pro hoc rationes in illo adductæ.

Infero, in mea Religione Clericos accedentes ad alios Confessarios sibi non deputatos, validè absolui, sicut & Nouitios confitentes alteri Confessario à suo Magistro, quia huiusmodi ordinationes tum Religionis, tum Summi Pontificis Clem. VIII. pro Nouitijs non obligant sub culpa, ac proinde eorum transgressio, cùm non sit culpabilis non potest inducere nullitatem absolutionis, cùm neque ordinationes, vt suppono, annullent absolutiones, vt non irritat Decretum dictum pro Nouitiis; & forsan intelligendus est hoc modo *Coriolanus sect. 3. art. 19.* circa quod dicit de Iuuenibus suæ Religionis, qui contra Decretum Clement. VIII. tenentur secundùm sua Statuta cōfiteri Superiori, nullam illos non facere confessionem, si accedant ad Confessarium deputatum pro aliis professis, dato quòd Statutū Religionis non annullet absolutiones, neque obliget sub culpa mortali ad sui obseruationem. *Scio Portellum versic. Nouitius num. 36.* asserere huiusmodi Iuuenes, & Nouitios confitentes alteri, quàm Confessario sibi designato, nullam facere confessionem, sed quia non probat, improbatus reiicitur. Nec obstant dicta *resol. 54. quæst. 34.*

Quæres 5. An approbatio facta pro Fratribus intelligatur etiam Nouitiis, Tertiariis, & Monialibus?

Resp. Approbatio simpliciter facta absque restri- 12
ctione, & delectu personarum, vel pro Fratribus seu Religiosis, includit Iuuenes, Nouitios, & Tertiarios, quia in fauorabilibus omnes isti veniunt sub dictis nominibus; non autem Moniales, pro quibus requiritur specialis concessio, & deputatio, vt in specie dixit *Rodr. tom. 1. quæst. 62. art. 4. ad finem*, maximè nunc, cùm nullus Regularis possit audire confessiones Monialium sine Episcopi approbatione, *vt dixi resol. 36. quæst. 27.* & dicam *resol. 5. sub initium.* Item & pro Famulis, probaui *sol. 34. quæst. 16.*

Quæres 6. Quamdiu duret huiusmodi licentia?

Resp. Inspiciendus est tenor concessionis, & quid 13
Statuta vniuscuiusque Ordinis determinent circa hoc specialiter,

specialiter, aliter recurrendum est ad regulas communes, & quod dicunt Doctores circa dutationem licentiarum ab Episcopis datarum Confessarijs suis, est enim eadem ratio de vtrisque. Quare vide quæ de hac re fusiùs dixi *resolut.36. quæst.9.*

Quæres 7. Quid sit Statutum pro Confessariis Religiosorum in Tertio Ordine D. Francisci;

14 Resp. In Regula Nicolai IV. nihil de his Confessariis dicitur, sed solùm cap.6. determinatur tempus confessionis faciendæ ter in anno, In Natali Domini, in Resurrectione ipsius, in Pentecoste, super quod *cap. Cartusianus art.* 18, ait, quòd Confessarij debent hos pœnitentes instruere circa numerum, & circumstantias peccatorum; sermo autem est de Tertiariis non Regularibus, de quibus tamen Religiosis loquens Leo X. in sua Regula cap.4. decernit, vt seruent ordinationem Nicolai IV. mox citatam, & Statuta à suis Superioribus super hac re ordinata, quæ cap.22. referuntur sub his verbis. *Possint tamen Cœnobiorum Ministri Sacerdotes eligere, qui Fratrum familiæ suæ confitentium crimina audiant, ipsis auditis, confessos habita aliorum decretorum ratione absoluant.* Cap. verò 14. decernuntur hæc; *Decernimus, vt quintodecimo quoque die, aut sæpius etiam, si placuerit, Fratres nostri Ordinis suis ministris, vel aliis Sacerdotibus per Ministros electis sua peccata confessione reuelent, sibi iniunctam pœnitentiam agant.* Et paulò infrà sub eodem cap. 14. habentur hæc. *Caueant igitur cæteri Sacerdotes, ne huiusmodi crimina confitentibus remittant, aut confessos absoluant. Præterea si placuerit principali Ministro concedere alicui Sacerdoti horum* (id est casuum reseruatorum) *facultatem, & licentiam, eam cartis committat, nominéque singula crimina, siue omnium, siue eorum partis authoritatem, vel facultatem eidem concesserit.* Hæc sunt quæ collegi ex dictis locis, spectantia ad Sacerdotes non Prælatos, de quibus dixi sufficienter *resol.2.q.4.*

Circa hæc suboriuntur pauca dubiola. I. Quid sit hæc deputatio facienda à Prioribus? nam approbatio Confessariorum videtur spectare potiùs ad Prouinciales, quàm ad Ministros Locales. II. Ad quosnam subditos se extendat huiusmodi deputatio? III. Quid significet illa clausula; *Habita aliorum Decretorum ratione?* Et hæc sunt dubia sub illo cap.22. sub cap. vero 14. continentur sequentia, IV. An confessio facienda singulis quindecim diebus intelligatur etiam respectu venialium? V. An omissio inducat aliquod peccatum? VI. An sub illa particula, *Cæteri Sacerdotes*, comprehendantur Ministri, ita quòd non possint absoluere à reseruatis? VII. An hisce temporibus illi casus expressi in Regula sint reseruati? Singulis respondetur.

15 Primò, Deputatio huiusmodi verè est approbatio audiendi confessiones, quam habent Priores de iure Regulæ, siue Statutorum illis *cap.14. & 22.* quæ illis sublata fuit à Pio V. Constitut. 63. *Ea est officij nostri*; in nostro Bullar. pag.87. §. Ipsarum verò, & translata in Generalem, vel Prouincialem Ministrum, non eiusdem Ordinis, sed Minorum de Obseruantia; neque enim illa verba possunt referri virtute illius Bullæ ad Generalem Tertij Ordinis, quem tunc extinxit, & aboleuit; neque ad Prouincialem eiusdem Ordinis, quia licèt hunc non aboleuerit, tamen non potest venire sub nomine Ministri Prouincialis, quo vocabulo venit solùm Prouincialis, quo vocabulo venit solùm Prouincialis Minorum de Obseruantia ibidem; neque enim in Regula nostra alicubi Prouinciales cohonestantur hoc nomine Ministri, quo appellantur solùm Generalis, & Localis Superior, sed dignificantur nomine Vicarij, aut Visitatoris Prouincialis. Quare ex vi huius Bullæ pro eo tempore, quo vires habuit vsque ad Sixtum V. qui Ordini restituit Generalem, approbatio Confessariorum translata fuerat in Generalem, & Prouinciales Minorum de Obseruantia. Nunc autem cùm nullas vires habeat, censetur Prioribus restituta omnis facultas, quam anteà habebant ex vi Regulæ, quamquam ex contraria consuetudine hoc munus nunc specter ad solos Superiores maiores, Generalem nimirum, & Prouinciales: à simili de Episcopo, qui approbat Confessarios pro tota Diœcesi sua, vel pro singulis Parochiis, quamquam hoc non cogat Regulares, cùm non subiiciantur Tridentino in hac parte, & aliquid amplius habeant Parochis, qui in solo foro Sacramentali habent ius super suos Parochianos, Superiores autem Locorum etiam si habeant 16
ius pro foro externo, ac proinde cùm discrepent à Parochis in ampliori facultate, non est inconueniens, illos posse habere facultatem licentiandi suos Sacerdotes ad audiendas confessiones suorum subditorum, quos si de facto approbarent, censeo non malè egisse, ac consequenter tenere approbationem, & absolutionem pro suis subditis. *Vide resolut. 9. quæst. 10. & resolut. 71. num. 12.*

Secundò, Certum est, deputationem Confessariorum 17
non extendi vltrà Fratres subditos Superiori approbanti, non enim ius habet super extraneos, nec proinde illos subiicere potest Confessariis à se deputatis, & hoc inde clarè colligitur.

Tertiò illa verba referuntur ad ea decreta, quæ tractant de materia confessionis, nimirum vt non absoluant à reseruatis siue in Religione, siue à Summo Pontifice.

Quartò, Illud Statutum locum habet etiam respectu 18
venialium, ita quòd habens sola venialia debet confiteri singulis quindecim diebus, & hoc probatur, quia id fit, non vt quis præcisè obligetur ad confitenda Venialia, cùm multi teneant, Ecclesiam non posse præcipere confessionem venialium, vt dicunt *Palud. in 4. distinct. 17. quæst.2. art.4. concl.2. Silu. vers. Confessio 1. quæst.13. Rodr. tom.1. quæst.62. art.1. quos cum aliis refert Diana resol. 125.* §. Quæ omnia, de Sacram. sed ratione spiritualis exercitij, vt Religiosi habeant occasionem frequentandi Sacramenta. Quòd si prætermittant, nullam culpam incurrunt, quia Decreta huius Ordinis non obligant ad culpam, sed solùm ad pœnam, quæ ibi *cit. cap. 14.* est ieiunium biduum in pane, & aqua in Refectorio humi sedendo.

Hac occasione dicam, quòd in *Clem.1. de statu Mon.* 19
§. *Sanè*, præcipitur Monachis nigris confessio singulis mensibus, & habet locum tam in mortalibus, quàm venialibus; & hoc sub mortali, quando habent conscientiam mortalis, sub veniali verò quando habent sola venialia, vt docent *Nugnus in Addit. ad part.3. quæst. 6. art.5. diff.7. Molfesius tract.2. cap.10. num.21. Megalius lib.5. cap.4. num.5. quos refert Diana resol.125. §. Sed quid, de Sacram. Caietan. verò tom.1. Opusc. tit.5. quæst.1. & Cino relect. de Pœnit. part.5.* asserunt non obligare sub mortali, licèt habeant peccata mortalia, & hæc est mitior opinio.

Quintò, Patet nullum esse peccatum omissionem hu- 20
iusmodi confessionis faciendæ singulis quindecim diebus, seu bis in mense, vt patet ex dictis mox §. Quartò.

Sextò, Excludi Priores, vt pluribus probaui *resolut. 28. q.20. §. Difficultas.*

Septimò, Respondebo in *resolut.37. & 6.*

Quæres 8. An Confessarij Regulares vbique possint audire illos pœnitentes, super quos habent iurisdictionem delegatam?

Resp. Possunt, posito quòd facultas illis non fuerit 21
limitata quò ad locum, siquidem hæc potestas cùm sit voluntaria, & gratiosa non terminatur loco, quod probaui *resolut.2. quæst.6. & resolut.36. quæst.7.* respectu Secularium. Et id expressè docet *Sotus in 4. dist.18. q.4. art. 3. in casu nostro, vt refert Longus part.1. de casib. reseru. sect. 3. art.11. §. Si verò, Graff. part.2. lib. 1. cap.13. num.45.* in terminis casus nostri.

Quæres 9. An absoluere possint à reseruatis Sedi Apostolicæ, vel Prælatis suis virtute approbationis, quam habent?

Resp. Confessarij simplices non possunt absoluere Fratres à reseruatis, siue in Religione, siue extrà sine ex-

pressa

preſſa licentia ſuorum Superiorum, aliter reſeruatio eſſet inutilis; nec illis ſuffragantor quædam priuilegia Sixti IV. Leonis X & aliorum, de quibus *Rodr. tom.* 1. *quæſt.*62.*articl.*6.10.*&* 11.*&* 12. quia aut ſunt viuæ vocis Oracula, quæ nunc ſublata ſunt, aut ſunt limitata cum licentia ſuorum Superiorum, ita quòd concluditur, dictos Confeſſarios ex facultate, quam habent, audiendi confeſſiones, non poſſe abſoluere à reſeruatis.

Quæres 10. An poſſint abſoluere ab excommunicatione minori ſuos Fratres.

23 Reſp. Poſſunt, vt colligitur *ex cap. Nuper, de ſent. excommun.* vbi dicitur, quòd Epiſcopus, vel proprius Sacerdos poteſt ab eo abſoluere; proprius autem Sacerdos eſt quilibet approbatus ad audiendas confeſſiones, & non tantùm habens iuriſdictionem ordinariam, & ex officio, vt docent *Faber de Pœnit.diſput.*25.*num.*82. *&* 83.*Nauar.tom.*3.*in cap.Placuit, diſt.*6. *de Pœnit.n.*62. *&* 128. ergo iſti poſſunt abſoluere ab excommunicatione minori. *Et ita docent Rodr.tom.*1. *quæſt.*61. *art.*11. *Sair.lib.*2.*cap.*23.*n* 5.*aliis citatis.Bonac.diſp.*2.*de cenſur.in genere quæſtione* 3.*num.*11.

24 Dubitant aliqui an ſimplex Sacerdos non approbatus poſſit abſoluere ab excommunicatione minori incurſa propter ſolum veniale, poſito quòd nullum habeat peccatum mortale? Reſpondeo, Non, quia ex citato capite, ſolus Epiſcopus, vel proprius Sacerdos, id eſt habens actu iuriſdictionem, poteſt ab illa abſoluere; abſolutio autem reſpectu cuiuſcumque ſiue cenſuræ, ſiue peccati tam mortalis, quàm venialis eſt actus iuridicus, ac proinde ſupponens iuriſdictionem in Sacerdote abſoluente, qui fungitur officio Iudicis, qui talis eſſe non poteſt ſine iuriſdictione, *Clem.* 1. *de off. deleg. Nauar. tom.*3. *in cap. Placuit num.*50. ergo ſimplex Sacerdos abſoluere non poteſt; neque hic fingenda eſt iuriſdictio ex conſuetudine antiquiſſima vniuerſalis Eccleſiæ, ſicut probè admittitur pro articulo mortis ex *ſeſſ.*14.*cap.*7. cùm nulla ſit neceſſitas illam aſſerendi, ſicut pro articulo mortis, poteſt enim ita excommunicatus recurrere ad proprium Sacerdotem. Deinde non poteſt abſoluere à peccatis venialibus, vt pluribus probaui *reſol.*36 *quæſt.*20. ergo multò minùs ab excommunicatione minori incurſa propter illa. Hanc ſententiam amplectuntur. *Sair. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 8. *vtramque opinionem cum ſuis Doctoribus citans Bonac. cit. quæſt.*3. *num.* 12.

Quæres 11. An poſſint confiteri extra Religionem.

25 Reſp. Non poſſunt confiteri niſi de licentia ſuorum Superiorum, vt multis probaui *reſolut.*2. *quæſt.*11. & hic initio, vbi iura, & rationes retuli.

Quæres 12. An Sacerdoti Nouitio poſſit Superior Religionis dare facultatem audiendi confeſſiones Religioſorum, ſicut approbat profeſſos.

26 Reſp. Poteſt, quia nulla prohibitio in contrarium de iure communi extat; vnuſquiſque verò conſulat Statuta propriæ Religionis. In mea Religione nihil extat in oppoſitum, vt videre eſt *cap.*7.8. *&* 9. vbi de Nouitiis, *& cap.* 22. vbi de Confeſſariis; in quibus locis id non prohibetur. Neque obſtant Conſtit. *Cum ad Regularem,* Clement. VIII. §. *Non liceat eis, durante Nouitiatus, & Probationis tempore, vnà cum Profeſſis, niſi in Choro, in Eccleſia tempore officiorum, in Proceſſionibus, aut in Cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.* Quia huiuſmodi prohibitio locum non habet in ſpiritualibus; Neque prætereà videtur comprehendere huiuſmodi Nouitius, ſed Iuuenes tantùm, vt colligi poteſt ibidem §. Vt autem Nouitij, & §. Ab hoc tamen, in quibus Iuuenes tantùm, & non conſtituti in Sacris, poſt profeſſionem ſeparandi ſunt habitatione ab antiquioribus profeſſis. Neque pœnitentes ab huiuſmodi auditi, dicuntur confiteri extra Religionem Sacerdoti Seculari, quia Nouitius eſt perſona Regularis, gaudens priuilegijs Profeſſorum, *Sair. lib.* 7. *de cenſur. capite* 13. *Suar. tom.* 3. *de Relig. libro* 5. *capite* 16. *numero* 17. *Sanchez libro* 4. *capite* 29. *numero* 17. & alij communiter.

RESOLVTIO V.

De Confeſſariis Monialium.

SVMMARIVM.

Confeſſarij Monialium approbandi ſunt ab Epiſcopis.

1 *Generalis eget approbatione, non examine.*
2 *Mentio expreſſa requiritur pro audiendis Monialibus.*
3 *Tridentinum ter in anno offert Confeſſarium Monialibus.*
4 *Socius non comitatur Confeſſarium intrà Clauſuram.*
5 *Abſoluuntur Moniales à quibuſcumque reſeruatis.*
6 *Facultas abſoluendi non eſt illis ſublata per Greg. XV.*
7 *Cruciatâ non vtuntur Moniales.*
8 *Iubilei tempore eligunt quem malunt.*
9 *Singulis menſibus non tenentur confiteri.*
10 *Quid Statutum pro Monialibus Tertij Ordinis.*
11 *Superiores vltrà tertiam vicem offerre poſſunt, confeſſ. extraordin.*
12 *Oblatio Confeſſarij nunc fit accedente etiam approbatione Epiſcopi.*

GRegorius XV. in ſua Conſtitut. *Inſcrutabili*, dat. 15. Febr. 1622. prohibet, ne Monialibus ſubiectis Regularibus poſſint deputari Confeſſarij Religioſi tam ordinarij, quàm extraordinarij, niſi priùs iudicentur idonei, & approbationem obtineant ab Epiſcopo. Super quam Conſtitutionem, declarauit deinde Sacra Congregatio, in ea non comprehendi Confeſſarios ordinarios ante illius publicationem deputatos vſque ad triennium, neque Prælatos, durante eorum officio; Confeſſarius approbatus ab Epiſcopo pro vno Monaſterio, non cenſetur talis pro alijs; quòd ſi Confeſſarius non ſit ab Epiſcopo approbatus, ſine dubio nulla eſt confeſſio. Hæc, & multa alia retuli *reſolution.* 36. *quæſt.* 27.

Quæres autem 1. An Generalis indigeat huiuſmodi approbatione, & debeat ſupponi examini?

Reſp. Indiget quidem approbatione, quia licèt in odioſis Prælati non veniant, niſi de illis fiat expreſſa mentio, tamen quia in hac Conſtitutione, in qua non eximuntur, non ſpectantur vt Prælati, ſed vt Confeſſarij, idcircò ſub hoc nomine ſufficienter comprehenduntur, cùm dicantur Monialium ſuarum Confeſſores Ordinarij. *Ita Sacr. Congreg.* 13. *Nouembr.* 1627. *Barb. ad cap.*10.*ſeſſ.*25 *num.* 19. Non autem examine, quia idoneitas præſumitur includi in eminentia ſui officij Generalatus; & reuerà deferendum eſt huic ſupremæ dignitati, ne Eccleſiaſticæ dignitates vileſcant, & primarius Magiſter cogat fieri diſcipulus ſine neceſſitate. 1

Quæres 2. An Confeſſarius approbatus ad audiendas confeſſiones ſimpliciter, nulla facta mentione Monialium, poſſit illas audire?

Reſp. Non, quia approbatio pro Monialibus requirit expreſſam mentionem. Ita reſpondit Sacra Congregatio ſuper dictam Conſtitutionem, cuius verba retuli *reſolution.*36. *quæſt.*27. §. *Quartum, Barboſ. ad cap.*10. *ſeſſ.*25 *num.* 11. 2

Quæres 3. Quid ſtatuerit Concilium circa Confeſſarios extraordinarios, dandos Monialibus.

Reſp. Tridentinum ſeſſ.25.cap.10. ita decreuit, *Præter ordinarium autem Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat.* Hæc eſt ſpecialis gratia facta Monialibus, vt poſſint confiteri Confeſſario extraordinario ſaltem ter ſingulis annis, vnde non eſt obligatio ex parte Monialium, ſed in earum 3

rum est optione eligere extraordinarium, vel accedere ad ordinarium, siue sint paratæ, siue non, quia cùm id sit introductum in earum fauorem, non est retorquendum in illarum odium, ex vulgatis iuribus, & decisum refert *Portel. versic. Moniales num. 14. & in fine addit. prima*. Extraordinarij Confessores excusantur ab oneribus Religionis, testatur decisum *Sellius cap. 30. num 16. 10. Martij 1593. & ex eo Barb. ad cap. cit. num. 17.* Monialibus exemptis in certis casibus dandus est ab Episcopo Confessarius extraordinarius, decisum refert *Galei. versic. Confessio, & versic. Monialis, Riccius in sua praxi resol. 638. Armendar. in Addit. ad recopil. legum Nau. lib. 4. tit. 28. l. 1. §. 1. de confitendo semel in anno num. 17. & 18. apud d. Barbos. num. 5. Iterum infra q. 9.*

Quæres 4. An Confessarius secum introducere possit socium in Monasterium Monialium?

4 Resp. Socius introduci potest tunc solùm, quando Sacerdos indiget ope eius pro administratione, vt tempore communionis per modum Viatici, vel celebrationis, vel sepeliendi Monialem, quia in his casibus Sacerdos suum officium explere non potest sine Socio. Quandò vero complere potest suum officium sine socio, vt est audire confessionem infirmæ, vel illi animam commendare, in his casibus debet ingredi sine socio, qui sufficit si foris maneat in locis deputatis pro Confessario, ad quid enim illa associatio? cum inutilis nihil sit profutura, sed potius obfutura socio ibi otiosè morando. *Sic docet Bonac. quæst. 4. de claus. p. 4. num. 4. contra Sanch. lib. 6. cap. 16. num. 46. Mirand. quæst. 2. de Monial. art. 17. quos citando sequitur Diana resolut. 51. de dub. Regul.* probantes, quia indecens est, vt Religiosi soli incedant; est quidem id verum, quando extra domum Religiosus incedit, solus autem ingrediendo Monasterium, non dicitur extra illud solus incedere, sed ibi fungi officio suo, aliter neque per suos Conuentus soli incedere deberent, quod est ridiculum. Videtur Sacra Congregat. declarasse, Confessarium teneri cum socio semper ingredi, *ex Sellio apud Barbos. n. 24.*

Quæres 5. An Confessarij possint absoluere Moniales à quibuscumque reseruatis Sedi Apostolicæ etiam in Bulla Cœnæ Domini?

5 Resp. Moniales percutientes de iure communi absoluit Episcopus, in cuius Diœcesi manent, vt expressè dicitur *in cap. de Monialibus 33. de sent. excommun.* Et cùm ibi non distinguat textus inter percussionem leuem, & grauem, occultam, vel notoriam, sed simpliciter, & absolutè loquatur, poterit Episcopus absoluere à quàuis percussione, quantumuis enormi, & notoria. Glossa ibi dicit, quòd cum Episcopus sit ad hoc delegatus Sedis Apostolicæ, poterit absoluere etiam exemptas. *Ita Nald. versic. Monialis num. 9. Bonac. disputat. 2. de censur. in genere quæst. 4. p. 5. num. 3. §. Ex hoc, & §. Circa, & ex alijs citatis Homobon. part. 4. resp. 34.* vbi extendit etiam ad publicam. Ego puto, Prælatos Regulares maiores de iure communi citati capitis posse per se, vel Confessarios deputatos pro Monialibus absoluere illas, quia nomen Episcopi in dicto capite accipitur æquipollenter pro eo scilicet Prælato, qui licèt non sit Episcopus secundùm hanc dignitatem, est talis tamen secundùm iurisdictionem quasi Episcopalem, quam habet, à simili de iis, quæ dixi de priuilegio concesso Episcopis in Trident. *cap. 6. sess. 24.* & æquipollenter Prælatis Regularibus, vt probaui *resolut. 2. quæst. 10.*

Directè autem respondendo ad quæsitum, puto Confessarios de licentia suorum Prælatorum posse absoluere suas Moniales à quibuscumque reseruatis Sedi Apostolicæ etiam in Bulla Cœnæ Domini, & à crimine hæresis occultæ tamen, quod probatur. Tum quia respectu earum nullus casus videtur reseruatus Sedi Apostolicæ, nam casus excommunicationis ob sacrilegam percussionem, qui potissimum reseruatur in iure, respectu illarum non est reseruatus, ergo neque alij. Tum quia reseruatio hæc respectu illarum est impossibilis, cùm clausura, quam professæ sunt, nunquam exire possint, præcipuè in hoc casu, ergo possunt absolui à suis Prælatis. Tum quia casus reseruati Sedi Apostolicæ non afficiunt illos, qui detinentur perpetuo impedimento, ita quòd absolui possunt à suo Prælato maiori, Episcopo, si sunt Seculares, à Prouinciali, vel Generali, si sunt personæ Religiosæ, neque tenentur se præsentare Apostolico conspectui, cùm hæc obligatio respectu illorum sit impossibilis; id tenent omnes Doctores, qui explicant casus, & impedimenta, propter quæ incursus in casum reseruatum Summo Pontifici potest absolui ab Episcopo, de quâ re vide *Suar. lib. 3. cap. 28. à num. 9. Bonac. disp. 2. q. 4. p. 5. num. 3. Floronum part. 1. de casib. reseruat. cap. 4. §. 7. à num. 5.* qui dicit huiusmodi impedimenta procedere respectu quarumcumque censurarum; sed Moniales detinentur iusto impedimento, cùm à clausura egredi non possint, neque etiam propter hoc, ergo absolui possunt à suis Prælatis, approbatis tamen ab Ordinarijs locorum. Nec dicas hoc argumentum facere pro Episcopis, quibus indulgetur in illis casibus absolutio à reseruatis Sedi Apostolicæ, quia probaui *resol. 3. quæst. 17.* in illis casibus comprehendi etiam Prælatos Regulares habentes dignitatem Episcopi.

Miranda *quæst. fin. de Monial. art. 2.* refert priuilegia absoluendi Moniales à quibuscumque exceptis reseruatis Sedi ex Nicolao V. per suum Breue minus, id est non authenticum, & Sixti IV. absoluendi etiam à reseruatis Sedi per oraculum minutculum, id est non authenticum, vt videre est *in Compend. vers. Absolutio ordin. quò ad Fratres §. 11. & 12.* quod cùm sublatum sit, nihil prodesse potest, ideò secutus est sequi meam responsionem fundatam in iure, & allatis rationibus. *Portel. 5. Confessor n. 17.* dicit, quòd absolui possunt ab omnibus, exceptis hæresi, & casibus Bullæ Cœnæ, a pari de facultate extra viros Religiosos; sed tu dic vt prius ob disparem rationem, quia viri non habent obligationem clausuræ, sicut Moniales, quibus est perpetuum impedimentum sufficiens ad concludendum, nullum esse casum reseruatum Sedi respectu illarum.

Quæres 6. An ex citatâ Constitut. Gregor. XV. sit sublata Prælatis Regularibus facultas spiritualis, quam antea super Moniales habebant, absoluendi illas à quibuscumque reseruatis Sedi Apostolicæ?

Resp. Nulla facultas illis sublata fuit, sed solùm, & præcise prohibuit Confessarijs, ne illorum confessiones audiant sine approbatione ab Episcopo obtenta; quidquid postea sit de eorum facultate in ordine ad peccata, & censuras absoluendas. Tum quia odiosa sunt restringenda. Tum quia verba Constitutionis nihil expressè, neque tacitè disponunt de huiusmodi reseruatis, ergo adhuc subduntur suis Prælatis, & Confessarijs Regularibus. 6

Quæres 7. An Moniales vtantur Cruciata.

Resp. Nequaquam, sed si volunt illâ vti, alium, quàm proprium Confessorum sibi deputatum eligere non possunt, vt decisum refert *Nicol. Garzias part. 2. de benefic. c. 5. n. 64. & ex eo Barbosa ad cap 10. sess. 25. n. 26.* Ratio est, quia non possunt simpliciter eligere Confessarium, nisi specialiter illis deputatum, quod non est propriè electio in terminis, quæ est plurium vnius assumptio, & vsus. Deinde illa vti non possunt Religiosi viri, ex probatis *resol. 34. q. 17.* ergo multò minùs feminæ, respectu quarum magis restringitur vsus Confessarij. 7

Quæres 8. An tempore Iubilæi possint vti quouis Confessario?

Resp. Possunt eligere sibi Confessarium ex approbatis ab Episcopo, vt probaui *resolut. 34. quæst. 18. §. Moniales. Vide Dianam resol 29. de dub. Regul.* 8

Quæres 9. An Moniales teneantur semel in mense confiteri?

Resp. Tridentinum *cap. 10. sess. 24.* præscribere Episcopis, & alijs Monasteriorum Superioribus, vt admoneantur Moniales, vt saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Eucharistiam sumant. 9

Hæc

sumant. Hoc esse consilium asserunt *Rodrig. tom. 1. quæst. 62. artic. 1. Mirand. quæst. 10. de Monial. artic. 1. conclus. 1. Megal. de pœnit. lib. 5. cap. 4. num. 8.* fundantes suum assertum in verbo *Admoneantur*, quòd positum in aliqua Constitutione neque impellit, neque dat facultatem compellendi. vt notat *Ioan. Andr. in cap. Si pauper, de prabend. in 6. & gloss. final. in cap. Cum nostris, de concess. prebend. vbi ex hoc probat Megal. neque Moniales nigras ex Clement. Ne in agro, §. Sanè, de Statu mon.* teneri sub mortali confiteri singulis mensibus, quia Concilium loquendo generaliter de Sanctimonialibus, dicit eas non obligari ad huiusmodi menstrualem confessionem, sed admoneri tantùm. Et num. 9. dicit, quòd neque tempore Confessarij extraordinarij tenentur confiteri, quia illis liberè offertur, non vt teneantur confiteri, sed vt eo vti possint, si voluerint; si tamen haberent peccatum aliquod graue, quòd noluerunt aperire confessario ordinario, sine dubio tenentur tunc confiteri, si causa, propter quàm omiserunt, cesser in confessario ordinario, quia de iure diuino tenentur integrè confiteri, ergò datam occasionem respuere non possunt, vt Sacramentum complere, & perficere valeant.

Quæres 10. Quid sit Statutum circa confessores Monialium, aut Sororum Tertij Ordinis D. Francisci.

10 Resp. In Constitut. 63. *Ea est officij nostri*, Pij V. in nostro Bullar. pag. 8. decernitur, quòd illarum confessores approbentur à Generali, vel Prouinciali Ordinis Minorum de Obseruantia. Sed quia ea Constitutio edita fuit pro extinctione Generalis Tertij Ordinis, idcircò cùm à Sixto V. in sua Constitut. *Romani Pontificis*, pag 90. restitutus fuerit cùm omnimoda sua potestate, quam anteà habebat; idcircò reuixit in eo, & subsequenter in his Prouincialibus facultas deputandi Confessores pro Monialibus, approbandos deinde ab Episcopis, sublata prædictis Prælatis Minorum de obseruantia. Prætereà gaudent priuilegiis confessionum, concessis viris Religiosis huius Ordinis, iuxta ea, quæ retuli resol. 3. q. 4. §. Quartò.

Quæres 11. An Episcopus, & alij Monialium Superiores vltra tertiam vicem possint deputare Monialibus Confessarium extraordinarium? Et an Moniales tam in communi, quàm priuatim petere possint huiusmodi confessarium, non obstante, quòd Trident. sess. 25. cap. 10. dicat; *Alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur.* Ex his siquidem verbis pars negatiua videtur tenenda; & quia hîc restringitur potestas Superiorum; & quia termini numerales habent rationem dictionis taxatiuæ, quæ limitat, impedit, & excludit extensionem, & continet negatiuam quoad omnes alios casus non expressos; l. Iulianus, §. Item tantùm, ff. de negot. gest. ergò palàm est, Superiores non posse vltra tertiam vicem offerre confessarium Monialibus; neque illas petere posse.

11 Resp. Possunt Superiores offerre, & Moniales petere confessarium extraordinarium, toties quoties legitima extat causa, vti solemnitas ex celebrioribus, infirmitas, confessio generalis, &c. Probatur, quia hoc Decretum nullam continet prohibitionem, sed tantùm præceptionem, per quàm Superiores Monialibus etiam non petentibus confessarium extraordinarium offerre tenentur bis, aut ter in anno; ergò illum possunt offerre vltra tertiam vicem. Tenet consequentia, quia Decretum huius prohibitionem non continet, vt probatur. Et quia verba Tridentini hanc prohibitionem non continent; Lex enim non plus obligat, quàm verbis exprimat, iuxta illud Lucæ 3. 13. *Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis.* Lazar. sect. 2. de monit. quæst. 1. num. 20. cùm ergò non exprimat hanc prohibitionem, non obligat. Et quia prohibitum non censetur, quòd non reperitur expresè tale, Nauar. consil. 14. de elect. num. 2. per cap. Consuluisti 2. quæst. 4. vbi dicitur, quòd Patrum testimoniis decretum non est, superstitiosâ inuentione non est præsumendum. Et quia concessum censetur, quòd non est expressè prohibitum, *ex cap. Sunt nonnulli 25. 16. quæst. 1. Cap. Iam nunc 7. 28. quæst. 1.* ibi; *Hoc non vetat Dominus*; quòd procedit maximè in iudiciis, & actibus bonæ fidei, & in permissiuis, vt docet *Nald. versic. Confessio num. 37.* Et quia hoc Decretum editum fuit fauore Monialium, vt nè interdum formidantes suorum peccatorum maculas confessario ordinario detegere, in discrimen æternæ damnationis inciderent; & est totum fauorabile, ergò ex vulgatis iuribus, ampliandum vltra tertiam. Et quia cùm Superiores essent nimis rigidi, & alij nimium indulgentes, vtrique prouidere intendens Concilium, determinauit Superiores teneri bis, aut ter huiusmodi confessarium offerre, & contra nimis indulgentes id limitauit, non tamen excludendo vlteriorem concessionem, rationabili existente causa. Deinde Tridentinum per hoc Decretum nullam tribuit facultatem Superioribus, sed eis tradidit normam, per quam prudenter vti debent huiusmodi oblatione, ergo sicuti antè poterant tanquam ordinarij audire per se, vel ordinarium, aut extraordinarium confessorem Moniales sibi subditas, quod nullus negaret, sic exigente potestatis ordinariæ conditione, ita & post hoc Decretum. Et ita id videtur sentire *decisum fuisse Galerus vers. Confessio, versic. Monialis, Aloysius Ricc. in praxi rerum fori Eccles. resolut. 638. Armend. lib. 4. recopil. ad leges, Nauar. titul. 28. l. 1. §. 1. De confitendo semel in anno num. 17. & 18. dum apud Barbosam ad hoc c. 10 sess. 25. num. 5.* dicunt, Monialibus etiam exemptis in certis casibus dandum esse per Episcopum loci confessarium extraordinarium. Concluditur ergò ex his, Superiorem vltra tertiam vicem posse offerre hunc confessarium Monialibus; imò & ipsas tam in communi, quàm priuatim posse petere, quia si ipse Superior potest id concedere, & Moniales petere, cùm non sit maior ratio in Superiore offerendi, quàm in subditis petendi. Nec obstat, quòd ex *Gauanto versic. Monialium cura spiritualis, referente decisum, dicit Lezana cap. 25. n. 40. in fine,* nec extraordinarios designandos esse pro particulari Moniali, sed in communi, quia id intelligitur de designatione plurali, hoc est, accedendi pluries ad eumdem confessarium extraordinarium distinctis vicibus.

Ex his patet responsio ad obiectum, non restringi potestatem Superiorum in præiudicium Monialium, sed contra ipsos Superiores, qui virtute huius Decreti tenentur bis, aut ter offerre confessarium extraordinarium Monialibus. Itaque huiusmodi limitatio restricta ad tertiam vicem refertur ad obligationem, quàm habent Superiores offerendi confessarium huiusmodi ter in anno Monialibus, non ad potestatem vlteriùs offerendi.

Qui tenent oppositum, nimirum non posse Superiores vlteriùs offerre, in casu violati Decreti, asserere habent, adhuc tenere oblationem, vel petitam gratiam vltra tertiam vicem, etiam rationabili causa non existente; & quia per hoc Decretum Superioribus non aufertur antiqua potestas ordinaria, sed adhuc remanet illæsa, & solùm traditur illis forma, quòd habent agere, non essentialis, sed accidentalis, quasi monitoria de eo, quòd sibi agendum est. Et quia actum contra formam præcipiani iam habenti potestatem validum esse, tradunt omnes cùm *Sanchez lib. 3. disp. 32. num. 1. Bonac. p. 7. de legib. §. v. num. 17. §. Obserua, alios citantibus.*

Quæres 12. An huiusmodi oblatio confessarij extraordinarij fieri possit à Superiore Regulari suis Monialibus sine participatione Episcopi loci? Videtur negatiuè respondendum per dictionem [&] quæ copulatiua est, ibi; Ab Episcopo, & aliis Superioribus.

Resp. Ex vi Concilij poterant soli Regulares Prælati ta

deputare huiusmodi confessarios, quia inibi vtrisque id æquè ordinatur, vnicuique respectiuè ad suas Moniales subditas. Nec obstat particula copulatiua, quia benè copulat vtrumque, sed distributiuè, & respectiuè, non autem coniunctiuè per concursum vtriusque ad huiusmodi oblationem. Dixi, *Poterant*, quia per Constitut. *Inscrutabili*, Gregor. XV. ad hanc designationem quoad approbationem confessarij extraordinarij debet concurrere etiam Ordinarius loci, vt docui resol. 34. quæst. 38. §. Moniales. Intelligitur autem id præcisè de approbatione respectiuè ad examen Sacerdotis iam designati à Superiore Regulari, cuius tantùm est munus deligendi aptum confessarium ab Episcopo approbandum quoad idoneitatem.

De Clausula Monial. infrà Resol. 93. de earum Confessarius Resol. 118. iterùm de earum clausura Resol. 119. De earum dote. Resol. 122.

RESOLVTIO VI.

De Potestate Confessariorum Regularium erga Seculares, vbi præcipuè, An absoluant à casibus reseruatis.

SVMMARIVM.

Sacerdotes Regulares habent à Sede Apostolica facultatem excipiendi confessiones Secularium.

1 *Examini non subiiciebantur ante Leonem X.*
2 *Post Concil. nonnulli habebant priuilegium non examinandi sublatum.*
3 *Excipiunt confessiones quorumcumque ad se accedentium.*
4 *Vbique terrarum audiunt subditos Episcopi approbantis.*
5 *Voluntarium est hoc ministerium Regularibus.*
6 *In articulo mortis à nullo prohiberi possunt.*
7 *Mediolani Regulares excipiunt confessiones Clericorum Secularium.*
8 *Olim habebant priuilegia absoluendi à reseruatis.*
9 *Sublata quoad casus Bullæ Cœnæ, & quinque Clem. VIII.*
10 *A reliquis absoluere possunt.*
11 *Ab Episcopalibus casibus, neque censuris.*
12 *Confessarij Romæ, & Suburbiorum absoluunt à quinque casibus Clem. VIII.*
13 *Siculi Confessarij non comprehenduntur sub Decreto Clementis.*
14 *In casibus necessitatis, seu impedimenti absoluunt à reseruatis.*
15 *Reseruatio tolli potest etiam extra confessionem.*
16 *Absoluunt ab excommunicationibus nulli reseruatis.*
17 *Episcopus potest sibi reseruare omnes excommunicationes.*
18 *Incertorum reseruatio non afficit Confessarios Regulares.*
19 *Vota non dicuntur reseruata respectu Regularium.*
20 *Inquisitorum reseruationem non tollunt.*
21 *Pares debent esse casus Secularium, & Regularium.*
22 *Episcopus potest facere gratiam Curatis non Regularibus.*
23 *Dispensant in petitione debiti coniugalis.*
24 *Dispensant extra Sacramentum.*
25 *Habens facultatem absoluendi à reseruatis Prælato maiori, ideò non absoluit à reseruatis inferiori.*
26 *Aduenæ absoluuntur à reseruatis.*
27 *Nouitij non tenentur casibus Episcopalibus.*
28 *Tertiariæ non subduntur casibus Episcoporum.*
29 *Tertiarij habent specialem prohibitionem absoluendi à reseruatis Episcopis.*
30 *Casus ab homine cessant eo mortuo.*
31 *Reseruatio ab homine non excludit reseruationem à iure.*
32 *Extra Italiam Regulares ampliùs non absoluunt à reseruatis.*
33 *Decretum prohibens omnibus absolutionem à reseruatis.*
34 *Iure communi non habuerunt facultatem absoluendi à reseruatis.*
35 *Approbati à magnis Prælatis absoluunt à quibuscumque.*
36 *Referuntur priuilegia.*
37 *Respondetur negatiuè ad dubium.*
38 *Maiore concesso non semper intelligitur concessum quod minùs est.*
39 *Decreta negantia absolutionem à reseruatis Papæ.*
40 *Etiam ab excommunicatione ex Paulo V.*
42 *Vrbani VIII. extenditur Decretum prohibens absolutionem.*
42 *Nullus ergo potest absoluere à reseruatis etiam Confratres, qui modò nullum eligunt confessarium.*
43 *Prædicta decreta omne priuilegium cassant.*
44 *Ita communior, & vera opinio docet.*
45 *A casibus Bullæ Cœnæ, nec ab aliis quinque absoluunt.*
46 *Quouis modo reseruatio sit facta siue à iure, siue ab homine.*
47 *Casus à iure communi reseruati non dantur.*
48 *Antonij Quintanaduaræ placitum examinatur.*
49 *Quomodo derogetur priuilegio in corpore iuris inserto?*
50 *Explicatur Decretum Vrbani VIII. sub numero 6.*
51 *Relatiuum redditur proximiori substantiuo.*
52 *Marcus Vidal sentit cum Quintanaduara.*
53 *Si Papa concedit suos casus, non ideò Episcopales.*
54 *Priuilegia Papa concedit sine alterius præiudicio.*
55 *Pœnitentiarij Papæ ab omnibus absoluunt.*
56 *Confessarius absoluit à reseruatis aduenam, quando peccata non sunt reseruata, vbi datur absolutio.*
57 *Facultas absoluendi Episcopis à Concilio tributa, fuit communicata Superioribus Regularibus.*
58 *In articulo mortis nulli sunt casus reseruati.*
59 *Episcopus iurisdictionem acquirit per confirmationem.*
60 *Quænam priuilegia sint reuocabilia.*
61 *Priuilegia Regularium sunt remuneratoria.*

CErtum est, Sacerdotes Regulares esse habiles ad audiendum personalium Secularium confessiones, & diuersos Summos Pontifices ampla eis priuilegia ad hoc concessisse audiendi confessiones quorumcumque Fidelium ad se accedentium, etiam ab exordio, & institutione Religionis; nam Gregor. IX. qui de anno 1227. ferè ab initio Religionum sancti Dominici, & S. Francisci supponit earum Sacerdotibus licere ex authoritate Apostolica excipere confessiones Secularium, vt pro Dominicanis videre est apud Confect. Constitut. *Quoniam abundauit*, pag. 5. Quòd idem ex alia eiusdem Constitut. *Cùm qui recipit*; colligitur pro Franciscanis, dum dicit Papa Gregorius, illos esse intentos circa lucrum animarum, quæ lucrantur mediante ministerio confessionis. Idem supponit Clement. IV. Constitut. *Exigentibus*, apud Confect. pag. 18. dùm indulget, vt post mortem Episcopi possint tamdiu prosequi auditionem confessionum, donec viduatis Ecclesiis prouisum fuerit de Pastore, quòd qua ratione sit intelligendum explicui resolut. 36. quæst. 9. §. Regula, nempè quando licentia concessa fuit simpliciter absque limitatione temporis. Deinde hoc

hęc patet ex Clem. *Dudum*, de sepult. vbi Papa mandat, vt Prælati tot numero Sacerdotes præsentent Episcopo, qui sine causa ab illo reiecti habentur pro approbatis, de qua re vide quæ fusiùs dixi resol. 36. quæst. 1. Vide decis. 468. vbi probaui, non ampliùs valere. Demùm confessionem factam à Secularibus Sacerdotibus approbatis cùm cæteris requisitis esse veram, & validam, neque repetendam esse ab ipsis coram suis Parochis de fide definiuit Ioan. XXII. Extr. comm. *Vas electionis*, de Hæreticis, vnde & de potestate confessariorum & de valore confessionis nullatenus dubitandum est, peccata enim semel ritè remissa non ampliùs redeunt, ergò nulla est obligatio reconfitendi ea propriò Curato, Rodrig. tom. 1. q. 60. art. fin. & alij communiter.

Quæres autem 1. An illis temporibus subiicerentur examini, sicut nunc virtute Sacri Concil. Trid. sess. 23. cap. 15.

1 Resp. Non subiiciebantur, sed sufficiebat beneplacitum, & commendatio, seu conniuentia Episcoporum, quòd suadetur. Tum quia in Constitutionibus supracitatis nulla fit mentio examinis, & cùm id sit odiosum, non est dicendum id subintelligi, quia odiosa restringuntur, ac proinde tacitè non subsunt dispositioni. Tum quia Eugen. IV. Constitut. *Etsi quaslibet*, apud Collect. pagin. 40. hanc potestatem sine aliqua subiectione Episcopis, concedit Monachis S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti his verbis: *Nos volentes earum deuotioni satisfacere, quòd liceat dictæ Congregationis Prælatis; seu Monachis deputatis à suis Superioribus ad audiendas huiusmodi personarum confessiones accedere, illasque audire, ac personæ ipsæ eis confiteri possint absque alia suorum Superiorum licentia.* Nam verba illa postrema; *absque alia suorum Superiorum licentia*, referuntur ad Episcopum Superiorem pœnitentis, cui in hoc casu nulla ratione subiicitur Sacerdos Regularis, quoad ministrandum Sacramentum pœnitentiæ personis Secularibus, Sorbus vers. Resol. materiæ absol. pag. 56. §. Insuper. Neque in Clement. *Dudum*, de sepult. fit mentio de huiusmodi examine, sed solùm, quòd debent Sacerdotes præsentari a suo Prælato coram Episcopo, & de eius licentia, gratia, & beneplacito audire confessiones sibi volentium confiteri, in quibus neque implicitè continetur examen, nam præsentatio dicit personalem exhibitionem eius Sacerdotis, qui intendit excipere confessiones, vt habet gloss. ibidem vers. Præsentare, & ex ea refert Nauar. cap. 27. num. 264. neque licentia hoc examen includit, quia eo prætermisso, quandoque conceditur. Confirmatur id totum, quia Papa Clem. dicit, quòd Prælati præsentaturi suos Sacerdotes coram Episcopo, debent eligere illos sufficientes, idoneos, vitâ probatos, discretos, atque modestos, & peritos ad tam salubre ministerium, & officium exequendum. Demùm nullus ex reliquis Summis Pontificibus concedens, aut loquens de huiusmodi potestate illos subiicit examini Episcoporum, excepto Leone X. qui Constitut. *Dum intrà mentis*; apud Collect. pag. 127. & Quar. vers. Priuilegia Regular. eos subiecit examini illis verbis: *Possintque illi* (idest Sacerdotes Religiosi) *per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti literatura, & aliqua saltem huiusmodi Sacramenti peritia dumtaxat, examinari, talibusque præsentatis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit: Omnis vtriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur.* Quæ verba sufficienter indicant, anteà non potuisse Episcopos examinare Sacerdotes Regulares pro confessionibus, cùm immediatè aliàs à Papa haberent eam facultatem independenter ab Episcopo. A tempore igitur Leonis X. ab anno 1516. 19. Decembris, & postremò à Sacro Tridentino subiecti fuerunt examini Episcoporum, sine quorum approbatione obtenta, nullatenùs possunt confessiones Secularium audire.

Quæres 2. An post Sacrum Concilium concessa fuerint aliqua priuilegia audiendi confessiones Secularium sine examine, & etiam approbatione Episcopi, & adhuc durent?

Resp. Vnum concessum fuit Societati Iesu à Gregor. XIII. in quo eius Confessarij semel ab aliquo Episcopo admissi, & à suo Prælato ad hoc deputati, iter agentes in mari, siue in Terra; possunt non repugnantibus Curatis audire confessiones Fidelium in locis, vbi non sunt Ordinarij, Rodr. tom. 1. quæst. 59. artic. 5. §. Denique, vbi ait intelligi communicatum aliis Religiosis. Hoc autem priuilegium nouissimè reuocatum fuit ab Vrbano VIII. cùm aliis, si qua sunt in sua Constitut. *Cùm sicut accepimus*, in qua reuocat omnia priuilegia audiendi confessiones absque examine, & approbatione Ordinarij; eam autem refert ad verbum Peyrinus tom. 3. priuileg. pag. 358. Alterum concessum fuit à Sixto V. Constitut. *Decet Romanum* extensa apud Quar. versic. Confessor, Presbiteris Congregationis Oratorij, qui Romæ approbati ad confessiones audiendas non debent examinari extra Vrbem à locorum Ordinariis, quibus sufficit præsentare eorum licentias Romæ habitas. Puto autem hoc priuilegium adhuc durare pro ipsis Presbiteris, & non esse irritum per dictam Constitutionem, in qua derogatur priuilegiis solùm Religiosis, seu eorum Religionibus concessis, vt patet legenti illam: dicti autem Presbiteri licèt vitam degant more Religiosorum, in communi mensa, & domo, tamen cùm non profiteantur tria solemnia vota, Religiosi dici non possunt, ac proinde eorum supracitatum priuilegium non continetur sub hac reuocatione. Neque communicabile est Regularibus, qui sua priuilegia tantùm inter se communicant, & non cùm Presbiteris non Regularibus, quidquid de hac re videatur dubitare citatus Peyrinus ad dictam Constitutionem. 2

Quæres 3. An huiusmodi Confessarij possint excipere confessiones quorumcumque ad se accedentium, quamuis non sint de Diœcesi Episcopi approbantis, sed forenses, & aduenæ?

Resp. Possunt, vt pluribus citatis probaui resol. 36. quæst. 5. §. Septima, & quæst. 12. Quòd procedit, licèt forensis e. g. Papiensis deditâ opera ad hoc præcisè se transferat Mediolanum, vt hîc confiteatur, quia vtitur iure suo, quòd habet accedendi ad quemcumque confessarium Regularem, etiam extra suam Diœcesim, ex priuilegio Pontificio immediatè concesso Regularibus confessariis ad vtilitatem Secularium personarum illis confiteri volentium. Et in hoc confessarij Regulares multùm differunt à confessariis non Regularibus, quibus cùm nullum huius generis priuilegium concessum sit, idcircò nequeunt audire forenses dedita operâ accedentes ad illos. Quod etiam ratione demonstratur, quia Regularis cùm immediatè habeat iurisdictionem à Papa, qui omnium Diœcesium est Ordinarius, benè sequitur ipsum fieri proximè aptum non solùm audiendi subditos Episcopi approbantis, sed etiam quoscumque forenses, quo iure non potest gaudere confessarius Secularis, qui per approbationem iurisdictionem immediatè recipit à suo Episcopo, qui per approbationem, & concessionem illi factam audiendi confessiones, subiicit illi tantùm proprios subditos, & non forenses, cùm de his, qui foris sunt curam habere non debeat Episcopus, sed tantùm suorum subditorum. Nec his obstat, quòd in Clement. Dudum, de sepult. Papa dicit, quòd Fratribus ita deputatis ad confessiones Secularium audiendas non intendit potestatem in hoc ampliorem impendere, quàm in eo Curatis, vel Prouincialibus Sacerdotibus est à iure concessa; quia illos pares fecit tunc in potestate absoluendi à peccatis, in quantum virtute dictæ Clementinæ, & præsentationis non poterant absoluere à reseruatis, sicut neque id concedebatur Curatis; non verò in ordine ad personas, sicut inde colligitur, vbi Papa indulget, quòd possint audire confessiones quorumcumque volentium sibi con- 3

fiteri, ergo etiam forensium, quòd nullibi conceditur Curatis; qui quatenus tales, habentes solùm iurisdictionem ordinariam, & non etiam delegatam, possunt audire solùm oues sibi commissas, & non reliquos subditos sui Episcopi, & aliarum Parochialium eiusdem Diœcesis, & ideò multò minùs forenses, & aduenas, nisi habeant saltem tacitam facultatem eligendi sibi Confessarium.

Quæres 4. An Confessarij Regulares vbique non solùm in Diœcesi, in qua admissi sunt, sed etiam extra illam audire possint subditos Episcopi illos approbantis?

4 Respond. Possunt non solùm vbique in Diœcesi, sed etiam extra illam vbique locorum, vt probaui resol. 36. *Ita docet Beja part. 4. casu 20. §. Colliges, Peregrin. in suo Compend. vers. Absolutio, Rodrig. quæst. 60. artic. 5. cum suo Compend. resolut. 32. num. 14. Mirand. tom. 1. quæst. 45. artic. 14. concl. 3. Portel. vers. Confessor num. 5. Bariola alias plures referens liter. C. pag. 63. Diana tract. 4. part. 3. resolut.* 144. Et hoc procedit non solùm si sit in itinere, sed etiam quando mutauit domicilium, & translatus fuit ab vno ad aliud Monasterium extra Diœcesim eius Episcopi, qui illum approbauerat, intellige modò duret eius approbatio, quòd amplia, licèt in secundo Monasterio nondum sit approbatus ab Episcopo eius loci, vbi moram trahit de familia, in hoc enim stat punctus quæstionis. Pares ergo in hoc sunt Confessarij Regulares, & Parochi, qui vbique locorum suas oues audire possunt Sacramentaliter. Nec obstat, quòd in litteris testimonialibus approbationis habeatur illa clausula: *In Ecclesia sui Ordinis*, quasi iurisdictio restringatur ad Ecclesiam, & locum expressum, ita quòd non possit hoc ministerium exerceri in aliis Ecclesiis Diœcesis, nec dùm extra ipsam Diœcesim. Quia ea non aufert potestatem, si extra Sacramentum exerceatur, sed designat locum, in quo ordinariè hoc Sacramentum exercendum est, quòd pluribus probaui resol. 36. quæst. 6.

Quæres 5. An Confessarij Regulares teneantur audire confessiones Secularium quoties petunt.

5 Respond. Non tenentur: Tum quia id non habent ex officio: Tum quia nemo cogitur vti suo priuilegio, *cap. Ad Apostolicam, de Regul. cap. Si de terra de priuileg.* ergò cùm potestas audiendi confessiones Secularium sit priuilegium apud Regulares, poterunt illo non vti absque peccato. Ita tenent Angel. & ex eo Rodrig. tom. 1. quæst. 62. art. 1111. Verùm quidem est, quòd si inceperint audire eorum confessiones, non possunt illos reiicere, quando digni sunt absolutione, & possunt eos absoluere, etiam à reseruatis, in his enim eos reiiciendo peccant ad minùs venialiter, cùm sine rationabili causa illos reiiciant afficientes iniuria, & ratio dictat, vt iudicium finiatur ab eo, à quo cœptum fuit, *l. Vbi cœptum, l. Si quis postea ff. de iud.* & iudex de qua re cognouit pronunciare debet, *cap. Cùm super 4. de causa possess. & ibi gloss. vers. De qua re, refert l. De qua re ff. de iud.* Et efficere deberet iudicium redderetur nullum *ex cap. Cùm iudicantem sin. 30. quæst. 5. vbi gloss. versic. Remaneat, refert de quibus debeat supplere ex cap. Causam 9. de Iud.* *Ita Mirand. quæst. 46. quæst. fin. vbi citat Nau. prælud. 9. num. 12.* sed in meo Codice nil inueni. Vide Bossium sect. 3. de Iubilæo casu 34. vbi an teneantur dispensare, & commutare vota tempore Iubilæi.

Quæres Sextò. An Sacerdotes Regulares possint prohiberi à suis Prælatis, vel Episcopis, ne in articulo mortis quemquam audiant? Difficultas procedit tam de Sacerdotibus non Confessariis, quàm Confessariis.

6 Resp. Non possunt, quia hoc est contra charitatem, & in graue præiudicium animarum, cùm in eo casu in Ecclesia Dei semper custoditum sit, vt quilibet Sacerdos à quouis peccato, & censura absoluere possit, vt dicitur sess. 14. cap. 7. Rodrig. quæst. 60. art. fin. vbi ad hoc refert declarationem Sacræ Congregationis. Limita autem posse Episcopum Regularibus etiam Confessariis prohibere, quando adesset proprius Parochus, eo enim tempore præsertim Curatus debet agnoscere vultum pecoris sui.

Quæres 7. An in Diœcesi Mediolanensi Confessarij Regulares possint absoluere Sacerdotes, & alios Clericos Seculares, quibus ab Archiepiscopo deputantur certi Confessarij Seculares?

Resp. Possunt licitè, & validè: Tum quia illis huiusmodi spirituale munus non prohibetur in suis literis pro confessionibus audiendis; Tum quia illa deputatio est solùm ad benè esse, & consilium respectiuè ad Regulares: ergo si confiteantur Regularibus, benè confitentur, quia consilium neminem cogit, neque eius transgressio culpa est. Demùm Sacra Congregatio 15. Octobr. 1601. respondit Episcopo Alexandrino, quòd Confessarij Canonicis, & Presbiteris non sunt præscribendi, sed liberè vtantur approbatis Confessariis, referente Bariola litera C. pag. 66. Dixi iterum resolut. 36. quæstion. 17. num. 54.

Quæres 8. An olim Regularibus Confessariis concessa fuerint priuilegia absoluendi à reseruatis Sedi Apostolicæ, & Episcopis?

Resp. Vtique, nam Eugen. IV. Constitut. *Et si quaslibet*, apud Confect. pag. 38. Confessariis Congregationis S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti concessit facultatem absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris reseruatis non solùm Episcopis, sed etiam Sedi Apostolicæ, in quibus tamen non esset consulenda (erat autem illis temporibus Sedes Apostolica consulenda pro certis casibus relatis suprà resolut. 3. quæst. 1.) Sixtus IV. Constitut. *Sedis Apostolicæ*, apud Confect. pag. 79. Confessariis Prædicatorum concessit priuilegium absoluendi, in absentia tamen Episcoporum, à quibuscumque peccatis, & censuris, in genere, vel in specie latis, modò non sit consulenda Sedes Apostolica, & in his subintelliguntur etiam reseruata Episcopis. Leo X. Constitut. *Pastoris æterni*, Confect. pag. 138. Confessariis Minimorum fecit facultatem absoluendi etiam in singulis casibus Episcopalibus in certis festiuitatibus ibi expressis, nempè Pentecostes, Assumptionis, Annunciationis B.M.V. & omnium Sanctorum. Hoc priuilegium easdem extendit ad omnes dies Dominicos in Constitut. *Et si cuncta*, apud Confect. pag. 144. Quod sine dubio ad omnes Ecclesias eiusdem Ordinis ampliauit Clem. VII. Constitut. *Denotatum argumentum*, pagin. 171. Hæc autem facultas absoluendi est non solùm ab Episcopalibus, sed etiam à Papalibus, dictio enim [etiam] est ampliatiua, & implicatiua etiam casuum magis dubitabilium, *vt colligit Nauar. tom. 3. not. 26. de Iubilæo num. 3. ex l. Etiam, ff. de minor. Clem. Religiosus, de procur. in fine, & Clem. 1. mino de testam. Megal. part. 3. lib. 3. cap. 10. num. 17.* & hoc patet in secunda citata, vbi expressè mentionem facit de reseruatis Papæ, excipiendo casus Bullæ Cœnæ Domini; & in tertia indistinctè loquitur de reseruatis, ergo de vtrisque. Demùm Paulus III. Constitut. *Cum inter cunctas*, Confect. pag. 184. Confessariis Societatis Iesu fecit facultatem absoluendi à reseruatis etiam Sedi Apostolicæ, excipiendo casus Bullæ Cœnæ Domini. Sunt Priuilegia aliarum Religionum de hac re, vnusquisque consulat libros peculiares suorum priuilegiorum; & obserua, quòd Religioni Franciscanæ in specie nullum huiusmodi priuilegium, per Constitutionem, seu Breue, concessum inueni; neque supradicta priuilegia sunt tam ampla, vt nonnulli putarunt, sed limitata, excepta concessione facta Iesuitis, quam omnes Regulares participant, vt docent *Sorbus versic. Absolutio quoad Seculares primò, §. Et nota, Compend. resolut. 3. num. 36. Portel. versic. Confessor num. 12. Mirand. quæst. 46. artic. 5. De his priuilegiis, & aliis vide Sorbum, præter citatos, versic. Resol. mater. absol. pag. mihi 56. conclus. 1. 2. 3. & 4. & pag. 66.* vbi compendiosè omnia restringit.

8

Non

Non attuli Mare magnum Sixti IV. aut alteriùs Pontificia, quia in eo nulla fit mentio de casibus reseruatis respectiuè ad Seculares, ac proinde illius virtute Confessarij Regulares absoluere non possunt, vt declarauit Sacra Congregatio apud Sorbum *versc. Casus reseruati, pagin.* 107. *Bejam part.2. casu* 21. *in fine, Mirand. quæst.* 46. *artic.* 2. *in fine, cum aliis citatis à Barbosa ad cap.7. sess.* 14. *num.*23. Miror, quosdam velle per Clement. Dudum, Confessarios præsentatos, & approbatos posse absoluere à casibus reseruatis, vt nonnulli sentiunt apud *Mirand. quæst.*46. *art.*4. *quos sequitur Sorbus versic. Resol. mater. absolut. pag.*55. §. *Primò, Syluestr. versc. Confessor* 2. *quæst.*5. Hoc enim omninò alienum est à veritate, quia ne verbum quidem est de huiusmodi concessione; Deinde ampliorem non habent facultatem, quàm Parochi, qui non absoluunt à reseruatis, ergo neque Regulares, & id expressè dicit ibidem gloss. versic. Concessa.

Quæres 9. An hisce temporibus ea priuilegia sublata sint, ita vt deinceps non possint absoluere à reseruatis neque Papæ, neque Episcopo.

9 Respond. Quoad casus Papales, non posse Confessarios Regulares absoluere à casibus in Bulla Cœnæ Domini; neque à quinque sequentibus, nempe à casu Violationis immunitatis Ecclesiæ in terminis Constitut. Fælic. Recordat. Gregor. XIV. quæ incipit, *Cum alias*. II. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. III. Prouocantium, & pugnantium in duello, iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem Fælic. Recordat. Gregor. XIII. incipientem, *Ad tollendam*. IV. Iniicientium manus violentas in Clericos, iuxta Canonem, *Si quis suadente* 17. quæst.4. ac iuris dispositionem. V. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Ab aliis verò casibus, & censuris eidem Sedi Apostolicæ reseruatis non denegatur absolutio, sed indulgetur iuxta eorum priuilegia. Ità de mandato Clem. VIII. decreuit Sacra Congregatio in secundo Decreto dat. 26. Nouembris 1602. declaratiuo alteriùs prioris, dat. 9. Ianuarij 1601. in quo tollebantur pœnitùs priuilegia Regularium, ita quòd ampliùs non poterant absoluere à quibuscumque reseruatis Papæ, neque etiam in casu necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo. Hæc duo Decreta referunt Confect. in summario tit. 17. cap. 6. pag. 425. Nald. vers. casus reseru. Quar. vers. eod. Mirand. quæst. 46. art. 2.

Confirmauit huiusmodi Decretum eadem Sacra Congregatio de mandato Pauli V. sub datum 7. Ianuarij 1617. apud Naldum alio decreto incipiente, *Quoniam*; occasione accepta à quibusdam Confessariis, qui putabant in ea prohibitione non includi censuras Episcopis reseruatas, vt dicam mox. Circa quòd dubitarunt aliqui, & opinati sunt per hoc postremùm Decretum derogatum fuisse omnibus priuilegiis, ita quòd Confessariis sublata sit facultas absoluendi non solùm à casibus in Bulla Cœnæ Domini, & ab illis quinque suprà enumeratis, sed etiam ab aliis quibuscumque Sedi reseruatis, nam ibi adsunt hæc verba: *Ac insuper vt nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscumque priuilegiis, indultis, & facultatibus suffulti ab excommunicatione, vel à casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reseruatis, &c.* Reddunt rationem, quia particula [insuper] designat nouam legislatoris dispositionem ab antiquis omninò distinctam, vt patet *ex textu in capit. Statuta* §. *Insuper, vbi gloss. de rescript. in* 6. *ita notat Diana resolut.* 13. *de dub. Regul.* §. *Nota etiam, vbi ait Duardum, eam opinionem refellere lib.* 3. *Bulla* §. 2. *quæst.* 1. *num.*31. Confirmatur tamen hæc opinio, quòd nimirùm Confessarij Regulares non possint ampliùs ab aliquo casu Papæ reseruato absoluere, per aliud Decretum sub dat. 17. Nouembris 1628. de mandato Vrbani VIII. extensum apud Peyrinum tom. 3. priuileg. cap. 2. num. 38. illis verbis: *Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis* (loquitur de illis, à quibus poterant Regulares absoluere ex secundò Decreto suprà relato sub Clement. VIII.) *siquidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse, iisdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis iussu Sacræ Memoriæ Clementis VIII.* Hoc Decretum extendit etiam Synodus Comensis V. sub Episcopo Carafino pag. 159. & ex Aldano refert Barbosa ad cap. septimum, sessione 14. num. 26.

Respond. Minimè sublata esse, sed adhuc posse absoluere à reseruatis Sedi Apostolicæ, modò non sint de expressis in eo Decreto secundo prioris declaratiuo. Ratio est, quia priuilegia Religionibus concessa censentur leges perpetuæ, ac proinde habentur ac si in corpore iuris forent inserta, *Oldr. consil.* 300. *num.* 4. §. *Considerandum, Henr. lib.* 7. *cap.*22. *num.* 3. *Sanchez lib.* 8. *disputat.* 1. *num.*13. *Sigismund. dub.* 170. *de elect. num.* 13. vnde perpetua firmitate constare debent, *cap.*1. *&* 2. 25. *quæst.* 2. Sed à lege, seu iure antiquo non est recedendum, nisi quatenùs in nouo est expressum, c. 2. de transl. Episcop. §. Præcipimus: ergò idem dicendum de priuilegiis Regularium antiquis, à quibus non est recedendum, nisi oppositum reperiatur expressum, sed nullibi inuenitur, quòd Confessariis Regularibus sublata sit facultas absoluendi ab aliis reseruatis Papæ ibi non expressis, ergo stare debet priuilegium antiquum, quòd enim non mutatur, stare non prohibetur, l. Sancimus C. de testament. Ad Decretum Pauli, dico illa verba non plus prohibere, quàm ipsum Decretum Clement. ad quod referunt, Lex enim, seu Decretum interpretans intelligendum est secundùm terminos interpretati, iuribus, & Doctoribus allegatis *à Sanchez lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 8. *ratione* 2. *Nauar. consil.*15. *de Simon. num.*2. *& tom.*4. *Miscellan.*79. *num.*4. Sed Decretum Clementis prohibet absolutionem à casibus tantùm ibi expressis, & non aliis; vnde particula [Insuper] addit nouam dispositionem, quando lex non est intelligenda iuxta aliam citatam, cuius est declaratiua. Ad Decretum Vrbani dico, illa verba nil contra nos, sed solùm significant facultatem si quàm habent Confessarij Regulares extra Italiam existentes, non esse illis sublatam, per Decretum Clementis VIII. qui derogauit priuilegia Confessariorum existentium tantùm intra Italiam.

Respond. Quoad casus Episcopales, Regulares Confessarios deinceps non posse vi suorum priuilegiorum absoluere à casibus reseruatis Episcopis, siue sint illis reseruati à iure communi, siue à iure speciali in suis Conciliis Prouincialibus, vel Synodalibus, siue ab homine per sententiam generalem, seu specialem. Probatur: Tum ex Clementin. Religiosi de priuileg. §. Nec etiam. Tum ex responsione Sacræ Congregationis sub Gregor. XIII. qui censuit, non posse Regulares ex vi suorum priuilegiorum absoluere à casibus ab Episcopo reseruatis, sub dat. 10. Septembris 1573. apud Sorbum versicul. Casus reseruati pag. 107. Confect. in summ. tit. 17. cap. 6. pag. 414. Tum ex duplici Decreto Sacræ Congregationis sub Clement. VIII. apud Doctores suprà citatos, nam habentur hæc verba: *Nec etiam à casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterum sibi reseruabunt.* Quæ Decreta postmodùm confirmauit, & denuò innouauit Sacra Congregatio sub Paulo V. & Vrbano VIII. vt retuli hic suprà §. Confirmauit. Vide Doctores citatus à Barbosa ad cap. 7. sess. 14. num. 23. 11

Probatur de casibus iure communi reseruatis Episcopo, qui septem enumerantur in Catalogo excommunicationum c. 10. sub Ludouisio Archiepiscopo Bononiensi, posteà Gregor. XV. Prima est contra communicantes in crimine cum excommunicato ab Episcopo, modò excommunicationem priorem Episcopus sibi reseruauerit, *Nau. c.*27. *n.*112. *in fine, Tolet. lib.*1 *c.*13. Secunda est contra absolutum ob periculum mortis ab excommunicatione Episcopali, non se præsentantem Episcopo, *Nauar. c.*27.

n.46.& 113.Tol.lib.1.c.15. Tertia est contra leuiter percutientem Clericum. Quarta contra excommunicatos à Papa, illum adire non potentes ob iustum impedimentum, *Nauar.cap.27.num.89.& 90.Floron.cap.4.de casibus reseruat.* §.7. vbi explicat huiusmodi impedimenta, propter quæ Episcopus potest absoluere à reseruatis Papæ. Quinta contra facientes prohibita sub pœna excommunicationis Episcopalis sibi reseruatæ. Sexta contra Fratres Minores tempore interdicti admittentes in suis Ecclesiis ad audienda Diuina Officia Fratres Tertij Ordinis, cap. Cùm ex eo, de sentent. excomm. in Clement. reseruatur Papæ ante datam satisfactionem, post satisfactionem præmissam reseruatur Episcopo; sed quod teneantur seruare interdictum hoc decernitur sess. 25. cap. 12. quidquid dicant Compendiatores *priuileg. & alij apud Sorbum in sua annotat.* §.*Sed & aliis*, asserentes non esse sublata specialia priuilegia Religiosibus de hac re concessa, ipse tamen §. Primò, ait seruandum esse interdictum, quoties illum seruat Ecclesia Matrix, illos cum eodem sequitur Peregrinus in suo Compend. versic. Interdictum. Sed non placet, quia aliter frustraretur mens Sacri Concilij decernentis etiam à Regularibus seruanda esse interdicta, imposita non solùm à Sede Apostolica, sed etiam ab Ordinariis locorum, ergo in hoc pares sunt cum cæteris Christi fidelibus Clericis, & Secularibus. Quoad absolutionem ab excommunicatione, quando admiserunt Tertiarios D. Francisci, puto spectare ad proprium Prælatum, quia quoad absolutionem peccatorum, & censurarum Superiores Regulares tantam potestatem habent, quantam Episcopi, vt probaui resolut. 2. quæst. 9. & 10. & resolut. 3. quæst. 17. Septima est contra omnes abortum fœtus animati causantes, ex Constitut. *Sedes Apostolica*, Gregor. XIII. moderatiua Constitut. *Effrænatam*, Sixti V. apud Nald. versic. Abortus, Sairum lib. 3. cap. 35. num. 24. vbi Papa Gregor. XIII. in citata Constitutione concedit Episcopis, & Ordinariis locorum, vt per se, vel per quosvis Confessores ad hoc specialiter à se deputatos possint ab hac excommunicatione absoluere; & hoc procedit, siue expresè hunc casum connumerent inter alios suos casus, vt fecerunt nonnulli, siue non, quia ipso iure Papa hanc censuram reseruat Ordinariis locorum.

Probatur, inquam, in supradictis casibus iure communi reseruatis Episcopis, non posse quidquam Confessarios Regulares vi suorum priuilegiorum. Tum quia aliàs Clement. Religiosi, de priuilegiis prohibitum fuit Religiosis absoluere Seculares Clericos, & Laicos excommunicatos à Canone, quo nomine venit excommunicatio iure communi promulgata, ibi autem ponitur exceptio his verbis: *Præterquàm in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem.* Gloss. versic. A Canone, includit sub hac prohibitione tam excommunicationem aliàs reseruatam in iure, quàm non reseruatam, quàm sequitur cùm aliis Floronus cap. 5. num. 4. quòd mihi non placet, sed puto prohibere absolutionem à reseruatis, quòd suadetur. Tum quia id videtur insinuare particula [*in casibus à iure expressis*] nam vt colligitur ex cap. Nuper de sent. excommun. Papam non reseruando sibi excommunicationis absolutionem, censetur aliis hanc facultatem reliquisse. Tum quia Sacerdotes Seculares ab ea absoluunt, quando non est expresè reseruata, ergo & Regulares, nè sint peioris conditionis. Tum quia communissima opinio est, simplicem Confessarium posse ab ea non reseruata absoluere. Ita plurimi citati à *Bonacin. de censur. in commum quæst.3. part. 1. num. 5. Floron. cap.2.* §.2. *num.*17. igitur prohibitio restringitur ad excommunicationem reseruatam expresè. Adest etiam exceptio priuilegiorum Religiosis concessorum, sed de his sufficienter dixi in prima responsione. Tum quia licèt nonnulli velint, casus Papales, quibus in iure expresè non est facta reseruatio, dici quoad absolutionem Episcopales, tamen non est hoc verùm, secundùm nostram opinionem, qui tenemus, vt suprà, excommunicationem in iure communi non reseruatam tolli posse à quouis Confessario, vndè falsum est, quòd dicantur casus Episcopales, quamuis opposita opinio eos tales vocet. Demùm quamuis in suprà citatis Decretis sub Gregor. XIII. & Clement. VIII. mentio fiat de casibus, quos Episcopi reseruarunt, & in posterum reseruabunt, nihilominùs in Decretis sub Paulo V. & Vrbano VIII. simpliciter fit mentio de casibus reseruatis Episcopis, quibus verbis venit quæcumque reseruatio, siue facta sit à Papa Episcopo, siue ab Episcopo sibi ipsi. Hanc responsionem tenet *Mirand. quæst.46. art.2. Antè* §. *Solummodò*; oppositum sentit *Diana resol.13.de dub. Regul.* §. *Not.4. in fine*, asserendo posse Regulares absoluere à reseruatis de iure communi Episcopis, Floron. cap. 1. §. 2.

Quòd Regulares Confessarij non possint virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus, siue censuris, quas Episcopi sibi reseruant siue à iure in suis Conciliis, vel Synodis, aut aliàs per Statutum, seu ab homine, est expressa prohibitio in dictis Decretis sub Paulo V. & Vrbano VIII. quòd etiam multò tempore antè prohibuerat Clement. 1. de priuileg. licèt cùm limitatione, quòd non comprehenderentur habentes priuilegium absoluendi, & contra Religiosos transgressores imposuit excommunicationem sibi reseruatam, de qua vide Toletum lib. 1. cap. 36. Syluest. versic. Excommunicat. 7. num. 14. & Leo Decimus in Concil. Lateranens. Constitut. *Dum intra*, apud Quarant. versic. Priuilegia, vbi prohibentur absoluere à sententiis ab homine latis, intellige reseruatis. Concludo igitur, Confessarios Regulares nullum ius habere super casus Episcopis reseruatos, cuiuscumque sint prohibitionis, siue à iure speciali, siue ab homine, quando illos sibi reseruant.

Circa illa duo Decreta sub Clemente VIII. emergunt sequentes difficultates. *Prima*, an Confessariis Regularibus in Vrbe existentibus, vel etiam in Suburbiis sublata sint priuilegia absoluendi à reseruatis Sedi Apostolicæ, nam prohibitio est expresè contra Confessarios per vniuersam Italiam extra Vrbem degentes? *Secunda*, An Insulæ Siciliæ, & Sardiniæ pertineant ad Italiam, ita quòd Confessariis inibi degentibus non ampliùs liceat absoluere à reseruatis? *Tertia*, An in aliquo casu necessitatis, aut impedimenti, excepto mortis articulo, possint Confessarij Regulares absoluere à reseruatis Papæ, vel Episcopo? nam videtur, quòd non, quia in primo Decreto habentur huiusmodi verba: *Nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in articulo mortis.* *Quarta*, An absoluere possint à casibus in Bulla Cœnæ Domini dubiis? nam in eodem primo Decreto dicitur; quòd non, illis verbis: *Ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ Domini legi solita contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum, &c.*

Primæ respondetur, illos non posse absoluere à casi- 12
bus reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, nec ex vi huius Decreti, sed quia aliàs ab aliis Summis Pontificibus hoc expresè prohibitum erat, iuxta ea quæ retuli suprà hìc quæst. 8. quòd confirmatur per postremùm Decretum sub Vrbano VIII. illis verbis: *Quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vtpotè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentibus Priuilegiorum confirmationibus.* Degentes ergo Romæ à prædictis absoluere nequeunt, vtique verò à reliquis reseruatis Sedi Apostolicæ, etiam ab illis quinque in secundo Decreto expressis, quia illorum priuilegiis quoad hoc derogatum non fuit. Confessarij consistentes in Suburbiis gaudent eodem priuilegio, quo existentes Romæ, quia licèt Vrbis nomine veniat, quæ ambitu murorum continetur, *cap. Si Ciuitas, de sentent. excommunicat. & l.2. ff. de verbor. significat.* tamen in fauorabilibus termini sunt ampliandi, ita

ita vt sub nomine *Ciuitatis* veniant etiam Suburbia, gaudent enim priuilegiis Ciuium existentes in Suburbiis. Hanc sententiam tenent *Floronus cap. quinto, §.4. in fine, Diana resolution. 13. de dub. Regular. Not. 3. citans Merullam contra Megalium part. prima, lib. 1. cap. 13. num. 21.*

13 Secundæ respondeo, dictum Decretum non comprehendere Insulas Siciliæ, Sardiniæ, neque Corsicæ, quia Historiographi, & Geographi non connumerant cum partibus Italiæ, vt refert illis *citatis Megal. citat. cap. 13. num. 20.* in cuius tamen fine dicit, practicari dictum Decretum, ac si illas expressè comprehenderet, & fundat hanc practicam in illo dicto, *Insulæ Italiæ pars Italiæ sunt, l. Insula ff. de Iudic. & in hac praxi sequitur Merullus, quem contra se citat Diana resolution. decimatertia in fine*, cuius dictum Dianæ, nempe non esse derogatum priuilegiis Regularium in illis Insulis, magis mihi placet, propter dictam rationem, & computum; & quia Papa quoties condit aliquam Constitutionem pro Italia, & Insulis, mentionem expressam facit vtriusque.

Portellus *versicul. Confessor num. 22.* multùm anxius est ad probandum dicta duo Decreta sub Clement. VIII. habere locum tantummodò contra Confessarios intra Italiam degentes, cui ansam præbuit *Mirand. tom. primo quæst. 46. art. 2.* vtrumque ad verbum referens, asserendo Mirandam tenere, seu supponere, reuocationem factam esse pro tota Ecclesia, sed reuerà frustra fatigatur, probando esse pro sola Italia, cùm id expressè dicatur in dictis Decretis, ac proinde res probatione non indiget, cùm clara probatione non egeant, *cap. de Manifesta 17. 2. quæst. prima, l. Si verò, §. 1. ff. qui satisdar. cog.* præterquam quod dictum Doctoris intelligendum est iuxta terminos legis, vel Decreti allegati, *Bartol. in leg. Non solùm §. Si liberationis ff. de legibus, Nauar. tom. tertio ad cap. 2. distinct. 5. num. 39.* Bene ergo Confessarij extra Italiam existentes, absoluunt à reseruatis extra Bullam, non autem à reseruatis Ordinariis locorum, quia Sacra Congregatio sub Gregorio Decimotertio absolutè prohibuit huiusmodi absolutionem, non facta mentione intra, neque extra Italiam. Vnde audiendus non est *Cruz lib. secundo cap. 6. dub. 6. & 7.* asserens Confessarios Regulares absoluere posse ab omnibus reseruatis Papæ extra Bullam, quod verum puto extra Italiam, tamen ipse absolutè loquitur, & præterea etiam à reseruatis Episcopis, sed reuera in hoc errat, ignorando diuersa Decreta, exposita etiam antequam suum opus ederet, prohibentia huiusmodi absolutionem, & miror ipsum vocare pro se Clem. Dudum, quæ expressè contra illum, est, vt probaui *supra quæst. octaua §. Non attenti.*

14 Tertiæ dico, dato casu necessitatis, vel impedimenti, posse Confessarium quemcumque absoluere à reseruatis Sedi Apostolicæ, vel Episcopo; & ponamus in puella, seu iuuene sumpturis Eucharistiam simul cum parentibus; in hoc enim casu, & similibus, in quibus instat communio, potest Confessarius illos absoluere, indirectè tamen à reseruatis, non autem directè, absoluere autem indirectè est absolutionem cadere primò, & immediatè super peccata non reseruata, consequenter verò, & per consequentiam super reseruata ex eo, quòd impossibile est tolli vnum mortale sine aliis, & cum ratio suadeat, talibus casibus rationabiliter tolli non reseruata, consequitur tolli etiam reseruata quò ad culpam, sed remanere illam obligationem accedendi ad reseruantem, vt tollat illam obligationem reseruationis, absolui ergo quem à reseruatis indirectè est peccatum tolli quò ad culpam, non quò ad reseruationem; & hoc confirmatur, quia nulla lex extat prohibens absolutionem à non reseruatis, quoties prohibetur absolutio à reseruatis. Deinde prohibitio à reseruatorum absolutione intelligitur quò ad directam absolutionem, nempè à culpa, & obligatione accedendi ad Superiorem reseruantem. Vide de hac re *Suar. tom. quarto disput. 31. section. septima quem cum aliis citat Megal. part. prima, lib. 1. cap. 14. per totum.* Constitutus autem in tali necessitate, seu impedimento, tenetur confiteri etiam reseruata, quia super illa quò ad culpam cadit absolutio, aliter confessio defectu integritatis esset nulla, & daretur dimidiata venia, quod sperare impium est, *cap. Sunt plures 42. med. distinction. 3. de pœnitent.* quidquid dicant *Ales part. quarta, quæstion. 18. membr. quarto, articul. 5. §. 2. ad vltimum, Petrus Soto lect. decima de Confess. Angel. versic. Confessio 1. §. Septimo*, asserentes sufficere confiteri non reseruata, nam confessio reseruatorum, cùm non possint tolli absolutione, ad aliud non erit vtilis, quàm ad se diffamandum coram tali Confessario; quæ opinio nulla probabilitate constat, & ob rationes adductas; & quia tolluntur indirectè; & quia nullus se infamat ex confessione suorum peccatorum; aliud est enim accusatio spiritualis suorum peccatorum, aliud detractio propriæ famæ, quæ non potest contingere ob bonum finem. Igitur pœnitens habens reseruata obtinet omnium absolutionem confitendo inferiori, cùm obligatione accedendi postea ad Superiorem, cui tunc sufficit dicere reseruata, eo quòd cùm iam remissa fuerint indirectè, remanet sola ablatio reseruationis, quæ culpa non est, sed quid illi accidentarium, quod tolli potest 15
etiam extra Sacramentum; præterquam quod tale peccatum reseruatum æquiparatur peccato iam semel ritè remisso quo ad suam culpam. Hanc opinionem absoluendi à reseruatis peccatis in casu necessitatis docet aliis citatis *Bonac. quæst. 7 de pœnitent. p. 5. §. 3. prop. 2. Diana resolut. 104. de Sacram. & resol. 68. Miscell. 5.* Immò extra casum necessitatis quamplures citandi docent, inferiorem Confessarium posse absoluere à reseruatis etiam remittendo postea pœnitentem ad Superiorem pro directa absolutione, quam praxim dicit se seruasse *Megalius lib. 1. cap. 14. quæst. 2. citando de illa testes Sotum in 4 dist. 18. quæst. 2. art. 5. colum. 8. vers. Quartus igitur modus, Nauar. tom. 3. in §. Cautus, dist. 5. de pœnit. num. 13. alios pro hac opinione citat Bonac. num. 9.* & hæc opinio mihi non displicet, quia hic non dimidiatur confessio; neque fit contra præceptum Superioris, cùm ipsi satisfiat per præsentationem pro relaxatione reseruationis; prætereà argumenta Bonac. non conuincunt, primum enim non sequitur ex hac opinione simplicem Sacerdotem non Confessarium valentem absoluere à venialibus, posse pro mortalibus remittere pœnitentem ad Confessarium, & quia in opinione probabiliori, de qua dixi *resol. 36. quæst. 28.* requiritur, quòd sit Confessarius approbatus: & quia secundùm eius opinionem veram, & omnium ad remissionem siue directam, siue indirectam requiritur approbatio Ordinarij, quæ cùm desit, hoc eius argumentum nihil probat, sed quia argumentum potest retorqueri, dic alterius rationis esse peccatum veniale à mortali, quæ diuersitas quò ad culpam, quæ tollitur per absolutionem, non reperitur in mortali, vnde cùm quò ad hoc reseruatum, & non reseruatum sint similia, facilè de iisdem idem fieri potest iudicium absolutionis, non de venialibus simul cum mortalibus. Secundùm eius argumentum, quia Confessarius inferior non potest ab vno peccato mortali absoluere, quin absoluat ab omnibus, cùm vnum non remittatur sine alio: cùm autem nequeat Confessarius inferior à reseruatis absoluere, vt patet ex Tridentino, sequitur non posse etiam à non reseruatis absoluere. Tollitur hoc argumentum dicendo, sicut suprà, inferiorem Confessarium tollere vtrumque quò ad culpam, & remanere reseruationem, quæ deinde tollitur à Superiore, siue per absolutionem Sacramentalem, præmissa peccati tantùm reseruati confessione, aut per simplicem relaxationem reseruationis extra Sacramentum; cùm peccatum iam sit remissum quò ad culpam; nec Tridentinum prohibet huiusmodi indirectam absolutionem, quam admittunt quamplures Doctores supracitati. Et meo iudicio siue sit casus necessitatis, siue non, eadem ratio mihi videtur persuadere idem esse dicendum in vtroque casu, siquidem tota difficultas in eo sita est, quia, vt dixit mox Bonac. cum aliis, sequeretur vnum mortale tolli

sine alio, nempe non reseruatum sine reseruato, quod ex communi omnium opinione, & veritate est absurdum, & falsum; sed hæc eadem ratio militat, posito casu necessitatis, quia sequeretur tolli non reseruata sine reseruatis; sicut ergo respectu huius secundi casus, illud absurdum non sequitur, quia reseruata tolluntur indirectè cum obligatione præsentandi se Superiori pro reseruatione, & ponit Bonacin. exemplum de illo, qui inculpabiliter oblitus fuit alicuius peccati reseruati, & tamen omnium recipit absolutionem, vt suprà, ita idem dicendum est in primo casu, nam necessitas non est causa talis absolutionis directè, & indirectè, sed quia vnum mortale non potest dimitti sine alio, quod militat in primo casu. Imò meo iudicio puto, Superiorem auditis solis reseruatis, etiam posito casu impedimenti, quod non potest attendere, non posse sacramentaliter absoluere; quia tunc à non reseruatis neque directè, neque indirectè absoluere potest, quia non sunt facta materia proxima Sacramenti, absolutio enim necessariò supponit confessionem omnium mortalium, etiam in hoc casu, in quo impedimentum licèt in se sit legitimum, tamen respectu huius Sacramenti est voluntarium, & nullius momenti, quia Superior potest remittere subditum ad inferiorem Confessarium etiam pro absolutione reseruationis, vel extra Sacramentum auferre illud vinculum reseruationis, impositâ pœna iuxta qualitatem delicti reseruati. Demum argumentatur sic. Confessio debet esse accusatio coram legitimo Iudice, qualis non est confessio reseruatorum facta coram inferiori. Sed dico falsum assumere, nam est legitimus Iudex quò ad vtrumque peccatum, cùm vtrumque tollatur quò ad culpam; neque enim ista indirectitudo impediens, ne peccatum tollatur quo ad reseruationem, efficit Iudicem incompetentem, neque illegitimum quò ad absolutionem culpæ, quem efficeret si directè absoluere tentaret: & faciunt allatæ rationes mox contra secundum argumentum, si enim est legitimus Iudex pro casu necessitatis, & obliuionis inculpabilis, & quare non in casu extra impedimentum? extranea enim, & accidentalia non constituunt Iudicem legitimum, sed potestas iurisdictionis, quam in vtroque casu habere Confessarium inferiorem iam pluries probaui.

Ad obiectionem positam in difficultate ex verbis ipsius Decreti clarè prohibentis, ne quis Confessarius etiam in casu necessitatis, & impedimenti, excepto mortis articulo, absoluere audeat, dico posse intelligi multipliciter: primò, quòd non absoluat directè à reseruatis, liberando pœnitentem ab obligatione præsentandi se Superiori pro tollenda reseruatione, & is est certus sensus, quia in articulo mortis directè tollitur peccatum quò ad culpam, & reseruationem, ita quòd pœnitens sanitate acquisita non tenetur se præsentare pro peccatis reseruatis, sed tantùm pro censuris, vt de communi docent *Nauar. cap. 26. num. 26. §. An autem, Graff. part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 9. Silu. versic. Absolutio 1. num. 81. cum aliis, quos citat pro se Floren. cap. 4. §. 6. in fine*, ergo prohibitio absoluendi in casu necessitatis, excepto articulo mortis, intelligenda est ex opposito, nempe absoluere non posse directè à reseruatis. Secundò, quòd virtute priuilegiorum non absoluat Confessarius Regularis in casu necessitatis, aut impedimenti, non verò prohibetur, quin possit absoluere, vt possunt alij nullum habentes priuilegium, vt sunt Confessarij Seculares, qui in dictis casibus absoluere possunt, ergo & Regulares, quia quod ad derogationem suorum priuilegiorum non sunt facti deteriores Confessariis Secularibus quò ad ius commune, & opiniones Doctorum, qui ferè omnes asserunt, dato casu necessitatis, posse Confessarium absoluere à peccatis etiam reseruatis indirectè, & illos superiùs citaui. Tertiò, dicta prohibitio non exprimitur in secundo Decreto prioris declaratiuo, & cùm sit pœnale, consequenter non extendendum, potest dici sublata.

Floronus *cap. 4 §. 6. num. 8. & 9. & §. 7. num. 19. §. Non ergo, cap. 6. §. 4. per totum*, illis verbis Sacræ Congregationis motus dicit, posito casu aliquo necessitatis puellæ, quæ debet cum matre communionem recipere, aut Sacerdotis obligati celebrare, tunc posse Confessarium permittere, vt se communicet absque præuiâ confessione; *& cap. 6. §.* Quid igitur concludendum, dicit absolutè cum communi Doctorum absolui posse pœnitentem à non reseruatis ab inferiori, remittendo illum ad Superiorem pro reseruatis, itaque iste cum aliis videtur tenere, Confessarium inferiorem nullo modo posse extendere suam iurisdictionem neque directè, neque indirectè super reseruata, cuius oppositum multis suprà probaui, posse absoluere indirectè à reseruatis.

Ex his resoluitur ea difficultas, An in casu necessitatis recipiendi communionem, vel celebrandi, possit quis absolui etiam à reseruatis ab inferiori Confessario? Nam ego dico posse vel conteri, vel confiteri, quia vt pluries probaui suprà in casu necessitatis ad euitandum periculum, vel infamiam potest quis absolui à reseruatis indirectè, vt docent *Suar. disput. 31. sect. 3. num. 8. Medina de Confess. quæst. 22. quos, & alios pro se citat Bonacin. quæst. 7. de Pœnitent. p. 5. §. 3. num. 8. Diana resolut. 104. de Sacram. & Miscellan. 5. resolut. 68. aliis quampluribus citatis Nald. versic. Bulla Cœnæ num. 62. & 63.* Qui ferè omnes idem asserunt, quando annexa est excommunicatio, in eo. n. casu ad vitandum scandalum, vel aliam grauem iacturam, potest excommunicatus absolui ab omnibus quidem peccatis, non autem ab excommunicatione, postea tollenda à Superiore, siquidem in tali casu suspenditur effectus prohibens receptionem Sacramenti, ac proinde alias irregularitas secutura ex celebratione, sunt enim leges iuris positiui, quæ non obligant cum tanto periculo. Immò auderem dicere, quòd in eo casu posset Confessarius tollere excommunicationem, quòd ad effectum prohibitionis recipiendi Sacramenta, aut celebrandi, licèt non quò ad reseruationem, à pari de peccato reseruato, cuius absolutio quò ad reseruationem præcisè tolli non potest, licèt quandoque tollatur culpa peccati reseruati, ita & tolli posse excommunicationem quò ad prohibitionem, non quò ad reseruationem, hæc enim duo in illa distingui possunt, sicut patet in excommunicatione non reseruata, in qua distinguitur vnum ab alio.

Quartò dico, Confessarium Regularem vi suorum priuilegiorum, cùm sublata sint, non posse absoluere à casibus Bullæ Cœnæ Domini claris, siue dubiis; vtique verò à reliquis Papalibus, & Episcopalibus, vt probaui *resolut. 9. quæst. 5. §. Septimo. illa enim clausula restringitur ad casus Bullæ, Lupus part. 1. distinct. 22. art. 1. 9. Dices.*

Quæres 10. An Confessarij Regulares absoluant à censuris nulli reseruatis iure communi, aut speciali, seu ab homine? Negant *gloss. vers. Reseruatur, cap. Si Episcopus, de pœnis. in 6. Caiet. versic. Absolutio ab excommun. cap. Excommunicatio in materia, Tabien. versic. Absolutio 2. num. 2. Graff. part. 1. lib. 4. cap. 15. num. 68. quos contra se citat Floronus cap. 2. de casib. reseruat. §. 2. num. 17. §. Contrariam.* Et hæc prohibitio expresè contra Regulares Confessarios habetur in Clement. 1. de priuileg. illis verbis: *Aut qui excommunicatos à canone, præterquam in casibus à iure expressis, aut per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis, eisdem vel à reseruatis per Statuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis.* Vbi Glossa versic. A Canone, exponit de excommunicatione nulli reseruata; probari autem potest hæc opinio, quia absoluere ab excommunicatione supponit iurisdictionem fori contentiosi in absoluente, quâ cùm careant Confessarij Regulares, immò etiam Seculares, ideirco non possunt absoluere. Confirmatur, quia huiusmodi excommunicationes, quæ expresè in iure non sunt reseruatæ, vocantur casus Episcopales, ex eo, quòd illarum absolutio ad ipsos solos, & non ad inferiores Confessarios spectat. Quibus tamen non obstantibus.

Resp.

16 Resp. Confessarij Regulares possunt absoluere a quibuscumque excommunicationibus, quæ non sunt expressè reseruatæ in iure communi, vel speciali alicuius Concilij, vel Synodi, vel etiam ab homine generaliter latis. Probatur ex *cap Nuper* 29. illis verbis: *Qui tamen Conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Sub eo nomine, *Aliis*, veniunt Episcopus, vel proprius Sacerdos excommunicati; nomine autem proprij Sacerdotis non tantùm venit Parochus, & habens iurisdictionem ordinariam audiendi confessiones, sed etiam quiuis alius Sacerdos, & Confessarius habens delegatam, *Nau tom. 5. in cap. Placuit num. 62. & 123. cum seqq. & in cap. Quiuis num. 98. Faber disput. 25. de pænit. num. 82. & 83. Megal. de censur. lib. 1. cap. 7. num. 38.* loquendo ad propositum quæsitum. Ratio est, Tum quia in foro animæ non requiritur maior facultas ad absoluendum ab excommunicatione, quàm à peccato, immo videretur requiri maior pro absolutione peccati, cùm sit maius vinculum, & malum; sed peccatum, quoties non est expressè reseruatum, tollitur indifferenter à quouis Confessario, ergo & excommunicatio non reseruata. Tum quia nulla ratio debet cogere Confessarium, ex parte suæ facultatis, ad so abstinendum ab absolutione, nisi reseruatio; sed in casu nostro nulla cadit reseruatio, ergo quiuis Confessarius potest absoluere ab huiusmodi excommunicationibus. Tum quia id non obscurè colligitur ex quibusdam literis ad Archiepiscopum Neapolitanum transmissis, in quibus monetur, ne promiscuè eos casus, in quibus annexa est excommunicatio maior à iure imposita, cuius absolutio nemini est reseruata, sibi reseruet. Has autem literas extendit *Quarant. versic. Casus reseruati.* Tum quia non obstat *Clem. de priuileg.* nam ibi sermo est de excommunicationibus reseruatis, vt probaui *quæst. præced. §. Probatur inquam.* Tum quia falsum est ad absoluendum ab excommunicatione requiri semper iurisdictionem fori contentiosi, quod procedit in foro externo. Hanc opinionem tenent *Angel. vers. Absolutio 1. num. 2. S. Bonau. in 4. dist. 18. quæst. 6. art. 8. quamplures pro se citat Floren. cap. 2. §. 2. num. 17. Nauar. cap. 27. num. 39. quos & alios citat Megal. cit. cap. 7. num. 31. Bonac. disp. 1. de censur. q. 3. p. 1. num. 5.*

Quæres 11. An Episcopus possit sibi reseruare omnes excommunicationes iuris communis nulli reseruatas? Nam videtur hoc reprobari in præcitatis literis Sacræ Congregationis, monentis Archiepiscopum Neapolitanum, nè promiscuè sibi reseruet eas excommunicationes, quæ in iure communi sunt nulli reseruatæ; & suadetur, quia sicut non potest sibi reseruare omnia peccata mortalia nec ritè, nec validè; quia sequeretur implicantia, Sacerdotem approbari in Confessarium, & non approbari, si non potest absoluere, data omnium reseruatione, licèt concedat de Summo Pontifice *Suar. & ex eo Megal. lib. 1. de pænit. cap. 11. num. 5. & n. 9.* de Episcopo, ita neque omnes excommunicationes. Confirmatur, quia per hanc reseruationem Confessarij priuarentur ea facultate, quam habent à iure communi, *cap. Nuper. & ita sentit Megal. de cens. lib. 1. cap. 7. num. 36.* non posse Episcopum sibi reseruare omnes excommunicationes in præiudicium Parochorum; & hoc ait *num. 37.* procedere in illis Diœcesibus, in quibus ex consuetudine introductum non est, vt Episcopi omnes excommunicationes sibi reseruent, ea enim posita, sine dubio Episcopus potest illas excommunicationes sibi reseruare. Sed his non obstantibus

17 Resp. Episcopus licitè, & validè potest sibi reseruare omnes excommunicationes. Probatur, quia ex hac reseruatione nullum sequitur inconueniens; & Episcopus amplam habet facultatem sibi reseruandi quoscumque casus peccatorum, & censurarum, modò ut in ædificationem, & non in destructionem animarum, qualis non est huiusmodi reseruatio. Confirmatur, respondendo ad opposita, nam in literis Sacræ Congregationis monentur solùm Episcopi, non autem prohibentur edere talium reseruationem. Ad suasionem, licèt non possit Episcopus omnia peccata sibi reseruare, quia hoc esset priuare, & annullare confessarios sine rationabili causa, potest tamen omnes excommunicationes, quia per hoc non auferetur illis penitus potestas iurisdictionis, ac proinde nullum sequitur inconueniens. Nec confirmatio ex Megalio cogit, quia illa iuris concessio intelligitur dependenter à voluntate Episcopi respectu confessariorum, hoc ipso quòd ab eodem iure facultatem habet reseruandi sibi quoscumque casus, & censuras.

In multis autem Diœcesibus adest reseruatio huiusmodi excommunicationum, vt refert *Graff. pr. lib. 1. cap. 3. à num. 16. ad 19. & Mediolani, ait Bonac. disp. 1. de censur. quæst. 3. p. 1. num. 1. §. Dixi*, Cautum esse, ne confessarij absolutionem à censuris impendant, nisi ad hoc specialem habeant licentiam.

Quæres 12. An Confessarij Regulares possint disponere de incertis cum suis pœnitentibus, applicando ea in vsus Monasterij, & Ecclesiæ, non obstante, quod aliqui Episcopi sibi reseruent restitutionem incertorum. De hoc casu bonorum incertorum plenè agunt *Graff. pr. lib. 2. cap. 32.* & quid sint bona incerta *Nauar. cap. 17. num. 92.* Bona autem incerta, quæ obnoxia sunt restitutioni, non sunt quæ semper caruerunt domino, vt sunt gemmæ, & alia similia, quæ fiunt primò occupantis, *Graff. cit. num. 16.* Sed sunt illa, quæ habent proprium Dominum, sed post diligentem inquisitionem adhuc ignoratur; ita omnes, & cum eis *Sotus lib. 4. q. 7. art. 1. col. 6. & ex eo Graff. cit. num. 11.* Res autem incerta acquiritur tribus modis, vel ex delicto, seu furto, vel ex contractu, vel inuentione. Solent ergo Ordinarij locorum hunc casum sibi reseruare, præcipuè Mediolani, in cuius Concilio IV. reseruatur restitutio rerum incertarum; quare meritò dubitatur, An confessarij possint absoluere suos pœnitentes, qui non restituerunt incerta capsæ, vel sine iudicio Episcopi iuxta dispositionem casus.

Respond. Confessarij Regulares habent priuilegia 18
disponendi de rebus malè acquisitis, & incertis, Alexand. IV. pro Monialibus, Constitut. *Generali, & Prouincialibus*; apud Confect. pagin. 10. Idem indulsit Vrbanus VIII. Carmelitis, Constit. *Vetitis vestra*, apud eumdem Confect. pag. 12. & in Mari magno conceditur Prælatis Ordinis, quòd possint in vsus pios conuertere omne id, quod intrantes eorum Religionem restituere tenentur, modò ij, quibus restituendum fuerit, nesciantur, vel non inueniantur; *refert idem Confect. in Summ. Maris magni, §. 27. pag. 332. & docet Compend. resol. 125. num. 5.* Si ergo Religiosi habent hoc ius à Summo Pontifice disponendi, & acquirendi sua Monasteriis res incertas, ergo pœnitens iuxta consilium confessarij, restituendo, seu donando Religioni huiusmodi incerta non peccat, ac proinde nullam incurrit reseruationem, quæ sine peccato mortali incurri non potest. Confirmatur; Tum quia confessarius potest absoluere pœnitentem, quoties de facto restituit pauperibus, vel capsæ, *vt docent Robell. part. 1. lib. 10. q. 12 sect. 3. num. 25. Henriq lib. 3. de pænit. cap. 14. num. 5. cum aliis*; sed in casu nostro restitueret pauperibus, quo nomine venit Religio, cùm fundetur in paupertate, & sit verè pauper, *Sanch. lib. 6. cap. 11. num. 59.* Tum quia huiusmodi casus non est de illis, qui prohibentur absoluendi à Regularibus per Decreta citata *sub quæst. 9.* nam Decreta prohibentia absolutionem à reseruatis Confessariis Regularium, loquuntur respectu eorum casuum, qui præcisè tangunt iurisdictionem Episcopi reseruatis, & non præiudicatur alteri, præter confessarium; in casu autem nostro præiudicatur Religioni, quæ habet priuilegium acquirendi illa incerta, ergo illa Decreta non loquuntur de huius generis casibus. Et ex his patet ad obiecta in quæsito, nam ille casus non habet locum inter Confessarios Regulares, cùm eorum Monasteriis multà

præu

præiudicare possit. Er ita post Decreta Clement. VIII. *dixit Bariola in suis Aphorismis, vbi citat Clem. Religiosi §. Nec legata de priuileg. Graff. pr. libr. 2. cap.13. Nauar. consil. 5. de solut. num. 4.* dicit, quòd confessarius sibimet, vt vni pauperi, restituere potest. Mecum sentit *Lupus de casibus Bergomi part. 1. dist. 15. artic. 3. diff. 1.*

Quæres 13. An quando Episcopi sibi reseruant inter suos casus commutationem, seu dispensationem in votis, & iuramentis, confessarij Regulares, huiusmodi reseruatione non obstante, possint commutare, & dispensare cum suis pœnitentibus? Quamuis commutatio, & dispensatio votorum de iure spectet ad Episcopum, & alios Prælatos babentes iura quasi Episcopalia respectu suorum subditorum, vt docent omnes *cum gloss. in cap.2. de pœnit. in 6. Graff. pr. lib.2. cap.43. num.8. & 12. Sanch. lib.4. cap.38. per totum*, loquendo de dispensatione, & cap.49. quæst.fio. vbi ait, loquendo de commutatione, hanc facultatem commutandi pertinere ad omnes Prælatos, qui habent iurisdictionem fori externi ordinariam ibi num. 28. Quare cùm Sacerdotes confessarij ex hoc careant potestate fori contentiosi, seu externi, non poterunt ab his absoluere, neque Parochi, & ita cùm communissima sententia tenet *Sanch. lib.4. cap.38. n.25. seipsum citans lib.8. de matrim. disp.9.* Iure tamen priuilegij Confessarij Regulares vota relaxare possunt. De commutatione votorum, quæ non sunt reseruata Papæ, extant priuilegia Eugen. IV. Constit. *Etsi quaslibet*, apud Confect. pag.38. Monachis S. Benedicti. Sixtus IV. Constitur. *Sedes Apostolica*, apud eundem pag. 87. Minimis concessit facultatem commutandi, & relaxandi quæcumque vota, quam eisdem posteà confirmauit Leo X. Constitut. *Pastoris æterni*, apud citatum pag.139. sed ibi limitat ad certas solemnitates. Paulus III. Constit. *Cum inter*, apud Confect. pagin.184. eandem facultatem commutandi vota indulsit confessariis Societatis Iesu. Excipiuntur autem quinque vota Papæ reseruata, quæ sunt Religionis, Castitaris, Peregrinationis Vltramarinæ, ad Compostellam, & ad Limina Apostolorum; alias Bullas citat Compend. Peregrin. versic. Commutatio, quas air loqui etiam de dispensatione votorum, de quâ facultare benè Sanch. lib. 4. cap. 54. De dispensatione votorum vide apud Compend. vers. Dispensatio, vbi Sorbus ait Iulium II. indulsisse confessariis Congregationis S. Benedicti facultatem dispensandi Secnlares in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, vide Sanch. lib. 4. cap. 43. vbi refert alia priuilegia. Idem dic proportiuonaliter de iuramentis, nam valens relaxare vota, potest etiam tollere, seu commutare iuramenta, vt ex Soto, & aliis docet Sorbus versic. Votum, §. Quintò; Nullum autem priuilegium relaxandi iuramenta vidi, sed solùm vota iurata, quòd concessit Greg. XIII. Societati Iesu. Hæc summariè dicta sint, nam alibi fusiùs.

19 Resp. Confessarij Regulares, non obstante huiusmodi reseruatione, possunt dispensare, & commutare vota, & iuramenta suorum pœnitentium, quòd possint, absolutè loquendo, nulla est difficultas ob allata priuilegia, adhuc suam vim retinentia; sed ea potest esse solum respectiuè ad reseruationem, cùm hisce temporibus Regulares nulla habeant priuilegia absoluendi à reseruatis ex probatis hic quæst. 9. Sed probatur nostra responsio. Tum quia Decreta prohibentia Clem. VIII. Pauli V. & Vrbani VIII. sustulerunt priuilegia, quæ concedebant confessariis Regularibus facultatem absoluendi à peccatis, & censuris; sed in relaxatione votorum, & iuramentorum non cadit absolutio, sed solùm commutatio, vel dispensatio, neque sunt peccata, aut censuræ, ergò non cadunt sub dicta prohibitione, neque enim ex diuersis fit illatio, potissimùm in odiosis, & pœnalibus: Tum quia in pœnalibus, & odiosis verba strictè, & propriè accipienda sunt, cap. Pœnæ 18. dist.1. de pœnit. sed reseruatio votorum, & iuramentorum impropriè venit sub nomine casuum reseruatorum, nam casus reseruatus est peccatum mortale, seu censura illi adnexa, cuius absolutionem Superior sibi reseruat, ergò hæc reseruatio cùm non sit de peccato, neque censura illi adnexa, non comprehenditur sub ea, cuius absolutio prohibetur Regularibus. Tum quia casus reseruatus à confessario solùm tollitur Sacramentaliter: vota autem, & iuramenta Regulares per sua priuilegia auferre possunt extra Sacramentum, vt veriùs docuerunt *Henr. lib. 7. de Indulg. cap. 30. num. 6. & ex eo Sanch. lib.4. cap.54. num.16.* ergò impropriè connumerantur inter casus reseruatos.

Quæres 14. An confessarij Regulares possint absoluere personas solicitaras ab excommunicatione lata in edicto Inquisitorum, propter culpabilem omissionem denunciationis contracta, & casus procedit respectu cuiuslibet delicti in materia inquisitionis non denunciati. *Trimarchus in suo tractatu de solicitat. disp.14. num. 50. concludit affirmatiuè, & pro se citat A Cunha quæst. 21. num. 11. & ibi Freitas num.31. Portel. versic. Solicitare num.24. Rodrig. quæst.61. art.6. Bossius dub.32. num.106.* probat, quia habent priuilegia absoluendi Seculares ad se venientes ab omnibus peccatis, & censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, & sex aliis expressis in secundo Decreto Clem. VIII. & reseruatis Ordinariis Locorum; cùm ergò inter hos exceptos non numerentur reseruati Inquisitoribus, sine dubio poterunt ab illis confessarij Regulares absoluere.

Respond. Nequaquam possunt absoluere. Probatur: 20
Tum quia aliàs inefficax esset reseruatio. Tum quia hoc est specialissimum Tribunal, contra quòd nullum conceditur priuilegium aliorum fauore. Tum quia Regulares nullum habent priuilegium absoluendi ab huiusmodi reseruatis neque expressum, neque implicitum, sicuti habent, seu veriùs habuerunt, absoluendi à reseruatis Papæ, & Episcopis: neque obstat ea opinio, de qua infrà quæst. 19. quæ dicit, Papam concedendo suos casus, concedere etiam virtualiter absolutionem à casibus reseruatis inferioribus Prælatis, ac proinde etiam Inquisitoribus; & quia hoc multi probabiliter negant cùm *Bonacin. disputat. 1. de censur. quæst 3. part. 1. num. 10.* quem ego reprobaui *resolut. 3. quæst. 10.* Et quia hoc nulla ratione videtur habere locum in Sancto Officio Inquisitionis, cùm sit nomen speciale, & priuilegiatum, in quo agitur de causis maximi ponderis totam Religionem tangentibus; lex autem, seu priuilegium generaliter loquens non comprehendit casus specialiter priuilegiatos, & dignos excellentis notæ, *ex cap. De multa, de prabend. ex cap. Sedes Apostolica de rescript. Gutier. lib.3. pract. quæst.16. num.51. Gomez ad Regular. Cancellar. quæst.4. §. Et in eadem, quos refert ipse Trimarchus disp.8. sect.4. num.43.* Et hoc procedit maximè hic, quia in Bullis Pontificiis, ne verbum quidem de casibus Inquisitorum; neque dictio implicatiua [etiam] habet locum, ob specialitatem, quæ repetitur in casibus Inquisitorum; & non aliorum Prælatorum. Et ex his patet responsio ad rationem Trimarchi, & sequacium. Alias rationes, quæ faciunt ad confirmationem nostri responsi *vide in resol.3. quæst.3.*

Quæres decimoquintò. An Episcopus possit sibi reseruare plures casus respectu Regularium, quàm Secularium?

Respond. Non potest. Probatur; Tum quia diuer- 21
sitas circa eandem rem inducenda non est, *leg. Eum, qui ædes, ff. de vsucaption. Tuscus liter. D. conclus.* 518. ergò neque circa numerum reseruatorum respectu dictorum confessariorum. Tum quia aliter videretur acceptio personarum, quæ reprobatur Regul. duodecimo, in sexto cap. Nouit, de iud. iustitia enim distributiua postular, vt æqualiter vtriusque generis confessarij tractentur, cùm multùm difficilè sit, imò odiosum asserere, vnum genus confessariorum esse doctius, & prudentius alio, vnde iustum est, vt casus in numero pares sint respectu quotumcumque Confessariorum,

fessariorum, eorum enim disparitas arguit inæqualitatem aptitudinis ad hoc ministerium spirituale exercendum. Tum quia sub eadem lege reseruationis existentes eodem iure paritatis censendi sunt. Probant aliqui ex citandis Doctoribus, per Clem. Dudum, de sepult. *Per huiusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est à iure concessa.* Ita tenent *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Rodr. quæst. 59. art. 8. Suar. tom. 4. in partem 3. disp. 30. sect. 2. num. 16. Reginald. lib. 8. num. 74. Molfes. in sua Summa tract. 7. cap. 17. num. 30. Peyrinus tom. 1. Religiosi quæst. 1. cap. 21. §. 2. quos pro se citat Trimarchus disp. 14. de Solicitatione num. 55. Floronus cap. 2. §. 1. n. 6. Vide res. 37. q. 27.*

Quæres 16. An si Episcopus tempore Paschatis, Pentecostes, & Natalis concedat suis Parochis facultatem absoluendi a sibi reseruatis, censeatur eamdem gratiam facere Confessariis Regularibus? *Peyrinus tom. 1. Religiosi quæst. 1. cap. 21. §. 2. in eo casu respondet.* Confessarios Regulares posse absoluere eis diebus, quibus valent Curati; *quem sequitur Trimarchus citat. disp. 14. num. 55.* eâ ducti ratione, quia Regulares non possunt onerari magis, quàm non Regulares circa reseruationem casuum ex Clement. Dudum, *de sepult. §. Per huiusmodi*, vbi pares omninò facit confessores Regulares Parochis, & ita nequeunt Episcopi confessariis Regularibus plures casus reseruare, quam reseruant Parochis. Hæc Trimarchus.

22 Respond. Episcopus faciendo hanc gratiam Curatis, non ideo censetur eam extendere ad Regulares confessarios, nisi hoc exprimat, vnde nullatenùs possunt Regulares in hoc casu absoluere à reseruatis. Probatur, Tum quia causa limitata effectum producit limitatum, *l. In agris ff. de acquirend. rer. domin. Barb. liter. C. num. 12. vbi plura iura, & Doctores citat.* Sed gratia est tantùm pro Curatis, ergo ad eos limitatur excludendo Regulares. Tum quia gratia hæc Curatis facta, est odiosa, cùm vulneret ius speciale ipsius Episcopi, ergo strictè interpretanda, ita quòd non excedat ipsos Curatos, argument. *cap. 1. de Filiis Presbyter. in 6. & Regul. 28. in 6.* vbi dicitur, quòd exorbitantia à iure non sunt in consequentiam trahenda. Tum quia ratio Aduersariorum non facit ad rem, aliud est enim Episcopum sibi reseruare plures casus respectu Regularium, aliud est concedere gratiam absoluendi à reseruatis, vt enim constat, omninò diuersa sunt, & cùm ex diuersis non fiat illatio, secundùm vulgaria iura, non benè inferunt ex eo, quòd casus debent esse pares, gratiam Curatis factam extendi ad Regulares. Episcopus autem causam rationabilem habet faciendi hanc humanitatem in Curatis, maximè illis Festiuitatibus, vt eorum Parochiani faciliùs, & alacriùs ad eos accedant pro receptione Sacramenti Pœnitentiæ, cùm proprium sit illorum officium illis præcipuè diebus mederi morbis suarum ouium, quod illis de iure incumbit; quæ ratio cùm in Regularibus non militet, quia ex charitate tantùm, non ex officio, neque iustitia excipiunt Fidelium confessiones, ideo illis, & non istis hæc gratia rationabiliter fit.

Quæres 17. An Confessarij Regulares virtute suorum priuilegiorum possint dispensare cum coniugatis, qui incestum commiserunt, ad petendum debitum, & cum habentibus votum simplex castitatis, vt post contractum matrimonium sine dispensatione, possint petere debitum coniugale, non obstante, quòd talium dispensationem Episcopus sibi reseruauerit. Primum priuilegium concessit Iulius II. Ordini Sancti Benedicti, *vt habetur in Compendd. Societatis Tit. dispensatio, §. 3. Minorum versic. eodem in fine Annot. Capuc. §. Iulius II. Theatinorum versic. eodem §. 7.* Secundum Pius V. Viuæ vocis Oraculo Franciscanis, vt videre est apud eosdem Compendiatores; de quibus agunt etiam *Nald. versic. Maritus 10. Bariola versic. Regulares pag. 261. Rodriq. quæst. 17. art. 11. cum suo Compend. resol. 114. num. 15. Portel. versic. Confessor dispensans num. 7. Sanch. lib 4. cap. 43. n. 10. Diana resol 14. de dub. Regul. qui quamplures alios citat:* obseruauit autem, ad hanc dispensationem requiri, vt confessarius deputetur à suo Prouinciali, vt expressè habetur ex dictis priuilegiis; hac autem dispensatione vti possunt erga quoscumque ad se accedentes, vt ex Sanch. notat Bariola, & etiam extra Sacramentum, etiam per literas, Diana in calce. Sed secundum cùm sit Viuæ vocis Oraculum, vt dicunt Sanch. & Comp. Rodrig. non videtur ampliùs subsistere, cùm Viuæ vocis Oracula annullata sint, vt docui *resol. 31.* tamen quò ad hoc videtur aliqua ratione posse subsistere hoc priuilegium, ex iis, quæ probaui ibidem *quæst. 3. & 4.* His igitur sic determinatis.

23 Respond. Possunt dispensare, non obstante reseruatione. Tum quia in Decretis tollentibus priuilegia Regularium confessariorum fit solùm mentio de absolutione casuum, & censurarum; sub quibus nominibus non veniunt dispensationes quò ad prædicta; ergo non intelliguntur sublata priuilegia quò ad hoc. Tum quia dispensatio in prædictis propriè, sed impropriè, & remotissimè venit sub nomine casuum, ergo illa Decreta nil de his disponunt, cùm propriè loquantur de casibus reseruatis. Quare Episcopi per huiusmodi reseruationes non possunt inficere Regulares in eorum priuilegiis. Demum faciunt dicta *quæst. 12. & 13. & resol. 15 q. 11.*

Quæres 18. An Regulares possint extra Sacramentum absoluere à censuris, & dispensare, & commutare in supradictis virtute suorum priuilegiorum?

24 Respond. Possunt. Probatur, quia huiusmodi nempè vota, iuramenta, petitio debiti coniugalis, censuræ, irregularitates, & eius generis relaxari possunt sine vllo ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, cuius materia est solùm peccatum actuale post Baptismum commissum. Et hanc responsionem iterum dedi, loquendo de potestate Prælatorum respectu suorum subditorum *resol. 3. quæst. 8.* vbi respondi ad obiecta. Ita tenet Nauar. *consil. 11. de priuileg. num. 2. Suar. de legibus lib. 8. cap. 6. num. 15. & 16. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 21. quos, & alios pro se citat Diana resol. 63. de Sacrament. Rodriq. quæst. 61. artic. 7. Portel. versic. Confessor dispensans num. 13.*

Quæres 19. An habentes priuilegium absoluendi à reseruatis Papæ, nulla facta mentione de casibus reseruatis inferioribus, censeantur habere facultatem etiam respectu inferiorum?

25 Respond. De iure non censentur habere. Probaui pluribus *resol. 3. quæst. 10.* Quibus adde sequentes probationes. Tum quia Papa condendo suas Constitutiones, non intendit derogare Consuetudinibus, & Statutis inferiorum, nisi de illis faciat expressam mentionem, *cap. 1. de Constitut. in 6.* sed concedendo facultatem absoluendi à suis casibus, nullam mentionem facit de casibus inferiorum, ergo non intendit illis derogare. Tum quia in dubio priuilegium non præiudicat Tertio, *Gloss. fin. cap. Cùm olim, de Consuetud. cap. Licet, de offic. Ordinar. cap. 3. de Decimis, iuncta glossa versic. Intentionis, cap. quamuis, de prebend. in 6.* vide Suarea Clericus Secularis *in suo Enchirid. lib. 2. de contract. versic. Iuspatronatus, § Immò nunquam*, docet, quòd Papa nunquam intendit derogare iuri quæsito alteri, quibuscumque verbis vtatur, & clausulis, etiam si addat ex certâ scientia, motu proprio, & ex plenitudine potestatis, ibi ad hoc citans alios Doctores. *Ita docent Bonac. disp. 1. de censur. quæst. 3. p. 1. num. 10. Beia part. 3. casu 16. § Vltimo,* vbi refert ad hoc decisionem Sacræ Congregationis, quamuis teneat oppositum *part. 2. casu 21. & 30.* de qua decisione testatur *Nicol. Garzias part. 3. cap. 2. n. 286. apud Barbosam ad cap. 7. sess. 14. n. 28.*

Dixi, *De iure*, sic enim tenent omnes Doctores cum *Nauar. tom. 4. in cap. Ita quorumdam de Iudæis not. 11. & cap. 27. num. 261. § Neno dico, Graff. part. 1. lib. 4. cap. 15. num. 28.*

num.28. Florono cap.4.§.1.num.8. quos citat Bossius sect.1. de Iubileo casu 3.num.2. qui omnes dicunt de consuetudine, & praxi seruari oppositum, Sed non video, quomodo possit subsistere hæc praxis respectu Regularium, nam certum est, illos etiam nunc habere priuilegia absoluendi à quibusdam Sedi Apostolicæ reseruatis, ex probatis quæstion. 9. & ex alia parte, vt ibidem demonstraui, eisdem est expresse prohibitum absoluere à reseruatis inferioribus Prælatis, ergo saltem tacitè videtur reprobata dicta praxis; neque huic rationi respondet Bossius, quamuis dicat eam non obstare, non ostendendo obstantiam.

Quæres 20. An possint absoluere aduenas à casibus reseruatis à suis Episcopis?

26 Respond. Possunt, modò non sint etiam reseruati ab Episcopo Confessori. Probatur. Tum quia pœnitens dum confitetur fit eo tempore subditus Episcopi Confessarij quò ad hoc Sacramentum, nam aliàs Confessarius non esset illius competens Iudex, si pœnitens illius non esset subditus, quia Iudex non potest soluere, aut ligare non subditum, *capit. Quod autem 4. & capit. Omnis 2. de pœnitent. capit. Ad audientiam, de Consuet. cap. Nullus de Peroch.* ergo more aliorum subditorum Episcopi Confessoris iudicandus est, ac proinde absoluendus à quibuscumque reseruatis, modò non sint reseruata etiam ab Episcopo loci, vbi fit confessio. Tum quia reseruatio afficit directè ipsum Confessarium, est enim reseruatio ablatio facultatis absoluendi à certis peccatis, & censuris, & in consequentiam ipsum pœnitentem; vnde reseruatio ligare non dicitur pœnitentem, nisi in quantum priùs ligat manus Confessarij, consequens enim esse non potest, quatenùs tale, sine suo antecedente, antecedente siquidem destructo tollitur consequens, *l.1. §.Huius rei, ff. de Offic.eius, Barbosa lit.A.num.90.* Sed in casu nostro reseruatio abest respectu confessarij, vt notum est, ergo & censetur destructa in pœnitente. Tum quia confessarius in absoluendo vtitur facultate sibi facta à suo Episcopo, secundùm quam pœnitens, vt illius subditus, & non sui Ordinarij, absoluitur, ergo omninò absoluendus, quia quatenùs subditus Episcopi confessarij nulla afficitur reseruatione, cùm tunc non sit subditus formaliter Ordinarij reseruantis, nisi materialiter. Tum quia Iudex debet iudicare secundùm leges loci, vbi habet forum. Hanc tenent *Henr.lib.6.cap.14. §.8. liter.R. Reginald. lib.8. num.69. Bonac.quæst.7. de pœnitent.p.5. §.2. num.9. apud Floronum cap.3.§.4. num.3. §.* Tenet tamen, quos sequitur §. aut non potest, cum eâ limitatione, modò commodè non possit remitti ad suum Ordinarium, eos sequitur *Diana resol.103.de Sacrament.* de confessario Seculari, sed non est necessaria ista remissio, cùm verè possit tunc ab illo absolui.

Quæres 21. An Nouitij, & alij collegialiter viuentes cum Professis Regularibus teneantur casibus Episcopalibus?

27 Respond. Non tenentur, sed subiecti sunt casibus Regularibus. Probaui id pluribus in meo tractatu de professione *Regular.cap.4.quæst.52.* Vide Dianam *res.110. vbi pro me citat. Layman lib.4. tractat.5. cap.6. num.4. Cordubam quæst.3. Vecchium disp.9.dub.26.num.2.* contra verò citat quamplures, & subdit ex Peyrino *tom.2. ad Constitut.10. Vrban.VIII.§.61.num.9.* Paulum V. Viuæ vocis Oraculo 7. August. 1609. dixisse, posse Prælatos Regulares suis casibus subiicere Nouitios, & hoc refert etiam Congregatio Sanctæ Mariæ Fuliensis Titul. Casum reseruat. §.4. Subiungit idem Diana Vrbanum VIII. tulisse omnia Viuæ vocis Oracula, quasi velit inferre, hoc subsistere non posse; sed ego probaui *resol.31.q.2.* huiusmodi subsistere, quæ sunt fauore Prælatorum contra subditos.

Quæres 22. An Tertiariæ habentes requisita in Decreto Sacræ Congregationis iuxta ea, quæ retuli *resolut. 3.quæst.4.§. Quartò,* exemptæ sint à casibus Episcopalibus?

Resp. Sic, quod probaui loco citato. 28

Quæres 23. An Confessarij Tertij Ordinis olim habuerint priuilegia absoluendi à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, & Episcopis?

Respond. Non inueni speciale priuilegium circà 29
hoc; immò Sixtus IV. Constitut. *Sedes Apostolica,* Dat. 29. Nouembris 1471. concedendo illis facultatem excipiendi confessiones Secularium, expresse prohibuit, nè absoluerent à casibus Episcopalibus. Quare nullum proprium habent priuilegium absoluendi à reseruatis Sedi Apostolicæ, vel Episcopis, quanquam ex alio capite per communicationem priuilegiorum concessorum, seu concedendorum aliorum Mendicantium, vel non Mendicantium, intelliguntur aliàs habuisse huiusmodi facultatem absoluendi à reseruatis tam Sedi Apostolicæ, quàm Episcopis, nunc quibuscumque sublatam, iuxta ea, quæ diximus supra hîc *q.9.*

Quæres 24. An mortuo Conditore casuum reseruatorum, possint Confessarij absoluere ab illis? Et procedit difficultas tam de casibus à iure, id est in Conciliis, & Synodis reseruatis, quàm ab homine?

Respond. Non possunt absoluere à casibus reseruatis 30
in Conciliis, seu Synodis, quia in his ordinantur ea, quæ perpetuò durare debent. Vtique verò à casibus ab homine latis, probatur, quia facta ab homine, vt ab homine spirant per eius mortem, *l.fin.ff.de pœnis,* vbi dicitur, quòd interdictum non durat vltra mortem interdicentis, *& l.1.D.de postul. habetur,* quòd præceptum Superioris non extenditur præter mortem præcipientis, *Doct.in l.Imperium, in l.More, ff. de iurisdict. omn. Iudic. dicunt cum Sebastiano Medices part.2.libelli,* Mors omnia soluit, *consil.59.* quòd iurisdictio soluitur morte ius dicentis; & Canonistæ in *cap. A nobis 21 de sentent.excommunicat.* asserunt, & probant, acta vt ab homine spirare morte concedentis, & colligitur ex *cap.Gratum 20.cap.Licet 30.de offic.Delegat. capit.final. de offic. Legati, iuncta glossa versic. Expiret, & in cap. In literis 9.de offic.Delegat. versic. Officio suo.* Estque lata differentia inter Legem, cuius acta dicuntur à iure, eo quòd in corpore iuris registrantur, perpetuò valitura, & mandatum, seu præceptum, cuius acta dicuntur ab homine, quandoque in iuris corpore registrata, non ad perpetuitatem, sed ad memoriam; Lex ergo semper durat, cùm semper loquatur, *l.Ariani, C.de Heretic.* Præceptum autem spirat cum morte præcipientis, cùm ab eius viua iurisdictione, & voce pendeat, *Silu. versic. Clandatum quæst.3. & ex eo Sanch.lib.7. disput.2. num.13. & ex his Nald. versic. Lex num.2. Sair. lib.1. cap.7. num. 12. & alij communiter;* Scio quandoque confundi hos terminos, Lex, Præceptum, & Decretum, vt colligitur ex Constitut. Sixti V. *Nuper siquidem,* illis verbis: *Vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet, inuiolabilioer obseruentur.* Quo nomine, *Præcepta,* veniunt duæ Bullæ, vna Pij Quinti, & altera Greg. XIII. Ita Trimarchus ex Minimis *de solicit. disput.4. num. 23.* Sed in subiecta materia in dictis Bullis inserta accipitur pro Lege, & Ordinatione perpetuò valitura, in casu autem nostro accipitur precisè pro eâ ordinatione, quæ durat, hominis ordinantis vita durante.

Sed præfati casus sunt ab homine, siquidem huius generis reseruatio dignoscitur per huiusmodi verba, *Nobis reseruamus.* Quæ formaliter, & in terminis habentur in Tabella data Mediolani ex Synodali Sess. die 23. Aprilis 1627. sub Federico Archiepiscopo Cardinali Borromæo verè Sanctæ Memoriæ, ad verbum renouata ab eius Successore Archiepiscopo Cardinali Montio non inferioris notæ vitâ, & regimine; ergo per illius mortem cessauit reseruatio.

Hanc responsionem communiter tenent cum *Graff. pr. libro primo, cap.secundo, numer. nono, & cap.quarto, regul. 11. Victorell.ad cap.septimum, Possevin. de Offic. Curat, numero 48. §. Mortuo, vbi præter Graffium allegatum citat Medinam libro primo cap. decimo sui instruct.*

Sà

Sà verſic. Abſolutio num. 20. alios citat Floron. part. 1. c. 4. §. 8. num 5.

Obiicies primò, Quia in dicta Tabella habetur ſequens cauſula: *Hanc autem anniuerſariam caſuum reſeruationem, promulgationemque etiam poſt hunc annũ, tadiu robur, ac vim habere ſtatuimus, quò ad altera promulgatio proximè fiat.* Quæ ſine dubio dicitur perpetuare factam ab homine reſeruationem, à ſimili de proceſſibus Bullæ Cœnæ Domini, qui durant, quouſque alij Publicentur; ſed poſt eius mortem nulla facta fuit illorum, aut aliorum caſuum reſeruatio, ergo adhuc durat vetus.

Reſpon. Illam clauſulam non ſe extendere vltrà mortem reſeruantis, ſed intelligendam eſſe reſpectiuè ad annualem promulgationem ab eodem faciendam, nam accidere poteſt, quòd promulgatio, quæ ineunte menſe Ianuario agenda eſt, non ſtatim fiat, ſed interponantur aliquot dies, ex qua tamen interpoſitione non ceſſat reſeruatio, ſed continuatur, donec proximè renouetur, & verbum. *proximè*, id ſatis declarat. Et confirmatur, quòd iſta prorogatio referatur ad vitam ipſius reſeruantis, quia per illud verbum, *ſtatuimus*, lex non non indicitur, ſed factum ab homine ordinatur, & ſicut tollitur hæc ordinatio morte ſtatuentis, ita & ceſſat prorogatio reſeruationis, quæ ab ea pẽdet, Deinde ſi perpetuò durarent etiam poſt mortem Archiepiſcopi, iã non eſſent caſus ab homine, ſed à iure. Nec eſt ſimile de proceſſibus Bullæ Cœnæ Domini, in quibus dicitur, quòd debent durare quouſque alij huiuſmodi proceſſus ab ipſo Conditore, aut alio Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, quia in dicta Tabella non fit mentio de Succeſſore.

Obijcies ſecundò, quia poſt eius mortem ſingulis annis in Calendario admoniti fuerunt Parochi, vt promulgarent ſuis Populis caſuum reſeruationem, & de alijs non poteſt eſſe ſermo, quàm de antedictis, ergo adhuc intelliguntur reſeruati.

Reſpond. Quòd huiuſmodi promulgatio legalis non eſt, ſed ſimplex admonitio, qua Parochi ſuas oues inſtruunt in cognitione caſuũ reſeruatorum, vt eos mente teneant ad fugam, & ſi caſu inciderint, ſciant ad quos debeant accedere pro abſolutione, in qua monitione abſtrahunt ab eorum exiſtentia, quàm illis conferre non poſſunt, ſi non exiſtant, cum non ſint Legiſlatores.

Obijcies tertiò, quia Vicarius Generalis, Sede vacante, reuocauit omnes licentias, aliàs tempore peſtilentiæ conceſſas pro caſibus reſeruatis, & renouauit omnia edicta, & ordinationes factas à mortuo Archiepiſcopo, ergo & renouauit reſeruationem caſuum.

Reſpond. In eo edicto ſermonem eſſe de licentiis caſuum reſeruatorum à iure, non ab homine, cum ex probatis nulla extet reſeruatio, neque ſuper illam cadere poteſt reſeruatio licentiarum, cùm non entis nullæ ſint qualitates, & paſſiones, ex vulgatis iuribus, ridiculum enim eſt, reuocare, quod non eſt, cùm reuocatio terminetur ad aliquid exiſtens, & non ad id, quod non eſt. Et quamuis renouata fuerint omnia præmortui edicta, tamen renouata non fuit caſuum reſeruatiò, quia de illis nulla mentio facta fuit, quod neceſſarium fuiſſet; tum quia, vt apertè colligitur ex diſcurſu edicti, confirmata fuerunt ſolùm ea edicta, quæ concernunt temporalia ſpectantia ad titulum de vita, & moribus Clericorum.

Patet ergo ex his, caſuum ab homine reſeruationem poſt mortem Conditoris ceſſare, & hoc in genere certiſſimum eſt, & etiam in ſpecie caſus noſtri iam reſoluti.

Quæres vigeſimoquintò, An quotieſcumque Epiſcopi reſeruant ſibi aliquos caſus ab homine, inter quos reponunt alios in ſuis Synodis, ſeu Conciliis reſeruatos, cenſeantur reliqui in ijſdem iuribus Synodalibus, vel Conciliaribus regiſtratis ſublati, & non reſeruati? *Comitolus libro primo reſponſionum moral. quæſtione vigeſimaquinta, Homobon. de caſibus reſeruatis capit. tertio, §. Quorum caſuum, quos citat, & ſequitur Floronus c. 4. §. VIII. n. 4. aiunt,* quòd quando Superior aliquot caſus ſibi reſeruat in Tabella, ſeu ab homine, alios à iure, ſeu in Synodis reſeruatos excludi, ſeu ceſſare quo ad reſeruationem, quia incluſio vnius eſt excluſio aliorum, *capit. Nonne, de præſumption.*

Reſpond. Ex reſeruatione facta ab homine nequaquam excluduntur caſus alij a iure reſeruati in Concilijs, ſeu Synodis, niſi Legiſlator illos expreſsè reijciat. Suadetur, quia nulla ſufficiens ratio ad hoc aſſignari poteſt, ſiquidem illæ ordinationes, quas Legiſlator vt homo facit, nullam habent efficaciam ex ſe deſtruendi iam facta ab eodem, vel Prædeceſſoribus, vt à iure, ergo adhuc intacta remanent. Quod ſi aliquis caſus regiſtratus in Synodo, ſeu Concilio transferatur ad caſus ab homine, & inter illos connumeretur, vt fecit Eminentiſſimus Cardinalis Borromæus die duodecima Aprilis 1606. qui caſum inceſtus cognationis in primo, & ſecundo gradu ex Concilio Prouinciali tranſtulit in caſus ab homine, illi coniungendo cognationem ſpiritualem; puto in hoc euentu, huiuſmodi caſum, vt à iure, omninò ceſſare, & euadere caſum ab homine, quia Superior poterat efficere inceſtum ſecundum cognationem ſpiritualem caſum, abſque eo, quòd eam coniungeret cum cognatione carnali, ergo inceſtum ſecundùm cognationem reponendo cum caſibus ab homine, voluit illam recipere conditionem caſuum ab homine, & ſic per eius mortem ceſſare. Et ſi ita intelligant ſupradicti Doctores, benè loquuntur, aliter non ſunt audiendi, cùm rationem ſufficientem non adducant; & cùm alij ſint caſus ab homine, alij à iure, non video, quare ex conditione caſuum ab homine, ceſſent caſus à iure, neque enim Leges, & Decreta Synodorum, & Conciliorum ceſſant, niſi Superior per ſuum Decretum, adhibitis requiſitis, faciat ea ceſſare. 31

Beia part. 4. caſu 16. §. Extat tandem, refert Clement. VIII. antequam conſideret Decretum de caſibus reſeruandis ab omnibus Superioribus Regularibus, feciſſe ſibi, & Sacræ Congregationi præſentari in ſchedula omnes caſus reſeruatos per Regulas, aut Conſtitutiones, ſeu Conſuetudines cuiuſlibet Religionis, quibus viſis in dicto Decreto præſcripſit quoſdam reſeruandos, & alios de conſilio, & conſenſu totius Capituli Generalis pro tota Religione, ſeu Capituli Prouincialis pro vna quaque Prouincia, iuxta quod dicam *Reſolut. 37. num. 6.* Ex quo ſufficienter colligi poteſt, alios caſus, quos Religio vnaquæque habebat in ſuis Regulis, aut Statutis, iam extinctos eſſe, & nullius eſſe valoris, ab illiſque poſſe ſimplices Confeſſarios abſoluere.

Quæres 26. An Confeſſarij Regulares extra Italiam hiſce temporibus poſſint abſoluere à caſibus Sedi Apoſtolicæ, & Ordinarijs reſeruatis? Nam Decreta Clementis VIII. de quibus dixi ſupra quæſtione nona, afficit Confeſſarios ſolùm intra Italiam exiſtentes.

Reſpond. Non poſſunt, quia Sacra Congregatio eos pares fecit cum Italis, vt conſtat ex ſequenti Decreto ſubiecti tenoris. 32

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentin. obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſoluendi à caſibus Ordinario loci reſeruatis: Quemadmodum nec indulta abſoluendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſueuit, vtpote ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, ac robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus Priuilegiorũ confirmationibus; ac proinde Regulares cuiuſuis Ordinis, Cõgregationis, Societatis, & Inſtituti, etiã neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiã in vim Priuilegiorũ, 33

aut Confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis: Ac si secùs egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore; ab alijs verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siquidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse, iisdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis, iussu Sanctæ Memoriæ Clement. VIII. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari, Romæ 17. Nouembr. 1628.

Hinc aduerte, cautè legendos esse Compendiatores priuilegiorum, asserentes extra Italiam confessarios Regulares posse absoluere à quibuscomque reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini, & à casibus, & censuris reseruatis Ordinariis, quia esto benè dixerint pro eo tempore, nunc tamen post præscriptum Decretum eorum assertiones nullæ sunt, & isti sunt *Cruz lib. 2. de statu Regul. c. 6. dub. 6. & 7. concl. 3. Rodr. apud Portell. vers. Abbas n. 12. & vers. Confessor num. 22. §. At sicut, Compend. eosdem citans resolut. 3. n. 35.* & quamplures alij, qui scripserunt ante dictum Decretum.

Quæres 27. An stando in iure communi, & secluso priuilegio confessarij Regulares olim potuerint absoluere à casibus, quos Ordinarij locorum extra ius commune sibi solebant reseruare: Duæ sunt opiniones, vna negatiua, quam sequuntur *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. §. Vtrum verò, S. Anton. p. 3. c. 11. §. Sed, Nauar. c. 27. n. 266. Finell. c. 3. n. 5. quos pro se citat Floren. p. 1. c. 1. §. 1. n. 6. §. Quid igitur, ea ratione deducta ex Extrau. com. incip. Super cathedram, de Sepulturis,* quam cassatam à Benedicto XI. in sua incip. Inter cunctas, de priuileg. renouauit eisdem verbis Clement. V. incip. Dudum, de Sepult. quia Papa se declarat, non concedere ampliorem facultatem absoluendi confessariis Regularibus, quàm habeant Curati; sed isti non possunt absoluere à reseruatis Episcopi siue expressis in iure, siue extra, *c. 2. de pœnit. in 6. vbi glossa, & in dictis Extrau. Clem. vers. concessa, & gloss. vers. A iure Extrau. Super cathedram*; ergò neque Religiosi, qui tunc temporis nullum habebant priuilegium. Altera opinio affirmatiua erat *Silu. vers. Confessor 2. n. 5. §. Secunda opinio, vbi plures pro se citat, quem sequitur Cruz lib. 2. c. 6. dub. 7. concl. 2. vbi citat Armillam versic. Absolutio n. 25. Tabienam vers. Dispensatio §. 13. cum alijs*; horum ratio fuit, quia confessariis Regularibus in Clement. Dudum, datur facultas absoluendi à casibus reseruatis Episcopis extra ius commune, eo modo, quo conceditur Curatis, qui ab illis possunt absoluere.

34 Resp. Regulares Confessarij olim tempore Benedicti XI. habebant facultatem absoluendi à casibus extra ius commune reseruatis Episcopis; non autem tempore Bonifacij VIII. qui fuit antè Benedictum, neque tempore Clem. V. qui renouando sub eisdem verbis Extrauagantem Bonifacij, cassauit eam Benedicti. Curati autem nunquam habuerunt facultatem de iure communi absoluendi à reseruatis quibuscumque.

Primùm, quòd Regulares potuerint absoluere à reseruatis extra ius commune apertè colligitur ex Extr. *Inter cunctas*, de priu. ibi: *Per hoc autem non intendimus, quod sæpè dicti Fratres, qui ad hoc eligentur officium exercendum plus habeant in audiendis confessionibus, & pœnitentiis iniungendis, quàm Parochiales Sacerdotes noscuntur habere; sicque de casibus Episcopis, & Superioribus, quos inferiùs annotamus, ac Sedi Apostolicæ reseruatis se nullatenus intromittant.* Si ergò non possunt se intromittere in casibus notatis in dicta Extrauaganti, ergò in aliis; exclusio enim vnius est inclusio alterius.

Secundùm, quòd non potuerint temporibus Bonifacij, & deinceps post Clem. V. probatum fuit per argumentum fauore primæ opinionis.

Tertiùm, quòd Curati non possint iure communi absoluere à quibuiuis reseruatis, colligitur apertè *ex cap. 2. de pœnit. in 6.* & glossis suprà citatis pro prima opinione.

Quæres 28. An confessarij Regulares, seu etiam Seculares approbati à magnis Prælatis habeant facultatem absoluendi quoscumque ad se accedentes, etiam à casibus reseruatis Episcopo, in cuius Diœcesi est Ecclesia exempta.

Respond. Vtrumque possunt, vt probaui *resolut. 36.* 35
quæst. 37.

Quæres 29. An confessarij Regulares virtute suorum priuilegiorum modò absoluere possint à casibus Papæ, & Episcopis reseruatis?

In quæsito supponitur Regulares confessarios habere priuilegia absoluendi à reseruatis tum Papæ, tum Episcopis, quòd explorandum est, vt proposita difficultas suo nitatur fundamento.

In primis *Rodrig. tom. 1. q. 61. art. 3.* refert nonnulla 36
huiusmodi priuilegia, quorum primum à Sixto IV. concessum fuit Fratribus Ordinis Prædicatorum in regnis Castellæ, & Legionis absoluendi *ab omnibus, & singulis peccatis excessibus, & delictis per eosdem commissis, ac confessis, necnon excommunicationum sententiis, & pœnis, & in singulos Fideles prædictos in genere vel in specie ordinaria authoritate latis, de quibus ipsi Fideles se absolui petierint; dummodò talia non sint, propter quæ Sedes Apostolica meritò sit consulenda.* Per quæ extrema verba à priuilegio excipiuntur casus Bullæ Cœnæ Domini, propter quos potissimum semper consulenda est Sedes Apostolica, casus enim in ea contenti sunt grauissimi, & magnæ considerationis.

Idem Sixtus confessariis Ordinis Minorum priuilegium concessit absoluendi *ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, ac super quacumque irregularitate ordinario tam à iure, quam ab homine reseruatis, &c.* Sed dubitatur, an hoc priuilegium sit pro secularibus, an tantùm pro Fratribus, quòd puto verius.

Leo X. *apud Confect. Bulla 9. fol.* 144. Confessariis Minimorum concessit priuilegium, vt seculares *à quibuscumque casibus etiam Apostolicæ Sedi, reseruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, absoluere possint.* Quod confirmauit, & extendit ad confessarios quarumlibet domuum eiusdem Ordinis Clem. VII. Bulla 2. apud Confect. resol. 171. nam illud Leonis X. concessum fuerat solùm confessariis Domus Trinitatis Vrbis.

Demum Paulus III. *in sua 3. apud Confect. fol.* 184. priuilegium concessit Confessariis Societatis Iesu absoluendi *ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibuscumque ex ipsis casibus resultantibus sententiis censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi. Necnon vota quæcumque per eos pro tempore emissa, vltramarinis, visitationis liminum beatorum Petri & Pauli Apostolorum de vrbe, ac S. Iacobus in Compostella, necnon Religionis, & Castitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi.* Hoc est potissimum, & amplissimum priuilegium, quòd cæteri Religiosi communicant ex vi generalis communicationis priuilegiorum.

Modò videndum est, an nostris temporibus huiusmodi priuilegia suffragentur confessariis Regularibus fauore secularium pœnitentium, pro quibus olim concessa fuerant, ad quòd.

Respondendum est, ea priuilegia, & quæcumque 37
alia absolutionem à reseruatis respicientia modò nullatenus suffragari, sed omninò esse reuocata, cassa, & irrita, nec reuixisse per confirmationem priuilegiorum post reuocationem factam. Illorum autem reuocatio facta fuit per tres summos Pontifices, Gregorium XIII. Clementem, & Vrbanum VIII. Sacra Congregatione de illorum mandato, & approbatione agente.

Gregorius XIII. decretum à Sacra Congregatione factum, quo decernitur, ex facultatibus per Mare magnum, aliave priuilegia regularibus concessa, factam eis

eis non esse potestatem absoluendi à casibus sibi ab Episcopo reseruatis approbauit. Referente Sorbo 11. Casus reseruati. Reuera si bene consideretur tenor supradictorum priuilegiorum planè constat, Papam in eorum concessione nullam fecisse mentionem de casibus Episcopalibus, nam rationes, quæ afferuntur fauore regularium non multum vrgent. siquidem quòd maiore concesso intelligatur quoque con-
38 cessum quod minus est, non semper verificatur, quia hæc regula locum non habet, quando minus prohibetur, *Gloss.in cap.1.de torneam.* & 11. *Definitor.Clem. 2. de reb. Eccles.non alien.* Certum autem est absolutionem à reseruatis prohiberi, aliter reseruatio non esset. Nec quando minus est separabile à maiori, & sub eo non continetur, *Bonacin.p.7. de vete, §.3. num.10.* Non enim Papa concedendo priuilegium de suo, intendit aliis præiudicare in iurisdictione, quia si vnicuique non seruatur propria iurisdictio, confunditur ordo, *cap.Peruenit 39.11. quæst.1.* Papa autem nullius ordinem confundit; imò vt Pater vniuersalis inter omnes pacem, concordiam, & ordinem conseruare semper procurat. Quare in his dictio *Etiam* super quam Doctores vim faciunt, accipitur restrictiuè, non ampliatiuè. Dicunt nonnulli protegentes priuilegia huiusmodi, non constare de eâ declaratione, sed hoc est effugium, nam potuissent se certificare procurando illius authenticam; ego puto eam esse veram & realem, quia est conformis aliæ responsioni in eadem materia datæ sub Vrbano VIII. vt infrà patebit in relatione illius decreti. Dictum effugium producit Quintanaduenas *tractat.3.singul.14.n.5.*

39 Clemens VIII. mandauit duo edi decreta à S C. pro reuocatione quorumcumque priuilegiorum absoluendi à reseruatis quibuscumque concessorum siue ipsis regularibus immediatè, siue aliorum ad instantiam, & etiam secularibus. Reuocata ergo fuerunt die 9. Ianuarij 1601. per primum decretum, & die 26. Nouembris 1602. per secundum primi declaratiuum, & moderatiuum, omnia, & quæcumque priuilegia concessa quibuscumque siue Regularibus, siue Secularibus, extra Vrbem per totam Italiam, nulla factâ mentione de insulis adiacentibus absoluendi seculares à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, & ab aliis sex, quorum *primus* est violatio immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis Gregorij XIV. incip. *Cum alias* 7. in B.N. *Secundus*, violatio clausuræ Monialium ad malum finem. *Tertius*, prouocatio in duello iuxta Decretum Tridentini *sess.25.cap.19.* & Constitutionem Gregorij XIII. incip. *Ad tollendum* 78. extendentis Decretum Concilij ad duella priuata. *Quartus*, simonia realis scienter contracta, & confidentia beneficialis. *Quintus*, iniectio manuum violentarum in Clericos iuxta Canonem: *Si quis suadente 29.12.quæst.4.ac iuris dispositionem*, nempè grauis, siue enormis, iuxta quod disponitur in diuersis capitibus *tit. de sentent. excomm.* *Sextus* demum sunt casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, & in posterum reseruabunt. Priuilegia ergo absoluendi à reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, & ab aliis quinque, & sexto reseruatis Episcopis omninò reuocata fuerunt, ab eo quod attentata absolutio virtute priuilegiorum est ipso iure nulla, & inualida, vt dicitur in eisdem decretis. Quod ad verò reliquos casus Papales priuilegia non fuerunt reuocata, sed Papa voluit in suo robore permansura. Vtrumque decretum referunt *Quaranta* n. *Casus reseruati*, *Miranda tom.1. q.46. art.2.* Donatus Dominicanæ Religionis splendor in suo nouissimo opere inser. *Rerum Regular.* &c. *part.3. tract.11.q.17.*

40 Paulus V. nonnullis dubitantibus, an sub dictis decretis Clementis VIII. prohibentibus absolutionem à casibus reseruatis Papalibus, & Episcopalibus comprehenderentur excommunicationes Sedi Apostolicæ, vel locorum Ordinariis reseruatæ? occurrere volens, respondit per suum Decretum incip. *Quoniam* comprehendi, confirmando, & innouando prædicta decreta Clementis, explicando sub reseruatione includi etiam excommunicationes, & casus Papales, & Episcopales tam deductos ad forum contentiosum, quàm non deductos. Decretum hoc extensum habes apud *Tambur. tom.2.disp.13.q.13.num.4. Donatum ea part.3.tract 11 q.1. num.3.*

Vrbanus demum VIII. prætendentibus nonnullis 41
regularibus per confirmationes suorum priuilegiorum factas post Tridentinum; & post reuocationem dictorum priuilegiorum absoluendi à reseruatis productas per subsequentes Pontifices, reuixisse sua priuilegia absoluendi à reseruatis, per Patres respondit sub die 17. Nouembris 1628. suo decreto incip. *Sacra Congregatio censuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si qua habebant absoluendi à casibus ordinario loci reseruatis. Quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vtpotè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem vires aut robur acquisiuisse ex subsequentibus priuilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti etiam necessariò exprimendi nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quæ vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis. Ac si secus egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse, & fore. Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siquidem Regulares habent à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse, iisdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis iussu sanctissimæ memoriæ Clementis VIII. Quam S.C. sententiam sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque obseruari.* Hanc extensam habes apud Synodos Comeusem, & Cremonensem, pariter apud *Donatum part.3. tract.11. quæst.17.num.6. Cespedem dub.142. num.12. apud me resol.6.q.9.num.10. Lezanam part.1.cap.19.n.16. Quintanad. tract.3.singul.15.*

Colligitur euidenter allatis decretis, sublata omnino esse priuilegia Regularium absoluendi seculares à casibus Bullæ Cœnæ, & ab illis quinque eidem Sedi reseruatis, atque à casibus ordinario loci reseruatis, non ab aliis verò casibus Papalibus extra Bullam, & illos quinque, adhuc absoluere possunt, quia priuilegia quo ad hoc non fuit reuocata, imò Clemens VIII. vult ea in suo robore permanere ibi: *Illis aliàs in suo robore permansura.* Nec Vrbani VIII. ea verba: *Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siquidem Regulares habent à Sede Apostolica absoluendi facultatem illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem S.C. decretis.* Nouam inducunt reuocationem contra Italos, sed solum per ea declaratur, existentibus extra Italiam non esse sublatam facultatem absoluendi ab illis quinque casibus, de quibus in decreto Clem. VIII. secundo, sicuti ablata est Italis, de quibus tantum loquitur præfatum decretum. Confirmatur id, quia si per decretum Vrbani Regulares non possent absoluere ab aliis reseruatis extra Bullam, & illos quinque, iam decreta Clementis VIII. in reuocatione includerent priuilegia quo ad alios casus, quod constat esse falsum, cum hæc velit permanere in suo robore, & cum illud Vrbani sit alterius Clementis declaratiuum non amplius disponit, quam ipsum eiusdem Clementis, qui non reuocat priuilegia quo ad alios casus Papales. Extra Italiam ergo poterunt absoluere à Papalibus non in Bulla, si quam habent facultatem.

Non solum Regularibus, sed quibuscumque etiam aliis 42
Confessariis, & Confraternitatibus, priuilegia, quibus olim Confratres electione Confessarij absoluebantur à reseruatis Papæ, & Episcopo, sublata fuerunt, vt apertè constat

constat ex primo decreto Clementis illis verbis: *Vel Societatibus*, *aut Archiconfraternitatibus secularium.* A fortiori eadem priuilegia sublata sunt respectu aliarum Confraternitatum Rosarij, Suffragij, S. Francisci, &c. quæ semper alicui Archiconfraternitati sunt aggregatæ, nam Archiconfraternitates ea solùm priuilegia communicant aliis sibi aggregatis, quæ habent, non quibus carent. *Ita Moronus Resp. 76. numer.* 89.

Positis ergo his decretis adhuc subsistentibus nullatenùs reuocatis per subsequentes priuilegiorum confirmationes, vt patet ex decreto Vrbani, & infrà magis constabit certissima est sententia, quod modo nullus Confessarius, siue Secularis, siue Regularis, vel ex se; vel ex electione potest absoluere seculares à casibus Papalibus, aut Episcopalibus, iuxta superius dicta, ita quod præsumentes absoluere incurrunt Excommunicationem, & priuationem Officiorum, & dignitatum, aut Beneficiorum, cùm inhabilitate ad quæcumque Officia, Prælaturas, & beneficia in posterum obtinenda ipso facto incurrenda absque vlla alia declaratione incurrenda, vt apertè dicitur in vtroque decreto Clementis, cùm nullitate attentatarum absolutionum, omnibus reseruatis Sedi Apostolicæ.

43 Docent hanc sententiam nouissimè *Donatus part.3. tract.11.quæst.17. Lezana part.1. cap.19. num.16.& 17. & part.3.11. Casus reseruati, num.4. Cespedes de exempt. Regul. dub. 142. vbi num.6. & 10.* loquitur etiam de casibus iure Episcopis reseruatis. *Diana part. 1. tractat.17. resolut.30. & tractat.2.part 3. resolut.13.* prohibitionem restringendo ad casus ab homine, §. *Nota quarto. Auersa quæst.17.de Pœnit.sect.6. §.Omnino, & seq.* Qui videtur stare cum *Diana §. Admitti*, *Floronus part. 1. de casib. capit. 4. §. 7. numer. 18. & 19. Portellus 11. Confessor. numer.22. §. At sicut. Compend. cum suo Auctore resolut. 3. numer.35. §. Aduerte*, *Miranda tom.1.quæst.46.art.2. §.Sed contrariam*, & extremis verbis eiusdem articuli Peyrinus licet acerrimus propugnator Priuilegiorum *de Subd. quæst.1. cap.21. §.1.* ait non posse absoluere à casibus Episcopalibus, siue iure, siue ab homine reseruatis. *Pellizar. tractat.6. cap.2. sect. 2. quæst.4. num.59. & tractat. 8. cap.3. quæst.4. numer.83. Compend.Theatin. 11. Absolutio quo ad seculares, vide Barbosam ad sess.14.cap.7. vbi sub num.20.* citat vndecim Doctores, idem negat respectu quorumcumque casuum siue à iure, siue ab homine reseruatorum Episcopis, *Mazuchellus disput. 1. de casib. reseru. quæst.3. diffic. 7.*

44 Et ita sentio ego, nimirum nullum Confessarium etiam regularem posse absoluere à casibus Bullæ, quod clarum est, neque ab illis quinque expressis in secundo decreto reseruatis adhuc Sedi Apostolicæ; neque à casibus quouis modo reseruatis ordinariis locorum, siue à iure communi, vel speciali Synodorum, aut Conciliorum, vel consuetudine, vel ab homine. Ratio vniuersalis est, quia alio medio non possunt absoluere à reseruatis, nisi priuilegio aliquo muniti, cuius virtute absoluunt; sed modo confessarij carent illis priuilegiis, vt visum fuit superius, ergo nullatenùs possunt absoluere à reseruatis.

45 Hoc argumentum facit respectu cuiuslibet modi reseruandi, siue à iure, siue à consuetudine, siue ab homine, licet nullus dubitet quod ad reseruationem ab homine, ideo de reliquis modis probandum est. *Primò* ex fine reseruationis, nam eius finis est, vt Christi fideles à grauioribus culpis se abstineant, eos enim reseruatio coërcet, & retrahit à peccatis, considerantes se pro eorum absolutione accedendum esse non ad quemlibet Confessarium indifferenter, sed ad maiores, quorum accessum formidantes non ita facilè in peccata labuntur, & id deducitur *ex cap.7. sess.14.* Sed talis finis non solum in reseruatione ab homine, sed etiam à iure militat, ergo supradicta decreta reuocantia priuilegia absoluendi à reseruatis, referuntur æque ad quamlibet reseruationem, nam à fine intelligitur mens Legislatoris, & ab eo interpretatio legis ampliatur, & restringitur ex *l. cum pater 79. §. Dulcissimis, ff. de legat. 2. Secundò* ex præiudicio, quod per ea priuilegia inferebatur ordinariis locorum, quorum reseruatio siue ab homine, siue à iure reddebatur frustratoria, inutilis, & vana, quia fideles omnes recurrebant ad confessarios priuilegiatos, & pro nihilo habebatur reseruatio, ideo per supradicta priuilegia prouisum fuit eorum indemnitati, & decori; certum autem est huiusmodi præiudicium oriri non solum respectu casuum ab homine, sed etiam casuum à iure, ideò iure merito prælibata decreta reuocarunt priuilegia respectu cuiuslibet reseruationis. *Tertiò* ab vsu non parum conuenienti confessariorum, qui indifferenter priuilegiis nimiam liberalitatem in pœnitentes exercebant, vnde priuilegiis quasi abutentes meruerunt illa perdere, *cap.Vbi ista 7. distinct.74. cap.Priuilegium 60. 11. quæst.3.* vbi glossa refert diuersos modos, quo priuilegium perditur. Sed iste abusus non solum accedere potest respectu vnius reseruationis, verum etiam respectu cuiuslibet alterius modi, cum facilitas absoluendi, ex qua nascitur abusus, vtrisque casibus sit communis, ergo priuilegia sunt cassata respectu vtriusque modi reseruandi. *Quarto*, ex terrore verborum prædictorum decretorum, nam terror vtriusque decreti Clementis sic habet: *Omnes casus, quos ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt.* In decreto vero Pauli V. sic disponitur. *A casibus locorum ordinariis in eorum Diœcesibus reseruatis.* Eadem fere verba habet illud Vrbani. *Absoluendi à casibus ordinario loci reseruatis.* Constat autem vtramque reseruationem siue à iure, siue ab homine editam, dici factam ab Episcopo, quia is est, qui non solum extra, sed etiam in Synodo dicitur condere ius reseruationis, cum ea differentia, quod extra reseruando non vtitur Consilio Capituli, quod tenetur requirere, quando in Synodo Prouinciali, aut Diœcesana vult condere legem reseruationem, non tamen tenetur illud sequi, ex responso Sacræ Congregationis refert *Gauantus de Synodo part. 3. cap. 2.* Quare cum respectu vtriusque reseruationis solus Episcopus dicatur ex officio agere, non minus dicuntur casus, quòd Episcopus sibi reseruat in Synodo, quam alij, quod extra sibi reseruat, ergo tenor illorum verborum refertur ad vtramque reseruationem.

Dices huiusmodi doctrina ex tenore verborum prædictorum decretor, accepta non potest casibus iure communi, seu consuetudine applicari, quia isti casus non dicuntur reseruati per Episcopum, vt notum est, ergo saltem respectu horum adhuc vrgent priuilegia quod ad hoc scilicet absoluendi à reseruatis iure communi, & consuetudine.

Respondetur *primo* esse communem Doctorum opinionem nullum dari casum iure communi, aut consuetudine reseruatum, *Nauar. cap.27. num.262.* cum aliis apud Arcam Vitalem *Inquisit. 1. de casibus reseruat. numero 25.* Quo supposito ruit obiectio, quia frustratoria est, & quærere an sint tales casus reseruati comprehendantur sub illis decretis, supponit eorum existentiam, nam esse secundum quod supponit esse simpliciter, si ergo de eorum existentia non constat, ineptum est quærere, an includantur sub illis decretis. *Secundo*, eisdem admissis ad minus, qui sunt iure communi reseruati, dico, comprehendi sub reseruatione, & ab illis confessariis non posse absoluere, quia loquendo de reseruatis per ius commune Episcopi dicuntur aliquo modo illos sibi reseruare ex participatione iuris, hoc ipso, quod nullus inferior Episcopo non potest absoluere ab eisdem. Præterea si vim volumus facere in verbis dictorum decretorum, præsertim Pauli, & Vrbani, constat eos esse Episcopis reseruatos, nam ea verba: *A casibus locorum ordinariis reseruatis*, sonant in fauorem Episcoporum 46

ratione

ratione reseruationis, licet non ratione editionis, sufficit ergo, quod sint casus Episcopales, siue ab ipsis editi, siue aliunde eisdem reseruentur. *Tertia* loquendo de casibus à consuetudine reseruatis ordinario, obiectio non vrget, quia ea ratione Episcopus dicitur eos sibi reseruare per vsum reseruationis de facto, quando solus absoluit, & non confessarij simplices, consuetudo enim est quid facti, & actibus inducitur, & comprobatur moribus vtentium, *Instit. de Iustitia, §. Ex non scripto*, & habet esse ex actibus iurisdictionis secundum Doctores *cum Bartolo in l. Omnes populi, ff. de iust. & iure*, consequenter huiusmodi reseruatio rectè dicitur esse facta ab Episcopo, hoc ipso, quod solus absoluit, & non inferiores Confessarij.

47 Antonius Quintanaduenas ex Societate Iesu *tract. 3. de Sacrament. Pœnit. singul. 14. ad* 18. Satis subtiliter, & nimis acutè conatur tueri priuilegia Regularium absoluendi seculares à reseruatis ac si supradicta decreta nunquam extitissent, vel reuocata fiot, aut non authentica, seu publicata aliqua illorum, Singula eius placita sunt examinanda, qualem contineant veritatem.

Primo sub singul. 14. Quærit, vtrum ex Tridentino, aliove decreto ante Vrbanum VIII. edito ablata sit confessariis potestas absoluendi à casibus Episcopo reseruatis? Respondet negatiuè loquendo de Concilio, quod non abstulit à regularibus potestatem priuilegiatam absoluendi à reseruatis, & præ se citat *Bezam part. 2. casu* 21. §. *Tandem.* Probat, quia si abstulit eam potestatem, repetitur *sub cap. 7. sess.* 14. vbi solum dicitur, quod nullius momenti est & absolutio, quam sacerdos profert in eum, in quem non habet ordinariam, nec delegatam potestatem iurisdictionis; confessarij autem regulares habent potestatem delegatam, ergo eis sublata non fuit per Tridentinum. Loquendo vero de decretis Gregorij XIII. & Clementis VIII. extremis verbis ait, cum standum sit decretum Vrbani, relata ex Clemente, Paulo V. & Gregorio intelligenda, & obseruanda sunt, iuxta illud, quod infrà proponet, & exponet.

Ad illud Concilij, quod non sustulerit priuilegia Regularibus absoluendi, respondet S. Congregat. in decreto Vrbani his verbis: *Nequaquam reuixisse priuilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata.* Hoc autem decretum ante oculos habuit iste Pater extensum in suo singul. 15. Et videtur deduci ex illis verbis: *In subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate* Præcitatæ *session. 14. cap. 7.* Nomine autem inferiorum sacerdotum veniunt confessarij etiam Regulares, quia quò ad ministrationem Sacramentorum præsertim Pœnitentiæ subduntur Episcopis respectu secularium, ex eodem *Tridentino session.* 23. *cap.* 15. *de eorum approbatione, session.* 25. *cap.* 1. de exercentibus curam animarum, in quorum confirmationem extat Bulla 18. incip. *Inscrutabili*, Gregorij XV. qui Regulares confessarii secularium subiecit omnino ordinariis locorum. Adde, quòd potestas Episcopalis reseruandi casus firmata in Tridentino *dicta sess. 14. cap. 7. & can.* 11. vbi tanquam hæretici excommunicantur negantes Episcopis hanc facultatem reseruandi sibi casus, redderetur inutilis, & multum præiudicialis eorum iurisdictioni, vt supra dictum fuit, omnes enim recurrerent ad pedes confessariorum priuilegiatorum, ac proinde pro nulla haberetur reseruatio.

Rationi, quam adducit ex Tridentino, respondetur, iurisdictionem delegatam, quâ vtuntur confessiones excipientes ex charitate esse limitatam ad peccata non reseruata, vt tota dispositio illius capitis, in quo tantum agitur de reseruatione, congruè referatur. & ne contraria inferantur, priuilegia enim absoluendi reseruationi aduersantur, non enim lex debet in se pugnantia continere.

Ad illud de decretis patet ex citatis verbis decreti Vrbani non reuixisse priuilegia absoluendi à reseruatis sublata per eadem decreta, quòd infra magis patebit.

Secundo idem Doctor *seq singul.* 15. *numer.* 3. asserit vti probabilissimum per decretum Vrbani non reuocari priuilegia regularium quò ad absolutionem secularium à reseruatis Episcopis. *Probat*, quia sicut legis, ita & priuilegij reuocatio non habet vim, nec obligat ante publicationem, cum & ipsa sit lex; sed decretum Vrbani non fuit sufficienter publicatum, nec intimatum, ergo non obligat, est enim publicandum in singulis Diœcesibus, Confirmat *primo*, quia reuocatio priuilegij concessi ciuitati, collegio, vel Religioni vt obliget debet denuntiari, & notificari eisdem. *Secundo*, quia Eminentissimus de Lugo *in suo opere de Pœnit. edito anno* 1638. de eo nullam fecit mentionem, quod signum est; illum existimasse, aut nullam vim illud decretum habere, vel quod ad eius notitiam non peruenerit, ac proinde non fuisse sufficienter promulgatum.

Contra est, quia improbabilissimum est, quod dicit Pater contra decretum Vrbani, cum eius existentia posita non possit non operari suum effectum, imò supponit aliqualem eius existentiam, ergo secundum illam debet producere eum effectum, quem Legislator intendit. Asserendum igitur est, illud sufficienter, & adæquatè fuisse publicatum, cùm de eo ferè omnes, qui scripserunt *ab anno* 1628. quo editum fuit, mentionem faciant, ideo ex hac notitia colligitur eius adæquata promulgatio in ordine ad obligandum. Quare negatur minor argumenti. *Ad primam* confirmationem, constat de illius existentia apud quam plures Doctores, & ego illud legi in Synodis Comensi, & Cremonensi, ergo fuit sufficienter notificatum, neque enim lex singulis publicanda est, *cap. 1. de postulat. Prælator.* ciuitatibus, aut Religionibus, quia promulgatio Romæ facta afficit omnes fideles, ac si singulis publicata lex fuisset, pro quâ re *Diana part. 1. tractat. 10 resolut. 8. citat* 25. *Doctores*, pro contraria verò citat tantum vndecim. *Ad secundam*, negatiua, quod Cardinalis de Lugo nullam de eo mentionem fecerit, nihil probat, quia Compositores omnia referre non tenentur, sed solum ea, quæ sibi placent, & faciunt ad institutum propositum, in eo autem opere de Pœnitentia eius fuit finis tractare magis speculatiuè, quam practicè, ideo de illo mentionem non fecit, cum ad praxim & factum spectet. Nec mentio illius facta à Doctore dat illi vim obligandi, cùm non pertineat ad illum promulgationem sed ad Legislatorem, quæ supponitur facta, hoc ipso, quòd Doctores agunt de ipso; semper enim præsumitur de existentia legis, de qua habetur notitia.

Tertio in singul. 16. asserit regularibus confessariis ante Tridentinum concessa fuisse priuilegia absoluendi à casibus Episcopo reseruatis, probando per priuilegium Pauli III. eius Societatis confessariis concessum, subdendo illud non fuisse reuocatum per illud Vrbani, cum aliis similibus concessis ante Tridentinum, & eo gaudent confessarij aliorum Ordinum. Probat *num. 3.* quia in illo tantum reuocantur priuilegia aliundè à Tridentino extincta, licet post illud confirmata fuerint, vt ex iis verbis patet: *Censuit per confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse priuilegia priùs ab eodem Concilio sublata, atque extincta absoluendi à casibus Ordinario reseruatis.* Ergo cum hæc per Tridentinum extincta non sint, vt probauimus, inquit, singul. 14. hoc decretum Vrbani, nec circa illa, nec circa illorum declarationes versatur, ac proinde nec has, nec illa reuocat, seu annullat.

nullat. Ac verò, sub *num.4.* cum post addit ibi: *Ac proinde Regulares cuiusuis Ordinis in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel in futurum obtinebunt, nec posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis.* Cum de eisdem priuilegiis, & confirmationibus sermo sit, vt ostendit particula *Eiusmodi*, quæ relatiua est præcedentium cum omnibus suis qualitatibus; si nec priuilegia; nec confirmationes illæ abrogatæ sunt per Tridentinum, nec etiam per hoc decretum abrogantur iuxtà dicta. Accedit, quod priuilegium absoluendi à reseruatis Episcopis est insertum iuri communi in Clemen. *Dudum, & Extrau. Insuper cunctas*, ergo nec per Tridentinum, nec per hoc decretum abrogatur, cum in his iuris communis expressa abrogatio non fiat; ac in generali abrogatione priuilegiorum non comprehenditur insertum iuri communi, si non fiat expressa eius mentio. Et quod Concilium non deroget priuilegiis huiusmodi citat pro se *Barbosam ad cap.7.sess.14.*

Respondetur, verum esse ante Tridentinum extitisse priuilegia absoluendi a reseruatis Episcopis, vt ego etiam initio huius opellæ insinuaui. Falsum verò dicit, ea non fuisse reuocata per præsens decretum Vrbani, in eo sensu, quod declarat ea fuisse sublata per Tridentinum, & per decreta Clementis, Gregorij XIII. & Pauli V. vt constat manifestè ex verbis eiusdem decreti, quæ prætermisit Quintanad. & sunt hæc. *Ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata.* Consultò quidem, vt suum stabiliret placitum, quod tamen destruitur per ipsummet fundamentum ab eo allatum, ibi: *Nequaquam reuixisse priuilegia ab eodem Concilio sublata.* Si non reuixerunt sublata, neque per hoc decretum intelliguntur restituta, sed omnino declarantur irrita & nulla perseuerare. Constat ergo contra hunc Doctorem decretum Vrbani versari circa illa priuilegia, & eorum declarationes, de illis enim apertissime mentionem facit non bonam, sed cum illorum destructione, illa immediatè, & directè non reuocat, quia iam sufficienter erant reuocata, obiectum enim reuocationis est quid subsistens, sed eorum irritationem declarando iam factam ostendit. Deinde videtur sibi contradicere, dicit enim initio probationis: *In illo tantum* id est decreto Vrbani, *reuocantur priuilegia aliunde à Tridentino extincta.* Paulo infrà subdit: *Hoc decretum Vrbani nec circa illa, nec circa illorum declarationes versatur, ac proinde nec has, nec illa reuocat.* Ecce contradictio, nam prius affirmat reuocationem, & postea illam negat, ergo tanquam contraria adducens audiendus non est, *Gloss.* 11. *Contraria cap.3. 23. quæst.7. cap. Solicitudinem 54. de appellat. ad finem.* Arguit à negatiua reuocatione Tridentini ad negatiuam reuocationem huius decreti, si priuilegia non reuocauit Tridentinum, nec decretum eadem annullauit. Nullius roboris est argumentum. Tum quia antecedens est falsum, apparet enim supra Tridentinum derogasse priuilegiis absoluendi à reseruatis, vt disertis verbis insinuat hoc decretum, quare ex hoc falso antecedenti non potest inferri nisi falsum consequens, nimirum negando annullationem dictorum priuilegiorum factam per huiusmodi decretum, secundum prius dicta. Tum quia ex diuersis non fit bona illatio, nam Concilium, & decretum sunt diuersa, adeo quod in arbitrio Principis est vni addere reuocationem, & non alteri.

Accedit; inquit ille, quod priuilegium absoluendi à reseruatis Episcopis est insertum iuri communi. Ego legi dictas Clemen. & Extrauagant. & oppositum collegi, nam in Clemen. sic disponitur: *Per huiusmodi autem concessionem*, id est, facultatem absoluendi pœnitentes, *nequaquam intendimus personis, seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis potestatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est à iure concessa.* Vbi gloss.11. Concessa, inquit, hoc intendit, quod non possint absoluere à casibus Episcopo reseruatis, sicut nec possunt Curati. Idem clarius dicitur *in Extrauagant.* in qua ita scribitur: *Sicque de casibus Episcopis, & Superioribus, quos inferius annotamus, ac sedi Apostolicæ reseruatis se nullatenus intromittant.* Hæc prohibitio refertur ad quoscumque casus Episcopales, cum lex non distinguat, neque nos distinguere debemus. Nec vrget clausula: *Quos inferius annotamus*, quia exprimuntur exempli gratia, & iuxta consuetudinem, id est, vsum, quo illis temporibus Episcopi solebant sibi casus illos reseruare non quòd de iure aliàs essent reseruati, cum per consuetudinem introducta fuerit eorum reseruatio; & cum nostris temporibus reseruatio contingat fieri duobus modis per Episcopos, vt dixi suprà, iure synodali, & iure hominis: neutro modo absoluere possunt ex vi iuris communis, quin facultas absoluendi à reseruatis non intelligatur concessa arguitiuè; & indirectè, hoc est, quod per negationem absolutionis à reseruatis iure, intelligatur concessa facultas absoluendi à reseruatis ab homine, cum facultas tanquam ius positiuum per actum positiuum debeat communicari, & non per prohibitiuum. Adde quod consuetudo reseruandi aliquos casus, aliud actus reseruationis, & sicut sine actibus consuetudo non incipit existere, ita neque sine illis reseruatio cum effectu inchoatur, vnde casuum reseruatio tandem absoluitur, & perficitur per actum hominis, consequenter reseruatio dicitur ab homine, cum sit extra synodum. Accedit, quod Curati, & Confessarij Regulares æquiparantur in potestate absoluendi, si ex vi iuris communis præcisè Regulares possunt absoluere à casibus, quos Episcopi sibi specialiter reseruant, ergo hoc idem dicendum est de Curatis; sed nemo id hactenus asseruit de Curatis, ergo neque hoc de Regularibus dicendum est. Rem hanc pro vtraque parte egregiè tractat *Rodriq.tom.1.quæst.61. art.2.* sequendo oppositum, quod confessariis Regularibus iure communi concedatur facultas absoluendi à reseruatis specialiter Episcopis. Quod non placet, & vlterius suadetur, quia pro nobis facit illud dictum: *Mitius agitur cum lege quam cum ministro legis. De quo Sanch.lib.3.disp.51.num.2.* infert ex gloss. quod suspensus à Canone ab Officio, non sit suspensus a beneficio, at suspensus ab homine ab Officio, eo ipso censetur etiam suspensus à beneficio. Ex quo ergo infero, cum ex hac doctrina sequatur, ministrum legis esse magis rigorosum super facto suo, vt obseruetur, quam super legem a se editam, si prohibetur resolutio à reseruatis a iure, à fortiori ab eisdem per hominem reseruatis, quia rigidior est in obseruatione huius, quam illius, eo quod etiam magis eidem ministro videtur præiudicari in absolutione a reseruatis specialiter, quam iure editis, timendum enim est magis quod specialiter prohibetur, quam quod generaliter interdicitur, *arg.cap.Quamquam. 6.dist.23.*

Ad illud, quòd non censetur derogatum priuilegio iuri communi inserto, si de eo non fiat expressa derogatio, respondetur sufficienter derogari per vtrumque decretum Clementis VIII. nam in primo *Sanctitas sua facultates, & concessiones ipsas in hac parte vti cassas, & irritas haberi voluit.* Si per hanc dispositiuam non fuisset sufficienter derogatum priuilegio iuris communis, si habetur, sed tantùm aliis extra ius commune, sequeretur, decretum hoc nullius esse roboris, quia confessarij adhuc absoluere possent à reseruatis, sicut ante faciebant virtute iuris communis, consequenter lex huius decreti esset inutilis, & ludibrio *contra cap Commissa 35.§.Porrò, de elect.in 6* non enim debet fraudari suum effectum, *ex eod.cap.* & quod vnâ via est prohibitum, alia non præsumitur concessum *Reg.84.in 6.* Ex his ergo infertur derogatum esse iuri communi, hoc ipso, quòd expressa mens Legislatoris est, quòd confessarij non absoluant à reseruatis Episcopis, ideò quòd dicunt scribentes, intelligendum 48

dum est, quando sit generalis, seu indistincta reuocatio priuilegiorum nullo specificato, in eo enim casu, non censetur derogatum speciali priuilegio iuri communi inserto, non verò cùm tale priuilegium reuocatur, per illius enim indiuiduam expressionem sufficienter dicitur sublatum, cùm illius notitiam præsumatur habere Legislator, hoc ipso quòd insertum est iuri communi; *c.1. de constit. in 6. & notat Gratian. Discept. 631. n.4.* & ipsamet dispositiua destruens illud priuilegium, vt suam vim tunc obtinet, non eget ad sui existentiam, & conseruationem noua clausula ipsius priuilegij destructiua, cùm iam annullatum sit per dispositiuam.

Demum pro se citat Barbosam *super sess. 14. cap. 7.* in meo Codice typis Venetiis excuso nihil inueni.

Quartò denique idem Pater *in sing. 17.* supponit in decreto Vrbani reuocari tantùm confirmationes priuilegiorum post Tridentinum editas, non verò nouas illorum concessiones, quòd ex illis verbis; *in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel in futurum obtinebunt.* Vbi relatiuum *quas* ad confirmationes tantùm refertur, non ad priuilegia, nec ad hæc & illas simul, alter diceret *quæ* iuxta Grammaticæ regulas. Extare autem priuilegia post Tridentinum concessa de nouo probat referendo inter alia vnum Pij V. editum *anno* 1567. confirmans omnia priuilegia, quæ & de nouo concedit ibi. *De nouo concedimus, ac si de verbo ad verbum nullo penitus omisso, &c. exprimerentur*, quæ verba indicant nouam facultatem tributam Regularibus.

49 Resp. In decreto Vrbani declarari reuocatum vtrumque & confirmationes, & priuilegia confirmata, illis eiusdem decreti verbis *censuit per confirmationes priuilegiorum nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata.* Si decretum insinuat priuilegiorum reuocationem, ergò ostendit non amplius subsistere, etsi non sunt, neque eorum confirmationes, quæ illis accedunt, consequentes vtrumque destruit non solùm confirmationes, sed etiam ipsa priuilegia. Nam *Primò* sublatâ confirmatione destruitur priuilegium, cuius dicitur esse quasi forma, & anima ad existendum, maximè quando alias priuilegium fuis reuocatum, & per nouam confirmationem specificam restituitur in pristinum esse, ergò frustratorium est dicere, remansisse priuilegia, sublatis confirmationibus. *Secundò* ex decreto habetur priuilegia reuocata nunquam reuixisse, positis quibuscumque confirmationibus, quomodò per dictum Vrbani decretum adhuc vigent. *Tertiò*, in primo decreto Clementis VIII. tolluntur priuilegia absoluendi non solùm à casibus iam reseruatis, sed etiam in posterum reseruandis, ibi; *Aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusdem successores pro tempore in eadem Bulla, aut aliunde reseruandis.* Meritò igitur per decretum Vrbani decernitur, nunquam reuixisse priuilegia, eò quòd illa sublata fuerunt non solùm respectu præteritæ, sed etiam futuræ reseruationis. *Quartò* nota ea verba: *In vim priuilegiorum, aut confirmationum*, quæ cùm in eodem casu ponantur, & ab eodem verbo regantur, & in eundem finem negatæ absolutionis à reseruatis referantur ex æquo vtrumque æqualiter possunt sub eadem dispositione reuocationis & annullationis arg. eorum, quæ *dicit Bartol. in l. Talis scriptura ff. de legat. 1.* nam eandem qualitatem recipiunt, quæ ab eodem verbo reguntur, quare par debet esse iudicium, ac proinde ambo tam priuilegium, quàm confirmatio intelliguntur reuocata. *Quintò*, in decreto Vrbani dicitur, quòd confessarij non possunt absoluere *in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi*, ergò vtrumque intelligitur reuocatum. si enim priuilegia non essent reuocata possent absoluere, sed non possunt, vt expresè dicit decretum, ergo sunt reuocata. *Sextò*, motiuum huius decreti fuit respondere ipsis Regularibus, qui prætendebant, se posse absoluere a reseruatis, quia licèt scirent priuilegia absoluendi fuisse sublata à Clemente VIII. tamen asserebant, ea reuixisse per superuenientes confirmationes priuilegiorum in forma specifica, vnde Sacra Congregatio declarauit in hoc decreto per subsequentes confirmationes non reuixisse priuilegia iam reuocata, sed talia remansisse sine viribus, quare sublatis confirmationibus, necesse fuit, quòd priuilegia corruerent, quia aliundè non subsistebant, si tamen existebant. *Septimò*, relatiuum *quas* non solùm refertur ad confirmationes, sed etiam ad priuilegia, ad quòd ostendendum licèt descendere, & rationem huius petere à Grammaticis, quoniam argumentum Patris Antonij est Grammaticale, quàm affert Aluarus Societatis Iesu splendor *lib. 2. Grammat. c. 1. precepto 3. Append. 2. n. 5.* dum dicit; *Et frequenter relatiuum redditur viciniori substantiuo*, & in exemplum citat Cicer. in 50 Pisonem. *Mihi non venerat in mentem furorem, & insaniam optare vobis, in quam incidistis.* Nunquid cecidit solùm in insaniam, an etiam in furorem? Vtique in vtrumque, quia licèt relatiuum concordetur cùm viciniori substantiuo, non ideò tamen excludit à se alterum substantiuum remotius. Ita ad propositum, relatiuum *quas* licèt referatur quoad genus ad confirmationes, tamen ad vtrumque refertur quoad sensum, & dispositionem legalem. Et ita sentiendum est secundum veritatem sensus intenti à Sacra Congregatione.

Refert demum diuersas confirmationes priuilegiorum Pij V. de anno 1567. & puto incip. *Etsi Mendicantium 41. in qua sub §. 5. post n. 26.* non habentur ea verba *De nouo concedimus* relata ab hoc Authore. Et quàm refert ex Rodr. *in suo Bullario fol. 500. Bulla 14.* est aliquaaliter alterata, omittendo restrictiones, & clausulas Tridentini. Sed hæc satis.

Marcus Vidal professione Theatinus in sua Arca 51 Vitali *Inquisit. 1. de casibus reseruatis à n. 40.* asserit, quòd Regulares priuilegiati modò possunt validè, & licitè, prudenter, probabiliter, & tuta conscientia absoluere à casibus reseruatis de iure, siue de consuetudine Episcopis; quòd repetit num. 53. extendendo ad censuras; & num. 67. extendendo ad casus siue ab homine, siue à iure in Conciliis, Synodis, & quouis alio modò eisdem reseruatos. Et hæc omnia multis probare conatur, licèt tandem in fine *n. 142.* sic scribat: *Attamen consilium eo, vt ad praxim non redigatur, nisi vrgente necessitate ob vitandas rixas, & discordias.* Ad quid hoc consilium? si id fieri potest tuta conscientiâ, vt pluries id dixit, etiam semel sub hoc numero, signum est vnum scripsisse, & aliud sensisse. *Sub n. 41.* refert pro se plures Doctores, quorum tamen reliqui etsi agant de casibus de consuetudine reseruatis in ea ratione, quòd controuertitur, an reseruationis huius generis detur, non tamen concludunt ab illis posse Regulares absoluere, & hæc quæstio videtur inutilis hac tempestate, cùm nulli dentur casus eiusmodi reseruationis, vt videre est apud præcitatos ab eo Doctores. Sed accedamus ad eius argumenta.

Probat *sub num. 42.* quia Regulares modò absoluere possunt à nonnullis casibus Papæ reseruatis, ergo à fortiori reseruatis Episcopis de consuetudine, & hoc à fortiori, quia qui potest, quod est maius, potest etiam quod est minus.

52 Resp. Concesso antecedente negatur consequentia; nam valdè controuersum est, an ex concessione illius sequatur huius concessio, defensores vtriusque partis, *vide apud Barbosam de Episcopo p. 3. alleg. 152. Moronum Resp. 76. vbi num. 91.* ait valere consequentiam, si in concessione adsit dictio *etiam*, quia hæc est respectiua alicuius alterius, *Mazzuchellus disp. 1. de casib. reseruat. q. 3. diff. 6.* negat cùm aliis, & reuerà ita tenendum est, Papam concedendo suos casus, non censeri indulsisse Episcopales. Tum quia Papa concedendo priuilegium non censetur tertio præiudicare, nisi id expresè dicat, *gl. 11.* 53 *Inuentionis cap. Ad aures de rescrip. Gratian. tom. 4. discept. 640. num. 14.* neque per dictionem *etiam* videtur se sufficienter declarare, cùm alios sensus patiatur. Tum quia

Clemens VIII. in suis decretis sæpè citatis superiùs, prohibet Regularibus absolutionem à nonnullis Papalibus, aliis permissis, vt initio visum fuit, & nihilominùs expresè prohibet eisdem, & aliis absolutionem à reseruatis Episcopis, ergò ex concessione illorum non infertur indulgentia horum. Ex quò patet etiam responsio ad illud commune dictum, qui potest maius potest etiam minus non habere locum, quando maius conceditur, & minus prohibetur, vt patet prohibitio absolutionis à reseruatis ordinario ex præcitatis, illud ergo dictum eam patitur exceptionem, quam *indicat gloss.in c.1.de torneam*,& hanc aliam,quòd non est verùm, quando minùs est separatum à maiori, *Bonac.part.7.de voto §.3.num.*10.

Idem P. Marius num.46.sibi obiicit nostram responsionem, quam confirmat duab.rationibus; prima, quia Papa concedendo priuilegium non intendit derogare consuetudinibus, & statutis inferior. *cap. de constit.in 6.* nisi de illis faciat mentionem, de quibus non facit in casu nostro. Secunda, quia reseruatio est odiosa, ergo restringenda, vt Papa solos casus suos concedat. Vtraque ratio est bona, vndè ne quidquam valet eius responsio,dum dicit *sub n.47.citatum c.1.de constit.in 6.*non facere ad rem,quòd probat, quia ibi Papa dicitur ignorare ea quæ sunt facti, at potestas casus reseruandi non est quid facti, sed iuris, quòd Papa non ignorat. Errat iste Doctor, quia in præcitato loco Papa loquitur de ignorantia iuris specialis, de quo non habet scientiam, quid sibi Episcopus reseruauerit, nam ea verba textûs: *Consuetudines, & statuta cum sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare*, clarè indicant hanc ignorantiam esse iuris specialis, cum sit consuetudinis. & Statutorum, quæ habent speciem iuris peculiaris, ius ergò speciale ibi idem est, quod quid facti, Papa igitur potest probabiliter ignorare ius speciale, non verò ius commune, quia illud habet in scrinio pectoris sui. Adde quòd aliud est ius, quòd habet Episcopus reseruandi casus, id enim Papa non ignorat, cùm sit ius commune; aliud eiusdem executio,quòd est reseruatio facta de illo, & illo casu, & hoc ignorat, cùm sit quid facti per ipsum Episcopum.

54 Probat *sub n.43.* quia Pœnitentiarij Romani possunt absoluere vndequáque ad se accedentes à reseruatis Episcopis,ergò etiam Regulares priuilegiati.

Resp. Concesso antecedente, negando consequentiam, quia Pœnitentiarij non ex priuilegio, sed iure rationis, & iudicij illos absoluunt non vt habentes casus reseruatos in eo foro, & loco, secundum cuius leges confessarius debet sententiam ferre, vnde cùm Romæ nulli sint casus Episcopis reseruati, sed tantùm Papales, hinc est, quòd Pœnitentiarij iure proprio, & non priuilegiato absoluunt, ideò non valet consequentia à non priuilegiato ad priuilegiatum; quanquam ex alio capite non valet consequentia,esto Pœnitentiarius esset priuilegiatus, quia eius priuilegium non potest facere priuilegiatos Regulares,cùm non detur communicatio priuilegiorum inter ipsos; ideò consequens est falsum

55 ex non communicato priuilegio. Quòd autem Confessarius etiam simplex aduenas ad se accedentes cum reseruatis suo ordinario absoluere possit, quia in loco Confessarij non sunt reseruati,sed simplicia peccata iudicanda secundùm leges loci, vbi non reseruantur, reseruatio enim afficit Confessarium, non pœnitentem, cum ea sit ablatio potestatis à Confessario facta per Episcopum, docent *Suar.de Pœnit.disp.30.sect.1. n.5. & cum eo Moronus Resp.95 n.53. Faber de Pœnit. disput.27. n.32.Ego Resol.6. num.26.* Demum argumentum probat limitate,si quid probat, quoad aduenas, non simpliciter respectu quorumcumque vnde congrua, & ordinata non esset liberalitas Confessarij,qui suos non posset,sed tantùm extraneos liberare à reseruatis.

Probat *sub num.44.*inferior non potest sibi reseruare casus in præiudicium sui Superioris, ideò Papa, qui est Superior Episcopis potest ab eorum casibus absoluere, ergo etiam Regulares priuilegiati, cùm eadem sit potestas delegata Regularibus per Papam super suis casibus, & super casus Episcopales, ergo sicut absoluunt à Papalibus,ita & ab Episcopalibus.

Resp. Verùm esse, inferiorem non posse sibi casus reseruare in præiudicium Superioris, qui non posset per se ipsum, vel per delegatum à se ab eisdem absoluere, minor enim in maiorem efficaciter agere non potest; non tamen ex hoc sequitur, Regulares posse absoluere à reseruatis Episcopalibus eâdem auctoritate, qua absoluunt à Papalibus quibusdam quia non est eadem potestas, cum sit limitata ad quosdam Papales, & omninò sublata quoad Episcopales. Deinde illud argumentum supponit Regulares adhuc priuilegiatos non solùm respectu casuum Papalium, sed etiam Episcopalium,dum dicit, quod eadem est potestas Papalis delegata Regularibus super casus Papales, & Episcopales, debebat enim hoc posteriùs de potestate casuum Episcopalium probare,quod omninò est falsum; ideò eius argumentum nullius est roboris.

Plura adducit iste Pater *à num.53. ad 58.* asserendo Regulares posse absoluere non solùm à casibus de consuetudine reseruatis, sed etiam à quibuscumque censuris Episcopalibus, nihil tamen probando, sed potiùs supponendo, illos habere talia priuilegia, quod si sunt; sublata respectu reseruatorum ab homine, vt dicit *num. 50. 56. 57. 62. 74. & 80.* non tamen respectu censurarum, quia sub nomine casuum reseruator. illæ non veniunt, ideò prohibita absolutione à casibus reseruatis non censetur interdicta absolutio à censuris.

Contra hæc sibi respondet *sub num.60.ad 64.* obiiciendo tamen veram responsionem, quod Paulus V. vt visum fuit initio huius scripti, declarauit sub decretis Clementis VIII. prohibentis absolutionem à casibus reseruatis, comprehendi etiam excommunicationes Episcopis reseruatas. *Respondet* decretum Pauli restringi ad excommunicationes ab homine, non à iure, aut consuetudine reseruatas Episcopis, ideò etiam sub hoc eodem decreto non includi suspensiones, & interdicta Episcopis reseruata, cum certum sit non venire sub nomine excommunicationis, quia est censura diuersa speciе ab aliis duabus prædictis; ab vna autem ad aliam speciem non infertur,ergo nec ab vna ad aliam censura, maximè in casu nostro odioso.

Sed contra est, quia decretum Pauli V. absolutè loquitur de excommunicationibus reseruatis Episcopis, ergo de omnibus quomodolibet illi reseruatis, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia, quandocumque earum quælibet reseruatione afficitur,ratione cuius pares, & æquales redduntur in ordine ad absolutionem; nulla ergo est ratio distinguendi, cum nec Paulus V. in eo decreto curauerit distinguere, intendens per generalem locutionem omnes comprehendere excommunicationes, nullam excipiendo.Faciunt dicta superius sub num. Comprehenduntur etiam aliæ duæ censuræ, quia in causa absolutionis pari passu currunt, & par in eis ratio, *secundum gl.11.Excommunicationis cap.licèt 14.de sent.excom.in 6.*

Obiicit sibi secundò *sub num.64.* Clem.Religiosi,de priuileg. vbi prohibetur absolutio ab excommunicatione, & sententiis latis per statuta Synodalia, vel Prouincialia, ac proinde etiam à suspensione, & interdicto, quæ comprehenduntur sub ea dictione *sententiis*, ergo idem dicendum videtur de decreto Pauli V. *Et ita id verum est.* Sed sibi respondet,prohiberi tantùm excommunicationis absolutionem, & sub eo nomine *sententiis* venire solum eandem. *Sed contra est*, quia gloss. apertè dicit eodem 11. *Sententiis* venire etiam suspensionem, & interdictum, & illi standum est, quia opinio glossæ præualet communi opinioni inquit *Bald.in l.Hæreditas C.de deposit.& in l.precibus C.de impub.& alien.substit.ex eo Modstius lib.2.§.Principum placita dubit.125.n.6.& §.Prudentum responsa dub.6. num.10.* currunt enim pari

passu

passu censuræ, vt mox dictum fuit, & reuerà ita est, quia ibi distinguit, nam prohibet primò absolutionem ab excommunicatione à Canone, secundò à sententiis, per particulam *vel*, quæ ex sua natura importat diuersitatem.

Addit aliam responsionem *sub num.* 66. Regulares gaudere duobus priuilegiis vno Pauli V. Societatis Iesu, & Sixti V. Congregationis B.M. de Vallicella Vrbis, ex quibus concludit nihil valere eam obiectionem. *Sed ego dico* frustrà hæc addidisse, cum ea priuilegia fuerint sublata per decreta Clementis, ac proinde reuixerit Clementina, cui ea duo priuilegia derogauerant. Accedit, quod priuilegium Sixti V. non est communicabile, quia concessum Presbiteris Patris S. Philippi Nerij, qui cum sint Clerici seculares, & non Regulares inter eos non datur communicatio priuilegiorum.

Sub num. 67. Concludit, Regulares Confessarios posse absoluere à reseruatis Episcopis siue per statuta, & Synodos, siue ab homine, & pro huius conclusionis probatione adducit sex Doctores Peyrinum, Floronum, Homobonum, Bellochium, Lezanam, & Comitolum, qui tamen omnes in eo conueniunt, quod quando Episcopus sibi specialiter aliquot casus reseruat, videtur alios contemnere, & non esse ampliùs reseruatos, ex quo infert, Confessarios Regulares posse ab illis absoluere reseruatis de iure Statutorum, vel Synodorum. *Sed contra est*, quia reuerà per id nihil probat, ex suppositione enim quod sunt casus expressi in tabella, sunt reseruati, iam alij casus non ampliùs reseruati à quolibet simplici Confessario, & non tantùm à Regularibus priuilegiatis absolutione auferri possunt.

Probat autem ratione primo *sub num.* 74. quia lex specialis non derogatur per posteriorem generalem, sed potiùs generalis per specialem limitanda est, & iuxta illam intelligenda, nisi expresè illi contradicat *gloss. in Authent. offeratur, C. de litis contest. l. Sed & posteriores, ff. de legibus*, cum ergo priuilegia se habeant vt lex specialis, & decreta Pontificia vt generalis posterior, sequitur quod hæc per illa sit limitanda, vt non loquantur illa decreta de casibus iure reseruatis, mens enim Legislatoris Clementis est tantùm vt non absoluant à casibus ab homine reseruatis.

Contra *primò*, quia argumentum supponit dari casus à iure speciali reseruatos, quod paulò ante *sub num.* 68. *ad* 73. negauit cum Doctoribus ibidem ab eo citatis. *Secundò*, quia tam est lex specialis priuilegium concedens facultatem absoluendi à reseruatis, quam eiusdem reuocatio, cum in eandem materiam recidant, vnum ponendo, alterum negando, & destruendo priuilegium iam positum, & ideò ex diametro vnum alteri contradicit, posterius priori, vt clarum est ex materia quam tractamus Et ideò allatum dictum *ex ff. nam in citato C. nihil tale habetur, nec in glossa, non facit ad rem*, neque enim in ea leg. 28. fit comparatio inter leges generalem, & specialem, aut inter æquales, sed inter eas, vt vna alteri non contraria, tunc enim posteriores corriguntur, & determinantur per priores, vt adnotat ibi glossa, si enim sunt contrariæ vt in casu nostro, tunc posterior destruit priorem in eo, in quo illi aduersatur, iuxta illud; In legibus contrariis standum est posteriori, quia posteriora derogant prioribus, *leg.* 1. *ad legem Aquil.* *Tertiò*, supponit per decreta Clementis, & aliorum Pontificum non tolli priuilegium quoad absolutionem nisi à reseruatis ab homine, quod falsum esse probaui suprà.

Probat 2. *sub num.* 75. quia inclusio vnius est exclusio alterius, & concessum videtur, quòd non est prohibitum; sed Episcopi sub reseruatione includunt tantùm illos casus, quos exprimunt in tabella, & sibi reseruant cum prohibitione ne alij absoluant ab illis, ergò confessariis alios concedunt absolutione.

Contra, quia argumentum nihil probat ad propositum, & cum præcedenti supponit nullos dari casus à iure reseruatos, & frustra conatur probare Regulares priuilegiatos ab his posse absoluere, cum ab eisdem etiam simplices Confessarij possint absoluere, supposito, quod non sint reseruati, quod nos negamus asserentes reperiri in Synodis tam Prouincialibus, quam Diœcesanis casus reseruatos, à quibus non possunt absoluere Regulares, vt suprà probauimus. *Ad illud dictum* inclusio vnius est exclusio alteriùs, intellige sub eadem dispositione, si enim Episcopus in tabella enumerat decem casus, alij non expressi dicuntur exclusi ab ea dispositione, quod dicitur factum hominis, non verò censentur exclusi à dispositione iuris, in quo registrantur alij casus, nisi id exprimat in tabella, vel aliquis casus idem vtrobique numeretur, quia tunc statur posteriori dispositioni. *Ad aliud*, concessum videtur, quod non est prohibitum, constat autem in casu nostro iuris specialis prohibitio, cum reuerà detur huiusmodi casuum reseruatio, vt videre est in Conciliis, & Synodis Mediolanensibus.

Probat 3. *sub n.* 76. quia casuum reseruatio est odiosa, ergo restringenda ad reseruationem ab homine, non à iure speciali.

Respond. Quod cum reseruatio Episcopalis vt sic, diuidatur in eam, quæ est ab homine, & à iure suo, inclusio vtriusque in decreto destructiuo priuilegij absoluendi à reseruatis Episcopo non est odiosa, nec ampla, sed iuxta proprietatem verborum, sicut enim priuilegium absoluendi comprehendit vtrumque genus reseruationis, ita & decretum priuilegij destructiuum complectitur illud in ordine ad vtramque reseruationem, sine vlla extensione.

Prælibatus P. Marcus Vidal *sub num.* 81. aliam ponit conclusionem, nempè Regulares modo de facto in vim priuilegiorum posse absoluere ab omnibus casibus Papalibus, à quibus possunt absoluere Episcopi virtute *cap.* 6. *sess.* 24. Vbi citat pro se Sanchez, Dianam, & Pasqualigum.

Probat primò *sub num.* 82. quia Regulares in vim priuilegiorum facultatem habent super casus Episcopales à iure reseruatos; sed casus Papales occulti nunc per Tridentinum sunt Episcopales, ergo de facto validè, & licitè possunt ab eis absoluere. Maior est certa. Minorem probat; quia casus Tridentini non competunt Episcopis ex aliquo iure speciali, vel ex delegatione Pontificia, sed ex iure ordinario, cum sint iure perpetuo annexi dignitati, ergo non sunt ampliùs Papales. *Confirmat primò*, quia in articulo mortis facultas absoluendi à casibus reseruatis competit Sacerdoti de iure, ratione dignitatis Sacerdotalis, ergo etiam in casu nostro hæc facultas Concilij competit Episcopo, & eius dignitati est concessa, ideò cùm sit facultas de iure Episcopalis, competit etiam Regularibus ex vi priuilegiorum. *Secundò*, Episcopus non solùm per seipsum, sed etiam per alios absoluere potest à dictis casibus, ex quo iure ordinario dicuntur casus Episcopales, ideò etiam Regulares priuilegiati poterunt ab illis absoluere, sicut absoluunt ab aliis de iure reseruatis Episcopis.

Contra *primò*, quia eius argumentum nititur eo falso fundamento non semel reiecto, dum supponit, Regulares in vim priuilegiorum, quibus nunc carent, posse absoluere sæculares à reseruatis de iure Episcopis, quod suprà sæpius reiecimus. *Secundò*, præfati casus adhuc sunt Papales, quorum absolutio iure Conciliari, seu Pontificio, quod in idem recidit, delegatur, communicatur, & perpetuò committitur Episcopis, per quam delegationem Papa à se non abdicat ius proprium, quod super illos habuit, & continuò habet, neque enim res alteri communicata perdit suam originem, sed idem manens transit in officium alterius, casus enim à Papa editi continuò Papales dicuntur, licèt facto hominis, seu iure transeant quoad exercitium absolutionis ad Episcopum, cui committuntur, vt patet ex simili exemplo, nam Pœnitentiarius habens delegatam

potestatem,

potestatem, imò quasi ex officio hoc ipso, quod talis in Catedrali est constiturus, secundùm quod notat Chapeauill. *part.1.cap.3.diff.2* §. *Alterum*, absoluendi à reseruatis, non ideò suam facit reseruationem, nec illius est auctor, licèt absoluat ab illis, pari ratione Episcopus esto habeat à iure facultatem absoluendi ab illis casibus, non ideò facit suam reseruationem, quia nonà Papalibus, sed à suis casibus absolueret. *Tertiò*, idem probatur ex Tridentino, quod in *eodem cap.6.sess.24.* casus delegatos, & commissos Episcopis vocat adhuc Papales, non Episcopales, illis verbis *In quibuscumque casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis.* Primordialis ergo editio à Pontifice Romano facta, casuum Sedi Apostolicæ reseruatorum remanet, & perseuerat apud suum primum auctorem, licèt absolutio committatur Episcopis, qui non pro suo arbitrio ab illis absoluere possunt, sicut à propriis à se editis, sed secundùm formam in eo capite præscriptam, quod magis arguit casus eiusmodi non esse proprios Episcoporum, sed adhuc retinere naturam, & conditionem casuum Papalium, qui solis committuntur Episcopis. *Quartò*, sequeretur, priuilegia olim concessa Regularibus absoluendi à casibus Papalibus, & Episcopis, casus eosdem effecisse de Papalibus, & Episcopalibus Regulares casus, quia currit identitas rationis facultatis absoluendi, nam tam Regulares, quam Episcopi dicuntur absoluere ex gratia Sedis Apostolicæ; sed ita loqui ineptum est, & irrationabile, cum delegatus non mutet naturam rei sibi commissæ; vnde Confessarius priuilegiatus ad casus reseruatos in formalitate reseruationis, si enim ipso iure, quo acquirit priuilegium, peccatum de reseruato desineret esse reseruatum, iam non absoluere diceretur à reseruatis, sed à peccatis carentibus reseruatione, quod falsum est, ideò per commissionem reseruatio non desinit esse sui auctoris. *Quintò*, ipsemet P. Marcus ait per Concilium casus Papales concedi Episcopis non ratione personæ, sed dignitatis, vt docet etiam *sub num. 93.* ergo hoc ius ab illis absoluendi non potest competere confessariis Regularibus, qui carent dignitate Episcopali, vt certum est. *Sextò*, controuertitur, an huiusmodi
56 facultas à Tridentino concessa Episcopis absoluendi à reseruatis Sedi Apostolicæ competat Prælatis Regularibus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, cuius controuersiæ Doctores videre potes apud *P. Dianam p.7.tract.2.resol.5.* vbi ait, id communiter negari, vnde in confirmationem partis negatiuæ Pius V. per suam Bullam 132. eandem facultatem concessit Prælatis Ordinis Prædicatorum, communicabilem aliis Regularibus absoluendi suos subditos à casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis. Ex quibus manifestè deducitur, & à fortiori, si excluduntur Prælati Regulares à Tridentino, stante Doctorum citatorum à Diana opinione, Confessarios Regulares, qui non sunt Prælati vti nullatenùs posse dicta facultate in fauorem secularium pœnitentium.

57 Ad confirmationem primam dico, argumentum nihil concludere, quia in articulo mortis nulla est casuum reseruatio, vt apertè docet Tridentinum *sess.14.c.7.* ibi: *In eadem Ecclesia Dei semper iusta visum fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* Vnde non valet inferre à non reseruatis ad reseruata. Præterea constante etiam tunc temporis reseruatione, quid inde? nam Confessarius in articulo mortis nullo munitus priuilegio absoluit existentem in articulo mortis, Regularis autem extra illud tempus vti priuilegiatus absoluit, si habet priuilegium, ergo nullius roboris est illatio à non priuilegiato ad priuilegiatum. *Ad secundam*, dico, rationem, quâ Episcopi rectores, casuum absolutionem aliis committere possunt, vt etiam in dicto capite Tridentini exprimitur, non est, quia sint casus Episcopales, sed quia vti delegati à Principe, & à iure, possunt facultatem sibi commissam delegare aliis, constat enim delegatum Principis, & iuris posse subdelegare *l.à iudice 5. C.de indic.cap.Pastoralis 28.cap.quoniam 43.de off. deleg. cap.cum causam 62. de appellat.* eâ ratione, quia habens iurisdictionem ex concessione perpetua manantem à Papa, à iure, à communitate, cum dicatur ordinaria, eam subdelegare potest, *gloss.fin. cap.fin.de offic.ord.Rodr. tom.1.q.17.art.11. Conar.lib.3.c.20.num.5.§.1.* ideò argumentum cum suis confirmationibus ruit, & ad nihilum redigitur.

Probat secundò *sub num.* 85. quia hæc facultas Tridentini concessa fuit omnibus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem; sed Regulares quoad forum conscientiæ eam iurisdictionem habent virtute priuilegiorum; ergo. Minorem probat, quia Regulares nunc ex vi priuilegiorum habent facultatem absoluendi à reseruatis, qui non sunt ab homine, & à multis Papalibus, à quibus de iure non possunt absoluere Episcopi, nisi sint occulti, ergo Regulares maiorem habent facultatem Episcopis. *Confirmat primò*, quia Capitulum Sede vacante succedit in hanc potestatem à Tridentino concessam Episcopis, ergo etiam Regulares talem habent facultatem, cum polleant iurisdictione quasi Episcopali. *Secundò* adducit præcitatam Bullam Pij V. & infert eius facultatem fauore Confessariorum. *Tertiò*, quia ex communi sententia Episcopus etiam nondum Sacerdos vti potest ea facultate absoluendi à censuris, quibus sublatis, peccatum non ampliùs est reseruatum, ergò clarè infertur, nomine Episcopi venire omnes habentes potestatem quasi Episcopalem, non verò Episcopos tales verè, & realiter, quoniam ante consecrationem propriè non sunt tales, ergo.

Contra est, quia hoc argumentum cum suis confirmationibus nullius est momenti, imò non facit ad propositum, in quo virtus formalis consequentiæ seipsam non nouit in his argumentis. Nam conclusio habet, quod Confessarij Regulares possunt absoluere seculares à casibus Papalibus virtute Tridentini, seu ad formam eiusdem, & tamen clarum est nullos Regulares, etiam eorum Prælatos in ordine ad seculares habere iurisdictionem quasi Episcopalem, sed tantùm in ordine ad suos subditos, fauore quorum aliquid probat argumentum, & non fauore secularium, & tamen argumentum cum suis probationibus nititur eâ iurisdictione quasi Episcopali, quam supponit in Confessariis Regularibus, & non probat illam, quia probare non potest, cum suppositum omninò sit falsum. Ad argumentum igitur dico, priuilegium Concilij applicari Prælatis Regularibus respectu suorum subditorum virtute Bullæ Pij V. non vero relatiuè ad seculares, & in hoc par est facultas vtrisque Prælatis Regularibus, & Episcopis respectiuè ad proprios subditos. Non video maiorem facultatem in Prælatis Regularibus, nisi in eo, quod possunt absoluere suos extra Bullam Cœnæ à reseruatis Papæ etiam peccatis publicis, quod erga suos præstare non potest beneficium absolutionis Episcopus.

Ad primam confirmationem patet concesso antecedente, negandum esse consequens, Capitulum namque Sede vacante nihil commune habet cum Regularibus Confessariis; nam Capitulum succedit præmortuo Episcopo, Confessarij Regulares nulli succedunt. *Ad secundum* priuilegium Pij V. concessum Prælatis Regularium facit pro suis Religiosis, non pro secularibus, ideò consequentia in eo nihil operari potest ad propositum. *Ad tertiam*, in Episcopo spectantur duæ potestates, vna iurisdictionis, quam acquirit per confirmationem, & alteram ordinis, quam acquirit in consecratione, quâ ordinatur, secundum Canonistas *in cap. Transmissam 15. de elect.* vnde cum antè consecrationem habeat iurisdictionem Episcopalem, propriè est Episcopus; 58
cum iurisdictio per eius dignitatem qualificetur, cuius gradus consecratione perficitur. Quare qualitas consecrationis non facit ad rem, cum facultas illi tributa à Concilio non pendeat ab ordine, seu illum non supponat, sed solùm à potestate iurisdictionis in ordine ad absolutionem à censuris, & à Sacerdotio respectu absolutionis

absolutionis Sacramentalis, dicitur ergo Episcopus, & in dignitate sua constitutus per confirmationem, non per consecrationem, & ratione illius vtitur facultate Tridentini, vt docet etiam ipsemet P. Mar *sub num.* 81. *&* 82. Ex quibus infertur, priuilegium Tridentini competere Episcopo vt in sua dignitate constituto per confirmationem, ad quam sequitur potestas iurisdictionis, ideò cum Regulares careant huiusmodi dignitate, eo priuilegio vti non possunt concesso eorum dignitati, vt non semel dixit ipse Aduersarius.

Obiicit sibi plura *sub num.* 89. & reliquis, quæ in præcedentibus sunt examinata, vnum obiterno, quod dicit *sub num.* 91. Decretum Vrbani VIII. prohibere Confessariis Regularibus absolutionem secularium tantùm à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ Domini. Quod omnino esse falsum constat ex tenore verborum eius, quæ huc referre necessarium est, vt appareat manifesta falsitas; verba autem sunt hæc: *Sublata, & extincta, si qua habebant absoluendi à casibus ordinario loci reseruatis quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit vt potè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse*. Et infra. *Ac proinde Regulares cuiuscumque Ordinis in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis*. Ecce, quod apparet prohibitio absolutionis non solùm à casibus Bullæ, sed etiam Episcopis reseruatis.

Ad illam obiectionem *sub num.* 98. quòd si Regulares possunt vti facultate Tridentini, sicut Episcopi, sequitur, illos posse absoluere à casibus Bullæ occultis, hinc indè multis reductis, respondet *sub n.* 99. casus Bullæ vt occultos, & quatenus in Tridentino expressos, esse casus Episcopales, non ampliùs Bullæ, & ideò Regulares priuilegiatos posse ab eis absoluere.

Sed contra, quia hæc responsio est omninò falsa, quia casus Bullæ tales semper sunt, siue occulti, siue publici, cùm hæ qualitates semper supponant subiectum in sua entitate, sine quo illæ vti accidentia existere non possunt. Et vt suprà probatum est, casus Bullæ non deserunt esse tales ex quo eorum absolutio per Tridentinum commissa fuit Episcopis. Imò Episcopi secundum sententiam quamplurium relatorum per *Bonacin. disp. 3. super Bullam Cœnæ q. 22. pu. 8. Secunda sententia*, non possunt amplius ab illis absoluere, cùm annua illius publicatio derogauerit in hoc Tridentino, nam in Bulla Cœnæ id dicitur per illa verba, *Ac eiusdem Concilij decreta*, sub quibus verbis comprehenditur etiam Tridentinum, pro cuius derogatione non est necessaria mentio specialis illius, vt tenent allegati ab eodem *Bonacin. ib. d. num. 3. Ego controu. 49. num. 135. nunc Resolut. 149.* Adde, quod in decreto Pauli V. de quo initiò diximus, priuilegia Regularium sublata fuerunt tam quoad casus publicos, quam occultos, vt expressè ibidem dicitur.

Ponit sextam conclusionem *sub num.* 107. Regulares inquit virtute saltem confirmationum absoluere possunt Christi fideles ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, siue occultis, siue publicis, etiam ab illis, quos Clemens VIII. sibi reseruauit in secundo decreto, exceptis casibus Bullæ.

Probat primò *sub num.* 110. quia confirmatio priuilegiorum in forma specifica, & ex certa scientia inualida, & aliàs reuocata reualidat, & restituit in pristinum; hanc maiorem supponit ex communi differentia inter confirmationem specificam, & genericam; sed Paulus V. Societati Iesu, & Gregorius XV. Theatinis confirmauit priuilegia in forma specifica, ergo per eam restituta fuerunt in pristinum priuilegia absoluendi à quibuscumque reseruatis Papæ, exceptis casibus Bullæ Cœnæ Domini. Hoc argumentum inter alia supradicta, quæ nullius sunt momenti, non est leuis considerationis, tamen facilè soluitur.

Contra primò, quia hoc argumentum directè perimitur per decretum Vrbani VIII. asserentis per confirmationem priuilegiorum non fuisse restituta priuilegia absoluendi à reseruatis aliàs reuocata, his verbis: *Censuit per confirmationem priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerint, nequaquam reuixisse prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si qua habebant, absoluendi à casibus ordinario loci reseruatis*. Nomine decretorum veniunt illa tria, de quibus initio diximus, nimirum duo Clementis, & vnum Pauli V. quæ non fuerunt reuocata per subsequentes confirmationes priuilegiorum. Neque quis obiiciat, illud decretum loqui tantùm de casibus Bullæ, & Ordinario reseruatis. Quia respondetur, loqui etiam de quibuscumque Papæ reseruatis, vt colligitur ex aliis verbis: *Si quidem Regulares habent à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis iussu sanctæ memoriæ Clementis VIII.* Si non sunt sublata Extra Italiam, ergo Italis adhuc remanet ablata per Clementem VIII. reuocata. *Secundò*, clausula *ex certa scientia* non facit confirmationem in forma specifica, quæ propriè restituit reuocatum, vnde Barbosa *hac claus. 59. num. 61. & 62. & Pasqual. q. 107.* referunt quamplures Doctores asserentes, tunc confirmationem reualidare, quòd aliàs erat inualidum, quando res inualida exprimitur in tenore confirmationis vel secundum se totam, vel secundum substantiam, adeò quod ea clausula secundum se accepta non infert confirmationem specificam, nec producit illum effectum restituendi reuocatum, seu inualidum, sed solum quando tenor rei confirmandæ vel secundum se totum, vel secundum substantiam inseritur confirmationi; vnde summi Pontifices, quando specificè aliquam Bullam, vel Regulam volunt confirmare, illas ad verbum, vel ad substantiam inserunt in suis literis confirmatoriis, *& ita Sixtus IV. Bulla 6. & 7. incip. Regimini*, quæ sunt Mare magnum Ordinum Prædicatorum, & Minorum, effecta debile, & quasi deficient flumen conuersum in torrentem aquis exsiccatis confirmando specificè priuilegia prædictorum Regularium, Bullas Eugenij IV. Martini V. & Gregorij XI. ad verbum extendit in sua confirmatoria ostendendo per hoc se voluisse illa confirmare in forma specifica; quod non fecerunt Paulus V. Gregorius XV. Vrbanus VIII. nec multo minùs Innocentius X. qui priuilegia solùm in genere generalissimo, vt ita loquar, expresserunt in suis confirmatoriis, imò limitate nonnullis Regularibus concesserunt simili clausula: *Quatenus sint in vsu, & Concilij Tridentini decretis, & aliis Canonicis Sanctionibus non contrarientur, nec sub vllis reuocationibus Apostolicis comprehendantur*. Hac restrictione Paulus V. in sua Bulla 23. incip. *Diuina*, confirmat priuilegia Cisterciensium. *Tertiò*, confirmatio cum clausula *ex certa scientia* coniuncta cum alia clausula: *Non obstantibus reuocationibus*, reualidat anteà reuocatum priuilegium *Portel. tom. 1. part. 2. casu 26. n. 3. vbi citat. Suar. lib. 8. de legib. cap. 19. num. 12. Sorbus v. Priuilegia Fratrum num. 15. & num. 32. §. Notandum*; sed priuilegium Gregorij XV. emanatum pro Theatinis licèt habeat primam clausulam, caret tamen secunda, ideò ipsa sola non potuit producere effectum reualidationis hoc priuilegiorum absoluendi. De Bulla Pauli V. pro Societate Iesu nil dico, quia nondùm oculis meis apparuit.

Probat 2. *sub n.* 122. quia Patres Societatis Iesu habent priuilegium à Gregorio XIII. ne eorum priuilegia intelligerentur reuocata, nisi reuocatio illis intimetur; sed decreta Clementis, Pauli, & Vrbani non fuerunt illis intimata; ergo illis non nocent, neque cæteris Regularibus communicantibus cum illis in priuilegiis absoluendi à reseruatis.

Resp. Primò minorem, cum sit quid facti, ignorari quoad suam veritatem, nihilominùs eius supposita veritate. *Secundò*, me non vidisse eam Bullam, sed solùm duas

duas alias, vnam *dicti Gregorij X I I I. quæ est 89. vbi §.29.* & Gregorij XIV. *quæ est* 10. §.28. vbi prohibetur eius communicatio aliis Regularibus, & forsan ea de intimatione, cum sit quid speciale, & insolitum, quæ non consueuerunt communicari, vnde res redditur dubia, & argumenti vires eneruantur. *Tertiò*, ex clausulis efficacioribus. quæ in primo decreto exprimuntur sufficienter probatur æquiualenter facta intimatio, aut ea ipsa destructa. Et id probatur tum ex illis verbis: *Sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis. Seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda esset. Quorum tenores pro expressis, &c.* Quæ clausulæ multiplicatæ indicant enixam voluntatem Papæ esse, vt omninò sint reuocata omnia priuilegia absoluendi à reseruatis. Examinentur singulæ particulæ, ex quibus constabit in his locum sufficienter habuisse intimationem, vel destructam quoad hoc fuisse. *Sub quibuscumque tenoribus, & formis.* Per hæc verba censetur derogatum priuilegio intimationis in ordine ad reuocationem absoluendi à reseruatis, quia reuocatio priuilegiorum absoluendi à reseruatis sortita fuit suum effectum non obstantibus constitutionibus Apostolicis *sub quibuscumque tenoribus, & formis editis*, ergo etiam non obstante ea intimationis Bulla Gregorij XIII. nam ea clausula, *sub quibuscumque* est vniuersalissima omnia includens, & nihil excludens, nec excipiens, & habet vim specialis expressionis etiam in casibus, vbi nominatio specifica requiritur, ex allegatis *à Rota apud Dianam part.6. decis.6. §. Ex quibus*, vnde ea clausula equiualet huic ac si Papa expressisset: *Non obstante intimatione facienda, &c.* Quod idem colligitur ex alia clausula: *Cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis*, nam hæc tollit ea, de quibus specialis debebat fieri mentio, *ex Menochio consil.1096.num.15.* ac proinde reuocat & derogat, quatenùs reperit repugnant iam suæ dispositioni *Alex.lib.7. consil.7.num. 17. Petrus Henriq. consil.75. num.23. ex illis Barbosa clausul. tract.43. num.2.& 3.* Clausula intimationis per ea verba sublata fuit, cum sub illis intelligatur exclusa intimatio à suo effectu in ordine ad conseruanda priuilegia absoluendi à reseruatis. *Aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis* Nulli dubium est, huiusmodi intimationem esse clausulam efficaciorem, & insolitam, cum vnica, & singularis sit vni tantùm Apostolico indulto annexa, & ideò per nostram clausulam hanc iuribus suis destituta fuit, vt reuocatio priuilegiorum absoluendi subsisteret contra eam intimationem. *Seu quæuis alia expressio, seu forma exquisita seruanda esset.* Nemo negare debet intimationem huiusmodi esse eam, de qua debuisset haberi expressio, & illius forma, quæ est exquisita seruanda foret, per ea tamen verba Papa voluit esse sufficienter illi derogatum, aut quod habeatur pro expressa, seu seruata, hoc ipso, quod vult eius non expressionem, aut formam non seruatam esse derogata, & reuocata dicta priuilegia absoluendi. *Quorum tenores, &c.* operatur expressionem specificam eorum omnium ad quæ relata est ex allegatis *à Farinac. vol.1. decis.466. num.5. Barb. hac claus.127. num.4.* tollit quæcumque priuilegia quascumque derogationes habentia, *Ludouis. decis.240. num.2. ibi Beltram. num.21*, ergo per eam clausulam censetur facta mentio huiusmodi intimationis, & ea sublata, in quantum obstare poterat reuocationi priuilegiorum absoluendi à reseruatis. Et hæc omnia confirmantur, quia Papa non potest ligare manus sui successoris, *Compend. Rodr. resol.116. num.30. Portel.11. Priuilegium num.67.* cum par in parem non agat, vt non possit reuocare priuilegium, nisi tali, & tali modo in terminis expressis, cum sufficiat modus æquiualens, seu destructio eius, quod impedit eius dispositionem. Adde, quod in derogatione priuilegiorum absoluendi à reseruatis fit mentio de Societatis Iesu Confessariis, ergo priuilegiis Societatis in contrarium facientibus sufficienter fuit derogatum, nisi nulla formalis mentio aut intimatio facta fuisset illis, quia Papa reuocando priuilegia absoluendi etiam Confessariis Societatis, satis se declarauit nolle stare illi intimationi formali, aliter sibi contrarius fuisset reuocando, & non reuocando priuilegia absoluendi. Demum argumentum plus probat, quam valet P. Marcus, nam probat, Confessarios priuilegiatos posse absoluere à casibus Bullæ Cœnæ, quia in eius clausulis derogatoriis, expressè non constat de intimatione Bullæ Cœnæ, si esset intimanda pro derogatione priuilegiorum.

Probat tertiò *sub num.* 123. quia priuilegia Regularibus tunc concessa per modum contractus in præmium, & remunerationem laborum, & meritorum, sed hæc non ita facilè reuocantur, quia ista obligatio nascitur ex naturali iustitia, quæ etiam obligat Superiores respectu suorum subditorum, vnde in horum reuocatione facienda est de illis specialis mentio, aliter non valet reuocatio; de illis autem nulla fit mentio in decreto Vrbani, ideò non censentur sublata. *Confirmat primò, sub num.* 124. quia Bulla Cruciatæ cum sit ex contractu non reuocatur per clausulas generales. *Secundò, sub num.* 125. quia in Bulla Cœnæ fit expressa mentio priuilegiorum ex contractu in clausula reuocatoria. *Tertiò, sub n.*126. quia priuilegia Regularium sunt fauorabilia, & in bonum publicum totius Ecclesiæ, ac proinde amplianda, consequenter non censentur reuocata per dictum Vrbani decretum.

Contra est primò, quia priuilegium concessum siue ex contractu oneroso, in quo scilicet interuenit aliquid pretio æstimabile, siue ex remuneratione, iusta subsistente causa per concedentem, vel successorem eius reuocari potest, cum ea differentia, quod in reuocatione eius, quod est ex contractu oneroso, necessaria est compensatio, ne illi fiat iniustitia, in reuocatione vero remuneratorij, eam præstare non est necessarium, Ita omnes Doctores *cum Bonac. de priuileg. part.8. §.3. num.1. & 2. Pellizar. tract.8. cap.1. num.101. & 102. Donato part.1. tract.15. q.1. præsertim q.8.9.13.* & in terminis nostris *q.19. ait*, Romanum Pontificem quæcumque Regularium priuilegia reuocare posse iusta subsistente causa, quia ex liberalitate Sedis Apostolicæ proueniunt. 59

Constat autem ex Decretis Clementis VIII. in specie fuisse reuocata priuilegia absoluendi à reseruatis cum clausulis efficacissimis derogantibus eorumdem priuilegiis, adeò quod de hac re dubitandum non est, & iustam habuit causam summus Pontifex ea priuilegia reuocandi, quia & lædebant iurisdictionem ordinariorū, & quia illis facilè vtebantur indifferenter absoluendo, ex quo frustrabatur finis reseruationis in eo consistens, vt peccatores retraherentur ab offensione Dei considerantes se debere accedere ad maiores Prælatos. *Secundò*, Doctor non fecit mentionem de reuocatione priuilegiorum absoluendi à reseruatis facta per decreta Clementina, sed tantùm de decreto Vrbani, virtute cuius negat reuocationem priuilegiorum; sed errat, quia hoc ipso, quod S. Congr. decernit per confirmationem priuilegiorum non reuixisse priuilegia absoluendi à reseruatis sublata per Tridentinum, & decreta Clementis, sufficienter non solùm declarauit ea esse irrita, verum etiam eadem virtualiter reuocauit, & annullauit. *Tertiò*, priuilegia Regularium sunt idem remuneratoria, sed non ex contractu oneroso, quia ad ea obtinenda præsertim absoluendi, & dispensandi nihil prætij contulerunt, nec soluere promiserunt, vt clarum est, ideò qualitas remunerationis quemquam in dubium deducere debet circa horum reuocationem, cum de ea manifestè constet in sæpè dictis decretis Clementis VIII. Et nulla expressior de illis mentio fieri potest, quam eadem in suis terminis exprimendo & specificando priuilegia absoluendi à reseruatis in ipsa reuocatione, vt fecit Clemens VIII. ex ore S. Congreg. *Ad primam confirmationem* dico primo Bullam Cruciatæ esse onerosam, non priuilegia absoluendi simpliciter remuneratoria. Secundò, sufficienter fuisse derogatum dictis priuilegiis non secus ac 60

Bullæ,

Bullæ, cũ de illis in indiuiduo mentio facta sit, cum illa sola absoluendi priuilegia reuocata sint. *Ad secundum*, verum est in Bulla Cœnæ fieri mentionem de priuilegiis ibi, *Etiam per viam contractûs, aut remunerationis.* Similis mentio facta quoque fuit de priuilegiis absoluendi derogatis; vt probaui supra exponendo clausulas, præterquam quos in ipsa dispositiua decretorum Clementis, claré ipsamet priuilegia hæc absoluendi in indiuiduo reuocantur, & propter hoc non fuit necesse in parte derogatiua obstantium exprimere in terminis terminantibus eadem priuilegia, neque alia, quæ possent obstare præfatæ reuocationi in parte dispositiua factæ, alias reuocatio inutilis, & inefficax fuisset in seipsa spectata in parte dispositiua. *Ad tertium* esto priuilegia absoluendi à reseruatis sint in bonum publicum animarum, non ideò tamen hinc sequitur non esse reuocanda, quando iusta apparet causa reuocationis, vt hîc, quia talia priuilegia sunt præiudicialia iurisdictioni ordinariorum, & quandoque Confessarij in eorum vsu erant nimis liberales, quibus etiam sublatis, fideles magis continentur in obseruatione mandatorum Dei, cum sciant se debere ad Prælatum suum accedere pro absolutione formidantes eius conspectum.

Obiicit sibi *sub num.* 128. ea quæ diximus, nimirum per decretum Vrbani sufficienter esse derogatum priuilegiis etiam Gregorij XIII. de intimatione. Respondendo *sub num.* 129. hoc argumentum repugnare veritati, quia inquit non fuit reuocatum priuilegium Gregorianum, nec Paulinum. Sed ex suprascriptis adæquatè ostensa fuit eorum derogatio per decreta Clementis, Pauli, & Vrbani, ideò non est immorandum.

Sub num. 130. frustra sibi obiicit Bullam 8. Vrbani VIII. in Appendice Bull. Noui. totam spectantem ad officium S. Inquisitionis, in qua disponitur, quod constitutiones hactenùs editæ, & in posterum etiam super quacumque re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi illi in edendis non excipiantur. *Vnde num.* 131. ait non facere ad rem.

Vnum hîc ego noto quærendo, an Patres Iesuitæ habeant aliqua priuilegia, vt in causis fidei non possint iudicari, nisi intra Religionem? Numquid per Bullam Vrbani derogatum fuit sufficienter illis priuilegiis in vsu quo Vrbanum in Bulla prædicta in parte derogatiua nullam mentionem fecerit de priuilegio intimationis concesso eisdem Patribus Societatis à Gregorio XIII. vt reuera non fecit? Respondet P. Marcus *sub n.* 131. & seq. esse reuocata. Hoc posito, ego subinfero, ergo pro derogatione priuilegiorum Regularium non est necesse facere expressam mentionem illius intimationis; sed sufficit eam tangere per clausulas generales efficacissimas derogantes quibuscumque obstantibus principali dispositioni. Et ita dicendum est, quia decretum Clementis, & hæc Bulla Vrbani in parte derogatiua continet ferè eadem verba, & clausulas, per quas derogatur quibuslibet priuilegiis.

Et per hæc puto, me fecisse satis rationibus, & argumentis MS. mihi per amicum transmissis, & considerandis, quia sunt eiusdem P. Marci argumenta, quibus iam respondi, & ita practicandum esse à Confessariis Regularibus indubitanter doceo.

RESOLVTIO VII.

De exemptione, & subiectione odiosa Regularium Episcopis.

SVMMARIVM.

1 *Exemptio hæc notissima est.*
2 *Subiecti olim erant Episcopis de iure communi.*
3 *Exempti sunt ratione personæ, rei, & loci.*
4 *Loca eorum sunt exempta.*
5 *Conciliis, & Synodo interesse cogi non possunt.*
6 *Obseruare illa non tenentur.*
7 *Obseruare tenentur Synodalia concernentia eorum officium.*
8 *Pœnis Synodalibus non subiiciuntur.*
9 *Censuris illos compellit in casibus sibi subiectos.*
10 *Excommuncatos denunciat sibi subiectos.*
11 *Absolui non potest intra Religionem denunciatus ab Episcopo.*
12 *Claustralis delinquens extra quando puniatur ab Episcopo.*
13 *Deprehensus in fragranti crimine non potest carcerari nec puniri.*
14 *Iudex Regularis cum solo processu Episcopi nullo punit reum.*
15 *Tertiarij exempti sunt à iurisdictione Episcopi.*
16 *Prædicare, aut sermonizare non possunt sine Episcopo.*
17 *Prædicatores de iure non sunt examinandi.*
18 *Prædicatores quandoque prohibentur prædicare in suis Ecclesiis.*
19 *Compelluntur prædicare vbi habent curam animarum.*
20 *Conformare se debent Missæ, quas Seculares audiunt.*
21 *Puniuntur prædicantes sine licentia Episcopi.*
22 *Iesuitæ, & communicantes prædicant sine licentia, vbi desunt Ordinarij.*
23 *Stipendium recipiunt iuxta consuetudinem loci.*
24 *Prædicandi licentia solius Parochi non sufficit.*
25 *Episcopi concionantur in Ecclesiis Regularium.*
26 *Licentia suorum Superiorum requiritur ad prædicandum.*
27 *Prædicantes sine licentia peccant mortaliter.*
28 *Professio Fidei requiritur à Prædicatoribus.*
29 *Existentes extra claustra quando admittantur ad prædicandum.*
30 *Pauperes non commendant sine Episcopo.*
31 *Indulgentiam concedunt.*
32 *Excommunicati sunt prohibentes audire conciones Religiosorum.*
33 *Prædicant suis Monialibus sine Episcopo.*
34 *De Confessariis subiectis Episcopis remissiuè.*
35 *De Regularibus Parochis.*
36 *Capaces sunt curæ animarum.*
37 *Deputantur à suis Superioribus.*
38 *Non remouentur sine rationabili causa.*
39 *Quoad curam tenentur seruare ordinationes Episcopales.*
40 *Existens extra subditur Episcopo quoad curam.*
41 *Hierosolymitani subsunt.*
42 *Accedunt ad Synodum.*
43 *Parochi accedunt ad processiones cum aliis.*
44 *Casuum Congregationibus intersunt.*
45 *Religiosus non potest præfici Ecclesiæ seculari.*
46 *Nisi tempore pestis amouibiliter.*
47 *Remouetur ab Episcopo, vel à proprio Prælato.*
48 *Potest delegare facultatem audiendi confessiones aliis approbatis.*
49 *Prælatus ministrans Sacramenta Matrimonij, & Vnctionis contra suum subditum Curatum est excommunicatus.*
50 *Ministrans Matrimonium est suspensus.*
51 *Prælati nullius Diœcesis habent ius in Parochos, & animas.*
52 *Concursus ad curam animarum negatur Regularibus.*
53 *Manentes extra claustra quomodo subdantur Episcopis.*
54 *Extra manet de licentia sui Superioris.*
55 *Quis sit iste Superior?*
56 *Curatus extra manens punitur à suo Prælato extra officium curæ.*

57 *Delinquens in officio accepto ab Episcopo punitur.*
58 *Grangiis manens punitur a Superiore Regulari.*
59 *Præsidens erectioni noui Conuentus non subditur Episcopo.*
60 *Hierosolymitani extra subduntur Episcopis.*
61 *Apostatæ puniuntur etiam ab Ordinariis.*
62 *Studentes extra quemuis Conuentum subduntur Episcopis.*
63 *Contra quos procedit etiam per censuras.*
64 *Electi subduntur Episcopis.*
65 *Exercentes extra spiritualia subduntur Episcopis.*
66 *De potestate Episcopi contra Religiosos delinquentes circa Moniales.*
67 *Monialium Confessiones non audiunt nisi approbati ab Episcopo.*
68 *Delinquentes circa administrationes bonorum Monialium, subsunt.*
69 *Puniuntur ingressi clausuram Monialium.*
70 *Excommunicationi contra accedentes ad Moniales, non subsunt.*
71 *Scribens Moniali non subest pœnis contra alloquentes.*
72 *Alloquentes quasuis Moniales sunt priuati vocibus, & officiis.*
73 *Decretum S.C. de non alloquendo Moniales refertur.*
74 *Dubia super eo resoluuntur.*
75 *Distantia nimia, quæ dicatur.*
76 *Qui veniant sub nomine Officialium in Decreto.*
77 *Alloquens Monialem extra Monasterium non subditur pœnis.*
78 *Galli non subduntur, quia ibi non seruatur clausura.*
79 *Pœnæ dicta præter accessum requirunt locutionem.*
80 *Alloquens existens in sua cella existenti in sua vnius parietis diuisione subest.*
81 *Alloquens paucis vrbanitatis causa excusatur.*
82 *Peccat mortaliter alloquens Moniales.*
83 *Etiam vnica vice.*
84 *Hierosolymitani comprehenduntur sub Decreto, numer. 73.*
85 *Scribens Monialibus non subditur Decreto.*
86 *Alloquentes carcerantur ab Episcopo.*
87 *Dispensatur à suis Superioribus in pœnis dicti Decreti.*
88 *Pœnas dictas subire non tenentur ante condemnationem.*
89 *Pœna nulla iure communi est, contra alloquentes Moniales.*
90 *Alloquuntur Moniales consanguineas cum licentia Episcopi.*
Decretum refertur.
91 *Decretum non alloquendi Moniales loquitur de quibuscumque existentibus intra clausuram.*
92 *Episcopus punit Regulares alloquentes etiam cum aliis quàm Monialibus.*
93 *Punit Prælatos dantes iniustam licentiam Monialibus egrediendi.*
94 *Religiosus ingrediens in casibus licitis non punitur.*
95 *Ecclesias, & Monasteria non visitat.*
96 *Quando habet ius infringit portas.*
97 *Visitat Confraternitates erectas in Ecclesiis eorum.*
98 *Episcopus punit Regulares in defectum Prælati.*
99 *Priuilegia Regularium non interpretantur.*
100 *Non habet ius in Regulares, in quorum est possessione iudicandi.*
101 *Vagantes prætextu accessus ad Superiores non punit.*
102 *Processare non potest Religiosum complicem cum suo subdito.*
103 *Dies festos adnunciant in propriis Ecclesiis.*
104 *Baldachinum erigit in Ecclesiis Regularium.*
105 *Iurisdictionem contentiosam non exercet in locis exemptis.*
106 *Oblationes facta imaginibus in locis Regularibus, sunt ipsorum.*
107 *Quò ad Ordines in multis subsunt Episcopis.*
108 *Ordinationes habere potest in Ecclesiis Regularium.*
109 *Procedit contra Religiosum impedientem, ne coniugatus Religiosus restituatur suæ vxori.*
110 *Causas Regularium non cognoscit.*
111 *Ne celebrent extranei in Ecclesiis Regularium prohibet.*
112 *Conseruatore carentes conueniuntur coram Ordinario.*
113 *Nouitius recipitur sine examine Episcopi prænio.*
114 *Conuentus noui non recipiuntur sine licentia Episcopi.*
115 *Nouitij quò ad delicta commissa ante ingressum subduntur Episcopis.*
116 *Nouitij delictum in Nouitiatu commissum punitur in Religione.*
117 *Prædicare possunt in suis Ecclesiis, inuitis Episcopis.*
118 *Missas ante Parochialem celebrare possunt.*
119 *Licentiam eleæmosinandi non tenentur petere ab Episcopo.*
120 *Tertiarij quærunt eleæmosinas nullo prohibente.*
121 *Querelam Correligiosorum non potest Episcopus acceptare.*
122 *Tertiarius querelans nullas incurrit pœnas.*
123 *Carcerans Religiosum est excommunicatus.*
124 *Querelans, & querelam recipiens Laicus est excommunicatus.*
125 *In causis Fidei procedit contra Regulares.*
126 *Quò ad processiones An subsint Episcopis.*
127 *Processiones publicæ quænam.*
128 *Distantes per milliare non possunt cogi ad processiones.*
129 *Vocandi sunt, aliter non tenentur.*
130 *Censuris cogi possunt.*
131 *Monachi etiam tenentur ad processiones.*
132 *Processio conuocatur etiam in Ecclesiis Regularium.*
133 *Parochus cogitur ad processiones.*
134 *Qui Regulares non possunt cogi.*
135 *Processiones extra suos Conuentus facere non possunt.*
136 *In processionibus extra claustra pertranseunt mulieres.*
137 *Præcedentia in processionibus quomodo attendatur.*
138 *Capuccini non procedant alios Mendicantes.*
139 *Præcedentiæ controuersias componit Episcopus.*
140 *Accedunt ad processiones Oppidorum.*
141 *Vbi deest duodenarius non accedetur ad processiones.*
142 *Vocandi sunt personaliter.*
143 *Episcopus processum cœptum contra egressum, terminare potest licet ingrediatur.*
144 *Exorcizare possunt sine Episcopo.*
145 *Ab hoc exercitio ad nutum Superioris remoueri possunt.*
146 *Episcopi non prohibent hoc exercitium.*
147 *Synodus Parmæ refertur de pœnis contra exorcizantes sine licentia.*

EXemptio Regularium ita notissima est, vt sit super- 1
uacaneum, inquit Portell. versic. eod. de ea tractare probando, Et loquendo de exemptione à iurisdictione Episcopi id manifestum est priuilegiis & in iure communi registratis, *cap. Nimis iniqua 16. & cap. Nimis praua 17. de excessib. Prælat. Clement. 1. eod. Clem. 2. de censibus, Tridentin. sess. 25. cap. 20. super quod cap. vide Barbosam citantem Rod. tom. 1. quæst. 17. art 9. & alios*, & extra ius vagantibus à diuersis Summis Pontificibus concessis Religionibus, quæ obiter infrà referam, de quibus *Rodrig. tom. 2. quæst. 63. art. 1. 2. 3. cum suo Compend. resolut. 63. num. 14. & sequ. Confect. tit. v. per totum, Compend. priuil. vers. Exemptio, Summista versic. eod.* Amplissimas ergo olim habebant exemptiones contra Prælatos Ecclesiasticos, sed temporum mutatione cùm varientur priuilegia, c. *Quia sancta 28. dist. 63. §.*

Verum

Verùm quia, quod accidit ipsis Regularibus, forsan ob eorum abusum, & alias causas, quæ potiùs sub silentio transeundæ sunt, quàm referendæ, huiusmodi priuilegia exemptionum à diuersis Pontificibus in dies è medio tolluntur, aut saltem adeò restringuntur, vt vix retineant nomen exemptionis. Sed vt distinctè procedatur.

Quæres 1. An Religiosi olim antiquitùs fuerint subiecti Episcopis?

2 Respond. Fuerunt, quod clarè colligitur ex tota ferè causa 18. *quæst. 2. præsertim cap. 1. cap. Si quis Abbas 15. cap. Abbates 16. cap. Monasteria 17. cap. Abbatibus 18. cap. Cognouimus 19. cap. Visitandi 28. cap. Non semel 29. cap. Eleutherius 30. Nauar. tom. 4. de Regul. numero 22.* Et quamuis illa capita loquantur de Monachis, & non de Mendicantibus, qui illis temporibus non erant, tamen eisdem potest applicari illa subiectio, quia si Papa in confirmandis Religionibus Mendicantibus, quæ originem habuerunt à Sanctis Dominico, & Francisco, noluisset illos eximere, remansissent, seu instituti fuissent sub iurisdictione Episcoporum, sicut subiecti erant tunc Monachi; neque obstat, quòd Mendicantes non fuerint illis temporibus ante annum 1200. quia lex semper loquitur, *l. Arianus ff. de Haret.* & comprehendit subditos tam præsentes, quàm futuros. Imò necessaria fuit huiusmodi subiectio, quia non potest dici quis exemptus, qui nunquam subiectus fuit, *Barbosa ad cap. 13. sess. 25. num. 34. Quar. versic. Concilium Prouinciale post num. 16. in noua edit.* Vnde exemptus, & non subditus coincidunt, exemptus enim eximitur à iurisdictione Ordinarij, & immediatè subest Papæ, *cap Frater noster 16. quæst. 1. cap. Sicut nobis, §. fin. de supp. neglig. Prælat. Graff. prax. lib. 2. cap. 5. num. 23. & tom. 2. cons. 2. diff. 3. num. 5. de pæn.* ait exemptionem propriè ponere aliquem extra iurisdictionem alterius, itaque exemptus dicitur, qui ante exemptionem erat subiectus iurisdictioni alterius.

Quæres 2. Supposita ergo exemptione Regularium à iurisdictione Episcoporum, quibus olim subijciebantur. An ab illis simpliciter sint exempti ratione delicti, seu contractus, aut rei?

3 Respond. Sunt, seu veriùs fuerunt ex Constitut. Gregor. XI. inserta in Mari magno Sixti IV. eandem confirmantis apud Confect. pag. 64. his verbis. *Et ne prætextu Constitutionis Innocent. IV. Prædecessoris nostri, quæ incipit, Volentes* (registrata in 6. cap. 1. de priuil.) *locorum Diœcesani, & alij Ordinarij, ac alij quicumque in personas, & Loca Fratrum Prædicatorum, contra eiusdem Gregorij Prædecessoris Ordinationem sibi quamcumque, iurisdictionem, & superioritatem vendicare præsumant, districtius inhibemus, ne quispiam absque dictæ Sedis speciali commissione, & authoritate in personas, domos, & loca dicti Ordinis Prædicatorum, vtpotè prorsus exempta, aliquas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, specialiter, vel generaliter quomodolibet promulgare; aut in personas, domos, & loca huiusmodi aliquam præeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere præsumant, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei, de qua contra ipsos ageretur, vbicumque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat. Decernimus quoque ex nunc quaslibet Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti sententias, & quoscumque processus, quasuis pœnas, & sententias generales, vel speciales continentes, quos, vel quas promulgari, vel haberi, & omnia, quæ contra Fratres, domos, & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, vtpote notoria, non aliter allegata, nullius roboris, vel momenti esse, & pro infectis haberi debere.* Sunt ergo exempti non solùm ratione personæ, sed etiam suorum locorum in delictis, contractibus, & rebus, ita quòd censurari non possunt ab Ordinarijs; neque Episcopi possunt exercere aliquam iurisdictionem, aut præeminentiam in eorum locis; præterea quæcumque facta ipso iure nulla sunt; denuò non tenentur ostendere eorum exemptionem, vtpotè notoriá.

Dixi, *veriùs fuerunt*, quia hisce temporibus in multis subijciuntur Episcopis, ratione delicti, nempè si scandalosè extra delinquát, sicut & Parochi, Confessarij habentes curam Monialium, de quibus singillatim dicam partim infrà, partim suis locis; item ratione rei, vt in administratione bonorum Monialium; item in præeminentia, nam erigit Baldachinum Episcopus in Ecclesiis Regularium, dum Pontificalia ibi exercet, vt dicam *infrà sub quæst. 27.*

Quæres 3. An sint exempti non solùm quoad personas, sed etiam quoad sua loca, Monasteria, & Ecclesias? *Suar. de censur. disp. 5. sect. 4. num. 6.* asserit, Monasteria dici loca exempta quoad personas tantum, non verò etiam quoad se, sed veriùs est oppositum.

Resp. Non solùm personæ quoad se, sed etiam loca ipsarum, vti sunt Monasteria, & Ecclesiæ ratione sui cum dependentia ad Religiosos, sunt exempta à iurisdictione Episcop. Probatur. Tum ex priuilegiis, nam Bonifacius IX. Constitut. *Sacra Religionis*, apud Confect, locis, & Ecclesiis Prædicatorum fecit exemptionem in hæc verba: *Ordinamus, quòd de cæterò perpetuis futuris temporibus quæcumque personæ cuiuscumque status, vel conditionis extiterint, quæ Ecclesias, siue loca quæcumque dicti Ordinis violare, seu in eis violentiam damnabilem exercere præsumpserint, eo ipso excommunicationis sententia sint innodatæ.* Reseruatur Papæ, seu Superioribus Regularibus. Nicol. V. Constitut. *Etsi cunctorum*, apud Confect. pag. 43. prohibendo Ordinariis sub excommunicatione ipso iure incurrenda, ne Fratres capiant, incarcerent, perturbent, neque molestent; de exemptione locorum illorum habet hæc verba: *Quod licèt ipsi Fratres, ipsorumque domus, & Loca, per speciale Sedis Apostolicæ priuilegium ab omni iurisdictione, & superioritate quorumcumque Ordinariorum sint exempti.* Patet hoc etiam ex verbis allatis Sixti IV. præced. quæstione Tum quia Episcopi visitare non possunt Monasteria, neque Ecclesias Regularium, *vt videre est c. 8. sess. 7. & ibi Barbosa, expressiùs Confect. tit. v. cap. 2.* Sed Ecclesiæ, & loca alia visitantur non solùm ratione personarum, sed etiam ratione sui, ergo si Episcopi non possunt visitare illa, signum est, quod sunt exempta etiam ratione sui. *Ita tenent Bonac. disp. 1. de censur. quæst. 1. p. 5. num 18. & Paulus Squillante de priuil. Cleric. c. 2. dub. 6. n. 68. apud Dianam tract. 5. Miscellan. resol. 74. §. Dico in fine.*

Sed huiusmodi exemptio ratione locorum in pluribus limitatur, nam vt dixi præced. quæsito, Episcopus in Ecclesiis Regularium erigit Baldachinum infrà qu. 27. puniet Religiosum ibi delinquentem, iuxta quod dicam infrà quæst. 9. extrahit ab Ecclesiis, & eorum Monasteriis reum, iuxta quod *dixi resol. 1. quæst. 2.* & in aliis casibus, de quibus infra suis locis.

Quæres 4. An Religiosi teneantur, & cogi possint interesse Synodo, seu Conciliis Prouincialibus Archiepiscoporum.

Resp. Religiosi Parochi tenentur accedere, ad quod cogi possunt, *Trident. sess. 24. de reformat. cap. 2. ibi Barbosa num. 28. citans alios cum Piasecio in sua Praxi Archiepiscop. p. 2. c. 2. n. 2.* Quòd si Curæ inseruiatur per Sacerdotem Secularem, in eo casu nullus Religiosus, cùm non sit Curatus, accedere tenetur, sed sufficit mittere illum Sacerdotem, vt docet Sellius cap. 25. num. 32. & ex eo citatus Barbosa num. 30. Exclusa verò curâ animarum, nullus Religiosus exemptus tenetur accedere ad Synodum, vt probatur ex Concil. Turonensi relato *cap. Episcopus, dist. 18. cap. fin. 18. quæst. 2. §. Canonica, cap. Nimis praua 17. de excess. Prælat. Ita Confect. tit. v. cap. 3. Barbos. ad dictum cap. num. 28.* 5

Quæres 5. An Religiosi subijciantur legibus Synodalibus, aut Conciliis Prouincialibus.

Respond. Non subijciuntur Decretis contentis in eorum Synodis, aut Conciliis, neque quoad eorum obseruationem, nisi quatenùs Religiosi aliquo fungantur officio dependenter ab Episcopis, vt sunt Officium Parochi, Confessarij, Concionatoris, &c. neque quoad

pœnas in eorum Decretis inflictas contra transgressores.

6 Primò, quòd non teneantur eorum obseruationibus, suadetur; Tum quia non tenentur accedere ad Synodum, quando eius Decreta conduntur, & publicantur, ex probatis mox quæst. 4. Tum quia exempti sunt à lege Diœcesana, vt docent *Confect. tit. v. cap. 3. Suar. de legib. lib. 3. cap. 33. num. 8. & lib. 4. cap. fin. Sanchez verò lib. 4. cap. 15. num. 21. tenet*, Religiosos debere obedire legibus Synodalibus in iis, in quibus non derogatur Obseruantiæ Regulari, & citat pro se *Vasq. 1. 2. q. 167. num. 33. Rodriq. in Sum. tom. 1. secunda Edit. cap. 122. num. 1.* Exemplificat autem Sanch. in votis à populo factis ab Episcopo aliquo suo Decreto confirmatis, ad quæ vult Regulares obligari, & quia sunt pars populi, & quia in hoc subiiciuntur legibus Episcopi; Becanus quæst. 11. de lege human. asserit teneri legib. Synodalibus ratione conformitatis. Sed ego puto nullâ ratione teneri neque ad ieiunia, aut alias obseruantias, nisi adsit Decretum Papæ, præcipiens Regulares teneri, vt extat de festis seruandis ab Episcopo in dictis in Tridentin. sess. 25. c. 12. Loquendo de abstinentiis, & ieiuniis condictis à populo, probatur non teneri Regulares, quia ad instituendas huiusmodi obseruantias vocantur capita familiæ, aut saltem principales cuiusque Parochiæ, & voto stabilito, petunt confirmationem ab Episcopo, & in nullo horum intersunt, aut vocantur capita Monasteriorum, ergo signum est huiusmodi obseruantias nulla ratione afficere Religiosos, afficiunt verò Clericos, quia ex indictione, seu confirmatione facta ab Episcopo censetur, imò est Decretum Episcopale, cui directè subiiciuntur. Confirmatur, quia Tridentinum loco citato subiiciendo Regulares festis ab Episcopo indictis, nullam mentionem faciendo de aliis obseruantiis, videtur huiusmodi excludere à Religiosis. Præterea habent suas peculiares obseruantias, ieiunia, & abstinentias, ergo ratio non dictat, vt grauentur obseruantiis Secularium.

7 Secundò, quòd teneantur obseruare Decreta concernentia, quæ spectant ad officia, in quibus dependent ab Episcopo: Probatur, Tum ex cap. Ex ore 17. de priuileg. vbi dicitur, accedentes ad Synodum, per hoc ipsius Statuta recipere, & seruare. Tum quia diuerso iure censeri non debent, quæ eodem funguntur officio, *ex cap. Cognouimus 29. 12. quæst. 2. cap. Cùm in tua, de Decim. Gloss. versic. Concessa, Clement. Dudum, de Sepult.* loquendo de Confessariis Secularibus, & Regularibus, *per cap. Quia circa 22. de priuileg.* Tum quia dignum est, vt qui similem vitam degunt, seu simile habent officium, similem quoque sentiant in legibus disciplinam *ex cap. 3. de Statu Mon.* Tum quia Religiosus subditur Episcopo, quoties gerit personam extranei non spectantis ad suam Religionem, *Bartolus in l. Interdum, §. fin. de Iudic. & post eum Decius in cap. Tuarum, de priuil. n. 54. & ex illis Megal. consil. 40. in fine*, vbi concludit cum illis, quòd si Religiosus exemptus executionem vltimæ voluntatis acceperit, pro tali executione coram Ordinario conueniri potest, priuilegio exemptionis non obstante; in casu autem nostro huiusmodi videntur extranea, cùm dependeant ab Episcopo, ergo potest condere Decreta quoad benè gerenda huiusmodi officia, ad quæ seruanda teneantur Regulares Officiales. Tum quia id apertè colligitur *ex Constitut. Dum intra Leonis X. & sess. 25. c. 11. & c. 9. de priuil. in 6. Greg. XV. Constit. Inscrutabili*, hoc expressiùs dixit, dum voluit Confessarios Monialium, & alios curam animarum exercentes, quò ad hæc, esse subiectos omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, quam ad hoc refert *Barbosa sess. 25. ad cap. 11. n. 5.* ergo si quoad hæc officia subsunt iurisdictioni Episcopi, potest condere Decreta ipsos etiam afficientia.

8 Tertiò, quòd non teneantur pœnis in suis Synodis, vel Conciliis contra transgressores inflictis, probatur. Tum quia non tenentur eorum obseruantiis *ex probatis mox §. Primo.* Tum quia licèt Religiosi habentes officium Parochi, Confessarij, administrationis bonorum Monialium dependentes ab Episcopo, ac proinde teneantur ad obseruanda Decreta concernentia condignum modum, & ritum illa exercendi, vt probaui mox §. Secundo; hinc tamen non sequitur, illos incidere in pœnas inflictas, vti in excommunicationem, vel aliam censuram, vel pœnam corporalem latam in transgressorem sui officij, excepta pœnâ priuationis officij, in quo quis deliquit, & ratio est, quia Ordinarius nullam pœnam potest infligere in Regularem delinquentem, nisi tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, vt patet ex diuersis capitibus præsertim Tridentini, & ex citata Constitutione *Inscrutabili*; in quibus locis concedendo Episcopis, vt procedere possint ex vi coactiua contra Regulares, hanc facultatem ipsis communicat non vt Ordinariis, sed tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ; sed Episcopi condendo suas leges in Synodis, aut Conciliis, seu extra, id non faciunt vt Delegati, sed ex officio suo, & iure ordinario, vt de se patet, ergo Regulares nulla ratione, neque etiam ratione sui officij delinquentes incurrunt pœnas legales Synodorum, seu Conciliorum Prouincialium, excepta priuatione officij, ex iis, quæ dixi de Confessariis *resolut. 36. quæst. 30.* & dicam infra de aliis. Et de excommunicatione lata ab Episcopo non tanquam Delegato à Sede Apostolica, nulla, & irrita contra Regulares docet *Sair. lib. 1. cap. 15. §. Quarto exempti, & ex eo Canatius in Defensorio Ordinis Cassinensis cap. 5. num. 3. per cap. Cùm ad quorumdam, 7. de excessib. Prælat. Rodr. tom. 2. quæst. 63. art. 7. in fine, §. Et in fauorem, Bertius in sua Praxi Crimin. tom. 4. apud Rodrig. citat. tit. 4. cap. 29. num. 52. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 33. num 22. & 23. & lib. 6. cap. 1. n. 14. Mirand. tom. 2. quæst. 35. art 11. Portell. vers. Episcopus n. 5. Compend. resolut. 62. de excommunic. num. 7. quos refert Barbosa sess. 6. ad cap. 3. num. 10. Bariola versic. Episcopus pag. 106. alios plures citat. Idem Bariola consil. 32. de hac re in terminis.*

Dices, Archiepiscopi, & Episcopi, vt plurimum, solent mittere Romam ad pedes Sanctissimi huiusmodi Decreta in suis Synodis, seu Conciliis, vt à summo Pontifice confirmentur; sed confirmatio dat maiorem authoritatem cap. Quis nesciat 11. dist. 11. ad finem, ac proinde cùm sit Papæ, videtur etiam Regulares subiicere Synodis, seu Conciliis a se confirmatis, Papa enim confirmando facit legem suam, ergo omnes illis subiiciuntur.

Resp. Papam per confirmationem Synodorum, seu Conciliorum nunquam facere legem suam, sed adhuc remanere inferioris Legislatoris, sicut erat ante confirmationem, quia confirmatio nouum ius non tribuit, sed antiquum conseruat tantùm *cap. 2. dist. 12. cap. Cùm dilecta 4. ad med. de confir. cap. Ex parte 13. de priuileg.* Est autem duplex confirmatio; vna, quæ vocatur in forma communi, nullum ius tribuens, & rem confirmatam, si nulla est, non reualidat, sed si valet, solùm illam conseruat, hæc ergo confirmatio, vt aliquem habeat effectum, supponit valorem actus, super quem cadit, *gloss. vers. Confirmationem, cap. 1. de confirm.* vbi ait, quòd huius generis confirmatio parùm valet, nisi quia solet plus timeri, quod specialiter confirmatur *ex cap. Quanquam 6. dist. 23. ibi gloss. vers. eod. cap. Ex parte 12. de Constitut.* Altera vocatur confirmatio in forma specifica, qualis est ea, in qua inseritur tenor rei confirmatæ, vel expressè, vel virtualiter, & cognoscitur per huiusmodi clausulas. *Ex certa scientia. De plenitudine potestatis*, & similibus. Hæc autem parit tres effectus; Primò, confirmatum fit maioris authoritatis *cap. Nesciat 11. dist. 11. ad finem.* Secundò, si erat infirmum reualidatur *ex cap. 1. de Transact.* Tertiò, nullus præter authoritatem confirmantis potest de illo iudicare *cap. 1. & 2. de confirm. ita gloss. vers. Authoritate cap. Frater 9. 17. quæst. 4. Gloss. versic. Forma communi cap. Quia diuersitatem de concess. præbend. Rodrig. tom. 1. quæst. 8. art. 3. Vecchius de Nouitiis* ... *disput.*

*disput.9. dub.*13.*num.*4. *Siluest. vers. Confirmatio.* Ex his autem non infertur per alteram ex dictis confirmationibus, Statuta Episcoporum à Papa confirmata ligare Regulares ex vi confirmationis; nec obstant illi effectus, prior, quia solùm indicat confirmatum in forma specifica magis corroborari, & stabiliri, postremùs habet locum, quando Lex, seu Statutum conditum vim non habet ab inferiore, sed ab eius Superiore dependenter, tunc enim eleuatur, & fit lex Superioris, cùm illi dederit esse, & ad hoc faciunt quæ habet *Bonacin. part.* 1. *de dispens. num.* 15. de duplici confirmatione, essentiali legis, cui Superior confirmans dat esse, cùm inferior non potuerit condere legem,iure proprio subsistentem; & accidentali, quæ additur legi inferioris iam subsistenti, vt magis authorizetur, & à nullo reprobetur: modò in casu nostro id de confirmatione essentiali, seu tertio effectu non habet locum,quia Ordinarij habent ius condendi suas Synodos,& Concilia, per se vigorem habentia, antequam accedat confirmatio Papæ,

Quæres 6. An Episcopi possint censuris compellere Regulares exemptos ad obediendum in iis, in quibus illis subiiciuntur à Sede Apostolica?

9 Respond. Possunt, quod probatur: Tum quia delegata iurisdictione alicui, illi intelliguntur concessa ea omnia, sine quibus illa expleri non potest, *cap.præterea* 5. *in fine, cap. prudentiam* 21. *in fine* §. *Sexta, quod ampliatur,* licèt negotium commodè explicari possit, *Nauarr. consil.* 12. *de elect. num.* 3. *& consil.*40. *numero* 1. *&* 55. *de Regul.num.*9. *Megal. consil.*10. *num.*6. *ex Aretino, & Decio, & tribus aliis ab illis citatis,* etiam in materia stricta, & odiosa docet idem *Nauar. tom.*1. *in distinct.*5. *de pœnitent. num.* 28. Sed Episcopi commodè, imò cum non leui difficultate non possunt compescere Regulares inobedientes, nisi vtantur censuris, ergo hæc facultas illis intelligitur concessa in Delegatione. Tum quia Delegatus repræsentat personam Delegantis *ex cap. final. distinction.* 93. *capit.* 1. *distinct.* 94. *Gloss. versic. Impendunt, Extrau. commun.* 2. *de Sepult.* ac proinde facit idem Tribunal cum ipso *cap.*2. *de consuetudin. Guttier. lib.* 1. *quæstion. Canonic. cap.* 1. *num.* 83. *Megal. de censur. lib.*1. *cap.*2. *num.*40. Delegatus igitur vices Delegantis exercet, *Gloss. versic. Iudices ad finem, Extrau. commun. de offic. Delegat.* Sed Delegans potest censuris compellere Regulares ad obediendum, cùm in casu nostro sit Summus Pontifex, ergo & Episcopus eius Delegatus, personæ enim duæ habentes rationem vnius in aliquo officio, vti possunt iisdem mediis ad illud exercendum. Tum quia iurisdictio contentiosa adiunctam semper habet coactionem, *cap. pastoralis* 28. *initio, de offic. Delegat. & ibi gloss. versic. Si ergo coërctionem,* dicit, quod nulla est iurisdictio sine coërctione, *per l. final. ff. de offic. eius, cui mand. est iur. capit. Ex litteris* 29. *eodem.* Sed Episcopus vix cogere potest sine censuris,ergo illis vti potest, vt debito modo suum exerceat officium; nec dicas cum Sanch.citando,Episcopum posse vti aliis pœnis, quia huiusmodi pœnas eludere possunt fugiendo, non autem censuras, quibus absentes,& fugitiui afficiuntur. Tum quia Summi Pontifices subiiciendo Regulares Episcopis, eisdem dant omnimodam iurisdictionem super ipsos, vnde Gregor. XV. in sua Constitut. *Inscrutabili,* Episcopis subdendo Regulares circa animarum curam,Sacramentorum administrationem,sanctimonialium Monasteria,Prædicatorum Verbi Dei, vtitur illis verbis: *Omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus subiiciantur.* Et paulò infrà loquendo de ratione administrationis singulis annis reddenda à Regularibus Episcopo, dicitur ad hæc compellendos esse iuris remediis; & propè finem apertè dicit,quòd contra Regulares delinquentes in prædictis potest Episcopus procedere per censuras, & alias pœnas; de quo etiam modo procedendi per censuras fit mentio in plerisque locis Trident.de quibus Sanch.*referens sess.*22.*in Decreto de vitandis,& obseruandis in celebratione Missarum; sess.* 25. *cap.* 5. *&* 16. quæ loca pro se adducit, probando, Episcopos non posse vti censuris contra Regulares,nisi in dictis, & aliis casibus expressis. Sed dic tu, illam expressionem non excludere eundem modum procedendi in aliis casibus,vbi subticentur censuræ, quia expressio eius, quòd tacitè inest,nihil operatur,*cap.*2.*de rescr.cap.quemadmodum* 25. *de iureiurand.Gloss.fin.cap.Cùm adeò* 17.*de rescr. & gloss. fin. de præsump. versic. Ex illa Clausula;* constat autem ex suprà probatis, iurisdictioni delegatæ Ecclesiastico inesse ius compellendi inobedientes per pœnas non solùm temporales, sed etiam spirituales, censuræ enim propriè sunt arma,& iuris remedia,quibus Iudex Ecclesiasticus vtitur in iudicando.

Responsionem hanc tenent *Salcedo apud Sanchez citandum, Riccius, & Genuens. apud Dianam resolut.*76. *de dub.Regul.loquendo de Religiosis nolentibus ad processiones accedere; Piacesius in sua praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *num.*52.§.*Delinquentes,& Genuens.cap.*59.*num.*8.*in nouis, & Aldan.in Compend.Canon.resol.lib.*2.*tit.*18.*num.*20. *refert decisum in vna Liman.*19.*Septembris* 1625.licere Episcopo etiam pœnis, & censuris in Decretis Trid. eidem specialiter commissis præsertim in sess. 25. compellere Regulares ad eorum executionem, *ita ex eo Barbosa sess.* 25.*ad c.*22.*Rodr.tom.*2.*q.*63.*art.*7.*in fine,*§.*& in fauorem, Bertius in sua praxi ad tom.*4. *Rodr.tit.*4.*c.*29.*n.*52.§.*Delinquentes,Suar.lib* 6.*vers.Excommunic.* Quamuis Rodr. mutarit opinionem *p.*3.*Sum.c.*105.*n.*2.

Oppositum sentiunt alij negantes, Episcopum posse procedere per censuras contra Regulares in iis, in quibus illi sunt subiecti,nisi Papa id explicet in sua delegatione, *vt fecit Tridentin. sess.* 22. *de celebrat. Missar. & sess.*25.*cap.*5.*&* 16. *& Greg. XV. in cit.Constitut. Inscrutabili. Hi autem sunt Sanch. lib.*7. *disput.* 33. *num.* 23. *vbi pro se citat Gambara de offic.Legat. lib.*8.*cap.fin.num.*77. *Henr. lib.*7. *de Indulg. cap.*25. *num.*7. *ad finem, Rodriq. tom.*1. *Sum.cap.*74. *num.*4. *casu* 1. *Barbosa in hanc sententiam sess.*25. *ad cap.* 14. *num.*10. *citat Portell. versicul. Episcopus num.* 5. *Addit. sibi contrarium part.* 1. *casu* 9. *num.*2.*ad finem.Villalobos part.*2.*tractat.*35.*diff.*5.*num.*17. *Compend. resolut.* 60. *num.* 15. *&* 62. *num.* 7. *Diana resolut.*76. *de Regul. citat Tambur. tom.*1. *disput.* 19. *quæst.*7. *num.*7.*Scortiam Theor.*393.*Peyrinum tom.*1.*ad Constit.*11. *Sixti IV.num.*60.*Portell. & Villalobos; quos sequitur, & Nauar. consil.* 2. *de senrent. excommunic.* Probant *primò,* quia Regulares habent priuilegia, vt non possint censurari, neque ratione delicti, neque rei, aut loci, seu contractus ex allatis hic quæst. 2. Probant *secundò,* quia Papa, in aliquibus delegationibus exprimit, Episcopos posse procedere contra Regulares per censuras,in aliis verò non,ergo in his fit exclusio argum. cap. Nonne de præsumpt.& hoc procedit maximè in odiosis, quæ extendi non debent. Probant *tertiò,* ad hominem, quia ex probatis præcedent.quæstione Episcopus non potest ligare Regulares censuris latis in suis Synodis, ergo neque per sententiam.

Respondetur ad primum, ea priuilegia nostris temporibus euanuisse; vel dici potest procedere quatenùs exempti sunt, non quatenus illi subduntur. Ad secundùm dico, parùm referre expressionem in aliquibus delegationibus, & non in aliis,vt probaui in vltimo argumento pro responsione, quod confirmatur à simili, quia in multis delegationibus Sacri Concilij fit mentio expressa clausulæ; *Tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, vt sess.*6. *cap.*3.*sess.*7. *cap.*8. *&* 14.*sess.*21. *cap.* 8. *& alibi; in aliis subticetur, vt sess.*5. *cap.*1. *&* 2. *sess.* 23. *capite* 15. *sess.*24.*cap.*1.*sess.*25.*cap.* 4. 11. *&* 14. *& alibi,* & tamen ex dictæ clausulæ expressione non benè excluditur eadem clausula in aliis delegationibus, vbi subticetur, quia Episcopus iure ordinario, sed solùm delegato sibi à Sede Apostolica procedere potest contra Regulares;ergo à pari inclusio censurarum in quibusdam delegationibus non excludit easdem in aliis,vbi subticetur; &

& Axioma ſecundùm Thomaſetum *Regul.* 148. non procedit, vbi eadem eſt ratio vtriuſque, vt in caſu noſtro, nam Epiſcopus, vt probaui, eodem remedio indiget in vtroque delegationis genere. Ad tertium dico, latam eſſe differentiam, nam Epiſcopus condendo Synodum, procedit vt Legiſlator, & iure ordinario, ac proinde cenſuris à iure ſuo ligare non poteſt Regulares pro futuro delicto, & tranſgreſſione ſuorum Decretorum, vt probaui præcedenti quæſt. quando autem compellit contumaces, & inobedientes Regulares in iis, in quibus illi ſubiiciuntur, non agit, vt Legiſlator, neque iure ordinario, ſed vt Iudex, & iure delegato à Sede Apoſtolica, vt de ſe patet, ac proinde vti poteſt cenſuris, cogendo illos ad obediendum. Quòd ſi inſtabis, poteſt Epiſcopus in Synodo ponere ſuſpenſionem ipſo iure priuationis officij Parochi, & Confeſſarij, ſi iſti deliquerint contra ſuum officium, vt probaui *qu.* 5. §. *Tertio*, ergo Epiſcopus vt Legiſlator imponit cenſuras contra Regulares non ſolùm à iure pro futuris culpis præcauendis, ſed etiam ab homine, compeſcendo contumaces pro præteritis, vel præſentibus culpis. Dico, illam ſuſpenſionem non eſſe propriè cenſuram, ſed ſimplicem pœnam, & priuationem officij, in quo Religioſus deliquit, & hæc ab Epiſcopo regiſtratur in Synodo, non vt à Legiſlatore, ſed vt à Delegato Sedis Apoſtolicæ.

Quæres 7. An Epiſcopus poſſit denuntiare excommunicatos Regulares.

10 Reſpond. Poteſt, non ſolùm in caſibus in iure expreſſis, *vt in Clement.* 1. *de priuileg.* Epiſcopus denunciat excommunicatos Regulares, qui adminiſtrarunt Sacramenta Extremæ Vnctionis, Euchariſtiæ, & Matrimonij ſine licentia, & qui abſoluerunt à reſeruatis cenſuris à Canone, aut in Synodis, vel Conciliis. *Item cap. fin. de Regul.* dicitur, quòd Prælati Regulares excommunicent ſuos Fratres fugitiuos, & tales illos nunciari faciant ab Epiſcopis. Verùm etiam in illis omnibus caſibus, in quibus illis ſubiiciuntur per cenſuras à ſe latas, quod ſuadetur: Tum quia qui poteſt excommunicare, poteſt etiam denunciare talem à ſe excommunicatum; ſed Epiſcopus in caſibus ſibi ſubiectis poteſt excommunicare Regulares contumaces, ergo & illos tales denunciare. Tum quia iudicium ab eo finiendum eſt, à quo cœptum fuit, *l. Vbi cœptum, l. Si quis poſtea, ff. de iudic. Gloſſ. verſic. præuentus, cap. propoſuiſti* 19. *de foro compet. Megal. de pœnitent. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 5. §. *At ponamus*, ſed in caſu noſtro iudicium terminatur cum denunciatione contra contumaces, ergo poſſunt denunciari tales, à quo fuerunt excommunicati. Et in hoc nullam puto eſſe difficultatem in ſententia eorum, qui nobiſcum ſentiunt, Epiſcopum poſſe procedere per cenſuras contra Regulares; & ita ſentiunt *Cenedus quæſt.* 16. *num.* 30. *Alterius tom.* 1. *de cenſur. diſp.* 10. *lib.* 3. *cap.* 5. *Riccius in praxi tom.* 2. *reſol* 210. *num.* 4. *Henric. lib.* 7. *cap.* 25. *num.* 7. *Rodr. tom.* 2. *quæſt.* 63. *art.* 12. *Piaſecius p.* 2. *cap.* 3. §. 16. *num.* 59. *quos citat Diana reſol.* 35. *de Regul.*

Oppoſitum ſentiunt *Peyrin. tom.* 1. *ad Conſtit.* 2. *Sixti IV.* §. 10. *num.* 33. *Zerola in ſua praxi Epiſcop. verſic. Excommunic. Nauar. conſil.* 2. *de ſentent. excommunicat.* apud citatum Dianam, *quibus adhæret*, aſſerentes, Epiſcopum id præſtare non poſſe, niſi in caſibus in iure expreſſis, idem tenet *Portel. verſic. Epiſcopus num.* 5. *&* *Compend. reſolut.* 62. *num.* 14. citando Rodriq. pro ſe, à nobis citato; exemplificando in Religioſo percutiente Clericum extra clauſtra, qui non poteſt denunciari excommunicatus; ſic etiam in hoc caſu ſentit *Portel. verſic. Epiſcopus num.* 9. & de hoc ſpeciali caſu ita ſenſi ego *reſolut* 28. *quæſt.* 26. Et benè loquuntur, Tum quia in hoc caſu, & ſimilibus, in quibus excommunicatio eſt à iure communi, Epiſcopus nullum habet ius ſuper Regulares, niſi hoc ſit expreſſum, ergo ſicut excommunicatio non fertur ab Epiſcopo, ita neque eius denunciatio. Tum quia denunciatio eſt actus iudicialis prærequirens citationem, & cauſæ cognitionem, in quibus Epiſcopus non eſt Iudex competens, aliud eſt enim, quòd in defectum Prælati Regularis poſſit punire Religioſum extra delinquentem notoriè, & ſcandaloſè, vt dicam *infrà quæſt.* 9. *aliud eſt*, quòd poſſit illum declarare excommunicatum, ob illatam percuſſionem ſuo Clerico, vel ob aliam cauſam. Nec obſtat quod referunt aliqui apud Dianam *citata reſol.* 35. *de Regul. & Nald. verſ. Epiſcopus num.* 28. nimirum Epiſcopum poſſe denunciare Religioſum excommunicatum, quando eſt notoriè excommunicatus, in quo caſu notorietatis non requiritur cauſæ cognitio, neque citatio, aut declaratio, ſed ſine his actibus iudicialibus denunciatur excommunicatus. Reſpondetur enim, eſto non requirerentur illi actus præambuli, adhuc non poteſt Epiſcopus Regularem præcisè denunciare excommunicatum, quia actus denunciationis inter alios eſt iudicialis, ergo ſi Epiſcopus non poteſt facere illos actus præambulos, ex eo quòd ſunt Iudiciales à Iudice incompetente, minùs poteſt denunciare, cùm & iſte ſit iudicialis, & principalis, & non eſt maior ratio dicendi, illum eſſe Iudicem competentem in actu denunciationis, & non in aliis præambulis.

Hæc autem doctrina non obſtat noſtræ reſponſioni, in qua ſuſtinuimus, ſolùm in duobus caſibus Epiſcopum poſſe declarare, ſeu denunciare excommunicatum Religioſum; vno, quando Papa id expreſſè concedit; altero, quando ipſe Epiſcopus procedit per cenſuras contra Religioſum contumacem, in quo caſu iam excommunicatum declarat, & denunciat talem, vt ab omnibus euitetur, nego autem poſſe denunciare excommunicatum, quem ipſe non excommunicauit, vt probant adductæ rationes mox.

Quæres 8. An Prælatus Regularis poſſit abſoluere ab excommunicatione ſuum Religioſum excommunicatum, & vt talem ab Epiſcopo denunciatum, vel tantùm denunciatum ex conceſſione iuris, vt in Clem. de priuilegiis?

Reſp. Non poteſt, vt pluribus probaui *reſol.* 3. *quæſt.* 7. 11
quia magnum præiudicium inferretur Epiſcopo, ad quem ſpectat terminatio cauſæ, quæ etiam in abſolutione iuridica conſiſtit.

Quæres 9. Quomodo Religioſus exiſtens intra clauſtra, ſi extra notoriè delinquat cum ſcandalo populi, puniri poſſit ab Epiſcopo?

Reſpond. Epiſcopus poteſt punire Religioſum delin- 12
quentem quatuor concurrentibus conditionibus. Prima eſt, quando Epiſcopo inſtante, Superior Regularis negligit illum punire. Secunda, neceſſe eſt, quod delictum fuerit commiſſum extra clauſtra Monaſterij. Tertia, delictum debet eſſe notorium. Quarta demum debet eſſe ſcandaloſum; has quatuor conditiones refert Portel. verſ. Epiſcopus num. 2. & apertè colliguntur ex verbis Trident. ſeſſ. 25. cap. 14. *Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſeuere puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, ſin minus à ſuo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.*

Super hoc caput Clem. VIII. edidit ſuam Conſtitut. *Suſcepti muneris, extenſam apud Confell. pag.* 276. *& hac de re agit in Sum. tit.* 6. *cap.* 2. *eandem extendunt Sorbus in ſuo priuileg. Quar. verſ. Exemptio, Nald. verſ. Religioſus n.* 36. *Barboſa refert in Collect. Decret. ad cap. Ea quæ, de Stat. Mon. & ex illo Compend. reſol.* 62. *n.* 8. diuerſas declarationes Sacræ Congr. ſuper hac re, de quibus infrà, agunt de hac materia præter citatos, *Portell. verſ. punitio Relig. extra clauſtra; & in alio ſuo opere Reſponſionum p.* 1. *caſu* 19. *quamplures alios citat Barboſa ad dictum c.* 14. *ſeſſ.* 25.

Prima igitur conditio exigit duo, inſtantiam Epiſcopi, & negligentiam Superioris, vnde vnum ſine alio eſſe non poteſt, neque enim Epiſcopus, poſitâ Superioris negligentia, poteſt punire Religioſum delinquentem, niſi priùs monuerit Superiorem ad caſtigandum ſuum ſubditum reum. Sufficit autem vnica monitio Epiſcopi,

vt

vt decisum *refert Barbosa hic num. 8. & ad cap.* Ea quæ citat. *& ex eo Compend.resolut.62.num.8.* Superior autem negligens punire huiusmodi delinquentem priuandus est officio à suo Prælato, vt dicitur in Concilio, imò in Constitut.citat. Clement.VIII. ipso iure priuatur dignitatibus, & officiis obtentis. Quòd si illum impunitum sinat abire ad alium locum, in eo casu, Episcopus instare potest præfigendo tempus, quo redeat ad priorem Conuentum, vbi deliquit, & Superior illum negligens reuocare, ipso iure incurrit priuationem Dignatum, & Officiorum cum perpetua inhabilitate ad illa, & alia in posterum obtinenda, & insuper vocis actiuæ, & passiuæ, ad quas restitui non potest, nisi à Romano Pontifice; quòd si reuocetur, potest Episcopus loci, ad quem conuolauit, procedere contra ipsum.

Secunda conditio requirit, vt delictum committatur extra claustra Monasterij, vt dicitur in Concilio, quare extra claustrum dicitur commissum, perpetratum in Ecclesia, Ecclesia enim, & Monasterium sunt distincta, vt colligit *Gloss.versic. Monasteriorum, cap. 2. de suppl. negligen. Prælat. aliis iuribus ibi citatis, & ita decisum refert Barbosa ad citat.cap.fin.de Stat.Monach.num.8.& ad hoc cap.Trident.num.6.& ex eo Compend.resolut.62.num.8.§. Denique,* Regulares degentes de licentia Superiorum in domo ad electionem Monasterij designata, si ibi vigeat Regularis Obseruantia, comprehenduntur sub dispositione huius capitis, vt ibi num.4. decisum ex Armend. refert Barbosa.

Tertia conditio requirit notorietatem delicti, illud autem delictum dicitur notorium, quod ita est euidens, vt nulla tergiuersatione celari possit, *ex cap. Tua nos 8. de cohabit.Cler & Mu.cap. Cùm olim, cap.final.de verbor. significat.* vt docent super dictis capitibus Canonistæ. Est autem necesse, quod delictum visum fuerit a maiori parte viciniæ, modò ibidem adsint saltem decem personæ, per notata à *Panormitan.in cap.Vestra, de cohabitat. Cler. & Mul.ex Nauar.cap. 27. num. 255.* & cum tali malitia cognoscendum est, vt docent *Sanch.lib.8. disput.34. n.55. & lib.2.cap.11.num.19.Sair.lib.2.cap.12.num.19.Henriq. lib.13.cap.5.num.2.Bonac.quæst.3.de censur.p.2.§. Quarto, quos citat Bossius sect.1. de Iubilæo casu 10. num. 28. & 33.* Quare perpetrans in Ecclesia, seu alibi delictum, vbi nullæ sunt personæ, vel paucæ, non sufficientes ad faciendum notorium delictum, in hoc non subditur Episcopo, vt obseruat Compend. resolut.62. num.8. §. Circa vltimum; Neque notorium dicitur delictum eius, qui semel, aut bis meretricatur, incedendo secretè ad locum destinatum, quia non est notorium, neque tale iudicari potest, cùm desit frequentia, ex qua inferri potest notorietas, & scandalum, quando mulier vt talis præsumitur à vicinis, Aloysius Riccius *resol.546.quem cit.ad hoc cap.* Barbosa *num.7.* negat requiri probationem facti notorij, & scandalosi, sed ait sufficere illam allegare; quod ego non probo, quia agitur de punitione exempti, consequenter debet constare Episcopo, Religiosum delinquentem in hoc casu non gaudere exemptione, quod scire non potest, nisi probatis notorietate, & scandalo, *Peyrinus tom.3.cap 2 num.30.*

Quarta conditio postulat scandalum, quod est dictum, seu factum inordinatum dans proximè sufficientem occasionem peccandi, vnde non est necesse quòd populus actu peccet, sed solùm habeat occasionem peccandi, admirando de mala actione Religiosi.

Difficultas autem est, an delictum Religiosi extra delinquentis debeat necessariò consistere in facto, vt in meretricio, homicidio, &c. An sufficiat, si consistat in verbis, vt si blasphemet non hæreticaliter, iniuriet proximum, &c. Puto alterum ex prædictis sufficere, quia non solùm delictum facti, sed etiam verbi perpetrari potest notoriè, & cum scandalo populi.

Positis ergo dictis requisitis, potest Episcopus ita delinquentem a suo Superiore dimissum impunitum castigare, procedendo contra ipsum etiam per censuras iuxta probata quæst. 6. quicquid dicant supracitati Doctores ibidem, quos ad hoc cap. *num.10.* refert Barbosa.

Quæres decimò, An Religiosus ita delinquens extra claustra iuxta dispositionem Sacri Concilij, deprehensus in fragranti crimine, carcerari ab Episcopo, & ab eodem processari possit?

Respond. Episcopus de iure non potest carcerare Regularem repertum in fragranti crimine, neque processum formare contra ipsum. Probatur, Tum quia nullo iure id conceditur illi, imò expressè prohibetur *in Clement. de excessib. Prælat. & à Nicol.V. Const. Et si cunctorum apud Confect. pag. 43.* Tum quia si hoc ius habet, maximè ex dispositione *huius capitis 14.sess.25.* quod tamen verum non est simpliciter, sed tantùm posita negligentia Prælati nolentis, seu non curantis castigare suum Religiosum, qui cum scandalo deliquit, vt apertis verbis colligitur ex eodem Tridentino, in casu autem nostro nondum constat de negligentia, ex eo, quòd capitur in fragranti crimine, & ex eo, quod Episcopus nondum institerit, his enim duobus positis, instantiâ Episcopi nimirum, & negligentia Superioris, statim acquirit Episcopus ius super Religiosum reum, ita quòd deinceps potest legitimè illum carcerare, citare, processare, & punire. Hanc sententiam tenent. *Compend. resolut.62. num.8. qui resolut.63.num. 9.* excipit, nisi casus sit grauis, & timeatur de fuga, tunc enim potest Ordinarius capere illum, *argum. cap. 6. sess.25. cap. Si Clericos, de sentent. excommunic. in 6. eandem limitationem adhibet Villalob. apud Dianam resolut.132.de Regul.* Mihi tamen non placet huiusmodi limitatio, neque dictum c.6. arguit hoc, nam ibi dicitur, quòd si timeatur fuga, nè iudicium eludatur, potest initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere. Ecce, quòd sermo de Episcopo respectu suorum Clericorum, quos carcerare non potest, nisi præuia informatione, patem infert rationem, quod Prælatus Regularis poterit carcerare suum subditum, si timeatur de fuga, non verò sequitur, hanc potestatem habere Episcopum respectu Regularis; neque facit cap. Si Clericos, in quo solum dicitur, quòd laicus ex licentia Episcopi potest capere Clericum reum.

Oppositum tenent *Portel.in suis responsis part. 1. casu 19. Pirsecius part.2.cap.3. num.43.& ex eo Barbosa ad hoc cap.num.2. Nald.versic. Episcopus, num.28.& Bariola, qui cum eo vers.eod.pag.104. referunt decisum à Sacra Congregatione 15 Decembr.1584. Episcopo Andriæ, quod iterum decisum fuisse die 19. Septembr. 1625. testatur Barbosa apud Compend.resol.62.num.8. his verbis:* Primò quæsitum fuit, an Episcopus statim habitâ notitia delicti Regularis notoriè extra claustrum delinquentis, possit informationem capere, & illam ad Superiorem Regularē mittere, vt nequeat de eodem delicto ignorantiam præsumere, & Congregatio respondit posse. Hæc ibi, vt refert etiam *Peyrin. tom.3. cap.2. num. 31.* Probat ratione Portellus, quia Episcopus non potest instare, nisi ostendat processum à se formatum.

Respondeo cum Compend.cit.num.8. non benè constare de illa priori declaratione, imò videtur falsa, vt colligitur ex posteriori, in qua S. C. concedit tantùm Episcopo, vt possit capere informationem, ad effectum, nè Superior possit præsumere ignorantiam delicti, nulla facta mentione de carceratione, neque de processu, aut interrogatione rei, siquidem informatio desumenda est à personis scandalizatis, quæ viderunt Religiosum perpetrantem delictum, informatio enim se tenet ex parte testium, & non rei, qui non dicitur informare, sed confiteri coram Iudice, cuius pars processus, dicitur constitutiuus, non informatiuus. Ad rationem dico, instare contingere sine processu, significat enim monere pluries Superiorem, vt reum castiget.

Dixi, de iure Episcopum non posse carcerare, neque processare Regularem extrà delinquentem ante instantiam à se faciendam, & negligentiam Superioris, quia praxis in oppositum se habet, vnde vidi Archiepiscopum

quemdam carceraſſe, & proceſſaſſe, imò ſententiaſſe quemdam taxando illi pœnam exequendam ſub obedientia ſui Superioris. Rationem adducunt, quia quælibet res facilè reducitur ad ſuam priſtinam, & antiquam naturam, *cap. Ab exordio, diſt. 35. l. Si vnus, §. Pactus ne peteret, ff. de pact.* Sed ex probatis hic quæſt. 1. Epiſcopi olim habebant iuriſdictionem ſuper Regulares, cùm non eſſent adhuc exempti, ergo facili negotio huiuſmodi iuriſdictio ad eoſdem redire poteſt; ex quo Papponius lib. 1. conſil. 1. num. 13. concludit, exemptum non poſſe ſe ſubmittere extraneo Prælato ſine licentia Papæ, tamen Ordinario aliàs ſuo poteſt ſe ſubiicere.

Quæres 11. An Prælatus Regularis cum ſolo proceſſu fabricato ab Epiſcopo, ſiue ſit iuridicus, ſiue non, poſſit punire ſuum ſubditum reum?

14 Reſpond. Siue proceſſus ſit iuridicus, hoc eſt factus à Iudice competente, ſiue non, modò ſit formatus ſecundùm ordinem iuris, excepto ſolo Iudicis defectu, poteſt Superior Regularis eo vti ad caſtigandum ſuum ſubditum, adhibitis aliis requiſitis in ſententia danda, & executione pœnarum. Probatur; Tum quia incompetentia prioris Iudicis euacuatur per poſteriorem competentem; vnde & proceſſus dicitur effectus proprius Iudicis competentis per conſignationem factam ab incompetente; ergo cùm proceſſus euadat Iuridicus, eo poteſt vti Superior. Tum quia atteſtationes in vno iudicio receptæ, fidem faciunt in eaſdem perſonas coram alio Iudice, cap. cauſam 11. de teſtib. & ſimile habetur cap. fin. de probat. Tum quia non refert vndecunque crimina claruerint, vt puniantur, *cap. Ecce crimina 24. quæſt. 3.* Tum quia reus poteſt contentari priori proceſſu, abſque nouo diſpendio, ergo non fit illi iniuria, ex vulgatis iuribus. Tum quia licèt non firmetur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit, *Reg. 18. in 6. l. Quod ab initio, ff. eod.* firmatur tamen remoto impedimento, & conſenſu accedente, cùm regula intelligatur non firmari ſolo tractu temporis; modò remoueatur impedimentum, hoc eſt Iudex incompetens, cùm proceſſus fiat ſub poteſtate Iudicis, ac ſi ab illo eſſet actitatus, & accedit conſenſus tam Iudicis, quam rei; ergo firmus fit. *Portel. apud Peyr. tom. 3. cap. 2. num. 32. Compend. reſolut. 62. num. 8. in fine,* tenent hi tres, Superiorem Regularem non poſſe vti proceſſu nullo ex incompetentia Iudicis, ſed teneri nouum fabricare. *Idem Portellus part. 1. caſu 19. num. 2.* ex ſuppoſita Epiſcopi competentia id aſſerit poſſe vti eodem proceſſu, citando tamen prius reum, ſi velit ſe defendere.

Quæres 12. An Religioſi Tertij Ordinis ſint exempti, vel ſubiecti Epiſcopis?

Reſp. Flandrenſes Fratres, vt videre *eſt Conſt. Perſonas vacantes, 26. Auguſti* 1414. *Ioan.* 23. inter ſe ſtatuerunt diuerſa, & præſertim, quòd ſubiacerent Epiſcopi iuriſdictioni quò ad criminalia, & Conſtitutiones, quas ipſi conderent, confirmandas ab Epiſcopo, apud noſtrum Bullarium *pag. 20. Eugen. IV. Conſtitut. Iniunctum nobis, Dat. 6. February* 1442. Hiſpanos infra Regna Caſtellæ, & Legionis quatenus erant ſub obedientia Ordinariorum ex conſuetudine, ab illa liberos eſſe voluit, & exemptos *ex eod. Bull. pag. 32. Nicolaus Quintus, conſtitut. Paſtoralis Officij. Dat. 20. Iul.* 1447. Italis concedit omnia priuilegia, & exemptiones conceſſas eidem Ordini, & eius domibus & locis, apud dictum *Bull. pag. 34.* ac proinde Itali gaudent exemptione ab Epiſcopis facta Hiſpanis ab Eugenio dicto. Flandrenſes ſupra nominati in diœceſi Leodienſi videntur ſubiecti Epiſcopis *ex conſtit. Apoſtolicæ Sedis. Dat. 23 Apr.* 1450. dum enim illis concedit priuilegia, & exemptiones, quibus fruuntur alij Religioſi, addit clauſulam (*abſque tamen Matricis, & Parochialium Eccleſiarum præiudicio.*) *in Bullar. noſtro pag. 44.* & id eſt conforme conſtit. *citata Ioan. 23. Clem. VII. in ſua conſtitut. Ad vberes fructus. Dat. 15. Mart.* 1526. eiſdem in Hiſpania, & Portugallia indulget, ne poſſint viſitari, moleſtari, aut ſubiici iuriſdictioni Ordinariorum, aut aliorum Prælatorum pag. 78. in dicto Bullario. *Ita Rodr. tom. 3. quæſt. 72. & cum eo Compend. reſolut. 136. num. 1. Portel. verſ. eod. num. 1.* & in hoc nulla eſt difficultas, cum Religioſi vt ſic omnes ſint exempti à iuriſdictione Epiſcoporum, immediatè ſubiecti ſuis ſuperioribus, & Sedi Apoſtolicæ.

Quæres 13. In quibus Concionatores ſubdantur Epiſcopis? I. Dubium eſt, an requiratur licentia Epiſcopi non ſolum pro formali concione, ſed etiam diſcurſu, ſeu ſermone incidenter peragendo tam in propria, quàm aliena Eccleſia? II. An examinandi ſint ab Epiſcopo? III. An poſſint prædicare concionante Epiſcopo? IV. An Prælati regulares cogi poſſint ad concionandum in ſuis Eccleſiis, quibus adnexa eſt cura animarum? V. An in prædicando debeat ſe conformare Euangelio, quod Clerici legunt in ſua Eccleſia? VI. An concionator delinquens in hoc officio puniri poſſit ab Epiſcopo? VII. An approbatus in vna diœceſi, cenſeatur approbatus pro aliis? VIII. Quibus ſumptibus ſatisfiat concionatori? IX. An Religioſus poſſit prædicare de ſola licentia Curati? X. An Epiſcopus poſſit prædicare in Eccleſiis regularium? XI. An ad prædicandum ſufficiat licentia Epiſcopi, an vero requiratur etiam licentia proprij ſuperioris, & quinam ſit, Localis, an Prouincialis? XII. An prædicantes ſine licentia peccent mortaliter, & incurrant aliquam pœnam? XIII. An Epiſcopus exigat ab eo profeſſionem fidei? XIV. An exiſtentes extra clauſtra poſſint prædicare de ſola licentia Epiſcopi? XV. An poſſint commendare pauperes in ſuis Eccleſiis ſine licentia Ordinarij? XVI. An concedant Indulgentias? XVII. An Prælati & alij impedire poſſint ſæculares, ne audiant conciones in Eccleſiis regularibus? XVIII. An poſſint prædicare ſuis Monialibus ſine licentia Epiſcopi? XIX. An petat benedictionem etiam à Parochis.

Primo, requiritur licentia Epiſcopi, vt expreſsè dici- 15
tur in Concilio ſeſſ. 5. capitulo 2. his verbis. *Regulares vero cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſunt, cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltrà licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum, nullo modo prædicare poſſint.* Seſſ. 24. capitulo 4. dicitur. *Nullus autem ſæcularis, ſiue regularis etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat.* Requiritur ergo licentia ab Epiſcopo obtenta, quando regularis vult prædicare in Eccleſiis extraneis; in propriis vero ſufficit petere benedictionem, licet non obtentam, imò contradicente Epiſcopo, poſſunt nihilominus prædicare. *Rodr. tom. 3. quæſt. 32. art. 5. Regin. lib. 18. n. 123. quos & alios citat Barboſa ad cap. 2. ſeſſ. 5. num. 18. & num. 19. ex Aldan. lib. 1. Canon. deciſ. tit. 4. num. 10. & ad cap. 4. ſeſſ. 24. num. 24. refert ita deciſum fuiſſe a Sacra Congregat. 30. Iun. 1629. & eam refert ex eodem Barboſa de iure Eccleſ. vniuerſo lib. 1. capitulo 43. num. 210. Peyrinus tom. 3. cap. 2. num. 9. in fine. Diana reſolut. 58. de Regul.* Nec obſtat conſtit. *Inſcrutabili.* Gregor. XV. quia intelligitur iuxta datam reſponſionem Sacræ Congregationis aliter diſcreparet, quod dicendum non eſt, vt dicam infra §. difficultas, & hæc eſt differentia, quando prædicant in propriis Eccleſiis, quia ſufficit petere benedictionem, & non eſt neceſſarium eam obtinere arg. capit. licet, de regul. ac quando concionantur in alienis, tunc enim Concilium vtitur illis verbis. *Licentiam Epiſcopi habere teneantur.*

Quando regulares ſunt in loco nullius diœceſis ſub aliquo Abbate, in eo caſu neque in propriis Eccleſiis poſſunt habere adhortationes ad populum, non petita prius benedictione ab Abbate, à quo tamen tranſgreſſores non ſunt puniendi, ſed à ſuo ſuperiore, *Sellius in ſelect. canon. capitulo 23. numero vigeſimo ſeptimo, refert*

deciſum

decisum 15.Septemb.1629. apud Barbosam ad capitulum 4. sess.24.num.19.

Pro benedictione debet prædicator personaliter accedere ad Episcopum, & non per literas, aut tertiam personam, vt apertè habetur ex citatis verbis suprà allatis. *Se præsentare personaliter. Ita dicunt Zerola in praxi Episcop. parte 1. versic. Prædicatio §.3. Franc. Leo in Thesau. Fori Eccles. part.1.cap.8.num.10.& ex ipsis Peyrinus tom.3.cap.2.num.11.*

Videtur sequi contradictio inter loca Tridentini citata, si velimus sustinere, posse regularem petita benedictione, sed non obtenta, & contradicente Episcopo, ita in sua Ecclesia prædicare, nam secundo loco expressè dicitur, quod nullus potest prædicare etiam in propria Ecclesia contradicente Episcopo. Sed tollitur contradictio dicendo, hoc secundo loco Trident. intelligi, quando Episcopus vult per se, vel per alium coram se prædicari solemniter, quod est conforme *Clem. Dudum, de sepult. & sic cum Mirand. tom.1. quæst.50.art.3. aduertit Barbosa part 3. de officio Episcop. allegat.76. num.20. & ad capit.2.sess.5.n.18.*

Vsus autem obtinuit apud Regulares prædicandi in propriis Ecclesiis absque alia Episcopi benedictione, quam solùm petunt pro Quadragesima, & Aduentu, & non pro aliis Festis infra annum.

Fratres Minores ex prima Regula, Episcopo contradicente, non possunt prædicare in suis Ecclesiis, vt prohibet eorum Regula, & colligitur ex cap. Exiit, de verbor. signific. & refert Nald. ad dictum caput vbi ait occasione alicuius processionis posse Episcopum prohibere Regularibus, ne prædicent.

16 Secundò, de iure examinandi non sunt nisi à suis Superioribus, vt colligo ex Constit. *Superna Maiestatis*, 21. *Leonis X. quam refert Quarant. vers. Prædicator, & ex citata sess.5. cap.* 2. in quibus locis examen mandatur eorum Superioribus Regularibus, & non Episcopis; & licèt maior sit difficultas, quando prædicaturi sunt in alienis Ecclesiis, quia tunc requiritur licentia obtenta ab Episcopo, ac proinde debet illi constare de sufficientia Concionatoris, quod Episcopus assequi non videtur posse, sine speciali examine, & sic saltem implicitè conceditur Episcopis huiusmodi examen. Tamen euacuatur huiusmodi difficultas, quia in Constitutione Leonis X. sufficientia Prædicatoris ipsi Episcopo constat non per proprium examen, sed per fidem authenticam sui Superioris, vt elicitur etiam ex Trident. dum dicit Prædicatorem debere se præsentare coram Episcopo cum licentia sui Superioris. Prædicaturi ergo siue in propriis, de quo non dubitatur, siue in alienis, in quo consistit difficultas, de iure non sunt examinandi; *& ita tenent Mirand. tom.1.quæst.50. Barbosa de potestat. Episcop. allegat.76.num.23.par.3. Compend. resol.112. num.2. ad finem, & cum eis Diana resolut. 111. de Regul. §. Non desinam, Peyrinus tom.3.cap.2.num.11.*

17 Dixi de iure, quia in praxi seruatur oppositum, volentibus Episcopis examinare Regulares, licèt à suis Prælatis approbatos, prædicaturos in alienis Ecclesiis; & in confirmationem huius praxis fuit resolutum 22. *Januar.* 1628. posse Episcopos examinare Regulares prædicaturos in Ecclesiis suorum non Ordinum, *teste Aldano tit.4.num.10.apud Barbosam ad cap.2. sess.5.numero 20. Diana 4 tract.4. Miscell. resol.22.* eam resolutionem se non vidisse authenticam asserit Peyrin. citatus, sed non passim exterminandæ sunt resolutiones S.C. vti adulterinæ, maximè cùm constat de tempore, & loco, pro quo datæ fuerunt, vt de hac clarum est apud præcitatos; illæ verò sunt suspectæ quæ carent tempore, loco, & personis, in quarum fauorem emanarunt.

18 Tertiò, in aliquibus casibus potest Episcopus prohibere Regularibus, nè concionentur in suis Ecclesiis, vt dicitur in Clement. Dudum, de Sepult. his verbis: *Illa hora dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare:* Iterum infrà. *Nisi forte illa hora, qua solet ad Clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Episcopus, vel Prælatus Superior Clerum ad se generaliter conuocaret, aut ex aliqua ratione, vel causa vrgente Clerum ipsum duceret congregandum.* Vide Sorbum *vers. Prædicare Annot.2. Compend. resol.112.n.2.*

Quartò, Prælati Regulares negligentes facere prædicare in suis Ecclesiis habentibus adnexam curam animarum, ad hoc munus compellendi sunt ab Episcopo etiam per censuras Ecclesiasticas, vel Metropolitano, quando Monasterium situm est in loco nullius Diœcesis, si prius moniti spatio trium mensium suo muneri defuerint. Hæc colliguntur ex cit. capite 2. sess. 5. 19

Quintò, Prædicatores quò ad Conciones, & Lectiones, quas ad Populum habuerint, debent se conformare Euangeliis, & Epistolis, quibus Clerus Secularis vtitur pro suis Festis. *Ita decisum referunt Quar. versic.* Priuil. *Regul. Piasecius part. 2. cap. 3. numero 47. Vgol. de offic. Episcop. cap. 20. §. 3. numero 2.* Peyrin. *tom. 1. Constit. 28. Leonis X. num. 2. & ex illis Barbosa ad cap. 12. sess. 25. num.6. Compend. resol.65.n.14. & alij apud cit.* 20

Sextò, quamvis olim Episcopi non potuerint punire Regulares in alienis Ecclesiis sine eorum licentia prædicantes, vt decisum referunt. *Quar. versic.* Priuileg. *Regularium. Portel. versic. Prædicatores num.1. Compend. resolut. 112. num. 3. cum aliis citatis à Barbosa ad cap. 2. sess.5.num.21. & ad cap.4 sess.24. num.21. Tambur. tom.2. de iure Abbatum quæst.4. num.3. Campan. in diuers. iuris Canon. Rubr.12.cap.13. num.10. quos refert Diana resol.11. de Regul.* Nunc autem post Constitutionem *Inscrutabili* Gregor. XV. puniri possunt etiam per censuras Ecclesiasticas ab Episcopo, vt statuit in eadem Constitutione illis verbis: *Ac demum habeat Episcopus tanquam dictæ Sedis Delegatus, authoritatem coërcendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam Sæculares, quàm Regulares, qui in aliena Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint.* Et ita dicunt Barbosa locis citatis, & alij. 21

Difficultas autem oritur ex dicto decreto, quia ex eo constat, non solùm punire posse illos, quando sine licentia prædicant in alienis Ecclesiis, verùm etiam in propriis, sine petitione benedictionis, eo contradicente, ergo non sufficit petere benedictionem, sed illa obtinenda est, contra id, quod dixi suprà §. Primo; sed dico, sufficere petitionem benedictionis, licèt non obtineatur, sed contradicat Episcopus, quia illa clausula [*Contradicente Episcopo*] explicatur in casu, quo Episcopus ipse vult prædicare, vel facere coram se solemniter prædicare, vel propter aliam causam, vt dixi §. Tertio, in his enim casibus potest inobediens Prædicator puniri ab Episcopo, quibus non extantibus non potest puniri, modò petierit benedictionem, licèt non obtinuerit, & ita declarauit Vrbanus VIII. in quodam suo Breui directo ad Episcopum Giennensem, quod ex parte refert *Barbosa ad cap.4. sess.24.n.24. extenso à Tamb.2. disput.64.* 12. Potest autem Episcopus interdicere Religioso, nè prædicet virtute dictæ Constitutionis, causâ etiam non redditâ, referunt decisum. *Leo in suo Thesaur. part.1. cap.8. num.9. Piasec. part.2. cap.3. num.41. §. Si item, apud Barbosam ad cap. quartum, sess. 24. & ad cap. 2. sess. 5. num.23.*

Prædicator non solùm potest delinquere concionando sine licentia in alienis Ecclesiis, aut sine benedictione in propriis, sed etiam inter prædicandum, errores, aut scandala disseminando; & in hoc casu præterea Episcopus procedere potest contra illum ex Decreto Tridentin. cap.2. sess.5. illis verbis: *Si verò, quod absit, Prædicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicauerit, contra eum, secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, &c.* In primo igitur casu illi inter

dicenda

dicenda est prædicatio, quod intellige respectu illius temporis, non enim perpetuò priuatur hoc officio prædicationis, & alia pœnâ ab Episcopo puniendus non est, cum de illa non fiat mentio ibidem. In secundo autem casu præterea debet Episcopus contra illum procedere aliis pœnis. *Vide Rodr. tom. 2 quæst. 32. art. 8. Mirand. q. 50. art. 7. Compend. resolut. 112. num. 12. quos, & alios citat Barbosa ad hoc cap 2 sess. 5. num. 24. Portel. versic Prædicatores, num. 12.*

Leo X. in Constit. *Supernæ*, extensa *apud Quar. versic. eod.* sub pœna excommunicationis reseruatæ mandat omnibus Concionatoribus etiam Regularibus, vt in suis Prædicationibus Sanctam Scripturam, iuxta Sanctorum Patrum interpretationem, declarent; prohibendo, nè tempus præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem Iudicij prædicare præsumant, inhibendo præterea, nè in sermonibus publicis futura prædicere audeant ex literis Sacris, nec illa à Spiritu Sancto, vel Diuina reuelatione se habuisse; neue detrahant Episcopis, Prælatis, & aliis Superioribus. Præterea ibidem innouat Clem. 1. de priuilegiis, in qua prohibet Regularib. nè in Sermonibus detrahant Prælatis Ecclesiæ, neque retrahant laïcos à frequentia, vel accessu dictorum Prælatorũ ab Ecclesiis; neque Indulgentias indiscretas, id est falsas pronuncient ad populũ; aut retrahant testatores à restitutionibus debitis, vt legatis faciendis Ecclesiis Matricibus; neque procurent legata, aut debita, vel malè ablata incerta sibi, aut aliis singularibus sui Ordinis Fratribus, vel Conuentibus in aliorum præiudicium fieri, seu erogari procurent. Eisdem autem Concionatoribus Clem. V. aliam pœnam non irrogat, nisi quod mandat, eosdem per duos menses subiacere pœnis illis, quæ secundùm eorum Regulam, vel Statuta pro grauibus criminibus eis consueuerunt imponi, super quibus absque manifesta necessitate cum eis non valeat dispensari. Puto pœnam excommunicationis positam à Leone X. non extendi ad transgressores Clementinæ, tum quia pœnæ non sunt extendendæ, tum quia Clement. habet proprias pœnas; ergo extensio facienda non est. De vtraque Constitutione Leonis, & Clementis nonnulla dicit Portel. *vers. Prædicatores à num. 3.*

22 Septimò, Prædicatores Societatis Iesu ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suo Prælato deputati, Curatis non repugnantibus, possunt vbique terrarum, vbi non sunt Ordinarij prædicare, refertur in eorum Compend. vers. Confessarius, & communicatur aliis Mendicantibus, *Rodr. quæst. 59. art. 5. in fine,*

23 Octauò, in dando stipendio, & victu Concionatori standum est consuetudini locorum, aliàs de iure in Cathedralibus spectat ad Episcopum, in Parochialibus victum dat Parochus, & populus stipendium, vt ex relatis Doctoribus tradit *Diana Miscellan. v. resolut. 71. Barbosa ad cap 4. sess. 24. num. 12.* ait ex Doctoribus ab eo citatis, Episcopum proprio sumptu debere Concionatorem conducere in dubio.

24 Nonò, nullus prædicare potest, etiam à Parocho inuitatus, sine licentia Episcopi, vt declarauit Clem. VIII. teste Zypæ, apud Barbosam ad cap. 4. sess. 24 num 7. Potest tamen Parochus dare licentiam viro docto etiam Religioso noto, vt bis, vel ter concionetur in sua Ecclesia, sine Episcopi approbatione, docet *Rodriq. tom. 3. quæst. 32. articulo 1. cum suo Compend. resolut. 112. num. 4. Portell. num. 2. Nauar cap. 25. num. 141. & ex eis Barbosa cit. num. 9.*

25 Decimò, Episcopus potest prædicare in Ecclesiis Regularium, *& ita decisum fuisse 17. Ianuar. 1584. testatur Gauant. in suo Enchir. versic. Concio Sacra num. 1. & ex ipso Barbosa ad hoc cap. 4. sess. 24. n. 3. contra Peyrinum tom. 1. ad Constitution. 27. Leonis X. §. 24. num. 47. vt refert Diana resol. 109. de Regul.*

26 Vndecimò, nullus Regularis potest prædicare in suis, aut alienis Ecclesiis sine examine de vita, moribus, scientia, & licentia suorum Superiorum, vt expressè dicitur in Constitut. *Supernæ*, Leonis X. *apud Quar. versic. eod. & in Tridentino sess. 5. cap. 2. cuius verba retuli suprà §. Primo.* Quinam autem sit Superior examinans, & dans licentiam, videtur esse non Localis, sed Prouincialis, ea ratione, quia Localis cùm præ oculis habeat illum vti suum subditum, præsumitur habere cognitionem vitæ, morum, & scientiæ, quod non potest præsumi de Prouinciali, sub cuius oculis personaliter non viuit, ac proinde ab eo, vel Generali examinandus est. Et ita determinatur c. 22. in fine nostræ Regulæ, ne aliquis Religiosus inconsultis Prouinciali, vel Generali audeat prædicare. Crederem tamen Priorem suis iuuenibus exercitij causâ posse permittere, vt recitent aliquos sermones, & alia huiusmodi, cùm tunc non dicantur formaliter prædicare, sed sermocinari.

Duodecimò, Prædicantes sine licentia peccant mortaliter, quia faciunt contra illud Sacræ Scripturæ: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* præterquamquòd prædicantes sine licentia possunt excommunicari, ex cap. Excommunicamus, §. Quia verò de hæret. Excommunicatio autem secundùm communem Doctorum opinionem supponit peccatum mortale; ergo isti peccant mortaliter. Vide Portell. versic. eod. num. 1. vbi facit mentionem de ea excommunicatione iuris, quam bene dicit esse comminatoriam, non latæ sententiæ. 27

Pœnam excommunicationis ipso iure, & alias pœnas contra malè prædicantes, retuli suprà §. Leo X. quibus adde alias contra Concionantes, Mariam semper Virginem conceptam fuisse in peccato Originali, iuxta Decreta Sixti IV. Gregor. XV. & aliorum Pontificum, *de quibus Nald. & alij versic. Conceptio, ego alibi. Vide infrà §. Decimoquarto.*

Decimotertiò, non solùm Episcopi, sed etiam Ordinarij possunt professionem Fidei exigere à Concionatoribus, *vt decisum refert Sellius cap. 23. num. 27. & ex eo Barbosa ad cap. 4. sess. 24. n. 20.* 28

Decimoquartò, dicitur ead. Sess. 5. cap. 2. quòd Episcopi caueant nè aliquem eorum, qui cùm sint nomine Regulares, extra claustra, & obedientiam Religionum suarum viuunt, admittant ad prædicandum, nisi illi noti sint, & moribus, atque doctrina probati, donec ab ipsis Episcopis super ea re Sedes Apostolica consulatur. Concilium videtur loqui de quibusdam, qui se fingunt Religiosos, sed tales sunt solùm nomine, & de aliis ignotis, Apostatis, & fugitiuis, vt videntur docere *Rodriq. tom. 3. quæst. 32. art. 9. Mirand. tom. 1. quæst. 50. art. 7. in fine, Compend. resolu. 112. num. 13. cum quibus est Peyrinus tom. 3. cap. 2. num. 16. vbi se refert ad tom. 1. Religiosi quæst. 1. cap. 22. §. Circa 1.* asserentem, Prædicantes sine licentia suorum Prælatorum esse ipso iure excommunicatos, & eosdem admittentes ad tale munus, vltra peccatum mortale, incurrere etiam pœnas contra fautores excommunicatorum. Si loquatur de iure communi, errat, quia in illo capit. Excommunicamus, de hæret. excommunicatio est comminatoria; neque hic locum habet excommunicatio Leonis X. quia est tantùm contra eos malè Concionantes, non autem Prædicantes sine licentia, vt benè colligitur ex eius Constitutione; neque etiam id certum est respectu Apostatæ, vel fugitiui Prædicantis, quia esto secundùm aliquos minus probabiliter huiusmodi sint excommunicati, non tamen propter prædicationem sine licentia, sed quia se subtraxerunt ab obedientia Religionis suæ. 29

Decimoquintò, Regulares non possunt inter prædicandum commendare pauperes sine licentia Ordinarij etiam in suis Ecclesiis, vt resolutum fuit 8. Maij 1602. in gratiam Episcopi Sauonæ. *Ita Bariola vers. Prædicator pag. 240.* 30

Decimosextò, Prædicatores Minorum in suis Ecclesiis quocunque anni tempore concedere possunt suis auditoribus indulgentiam annorum 18. & dierum 322. in alienis Ecclesiis dierum 222. Tempore Quadragesimæ in suis Ecclesiis, Feriis 2. 4. & 6. annorum 156. & dierum 324. *Compend. versic. Indulgentia quò ad Seculares 6.* 31

Compend.

Compend.resolut.77.num.58. vbi subdit, aliarum Religionum Conciouatores gaudere eodem priuilegio, si participant in priuilegiis, vnde Prædicatores Tertij Ordinis, cùm priuilegia Minorum communicent, gaudent hoc priuilegio concedendi Indulgentias; debent autem eas expressè concedere nomine Sanctitatis suæ, aliter audientes non lucrantur, *vt ait Collector loco citato, Rodriq.tom.2.quæst.95.art.1. Mirand.quæst.50. art.10. & ex eis Compend.resolut.112.num.20.Portel.versic.Prædicatores num. 9. &* 18. vbi ait huiusmodi Indulgentias non fuisse sublatas per Constitutionem Pauli V. qui reuocauit solas concessas directè Fratribus.

32 Decimoseptimò, Prælati Ecclesiarum, hoc est Episcopi, Ordinarij, Parochi, & similes prohibentes Parochianis suis nè audiant conciones in Ecclesiis Regularium, sunt excommunicati ipso iure per Constitutionem Gregor. IX. vt referunt *Mirand. quæst.50. art.8. Compend.versic.Prædicatores ex Corduba in sua Annotat. Rodriq.cum suo Compend.resol.112.num.11.vbi citat Suar. de Relig. tom.1.lib.2.cap.16. Zerolam versic. Prædicatio,* §.4. vbi refert decisum, Ordinarium non posse pœnis cogere populum ad audiendum concionem in Parochiali, & ex illis *Barbosa ad cap.4 sess.24.n.17.*

33 Decimooctauò, Regulares possunt prædicare suis Monialibus absque vlla licentia, aut benedictione Episcopi, quia Concilium requirit benedictionem, quando prædicaturi sunt publicè populo in suis Ecclesiis, vt apertè colligitur ex eodem cap.2.sess.5. modò prædicatio fiat tantùm Monialibus, & priuatim, in loco ad hoc deputato, vt plurimum extra Ecclesiam; ergo in hoc casu non intrat dispositio Tridentini. Neque Constitutio Gregor. XV. *Inscrutabili* de hac re quicquam disponit, cùm solùm Ordinariis subiiciat Concionatorem delinquentem.

34 Decimononò, Concionatores in Castellis, & villis, præsentata Episcopali licentia Parochis, & aliis, ad quos spectat illam videre, non tenentur ab eo Archipresbytero, aut Abbati, seu Curato petere benedictionem, quia iam obtinuerunt ab Episcopo, cui inferiores faciunt iniuriam, si illam petunt à Concionatoribus, quasi illos miserint imperfectos, perficiendos ab inferioribus, quod dicere absurdum est.

35 Quæres 14. De exemptione, seu subiectione Confessariorum Regularium Ordinariis locorum.

Resp. Confessarij ferè in nullo exempti sunt, sed subiecti sunt quò ad hoc, Episcopis, & Ordinariis locorum, iuxta ea, quæ fusiùs dixi resol.36.per totam.

Quæres 15. De exemptione, & subiectione Parochorum Regularium Ordinariis locorum? I. An sint capaces curæ animarum Secularium? II. A quo Superiore instituantur, à proprio nè, an ab Ordinario loci? III. A quo remouendi, & puniendi, si delinquant in hoc munere? IV. An Parochi Regulares teneantur seruare Decreta, & Ordinationes factas ab Episcopis in materia officij Parochialis? V. Quomodo se gerat Parochus extra claustrum manens? VI. De Parochis Militaribus? VII. An cogi possit ad Synodum? VIII. An cogi possit ad processiones? IX. An cogi possit ad casus conscientiæ, de quibus in Congregationibus deputatis ab Episcopo? X. An Prælatus Regularis possit facere gratiam Episcopo præficiendi suum Religiosum Parochiali Seculari? XI. An Superior Regularis possit amouere suum Religiosum ab officio Curæ? XII. An possit Curatus delegare suam facultatem aliis Religiosis, vel Clericis? XIII. An Prælatus Regularis administrando Sacramenta Parochianis, suo subdito Parocho resistente, incurrat pœnam Clement. Religiosi, de priuilegiis? XIV. An habentes Ecclesias pleno iure sibi subiectas subsint Episcopo? XV. An Regulares admittantur ad concursum.

36 Respond. Primò, Religiosi capaces sunt curæ animarum, vt colligitur ex *cap. Monachos, capit. In Parochia 16. quæst.1. Gloss.in quæst.1. causa 16. Gloss. versic. Secularibus Clement.2. de Relig.dom. per cap. Super eo, de Regul.cap. Quod Dei, §. Licet, de statu Mon. & ratio est, quia sunt coadiutores Parochorum, Nauarr.consil.7.de priuil. num.*14. imò directè tales sunt respectu suarum Ecclesiarum, quibus adnexa est cura animarum. *Idem Nauarr.consil.* 19. dicit, Minores de Obseruantia esse incapaces curæ animarum, & tales videntur etiam esse omnes alij Reformati, vt Capucini, Discalceati Carmelitani, &c. Meæ Religionis Sacerdotes esse capaces curæ animarum ita notum est, vt probatione non indigeat, siquidem in multis Monasteriis adnexa est cura animarum nostris Ecclesiis, vt Papiæ, Cremonæ, Placentiæ, Bononiæ, & aliis plerisque in locis.

37 Secundò, Religiosi in Parochos suarum Ecclesiarum eligendi, & deputandi sunt ab eorum Prælatis, & Superioribus, ex hac tamen deputatione nullum ius ad id munus acquirunt, sed prius examinandi sunt, & approbandi ab Episcopo, vt colligitur *ex cap. Visis, & cap. Sanè 16.quæst.1.cap. Per exemptionem, de priuileg.in 6.cap.13. sess.7. Aldan.in suo Compend.Canon. resol. lib.2.tit.5. n.7. refert decisum in Caputaq. 23. Iun.* 1629. Parochum in Ecclesia exempta deputatum non posse exercere curam animarum, nisi prius examinatus fuerit ab Episcopo, & approbatus, vt ex eo refert *Barbosa ad citatum cap.* 13. *num.*20 Est igitur in potestate, & arbitrio Prælati Regularis deputare, & designare aliquem suum Religiosum, vel alterum Sacerdotum ad curam animarum suæ Ecclesiæ adnexam, non autem id munus est Episcopi, ad quem præcisè spectat examinare, & approbare à Superiore deputatum, & non alium, & ita decisum referunt *Piasec.in praxi Episcop. part. 2.cap.3 num.46. & Gonzal. ad Regulam Cancellar.Gloss.5.§.3.num.34 & ex eis Barbos. ad cap.11 sess.25.num.19. &* 26. Quando Monasterium curatum est in loco nullius Diœcesis, tunc Religiosus deputatus examinandus est ab eo Abbate, seu Prælato, qui ibi habet iura Episcopalia, vt multis vicibus resolutum refert Barbosa *ad citatum cap.11.sess.25.num* 30. Deputatio autem in Religione videtur spectare ad eius Superiores, ad quos pertinet eosdem licentiare ad examen pro confessionibus excipiendis Secularium, quia illa deputatio nihil aliud est, quàm licentia, & præsentatio Religiosi ad Episcopum pro examine; & ita in mea Religione seruatur, vt nullus Superior Localis deputet Sacerdotem pro officio Curati, nisi sit, aut designatus à Prælato Prouinciali ad hoc, vel iam sit Confessarius Secularium.

38 Tertiò, quamvis Parochi Ecclesiarum Regularium ab Episcopo sine rationabili causa remoueri non possint, vt expressè dicitur cap.Vn.de Capell. Mon. tamen remoueri possunt, absque eo, quòd Episcopus teneatur deducere causas, neque eas iustificare, *Sellius in suis Selectis cap. 2. n. 3. refert. resolutum in Camerinen. die* 18. *Septemb.* 1627. *& ex eo refert Barbosa ad cap.* 8. *sess.21. num.9.*

Parochi, & alij Religiosi exercentes curam animarum, si in hoc officio delinquant, subiiciuntur iurisdictioni, & correctioni Episcopi, vt statuitur *c.per exemptionem 9.de priuileg.* Leo Decimus Constit. *Dum intra,* Tridentin.sess.25.cap.11. *Gregor.XV. Constitut. Inscrutabili*, qui concedit Episcopum posse procedere etiam per censuras Ecclesiasticas contra delinquentes in hoc officio, & hoc pluribus vicibus resolutum fuit, vt videre est apud *Sellium in Select. cap.112. num.8. sub die 5. Iunij* 1627. *Aldanum lib.2. tit.8. n.40. sub die 6. Februar.* 1627. *& ex eis Barbosa ad cap.11. sess.25. num.13. &* 14. Declarauit autem Sacra Congregatio, Papa Vrbano approbante, etiam alios Religiosos non Parochos delinquentes in administrandis Sacramentis personis Secularibus, esse subiectos iurisdictioni Episcopi, virtute dictæ Constitutionis Gregor. XV. & hæc declaratio habetur immediatè post dictam Constitutionem *sub dubit.* 13. *quam refert Barbos.ad dictum cap.11. num.6. &* 7. In aliis verò, quæ non concernunt curam animarum, nulla ratione subduntur Ordinariis, sed immediatè sunt sub obedientia, & iurisdictione suorum Superiorum Regularium,

latium, vt decisum referunt *Margarita versic. Parochus num.3 Aloysius Riccius resolut.513 num.2.& resolut.532.& ex eis Barbosa ad cap.11.sess.25 n. 10.* & nouissimè Sacra Congregatio ad Constitut. Greg. XV. vt suprà, ipso, & Vrbano VIII. approbantibus. Prædicta procedunt etiam in Parochis Ecclesiarum Militarium, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, vt dicam infrà §. 6. Quando Regulares sunt in loco nullius diœcesis puniendi sunt ab illo Prælato, qui illos approbauit ex supradictis §.2.

39 Quartò, Religiosi curam exercentes in iis, quæ ad administrationem Sacramentorum spectant, tenentur seruare Ordinationes factas ab Episcopis in suis visitationibus, & procedere possunt contra inobedientes, ita *Sellius citat.cap.112. num.18.* testatur decisum in Camerinen.20.*Martij* 1621. vnde in emolumentis percipiendis ex cura animarum prohiberi possunt per Episcopum, ne excedant taxam ab illo præscriptam *ex eodem Sellio cit. n.11 decisum in Liman.18. Septemb.1625. & ex eo Barbos.ad c.11.sess.25.n.16.& 23.*

40 Quintò, Religiosi inseruientes Ecclesiis curatis adnexis suis Monasteriis extra claustra degentes, si delinquant in officio suæ curæ, subsunt iurisdictioni, & correctioni Episcopi, in aliis suo Superiori, ac illi, qui officio Parochi funguntur manendo in claustris, vt decisum refert *Aldanus lib.1. & tit.10. num. 4.& 5.& ex eo Barbosa ad cap.14 sess.7.n.4.& 5.*

Religiosi Parochi extra claustra morantes in Ecclesiis Parochialibus adnexis suis Monasteriis, adhuc tenentur ad obedientiam, & obseruantiam Regularem, quia per hoc non absoluuntur à voto suæ Professionis, *ex cap Quod Dei timorem, de Stat. Mon* & Officium Diuinum recitare tenentur iuxta Regulam. Quando verò quis transfertur per dispensationem Sedis Apostolicæ ad Ecclesiam secularem in Parochum, tunc ad vitam Regularem non tenetur in iis, quæ impediunt suum officium, quia eximitur ab obedientia sui Prælati, & subditur Episcopo, *Gloss.vers.Claustrum, Clem. Ne in agro §. Ad hæc, Nau.consil.19. de Cler.non resid. num.9.& 11. & cons. 79. de Regul. Compend. resol. 15.num.9.& 58.* Cessat tamẽ illud priuilegium exemptionis à correctione Episcopi. Iste Parochus habet optionem recitandi officium iuxta Calendarium Diœcesis, vel religionis, quicquid dicat *Baptista de Salis, & ex eo Rodrig.quæst.34. art.6.gloss.vers.licitè, Clem.2.de celeb. Miss.* quia non amisit illud Ius celebrandi officium regulare. *Nau.apud Rod. cit.quæst.34. articul.7.* asserit Parochum acquirere Ecclesiæ Parochiali, non Monasterio. Sed de his plenius *vide Sanch.lib.6.cap.6.à n.36. vsque ad finem.*

41 Sextò, Parochi Militares, vel eorum Ecclesiis inseruientes etiam S. Ioannis Hierosolymitani subsunt cum suis Ecclesiis quibus adnexa est cura animarum, quo ad hoc præcisè visitationi, iurisdictioni & correctioni Episcopi, vt referunt *Armend.in Addit.ad recop. legum Nauar.lib.1. tit.6. de visit. num.102. quem citat Barbosa ad cap.8.sess.21.num.8.& ad cap.11.sess.25. num. 11. citat rescriptum Pij V. Exposcit. Dat.22. Septemb.1571. Cokier. de iurisd.ordin.in exempt.part.2. quæst.45. num.11. Piasecium part.2. sua praxis cap.3.num.46.& alios, & num.12. ex Aldano in suo Compend.Can.Resolut.lib.2. tit.8. n 38. decis.26. Iun.1627.*

42 Septimò, Parochi regulares tenentur accedere ad synodum, vt probaui suprà, *hic q.4.*

43 Octauò, Parochi regulares tenentur accedere ad publicas processiones simul cum aliis clericis curam animarum Secularium exercentibus, vnde *Barbosa ad c.13. sess.25.num.32.* refert, quod Monachus curam animarum exercens in Ecclesia Parochiali vnita Monasterio ordinis S.Benedicti Curien. Diœcesis cogi potest ad processiones, *ex Aldano tit. 8. num. 14. decisum sub die 5. April. 1631.*

44 Nonò, tenentur accedere ad Congregationes casuum conscientiæ, *Nald.ad cap.Peruenit 16.quæst.1. etiam Parochi Hierosolymitanæ religionis, refert Sellius cap. 112. num.20. decis.3 Martij 1598.& ex eo Barbosa ad cap. 11. sess.25. n.21.* & ad id cogi potest sub pœna suspensionis, *Homob.p.4 resp.86.*

45 Decimò, Episcopus nunc non potest præficere Ecclesiæ Parochiali seculari religiosum de licentia sui superioris, sed requiritur specialis dispensatio sedis Apostolicæ, siue fiat in perpetuum, siue ad tempus. Ita decisum testantur ex mandato Greg.XIII. nullum regularem esse capacem deinceps beneficij curati absque dispensatione Papæ, *Sanch.lib.4.cap.29 num.71. Marcus Anton.lib.1. resol.20 num.13. Riccius in decis.Curiæ Archiep. Neapol. part.1.decis.159 Gonzal.ad reg.8.Cancell.gl.7. num.53. & ex eo Quar.vers Canonicus, quos refert Barbosa ad cap.11. sess.14.sub hac autem decisione includuntur Canonici Regulares, Mirand tom.1.quæst.32.Nicol.Garz.part.7.de benef. cap.10.num.31. Aldan.in suo compend.can.resol.lib.2. tit.5. n.11. testatur resolutum in vna Cremon.1. Septemb.1603. Quar.vers Canonicus regularis.* Excluduntur ab ea decis. Militares S.Iacobi de Spatha, & alij non emittentes tria vota substantialia, hi enim sunt capaces beneficij Curati, aut simplicis, vel pensionis, & ita resolutum sub die 10.Nouemb.1609. testatur. *Nicol. Garzias in Addit. de benef part.1.cap.4.num.23.apud Barbosam ad cap 11.sess.14. num. 9. Pennottus tamen Canon. Regul.in Histor.suæ relig. lib.2.cap.72.* fusè, & benè probat Canon. Regul. esse capaces etiam cum sola licentia capituli Generalis profitentur enim expressè, se nun accepturos esse beneficia sine licentia dicti capituli; ergo ex vi suæ professionis non sunt incapaces beneficij.

Dixi, nunc esse incapaces, quia antea regulares erant capaces quorumcumque beneficiorum, Curatorum, vt apertè colligitur, *ex cap. In Parochia 16. q.1.* cap. quod Dei timorem, de statu mon. quæ iusta, & alia ad hoc retuli suprà hic §. 1. quam sententiam vti frequentissimam docet pluribus *Sanch.lib.7.cap 29.num.35. Barbosa ad cap.quod Dei timorem, num.3.* quare eo tempore de licentia solius sui superioris poterat religiosus ab Episcopo assumi ad curam animarum secularium, sine dispensatione Papæ, & ita intelligendi sunt *Rodr.Couar. Silu.cum Compend.resol.15.num.7 quæst.52.vbi se explicat, & n.57.58.& resol.109.n.3.*

46 Non tamen hinc excluditur, quin in aliquo casu necessitatis, vt tempore pestis, vt obseruatum fuit hic Mediolani anno 1630. magnæ pestilentiæ, quo tempore quamplures religiosi sacerdotes se obtulerunt Sanctæ memoriæ Federico Borromæo tunc Cardinali Archiepiscopo, & ex nostro Conuentu S. Mariæ Paradisi tres Patres Carolus Donesius de S. Genino Vmbriensis ad Sanctum Rocchum ad Portam Romanam; Laurentius Lechinus de S Columbano Laudensis ad locum Caluarij ad Portam Tosam, & Antonius Maria Ripa Genuensis ad Sanctam Euphemiam intra Mediolanum ad Portam S. Celsi deputati fuerunt, & singuli laudabiliter se gesserunt in salutem animarum. Idem dic de similibus casibus, vt si præficiatur per aliquod tempus in œconomum præmortui curati, &c.

47 Vndecimò, potest remoueri, non solum ab Episcopo, vt probaui supra §. Tertio, verum etiam à suo prælato regulari, quia & in hoc officio adhuc subijcitur suo superiori; præterquam quod, potestas data à Summo Pontifice, & à Concilio Episcopo super huiusmodi religiosos Curatos non est priuatiuè ad superiores regulares, sed ad illos cumulatiuè. *Ita Rota in Piscien iurisdictionis 15.Iun.1590.coram Plato, & in eadem 20.Oct.1593.coram Pena apud Barbosam ad cap.11.sess.25.n.27. Peyr. tom.3. c 4. num.22. vbi refert. Nauar.tom.2.com.2.de regul.n.65. §. Addo 8. Cokier.part.4.de exempt.q.73. num.2. Peyrinus ibidem.* Quod si Parochus à cura remoueatur à suo superiore, adhuc prosequi posse excipiendo confessiones secularium, cum iam sit ab Episcopo admissus, nec indigebit Episcopi approbatione, si post aliquod tempus ad eandem curam ab eodem admittatur, semel enim examinatus, & approbatus ad curam animarum, non potest iterum ad eam examinari, & citat *Riccium part.3.praxis resolut.*

resolut. 192.*num.* 1.*& capit. Accepimus, iuncta glossa* 2. *reputare, de atate neque etiam a successore, vt probaui consil.* 36.*q.*35.

Remotio ista potest spectari dupliciter, vno modo prout est suspensio exercitij curæ ad aliquod tempus; alteru modo prout est simplex, & absolu a remotio; in priori sensu, puto non amittere religiosum suspensum facultatem audiendi confessiones quo ad habitum, licet interim quo ad actum non possit audire suas oues; in posteriori vero sensu si nullam habent aliam potestatem audiendi confessiones nisi ex officio, & quatenus Parochus est, sine dubio ipso iure eam potestatem perdit quo ad habitum, à simili de aliis Parochis, qui aliam non habentes facultatem excipiendi confessiones nisi ratione curæ, remoti ab hoc officio, non possunt amplius audire confessiones, quia eorum tota potestas fundatur in officio curæ, a quo cum sint remoti, consequens est inferre eosdem perdere facultatem absoluendi fundatam in eo officio, siquidem sublato fundamento corruunt, quæ ab eo dependent *Arg. Regula Accessorium. cap. cum Paulus* 26. 1.q 1.*ex epist.* 1. *ad Corint. cap.* 3. Quod autem Parochus amotus ab officio non amplius absoluat, quandò non habet alium titulum ad hoc munus; docui *consil.*2.*q.*3. Ex quibus etiam sequitur superiorem debere alium Sacerdotem in Curatum proponere Episcopo, vt illum approbet, cum ille prior remotione ab officio amiserit omne ius, quod habebat ante, neque enim Episcopus intelligitur illum approbasse independenter ab eius superiore ad curam animarum, in hoc enim religiosus quo ad officium curæ dependet æque ab vtroque, ita quod vterque sufficiens est, illum priuare suo officio, eo quod Episcopus cumulatiuè ad superiorem hoc ius habeat, patet ex deductis resolutionibus à me §.11. nec obstat, quod idem regularis superior non possit priuare suum confessarium ab Episcopo approbatum, nisi in religione adsit decretum irritans confirmatum à Sede Apostolica, aut ipse superior iuridicè illum priuet, iuxta quæ dixi *consil.*36.*q.*11.ergo neque remouere Parochū à suo officio; etenim dispar ratio, quia in hac delegatione confessarius non dependet à superiore, sicut dependet ratione officij curæ, ex allegatis decisionibus, ergo sublato Curæ officio, statim cessat facultas absoluendi fundata in eo officio. Ratio Peyrini quod semel approbatus non debet amplius approbari, procedit primò, quādo quis fuit simpliciter absque tēporis limitatione admissus, vt probaui *res.*36.*q* a §.*semel secundo*, nisi remoueatur ab officio, à quo pendet facultas absoluendi.

48 Duodecimò, Religiosus Curatus cum ex officio suo exerceat hoc munus potest aliis sacerdotibus tum regularibus, tum secularibus, modo sint approbati ad confessiones audiendas delegare facultatem excipiendi confessiones suorum Parochianorum, & simplicibus sacerdotibus administrandi reliqua Sacramenta, & exercitia, quæ ad curam suam spectant. *Ita ex Fagundez de secundo pracepto Eccles. lib.*7. *cap.* 2. *n.*43. *Peyrinus tom.*3. *cap.*4.*n.*13.

49 Decimotertiò, Prælatus contra volontatem religiosi Parochi sui subditi præsumens ministrare Sacramenta Matrimonij, & Extremæ Vnctionis incurrit pœnam excommunicationis reseruatæ Papæ *in Clemen.*1.*de priuil.* Ratio est, Tum quia ibi excommunicātur simpliciter religiosi, ergo etiam superiores, nam nomen, *Religiosus*, in iure est nomen generale, *glos.*1. *Clem.*3.*de procur. arg. diuersorum textuum ibi citatorum, præsertim c.*2.*de testam. in* 6. vbi dicitur, quod religiosus potest esse executor vltimæ voluntatis testatoris de licentia sui superioris, & nemo negabit, per illum terminum, *Religiosus*, excludi superiorem localem respectu Prouincialis & hunc respectu Generalis, nec valet responsio, id procedere in fauorabilibus, non in odiosis, non enim habet locum in constitutionibus Papalibus, respectu quarum religiosi omnes siue inferiores, siue subditi sunt pares quo ad illatum obseruantiam, & ideò vtrosque indifferenter afficiunt. Tum quia si iste superior ministrare præsumeret hæc Sacramenta in aliena Parochia non vnita suo monasterio, sine dubio incurreret, ergo & ministrando Parochianis sub cura vnita suo conuentui, nam in hoc casu Parochiani isti non magis subiiciuntur sibi, quam illi, qui nullo modo ipsi sunt subiecti, ergo neque Parochiani propriæ Ecclesiæ, cui annexa est cura animarum. Nec prodest, quod sine eius deputatione non possit approbari ab Episcopo, & vtrique religiosus Parochus vt sic subiiciatur; quia illa deputatio ius solum in habitu tribuit religioso deputato, ita quod nullum actum Curæ exercere potest antequam approbetur ab Episcopo, vt suprà probaui §. 2. vnde cum aliud sit deputare, aliud exercere curam, quod posterius acquiritur per approbationem Episcopi, quæ non redundat in superiorem; qui non dicitur approbatus idcircò se ingerendo in administratione illorum Sacramentorum sine dubio dictam pœnam incurrit.

Sacerdos etiam regularis coniungendo in ma- 50
trimonium, vel benedicendo sponsas sine licentia proprij Parochi remanet suspensus donec ab Ordinario Parochi obtineat absolutionem, *sess.* 24.*cap.*1. præter excommunicationem præfatæ Clementinæ secundum *Nauar. cons.*1.*de pœnis, apud Bonac. de suspens. p.*5. §.1. *num* 20 *qui cum Rebello, Henr. Filliuc Sayro, & aliis à se citatis*, tenet, eam excommunicationem non incurrere, ne duplex pœna pro vno delicto incurratur, & ait ita fuisse à Sacra Congr. decisum, ita sentit etiam *Homob. par.*4.*resp.*95. Est autem suspensio simpliciter ab officio, à qua nullus regularis Prælatus potest absoluere, sed solus Episcopus Parochi, vel eius Ordinarius.

Decimoquartò, Prælatus, seu Abbas tam secula- 51
ris, quam regularis habens iurisdictionem Episcopalem, seu pleno iure in Parochos, & Parochianos, cuiusmodi sunt castra, & loca sub nulla diœcesi, nulla ratione subsunt Episcopis, etiam quo ad hoc munus Parochiale, vt decisum refert *Sellius cap.*112. *num.*25. *in Theatina* 11. *Septembr.* 1621. *apud Barbosam ad cap.*11. *sess.*25. Neque ad illos extenditur Constitutio Gregor. XV. *Inscrutabili*, vt respondit Sacra Congregatio *ad dub* 3. vt videre est sub eadem Constitutione in responsionibus dubitationum super ea exorta. *Compend. resol.*15. *num.*15. *&* 16. confirmat nostram responsionem dicendo *Trident. sess.* 24. *cap.* 9. loqui solum de secularibus, & verè ita est ibidem expressum, & limitatum; vnde secularem, in quo Abbas non habet ius etiam temporale, Episcopus ex vi dicti capitis visitare potest.

Decimoquintò nullus Regularis etiam Militaris 52
ex tribus votis admittitur ad concursum, decretum refert *Garz. part.* 7. *de benef.* §.10. *num.*32. *apud Barbosam ad cap.*18. *sess.*24. *num.*65. & ratio est in promptu, quia concursus supponit capacitatem concurrentis ad beneficium, Regulares autem præfati, sunt incapaces, ex adductis suprà §. 10. Excipio Canonicos Regulares Lateranenses, iuxta quod dixi *Resol.*92. §.5. *& decis.*487.*n.*60.

Quæres 16. De exemptione, vel subiectione Regularium manentium extra sua claustra Episcopis?

Respond. Religiosi manentes extra sua Mona- 53
steria subiiciuntur iurisdictioni, & correctioni Episcopi, quod probatur *cap.*1. §.*in eos, de priuileg. in* 6. Clarius in Tridentino *sess.*6. *cap.*3. illis verbis: *Nemo Secularis Clericus cuiusuis personalis, vel Regularis extra Monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegio pratextu tutus censeatur, quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. Et sess.*25.*cap.*4. loquendo de studentibus extra claustra morantibus, ita statuit. *Illi autem,*

qui studiorum causâ ad Vniuersitates mittuntur, in conuentibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur. Vide Barbosam super Concilium ad dicta loca, præsertim primum. vbi præter Doctores refert diuersas declarationes in hac materia, de quibus mox.

Dubia ex dictis locis Sacri Concilij deducuntur. I. An Prælatus Regularis possit dare licentiam professo perpetuò, vel ad tempus manendi extra Conuentum? II. An Parochus manens in Ecclesia vnita suo Monasterio, extra illud sita, delinquendo extra Officium Curæ puniri possit ex citato *cap.3.* III. An ab Episcopo deputatus ad aliquod suum officium de licentia sui Superioris, aut obsequio alicuius Prælati, seu Principis, aut alterius personæ, iuxta citatum *cap.4.* puniri possit ab eodem Episcopo? IV. An delinquentes in Grangiis; & similibus locis, vbi quandoque manent pro cura suorum prædiorum, &c. Puniri possint ab Episcopo. V. · morantes extra pro erectione, & fabrica nouorum Conuentuum subiiciantur Episcopis ex illo *cap.3.* VI. An Militares subiiciantur dispositionis huius capitis tertij? VII. An potestas à Concilio tributa Episcopis hoc capite tertio, excludat Superiores Regulares, ita quòd non possint punire huiusmodi suos Religiosos extra manentes. VIII. An apostatæ subiiciantur huic capiti? IX. An studentes in Ciuitate, vbi non habent Conuentum suæ Religionis teneantur morari intra claustra alienæ Religionis virtute citati capitis quarti? X. An Episcopus ex potestate sibi attributa ab vtroque capite possit procedere contra illos per censuras Ecclesiasticas? XI. An eiecti, & expulsi propter sua demerita à Religione sint subiecti Episcopis? XII. An prædicatores tempore Quadragesimæ, & Aduentus, extra morantes subiiciantur Episcopis? & alij docentes Doctrinam Christianam?

54 Primò, Religiosus de licentia sui Superioris potest manere extra claustrum, aliqua graui causa, & legitima subsistente; Probatur. Tum iure antiquo *cap. Monachi à Monasterio 35. 16. q. 1.* quod caput citat ad hoc *Nau. consil.68. de Regul. Tum ex cap. de viduis 7.23.q.5.cap.fin.* Qui Clericus vel Mon. in 6. in quibus locis dicitur quam profiteri posse sub ea conditione, vt in domo propria maneat, *Nau. consil. 14. de Statu Monial. num.3.* ergo & Prælatus potest hanc licentiam concedere. Tum iure nouo Tridentin. *cap. 4. sess.25.* illis verbis. *Prohibet Sancta Synodus, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu subijciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiusuis personæ, seu loci, neque ei aliquod priuilegium, aut facultas ab aliis super his obtenta, suffragetur. Quod si contrafecerit, tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur.* Tum iure speciali meæ Religionis, nam Flandrenses habent huiusmodi Statutum relatum, & confirmatum à Ioanne XXIII. in sua Constitut. *Personas vacantes.* Dat. 26. August. 1414. illis verbis. *Et nemo extra communitatem maneret aliquo notabili tempore, nisi de licentia Superiorum, in quibus Superiores omnes in necessitatibus, & causis rationabilibus possent dispensare, secundum quod eis, secundum Deum videretur expedire.* Eugen. IV. Constitut. *Iniunctum nobis.* Dat. 6. Febr. 1442. idem confirmat illis verbis. *Et quod etiam nullus ex Fratribus præsentibus, & futuris præfatis post professionem per eum emissam Matrimonium contrahere, ac aliàs extra domos, & loca prædicta officium, seu aliàs aliquod beneficium Ecclesiasticum obtinere, ac absque licentia speciali dicti pro tempore Visitatoris sibi ex necessitate, ac ad tempus duntaxat, & non aliàs concedenda extra domos, in loca huiusmodi moram habere, vel residere, aut alicui Ecclesiæ, seu beneficio Ecclesiastico pro pretio, seu aliàs seruire possit, & debeat.* Hanc responsionem docet *Nauarra tom. 2. Comment 4. num. 34. & consil.68. ad 74. de Regul. & consil. 4. de Statu Mon. Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 82. & 83. qui cum Nauarra in Comment, citato num. 12. tenent Tridentinum sess. 14. cap.* vbi videtur obstare huic sententiæ, dum prohibet, ne Superiores recipiant aliquem translatum de vno ad alium, ordinem, nisi perpetuò sub illius obedientia in claustro maneat, solebant enim antea Superiores recipientes dare licentiam translato manendi extra Monasterium; non inducere ius nouum, sed antiquum declarare reprobando licentias, quas sine causa Superiores concedebant, tamquam illicitas, & dimissis perniciosas; *vnde Nauarra in dicto Comment. num. 34.* propè finem dicit huiusmodi licentias sine legitima causa concessas esse nullas, cum sint dispensationes, quæ sine iusta causa consistere nequeant. De his licentiis, quæ tollebant alias concedi transeuntibus, tractant præter citatos *Azor. part. 1. lib. 12. cap. 14. quæst. 12. §. In Concilio, Rodriqu. tom. 3. quæst. 53. artic. 4. cum suo Compend. resolut. 123. num. 88. quos super dictum caput citat Barbosa.*

55 Difficultas est, ad quem Superiorem spectet dare huiusmodi licentiam extra? *Nau comm. 4. de regul. num. 34.* hanc facultatem facit indifferenter communem omnibus Superioribus Localibus Prouincialibus, & Generali, quod iterum refert *cons. 70. de regul. num. 4. sed cons. 71. & 72. eod.* loquendo de exitu ad subueniendum parentibus in graui necessitate detentis, mentionem facit tantum de superioribus maioribus, *& Comment. 3. num. 49 & cons. 4. de statu mon.* De hac materia subueniendi Parentibus fusè *Sanch. lib. 4. cap. 20. q. 2.* Opinio Nauar. est conformis statuto nostro sub Ioanne XXIII. suprà relato; quamuis in posteriori Eug. IV. fiat mentio de solo visitatore, non idcirco tamen excluduntur Prouinciales, qui non nominantur, quin de illis nulla est ibi mentio, forsan quia tunc non erant instituti. Igitur facultas manendi extra spectat ad Generalem tantum, quando agitur de mentione longi temporis, aut indefiniti non pro seruitio religionis, sed ex alia causa iuxta *cap. 4. sess. 25.* Ad Prouincialem verò, quando agitur de exitu ad subueniendum parentibus, vel ad aliquid aliud peragendum breui tempore. Ad Localem quando agitur de interesse proprij Monasterij, vt ad litigandum in alio loco, ad manendum in propriis domibus in locis, & villis, seu grangiis, vbi habentur prædia, & huiusmodi bona; & etiam in casu infirmitatis apud parentes, vel benefactores, & amicos, & causa recreationis per mensem, & in similibus casibus, quæ non concernunt officium, & munus fauore extraneorum.

56 Secundò, Parochus existens extra Monasterium in Ecclesia illi vnita, delinquendo extra officium curæ, non potest puniri ab Episcopo, sed a suo superiore tantum, quia non dicitur degere extra Monasterium, quia extra illud est cum licentia sui superioris, & sub eius obedientia, sed censetur viuere intra illud, iuxta vulgatum *Abbatis in cap. cum illorum, de sentent. excomm. Panorm. in cap. ex rescriptis, de iureiur. cum Nau. consil. 73. de regul. num. 8. ita Aldanus in suo Compend. canon. resol. lib. 1. tit. 6. num. 3. refert decisum 8. Febr. 1601. apud Barbosam ad hoc cap. 3. sess. 6 n. 7.*

57 Tertiò, iste religiosus cum scandalo delinquens in officio ad quod ab Ordinario loci deputatus fuit, potest ab eo puniri virtute dicti *cap. 3. sess. 6. Ita Aldanus in Compend. canon. resolut. lib 1. tit. 6. num. 3. refert decisum 14. Febr 1585. apud Barbosam ad hoc cap. num. 6.* Ergo delinquens in aliis, vel alias si non sit deputatus ab Episcopo, ab eo non poterit puniri, sed à suo superiore, qui illi dedit licentiam manendi extra.

58 Quartò, manens in grangiis, vel aliis locis annexis suis Monasteriis non punitur ab Episcopo, sed à suo superiore, cum censeatur delinquere intra claustra, iuxta adductam rationem §. 2 *cap. Recolentes, §. Cæterum, de statu Monial. Aloysius, Riccius in decis. Neapolit. par. 4. dec. 231. n. 4. apud Barbos. ad hoc cap. 3. sess. 6. n. 5.*

Quintò,

59 Quintò, religiosus manens extra claustra in domo pro erectione noui conuentus, si ibi vigeat regularis obseruantia, vt saltem viuat sub superiore conuentualiter, non potest puniri ab Episcopo. *Prasecius in suo praxi part.2. cap.3. num.42. Campanilis in suo diuersorio Iuris Canonici rubr.12. cap.13. num.22. in fine, & ex eis Barbosa part.3. de Potest. Episc. alleg.105. num.16. & ad c. hoc 3. sess.6. num.4.* vbi notat decretum Sacræ Congreg. subiiciens religiosos nouorum conuentuum, vbi duodecim non manent, omnimodæ iurisdictioni Episcoporum. Sed hoc decretum eluditur ab ipsis regularibus noua loca non recipientibus sine illo numero.

60 Sextò, Milites etiam S. Ioannis Hierosolymitani subduntur Episcopis *ex hoc cap 3. sess.6. asserunt Nau. consil.12. de regul. Rodr. tom.2. q.2. art.4. & q.63. art.7. §.5. cum suo Compend. resol.82. num.11. cum aliis apud Barbosam ad hoc cap. num.3.*

Septimò, excludit Superiores Regulares secundum *Puteum decis.239. alias 238. in nouis lib.3. Menoch. lib.2. de præsumpt. præsumpt.18. n.21. Cenedo ad decret collect.87. num.4. §.2. apud Barbosam ibid. num.2.* Intellige tu respectu religiosorum de licentia Papæ translatorum perpetuò, isti enim non possunt puniri nisi ab Episcopo, quia exempti sunt ab obedientia suorum superiorum, manentes vero extra de licentia suorum superiorum, si delinquant, sine dubio ab illis puniri possunt, & id etiam patet de Apostatis sequenti §.8.

61 Octauò, Apostatæ puniri possunt non solum à suis superioribus, sed etiam ab ordinariis locorum tam coniunctim, quàm diuisim ab illis, ex Constit. *Postquam Diuina.* Pauli IV. *apud Nald. vers. Professio regular. n.12.* Dicit tamen *Quar. vers. Apostata*, quod Pius IV. in sua Constit. *Sedis Apostolicæ*, illam Pauli IV. reuocauit ad terminos iuris communis; qua reuocatione non obstante, adhuc Episcopus contra illos procedere potest ex hoc *cap.3. sess.6.* in quo datur facultas Episcopo puniendi omnes regulares extra Monasterium manentes, si delinquant; quod apertè habetur in decretis *de eiect. & Apostatis, §. Rursus*, vbi mandatur, vt illos Episcopi carcerent, & postea consignent suis superioribus puniendos: præterà recurrentes ad suos superiores non missi, neque vocati, vti desertores sui instituti puniuntur ab Ordinariis locorum *cap.4. sess.25.* ergo multò magis Apostatæ. De hac re vide *Rodr. tom.1. q.30. art.4. Compend. resol.11. num.4. Nau. tom.2. Comment.3. de regul. num.51.* qui ambo dicunt, Tridentinum non prohibere secursum legitimum religiosi sentientis se nimis grauatum, vt dixi ego *resol.31. initio, & q.1. & 2. Peyrinus tom.3. cap.2. num.17.* loquendo de his regularibus extra claustra degentibus absque licentia, asserit, illos non comprehendi sub dispositione dicti *cap.3. sess.6.* ea ratione, quia licet extra obedientiam sint, cum tamen superiores procurent eos ad obedientiam reducere, signum est, quod eos non deseruerunt, nec à sua iurisdictione non eiecerunt, vnde illud Decretum Concilij intelligit de eiectis, & expulsis à religione. Sed reuerà eius opinio falsa est, nam ex hactenus resolutis dubiis constat non solum erectos, sed quoscumque alios extra manentes, siue sint apostatæ, siue translati, vel etiam cum obedientia sui superioris ad seruitium Episcopi, vel alterius subiici iurisdictioni, & correctioni Episcopi ex dispositione huius *capitis 3. sess.6. & hoc satis clarè constat ex citatis Decretis de Apostatis, & eiectis.* Nec eius ratio est alicuius momenti, quia quod adhuc subsint iurisdictioni superiorum Regularium, non tollitur potestas ab Episcopo in Tridentino concessa, stare enim potest, quod religiosus simul subdatur duobus superioribus, vt concesserat in casu nostro Paulus IV. suprà citatus, & alium casum habes *quæst.15. hic §.15.* vbi probaui non solum Episcopum, sed etiam superiorem à cura animarum posse remouere suum religiosum reum in hoc officio.

62 Nonò, studentes, si volunt effugere iudicium Episcopi extra proprios conuentus, debent morari in aliis conuentibus, quod colligitur ex verbis ipsius Concilij *cap.4. sess.25.* ibi *Conuentibus tantum habitent.* Loquitur enim simpliciter, ac proinde habitatio intelligi potest etiam in alienis conuentibus, si desint proprij.

Decimò, potest procedere contra manentes extra, etiam studentes, per censuras Ecclesiasticas, vt pluribus probaui suprà *hic q.6.* Doctores oppositum sentientes refert *Barbosa ad c.3. sess.6. n.10.* 63

Vndecimò, expulsi subduntur iurisdictioni, & correctioni Episcopi, incedendo in habito clericali, expressè Sacra Congreg. in decretis de Apostatis, & eiectis editis de mandato Vrbani VIII. 21. Septemb. 1624. imò etiam ex citato *cap.3. sess.6.* quia eiectus propriè dicitur manere extra Monasterium, & adhuc remanet religiosus, *Nau. in fine consil.77. de regul. Rodr. tom.1. quæst.1 art.4. & quæst.30. art.19.* Ita tenent idem *Nau. consil.78. & 79. in fine, de regul. Rodr. q.23. art.5. & q.30. art.20.23 & 25. cum suo Compend. res.57. num.3. § sed nunc, vt refert dicta decreta, & num.11. Portel. vers. eiicere n.6. & alij communiter.* 64

Duodecimò, manentes extra claustra pro prædictis spiritualibus exercitiis, delinquendo castigari possunt ab Episcopo virtute huius *cap.3. sess.6.* ad hæc enim deputantur ab illo, vt certum suppono, ergo ab eodem puniri possunt, & confirmatur per *Bart. in l. inserdum, §. fin. de iud. & per Decium in cap. Tuarum, de priuil. num.34. cum Megal eosdem citante consil.40. in fine,* qui dicunt, religiosum subdi Episcopo, quando gerit personam extranei non spectantis ad suam religionem. Et in specie de Doctrina Christiana *Barbosa ad hoc cap 3. num 8. refert ex Aldano in Compend. Can. resol. lib 1. tit.6. num.4.* decisum in Manilen. de anno 1626. Episcopum posse visitare, & corrigere regulares degentes extra claustra, occasione docendi Doctrinam Christianam. 65

Quæres 17. Quam potestatem habeat Episcopus in Religiosos delinquentes circa Moniales? Dubitari autem potest. I. An illi subiiciantur in administrando illis Sacramenta? II. An in administratione bonorum Monasteriorum illarum? III. An si ingrediantur clausuram Monialium? IV. An possit imponere excommunicationem contra religiosos accedentes, & alloquentes Moniales sine debita licentia? seu iam transgressores punire? V. Quas pœnas de iure incurrant regulares alloquentes Moniales? VI. An Episcopus eosdem religiosos puniat alloquentes alias personas intra clausuram degentes non Moniales? VII. An Episcopus puniat superiores regulares dantes licentiam suis Monialibus egrediendi sine licentia eiusdem Episcopi? VIII. An puniat eosdem ingredientes? 66

Primò respondetur, quod nullus Sacerdos regularis etiam à suo superiore deputatus potest audire Confessiones Monialium, nisi prius ad hoc speciale munus sit ab Episcopo approbatus, vt expressis verbis mandauit Greg. XV. in sua Constit. *Inscrutabili.* Satis dixi *resol.36. q.27.* quam Hispani non videntur acceptasse ex his, quæ habet Portel. *part.2. casu 13.* Ex rationali autem causa licet Episcopo admonere superiorem, vt huiusmodi Confessores amoueat, quod facere detrectans, aut negligens, habet Episcopus, virtute huius Constitutionis, facultatem eosdem Confessarios remouendi toties, quoties, & quando opus esse iudicauerit; vnde colligitur, Episcopum per hanc Constitutionem non habere ius, huiusmodi Confessores, quatenùs tales puniendi, si deliquerint ratione administrationis præcisè Sacramentorum suis Monialibus, hoc ipso, quod non ad ipsum, sed ad superiorem regularem attinet, illos ex rationabili causa remouere ab officio Confessarij. 67

Secundò, quamuis Episcopus de se non possit remouere administratores bonorum Monialium exemptarum, nisi præmissis admonitione, & negligentia superioris, iuxta dicta de Confessariis, tamen si deliquerint circa bonorum administrationem, puniri possunt ab 68

Episcopo, virtute dictæ constitutionis illis verbis. *Ad hec tam Seculares, quam Regulares huiusmodi nullis privilegiis, & exemptionibus se tueri possint, quo minus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum ab Episcopo loci similiter, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.* Quia autem dubitatum fuit, an prædicta habeant locum solum in delictis notoriis, & cum scandalo, respondit Sacra Congregatio, habere locum in omnibus delictis; quæ responsio est 13. dubiorum super dictam Constitutionem, registratam cum aliis in calce illius, cum approbatione Gregor. & Vrbani, & refertur à Barbosa ad *cap. 5. sess. 25. n. 11.* Ex prædictis verbis, in quibus nulla fit mentio de Confessario, si deliquerit ratione sui officij; confirmatur quod dixi, nempe ipsum delinquentem vt confessarium non subiici Episcopo, sed suo superiori, est enim exemptus, & delinquit in loco exempto. Eadem Sacra Congreg. *ibidem resp.* 12. censuit, Episcopum non teneri causam rationabilem significare superioribus, quos admonuit de remouendis Confessariis, aut administratoribus; & refertur *à Barb. ad c. 15. sess. 7. n. 8.*

69 Tertium Colligitur ex suprà allatis verbis ibi. *Aut circa clausuram.* De pœnis autem ingredientium clausuram Monialium, non est huius loci.

70 Quartò, Episcopus condendo edictum, ne vllus accedat ad Monasteria Monialium ad colloquendum cum eis, sub pœna excommunicationis non afficit Regulares accedentes, quamvis in eo aliàs exprimerentur. Ratio est, quia habent priuilegia, vt à nullo Episcopo possint censurari ratione delicti, personæ, contractus, rei, aut loci, vt retuli hic initio *quæst.* 2. Neque illis derogatum fuit per eam Constitutionem Gregor. XV. aut aliis eiusdem, vel aliorum Summorum Pontificum. Et si enim Episcopus possit procedere contra Religiosos sine licentia alloquentes Moniales etiam suas, vt colligitur ex dicta Constitutione, & postea censuit Sacra Congregatio, quod est procedere via delegationis Sedis Apostolicæ, non idcircò tamen contra eosdem procedere potest condendo Statutum, nè etiam Regulares accedant ad Moniales, quia hoc modo procederet ex officio iure ordinario, & vt Legislator, ratione cuius nullum ius habet in Religiosos; & ita tenet in hoc puncto *Diana resolut. 48. §. Nota octauò, contra Duardum lib. 1. Bulla cap. 1. quæst. 3. num. 119.* Hanc responsionem tenent *Quar. versic. Monasteria Monialium, Rodriq. tom. 1. quæst. 45. art. 2.* quos pro se citat *Bonac. quæst. 3. de claus. p. 4. num. 8. Barbosa ad hoc c. 5. sess. 25. num. 120. Diana citat. & resol. 114. de Regul. contra Graff. lib. 2. cap. 49. num. 68. & alios.*

Huiusmodi autem edictum comprehendit accedentes tam ad non exemptas, quam ad exemptas Regularibus subiectas, vt docent *Roland. à Valle vol. 3. consil. 33. num. 32. Gratianus in suis disceptat. forens. cap. 393. num. 22. Campan. Rubric. 12. cap. 16. num. 45.* quos citat, *& sequitur Bonacin. p. 4. num. 1. ad finem, & Barbosa ad cap. 5. sess. 25. num. 124.* Monialis tamen exempta puniri non potest, si locuta fuit cum persona seculari contra edictum, vt testatur *Sellius in suis selectis canon. capit. 30. numer. 12. decisum 8. Augusti* 1621.

Loqui, est coram aliquo suam voluntatem exprimere verbis, signis, aut nutibus docet *Graff. part. 1. lib. 4. cap. 12. num. 3. & ex eo Bellochius de casib. reseru. quæst. 9. num. 164. Idem Graff. pr. lib. 2. cap. 5. num. 33.* Huiusmodi autem expressio fit à persona per se, non per interpositam personam, aliter non dicitur loqui, sed facere, & mandare locutionem, vnde mandans, si non alloquatur, excommunicatione lata contra alloquentes non afficitur, vt tenet *Diana resolut. 48. de Regular. not. 2. contra Graff. cit. in prax. num. 32.* Similiter transgreditur edictum, qui loquitur licèt Monialis non respondeat, vt ex eodem *Graff. tom. 1. consil. 22. de sent. excommunicat. num. 30.* tenet *Diana not. 1.* qui ibidem contra eundem Graff. tenet non incidere audientem Monialem loquentem, nihil illi respondendo, quia verè non dicitur loqui cum Moniali. Excommunicationem latam contra alloquentes Moniales non afficit loquentem cum Abbatissa, eo quòd ipsa non veniat in odiosis sub nomine Monialium, *Diana cit. not. 3 contra Graff. pr. num. 37. quem sequor*, quia edictum non est contra Moniales, sed contra Religiosos, & ideo parum refert, quod Abbatissa non veniat in odiosis sub nomine Monialis, cum non agat de illis. Loquens per interpretem si sit præsens incurrit, ex eodem *Graff. num. 34. contra Dianam not. 4.* ea ratione, quia loquitur solum cum interprete, sed ego dico loqui etiam cum Moniali, licèt non intelligat eius verba. Ad incurrendam excommunicationem non sufficiunt tria, aut quatuor verba etiam obscena, neque loquens indifferentia per spatium vnius Miserere incurrit, ex eodem *Diana not. 5.* Neque sub nomine Monialium, cum quibus prohibetur collocutio, veniunt Nouitiæ ex *Graff. tom. 1. cons. 22. de sent. excomm. & ex eo Diana not. 9.*

71 Scribens literas Moniali non incurrit pœnas inflictas contra colloquentes, cùm sint diuersa scribere, & loqui, ita *Aloysius Riccius in praxi aurea resol. 65. A Cunha in Comment. ad cap. Reatum 33. dist. 81. num. 8. Homob. de exam. Eccl. tractat. 15. cap. 3. quæst. 3. suppos. 2. & ex eis Barbosa ad cap. 5. sess. 25. num. 122.* Quando autem pœna est expressè contra scribentes, tunc ad eam incurrendam requiritur, vt literæ perueniant ad manus Monialis, & eas legat, *Nauar. cons. 19. de sent. excomm. & ex eo Nald. versic. Verba n. 12.*

72 Quintò, Regulares sine licentia alloquentes Moniales etiam sui Ordinis, incurrunt ipso iure priuationem officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ, ita de mandato Sixti V. decreuit Sacra Congregatio die 7. Maij 1590. quod Decretum referunt *Quarant. versic. Monasteria Monialium, & Nald. versic. Monialis.*
Verba autem sunt ista : *Nulli posthac Religioso, cuius-* 73
cumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat (Superiore, cui Monasterij, seu Domus cura incumbit, Visitatore, vel Visitatoribus, Confessarioque ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) licere absque licentia expressa eiusdem Sacræ Congregationis accedere ad Monasteria, seu Domus quarumcunque Monialium, vel Sororum, siue sui, siue alterius cuiusuis Ordinis ad colloquendum, siue tractandum cum eis. Quòd si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, seu Sororum Ecclesiis, siue Oratoriis exterioribus, siue extra claustra existentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti Religiosi vllo quæsito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam, intra clausuram degentes alloqui possint. Confessarius autem similiter interdixerunt, ne in ædibus Monasterij, seu Domus, vel Monasterio, seu Domui Monialium, aut Sororum contiguis pernoctent, aut pernoctare faciant, vel alias secum retineant, neue extra tempora generalium Confessionum, quibus soli tantum Confessario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicet, cum sua habitatio, aut virorum Domus, vel Monasterium, in quo degit à Monialium, seu Sororum Monasterio, vel Domo nimium distat, nisi tamen, & eo casu contrarium specialiter statutum sit, ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant. Quæ omnia, & singula sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendis, aliisque eiusdem Sacræ Congregationis arbitrio, præceperunt inuiolabiliter obseruari.

Has igitur pœnas incurrunt omnes Religiosi, exceptis Superiore, Visitatoribus, & Confessario extraordinario, siue alloquantur Moniales sui, seu alterius Ordinis, & etiam quascumque personas intra clausuram degentes, vnde neque excusantur celebrantes, neque prædicantes in iisdem locis. Confessarius pernoctans, vel

vel alios faciens pernoctare, has incurrit pœnas, sicut & cum tempore generalium confessionum ibidem manducat, quando eius Monasterium nimium non distat.

74 Occurrerunt dubia super dictum Decretum. I. Quæ dicatur nimia distantia? II. An præfati Officiales exempti dicantur respectu Monialium tantum sui Ordinis, ita quòd alloquentes sibi non subiectas, incurrant has pœnas? III. An hæ pœnæ afficiant alloquentem Monialem existentem extra Monasterium? vt si reperiatur in domo parentum? IV. An afficiat Regulares in locis, vbi non seruatur clausura? V. An præter accessum requiratur allocutio? VI. An quando Monasterium virorum, & Monialium eodem pariete constat, si Religiosus sine accessu, sed manendo in sua cella, vel loco Monasterij sui alloquatur, incurrat has pœnas? VII. An hoc Decretum obliget, sub mortali? VIII. An vnica vice alloquens incurrat? IX. An comprehendat quoscumque Regulares etiam Militares? X. An scribentes ad Moniales incurrant? XI. An alloquentes contra huiusmodi Decretum puniri possint ab Episcopo? XII. An dispensatio in dictis pœnis sit reseruata Papæ? XIII. An Religiosus teneatur in conscientia subire has pœnas ante sententiam? XIV. An ipso iure incurrant excommunicationem? XV. An pro allocutione etiam nunc consulenda sit Sacra Congregatio? XVI. An hoc decretum interdicat locutionem cum non Monialibus intra clausuram?

75 Primò, iudico nimiam distantiam esse, quando est interuallum vnius milliarij, immò quandoque dimidium milliare videtur inducere nimiam distantiam, attenta ætate Confessarij, qui vt plurimum eliguntur senes, vnde nimium distare Monasterium S. Bernardi prope nostrum Conuentũ Paradisij Mediolani à Monasterio Sanctæ Mariæ Gratiarum Dominicanæ Religionis, cui illius Moniales subduntur, poterit ergo hic apud Moniales se reficere interdiu; è contra Confessarius Monialium S. Pauli non poterit, quia Monasterium S. Pauli nimium non distat à Collegio sui Confessarij, nempè S. Barnabæ.

76 Secundò, illi Patres dicuntur excepti tantùm respectu Monialium sibi præcisè subiectarum, nam respectu illarum dumtaxat dicuntur Officiales, verba enim accipienda sunt formaliter, non materialiter ex vulgatis iuribus. Quare Prælatus solùm potest alloqui Moniales, quæ subiectæ sunt suæ iurisdictioni, & non alias, licèt sint sui Ordinis, quia respectu harum reputatur, immò est simplex Religiosus, sic Confessarius e.g. S. Bernardi non potest alloqui Moniales S. Lazari Mediolani in Porta Romana, quia respectu harum Confessarius non est, & in hoc non est dubitandum.

77 Tertiò, has pœnas non incurrit loquendo cum Moniali reperta extra suum Monasterium, siue iustè, siue iniustè, quia sic loquens non dicitur alloqui cum Moniali, accedendo ad suum Monasterium, quod est necessarium ad incurrendas has pœnas, ex quo tollitur.

78 Quartum in Regnis Galliarum, vbi non seruatur clausura, non habet locum hoc Decretum contra loquentem cum Moniali extra clausuram, vt respondit Sacra Congregatio Generali Capuccinorum die 15. Martij 1594. apud Naldum versic. Monialis, post hoc Decretum ibi relatum.

79 Quinto, ad eas pœnas non sufficit accessus, sed prætetea locutio cum Moniali existenti intra suam clausuram, vt apertè habetur in eodem Decreto. Quid si illam Religiosus reperiret casu extra, sed in locis, ad quæ possunt Seculares accedere, vt inter vtramque portam, vel in parlatorijs? videtur excusandus, quia dicitur alloqui extra Monasterium, cuius nomine veniunt loca intra clausuram contenta ex communi *cum Rodriqu. quæst. 46. artic. 1. in fine, Sanchez libro sexto cap. 16. numer. 11. Bonacin. quæst. 4. de clausur. p. & numer. primo, quos citat Barbosa ad cap. quintum sessione 23. numero 52.* Dixi casu, quia consulto, censetur alloqui Monialem intra Monasterium.

Sexto, incurrit, quia alloquitur Monialem existentem in suo Monasterio, vt patet ex præcedenti §. 5. Hoc dixi propter nostrum Conuentum Papiæ, qui eodem muro coniungitur cum Monasterio quarumdam Monialium. 80

Septimò, colloquens cum Monialibus causa vrbanitatis aliqua verba, vel pro aliquo negotio honesto, vel indifferenti, & raro, non dedita opera non peccat mortaliter, quia huiusmodi locutiones de se malæ non sunt, neque tales fiunt mortiferè ex prohibitione Decreti, quia hoc fundatur in præsumptione scandali, illis verbis: *Ad occurrendum scandalis, quæ contingere solent.* Sed in prædicto casu honestæ locutionis abest scandalum, ergo Decretum non habet locum saltem in foro conscientiæ, ex vulgata regula. Lex fundata in præsumptione non habet locum in foro conscientiæ, quando veritas est in contrarium, *capit. Tua nos 26. capit. Is qui fidem 30. de Sponsal. capit. inquisitioni 44. de sentent. excommunicat. Megal. 2. 2. lib. 2. cap 7. numer. 53.* Neque pœnæ additæ sufficiunt ad constituendum hanc locutionem mortiferam, quia pœna non supponit culpam, teste *D. Thom. 2. 2. quæst. 104. & colligitur ex Regula 23.* Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus; & patet etiam ex sententia *Valentia tom. 2. disput. 7. quæst. 5. p. 7. Soti lect. 3. de excommunic. quos contra se citat Diana part. 3. Miscell. 6. resolut. 76. illos sequuntur, Caietan. Castrus, Nauarr. cap. 23. num. 53. quos pro se citat Megal. consil. 6. num. 16.* asserentes, excommunicationem ferendam non esse signum sufficiens culpæ mortalis, ergo multò minus pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ; vnde Religiosus sic honestè loquens sicut non peccat mortiferè, ita neque incurrit has pœnas, quia pœnæ contra præsumentes non habent locum in transgressore sine malitia, & dolo, *Cardin. in Clem. 1. de priuil. quæst. 19. & ex eo Nauar. cons. 19. de reb. Eccles. non alien. num 3.* 81

Hinc colligitur intelligentia responsionis Sacræ Congregationis datæ 1. Iul. 1606. Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra hoc decretum vltra pœnas priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis. Eam refert *Coriolanus part. 2. ad casum 3. in fine, citant Nald. vers. Monialis n. 17. § Regularis, Bonac. q. 3. de claus. p. & n. 4. vbi citat Barchium in speculo Monialium cap. 9. Henrob. de casib. reseru. casu 5. versu 4. ad finem, Clauem Regiam lib 3. cap. 7. num. 34. ad finem, sequitur Peyrinus tom. 1. ad constit. 6. Pij V. §. 10. n. 36. & Diana resol. 104. de dubiis regul. Barbosa ad cap. 5. sess. 25. n. 113.* Isti igitur dicunt ex ea responsione, accedentes ad Monasteria Monialium peccare mortaliter, excipiunt tamen tres casus, locutionem causa vrbanitatis, instructionem in aliquo casu conscientiæ, & locutionem per interpositam personam; vnde videntur nobiscum sentire locutionem præsertim de rebus inhonestis inducere peccatum mortale, sicut & quando alloquuntur de indifferentibus sæpè, & multoties, quia id est potius spernere præcepta maiorum, maximè in his, in quibus omnino abstinendum est à similibus locutionibus etiam honestis. 82

Octauo, vnica tantum vice alloquens Moniales incurrit peccatum mortale, & dictas pœnas, si locutio sit de inhonestis, rationem reddit *Bonac. q. 3. de claus. p. 4. num. 5.* quia Sacra Congreg. prohibet accessum, & collocutionem, non frequentationem, & illum citat *Barbosa ad cap. 5. sess. 25. n. 113.* licet non limitent, vt ego, ad inhonestam locutionem. 83

Nono, sub eo decreto comprehenduntur etiam Fratres Hierosolymitani. *Quar. vers. Monasteria Monialium, in fine decreti, in Addit. Bonac. q. 3. p. 4. de claus. n. 7. Barbosa ad c. 5 sess. 25. n. 114.* 84

Decimo, scribens Monialibus, pœnas decreti non incurrit, patet ex Doctoribus suprà citatis §. Scribens, quibus adde *Nald. vers. Monialis, n. 17. § Et cum,* 85

Coriolanum de casib. reseru. casu 3.in fine *Barbosam ad cap.5.sess.25.n.114.*

86 Vndecimò, regulares reperti cum Monialibus alloqui ab Ordinariis carcerantur, & postea eorum superioribus puniendi consignantur, de punitione faciendi sunt certiores Sacra Congregatio, & Ordinarius, vt testatur *Sellius in suis selectis Can.cap.18. n.41. resolutum in Fauentina 7. Martij 1617. apud Barbosam ad cap.5.sess.25. n.115.* Sed post constitutionem Greg. X V. & responsionem factam per Sacram Congregationem ad eius calcem registratam Ordinarius immediatè potest regularem repertum loquentem cum Monialibus punire, vt id iterum dixi suprà §. Quarto. *Ita obseruat Bariola vers. Regulares pag. 267. vbi priorem declarationem refert decis.5.Febr.1585. Patriarchæ Venetiarum.*

87 Duodecimò, in illis pœnis, cum nulla fiat reseruatio, possunt superiores maiores dispensare, vt docent *Clauis Regia lib.3.cap.9.n.34. Graff.pr.lib.2. c.5. num.25. & ex eis Homob. p. 4. Resp. 64. Bariola pag. 262. & 137. vers. Generalis.*

88 Decimotertiò, religiosis in conscientia non tenetur abdicare a se officia, & desistere à danda, vel recipienda voce, sed potest expectare sententiam de abdicatione officij, patet, quia pœnæ, vt hæc, requirentes ad sui executionem aliquam actionem non incurruntur ante sententiam, *Sà vers. pœna n.1. Salas de legib. disputat. 15. sect. 3. num 46. Graff. p.1. lib. 2. c.11. num.53. & alij p.7. de legib. n.9. Sanch. lib.6. c.17. num.39 se referens ad alia loca, Diana resolut. 66. de regul. Bonac. quæst.1. de clausf. p.4. in fine,* licèt id neget de priuatione vocis actiuæ, & passiuæ contra citatum Sanch. & in terminis nostri casus citat. q.3. p.4. num.6. Sed ego sustineo cum *Soto lib.1. de iust. q. & art.6. ad 4. & lib.4. q.6. art.3. ad finem, Lodesm. p.2. q. 28. art.2. dub. fin. Molina tom.1. tract.2. disp.99. quos citat Sanchez lib.9. disp.30.* & confirmatur, quia est simplex incursio sine clausula declaratoria; ergo statim non incurritur, sed post sententiam.

89 Decimoquartò, de iure communi nulla reperitur pœna censuræ inflicta contra regulares accedentes ad Moniales, vt docet Graff. prax. lib.1. cap.6. num.47. nec obstat, quod frequentantes Clerici Monasteria Monialium mandantur suspendi, nisi desistant, & laïci excommunicari capit. Monasteria, de vita, & honest. cler. quia hæ pœnæ sunt ferendæ, & nostra responsio est de latis; deinde in illo textu fit mentio de clericis, quo nomine non veniunt Religiosi, vt in terminis docet *Compend. resolut. 26. num. 45. ex Sanchez lib. 6. capite 16. n.106.*

90 Decimoquintò, Sacra Congregatio de mandato Vrbani VIII. die 20. Nouemb. 1623. concedit Episcopis facultatem licentiandi Religiosos ad Moniales, illis verbis. *Vt quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicumque regulari, vt Moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu coniunctas, conuenire, & alloqui possit. Id verò non aliter, quam seruata ad vnguem forma infra scripta; vt id nullo modo liceat diebus festiuis, aut in Aduentu, vel Quadragesima, Feria Sexta, Sabbato, & Vigiliis: Prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem spectet eam concedere, consignetur confessario Ordinario Monasterij, qui pœnes se retinere debeat, isque associet, ac præsens sit, & auscultatrices de more, non autem aliæ assistant; prædictáque licentia pro die, & hora certa, & in scriptis concedatur, in libris Cancellariæ eiusdem Ordinarij annotetur.* Et paulò infrà subditur. *Regulares autem pœnis in supradicto Decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso se nouerint addictos, & arbitrio Sacræ Congregationis seuerius puniendos.* Hoc decretum referunt Nald. vers. Monialis post n.17. Bonac. quæst.3. de clausf. par.4. n.4. cit. Barbosa ad cap.5. sess. 25. n. 117.

Nomine dierum festiuorum veniunt Dominica, & Festa ex præcepto abstinendi à seruilibus, & non alia. Sub nomine Aduentus venit Romanus, non Ambrosianus arg. cap.1. de constit. in 6. Papa enim præsumitur ignorare consuetudines, & statuta particularium locorum; ergo nihil censetur disponere secundum illa. Similiter Quadragesima incipit à die Cinerum. Neque sub nomine Vigiliæ veniunt Quatuor Tempora, nam inter se multum differunt, vt videre est in Rubricis Breuiarij tit. de Vigiliis, quæ non vocantur Feriæ Maiores, sicut Quatuor Tempora, quorum cõmmemoratio nunquam omittitur, sicut quandoque Vigiliarum relinquitur. Quare poterunt habere licentiam diebus Mercurij Quatuor Temporum, non verò diebus Veneris, aut Sabbati, quia his diebus simpliciter prohibetur. Deinde si Religiosus alloquuturus est Monialem exemptam præter licentiam Episcopi, debet etiam habere gratiam à superiore regulari, seu ab alio, ad quem spectet, aliter incurrit pœnas, sicut & nisi seruet conditiones suprà positas.

Decimosextò, prohibitio Decreti alloquendi Moniales includit etiam locutionem cum quavis persona siue nouitia, siue puella, siue muliere existente intra Monasterium; namquamvis ex principio decreti videatur dicendum in oppositum, si tamen inferius attentè legatur prohibitio, se extendit ad quascumque personas, vt constat illis verbis. *Ne dicti religiosi vllo quæsito colore Moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint.* Bariola refert vers. Regulares pagina 268. decisum 9. August. 1502. posse regulares loqui cum mulieribus laicis existentibus in cœnobiis Monialium. Sed ego puto eam decisionem esse falsam, expresse enim contradicit allatis mox verbis Decreti. Idem Bariola ibidem asserit ex constit. Greg. XV. & declaratione Sacræ Congregationis, & alio Decreto dato 20. Nouembr. 1623. adesse prohibitionem respectu personarum laicarum. Sed ego non video aliud Decretum sub die 20. Nouemb. 1623. nisi à me adductum supra hic §. 15. in quo tamen nihil de hac re. 91

Sextò, principali respondetur, Episcopum procedere posse contra Regulares alloquentes non solum cum Monialibus, sed etiam cum personis aliis ibidem degentibus, vt colligitur ex const. Gregor. XV. illis verbis. *Si deliquerint circa personas intra septa degentes.* Vtitur enim nomine (*Persona*) vt det nobis intelligere, constitutionem hanc comprehendere tam sanctimoniales, quàm nouitias, puellas educationis causâ ibi morantes, & alias mulieres seculares. 92

Septimò, Episcopus de iure antiquo cap. Periculoso; de statu regul. Concil. Tridentin. sess. 25. cap.5. vbi illud confirmatum, neque virtute constitut. *Decori, & honestati.* Pij V. apud Confect. pag. 230. potest punire superiores regulares dantes licentiam iniustam suis monialibus egrediendi è clausura; Verùm ex constitutione Gregor. X V. videtur posse illos punire, vt potest colligi ex illis verbis. *Si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram.* Nam concedens illicitum egressum sine dubio delinquit circa personam, & circa clausuram, vbi degit. Sed de hoc exitu alibi. 93

Octauò, neque punit eosdem ingredientes in casibus permissis, cum ista facultas illi non concedatur in præcitatis locis §. 7. neque in duabus constitutionibus Greg. XIII. altera. *Vbi gratiæ, & indulta,* apud Confect. pag. 237. altera citante præcedentem. *Dubiis emergunt,* apud eundem pag. 241. Verum quidem est, quod eosdem punire potest virtute constitut. Greg. XV. *vt patet ex allatis verbis præced. §. Septimo, Barbosa ad cap.8. sess.7. n.6.* 94

Quæres 18. An Episcopus aliquando habeat ius visitandi Ecclesias, & Monasteria regularium exemptorum?

Resp. Episcopus non potest visitare Ecclesias regularium, in quibus non est cura animarum secularium, neque eorum Altaria, Capellas, Sacristiam, Tabernaculum, aut Paramenta. Ita decisum referunt *Rodriq. tom. 1. q.36. art. 4. in fine, Ioannes Baptista Cauatius* ad verbum refert hanc decisionem, in Defensorio Ordinis Cassinensis cap. 3. in fine, *Sellius cap. 112. numero 13. apud Barbosam ad cap. 11. sess. 25. numero 27.* Et quia quidam 95

dubitarunt

dubitarunt post constitutionem Greg. XV. idcircò de eius mandato,& Vrbani VIII.vt videre est in eius calce in prima dubitatione respondit Sacra Congregatio in hæc verba. *Ad primum dubium respondit, Episcopus non licere in vim eiusdem constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum secularium, nec loca, vbi in iisdem Ecclesiis asseruatur Sanctissimum Eucharistia Sacramentum, vel vbi confessiones personarum secularium audiuntur.* Meminit eius *Barbosa ad cap.8 sess.7. num.15. & ad verbum refert ad cap.11.sess.25. num.8.*

Dantur aliquæ Ecclesiæ subiectæ gubernationi Regularium vnitæ suis Monasteriis cum cura animarum, quæ, si in illis inseruiatur per Curatum secularem, visitari possunt ab Episcopo *Armend. in Addit. ad resol. legum, Nauar. tit.6.de visitat.num.88. apud Barbosam ad cap.8.sess.7.num.12.* licèt vnitæ sint Monasteriis, quæ sunt capita Ordinum, ex eodem *Armend. n.95. apud eundem Barbosam n.18.*

In Ecclesiis igitur Regularium nihil potest Episcopus, abstrahendo à cura animarum, quæ si inibi exerceatur, potest Episcopus visitare Altare deputatum pro cura, & Baptisterium, atque Tabernaculum, vbi Sacramentum asseruatur, vt colligitur ex præcedentibus, & refert *Aldan.in suo compend.q.Can.lib.3.tit.2.n.7.dec.22. Iun.1631.apud Barbosam c.7.sess.7.n.8.*

Monasteria Regularium Episcopus vti Sedis Apostolicæ delegatus visitare potest, quando in eis non viget Regularis obseruantia, si eorum Superiores admoniti intra sex menses suos Religiosos non visitauerint, vel correxerint sess.21.cap.8.ibid. Barbosa.

Quæ immediatè Sedi Apostolicæ sunt subiecta, si in Congregationes sese non redigant, licet Metropolitano pro prædictis causis conuocare, quod si eodem instante prædicta Religiosi exequi non curauerint, subdantur Episcopis, in quorum Diœcesibus sua loca habent. *Vide Barbosam Doctores citante ad cap.8.sess.25.vbi hoc decernitur.*

Quæres 19. An quando Episcopus habet ius visitandi Ecclesias Regularium, possit portas infringere, si ei occludantur, adhibendo etiam brachium seculare, & procedendo per censuras contra rebelles?

96 Resp. Potest, quia aliter eius potestas frustratoria esset, si præfata media adhibere non posset, ad reprimendam contumaciam inobedientium, non enim datur iurisdictio contentiosa sine coactione, cap. Pastoralis 28. initio de off.deleg.ibi Glossa vers. si ergo coërctionem dicit, quod nulla est iurisdictio sine coactione ex l. fin.ff. de Officio eius, cui mand. est furtum cap. ex literis 29. eod. Ita docent *Fuscher. de visitat.lib.2.cap 16.cum aliis apud Barbosam ad cap.11.sess.25. n 3.*

Quæres 20. An Episcopus visitet Confraternitates, & eorum Altaria, & Sacristias erectas in Ecclesiis Regularium?

97 Resp. Potest quidem visitare ipsas Confraternitates, non autem Capellas, seu Altaria, vel Sacristiam, vt refert *Armend. in Addit. ad recopil. legum Nau.tit.6.de visitat. l.5.§.2.num.14.* quacumque consuetudine contraria non obstante, *testatur Aldan.in suo Compend.canon.resol.lib.1. tit 7.n.3.resolutum in Vercell.17.Iulij 1625.* quamuis Altaria, & Capellæ per confratres constructa sint, *ex eodem Ald. n.3. decisum 21. Aug.1616. referente Barbosa ad c.8. sess.7.n.4. ad 6. vide Nald.vers. Episcopus n.20 vbi citat Genuens. in praxi Neapol.cap.17. eundem Barbosam ad cap. 8. sess. 22. num. 24. 25. & 26.* in quibus numeris explicatur præsertim 24. posse Episcopum non solùm confraternitates visitare, sed etiam eorum Altaria in his, quæ concernunt administrationem confraternitatum.

Quæres 21. An Episcopus in defectum Prælati Regularis negligentis corrigere suos subditos, possit ipse illos corrigere?

98 Resp. Potest ea ratione, ne delicta remaneant impunita, *l.ita vulneratus,§.quod si quis,ff.ad legem Aquil.cap. est iniusta 23.q.4.cap.vt famæ 35.de sentent. excom. Thomaser.reg.103.& hoc patet sess.25.cap.14.* iuxta quod dixi suprà hic quæst. 9. vbi delinquentes extra notoriè, & scandalosè in defectum sui Superioris ab Episcopo puniri possunt, & sess. ead. c.8. vbi datur facultas Episcopis super Conuentus, & Religiosos immediatè Sedi Apostolicæ subiectos carentes Capitulis Generalibus, & Visitatoribus, si moniti non se redigant in Congregationem, vt dixi quæst.18.§.Quæ. Ita tenent *Gutier.lib.3. pract.q.10.n.2. Lorerius de re benef.lib.1.q.25.n.45. & 54. apud Barbosam ad c.14.sess.7.num.7.* vbi ait Episcopum posse procedere contra exemptos tanquam Sedis Apost. delegatum quando in loco non adest, qui possit exemptorum causas cognoscere, secùs quando adest iudex deputatus. Quamuis autem in multis Religionibus Superiores locales non possint causas cognoscere iudicialiter, vt seruatur in mea Religione, tamen hinc inferendum non est, Episcopum statim posse procedere, sed vocandus est Prouincialis, qui iudicet, in cuius defectum, aut Generalis succedit Episcopus, ne delicta remaneant impunita. Prædicta autem procederent non solùm respectu delictorum extra, sed etiam intra claustra commissorum, cum eadem militet ratio, ergo & idem ius militare debet.

Quæres 22. An Episcopi possint interpretari priuilegia regularium in causa tangente eorum propriam iurisdictionem?

Resp. Non, quia id illis expressè prohibitum est à Clem.IV.constit. *Ordinis vestri.* In gratiam Prædicatorum, & Minorum, apud Confect. pag.13. quod etiam iure communi prohibitum est cap. cum. venissent, de iud. vbi Papa sibi soli reseruat cognitionem dubiorum de priuilegiis Apostolicis. Ratio est, quia aliàs videretur iudex in propria causa contra vulgata iura. Potest verò Episcopus per viros doctos priuilegium dubium exagitare coram Superiore Religiosi, contra quem procedere intendit *Rodr.tom 1.q.56.art.12.§ Sexta, & tom.2. q.63.art.7.§.Secunda §.Et in fauorem, cum suo Compend. Resol.60.num.14.* 99

Quæres 23. An Episcopus habeat ius in Regulares exemptos, quando esset in possessione iudicandi?

Resp. Non, quia non possunt renuntiare suis priuilegiis maximè in odiosis sine licentia Papæ, *ex cap. cum tempore de arbitris Rodr q.59.art.9.cum suo Compend. resol.18.num.20.§.primo, Confect.tit.5.cap.1.& resol.63.n 23. apud Dianam resol.134. de regul.* qui refert ita fuisse resolutum in vna Vlixiponensis Monasterij 19. Nouemb. 1725. coram Cocino *teste Barbosa p.3.de potestate Episcopi alleg.105. n.76.* contra Trullanum *lib.1. decis.26. n.2. Capram regul.84.n.11.& Cuchum lib.1.Instit.Canon.tit.6. à n.6.* quos contra se refert idem Diana. 100

Quæres 24. An Episcopus punire possit Religiosos vagantes sine obedientia prætextu accedendi ad suos Superiores?

Resp. Potest, apertè habetur sess.25.cap.4. illis verbis. *Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.* Hoc autem ius, quod Tridentinum concedit Episcopo, locum habet, quando Religiosus non probat se recurrere ad Superiorem causa appellationis, vt docent *Rodr.tom.1. q.30. art.4. Portell.vers. Episcopus n. 40. Compend.resol.60.n.12.* Quando igitur habent obedientiam, vt aiunt, sui Superioris, vel probant se ad Superiorem maiorem recurrere, non possunt puniri ab Episcopo, quia tunc non dicuntur vagantes, neque sui instituti quasi desertores. Sed quid dicendum, quando appellatio est friuola, & probant se recurrere ad Superiorem, & non vagari, an puniri possint ab Episcopo? dico, non posse, quia verè non vagantur, neque sunt quasi desertores sui instituti, licèt prohibeatur ibi friuola appellatio, vt docent omnes cum *Sanch. lib.6.c.8.n.102.& alij apud Barbosam ad dictum cap.n.10.* 101

confirmatur ex particula (*prætextu*) quæ importat facere aliquid sub velamine, & colore alicuius rei, quæ non est, sed falsa est *l. sub prætextu 1 & 2. C. de transact. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 57. num. 2. Sousa in Bulla Cœnæ Domini cap. 23. disput. 10.* ergo quando Religiosus siue parum, siue multum grauatus verè recurrit ad Superiorem, hunc recursum non fingit, neque vagatur prætextu ad Superiores accedendi, consequenter ab Episcopo puniri non potest, etiam recurrendo ob leue grauamen.

Quæres 25. An Episcopus processare possit Religiosum complicem in delicto personæ secularis sibi subditæ? exempli gratia, Clericus, & Religiosus simul hominem percusserunt, occiderunt, furtum fecerunt, &c. An processando Clericum, simul etiam ius habeat super Religiosum?

102 Resp. Non potest, quia Religiosi simpliciter carcerari non possunt, neque processari ex probatis hic q. 10. ergo neque ratione delicti complicis; & si enim Episcopus processum perficere non potest sine illo Religioso, tamen adest proprius Superior, ad quem spectat illum examinare, & cætera facere, quorum acta authenticè tradita Episcopo, illum adiuuare possunt ad terminandum processum, & castigandum suum Clericum reum, Episcopus igitur super hoc negotio nullum ius proprium habet.

Quæres 26. An Episcopus possit præcipere regularibus, vt in suis Ecclesiis publicent dies festos, & ieiunia? Seu an id facere possint propria authoritate, ita quod Episcopi contradicere non possint?

103 Resp. Vtrumque fieri potest. Primum docent. *Rodr. tom. 1. q. 43. art. 1. Portel. vers. Episcopus n. 7. quos pro se citat Barbosa ad cap. 8 sess. 22. num. 36. Compend. resolut. 60. n. 10. Aphor. Episcopales 11. Festum n. 6.* Secundum decisum refert *Peyrinus tom. 2. ad const. 7. Pij V. n. 13. sub die 2. Iulij 1620. apud Barbosam ad citatum cap. 8. n. 37. & ad c. 12. sess. 25. n. 7.* Prædicta autem decisio refertur in quodam folio Typis Sauoretorum Forilinij, & Bononiæ anno 1624. simul cum aliis tredecim, & est prima in ordine apud me.

Quæres 27. An Episcopus in Ecclesiis Regularium possit erigere Baldachinum, dum Pontificalia exercere in illis potest?

104 Resp. Potest ex Decreto Clem. VIII. incipiente. *Decet Episcopis.* Et infrà. *Mandat, vt de cætero Episcopi, vbi tam ex consuetudine, & priuilegio, quàm ex Sacrorum Canonum constitutionibus, & Pontificalis Romani præscripto, aut alio iure, Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum mitra, aut etiam sola cappa induti, in quibusuis Regularium tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Monachorum etiam Cassinensium, Clericorum, Presbyterorum, & cuiusuis alterius Ordinis, & Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis Ecclesiis interesse possunt, ipsi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant, in loco ad solium Episcopi constituendum opportuno, & congruo, Baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eisdem Episcopis illud asportari, & in quacumque eorundem Regularium, aut alia quantumuis exempta Ecclesia supra Episcopale solium, seu Pontificale Faldistorium erigi facere, atque sub eo sedere, & stare, quemadmodum in propriis, & Cathedralibus eorum Ecclesiis stare, & sedere solent; eo tamen dumtaxat tempore, quo Pontificales eiusmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipse, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur.* Et ibidem subiungitur, Episcopum Regulares cogere ad id posse censuris Ecclesiasticis, si noluerint obedire. Hoc Decretum referunt *Quar. vers. priuileg. Regul. Nald. Episcopus n. 36. qui ad Clem. de priuil. notat*, regulares teneri illum excipere iuxta Ceremoniale Romanum, ita decisum à Sacra Congregatione.

Quæres 28. An Episcopus possit exercere iurisdictionem contentiosam in locis exemptis Religiosorum?

105 Resp. Non potest, quia illi prohibetur iure communi *cap. Luminoso 18. q. 2. cap. cum Episcopus 7. de off. Ordin. in 7. cap. si Papa, de priuil. in 6 Sair. lib. 1. de censur. cap. 14. n. 5.* Ratio est, quia hæc iurisdictio cohæret loco, & territorio *l. fin. C. vbi, & apud quos*, neque exerceri potest extra territorium, *c. Statutum 11. §. cum vero de rescrip. in 6.* vndè ius dicenti extra territorium non paretur impunè *cap. fin. de constit. in 6. l. Nouit. ff. de off. legati, l. fin. de iurisd. omn. iud.* sed locus exemptus, vt sunt Monasteria Regularium, & extra Diœcesim æquiparantur, *Ioan. Andr. in Clem. de foro compet. vers. quia nomine, Megal. de cens. lib. 1. cap. 3. num. 36. Rodr. tom. 1. quæst. 36. art. 3. in fine, §. Primum, Graff. tom. 2. consil. 2. diff. 3. de pœnis. n. 7. Sigism. dub. 51. de elect. num. 2.*

Quæres 29. An Episcopus possit disponere de oblatis Regularibus, vel imaginibus, sitis infra eorum Ecclesias, vel extra in parietibus Monasterij, vel hortorum?

Resp. De nullis potest, & simpliciter loquendo de 106
factis Regularibus est certi iuris, & asserit *Glossa in casu cap. 1. de statu Mon.* ergo idem dicendum est de oblatis imaginibus in muris regularium, quia dicuntur oblata Religiosis. Vide Nald. vers. oblatio num. 2. dicit, oblationes factas imagini in pariete depictæ, esse Parochi, ex Abbate in cap. Pastoralis, de iis, quæ fiunt à Prælat. & num. 3. testatur oblationes factas Capellæ Confraternitatis esse Rectoris Ecclesiæ, & non Confraternitatis, decisum in *Curia Archiep. Neapol. ex Riccio part. 4. collect. 99. & 1113.* Sed hic Mediolani seruatur oppositum, ea conditione, vt cedant in vtilitatem proprij Altaris, sic practicatur in nostra Ecclesia Paradisij, vbi erecta est Confraternitas sub nomine Immaculatæ Conceptionis.

Quæres 30. In quibus casibus Religiosi ordinandi subiiciantur Episcopis?

Respond. In multis I. Ratione examinis II. In dis- 107
pensatione interstitiorum III. Subditur excommunicationi ferendæ, in edicto ab Episcopo non suo, iuxta ea, quæ dicam in resolut. . . . . de ordinatione Religiosorum.

Quæres 31. An Episcopus possit tenere ordinationes in Ecclesiis Regularium sitis in sua Diœcesi?

Resp. Potest, vt colligitur ex Clem. 2. de priuil. iuncta 108
gloss. vers. etiam celebrare, & ex dictis quæst. 27. de erectione Baldachini, quod erigunt, quando in eorum Ecclesiis volunt exercere Pontificalia; ordinare autem est actus potestatis Pontificalis, ergo inibi potest ordines conferre. In aliena autem Diœcesi non potest ordinare in Ecclesia Regulari sine licentia non solùm Episcopi illius Diœcesis, sed neque Prælati Regularis; de necessaria licentia Episcopi exprimitur sess. 6. cap. 5. de licentia Prælati Regularis asserunt *Aloysius Riccius in sua praxi fori Eccles. post resolut. 495. de materia Episcop. Galetus in sua Margarita vers. Episcopus Armend. in Addit. ad recopil. legum, Nauar. lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis n. 55. apud Barbosam ad c. 5. sess. 6. n. 10.*

Quæres 32. An Episcopus possit procedere contra Superiorem Regularem impedientem, ne coniugatus professus restituatur suæ vxori in casu, in quo illa ius habet illum reuocandi?

Resp. Potest, quod probatur, quia ad Episcopum 109
spectat conseruare matrimonia, & ea restaurare, si claudicant, cap. 1. de conuers. coniug. ergo potest cogere Regulares, vt illum restituant; quia concessa iurisdictione, censentur communicata ea omnia, sine quibus illa exerceri, & perfici non potest, *cap. præterea 5. in fine, cap. Prudentiam 21. in fine §. Sexta.* Alias rationes cum Doctoribus vide apud Sanch. lib. 7. disputat. 33. num. 21.

Quæres 33. An Episcopus virtute session. 24. cap. 20. in prima instantia possit cognoscere causas Regularium tam ciuiles, quàm criminales? Verba autem Concilij sunt: *Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque*

omninò

omninò saltem infrà biennium à die mota litis terminentur, alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum Iudices Superiores, alias tamen competentes adire. Ex quibus verbis continentibus dictiones vniuersales, vt [*omnes, quomodolibet*] & restrictiuam [*dumtaxat*] sine dubio infertur, in his includi causas etiam Regularium.

110 Resp. Non potest, quia ex toto contextu capitis colligitur, sermonem esse de causis suorum subditorum, & non Regularium exemptorum, quorum causas cognoscere non potest, nisi specialiter delegatus sit à Sede Apostolica, de qua delegatione, neque de ipsis Religiosis vlla fit mentio. Confirmatur, quia Riccius in decis. Curiæ Archiepiscop. Neapolit. *decis. 273 num. 6. part. 4. Armend. in Addit. ad leges Nauar. lib. 2. tit. 18. leg. 7. de Relig. num. 40. apud Barbosam ad hoc cap. 20. sess. 24. num.* 18. referunt decisum, ex causis nullitatis professionis, quæ infrà biennium ab Ordinario, & Superiore Regulari non terminantur, expediri posse ab Episcopo virtute huius capitis, ergo causæ Regularium in prima instantia non spectant ad Episcopum dumtaxat, hoc ipso, quòd in hac speciali causa debet procedere simul cum Superiore instantis. Postea vidi Constitut. *Religiosum sub graui*, Pauli V. apud Nald. versic. Religiosus num. 48. asserentis illud cap. non habere locum in Regularibus.

Quæres 34. An Episcopus possit mandare Regularibus, ne extraneos Sacerdotes sinant celebrare in eorum Ecclesiis, nisi priùs ab eo licentiam obtinuerint?

111 Resp. Potest, referunt decisum à Sacra Congregatione *Suar. tom. 3. disp. 86. sect. 2. Riccius in sua praxi Fori Eccles. resol. 635. apud Scipionem de Rubeis Presbyterum Congregationis Oratory de Vrbe in suis Aphorismis Episcopalibus vers. Missa num. 6. Nald. versic. Episcopus num. 22. versic. Missa num. 35. alios plures refert Barbos. ad cap. 16. sess. 23. num. 9.*

Quæres 36. An quando carent Conseruatore conueniantur coram Ordinario loci?

112 Resp. Conueniuntur, vt postremò statuit Greg. XV. Constitut. *Sanctissimus*. Vide Barbosam ad cap. 5. sess. 14. vbi quamplures Doctores more suo citat. Sed de Conseruatoribus alibi dicam. Olim ex indulto Pauli V. incip. *Religiosum sub graui*; Religiosi Carmelitæ in Regnis Hispaniarum in defectum Conseruatoris conueniebantur coram suo Superiore, & non Episcopo; sed intelligitur nunc sublatum.

Quæres 37. An Superiores Regulares absque præuio examine facto ab Episcopo de vita, & moribus, Nouitium induere possint habitu probationis?

113 Respond. Nunc possunt absque approbatione Ordinarij loci recipere, & induere Nouitios, vt indulsit Sacra Congregatio de mandato Vrbani VIII. in suis Decretis de Regul. apostat. & eiectis §. Ac primo. Dixi [*nunc*] quia antea ex Decreto *Sanctissimus*, Dat. 19. Maij 1602. Clem. VIII. nullum poterant Nouitium ad habitum, nisi priùs vel à Sacra Congregatione, vel à propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum Diœcesi Nouitiatus existunt recipiendi, fuissent expressè, & nominatim approbati.

Quæres 38. An in receptione nouorum Conuentuum requiratur etiam licentia Ordinarij loci, vbi Conuentum volunt acquirere.

114 Resp. Requiritur cap. Quidam, cum quatuor seq. 18. quæst. 2. Sacrum Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. vbi requirit obtentam; Clem. VIII. Constitut. *Quoniam*, Dat. 23. Iulij 1603. apud Nald. versic. Monasterium, n. 4. & vers. Religiosus n. 45. Quar. versic. Monasteria virorum, mandauit Episcopis, ne deinceps huiusmodi licentiam darent, nisi præuio consensu aliorum interesse habentium; postea Gregor. XV. in sua Constitut. *Cum alias*, Dat. 17. Augusti 1622. prohibuit, ne talis licentia concederetur, nisi in eo Conuentu nouiter recipiendo possent sustentari ex redditibus, & eleæmosynis duodecim Religiosus; aliter Vrbanus VIII. in suo Decreto de celebr. Missarum incip. *Cum sæpè*, §. Postremò, Dat. 21. Iun. 1625. si minor fuerit numerus in Conuentibus recipiendis post illud Decretum, *Cum sæpè*, subduntur omnimodæ iurisdictioni Ordinariorum. Demum idem Vrbanus in eorum constructione præbet documenta, quæ refert *Nald. versic. Monasterium in fine. Bariola vers. Regulares pag. 264. ex Riccio decis. 652. dicit Bullam Clem. VIII.* non habere locum in hospitiis, quod asserit etiam *Peyrin. tom. 3. priuil. cap* 12. *pag.* 307. *num.* 3. vbi ante extendit Bullam Vrbani VIII. incip. Romanus Pontifex, reuocantem priuilegia, & licentias recipiendi nouos Conuentus contra formam dictarum Constitutionum Clement. & Gregor.

Quæres 39. An Nouitius quoad delicta commissa siue ante, siue post ingressum in Religionem puniri possit ab Episcopo? Vide quod dixi resol. 54. q. 38.

Resp. Sixtus V. per suam Constitut. *Cum de omnibus*, 115
apud Quar. versic. Monasteria virorum, Nald. vers. Religiosus num. 38. irritando receptiones, & professiones criminosorum, debitorum, & publicis latrociniis obnoxiorum, dedit facultatem quibuscumque Iudicibus, Curiis etiam Secularibus, ad quos spectat contra eos etiam sic nulliter professos, vt prius, iuris, & facti remediis opportunis ex officio, vel ad instantiam, vel querelam, ciuiliter, criminaliter, aut mixtum procedendi. In sequenti autem sua Constit. *Ad Romanum spectat*, §. *Contra criminos*. declarat huiusmodi facultate tunc solùm vti posse, & non aliter contra Nouitios, aut eosdem nulliter professos, cum actis publicis constiterit, ipsos iudices, & Curiam secularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.

Nouitij igitur, qui ante receptionem habitus probationis in seculo deliquerunt, & tunc facta fuit inquisitio, seu accusatio contra eosdem ante ingressum, possunt puniri, Clerici quidem à suo Episcopo, Laici verò à suo Iudice, seu illo, cui delata fuit querela; quod verum puto etiam post Constitutionem Clem. VIII. *In Suprema Ecclesiæ*, in qua præcisè derogauit prædictis duabus Bullis Sixti V. in quantum impediebant validam professionem, vt obseruat Sanch. lib. 4. cap. 16. num. 39. in fine, ergo quoad reliquas dispositiones reliquit in suo robore, ac proinde adhuc præfati Iudices possunt procedere contra Nouitium ante professionem, non autem post, quia deinceps est omninò exemptus à quovis Iudice siue Ecclesiastico seculari, siue Laico, quia est verus Religiosus. Hoc postremum displicet Vecchio disputat. 11. de Nouitiis dub. 12. dum dicit Clementem VIII. in sua Constitutione non solùm validare professionem, sed etiam receptionem habitus contra formam Constitutionum Sixti V. nam meo iudicio stare potest vnum sine altero, & ex tenore verborum dispositio Clem. VIII. præcisè refertur ad valorem professionis, remanet igitur adhuc receptio nulla, ac proinde cum ingressus nullum ius habeat gaudendi priuilegio fori Regularis, puniri potest non solùm extra corpus, sed etiam corporaliter à Iudice, qui accusationem, seu querelam recepit.

Accusatus igitur, siue querelatus ingrediendo Religionem puniri potest à Iudice, qui querelam admisit, vt colligitur *ex l. Hos accusare, §. Hoc autem beneficio, ff. de accusat. l. Si quis Decurio C. ad leg. Cornel. l. final. ff. de re Milit. Sic tenent Siluester versic. Iudex 1. num. 6. Couar. quest. pract. cap. 32. num* 4. & de criminoso Religionem ingrediente *Ioan. Andr. quem pro se vocat Marianus Socin. in cap. proposuisti, de foro compet. alios citat Farinac. tom. 1. praxis crimin. q. 8. de Inquisit. quos citat, & sequitur Vecchius cit. q. 11. dub. 12. n. 3. sequitur Bonac. disp. 10. de legib. q. 2. p. 1. §. 2. in fine.* Hoc autem procedit etiam abstrahendo à Bullis Sixti V. ex communi ratione, quia cùm ingressus sit illicitus, non potest Nouitius gaudere priuilegio fori Regularis, sed adhuc remanet sub priori foro, iudicium enim terminandum est ab eo, à quo cœptum fuit, *l. vbi cœptum, l. Si quis postea, ff. de Iud.*

Quis

Quis autem criminosus dicitur ingredi Religionem, quando post accusationem, vel querelam ingreditur, *l. fin. ff. de bonis eorum, qui sibi mortem l. fin. de re Milit. Bart. in l. Si quis postea, ff. de iud. Dynus apud Socinum in cap. proposuisti, de foro compet. Clarus pract. crim. quaest. 36. 9. Sed hoc proposito, quos citat Vecchius disput. 11. dub. 12. num. 4.*

Quidam cum eodem Vecchio concl. 3. tenent, praefatum Nouitium sic ingressum, etiam virtute Constitutionum Sixti V. non posse puniri corporaliter, sed solùm in pecunia, & bonis, prout punitur effectus Clericus iam criminosus in fraudem sui Iudicis, quos sequitur *Homobon. part. 2. Respons. 100.*

Marta *part. 4. de iurisd. centuria 2. casu 121. à num. 22.* asserit, Nouitium in tali facto nulla ratione puniendum esse a iudice Laïco, sed solùm ab Ecclesiastico, quem citat *Diana resol. 33 part. 3. de immun. Eccles.* & spectare ad Episcopum dicit *Portell. versic. Episcopus num. 12. citando Rodriq. tom. 2. quaest. 63. art. 7. §. Infertur, cum suo Compend. resol. 60. num. 13.*

Concludamus ergo ex dictis, nullum Iudicem Laïcum, neque Ecclesiasticum Secularem posse procedere contra Nouitium criminosum, si ante ingressum non fuit accusatus, neque querelatus, quia censetur ritè, & licitè ingressus. ac proinde gaudet priuilegio fori Regularis, cuius Iudex Ordinarius est Praelatus Regularis, vt docent *Nauar. cons. 5. & 6. de foro compet. Sanch. lib. 4. cap. 10. num. 11.* Vnde in quodvis delictum etiam homicidij incidat, debet puniri à Iudice Regulari, vel recedere à Religione, vt citati docent, & cum eis *Vecchius cit. disp. 11. dub. 11. num. presertim 2.*

Professus etiam contra Constitutiones Sixti V. qui ante ingressum querelatus fuerat de illis delictis, post Constitutionem Clement. VIII. à nullo Iudice, cui delata fuit querela, vel alio, puniri potest, quàm Regulari, quia perfectè, & irreuocabiliter gaudet priuilegio fori Regularis, ac si esset talis Professus, qui in Seculo nulla ratione fuisset querelatus. Ita docent *Socinus in cap proposuisti, de foro compet. num. 52. & 53. Bossius in eodem cap. num. 144. quos refert, & sequitur Farinac. in praxi crimin. quaest. 8. de Inquisit. num. 106. & ex illis Vecchius disp. 11 dub. 12. num. 5.* asserentes non posse puniri à Iudice Seculari, addas tu cum aliis neque ab Episcopo, cum ab eius iurisdictione in hoc omnino sit exemptus, ex suprà allatis. Quidquid dicant *Abbas in cap. Veniens, de eo, qui furt. ord. num. 3. & ex eo Bert. tit. 1. cap. 2 num. 22. in sua praxi Canon quae est tomus 4. post tertium Rodriq. per l. Si quis postea ff. de Iudic. l. Cum puella, C. de iur. omn. Iud.* habent enim locum in Nouitio querelato ante ingressum. Praedicta procedunt etiam in nulliter professo, quia non est purè Nouitius, sed aliquid plus habet, ratione cuius gaudet priuilegio fori Regularis irreuocabiliter, quantum est ex parte Religionis, seu ex iure Pontificio, qui talem Professionem nullam non reprobat mandato expulsionis, sed eius ratificationem intendit, cùm illam non impediat; etsi casus accideret, benè posset citò professionem publicè ratificando, saltem coram duobus testibus, aludere Iudicem extraneum.

116 Secundum propositum in quaestione, an Episcopus possit punire delictum Nouitij commissum intra annum probationis in claustro, seu extra, resoluitur negatiuè, *resol. 54. quaest. 40.* quia Episcopus non est illius Iudex, sed Praelatus Regularis, vt docet *Sanchez lib. 6. cap. 10. num. 11. cum Nauar. consil. 6. de Foro compet. num 40. Molina tom. 2. disput. 671. num. 2. Corduba quaest. 30. Azor. part. 1. lib. 12. cap. 2. quaest. 11. Rodriq. tom. 2. q. 2. art. 10. quos, & alios citat etiam Vecchius disputat. 11. dub. 11. num. 2.* Dicta procedunt in quovis delicto etiam homicidij.

Ex quo patet, multò minùs Iudicem secularem posse contra illos procedere, si non potest Episcopus ob allatam rationem, cùm gaudeat priuilegio fori, & est communissima sententia apud *Sanch. lib. 6. c. 10. n. 10.*

Sed quid dicendum, quando Nouitius non vult subire iudicium, & poenas Iudicis Regularis, ad quod cogi posse ab illo docet *Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. n. 8. quem contra se citat Diana part. 3. resolut. 34. in fine de Immunit.* Sed de facto habitu Nouitiorum dimisso redit ad seculum, an pro delicto in anno Nouitiatus perpetrato puniri possit à Iudice Seculari, vel solùm castigandus sit à Iudice Ecclesiastico? *Bonac. disp. 10. de legib. quaest. 2. p. 1. §. 2 num. 5. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 8. n. 5. quos pro se citat Diana mox allegatus* asserunt, iudicium spectare ad Ecclesiasticum, quia inspicitur tempus delicti, quod puniendum est secundum tempus delicti, non sententiae, *l. 1. de poenis l. Iniuriarum aestimatio, ff. de iniur.* Sed tempore delicti erat Ecclesiasticus, ergo à Iudice Ecclesiastico iudicandus est. *Molina verò tom. 4. disp. 49. num. 24. Ioannes de Nenia in Curia Philippica part. 3. §. 1. num. 12. apud Dianam, Stephanus Lambertengus in tract. de Contr. Gloss. 2. num. 27. ad finem, Farin. & cùm his Vecchius disp. 11. dub. 11. num. 6.* docent, hunc egressum è Nouitiatu, modò non sit Clericus, puniendum à Iudice Seculari, quia in eo casu non est amplius Religiosus, neque pro tali habetur, sed omninò perdidit priuilegium Clericale. Quamuis amiserit, tamen ab eo puniri non potest, sed ab Ecclesiastico, quia retrotrahitur, & spectatur, ac si esset adhuc in statu Ecclesiastico.

Quaeres 40. An possit praedicâre in Ecclesiis Regularibus ipsis inuitis?

Respond. Potest, *Clem. 2. de priuil. iuncta gloss. versic.* 117
Etiam celebrare. Bariola versic. Episcopus pag. 105. vbi ait decisum fuisse 17. Ian. 1584. Prouincialis Lombardiae Dominicano.

Quaeres 41. An ab Episcopo Regulares prohiberi possint celebrare Missas ante Parochialem?

Respond. Non possunt, vt resoluit ad quintum Sacra 118
Congregatio 2. Iulii 1620. teste folio Foroliuij, & Bononiae excuso 1624. Neque etiam in Oppidis, *Bariola versic. Episcopi pag. 110. vbi citat Rodriq. quaest. 43. art. 7. & tom. 2. quaest. 64. art. 11. & tom. 3. quaest. 27. art. 1. & quaest. 32. art. 7. Silu. versic. Missa quaest. 5. Aldanus apud Barbosam sess. 22. c. 8. n. 39. testatur ita resolutum fuisse in Nullius Prouincia Rauennat. 15. Sept. 1629.*

Quaeres 42. An Regulares teneantur ab Ordinario petere facultatem quaerendi eleaemosynas in eius Dioecesi?

Respond. Non tenentur, quia haec facultas eisdem 119
tacitè concessa fuit ab Ordinariis in erectione Monasteriorum de licentia eorum; *Aldan. in suo Compend. Canon. resolut. testatur lib. 3. tit. 8. num. 6. ita fuisse resolutum 6. Octobris 1597. apud Barbosam sect. 21. cap. 9. num. 6. Bariola vers. Regulares pag. 267.* dicit idem fuisse decisum ab Episcopo Papiensi. Vsus tamen obtinuit exhibendi licentiam proprij Superioris Ordinario, vt illam confirmet, commendando quaestorem Religiosum suis Curatis, vt in Ecclesia rogent populum ad benefaciendum, sic seruatur Mediolani.

Nulla autem ratione prohibere possunt, nè Religiosi morantes in eorum Dioecesibus ibidem mendicent, sed tantùm aduenis, nisi exhibeant suorum Superiorum licentias, testantur resolutum *Genuens. cap. 59. num. 11. Campan. in suo diuers. iur. Can. rubr. 12. cap. 13. num. 134. Franciscus Leo part 4. Thesaur. cap. 2. n. 146. cum aliis apud Barbos. ad cap. 9. sess. 21. num. 5. Bertius tit. 4. sua Praxis cap. 29. §. Quoad.*

Ordinem Tertium D. Francisci declaratum fuisse 120
posse quaeritare eleaemosynas instante P. Bernardo Sabbia his verbis: *Frater Bernardus Sabbia Procurator Generalis Tertij Ordinis S. Francisci conqueritur, quod & si dicta Religio sit ex Mendicantibus, quibus in instituto est vitam quaestu, & eleaemosynis traducere; tamen sui Ordinis Fratres ab aliquibus Episcopis impediuntur, quo minus quaerant eleaemosynas in ipsamet Dioecesi, vbi aliquis illorum Conuentus existit. Et nonnulli prohibent, quo minus iidem Fratres petant eleaemosynas in sua Dioecesi extra locum Conuentus, nisi per quinque, aut sex milliaria circiter.*

ter. Cùm verò id videatur obuiare priuilegiis Apostolicis, & cedat in graue Religionis detrimentum, supplicat idem Procurator, vt declaretur, An hæc fieri possint ab Episcopis? Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit Fratres Tertij Ordinis S. Francisci, tanquam Mendicantes, nequaquam posse ab Episcopo prohiberi, quo minus per se ipsos in Diœcesibus, vbi habent Conuentus, eleemosynas quærant, sed tantùm, si extra loca, vbi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere. Hanc responsionem ad verbum retuli ex quodam folio Bracciani 1620. deinde Papiæ 1625. excuso; Authenticatum autem fuit à Cardinali Lancellotto, Prospero Fagnano Sacræ Congregationis Secretario. Deinde eadem Sacra Congregatio sequenti anno 1621. similem declarationem eisdem omninò verbis in petitione, & responsione, fecit pro omnibus Mendicantibus, vt videre est inter Bullas Gregor. XV. *& apud Peyrinum tomo 3. priuileg. cap. 2. num. 41. primam refert Nald. vers. Religiosus num. 51.*

Nota illam particulam [*per se ipsos*] quæ indicat, Mendicantibus non licere quæritare per Laicos, sed per se ipsos debent Fratres mendicare, non ideò tamen prohibetur illis quo minus possint secum habere socium aliquem Laïcum, qui illorum labores sustinere possit.

Quæres 43. An Episcopus possit acceptare querelam sibi oblatam à persona Regulari contra alium Corregulatem eiusdem, vel alterius Ordinis? Casus autem de facto accidit in quodam Priore, qui extra Monasterium grauiter offensus à suo Religioso subdito, simul cum quibusdam Laicis, statim querelam detulit Ordinario loci, qua accepta in actis, fecit Episcopus carcerare illum Religiosum cum aliis, super quo negotio processum formauit, & Fratrem cum aliis examinauit, restituendo illum postea suis Superioribus cum copia processus. Dubitatur ergo, An Episcopus potuerit prædicta facere in Fratrem querelatum? & posita parte negatiua, quæritur, an querelans inciderit in aliquam censuram.

121 Resp. ad primum. Non potuit Episcopus de iure acceptare eam querelam, neque proinde carcerare, processare, neque examinare illum Fratrem, & inde acta nullius fuerunt valoris in ordine ad ipsum Episcopum. Probatur ex dictis hic quæst. 9. & 10. vbi multis probaui, Episcopum non posse punire Religiosum extra notoriè, & cum scandalo delinquentem, nisi positis instantia Ordinarij, & negligentia Superioris, de mente omnium, neque illum carcerare, aut processare repertum etiam in fragranti crimine; sed in casu præsenti nulla præcessit instantia Episcopi, vt iste Frater castigaretur à suis Superioribus, neque hic supponitur negligentia illorum, quia post commissum delictum statim fuit querelatus à suo Priore coram Episcopo, qui alio non expectato incontinenter processit ad carcerationem, & processum, ergo super ipsum nullum ius habuit Episcopus. Neque obstat, quòd longè aberat Superior, cui ex officio incumbebat iudicium facere, poterat enim Prior illum carcerare in suo Conuentu, & vocare Iudicem competentem, vel tacere, expectando commoditatem faciendi illum punire; præterquam quod absentia, si esset legitimum impedimentum querelandi extra Religionem, esset in causa sæpissimè ita querelandi, quia in multis Religionibus Superiores Locales sunt solùm Patres corrigendi suos subditos vt filios, non illos iuridicè puniendi præmissis actibus iudicialibus mediante processu, Prouinciales autem, Generalis, & alij Iudices in omnibus Conuentibus eodem momento residere, aut præsto esse non possunt. Quare ille Prior cùm potuisset illum benè carcerare, vel vocare suum Superiorem, legitimè non potuit illum querelare. Neque Episcopus hoc ius habuit ex eo, quòd Frater complices habuit in delicto non solùm Laicos, sed etiam Clericos illi subiectos, quasi Episcopo necessarium esset examinare Fratrem, vt posset perficere suum processum, & punire suos subditos; nam hóc debebat facere de licentia saltem dicti Prioris, & ratione testis in casu autem nostro tanquam reus suppositus fuit Episcopo, cùm fuerit querelatus à suo Priore. Et faciunt dicta quæst. 25. vbi de his complicibus.

Hanc responsionem, in quantum Episcopus non potest procedere contra Religiosum, processando illum, præcisè ad instantiam alterius fratris querelantis, puto non esse contra Portellum, & alios suprà relatos q. 10. §. Oppositum, sentientes Episcopum posse processare Religiosum extra claustrum delinquentem, quia intelligendi sunt, quando procedunt ex officio, & non ad instantiam Corregularis; nullâ enim ratione, aut iure probatur, posse Regularem querelare alium Regularem coram Iudice extra Religionem, sed recurrere debet ad proprium Superiorem, qui in Religione est proprius Iudex competens, & ordinarius, vt docent omnes, *Nauar. consil. 6. de foro compet. & consil. 1. de hæret. Bertius in sua praxi tit. 2. c. 7. num. 11. per Clarum lib. 5. Sentent. §. fin. q. 35. Rodr. q. 22. art. 7. Ghisilerius de Iudice Regul. c. 9. n. 7. vbi dictos, & alios cit. Frater Aretinus cap. 1. suæ praxis, & alij communiter.*

Ad secundum dico, in nullam censuram incidisse, 122
quia iure communi, neque speciali huius Religionis reperitur, pœna enim iuris asserenda non est, nisi in ipso iure sit expressa, *Gloss. vers. Ex vi cap. fin. de instrepar. Nauar. consil. 4. de temp. ordin. & consil. 13. de præbend num. 3. consil. 44. de sentent. excommun. num. 1.* Neque obstant Constitutiones Leonis X. *Romani Pontificis*; apud Confect. pag. 146 in qua excommunicantur Religiosi Dominicanæ Religionis recurrentes extra Religionem ad Iudices Ecclesiasticos, & Seculares, ad quos etiam extenditur excommunicatio; & Greg. XIII. *Quoniam nostro*, apud eundem pag. 235. in qua excommunicatione reseruata afficiuntur, & priuantur officiis obtentis, cum perpetua inhabilitate ad illa, & alia, cum priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, Fratres Minores de Obseruantia appellantes, vel alio modo recurrentes ad tribunalia secularia, quouis prætextu. Nam hæc posterior loquitur de recurrentibus solùm ad forum Laicum; prior extenditur etiam ad forum Ecclesiasticum extra Ordinem: casus autem noster est de Priore neutrius Ordinis. Neque obstat, quòd Regulares participant, & communicant in priuilegiis, quia hoc procedit in fauorabilibus, non in odiosis, & pœnalibus, vt docent *Rodr. q. 55. art. 17. ad finem, Mirand. tom. 2. q. 46. art. 6. Sigism. dub. 56. de elect. n. 10. Portel. versic. commun. priuileg num. 10. Sorbus §. eod. §. Notandum.*

Quæri autem potest, an ille Episcopus inciderit in 123
aliquam pœnam? *Sorbus versic. Conuenire, in sua Annotat. ait*, Episcopum carcerantem Religiosum incidere in excommunicationem, sequendo opinionem *Pauli Fuschi lib. 2. de visitat. cap. 20. num. 20. & Pauli de Leazarus in cap. Si Clericos, de sentent. excommun. in 6. per cap. Frequens Clem. de excess. Prælat. ex Gloss. versic. Capiant, vbi dicuntur excommunicati per cap. Vniuersitatis de sentent. excomm. Extat Constitutio, Etsi cunctorum, Nicol. V. apud Confect. pag. 43.* prohibens sub excommunicationis pœna ipso iure incurrendæ Episcopis, & aliis Ordinariis, ne Fratres Minorum capiant, incarcerent, perturbent, & molestent.

Difficultas etiam est, An Ecclesiastici querelantes 124
coram Iudice Seculari incidant in aliquam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini? Quod idem quæritur de Iudice querelam acceptante. Respond. Vtrumque incidere in decimam quintam latam contra trahentes ad forum Laicum. Nec valet dicere, quòd Superior querelando suum Religiosum coram Iudice Laïco, in eo casu Iudicem Laicum esse delegatum à Superiore Ecclesiastico, & sic se gerere vt ministrum Ecclesiæ, quia nullus inferior Papa potest sibi subditum in criminalibus submittere foro Laicali, *cap. Inolita, & sequent. 11. q. 1. cap. Si diligenti, de foro compet.* vt docent etiam *Bonac. disp. 2. de censur. q. 4. p. 2. Diana part. 2. tract. 2. de Immunit. resol. 3.*

resol. 3. Vide quæ dixi resolut. 32. quæst. 3. Iudex Laïcus acceptans querelam trahendo Religiosum ad suum Tribunal, præter dictam excommunicationem, incurrit etiam decimam nonam, in qua excommunicantur omnes Iudices Laïci fori interponentes, seu intromittentes se in causis criminalibus contra Ecclesiasticos.

Quæres 44. An Episcopus in causis ad fidem spectantibus possit procedere contra Regulares exemptos?

125 Respond. Potest, *cap. 9. §. fin. de Hæret. Nauar. cons. 1. de Hæret. num. 5. Compend. resolut. 73. num. 1. Super qua re Paulus V. edidit Bullam.* Sed de hac re dicam in propria resolut.

Quæres 45. An Regulares subsint Episcopis quò ad processiones?

126 Respond. Subsunt, & tenentur accedere ad publicas processiones, ab Ordinario indictas, *Leo X. Constitut. Dum intra, quam ad verbum referunt Quarant. versic. Priuilegia Regular. Confess. pag. 127. Nald. versic. Religiosus num. 34. demum idem statuitur in Tridentino session. 25. cap. 13.*

Occurrunt nonnulla dubia. I. Quænam dicantur publicæ processiones? II. An longè distantes à Ciuitate, vel loco, vbi facienda est processio, teneantur ire? III. An specialiter sint vocandi singulis vicibus? IV. An nolentes accedere cogi possint censuris? V. An omnes Regulares tam Mendicantes, quàm non Mendicantes teneantur accedere? VI. An Episcopus processiones conuocare possit in Ecclesiis Regularium? VII. An Religiosus Parochus cogi possit ad processiones? VIII. An ex consuetudine non accedentes ad processiones cogi possint ea non obstante? IX. An Regulares possint facere processiones extra suam Ecclesiam? X. An, dum faciunt processiones per sua claustra, ingrediantur mulieres, associando processionem? XI. Quomodo Regulares inter se præcedant? XII. An controuersias inter Regulares de præcedentia ortas componat Episcopus? XIII. An in Oppidis, & locis exemptis Regulares cogi possint ab Abbatibus ad processiones? XIV. An vbi pauci sunt Religiosi teneantur accedere ad processiones? XV. An sint vocandi personaliter, an verò sufficiat publicum edictum affixum in loco solito? XVI. An illis prohibere possit, ne in processionibus caput tegant galero?

127 Primò, Publicæ processiones sunt illæ, quæ fiunt in Litaniis maioribus, & minoribus, in festo Corporis Christi; vel quæ fiunt pro bono publico, vt in Iubilæis, item imminenti peste, bello, fame, intemperie, tempore æstatis, vel pro gratiarum actione pro liberatione à prædictis; vel in aduentu noui Episcopi, & quæ tales videbuntur Episcopo, vel eo absente, eius Vicario Generali. *Quarant. versic. præcedentia in Addit. Aloysius Riccius resol. 308. n. 7. & in decis. Neapol. p. 4 decis. 379. num. 3. cum aliis apud Barbosam ad c. 12 sess. 25. n. 40. Diana resol. 106. de regul. vbi ex Peyrino tom. 2. priuil. ad Constit. 7. Pij V. §. 29. n. 25.* refert declarationem Sacræ Congregationis, in qua dicitur, Regulares in plebibus debere ire ad processiones prædictas, modò processiones sint eius generis, de quo in Constitur. *Etsi Mendicantium*: iuxta sequentia ibi verba: *Regulares quicumque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, id quo ad Fratres præfatos de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundùm consuetudinem antiquam locorum solitò sunt accedere, vel quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra Infideles dicuntur.* Mediolani processio die 3. Maij cum Sancto Clauo est processio publica, & de antiqua loci consuetudine.

Processiones pro Indulgentiis exponendis non videntur publicæ, quamuis sint in forma Iubilæi, quia potius tendunt ad honorem, & obsequium eius Ecclesiæ, in qua exponuntur, quàm ordinatæ sint ad bonum publicum, licèt talis sit Indulgentia; vnde Episcopus non videtur posse cogere Regulares ad illas, sicut neque ad eundum processionaliter ad Orationem quadraginta horarum in Cathedrali, vt declarauit Sacra Congregatio in Salernitana de anno 1581. *teste Aldano lib. 1. Canon. resol. tit. 10. num. 6. apud Barbosam ad cap. 14. sess. 7. num. 6.*

128 Secundò, Regulares distantes per vnum milliare à Ciuitate, vel loco, vbi agenda est processio non possunt cogi accedere ex citata Constit. *Dum intra mentis* Leonis X. Postea Sacra Congregatio limitauit eam Constitutionem, vt neque cogi possent distantes vltra medium milliare, *Quar. vers. priuilegia regul. Portell. versic. processio num. 3. Compend. resol. 118. n. 3. Barbosa alios citans ad cap. 13. sess. 25. num. 22.*

129 Tertiò, vocandi sunt personaliter, & non sufficit edictum ad valuas Cathedralis aliter excusari sunt, si non accedunt, quod apertè colligitur, tum ex illo verbo [*Requisiti*] tum ex Sacro Concilio, vbi habetur verbum [*Vocati*] Et ita docent *Rodr. tom. 3. q. 57. art. 1. & ex Portell. vers. eod. n. 1. & Compend. resol. 118. n. 1. Peir. tom. 1. ad const. 2. Sixti IV. num. 57.*

130 Quartò, censuris cogi possunt, secundùm nostram responsionem datam ad quæsitum 6. procedendo vt Iudex, non vt Legislator. Ita decisum referunt *Perez de Lara de Anniuers. & Capell p. 1. c. 24. n. 14. Zerola part. 1. vers. eod. §. 1. vers. Ad secundum, quos & alios refert Barbosa ad hoc c. 13. sess. 25. num. 10.* Eam decisionem negant *Scortia, Tambur. Villalobos, Peyrinus, Portel. cum Diana resol. 76 qui cum Portello eod. vers. in Addit. notat ex Barbosa ad hoc caput Concilij in suo Codice*, Sacram Congregationem pluries declarasse oppositum, vt notat etiam *Compend. resol. 118. num. 1.* Sed reuerà verius est extare dictam declarationem ipsemet loco citato refert plures Doctores, nam Codex remissionum ad Tridentinum fuit prohibitum 6. Iulij 1621. Ita in terminis nostris docuit M. Auton. lib. 1. resol. fin. casu 35. loquendo de Monachis.

131 Quintò, Regulares omnes non solùm Mendicantes, sed etiam Monachi tenentur accedere ad publicas processiones ab Episcopo indictas, vt apertè habetur in dicto *cap. 13. sess. 25.* illis verbis: *Exempti autem omnes, tam Clerici Seculares, quàm Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compelluntur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt. Rodr. tom. 3. quæst. 36. art. 1. Zerola part. 1. vers. eod. §. 2. & alij plures cum Barbosa ad hoc caput n. 18. & 19.*

Excipiuntur ibidem expressè manentes in perpetua clausura, vt sunt Carthusiani, & Eremitæ Camaldulenses. Præterea priuilegiati sunt Iesuitæ ex Constitut. *Quæcumque* Gregor. XIII. Barnabitæ ex Constit. *Rationi*, Sixti V. apud Barbosam num. 35. Monachi Sanctissimæ Trinitatis Cauenses, *ex Aldano in suo Compend. lib 2. tit. 8. num. 17. referente decisum 13. Augusti 1579. apud Barbosam n. 34.* Clerici Matris Dei Scholarum Piarum, ex eodem *Aldano decisum 12. Maij 1629. apud Barbosam num. 36.* Theatini, vt notum est ex Const. *Ad immarcescibilem*, Pij V. in eorum Compend. tit. eodem, vbi refert Constit. *Illius*, Gregor. XIV. eximentis Clericos Ministrantes infirmis. *Compend. resolut. 118. num. 3.* asserit cum suo Doctore, exemptos esse Monachos Benedictinos, & Cistercienses, quia in strictiori clausura viuunt. Sed reuerà res ita non est, nam Concilium exemit manentes perpetuò, præfati autem non sunt huius generis, sed viuunt laxiori clausura, & actu procedunt omnes vocati ad processiones. Præterea ait, Collegia Mendicantium vacantia tantùm studiis, gaudere eodem priuilegio Iesuitarum per Bullam Pij V. quàm dicit non esse renouatam ex Tridentino, quod ego non admitto, quia Concilium talibus verbis vtitur, ex quibus nulla fieri potest exceptio. Vide Portel. n. 5.

132 Sextò, Episcopus in Ecclesiis Regularium potest conuocare processionem, etiam ipsis inuitis, quia in illis potest exercere Pontificalia, aut Pontificalibus paramentis cum Mitrâ, aut etiam sola Cappa vti, ex adductis

ductis hîc *quæst.* 23. ergo & ibi processionaliter adire cum dictis paramentis, quidquid dicat *Portell. versic. eod. num.* 10. non enim is actus est contentiosus, neque præiudicialis, sed redundat in honorem talium Religiosorum.

133 Septimò, Parochus cogi potest, cùm teneatur accedere, *vt decisum fuit die* 5. *Aprilis* 1631. contra Monachum, curam animarum exercentem in Ecclesia Parochiali vnita Monasterio Ordinis S. Benedicti Curiensis Diœcesis, *teste Aldano in suo Compend. lib.* 2. *tit.* 8. *numer.* 24. *apud Barbosam ad cap.* 13. *sess.* 25. *numero* 32. Ad hoc idem tenentur Sacerdotes inseruientes Religioni Hierosolymitanæ, *vt tradunt Armend. in Addit. ad recog. legum Nauar. lib.* 1. *tit.* 14. *num.*3. *Cenedus Canon. quæst. lib.* 1. *quæst.*26. *num.*17. *Salgado de protect. Regia tom.*1. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 103 *apud Barbosam citat. num.*23. Puto cogi posse ad incedendum sub Cruce Parochorum, aliàs simul cum suis alumnis eiusdem Ordinis.

134 Octauò, Regulares illi, qui aliàs tenerentur procedere, si post Trident. acquisierunt legitimam præscriptionem quadraginta annorum, non possunt ab Ordinario cogi, licèt præscriptio cœpta sit absque titulo, docet *Rodriq. tom.*4. *Summa cap.* 105. *num.* 2. *ex suo Compend. resolut.* 108. *num.*4. *Peyrin tom.* 3. *cap.*2. *num.*29. *vbi ex Campanili rubr.*12. *cap.*13. *num.* 118. ait ita declaratum fuisse; vbi etiam *ex Cochier. part.*2. *de exempt. q.*45. *n.*109. dicit, non teneri illos accedere si ex leui causa, idest non ex communi instituantur, vnde ait Genuæ non posse cogi ad processiones Rogationum, ibi enim ex vsu probato non accedunt ad illas.

135 Nonò, Regulares extra suos Conuentus non possunt ducere processiones, quia territorium non habent. *Zerola versic. processiones, §. Ad quartum, Rodr. tom.*4. *Summa cap.* 105. *num.*5. *per cap. Certum est quidem, dist.* 1. *de consecr. Diana resolut.* 77. *de regul. refert ex Barbosa declarationem Sacræ Congreg. sub die* 2. *Iul.* 1620. *quos refert Compend. resol.* 118. *num.* 10. *& Portel. versic. eod. num.* 8. vbi ait oppositum practicari in Regno Portugalliæ, Regulares nempè facere processiones sine licentia Ordinarij. Hic Mediolani nequaquam possunt fieri, nisi de licentia Ordinarij, exceptis processionibus Confraternitatum, quæ statutis diebus solent fieri, in his enim non requiritur licentia Episcopi, cum hæc includatur in approbatione erectionis Confraternitatis in sua Diœcesi, in quibuscumque Ecclesiis etiam exemptis. *Decisum etiam fuit in Aretina* 11. *Decemb.* 1613. *teste Aldano lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 16. non licere Fratribus in Cœna Domini, nec in festo Corporis Christi facere processionem cum Sanctissimo Sacramento post vesperas, extra eorum Parochiam, vt ex eo refert *Barbosa ad hoc cap.* 13. *sess.*25. *num.* 33. *oppositum dico resol.*51. *n.*176.

136 Decimò, dum per sua claustra spiritualiter procedunt, per eamdem viam, quo reliqui homines processionaliter coëunt, possunt concedere fœminæ, vt indulsit Pius V. Constit. *Decet Romanum*, apud Confect. pag. 218. illis verbis: *Propter hoc, & prædictas nostras literas non intelleximus, nec intelligimus, quod mulieribus precluderetur, nec præcludatur aditus ad Monasteria, & loca Regularia dictæ Congregationis, ac eorum claustra, quando in eis Missæ, & alia Diuina Officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed liberè perpetuò concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem vt ad illa loca d. Congregationis, in quibus dicta opera pia exercentur, cum aliis Catholicis personis accedere liberè, & licitè possint, & valeant.* Gratia igitur intelligitur facta pro eo tempore præcisè, quo actus spiritualis fit, & non vltra, & in processione non immorandum, sed recto tramite per viam communem incedendum est cum aliis processionem debito modo comitantibus.

137 Vndecimò, Ordo præcedentiæ inter Regulares ferè in omnibus locis attenditur ratione antiquitatis loci, qui enim primò obtinuerunt Monasterium gaudent præcedentia super alios, quod procedit maximè inter Mendicantes. *Vide Comp. resol.* 118. *num.* 6. *Vide Theatrum nostrum de præcedentia.*

Sed quid dicendum, quando plures Conuentus procedunt sub vna Cruce, vt olim faciebant Capucini, & nunc Reformati Obseruantes, dicti Mediolani del Giardino, & Zocolantes S. Angeli, & S. Mariæ Pacis, an si vnusquisque Conuentus incipiat erigere Crucem, debeant præcedere iuxta loci antiquitatem, an à tempore erectionis Crucis? Casus accidit in Capucinis, qui paucis ab hinc annis cœperunt erigere Crucem, & lite orta inter ipsos, & Tertij Ordinis Regulares, prætendentibus illis præcedere, quia antiquiores erant in Vrbe Mediolani, Sacra Congregatio contra Capucinos pro Tertiariis respondit in hæc verba.

Congregatio Sacrorum Rituum ad tollendas controuersias, quæ post concessam Fratribus Capucinis propriæ Crucis erectionem inter Regulares circa præcedentiam in Processionibus ortæ sunt; Censuit, Illustriss. Millino referente, Capuccinos cedere debere digniorem locum iis Regularibus, qui sub propria Cruce, & in proprio loco in Processionibus incedebant, antequam ipsi propriam Crucem deferrent. Die Sabbati 23. *Martij* 1619. Hæc responsio extat apud me authentica sigillo, & manu Illustrissimi Cardinalis Galli Episcopi Ostiensis, Petro Ciammarecono Secretario. 138

Duodecimò, Episcopus controuersias omnes inter Ecclesiasticos tam Seculares, quàm Regulares, ortas in processionibus funeralibus, de ferenda vmbella, & aliis similibus componit, amota omni appellatione, *ex cap.* 13. *sess.* 25. *De qua re vide Constitut. Exposcit Pastoralis, Gregor. XIII. apud Confect. pagin.*250. *Quarant. versicul. præcedentia, Nald. versic. eodem num.*4. *Rodriq. tomo* 3. *quæst.* 37. *art.* 3. *cum suo Compend. resolut.* 118. *num.*8, *Portel. versic. Processio num.* 9. *Capucinum versic. eodem.* Clausula illa de appellatione, procedit quoad effectum suspensiuum asserunt resolutum *Salgado de Protectione Regia tomo* 1. *part.* 2. *cap.* 9. *numero* 99. *Armendar. in Addition. ad recog. legum Nauarræ libro* 1. *titul.* 14. *l.*28. *§.* 31. *num.*10. vnde non tollit appellationem deuolutiuam *ex opinione Rotæ in Coloniens. præcedentiæ, §. Non obstat,* quod in Concilio, *apud Barbosam ad caput hoc* 13. *sessione* 25. *numero octauo, qui numero decimo septimo,* refert Doctores asserentes, prædicta Episcopum posse, si sequatur scandalum. 139

Decimo tertiò, in Oppidis, & aliis locis extra Vrbes tenentur ire ad processiones publicas, quæ fiunt in illis locis, vt colligitur *ex Francisco Leone in suo Thesauro parte* 1. *cap.* 8. *numero* 18. *& Campanili rubric.* 12. *capit.* 13. *numero* 117. dicentibus ita fuisse decisum, & cum eis *Barbosa ad hoc caput* 13. *session.* 25. *numero* 27. & confirmatur, quia in Concilio dicitur, quòd Regulares vocati ad processiones publicas compelli possunt, non explicando à quo Superiore vocentur, ergo à quovis potente processiones indicere, siue ad illas de iure faciendas vocare, compelli possunt. *Rodriq. tomo* 4. *Summ. cap.* 105. *numero* 1. *quem citat Portell. versic. eod. num.* 7. *Compend. resol.*118. *num.* 2. *&* 4. *cum Villalobos* dicunt, non teneri accedere nisi ad processiones, quibus assistit Episcopus; & eorum opinio corroborari potest, quia Ordinarij inferiores Episcopo nullam iurisdictionem habent contra Regulares, vt colligitur ex probatis *resol.*47. *q.*22. *& Barbosa citat. num.* 26. refert Doctores, asserentes sub hoc cap. non comprehendi illos, qui sunt nullius Diœcesis. 140

Decimo quartò, Vbi non sunt 12. Religiosi non videntur teneri ad processiones in Vrbibus, quia non videtur condecens erigere Crucem cum paruo num. Religiosorum, præter quamquòd eorum Conuentus in hoc, & tam paruo num. 8. aut 10. æquiparatur hospitio, in quo existentes non tenentur accedere ad processiones, vt habemus Mediolani exemplum Canonicorum Regular. S. Saluatoris in Monasterio S. Celsi, & aliorum Monachorum 141

chorum Sanctæ Crucis. *Vide resol. 65. q. 4. §. Sed quot.*

142 15. Non tenentur accedere, stante solo Edicto affixo, sed prꝛterea vocandi, seu requirendi sunt in specie, vt colligitur ex *Concil. citat. suprà sub num.* 126. in quibus adhibentur hæc verba: *Requisiti*, io Lateranens. *Vocati*, in Tridentin.nam requisitio, & vocatio fit per nuncium, *Gloss. versic. Vocatos cap. Quod sicut 28. de Election. per cap. Cum parati 19. de appellation. per l. Magis §. Illud ff. de rebus eorum, qui sub tut.* Neque enim discurrere per Cathedrales, aut plateas tenentur, nec debent, ad hæc inquirenda; vnde ordinatissima Metropolis Mediol. semper per specialem nuntium admonet singula Mo..asteria, cælulâ relicta vnicuique de hora procedendi.

16. Non potest, quia solum ius conuocandi illos habet, non autem disponendi quicquam super gestatione habitûs, & vestium; & si Concilia id voluissent expressissent, sicut Sacrum Concilium Tridentinum expressit illud de controuersiis componendis in præcedentiis.

Quæres 46. An Episcopus incœptum processum contra aliquem Religiosum egressum de sola licentia Ordinarij, si pœnitentiâ ductus redeat, vel cogatur reuertere ad Religionem, terminare possit, postquam in Religione regressus ratificauit professionem? De huiusmodi egressis præter in Breuis Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vrbani VIII. vide plura resolutione octaua per totam, vbi fusè peragitur de his egressis. Videtur, quòd Episcopus non possit neque incipere processum, ne dum terminare, quia licentiatus non fuit legitimè à solo Ordinario, vt colligitur expresè *ex cap. 19. sessione 25.* & alibi probaui fusè, ergo adhuc est Religiosus, ac proinde subiectus Prælato Regulari.

143 Respond. Talis Religiosus potest ab Episcopo processari etiam inclusiuè quò ad sententiam, licèt post cœptum processum ingressus fuerit Religionem, & professionem ratificauerit. Probatur, Tum quia iudicium finiendum est ab eo, à quo cœptum fuit, *l. Vbi cœptum, l. Si quis postea, ff. de Iudice:* Tum quia Iudex de qua re cognoscit pronunciare debet, *cap. cum super 4. de causa possess. ibi gloss. refert, l. De qua re ff. de Iudic.* Tum quia iste Religiosus adhuc ex eo quòd fuit malè licentiatus, æquiparatur existenti extra Monasterium, qui ex *sess. 6. cap. 3.* subiicitur Episcopo, vt pluribus probaui suprà hîc *quæstione* 16. ergo si Episcopus potuit incipere processum, potest etiam illum terminare, non obstante ratificatione, quæ non aufert ius Episcopo, cùm de necessitate rei debeat terminare suum processum.

Quæres 47. An Religiosi possint exorciaare absque licentia Episcopi, & suorum Superiorum, siue in propriis Ecclesiis, Domibus, siue extra eorum loca in domibus Secularium? *Portellus versicul. Exorcismus, quem sequitur Anton. Diana resolutione 36. de regular. quos ambos citat Lezana capit. 15. numero* 21. dicunt in Decretis Episcoporum, prohibentibus hoc officium sine licentia Episcopi exercendum, non includi Religiosos, si de illis non fit expressa mentio, consequenter videntur tenere, in Episcopi potestate esse huiusmodi prohibitionem.

144 Respond. Possunt, quando tamen non extat prohibitio in contrarium Decreto, vel præcepto, seu ore tenùs facta. Episcopi autem huiusmodi exercitium eisdem prohibere non possunt.

Primum suadetur, quia in ordinatione Exorcizatûs Clerici accipiunt hanc potestatem, quam proinde in vsum deducere possunt, nisi impediantur, vt docent omnes *in 4. Sentent. distinct. 24. de Sacrament. Ordin.* In mea autem Religione huiusmodi exercitium ex Regula non prohibetur, sed tantùm in quodam Statuto id interdictum fuit à Reuerendo P. M. Antonio de Sillis condito ab illo cum aliis de consensu suorum quatuor Definitorum in Capitulo Romæ celebrato anno 1610. 29. Maij, sed non confirmato à Protectore. Id autem ibi prohibetur sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ne quis exorcizet sine Generalis, & aliorum, ad quos spectat, licentia; nomine autem [aliorum] veniunt Superiores Prouinciales, & Locales.

145 Nota autem, quod Superiores ad nutum quoque, hoc est, nulla subsistente causa, possunt suos subditos ab huiusmodi exercitiis amouere; standum enim est in his eorum voluntati, & obedientiæ, cum illis per votum obedientiæ propriam voluntatem subiecerint etiam in his spiritualibus exercitiis; siquidem huiusmodi officia spiritualia æquiparantur officiis manualibus, à quibus officiales amoueri possunt ad nutum Superioris, *cap. cum ad Monasterium, de Statu Mon. capit. 2. sessione* 25. tradit etiam *Diana resolut.* 127. *cum aliis citatis à se, & à Sigismundo dub.* 49. Quod confirmatur, & quia huiusmodi officia non sunt perpetua: & quia ex mera liberalitate conceduntur, non ex iustitia; & sicut voluntariè conferuntur, ita pari ratione auferri possunt, res enim per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, de regul. iur. Et quia non auferuntur in pœnam, sed ex imperio voluntatis Prælati ostendentis arbitrium in his suæ potestatis. Quæ omnia cum procedant etiam in officiis spiritualibus, meritò amoueri possunt, etiam à facultate audiendi confessiones intra Religionem, non autem secularium, quia Religiosus, cui à Superiore concessa fuit licentia, acquisiuit quoddam ius virtute examinis, & approbationis, ratione cuius amoueri non potest sine causa.

146 Secundum de Episcopis non valentibus id eisdem prohibere, suadetur, Tum quia in hoc non subduntur Episcopis, ergo nullum ius habent prohibendi, cum prohibitio afficiat subditos. Tum quia huiusmodi actio non est de numero earum, quæ spectant ad Sacramentorum administrationem secularibus, in quibus Religiosi subduntur Episcopis, per constitutionem. *Inscrutabili.* Gregorij XV. ergo nil potest in hoc Episcopus super Religiosos. Ita sentiunt præcitati initio quæstionis, dum dicunt, non includi in prohibitione Synodali Episcoporum.

147 Hac occasione referam duas pœnas, quas edidit Episcopus Illustrissimus, & Reuerendissimus Parmæ anno 1621. mense Nouembri, in sua Synodo sub titulo 36. primam illis verbis. *Nihil omninò recipiant licèt sponte oblatum, etiam nomine eleemosynæ ab obsessis, vel eorum consanguineis, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.* Secundam. *Exorcistæ non audeant vllo modo præbere obsessis antimonium, oleum, aut quodvis genus medicinæ, nisi cum consensu Medici, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, sed tantummodò Medici iussu propinanda infirmo benedicant.*

Certum est sub prælibatis Decretis odiosis non comprehendi Religiosos, ob rationes superius allatas, & quia ne verbum quidem de illis dicitur.

Dubitatur verò I. Quid veniat nomine suspensionis? an sit tantum ab officio exorcizandi suspensio, an comprehendat totalem suspensionem ab omnibus? II. An sine incursu huius pœnæ recipere possint aliquid sponte oblatum ab aliis quàm ab obsessis, & eius consanguineis? III. Quid si ab illius consanguineis, vel ab ipsomet obsesso aliquid offeratur titulo oneroso, exempli gratia, orandi, celebrandi, &c. IV. Quid si offeratur titulo laboris, & occupationis? V. An sufficiat petere à Medico licentiam in genere præbendi Medicinam obsessis, an verò vnaquæque Medicina præscribenda sit à Medico.

Primò respondetur, sub nomine suspensionis comprehendi interdictionem ab vsu officij, & beneficij, quia genus simpliciter expressum sine vlla limitatione verificatur de omnibus suis speciebus æqualiter; posito enim genere, ponuntur sub illo omnes eius species *l. 1. ff. de aur. & argent. legat. l. Item legato §. 1. ff. de legat. 3. Barb. Vez. litera G. n. 12.* quælibet enim species continetur

sub

sub suo genere, *Nauar. tom. 4. in cap. Ita quorumdam, de Iudæis num. 35. not. 10.* licèt vna species sit maior aliis, *ex eodem tomo 2. in cap. Inter verba conclus. 6. perfecta num. 119. per iura ibi citata.* Sed in dicto Decreto Synodi exprimitur simpliciter genus suspensioonis, neque ex illius verbis colligi potest restrictio ad vnam speciem, ergo intelligitur de suspensione omnium tam officij, quàm beneficij, *Megal. lib. 5. de censur. cap. 1. num. 7. cum Gemin. & Franco in cap 1. §. Eos vero, de temp. Ordin. in 6.* respondere, sub hac suspensione venire tantùm priuationem exercitij Ordinum, quia sub nomine hoc simpliciter prolato asserunt venire suspensionem ab Ordine tantum. Alius diceret, venire tantùm suspensionem ab officio exorcistæ, quia in quo quis deliquit, in eo venit puniendus, *cap. Quanto 3. de translat. Episcop. cap. Literas 23. de temp. Ordin. cap. Cum olim 33. de offic. Deleg. cap. An sit 42. de appellat.* Sed Exorcista ibi punitur respectiuè ad hoc officium, ergo ab hoc intelligitur suspensus tantùm, & non ab aliis. Roboratur id, & quia pœna sunt restringendæ, ex vulgaris iuribus, & quia pœnæ debet proportionari culpæ, *cap. Non afferamus 21. 24. quæst. 1. cap. Felicis, §. Illud, de pœnis in 6.* vbi refertur illud Deuteron. 25. *Pro mensura delicti erit, & plagarum modus; & cap. Quæsiuit 2. de iis, quæ fiunt à maior.* dicitur in fine, quòd pœna non est vlterius protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum; culpa autem in casu nostro supponitur in exercitio Exorcismorum, ergo pœna suspensionis debet referri ad priuationem huius exercitij, vt pœna possit dici commensurata, & proportionata culpæ.

Secundò responderur posse, quia in pœnalibus verba strictè recipienda, neque extendenda ad personas non expressas, *cap. pœna 18. dist. 1. de pœnis*, ergo Exorcista ab aliis, quam ab obsessis, vel eorum consanguineis recipiens aliquid, non incurrit eam pœnam. Confirmatur, quia lex non disponit de illis, quæ rarò accidunt, *l. Nam de ea, ff. de legib.* Sed rarò aliquid probetur per extraneum in his casibus. Quid si affinis, amicus, vel famulus eorum nomine offerat eleæmosynam? Nonne incidit? *argum. text. in cap. Mulieres 6. §. Illi verò, de sentent. excommunic.* ibi: *Cum is committat verè, cuius authoritate, vel mandato delictum committi probatur*; ergo dans aliquid per seruum, vel amicum, dicitur ipse verè offerre, ac proinde Exorcista recipiens non excusatur ab ea pœna, cùm dicatur oblatum sponte recipere ab obsesso vel eius consanguineis; & facit Reg. 72. in 6. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.* Minimè, quia verba superiùs expressa hunc casum nequaquam includunt. Neque adducta axiomata habent locum in odiosis, in quibus attenditur realitas verborum, non eorumdem fictio a iure inducta; quare verificatur solùm in ordine ad culpam, ita quòd non solùm peccat, exempli gratia, furans, percutiens, &c. sed etiam huiusmodi delicta mandans, vt docent *Graff. praxis lib. 1. cap 4. num. 9. Diana resolut. 10. tract. 1. de immunit. part. 1. §. Nec valet, aliis citatis.* Quare cùm iste exorcista recipiat à famulo, vel alio, de quo non fit mentio in prælibato Decreto, licèt nomine obsessi, vel eius consanguineorum, & verè, sed solùm per fictionem iuris, dicatur minimè ab obsesso, vel eius consanguineis recipere, eam pœnam non incurrit. Confirmatur, quia distinctæ sunt actiones recipere ab obsesso, aut eius consanguineis, quod ibi expresse prohibetur, & recipere ab extraneo eorum nomine, quod ibi non prohibetur; prior actio ibi prohibita refertur ad oblationem factam ab illis, secunda verò ex parte eorumdem ibi non prohibita refertur ad illorum mandatum exequendum ab extraneo; sed actio, à qua dependet mandatum ex parte mandātis non inducit censuram latam contra facientem tantùm, vt docent communiter cum *Megal. lib. 3. de censf. c. 6. n. 14 & li. 4. c. 2. n. 13. Bonac. q. 1. de cens p. 6.* ergo idem dicendum est in casu nostro, in quo nulla fit mentio de mandante oblationē, sed tantùm de offerente.

Tertio responderur, Exorcistam non incurrere eam suspensionem, recipiendu aliquid titulo oneroso, quia illud non recipit prætextu Exorcismi, neque vt Exorcista, sed vt qui se obligat ad satisfaciendum suo muneri ex data fide saltem virtuali, seu tacita in receptione rei cum obligatione celebrandi, vel orandi.

Quartu, recipiens oblatum ab obsesso, vel eius consanguineis prætextu laboris, & occupationis, non respectu spiritualis actionis, quod præcisè ibi videntur prohiberi, non incurrit, quia omne ius dictat illud commune axioma: *Omnis labor optat præmium; argum. cap. final. 7. quæst. 1.* iustum namque est, vt illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, *cap. Caritatem 44. 12. quæst. 2.* & qui ad onus eligitur repelli non debet à mercede *cap. Cum secundum 16. de prebend.* & prædicta procedunt etiam in obsequiis respectu spiritualium, ergo cùm in his merces, & præmium iustè obtineatur, non censetur prohibita horum receptio, quia lex non opponitur iis, quæ iustè, & rationabiliter fiunt, eo quod est regula rationis, & iustitiæ.

Quintò, Exorcista, antequam medicina exhibeatur obsesso, debet in specie consulere Medicum de qualitate Medicinæ, quamuis eam descriptam habeat in libris Exorcismorum, quia cum Ecclesiasticus in his non sit edoctus, fallere potest, & deducere in discrimen vitæ obsessum, quare post habitam informationem, & consensum Medici, facta benedictione, & ipse Exorcista propriis manibus potest potionem porrigere obsesso, aut vngere exteriùs.

RESOLVTIO VIII.

De dimissis prætextu Breuis Vrbani VIII. super professionibus nulliter emissis, ob Nouitiatum in loco designato non præmissum.

SVMMARIVM.

1 *Extenditur Decretum Clementis VIII.*
2 *Difficultates octo proponuntur super ipso.*
3 *Citatur apud Decretum irritans professionem.*
4 *Non obstat ratificationi.*
5 *Impedimentum perpetuum professionis.*
6 *Impedimentum ad tempus professionis duplex.*
7 *Defectus loci est perpetuum impedimentum secundùm Brixiensem.*
8 *Impedimenta perpetuò impedientia professionem reperiuntur.*
9 *Impedimentum perpetuum non continet Statutum contra laborantes morbo Gallico.*
10 *Defectus consensus non est perpetuum impedimentum.*
11 *Coniugium habet speciem impedimenti perpetui.*
12 *Seruitus est impedimentum triennale.*
13 *Hermafroditus æquè est perpetuò impeditus.*
14 *Impedimenta perpetua duo sunt tantùm impedientia etiam ratificationem.*
15 *Defectus loci non impedit ratificationem professionis.*
16 *Pœna Decreti de loco Nouitiatus non statim incurruntur.*
17 *Superior dispensat in pœnis ibi expressis.*
18 *Decreti vigore expelluntur solùm non professi tunc.*
19 *Professio præcisè extra locum valet.*
20 *Inualidè professus præcisè respectu loci reclamare tenetur iuxta Trid.*
21 *Extenditur Breue Sanctissimi Vrbani.*
22 *Difficultates octodecim super dictum Breue.*
23 *Intentio Papæ fuit, vt inualidè professi remanerent.*

24 Litera Sacra Congregationis super hac.
25 Ordinarij locorum nomine non veniunt Ordinarij nullius Diœcesis.
26 Professio ratificatur coram Ordinario loci, vbi moratur professurus.
27 Solus Generalis eos admittit denuò ad professionem.
28 Quod aliis committere potest.
29 Quid denotent verba; Seruatis seruandis.
30 Professi denuò restituendi sunt ad omnia iura.
31 Actus gesti à nulliter professo nulli sunt.
32 Ordines illicitè recipit.
33 Facultas absoluendi collata inualidè professo an teneat.
34 An validè nulliter professus absoluatur.
35 Dispensatur validè exceptis prælaturis, & officiis.
36 Vota nulliter professi non irritantur.
37 Electionis est incapax.
38 Gradus an inualidè obtineantur à nulliter professis.
39 Priuilegiis gaudent nulliter professi.
40 Ratificans professionem à nullo molestari potest.
41 Professio nulla declarari potest ad aliquem effectum exeraneum.
42 Ratificare, & denuò profiteri coincidunt.
43 Nouitiatus continuè peragitur in loco designato.
44 Nulliter professus se solo potest ratificare coram Deo.
45 Superiores sub mortali debent procurare confirmationem Nouitiatuum.
46 Ordinarij nullam facultatem cognoscendi super professionibus habeat ex Breui.
47 Ordinarij an potuerint dimittere nulliter sic professos.
48 Peyrini opinio reiicitur.
49 D. Miconi assertum pro egressis refertur.
50 Authoris oppositio contra D. Micenum.
51 Additio Authoris ad suam oppositionem contra D. Miconum.
52 Repugnaculum contra D. Micenum.
53 Responsio P. Castelli contra D. Micenum.
54 Consideratur ab Authore dicta responsio.
55 An egressi prætextu Breuis sint Apostatæ.
56 Apostasia à Religione duo petit.
57 An afficiantur pœnis, quibus reuocati fuerunt.
58 Licentiati post quinquennium puniri poterant.
59 Professus nulliter ratificare statim potest in vtroque foro.
60 Consensus Religionis defectus an impediat ratificationem.
61 Statutum contra laborantes morbo Gallico an teneat.
62 Egressi per solam Ordinarium an sint tuti.
63 Egressum legitimè Religio non tenetur recipere.
64 Reuersus non est examinandus iuxta Const. Sixti V.
65 Renouitiare non tenetur reuersus, 77.
66 Reuersus tenetur publicè profiteri.
67 Sedet iuxta secundam professionem.
68 Respectiuè ad quam tractandus quò ad iura.
69 Male dimissi recipiendi sunt reuertentes.
70 Licentiati malè reuersi possunt vti priuilegio Breuis.
71 Et si non fuerentur, possunt restitui.
72 Subintelligitur facta restitutio ex professione ratificata.
73 Restitutio ad quæ iura se extendat.
74 Consensus nouus ad ratificationem non requiritur.
75 Defectus occultus an propalandus.
76 Nouitiatus nouus non exigitur ad ratificationem.

1 Sanctissimus in Christo Pater, & D.N.D. Clemens Diuina Prouidentia Papa VIII. cùm iamdudum animaduerteret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum, iuxta sui muneris debitum vigilare, ac laborare non desistit, illud imprimis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monasteriis, & Conuentibus, iisque præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur; ac inde fieri, vt quò magis variis Constitutionibus male affectas radices euellere studet, eò magis infructuosa noniter profitentium germina quotidie succrescant; cumque ob Zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas sua omnes Regulares ad verus sua cuiusque Religionis institutum redigendi districtè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profiteretur ve quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset commodius Regularis Obseruantia secundum reformationem à Sanctitate sua institutam introduci; Quia tamen non obstante tali prohibitione cognouit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentia à Sanctitate sua obtenta, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admissos præter mentis suæ sensum. Idcircò huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac prætextu Decretum Sanctitatis suæ irritum reddatur; nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Prouincialibus Commissariis Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscumque, cæterisque Superioribus Conuentuum, Monasteriorum, ac Domorum, quocumque nomine appellentur intra Italiam, & Insularum adiacentium fines existentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Cartusianorum, Fratrum Minorum de Strictiori Obseruantia, nec non Capucinorum S. Francisci, Reformatorum S. Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, nec non Fratrum Congregationis Fulsensis, Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, S. Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum infirmorum, respectiuè Ordinibus, Societatibus, seu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi) ac sub cuiusuis licentia, & facultatis impetrata, vel impetranda obtentu, nisi per literas in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam Conuersos, nisi in Conuentibus, Monasteriis, & Domibus authoritate eiusdem S.D.N. propè diem in vnaquaque Prouincia designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere vllo modo audeant.

Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine capucio gerant post præsertim in Romana Curia publicationem omninò eiicere debeant.

Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit ipso facto pœnam priuationis officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & aliis etiam pœnis arbitrio Sanctitatis suæ imponendis subiacere.

Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum ex nunc decernit: & declarat.

Hoc autem Decretum voluit Sanctitas sua eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domos, & Monasteria à se probata pro Nouitiorum receptione, & educatione hactenus promissione sua constituerit.

Cæteras verò licentias siue generales, siue particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortita, reuocat, & annullat.

Vult autem Decretum hoc suam solitis locis Vrbis publicatam ita prædictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, priuilegiis, Statutis, & Constitutionibus quibuscumque in contrarium minimè obstantibus. Datum Romæ apud S. Marcum, die 20. Mensis Iunij 1599.

Hoc Decretum extendit *Nald. versic. Religiosus n. 41. Quar. vers. Monasteria Vrceram, & Vecchius disput. 11. de Nouitiis*; pro cuius intelligentia nonnullæ subortæ difficultates sunt resoluendæ.

Quæres itaque 1. In quo Decreto, siue Bulla contineatur illa prohibitio, de qua fit mentio in præposito Decreto? II. An huiusmodi impedimentum defectus

loci

loci ob non præmissum Nouitiatum in loco designato iuxta hoc Decretum, ita efficaciter annullet professionem, vt obstet etiam eiusdem ratificationi perpetuò reddens inhabilem illum ad manendum in Religione? Quod est etiam quærere an sit perpetuum impedimentum? III. An ante ratificationem sit præmittendus annus probationis? IV. An inflictæ pœnæ in eodem subeundæ sint ante condemnationem? V. Quis ab illis absoluere, seu melius in illis valeat dispensare. VI. Quinam sint eiiciendi virtute huius Decreti §. Quinimò? VII. An nulla sit professio, si recipiantur, & profiteantur extra locum designatum? VIII. An iudicetur iuxta Decretum *sess. 25. cap. 15. de reclamatione?*

3 Respond. ad primum. Illa prohibitio continetur in alio Decreto incipiente; *Regularis disciplinæ* Dat. 12. Martij 1596. quod refertur ad verbum à Nald. & Vecchio citatis immediatè ante. In quo prohibebatur, ne Nouitij ad habitum Regularem, & professionem admitterentur, nisi in Conuentibus designandis authoritate Apostolica, aliter transgressores Superiores incurrerent pœnas, de quibus in secundo Decreto, supra extensas, & nullæ essent receptiones, & professiones inde secutæ. Quod Decretum renouatum fuit, & ampliatum in secundo, vt in eo videre est.

4 Secundò, hoc Decretum licèt irritet professionem, non tamen impedit, quin possit ratificari, etiam statim attentata professione nulla, vt probo infrà *quæst. 5.* Ratio autem efficax pendet ex eo. An huiusmodi impedimentum defectus loci sit perpetuum personam inhabilitans, an ad tempus non inhabilitans simpliciter, sed præcisè impediens valorem professionis, non vlterius procedendo circa ratificationem, possit fieri, nec ne: 5 Impedimentum igitur perpetuum, vt docui *cap. 7. de professione regul. quæst.* 17. est illud, quod personæ ferè inhæret, vti eius defectus, & cum eo, vt ita loquar, est perpetuò deambulatorium, habens tractum successiuum continuò impediens, & destruens attentatam professionem, ita quod ratificari non potest; & hæc propositio vti vera inducitur variis exemplis, nam fœminæ sexus tale est impedimentum, quod illi inhæret vbi in hoc eius defectus perpetuò deambulatorius cum illa, ita quòd nunquam potest profiteri, aut attentatam professionem ratificare inter viros. Idem dic de Sexu virili inter fœminas Moniales. Huius etiam generis erant impedimenta illegitimorum, criminosorum, & obnoxiorum debitis, & latrociniis, iuxta dispositionem constitutionis. *Cum de omnibus*, apud Quar. versic. Monasteria viror. in qua eosdem vocat perpetuò inhabiles, de quibus agit *Sanch. lib. 7. disp. 3. num.* 30. Simile impedimentum habent nouitiæ Monialium, qui in profitendo nolunt se obligare ad perpetuam clausuram, nam Papa Pius V. Constitut. *Circa Pastoralis*, apud Confect. pag. 216. perpetuo inhabilitauit ad sic viuendum, limitando eorum professiones. Itaque quando Papa vult constituere aliquod perpetuum impedimentum, vtitur clausulâ. *Perpetuò inhabilitamus.* Addendo expulsionem eius, qui sic profecit; à Religione, vel expressè, vt fecit Sixtus, vel tacitè, vt fecit Pius V. contra Moniales Nouitias, vt mox dixi, quod melius, & clarius vide infrà contra responsionem Patris Castelli §. Sexto. Post n. 50. Sed hoc impedimentum non fecisse Nouitiatum in loco deputato non inhabilitat perpetuò profitentem, cum non inhæreat personæ, sed extrinsecum sit dependens à loco, neque in dicto Decreto adsit clausula. *Perpetuò inhabilitamus*, cum expulsione ergo non est perpetuum impedimentum, consequenter neque impedit ratificationem, licèt irritet professionem. Confirmatur, Tum quia locus, & annus Nouitiatus omninò æquiparantur, cum sint inseparabilia, & de iure in idem recidant, non enim potest fieri annus Nouitiatus extra locum designatum, neque locus deputatus spectatur sine anno probationis, in ordine ad quam specificè, & non alias refertur, ergo eodem iure censendi sunt *argum. cap. cognouimus 19. 12. quæst. 2. cap. cum in sua 30. de decim. cap. Quia circa 22. de priuileg.* Sed defectus contingens ex parte anni probationis non est impedimentum perpetuò inhabilitans, neque tractum habet successiuum, cùm vt quid negatiuum suum esse habeat solùm pro illo tempore Nouitiatus, & post se relinquit tantum effectum nullitatis professionis, ratificationi non resistens, ergo idem dicendum est de defectu loci. Tum quia Concilium *sess. 25 cap. 15.* dat Episcopis simul cum Superiore Regulari facultatem audiendi nulliter professos solùm ex impedimentis ad tempus, & non perpetuò, cùm perpetuò inhabiles non dicantur dimissi, neque audiri, sed expellendi sint, sed defectus anni probationis auditur iuxta dispositionem Sacri Concilij, quod supponunt *Mirand. tom. 1. quæst. 30. artic. 2. Bonacin. quæst. 2. de clauf. part. 10. diff. 2. §.* 2 ergo, & defectus loci ratione inseparabilitatis. cum connexorum idem sit iudicium, *ex cap. Si quis 7. 1. quæst. 3. iuncta glossa versic. Neutrum, ex cap. Quanto 3. de iudic. cap. Translato 3. de constitut.* consequenter is defectus non potest esse perpetuum, quia Concilium iudicat impedimenta tantùm ad tempus, vt docet *Sanchez lib 7. disputat. 37. num. 32. vbi citat Nauarr. consil. 25. numer. 2. & 48. num. 2. & in fine, de regular.* Tum quia impedimentum perpetuum supponit ferè defectum intrinsecum in persona etiam antequam accedat ad actum sibi interdictum, vt patet ex allatis exemplis; Sed in casu nostro nullus præsupponitur intrinsecus, aut vitiosus defectus in persona ante receptionem, neque post habitus, ergo non est perpetuum impedimentum. Tum quia in rescriptis obtentis exeundi à Religione ob nullam professionem huius defectus impedimento, aderat clausula. *Dummodò non ratificauerit Professionem.* Ergo non est perpetuum impedimentum.

Remanet ergo, quod sit impedimentum ad tempus, ac proinde præcisè prohibens fieri professionem, & non vlterius procedens, cum terminetur in ipsa professione, quam nullam reddit. 6 Est autem hoc posterius impedimentum duplex, vnum habens tractum successiuum tempore permanens etiam post professionem; vt, si quis iuuenis præmisso Nouitiatu in anno decimo quinto, profiteatur initio anni decimi sexti, sine dubio eius professio nulla est, ob impedimentum ætatis non legitimæ, quæ tractum habet successiuum vsque ad decimum sextum annum absolutum, ita quod sicut non potuit profiteri, ita neque professionem ratificare intra id tempus, eo verò transacto cum non ampliùs id sit impedimentum, sed adsit legitima ætas, sicut potest ritè profiteri, ita professionem nullam ratificare. Idem dicendum de impedimento metus, qui tractum potest habere successiuum, durante enim actu metu impeditur ratificatio professionis nulliter antea emissæ ob metum, siquidem eadem libertas necessaria est in ratificatione, quæ requiritur in prima professione, probaui *cap. 6. q. 22.* Alterum carens tractu successiuo durans solùm pro eo tempore, quo prohibetur primus actus; seu est illud, quo cessat finito probationis anno, eo quod connectatur tantum cum Nouitiatus anno; sit exemplum in interruptione non iuridicà probationis, nam hæc dicitur impedimentum ad tempus, nullum habens tractum successiuum, cum duret solùm pro illo anno Nouitiatus impediens professionem, vnde cum tunc cesset, quia annus probationis finitus est, cum quo connectitur, cum sit eius interruptio, nullam virtutem habere potest aduersus ratificationem, ac proinde hæc fieri potest. Simili ratione idem dicendum est de impedimento defectus loci designati, nam cum is coniungatur cum anno probationis, eo finito consequens est, cessare etiam huiusmodi, & finem accipere, quare nulla ratione poterit impedire ratificationem.

Probatur ergo directè data responsio, quod nimirum defectus loci, licèt impediat professionem, non tamen eiusdem ratificationi aduersatur, quia solùm

impedimentum perpetuum, aut etiam ad tempus habens tractum sneeessiuum pro tempore tractus successiui præeisè non tantum impedit primam professionem, sed etiam secnndæ penitus obstat, cum eius virtus impeditiua suam efficaciam attingat etiam post professionem vel perpetuò, vel vsque dum durat tractus successiuus, vt constat ex dictis: Sed defectus loci non est impedimentum perpetuum, neque ad tempus tractiuum, sed sine tractu, ex probatis mox, ergo defectus loci designati non potest impedire ratificationem. Confirmatur per responsiones ad obiecta subiicienda.

7 Quidam Brixiensis I.C. in sua allegatione, quam infrà referam sustinet, defectum loci designati esse perpetuum impedimentum inhabilitans personam non solum ad profitendum, sed etiam ad ratificaudum, multa dicit circa hoc, potius supponendo, quam probando, vnde vnicum refero ad hoc directè probandum argumentum deductum ex textu ipsius Decreti. §. *Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos etiamsi imperfectum habitum, aut sine Capucio gerant post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem omnino eiicere debeant*. Ergo cum isti eiiciendi sint post emissam nulliter professionem, signum est, quod non possunt illum ratificare, ac proinde hoc est impedimentum perpetuum. Sed vt patet ex contextu verborum, Papa ibi loquitur de nondum professis, nam professi, siue validè, siue nulliter non dicuntur ferre habitum imperfectum, qui dicitur probationis, neque viuere inter professos sine Capucio, quia omnes professi etiam nulliter gerunt Capucium.

Superiora impedimenta à Sixto V. inducta, tunc erant perpetua inhabilitantia personas etiam ad ratificandam professionem attentatam vsque ad Clem. VIII. qui in sua Constitut. *In suprema*, apud *Quar. versic. Monasteria vir. Nald. versic professio in fine, Mirand. tom. 1. q. 19. art. 3. Vecchium disp. 2. de Nouit. dub.* 12. Constitutiones Sixti, quoad eam partem, qua professio declaratur nulla ob non seruatam formam, reducendo ad terminos iuris, & Sacrorum Canonum, illa impedimenta de perpetuis reddit temporales, & hoc respectiuè tantum ad Prælatos, & Superiores recipientes, non autem in ordine ad valorem professionis, quæ tenet, non obstantibus illis impedimentis nisi quoad illicitum actum.

Sed petes, an nunc sint aliqua impedimenta perpetua? dico quod sic, nam duo suprà recensui, nempe defectum sexus simplicis, aut promiscui, de promiscuo in-
8 frà §. Hermaphroditus, & nolle se fœminam obligare ad perpetuam clausuram. Nullum aliud perpetuum inuenio de iure Pontificio. Nam quod dicitur de descendentibus ex Iudæis, Hæreticis, & Mahumetanis in Religionibus Minorum de Obseruantia, & Minimorum, non est perpetuum impedimentum, quia defectus descendentiæ licèt sit deambulatorius cum persona cui inhæret, non tamen dicitur continuo impedire, cum solum impediat attentationem primi actus, & non vltra procedat obstando ratificationi, quia Summi Pontifices, vt videre est Bullam Clem. VII. & Pauli IV. apud *Mirand. tom. 1. quæst. 19. art. 7.* confirmatas per aliam. *Consueuit*. Greg. XIII. qui in aliam incipientem. *Muneris nostri*. apud Confect. pag. 250. fecit pro Minimis, & Pij V. Constit. *Pastoralis officij*, apud citatum Confect. pag. 224. pro Obseruant. pro quibus sunt etiam Priores, simpliciter irritauerunt professionem, nullam addendo clausulam inhabilitationis perpetuæ, nec quod professi nulliter expellantur, imò Constitutiones Pij, & Greg. nullum continent Decretum irritans; vnde ex hoc capite professio tenet, si ex alio non irritetur, nam interdictum simpliciter factum in materia professionis sine Decreto irritante expresso, professionem non irritat, à simili de Matrimonio contracto contra interdictum sine Decreto irritante, vt colligitur *ex cap. 2. de Matrimon. in fine, Silu. versic. Matrimon. 7. q. 2. dicto 3. Alex. de Neuo in cap. penult. de desponsat. impub. num. 2. Ricard. in 4. dist. 32. art. 5. q. 2. in fine, & cum eis Sanch. lib. 7. disp. 2. n. 10. & 11.* quod sine dubio valet, vt isti docent, ergo idem dicendum est de professione facta contra interdictum non continens Decretum irritans, valet enim arg. à Matrimonio carnali ad spirituale, *ex cap. Viduas autem, cap. Nec verò, cap. Quæ Christo 27. q. 1.* in quibus locis professio dicitur Matrimonium spirituale, & de hoc genere argumenti satis dixi *cap. 1. de profess. regul. q. 51.* Professio igitur tenet emissa contra simplex interdictum, vnde Sacra Congregat. Regularibus Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, quærentibus, an teneat professio ab illis emissa statim post 16. annum completum contra sui Ordinis Constitutionem à Sede Apostolica confirmatam, prohibentem aliquem non recipi antequam compleat 20. annum? Respondit die 2. August. 1631. valere, vt testatur *Sellius c. 18. n. 3. apud Barbosam ad cap. 15. sess. 25. num. 16.*

Neque Statutum, quod habent aliquæ Religiones non recipiendi aliquos laborantes morbo Gallico, vel alio simili, alitèr professio sit nulla, dicitur continere perpetuum impedimentum, quia in huiusmodi Statutis non exprimuntur clausulæ indicantes perpetuitatem impedimenti, vt in pluribus vidi, quæ sunt. *Perpetuo inhabilitamus. In Religione non tolerentur: Expellantur à Religione*. Præterquam quod *Nau. cons. 26. de regul. n. 4. & 6. Rodr. q. 10. art. 3. & tom. 3. q. 11. art. 1. Mirand. q. 19. art. 7. Sanch. lib. 7. disp. 37. n. 30. & lib. 5. c. 4. n. 73. ego dixi cap. 2. de profess. q. 16.* quos contra se citat *Vecchius disp. 4. dub. 1. num. 6.* tenent huiusmodi Statutum à Papa non confirmatum, nullius esse momenti in quantum irritat professionem, quo posito à fortiori concluditur nullum esse impedimentum neque perpetuum, neque ad tempus. 9

Defectus consensus nolentium admittere non potest 10 dici impedimentum perpetuum; est autem negatio consensus duplex, vna absoluta, qua simpliciter Conuentus non vult Nouitium admittere, sed illum simpliciter reprobat à professione; altera conditionata, qua Conuentus admittit quidem Nouitium, sed sub conditione, si non sit infectus morbo Gallico, vel alio defectu. Defectus neutrius consensûs est perpetuus, sed ad tempus, prior quidem, quia si de facto Nouitius non expellatur à Superiore, sed toleretur, consensus præsumitur præstitus a Superiore, & Conuentu post quinquennium, quia licèt voluntas semel posita præsumatur remanere; nisi probetur contrarium, *arg. cap. 3. de Baptism. §. Dormientes, iuncta gloss. versic. perdurare*, tamen per tolerantiam longi temporis, vt est quinquennium censetur mutata voluntas, ac proinde tacitè consentire in Nouitij professionem; & sic intellige, quod dixi *c. 1. de profess. Regul. q. 54.* ibi, *Modo non transierit quinquennium*. Hæc enim clausula indicat quod mox dixi. Posterior consensus neque potest esse impedimentum, nisi ad tempus, quia etsi intra quinquennium possit Superior illum expellere, qui laborat morbo Gallico, admissus sub ea conditione, si non laborat illa infirmitate, tamen transacto quinquennio ille consensus purificatur, & transit in absolutum mediante illa tolerantia, sicut dixi de illius negatione. In vtroque igitur casu per tolerantiam dicitur esse consensus legitimus tacitus, & interpretatiuus, hoc ipso quod non expulsus fuit ille Nouitius, qui post quinquennium censetur tacitè professus, vt multis probam *cap. 7. de profess. regul. q. 38.* Confirmatur, Tum ex ea regula, consentire videtur, qui tacet, quæ præcipuè locum habet, quando factum est tale, vt fieri non possit aliquo prohibente, si enim tunc fiat, ille qui prohibere potest, tacendo consentire videtur, vt docet *Glossa, & Doctores super illam*. Tum quia dato etiam, quod non accesserit legitimus consensus, neque tacitus Superioris, & Conuentus, æquiualenter tamen, & virtualiter Ecclesia supplet hunc defectum consensus, qui dicitur legalis, nam Summus Pontifex ipsius Ecclesiæ caput, in quo plenitudo omnis potestatis residet imme-

diatè

diatè à Deo, vti ſupremus omnium Religionum Pater Generalis tranſacto quinquennio iuxta Decretum *c. 19. ſeſſ.25.* ſupplet omnem defectum conſenſus, & aliorum requiſitorum ex parte Conuentus in fauorem Nouitij, perſeuerantis ſaltem per illud tempus in Religione, vt docet *Sanch.lib.7.diſp.37.n.64. vt latius dixi cit.cap.7.de reclamat.q.*38.Quare bene concluditur hæc impedimenta non eſſe perpetua.

11 Coniugium habet aliquam ſpeciem perpetui Impedimenti,quatenus alter eorum non poteſt validè profiteri, neque attentatam profeſſionem ratificare altero contradicente ex cap. Quidam, de conuerſ. coniugat. vel ignorante, ex cap. Placet, eod. vbi dicitur, quod reuocatur ab ignorante vxore mortua non tenetur redire ad Monaſterium; non idcircò tamen eſt ſimpliciter tale, ſed potiùs ad tempus habens tractum ſucceſſiuum, cum aliter remanens in ſeculo poſſit conſentire, vt attentata profeſſio reualidetur per ratificationem, quæ cum impedimento perpetuo ſtare non poteſt.

12 Seruitus non eſt impedimentum perpetuum, ſed triennale, nam ſeruus infrà triennium validè profiteri non poteſt, vtique verò poſt triennium, ſi à Domino non fuerit requiſitus, niſi ſit tam longè, quod inueniri non poſſit,id totum conſtat *ex cap.Si quis incognitus* 17. *quæſt.*2.

13 Hermaphroditus æqualiter in vtroque ſexu dicitur habere perpetuum impedimentum profeſſionis,& ratificationis, ad quemcumque ſexum ſiue virorum, ſiue fœminarum accedat, quia quatenus vir inualidè profiteretur inter Moniales,& quatenus fœmina inualide profitetur inter viros,ergo ſimpliciter nõ poteſt profiteri; ac proinde cum eius permanſio in Monaſterio ſit multum præiudicialis cauſa multorum incenſiuorum vti intolerabilis ſic permanens expellendus, vt etiam à ſolo Superiore, non ſeruata diſpoſitione Tridentini *cap.19. ſeſſ.25.de reclamat.* Quæ comperit ſolum petentibus dimitti, cum poſſint remanere licitè. Quod debeant expelli, tradit *Nau. conſil.47.de regul. Sanch. lib. 5. cap. 4. num.41. qui cum Rodr. quos citat, & ſequitur Bonac. q.2. de clenes,part.* 10.*§.VI. diff.*2. Prætetea tenent etiam validè profeſſum, ratione ſexus prævalentis, poſſe à Religione dimitti, ad euitandum imminens periculum ſcandali. Ex quibus rectè infertur hoc eſſe perpetuum impedimentum, hoc ipſo quod expelli poteſt talis perſona.

Ex his omnibus collectis infertur veram, & probatam pariter eſſe reſponſionem datam ad petitionem
14 ſuprà §. Sed petes, nimirum duo eſſe tantum impedimenta perpetuò inhabilitantia perſonas ad profitendum, & ratificandum cum expulſione à Religione; vnum, fœminam nolendo ſe obligare ad perpetuam clauſuram non poſſe profiteri, neque ratificare, ſed expellendam eſſe; alterum eſſe defectum ſexus ſimpliciter,vt ſexus fœmineus reſpectu virorum, vel promiſcuè vt ſexus Hermaphroditi.

15 Tertiò, qui nullam defectus loci deſignati profeſſionem fecit, illam ratificare poteſt, vt conſtat ex dictis, cum illud non ſit perpetuum impedimentum; neque ad hoc requiritur altera probatio in Nouitiatu.Probatur, Tum quia qui fecit Nouitiatum licèt nullum ex aliqua circunſtantia, cum fuerit expertus vitam Regularem, & Religio cognouerit, & probauerit eius mores, iure, & de facto dicitur feciſſe bonam probationem, quod ad hoc, quod eſt principale intentum, ergo repetendus non eſt; nam in re hac inſpicitur factum, & non circunſtantiæ, ſine quibus experientia tam ex parte Nouitij, quàm Conuentus haberi poteſt; & cum hoc ſit principale intentum, & finis inſpiciendum eſt, *l.Rogaſti in princip.l.Si quis nec cauſam,ff.ſi cert.pet.l. Si quis donationis cauſa.ff.de contrahenda empt.Sanch.lib.6.diſp.1. num.* 11. Tum quia probatio in loco deſignato, & ipſe locus ſe habent vt formale,quæ eſt probatio principale intentum, & materiale, qui eſt locus, vt quid minus principale,& acceſſorium propter ipſum Nouitiatum, & experientia; ſed quando vnum eſt propter aliud, principale ſemper inſpicitur, *l.Et ſi non ſunt,§ peruenia-mus,ff.de aur.& arg.leg.Graff.lib.2.Append.cap.6.num* 17. Ergo ſi fuit bona probatio, & experientia, quod eſt principale, non poteſt labefactari per acceſſorium, & materiale, quod non inſpicitur. Tum quia bona probatio vt ſic, ex ſe non impedit valorem profeſſionis, ſed ſolùm defectus loci, multo minus poteſt impedire ratificationem,cui non poteſt obſtare huiuſmodi defectus, cum non ſit perpetuum ex probatis §.Secundò,cuius ſolius eſt aduerſari non ſolùm profeſſioni,ſed etiam einſdem nullæ ratificationi. Hanc reſponſionem de Nouitiatu nullo non repetendo in ratificatione docui *cap.4. de Nouitiatu q.37.cum Sanch.lib.7.diſp.37.n.47.*quod ampliat etiam, quando ipſe, & profeſſio ſunt nulla publicè; contra *Rodr.part.1.cap.5.num.2.Nau.conſ.26. de regul.num.17.&* 18. *quos citando ſequitur Vecchius diſp.14. dub.5. num.* 8. vbi ait ſi caſus eſt occultus tunc poſſe inualidè profeſſum petere diſpenſationem in confeſſione à ſuo Prælato peragendi Nouitiatum inter profeſſos. Sed neſcio quo iure Superior poſſit facere facultatem illi Nouitiatum iterum peragendi inter profeſſos, præcipuè quando eſt in Conuentu, vbi Nouitiatus non eſt deputatus, nam ſine dubio nullus erit, in Conuentu verò deputato pro Nouitiatu, ſine dubio renouitiare poteſt inter profeſſos, vt probaui *cap.4.quæſt.29.*de Nouitiatu. Sed quicquid ſit de hòc, meo iudicio nunquam dicetur verus, & formalis Nouitiatus, quia cum viuat inter profeſſos, & profeſſus tractetur, ne is defectus detegatur, haberi non poteſt, neque cenſetur, ſeu eſt Nouitius, quod non debeat renouitiare latiùs infrà quæſt. 14.

Quartò, pœnæ inflictæ in eo Decreto ſtatim poſt 16
tranſgreſſionem non incurruntur,ſed requiritur ſententia iudicis,vt ex probabiliori ſententia dixi *reſol.7.q.17. §.XIII.* de pœnis inflictis contra Religioſos alloquentes Moniales; *& cap.3.de admitt.ad profeſſ.q.*40.de pœnis inflictis contra Superiores recipientes criminoſos, vbi reſpondi ad obiecta aduerſæ opinionis. Huiuſmodi autem pœnæ ſunt contra Superiorem tantum recipientem Nouitium ad habitum probationis,vel profeſſionis in loco non deſignato.

Quintò,Superior Regularis in dictis pœnis diſpenſa- 17
re poteſt, cum in Decreto non fiat earum reſeruatio Sanctitati ſuæ, habent enim Prælati Maiores hanc facultatem diſpenſandi,& habilitandi tum ex officio,tum ex priuilegio,vt probat.

Sextò, virtute eius Decreti expelluntur ſolùm illi, 18
qui nondum profecerunt vt dixi ſuprà §. Quidam;Procedit illa expulſio ſolùm pro illis, qui fuerunt recepti contra primam prohibitionem Sanctitatis ſuæ, vnde nunc ceſſat iſta eiectio, quia per hoc ſecundum Decretum non mandatur,neque præcipitur.

Septimò, probaui in meo *tract.de profeſſ. regul. cap.*4. 19
*q.*24.tenere profeſſionem eorum, qui extra locum deſignatum, vbi vnum annum Nouitiatus integrum perfecerunt, recepti fuerunt ad habitum probationis, & profeſſionis, nam hæc tria diſtinguuntur, ſuſceptio habitus, Nouitiatus, & profeſſio, duo enim extrema ſunt actus tranſitorij, qui non conſiderantur, neque includuntur ex probatione, quæ inducitur viuendo per annum in loco deſignato, itaque Nouitiatus cenſetur perfectus ſine illis extremis.

Octauò, inualidè profeſſus defectu loci deputati, ſi 20
vult exire,debet reclamare iuxta diſpoſitionem Decreti Sacri Concilij *ſeſſ.25.c.* 19. quia hoc impedimentum eſt de illis,de quibus ibidem diſponitur, vt multis probaui *reſol.*23.initio, Verum quidem eſt,quod Sanctiſſimus Vrbanus in ſuo Decreto ibidem à me extenſo ſub *q.*1.hanc facultatem abſtulit Epiſcopis, & Superioribus Regularibus,quoad hunc caſum præcisè.

Hactenus explicaui dubia propoſita ſuperius poſt extenſionem Decreti, quod totum facit pro intelligentia

dicendorum, restat extendere Breue Sanctissimi Vrbani super professionibus per Regulares emissis, non tacto in locis designatis Nouitiatu, iuxta suprà dictum Decretum Clem. VIII. tenoris sequentis.

21 *Religiosos viros, qui spretis huius saculi vanitatibus, Diuini Numinis obsequio sub suaui Religionis iugo sese mancipaerunt, Pastorali benignitate complectimur; vtque in vocatione, qua vocauit eos Dominus, permaneant, iuxta creditum nobis Apostolica seruitutis munus, sedulò intendimus, ac desuper eiusdem muneris partes propensis stud is intendimus, prout ad Dei laudem, Catholicaque Ecclesia decus, & exaltationem conspicimus in Domino salubriter expedire.*

Cum itaque sicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium professores ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minime fecerint, proindeque iuxta Constitutionem Fel. record. Clem. Papa VIII. Pradecessoris nostri desuper editam, professio per eos subinde emissa inualida existat.

Nos Religiosos pradictos ex huius Sancta Sedis benignitate specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodata existunt, ad effectum prasentium dumtaxat consequendum, harum Serie absoluentes, & absolutas fore censentes.

Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris venerabilibus Fratribus, nostro Scipioni Episcopo Sabin. Cardinali Burghesio nuncupato, maiori Pœnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cateris que Ordinariis locorum, in quibus eorundem Religiosorum Monasteria, domus, seu Conuentus, aliaue Regularia loca consistunt; siue ipsorum Religiosorum Prafectis, vel Superioribus Generalibus per prasentes committimus, & mandamus quatenus omnes, & singulos Religiosos pradictos, qui ad habitum Regularem aliàs Canonice recepti, annum probationis in Monasteriis, seu domibus Regularibus, ad id designatis minime fecerunt, subindeque professionem nihilominus emiserunt, ad professionem denuo, seruatis aliàs seruandis emittendam, qua sic emissa illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quàm exteriori suffragari debeat absque nouo probationis anno, ex speciali huius sancta Sedis benignitate, authoritate nostra Apostolica recipiant, & admittant.

Eosdemque postquam professionem denuo, vt prafertur, emiserint ad omnes gradus, honores, dignitates, praeminentias, atque habilitates, quas, si ab initio validè professi essent, legitime obtinerent, eadem authoritate restituant, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declarent, ita vt habeant eundem locum, sessionem, & votum prout haberent, si priores professiones valida fuissent. Et nondum promoti ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines, seruatis aliàs seruandis promoueri; & tam ipsi, quàm alij ad eosdem Ordines iam ritè promoti, in susceptis ordinibus huiusmodi, etiam in Altaris Ministerio ministrare liberè, & licitè valeant. Nec non omnes actus, seu contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum Laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alterius Religionis viris, si nullum aliud vitium paterentur, vel defectum, nisi ex eo solum, quia initi, aut contracti sunt inualidè ab iis, qui contra dictam constitutionem in domibus non designatis, seu ab eadem Sede non approbatis, professi sunt, authoritate nostra pradicta confirment, & approbent, ac validos omninò declarent, super quibus omnibus, & singulis plenam, & amplam facultatem dicta authoritate, tenore prasentium, tribuimus, & impertimus.

Decernentes, prasentes literas, & in eis contenta, atque illarum vigore in pramissis facienda, & exequenda, quacumque valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios effectus, & integros sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, eosque pramissorum occasione, vel pratextu quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, nec debere; sicque, & non aliter ab omnibus censeri.

Et ita per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, &c.

Non obstantibus pramissis, &c.

Caterum similibus in posterum consultum esse volentes, dilectis filiis Ordinum, Congregationum, & Institutorum huiusmodi Superioribus Generalibus, quocumque nomine censeantur, ac Procuratoribus etiam Generalibus, per prasentes districtè pracipimus, & mandamus, quatenus statim visis prasentibus, loca, Monasteria, vel Conuentus, in quibus Nouitij probationis annum agunt, ac alia, qua dictus Clemens pradecessor super hac re obseruari iussit, obseruentur, designari, siue confirmari omnino curent, & faciant.

Vt autem prasentium notitia ad omnes facilius perueniat, &c.

Datum Roma apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 2. April. 1631. Pontificatus nostri anno 8.

Hoc Breue extendit Peyrinus *tom. 3. de priuil. cap. 12. vbi num. 5.* ait multos excitasse rumores, ex eò quod non fuit bene intellectum, & verum dicit, quia multi Ordinarij, etiam Superiore Regulari irrequisito, quoscumque Religiosos indifferenter ad se accedentes, prætextu huius Breuis probantes nullitatem suæ professionis defectu loci designati, dimittebant, etiam vltra triennium professos, errore ducti, putantes se posse illos dimittere, vanis rationibus adductis, dum volebant defendere, se fuisse, & esse Iudices competentes in hac causa, de qua re Sanctitas sua commonita edidit Decretum adiectis pœnis, ne quis deinceps in cognitione huius causæ se ingereret, vt latius in eo videre est, quod ad verbum reposui *resol. 23. sub quæst. 2.*

Quæres 2. Resolutionem aliquorum dubiorum circa huiusmodi Breue I. An intentio Papæ in hoc Breui sit vt expellantur sic nulliter professi? II. Quæ sit ea constitutio Clem. VIII. de qua fit ibidem mentio? III. Quinam veniant sub nomine Ordinariorum locorum, quibus committitur receptio professionis de nouo emittendæ? IV. An quilibet Episcopus, seu Ordinarius possit recipere hanc nouam professionem cuiuslibet Religiosi nulliter professi, licèt non habitet sub eius Diœcesi? V. An solus Generalis, & non alij inferiores Prælati, admittat hanc nouam professionem? VI. An hanc facultatem aliis delegare possit? VII. Quid importet clausula, *Seruatis aliàs seruandis*? VIII. Quomodo nulliter professi per nouam professionem restituantur ad priora iura, & actus, quorum possessionem antea habuissent, si validè professissent? IX. An sit species restitutionis in integrum? X. An omnes actus facti ab huiusmodi nulliter professis fuerint nulli? vt receptio ordinum, celebratio contractuum ante professionem, facultas audiendi confessiones tam Secularium, quàm Regularium; absolutio recepta in Religione; datio, vel receptio officij; Doctoratus siue in Religione, siue extra; & huiusmodi. XI. An gaudere possint priuilegiis Religionis? XII. An possint molestari à consanguineis, seu aliis super contractibus, & aliis supranarratis ante ingressum ad hanc professionem? XIII. An aliquis cognita huiusmodi nullitate suæ professionis possit eam facere declarare nullam non intentione egrediendi, sed vt testamentum, vel alios contractus factos dependenter à professione, mutare valeat, antequam denuò profiteatur? XIV. An huiusmodi emissio denuò professionis dicatur ratificatio? XV. Si locus nondum sit legitimè designatus, & ibi tunc sint Nouitij, an teneantur reficere totum Nouitiatum incipiendo à die designationis? an verò tempus continuari possit. XVI. An si quis hunc defectum habeat occultum possit secretò ratificare? & an teneatur? XVII. An Superiores tenean- 22

tur

tur procurare huiusmodi designationem, & continuationem, si eorum loca carent? XVIII, An Ordinarij locorum virtute huius Breuis potuerint dimittere nulliter ex hoc capite professos?

23 Primò, Intentio Summi Pontificis fuit, vt remanerent in Religione, & nequaquam expellerentur. Quod suadetur, Tum quia expressè dicit, quod illud Breue condidit, vt Religiosi denuo profitendo, in vocatione, qua eos Dominus vocauit, permaneant. Tum quia vt ad id eosdem alliciat, post factam professionem de nouo, mandat restitui ad priora iura, & cæteros actus, ac si ab initio prior professio fuisset valida. Sed hoc est ita clarum, vt ignorantis sit de hac re dubitare, vt perperam non solum dubitauit, sed asseruit D. Franciscus Micenus I. C. Brixiensis Sanctitatis suæ intentionem fuisse, vt expellerentur, quod sic conatur probare, quia aliter Decretum Clem. VIII. non seruaretur, si huiusmodi malè professi retinerentur in Religione, vt colligitur ex eius allegatione §. *Ex quo Breui*. §. *Propterea*. §. *Illi quibus*. Nullius ergo momenti est eius assertum, quod nec benè probat, quia obseruatio Decreti Clementis est, vt Nouitij probentur in locis deputatis, & non alibi, & non refertur ad professos sic inualidè, cum denuò non teneantur facere Nouitiatum. Demum diuersæ literæ à Sacra Congregatione fuerunt per varia loca ad ordinarios locorum, ne huiusmodi nulliter professos dimitterent, ne dum expellerent à Religione, sed omninò eosdem reuocarent ad suas Religiones. Referam exemplum vnius directæ ad Vicarium Capitularem Brixiensem, supra nominatum, quam habui ex quadam allegatione R. P. Ioannis Francisci Castelli Theologiæ, & Canonum professoris, cuius dicta etiam infrà expendam tenoris sequentis.

Al Reuerendo Signor

Il Vicario Capitolare di Brescia.

Reuerendo Sign.

24 *QVesti Eminentissimi miei Signori vengono ragguagliati, che con l'occasione della Bolla, nella quale la Santità di N. S. hà dato facoltà à Regolari di conualidare le loro professioni, che si poteuano pretendere nulle, à causa di non hauer fatto l'anno della probatione, e le medesime professioni in luoghi designati à riceuer Nouitij, alcuni d'essi Regolari, che stanno di famiglia nelli Conuenti, ò Monasterij di cotesta Città, e Diocesi, in vece di conualidare le dette professioni con licenza, ò Decreto vostro, habbino lasciato l'habito, & hora se ne stanno fuora de claustri in habito di Chierici Secolari, sotto pretesto, che tal facoltà [come si suppone] almeno tacitamente, si dia in detta Bolla. E perche ciò è del tutto alieno dalla pia mente della Santità sua; ne tali dichiarationi di nullità di professioni si possono fare, se non seruatis seruandis conforme alla dispositione de' Sacri Canoni, Constitutioni, e Decreti Apostolici, e particolarmente del Sacro Concilio di Trento. Però l'Eminenze loro essendo restate assai merauigliate di voi, mi hanno ordinato di scriuerui, che quanto prima auisiate quà tutto ciò, che vi occorre per vostra giustificatione; e che trà tanto non solamente vi asteniate dal dar licenze, ò Decreti sudetti, ma procuriate con ogni vostra possibile industria, e diligenza, che quanto prima tornino ne' claustri con l'habito loro Regolare quelli, à quali hauete concesso le licenze, ò Decreti sudetti. Tanto dunque eseguite, e state sano.*

Di Roma à 8. di Luglio 1632.

Al piacer vostro

Il Cardinal S. Onofrio.

Antonio Tornielli.

Peyrinus tom. 3. priuileg. cap. 12. ad nostrum Breue in notabili 3. refert similes literas ad Episcopum Casalensem scriptas eiusdem fere tenoris vsque ad illa verba *Però l'Eminenze* sequentis tenoris.

Però l'Eminenze loro mi hanno ordinato di scriuerle, che si astenga dall'interporre li Decreti, & dare le licenze sudette in vigore di detta Bolla; & ordini al suo Vicario, che non le dia ad alcuno, & hauendole date, procuri, che quanto prima ritornino ne' claustri con l'habito loro Regolare, e prestarà in ciò ogni aiuto alli loro Superiori, à finche ve li faccino ritornare. Dio la preserui.

Di Roma al 1. di Luglio 1633.

Di V. S. come fratello,

Il Cardinal S. Onofrio.

Antonius Torniellus.

Secundò, ea constitutio est Decretum Clem. VIII. quod dedit initium huic consilio.

Tertiò, probaui *cap. 6.* de professione ratificanda, sub nomine ordinariorum locorum non posse venire ordinarios nullius Diœcesis, sed solum Vicarius Generalis Episcopi, vel capitali Sede vacante, quia Regulares existentes in loco nullius Diœcesis Papa semper subiicit Metropolitanis, aut Episcopis viciniorbus, vt probaui ibidem. 25

Quartò, Episcopus proprius tantum, idest, ille in cuius Diœcesi de familia existat nulliter professus de nouo professionem emissurus, vt colligitur ex illa clausula. *Cæterisq; Ordinariis locorum, in quibus eorumdem Religiosorum Monasteria, &c.* Habent ergo dicti Prælati admittere professionem eorum Religiosorum, qui habent Conuentus intra suam Diœcesim, & non extraneos; quod clarius colligitur ex tenore literarum superius extensarum. 26

Quintò, Solus Pater Generalis huiusmodi malè professos denuo admittit ad professionem, vt colligitur ex illis verbis. *Sine ipsorum Religiosorum præfectis, vel Superioribus Generalibus.* Eos siquidem exprimendo censetur reliquos excludere *arg. cap. 9. de præsumpt.* & hoc idem probaui *cap. 6. de profess. ratif. q. 14.* 27

Sextò, Generalis hanc facultatem aliis committere potest sine dubio, quia delegatus Principis subdelegare potest, *cap. fin. de off. deleg. cap. Cum causam 62. propè finem*; de appellat. Ratio id dictat, quia Generalis eodem tempore non potest esse in omnibus locis suæ Religionis ad recipiendum professionem illorum; neque videtur expediens, huiusmodi Conuersis, & reuersis, permittere, vt currant exempli gratia a Mediolano ad Siciliam, vel Romam, vt coram Generali suam ratificent professionem. 28

Septimò, illa clausula, *Seruatis aliàs seruandis*, denotat nouam acceptationem Monasterij, si in Religione adsit Statutum huiusmodi, vt in publica ratificatione petatur consensus Conuentûs, vel si non adest, sine eius opinionis, quæ requirit nouum consensum, quem ego impugnaui *cap. 6.* de ratificanda professione *q. 11. & infrà hic q. 13.* Meo iudicio melius est non deueniire ad huiusmodi petitionem, ne bona intentio cupientis reproficere defraudetur ex negatione consensus, & in casu nostro Conuentus non potest de facili negare nouum consensum, quia, vt colligitur ex Breui, & allatis literis Sacræ Congregationis, atque ex Decreto nouissimo, quod extendi *resol. 23. sub q. 2.* intentio Summi Pontificis est, vt remaneant in Religione, imò, & dimissi reuocantur. Deinde professio facienda est coram duobus testibus referenda in libro ad hoc destinato, cum subscriptione profitentis, & huiusmodi. 29

Octauò, stando in formali intentione Breuis sine dubio Superiores, post receptam de nouo professionem, debent huiusmodi professis restituere omnia iura, dignitates, prælaturas, & officia, conualidando etiam eorum contractus, vt clarè colligitur *ex §. Eosdem,* eiusdem 30

eiusdem Breuis, vt probaui *capit. de ratificanda profess. q.* 26. Nihilominus si Superior ex incuria expressè non faciat huiusmodi formalem restitutionem subintelligitur, vt ibidem docui, & fusius *q.* 19. Quam redintegrationem supranominati omnes Prælati, §. *Motu proprio*, facere possunt si admiserunt professiones, & non tantum Generalis.

Nonò, sine dubio est species restitutionis in integrũ, cum huiusmodi restitutio sit aliquem reponere in pristinum statum, vt docent omnes super eundem titulũ. Deuiat tamen à propriissima, quæ supponit restitutam personam antea pro aliquo tempore fuisse cum vero dominio, seu possessione eius, ad quod restituitur; nulliter autem professus nullum ius verum acquisiuit per professionem nullam, ergo propriissimè non dicitur restitui, sed secundum effectum, & quandam speciem redintegrationis.

31 Decimò, omnes actus quo ad valorem dependentes à vera professione facti, vel recepti à nulliter professo, ipso iure sunt nulli, quia si eorum valor dependet à vera professione, hac non existente, impossibile est subsistere ipsos actus, quia dependens existere non potest sine illo, à quo dependet. Hinc est, quod renuntiatio facta iuxta dispositionem Sacri Concil. *sess.* 25. *cap.* 16. non tenet, quia suum effectum non potest sortiri, nisi sequatur vera professio; cuius modi sunt reliqui omnes celebrati sub ea conditione, si sequatur professio, quod intelligitur de vera professione, siue illi contractus sint facti ante ingressum, siue in anno probationis.

32 Ordines validè recipit, non tamen legitimè, quia non habet dimissorias à legitimo Superiore, nam Prælatus Regularis non potest concedere huiusmodi licentiam, nisi verè professis, & ex hoc capite est ipso iure suspensus ab executione ordinum, ex Constitutione Pij II. *Cum ex Sacrorum Ordinum*. Quam extendit *Quar. versic. Ordo, & est Sermo de Ordinibus maioribus*, vt multis citatis docet *Bonac. q.* 6. *de suspens. p.* 5. *num.* 2. *& in casu nostro docet Rodr. tom.* 4 *Sum. cap.* 65. *num.* 10. *Portellus versic. Ordines Sacri num.* 8. *& ex eis Compend. resol.* 106. *num.* 25. *quos citat, & sequitur Diana resol.* 113. *de Regular.* asserentes, scientes nullitatem suæ professionis peccare mortaliter, & manere suspensos recipiendo ordines sacros. Imò si Episcopus eos ordinans non sit suus proprius ratione originis, seu ille, cui suberat quo ad ordines, quando erat secularis, remanet suspensus executione susceptorum ordinum, quamdiù proprio ordinario videbitur expedire *ex cap.* 8. *sess.* 23. & nomine Ordinarij venit Episcopus, pro cuius rei confirmatione faciunt dicta à Doctoribus citatis apud Barbosam *ad hoc cap. num.* 33. Quod si bona fide ignorans nullitatem suæ professionis recepit ordines, sicut non peccauit, ita neque aliquam incurrit suspensionem, quæ vt grauis censura, supponit ad sui incursionem peccatum mortale. Dixi iterum de hac re *cap.* 6. *de ratificanda profess. q.* 5. §. 2. vbi asserui ratione patrimonij nullam incurrere pœnam iuris, cum non extet. Corrige ex *resol.* 67. *q.* 24 §. 11. *&* 12. Vide Sanch. *lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 43. vbi dat modum recipiendi ordines sine peccato; ego autem dico, eum esse verum modum eius, qui ratificat professionem apud Deum, ia enim cùm euadat verus Religiosus, sine peccato postea potest recipere ordines, & aliis priuilegiis gaudere.

33 Absoluendi facultas validè confertur à Superiore, seu etiam ab Episcopo nulliter professo; ratio est, quia huiusmodi facultas non pendet à professione, neque est actus proprius professorum, sed communis omnibus Sacerdotibus, vt patet de Nouitiis Sacerdotibus, quibus Superior potest delegare hanc potestatem, ex probatis *res.* 4. *quæst.* 12. imò & Secularibus ex probatis *res.* 2. *quæst.* 11. ergo multò magis nulliter professo, cum non sit merus Secularis, neque Nouitius, sed quid medium inter Nouitium, & professum, quare cum non sit incapax huius spiritualis Officij validè recipit iurisdictionem. Nec dicas verè non recipere iurisdictionem, nisi ex titulo colorato, & errore communi, quia superior putat se conferre potestatem suo subdito professo, sicut dum approbat Nouitium scit se talem approbare, & non professum, ergo verè in se non est talis, sed Ecclesia ob bonum publicum animarum supplet iurisdictionem, quam nulliter contulit Superior, iuxta ea quæ dicta sunt *resol.* 1. *quæst.* 3. Vnde si sciat nullitatem suæ professionis eo casu peccat recipiendo potestatem, & quoties illam exercet, & tenetur se abstinere, si non ratificat professionem. Quia verè recipit à Superiore eam potestatem, & non ab Ecclesia supplente, vera enim professio non est titulus verus, neque inualida coloratus, sed delegatio à Superiore facta sortitur suum effectum ex eò quod talis Religiosus sit malè professus non dicitur incapax ad hoc munus; diceretur verò incapax si eligeretur in Priorem, nam electio ipso iure est nulla, cum nullus eligi possit, nisi sit expressè professus *cap. Nullus Religiosus* 28. *de elect. in* 6. ac proinde vt Parochus suorum Fratrum non reciperet adiunctam iurisdictionem ordinariam audiendi sacramentaliter illos, quia hæc confertur dependenter à collatione Prioratus, qui cum inualidè sit collatus ob illud impedimentum, & ab eo pendeat consequens iurisdictio ordinaria, hinc fit, quod Superior neutrum confert; benè verum est, quod Ecclesia supplet hanc iurisdictionem, cum adsit titulus coloratus, nempè Prioratus inualidè collatus, & error communis, quia reputatur ab omnibus verè professus. Is autem superior scienter electus peccat mortaliter, & tenetur vel renuntiare officium, vel ratificare professionem, aliter est in continuo peccato mortali. Itaque ille simplex Sacerdos dicitur capax huius delegationis; neque Superiores dantes illi licentiam, habent intentionem admittendi præcisè illum quatenus professum, sed simpliciter approbant talem Patrem Sacerdotem in Confessarium præscindendo à formali ratione professionis.

Sed quid dicendum, quando in Religione est Statutum expressè prohibens, ne huiusmodi facultas audiendi Sacras Confessiones tribuatur alicui Sacerdoti, nisi sit professus, an tunc nulla sit collatio? Distinguo, si Statutum continet Decretum irritans, tunc collatio est nulla, aliter tenet, quia censetur esse simplex prohibitio.

Absolutio recepta intra Religionem etiam à reseruatis Papæ à Confessario solùm in Religione approbato, præcisè ex eo capite, quia est inualidè professus, tenet. Ratio est, quia Nouitij, Tertiarij & reliqui perpetuò Commensales viuentes cum claustralibus quo ad Sacramentum Pœnitentiæ subduntur Prælatis, & Confessariis tantum Regularibus ex probatis *resol.* 2. *q.* 4 *& res.* 4 *quæst.* 5 *& res.* 34. *q.* 15. *&* 16. vbi plenius id probaui, vbi etiam constat gaudere priuilegiis absoluendi à reseruatis, & melius *resolut.* 3. *quæst.* 14. Sed nulliter professi non sunt deterioris conditionis Nouitiis, & aliis infimis personis, horum enim status medius est inter Nouitios, & professos, quibus magis accedit. Cõfirmatur, Tum quia nulliter professus adhuc dicitur subditus Prælato Regulari, nam eius Superior dicitur *Sess.* 25. *cap.* 19 ibi. *Nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo.* Tum quia in casu nostro defectus nullitatis non prouenit ab ipso, sed à Superioribus. Ergo ratio non dictat, eum esse priuatum his spiritualibus beneficiis. Verum quidem est, quod si non ratificat professionem saltem apud Deum, postquam cognouit eius nullitatem, esse in statu peccati mortalis, si non vult exire, & consequenter ex hoc capite fit nulla confessio, quia non remouet obicem peccati mortalis. Ita sentio contra Sanchez *lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 42. vbi tenet, non posse absolui à peccatis, neque reseruatis Papæ, vel Episcopo, quem sequuntur *Bonac. quæst.* 2. *de claus. par.* 10. *diff.* 1. *num.* 2. §. 2. *Vecchius* 34

disputat.

disputat. 14. *de Nouit. dub.* 2. *num.*10.

35 Dispensationem votorum,& similium, quæ concernunt spiritum, benè recipere potest, quia non est deterioris conditionis Nouitiis, Tertiariis, & aliis perpetuò commensalibus, quibus conceduntur huiusmodi priuilegia, vt docui locis *praced.§.Absolutio*, & in terminis de dispensatione votorum in Religione nostra notaui *resol.*2. *q.*4. ex indulgentia diuersorum Pontificum, ergo idem dicendum de nulliter professis, nullus enim negabit hos carere priuilegiis fori, & canonis,dum sunt in Religione, sicut gaudent Nouitij, & Tertiarij, *ex Constit. Dum intra, Leonis X. apud Quar. vers.Priuilegia Regul.Confess.pag.*127.*& confirmauit demum Sacra Congreg.sub die* 20. *Decembr.*1616. *cuius Decretum refertur à Nald. vers.Clausura num.*7.*& in libello nostrorum priuil. in fine pag.*97. dicunt enim Leo, & Sacra Congregatio,quod Tertiarij collegialiter viuentes gaudent omnibus priuilegiis, quibus fruuntur Fratres, cum quibus vitam degunt regularem, ergo nulla est ratio excludendi nulliter professos, cum in hoc saltem æquiparati illis debeant; oppositum sentiunt supra citati.

Dispensatio autem in ordine ad Prælaturas, & dignitates est inualida,cum sit in ordine ad officia Religionis, quorum professi verè tantummodò sunt capaces vt mox dicam.

36 Irritatio locum habere non potest in his, sicut neque habet in Nouitiis, & Tertiariis, quia omnes isti non sunt simpliciter, & perfectè subditi Prælato Regulari, sicut professi, quod requiritur inspectu Prælati, vt valeat irritare vota, & similia. Infrà *resol.* 14. *quæst.* 30.*num.* 62.

37 Electionis tam actiuæ, quàm passiuæ isti sunt incapaces, quia sunt actus competentes solum professis; nam professus saltem tacitè debet esse, qui intendit eligere, *cap. Ex eo, quod* 32. *§. fin. de elect. in.* 6. Vt vero quis eligatur ad Abbatiam, vel aliam prælaturam, debet esse expresè professus, *cap. Cum in magistrum* 49. *de elect.* ibi tamen non distinguit de tacita, aut expressa, sicut facit *cap. Nullus* 78. *de elect. in* 6. *& in Clement. Ne in agro, §. Cæterum de Statu Mon.* addendo huiusmodi expressam professionem requiri etiam in assumpto ad administrationem; & in prædictis adest Decretum irritans, quamuis citata iura loquantur solum de Prælaturis, locum tamen habent etiam in dignitatibus, & personatibus, vt Definitoratus, Custodiatus, Discretatus, &c. Vide Doctores super dicta capita *Suar. de Relig. tract.*8. *lib.*2.*cap.*4. *num.* 2. *Sigism. Capuc. dub.* 90. *de elect. Lauor.tit.* 3. *de elect. c* 16. *num.* 127. *&* 128. *vbi alia iura, & Doctores refert.* Idem penitus dicitur de Monialibus, quæ non possunt eligere, nisi sint saltem tacitè professæ, neque eligi, nisi expresè profecerint, *cap. Indemnitatibus* 43. *eod. in* 6. *Trid. sess* 25. *cap.* 7. *Lauor. tit.* 4.*cap.* 24. *à num.* 1. *ad* 9. Concluditur ergo ex his nulliter professum non posse eligere, neque eligi, aliter peccat mortaliter vsurpando sibi ius alienum in re graui, posito quod sciat nullitatem suæ professionis; qui si nolit remanere in Religione, excusatur à peccato eligendo, & acceptando electionem de se factam, modò non possit se abstinere sine graui nota, & præiudicio; quod si intendit remanere, debet suàm professionem, antequam ad illos actus accedat, ratificare, quia nulla necessitas adest, & rationabilis causa illum excusandi, cum per ratificationem reddendo se aptum, tollatur excusatio infamiæ, vel præiudicij. Ita sentiunt *Angles p.* 2. *de voto q. Vn. art.*1. *diff.*4. *Rodr.p.*2.*c.* 92. *nu.* 5. peccare mortaliter, *apud Sach. lib.* 7.*disp.* 37.*nu.* 42. & ipse ibidem, & num. 37. quem citat Portel. vers. Professionum. 43. 44. Compend. resol. 101. num. 75. Vecchius disp. 14. dub.2. num. 9. vbi alios citat.

Delegatio iurisdictionis contentiosæ collata nulliter professo est ipso iure inualida, quia caret fundamento veræ professionis, in qua solidantur huiusmodi officia, sicut dixi de reliquis officiis per electionem acquirendis.

Obseruandum autem est, sic nulliter professum assumptum ad aliquod officium iurisdictionis, & Prælatum validè agere quoscumque actus siue temporales, siue spirituales, modo concurrat cum huiusmodi titulo colorato adepti inualidè officij error communis, nempè, vt ab omnibus putetur, & teneatur verus professus, & realis officialis, *per l.Barbarius, ff.de off. Prætor.* titulus enim coloratus, & error communis tribuunt iurisdictionem non habenti, vt ibidem docent omnes Doctores, modò non desit aliquod requisitum iure naturali, aut Diuino, vnde non Sacerdos talis putatus electus in Priore, inualidè absoluit suos subditos, siue sit professus, siue non,quia deest illi ordo Sacerdotalis requisitus iure Diuino ad absoluendum Sacramentaliter.Ita in casu nostro de inualidè professo docet *Sanch.lib.*7. *disput.*37. *num.*38. vbi id latius more suo probat.

Graduati, vti Magistri in Theologia, vel Doctores 38
Sacrorum Canonum, Lectores, & huiusmodi videntur inualidè acquirere huiusmodi gradus intra Religionem, quia dependent a vera professione, vt probatur ex priuilegiis huiusmodi gradibus annexis, vt sunt votum consultiuum,seu decisiuum, ius eligendi actiuè, & passiuè, ius præcedentiæ quæ solis professis verè competunt. Vnde in Ordine Minorum de Obseruant. Lector post absolutionem quatuor cursuum vtitur voce actiua, & passiua in capitulo Prouinciali ex Pij V. Constitut. *Pastoralis Officij apud Confess. pag.* 224. Vnde Compend. resol. 91. Si verò sermo sit de illis, qui insignia Doctoratus extra recipiunt, vt accidit in mea Religione, puto tenere Doctoratum, & a nulliter professo acquiri hanc dignitatem, ratio est, quia habens hanc facultatem doctorandi, limitatam non habet ad hanc, vel illam personam sub tali statu reali, sed indifferenter personam scientificam, & approbatam, nam cohonestant hac dignitate quoscumque ad se accedentes, si sint digni, siue sint Regulares, siue Seculares, siue Ecclesiastici; facultas verò concessa Religioni doctorandi est tantum in ordine ad professos, vnde limitata causa non potest producere nisi limitatum effectum.Neque licentia concessa à Superiore recipiendi insignia doctoratus extra Religionem impedit consecutionem huius dignitatis, cùm non dependeat ab illo Generali priuilegio Papali doctorandi intra Religionem, sed ab eius superioritate in quantum illi subiicitur quo ad actus externos, sicut subiiciuntur etiam Nouitij, & perpetuò commensales, quæ Superioritas, à qua pendet licentia illa, cum sit communis professis, & non professis, non dicitur coarctare licentiam ad verè professum, siue validè, siue nulliter. Verum quidem est, quod Superiores possunt illis auferre vsum priuilegiorum ipsius Religionis;imò ipse sciens nullitatem suæ professionis, peccat mortaliter ingerendo se in electionibus, iuxta quod dixi suprà *§.Electionis.* Ratione tamen Magisterij receptionis,& actuum propriorum Doctoratus non peccat, cum sit verus Doctor; peccat vero si insignia recepit intra Religionem, quorum erat incapax, cum intra Regionem conferantur solis professis.

Nota superius dicta, & inferius exponenda habere locum proportionaliter non solum quando quis est nulliter professus defectu loci designati, sed etiam respectu cuiuslibet impedimenti, & causæ inducentis, nullitatem professionis; professio enim quatenus simpliciter nulla, & non prout eius nullitas prouenit ab hac, vel illa causa, destruit huiusmodi effectus, & priuilegia in professo inualidè, etiam post quinquennium, quia licet Ecclesia habeat eosdem professos ob præsumptam ratificationem apud Deum, tamen si verè non ratificauerunt adhuc dicuntur improfessi, & incapaces actuum professorum.

Vnde

39 Vndecimò, patet ea inductis in præcedentibus præsertim §. *Absolutio*, & §. *Dispensationem*, nulliter professum gaudere priuilegijs professorum; Summi enim Pontifices, dum concedunt priuilegia, vtuntur similibus verbis. *Fratres, seu Religiosos vestros Regulares, fauoribus prosequi cupientes, &c.* Quæ verba communia sunt omnibus personis vitã Religiosam degentibus sub obedientia Superioris, siue sint Nouitij, siue Tertiarij, siue professi etiam nulliter, dato enim quod notoria sit nullitas professionis alicuius, nũquid non dicetur adhuc Frater, Religiosus? certe dicetur; non enim est Clericus, neque Secularis persona subdita Episcopo, aut potestati Seculari, sed adhuc sub obedientia Prælati Regularis, vt docui suprà §. Absolutio, ergo Religiosus est, ac proinde gaudet priuilegiis Regularium, in quantum non pendent, neque supponunt veram professionem, sed communia sunt tam professis, quam non professis.

40 Duodecimò, nulliter professis defectu loci designati, ratificando suam professionem, nulla interposita habitus spoliatione, à nullo posse molestari super dicta iura, dignitates, Prælaturas, exercitia ordinum, & contractus celebratos, vt apertè colligitur ea eodem Breui §. *Decernentes*.

41 Decimotertiò, puto posse improfessum facere nullam declarare suam professionem ad eum effectum, vt mutet contractum, vel alium actum factum, sicuti poterat antequam primò profiteretur, quia nullum ex hac declaratione video absurdum, neque ex parte ipsius de nouo contrahentis, cum non sit verè professus, vt constat in foro etiam externo, ac proinde videtur habilis ad contrahendum de nouo, relictis prioribus contractibus vti nullis, in quantum pendebant quo ad suum esse à professione, in aliis enim, qui ab ea non pendebant, nil immutare potest. Et hoc habet locum etiam in testamentis, & donationibus factis causa mortis, quia non confirmantur, neque sortiuntur suos effectus, nisi post mortem naturalem professi in Religione capaci bonorum in communi, vt docent communiter cum *Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 55. quem cum aliis sequutus sum cap. 5. de effectibus professionis q. 33.* Imò etiam si confirmaretur per mortem ciuilem, adhuc illud mutare posset, quia mors ciuilis sequitur solum ex vera professione. Hæc autem declaratio cum non sit in ordine ad egressum, sed ad contrahendum fieri potest etiam à solo Episcopo, vel à solo Prælato Regulari, quia dispositio Trident. loquitur in ordine ad egressum à Religione. Neque obstat *cap. 16. sess. 25.* de renunciationibus intra duos menses ante professionem faciendis de licentia Episcopi, seu eius Vicarij, quia illa prior professio vti nulla non est consideranda, non enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectũ, *Reg. 52. in 6.* & iuxta mentem Concilij sufficit illas renunciationes, & contractus fieri ante veram professionem, licet intermediet multum temporis inter annum Nouitiatus, & professionem, vt docet *Sanch. lib 7. cap. 5. num. 82. quem sequutus sum cap. 3. de admittentibus ad profess. quæst. 57. §. 3.* Oppositum docui *ref. 60. n. 14.*

42 Decimoquartò, quamuis Sanctissimus in eo Breui non vtatur verbo, *Ratificationis*. Sed his verbis. *Ad professionem denuò emittendam.* Sub §. *Motu proprio*, nihilominus tamen hæc verba idem significant, quia qui ratificat, dicitur professionem, quam prius nullam fecerat, de nouo emittere, *vt docui cap. 6. de professione ratificand. quæst. 1.* dictio enim. *Denuo.* est relatiua actus in præterito gesti, idem enim est, ac idem rursus fieri, vt aduertit in simili *Nau. tom. 4. de restit. spoliat. opposit. 7. num. 36. per l. Cum prior ff. de distr. pign.* Confirmatur ex literis Sacræ Congregationis supra allatis §. *Primo*.

43 Decimoquintò, tempus transactum in probatione in loco nondum designato non est continuandum cum sequenti postquam locus fuit designatus, quia Nouitiatus peractus eo præterito tempore fuit nullus, ac proinde Nouitiatus iam ingressi incipit à die designationis, & non ante, & in hoc nulla dubitatio.

Decimosextò, habens occultum huiusmodi defectum, vt quia nemo aduertit ad hoc, neque Superiores petunt nouam professionem, potest se solo coram Deo de nouo profiteri, imò si intendit remanere in Religione debet sub obligatione peccati mortalis profiteri, quia sic manendo illuderet Religionem, & vti filius adulterinus illi in multis, & propriæ animæ graue præiudicium afferret, vt probaui cum Doctoribus *capit. 6. de professione ratific. quæst. 3 cum aliis Doctoribus*. Si verò defectus est notorius Superiores possunt, imò debent eum cogere ad alterum, vel ad exeundum reclamando; vel ad ratificandum etiam publicè, cum talis ratificatio in nullo illi præiudicet, aliter Superiores sic illum tolerantes cooperantur eius peccato, nisi sciant illum secretò ratificasse, & volendo remanere se subijcit Superiori Regulari, qui proinde illum cogere debet ad profitendum, vt de aliis nulliter professis docet *Bonac. quæst. 2. de claus. parte 10. diff. 1. numero 5. §. Secunda, Compend. resol. 501. num. 75.* 44

Decimo septimò, Generalis, & Procurator Generalis tenentur sub mortali procurare à Sede Apostolica confirmationem locorum, vbi habent Nouitiatum nondum legitimè institutum, vt Papa præcipit in suo Breui §. *Cæterum*, & hoc in executionem Decreti Clem. VIII. cui dedimus initium huius consilij, quod omninò intendit esse obseruandum, Confirmatio ista refertur ad loca erecta in Nouitiatum sine Breui Apostolico, nam erecta iuxta Decretum Clementis non egent noua approbatione; frustrà enim petitur, quod iam habetur. 45

Decimo octauò, Sanctissimus per suum Breue nulla ratione directè, neque indirectè dat facultatem Ordinariis locorum cognoscendi hanc causam nullitatis professionis, neque dimittendi nulliter professos, inde enim ne verbum quidem de hac facultate habetur, imò penitus oppositum colligitur, dum cupiens, vt maneant in vocatione, qua eos Dominus vocauit, tradit modum ratificandi professionem nullam, ad quod vt illos alliciat, mandat Superioribus, vt de nouo profitẽtibus restituant omnes gradus, honores, locum, & cætera huiusmodi, vt videre est §. *Eosdem*, quæ antea habebant, ac si verè professissent prima vice. Intentio igitur Sanctitatis suæ est, vt non expellantur, neque dimittantur virtute huius Breuis, vt etiam probaui suprà §. Primo. 46

Quæres 3. An Ordinarij locorum cum nulla ratione potuerint dimittere hos Religiosos vigore illius Breuis, in cuius virtute id fecerint, seu potuerint facere.

Respond Ordinarij locorum solius Tridentini facultate freti illis concessa *c. 19. de Reclamat. sess. 25.* potuerunt illos dimittere, & non alio titulo, nisi in hoc specialiter delegati à Sede Apostolica. Probatur hoc, quia hoc iudicium est solius Summi Pontificis, iudicare de nullitate professionis quia agitur de voto solemni professionis, teneat, necnè, & sicut spectat ad Papam tantum in eo validè dispensare in aliquo casu vrgentissimo valdè, vt docet communior sententia, ita & per consequens in casu nullitatis eiusdem est ferre iudicium, connexorum enim idem est ferre iudicium, *cap. Si quis 7. 1. q. 3. iuncta glos. vers. Neutrum, ex cap. Quanto 3. de indic. ex cap. Translato 3. de constit.* est eò magis, quia aliqui negant posse Papam in eo dispensare, ergo multò magis id negandum est Ordinariis locorum, quando agitur de eius nullitate, cuius iudicium isti Doctores admittunt Papæ, non autem Ordinario, quia præsefert aliquam speciem dispensationis, quandoque enim tenet votum, vel saltem dubium est, quod reputatur nullum; vnde cum res sit magnæ considerationis, causa referenda est ad Summum Pontificem, *cap. 2. dist. 12. cap. Vt debitus honor 59. de appellat. ad finem cap. 3. de Baptismo*, & in specie casus nostri de nullitate professionis ante Concilium, causa referebatur ad Papam, vt videre est *cap. Porrectum, c. Cum simus, cap. Sicut tenor,* 47

cap.

cap. Sicut nobis. cap. ex parte, de Regul. vt latius id probaui in mea oppositione, de quâ infra §. Tertia ratio. Et nouissimè Vib. cognitionem huius nostri casus auocauit ad Sacr. Congr. per suum Decretum, quod retuli *resol.* 23. Ergo Episcopi, & quicumque alij Prælati, & Iudices ex se nullum ius habent cognoscendi huiusmodi causas nisi ex facultate illis delegata in Tridentino loco citato eisdem limitata intra quinquennium à die emissæ professionis nullæ, ad quod iudicium procedere habet Superior localis vbi Religiosus emisit professionem simul cum Episcopo, vel eius Vicario eiusdem Diœcesis, vbi professio fuit emissa, vt de loco professionis declarauit Sacra Congregatio sub die 1. Decemb. 1593. teste *Armend. in Addit. ad recompil. legum Nau. lib. 2. tit. 18. l. 7. de Religiosis num.* 28. de Superiore, qui debet esse localis, vbi Nouitius emisit professionem, & non Religionis idest Generalis, aut Prouincialis, testatur *Sellius in Selectis Canon. c. 80. num. 10. decisum in Meten. & Romana 7. Aprilis 1629. apud Barbosam ad hoc c. 19. sess. 25. num.* 23. & vterque iudex Episcopus, Superior copulatiuè procedere debent, aliàs nullum est iudicium, Aloys. Riccius in praxi aurea *resol.* 20. testatur ita fuisse resolutum, apud Barbosam *cit. nu.* 24. igitur solus ordinarius loci, vbi Nouitius emisit professionem simul cum eius loci Superiore potest, & solum intra quinquenniū audire reclamantem, & dimittere, virtute Trid.

Secundum igitur hunc modum procedendi in materia reclamationis, poterunt Ordinarij locorum simul cum Superiore locali audire, & dimittere reclamantem in hoc etiam speciali casu probata professionis nullitate, quia hoc impedimentum est de illis, de quibus disponit Sacrum Concil. vt pluribus probaui *resol. 23. de reclamat. initio contra Peyrinum, & contra Micenum in mea opposit. infra. & c. 7. de reclamat. q.* 17. putantem esse impedimentum perpetuum, ac proinde extra dispositionem Trid. igitur cum sit impedimentum ad tempus, & contentum in Tridentino poterunt Ordinarij de illo ferre iudicium, seruatis tamen conditionibus suprà positis.

48 Peyrinus *tom. 3. priuil. cap.* 12. soper hoc Breue refert duo fundamenta, super quæ locorum ordinarij sedebant ad hoc iudicium ferendum, Primum est, quia, inquit ipse, multi Episcopi habitu Regulari spoliauerunt quamplures Regiolos ex eo solum, quod Religio non potuit probare locum, in quo tales Religiosi fecerunt Nouitiatum, fuisse approbatum. Secundum est, quia, reclamauerunt infra quinquennium iuxta Tridentinum, quod hanc facultatem audiendi eos tribuit Ordinariis. Impugnat ibidem vtramque dicendo, quod Superiores contra primum impedimentum possunt adducere præscriptionem, quam vult habere locum hic, addendo Constitutionem Papæ vti odiosam strictè fuisse interpretandam, Ad quæ dico, Constitutionem satis per se esse claram, & ideò non indigere interpretatione; & nego præscriptionem, & quo ad tempus, & quo ad locum, nam ratione temporis non potuit currere cum nondum transacti sint 40. anni à data Decreti 20. Iun. 1599. ad datum *Breue 2. Apr.* 1631. non enim sufficit tempus 30. annorum cum sit quid Ecclesiasticum, vt notum est, requirens spatium 40. annorum; ratione verò ipsius rei, seu loci designati non potest habere locum præscriptio, cum sit fundata in malâ fide, neque ipsa ignorantia huius iuris excusat præscriptionem, *Nau. cons. 2. de præscript.* præterquamquod in hoc casu non præsumitur bona fides, neque potest excusari ignorantia iuris in fine externo, quia Clem. VIII. mandauit in suis Decretis huiusmodi Constitutiones, & similes sæpius legendas esse in publica mensa, vt postremò mandauit legi saltem bis in anno Vrbanus VIII. in Decretis de eiectis, & Apost. Secundum impugnat probando, hoc impedimentum non contineri sub Tridentino, sed malè, ideo ego oppositum probaui *resol. 23. contra ipsum.*

Alij demum Ordinarij tentauerunt eosdem licentiare etiam post quinquennium asserentes hoc impedimentum esse perpetuum, ac proinde extra Trident. qua ratione vnica non probata visa fuit infrascriptus D. Franc. Micenus I.C. tunc Vicarius Capitularis Brixiensis in sequenti allegatione se defendendo apud S. C. iuxta eiusdem literas ad eumdem directas, quas suprà retuli.

Deus sit mihi adiutor pro veritate.

Fœlicis recordationis Clemens Papa VIII. per eius Decreta diei 12. Martij 1596. & 20. Iunij 1599. ad restituendam Regularem disciplinam, ex quo in omnibus Monasteriis, iis præsertim quæ maiori reformatione indigebant, singuli ad Religionem venientes recipiebantur, cui malo occurrere volens, per eius Decreta statuit quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam conuersos nisi in Conuentibus, Monasteriis, & domibus, auctoritate S. Sedis Apost. propediem in vnaquaque Prouincia designandis recipere, aut receptos ad profitendum admittere vllo modo auderent, quinimo contra primam publicationem receptos, etiam si imperfectum habitum, aut sine capucio gererent, post præfat. verò vltimi Decreti in Romana Curia publicationem omninò eiicere deberent. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum ex tunc decreuit, & declarauit. 49

Dubitatur, an qui contra formam, & dispositionem prædictorum Decretorum habitum Religionis susceperunt, & professionem emiserunt in Conuentibus non designatis à Sancta Sede Apostolica ante, & post quinquennium, possint ab ordinario audiri, & declarari susceptionem habitus, & professionem huiusmodi esse factam contra formam, & dispositionem præfatorum Decretorum, & propterea nullam, irritam, & inualidam ad quemcumque effectum in dictis Decretis declaratam?

Dicimus affirmatiuè posse, nec eis obstare dispositionem Sacri Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 19. de Regularibus* vbi cauetur, Regularis prætendens, per vim, & metum, vel ante ætatem debitam professum esse, aut quid simile, velleque habitum dimittere quacumque de causa sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi infrà quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas quas prætenderit coram Superiore suo, & ordinario deduxerit.

Quia Concilium ibi est fundatum professione tacita, quæ non intrat, nec potest intrare modo aliquo in dictis Decretis, & Conc. ibi loquitur de impedimentis ad tempus non autem comprehendit perpetuò inhabiles, & illa particula (aut quid simile) posita est ad maiorem declarationem, vt clariùs percipiatur, mentem Conc. fuisse loqui de quocumque impedimento ad tempus professionem irritante, & illa verba (vel quacumque ex causa) se restringere ad personas habiles *l. vt gradatim, §. ex lege, ff. de muner. & honor. P. Rebuffus tract. de pacifica possessione, num. 172. cum aliis ibidem longa manu citatis. Sigismundo Scaccia tract. de iudiciis lib. 2. cap. 1. quæst. 8. num. 88. in fine*, & vt optimè dicit *Thomas Sanch. tract. de Matrimon. lib. 7. disput. 37. num. 32.* cum aliis ibidem per ipsum citatis, vbi dicit eam regulam loquentem per signum vniuersale (quicumque) restringi ad personas habiles. Quia euidens absurdum sequeretur ex opposito, nimirum mulierem in viro rum Monasterio professam sexu mentito non posse post quinquennium eiici; vlterius quod oppositum cederet in graue Religionis detrimentum, cogeretur enim effectum inhabilem per sua statuta à Summo Pontifice confirmata retinere, ex quo quinquennium transactum sit à professione irrita doloque facta, atque ita Decretum fauore Religionis editum in ipsius detrimentum

resultare contra. *l. quod fauore. ff. de legibus, & regulam, quod in gratiam de regulis iuris ib 6.* & inhabilis ille ex suo delicto commodum reportaret cap. tua, de Clericis non residentibus cum multis similibus, quæ affert *Tiraquellus de retract. lignagg. §. 1. gloss. 9. numero* 68, & ita hanc conclusionem videtur tenere expresse *Nauar. libro tertio, cons. titulo de Regularibus in prima editione consilio 5. numero 12. & consil. 25. numero 2.* & vlterius in secunda editione *consil.* 26. *numero 2. consil. 48. numero. 2. in fine*, vbi indistinctè ait professum contra statutum validum inhabilitans posse eiici, teneriquè ipsum egredi, nisi Pontificam dispensationem impetret, nec restringi ad quinquennium, vt possit expelli. Hinc deducitur hos inhabiles quocumque tempore transacto reclamantea contra professionem audiendos esse via ordinaria, tum quia Tridentinum claudens aditum ad reclamandum post quinquennium, non loquitur de his inhabilibus, tum quia quamuis contra præsumptionem iuris, & de iure non admittatur probatio directa, quæ ad eneruandam ipsam præsumptionem tendat, admittitur tamen indirecta, qua probatur qualitates ad eam præsumptionem requisitas minimè reperiri, sicut contra præsumptionem iuris, & de iure Matrimonij initi per copulam sponsalia subsequentem admittitur probatio concludens, non interuenisse copulam, aut sponsalia, aut illa prius dissoluta fuisse, & ratio est cum lex constituat certas qualitates ad hanc præsumptionem inducendam, necessarium est admitti probationes concludentes aliquam ex qualitatibus petitis deficere, sic ergo cum qualitas requisita, vt ea præsumptio Trident. locum habeat, sit, ne professus sit inhabilis, admittetur vtique probatio eam inhabilitatem concludens.

Eo magis in casu nostro in quo Papa post Concil. Trid. ad restituendum Regularem disciplinam, ne omnes venientes ad Religionem in singulo Conuentu passim reciperentur, statuit formam sub pœna, ex nunc nullitatis, & inualiditatis professionis ad quemcumque effectum, quæ forma est ad vnguem seruanda, aliàs quidquid contra, & præter eam fit nulliter, & inualidè fit. *l. cum hic, §. si prætor, ff. de transact. l. hac consultiss. §. non subscriptum, ff. de testamentis, cap. cum dilecta de rescriptis*, & omnes Doctores nemine discrepante id allucetant, idcircò super hoc congeriem allegationum prætermittimus.

Non est dubitandum ordinarium esse iudicem competentem huiusmodi causarum, quia nefas esset dicere in Ciuitate non esse iudicem qui super huiusmodi nullitatibus, cognoscere possit, ex quo frustrà leges conderentur, nisi esset in Ciuitate qui ius super eis dicere posset. *l. secunda, §. post originem, ff. de orig. iur. cap. vbi periculum. §. præterea de electio. in 6.* & sic frustra Papa ita decreuisset, nisi esset in Ciuitate qui ius super huiusmodi Decretis diceret, & pariter nefas esset dicere Papam nolle ordinarios super huiusmodi nullitatibus cognoscere posse, cum ex dispositione Sacr. Conc. Trident. *sess. 24. cap. 20.* de reformatione causæ omnes in prima instantia ad ordinarium spectent, & Papa non prohibuerit Ordinariis cognitionem causarum huiusmodi, sed reliquerit sub dispositione iuris communis.

Ordinarij cognoscentes causas huiusmodi, & inuenientes non esse seruatam formam prædictorum Decretorum, non annullant professionem, sed declarant non fuisse seruatam formam huiusmodi Decretorum, ex quibus ab initio ex tunc ad quemcumque effectum annullantur professiones emissæ contra formam præfatorum Decretorum. Volens Papa restituere Regularem disciplinam ad suum pristinum statum supradicta Decreta emanauit, vt clarè colligitur ex præfatione dictorum Decretorum quæ præfatin declarat mentem Papæ *l. prima, circa finem, ff. de origine iuris, l. cum hi, ff. de transaction. l. 1. ff. ad Macedon. & ibi Bartol. l. regula in fine, ff. de iur. & fact. ignor.* Idcircò Papa ad restituendam Regularium disciplinam, meritò imposuit pœnam nullitatis professionis contra huiusmodi Decretorum dispositionem faciendæ, ex quo lex, quæ vult particulariter obuiare fraudi dicit non solum annullare actum gestum cum fraude, quia fraus ex sui natura habet hanc annullationem, sed dicit annullare actum in quo fraus potest emitti, & commissa difficilè cognosci, vt testatur *Sigismundus Scaccia tractat. de commerc. & camb. §. primo, quæst. 1. numero 507. versic. sed ego fol. mihi* 130. ita vt professi contra formam dictorum Decretorum statim, & quando seruatia de iure seruandis constare faciunt emisisse professionem contra formam eorumdem Decretorum ipso facto professio remanet nulla in foro fori, sed in foro conscientiæ erat nulla à principio prout etiam erat in foro fori, sed nondum constabat, quia Papa ex tunc illam declarauerat nullam, irritam, & inualidam ad quemcumque effectum, quæ nunquam tractu temporis conualidari potest, ex quo quod nullum in se est, nullum iuris effectum operari potest, cum semel irritam fuerit, & ad præteritum non sit potentia, idcircò quod est nullum ab initio tractu temporis non conualescit. *l. quod ab initio. ff. de reg. iur. cap. non firmatur de reg. iur. in 6. capit. si eo tempore de rescript. & ibi Abba. cap. cum causam, & ibi Anch. de elect. Petrus Rebuff. tractat. de pacif. possessione n. 172.*

Si post quinquennium statutum a Tridentino nulliter professi vigore prædictorum Decretorum censerentur verè professi, & non possent via ordinaria audiri, frustra Decreta Papæ Clementis essent condita, inobedientesque ex eorum inobedientia, & fraude commodum reportarent contra dispositionem iuris, quod fraus, & dolus nemini suffragatur *l. non fraudatur §. nemo, ff. de reg. iur. cap. super lite. §. nos igitur de rescriptis. cap. ex literis de dolo, & contumacia.*

Potissimum est vnum; & à nemine controuertitur, formam legis, seu constitutionis esse seruandam, & quicquid præter, & contra fit, nulliter fit, vt omnia iura clamant, vt supra diximus, quod si secus prætermitteretur, inanes in posterum constitutiones à Summis Pontific. emanarent, vt à Regularibus obseruarentur, si in re tam clara ab ipsa Sancta Sede Apostolica contra suas Constitutiones huiusmodi malè professi tu[...]entur.

Sed hodie versamur in re iam declarata à Sanctissimo D. N. Papa Vrbano Octauo, quem D. O. M. diù incolumem conseruet per eius Breue diei 2. Aprilis 1631. per quod declarat professiones contra dispositionem Decretorum Clemen. P. Octaui emissas esse nullas, & irritas his verbis (Cum sicut accepimus quamplures Ordinum, Congregationum, & institutorum regularium professores ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis seu domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis, minimè fecerint, per indeque iuxta Constitutionem Felicis record. Clement. Papæ Octaui prædecessoris nostri desuper editam, professio subinde emissa inualidè existat, idcircò mandauit. Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Card. Burghesio Summo Pœnitentiario, Ordinariis, & Superioribus Regularibus, vt sic inualidè professos admitterent ad nouiter profitendum, illos tamen qui ad habitum Regularem aliàs Canonicè recepti fuerunt his præcisis verbis) quatenus omnes, & singulos Regulares prædictos qui ad habitum Regularem aliàs Canonicè recepti annum probationis in Monasteriis, seu domibus Regularibus ad id designatis minimè fecerunt, subindeque professiones nihilominus emiserunt, ad professionē denuò seruatis alias seruandis emittendam, quæ sic emissa illis, & eorū cuilibet tam in foro inferiori, quàm exteriori suffragari debeat absque nouo probationis anno ex speciali huius Sanctæ Sedis benignitate auctoritateque

Apollo

Apostolica recipiant,& admittant mandans in fine prædicta Decreta Papæ Clementis Octaui omninò obseruari.

Ex quo Breui clarè patet professos contra dispositionem Decretorum huiusmodi esse malè professos eorumque professiones esse nullas, irritas, & inualidas, dispositionemque Concilij Tridentini in hoc casu non intrare, dum Papa vult, vt nouiter profiteantur seruatis seruandis, dictumque Breue admittit ad profitendum nouiter tantum, qui aliàs Canonicè fuerunt in Religione recepti, sed probationis annum in, Conuentibus non designatis fecerunt, & nihilominus professionem emiserunt, & iis qui minus Canonicè habitum susceperunt dictum Breue non suffragatur, ita vt venit in consequentia ibidem P. intelligere, & velle susceptos ad habitum minus legitimè à Religione expelli, non autem ad. nouiter profitendum admitti, nec sic inualidè professos in Religione retineri.

Propterea omnes qui minus legitimè habitum susceperunt, tenentur à Religione egredi, & habitum dimittere, seu dispensationem Apostolicam impetrare ex quo prædictum Breue Sanctissimi D. N. Papæ Vrbani Octaui eis non suffragatur volens omninò Decreta Papæ Clemen. Octaui obseruari, vt in fine præfati Breuis expresè declarauit, & seruari mandauit, quæ verba denotant, & volunt, vt qui noluerit seruatis seruandis nouiter profiteri, vel cui dictum Breue non suffragatur à Religione expelli, & egredi debeat, & ratio est, quia aliàs Decreta dicti Papæ Clementis non seruarentur si huiusmodi malè professi in Religione remanerent, & retinerentur.

Illi quibus dictum Breue indulsit, sed nolunt nouiter profiteri tenentur à Religione egredi, ex quo Papa illos non astringit ad nouiter profitendum, sed de gratia speciali eos admittit ad nouiter profitendum seruatis seruandis, quæ verba denotant gratiam, & important, vt capitulariter de nouo balloteutur, & per noua suffragia recipiantur, & ipsi pariter spontè de nouo profiteantur, nec Papa volt, vt ratificent professionem nulliter emissam, sed de nouo seruatis seruandis profiteantur, & ratio est, quia quod est nullum ratificari non potest, ex quo omne quod non iure fit, iniuriâ fit, & est iniquum *l. prima in principio. ff. de iniur. & famos. libell.*

Nec obstat si dicatur ordinarium non posse solum huiusmodi causas cognoscere, sed vnitim cum superiore Religionis, cum loco citato Tridentinum dicat non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario.

Quia per easdem rationes supra deductas tollitur huiusmodi obiectio cum non intret in casu nostro dispositio Tridentini ex rationibus supradictis etiam quia ipsimet Superiores Regulares iuxta Decreta prædicti Papæ Clemētis, sunt ipso facto priuati iurisdictione, dignitatibus, & officiis, ex quo admiserunt prædictos malè professos ad profitendum contra dispositionem, & formam prædictorum Decretorum, & tum etiam quia sunt partes, & nemo in causa propria potest iudicare *l. vnica C. ne quis in sua caus. iudic. l. qui iurisdictionem. ff. de iurisdictione omn. Iudic.* idcirco causæ huiusmodi veniunt cognoscendæ ab Ordinario tantùm.

Sed reuera valde sum admiratus, vt in re tam vrgenti quæ de salute animæ tractatur, Superiores Regulares non prouiderint, vel vt huiusmodi non legitimè, & canonicè professi dispensationem ab Apostolica Sede impetrent, vel vt egrediantur à Religione, ex quo non video, vt tuta conscientia in Religione detinere possint, & cupio ab eis discere hanc rationem, vt quando sit realis, & tuta, possim ad me venientes saltem eorum animæ consulere, quia huiusmodi malè professi sunt de illis, quibus supradictum Breue Sanctissimi D.N. Vrbani Papæ VIII. non suffragatur, & mihi asseuerant de nouo modo aliquo velle profiteri, & scio absque dispensatione Apostolica de nouo validè profiteri non posse, quam omninò impetrare nolunt, & quando etiam Papa ipsis illam concederet, ea mihi affirmant nolle vti.

Ita sentio Ego Franciscus Micenus Iuris Consultus saluo semper meliori, & veriori iudicio.

Oppositio ad supradictum assertum D. D. Francisci Miceni I. C.

ASsertum supradicti Doctoris duo continet, Primum, Ordinarios locorum potuisse & posse citra & vltra quinquennium audire Regulares illos, quorum professio nulla est ex eo, quòd Nouitiatum non præmiserunt in loco designato, iuxta Decreta Clem. VIII. Alterum est, non obstare dispositionem Sacri Concilij *session. 25. capit.* 19. 50

Probat suum assertum multis, quæ ad summam subsequentium reduci possunt, Primò, quia Concilium ibi fundatur in Professione tacita, quæ non intrare potest modo aliquo in dictis Decretis, Secundò, quia Concilium ibi loquitur de impedimentis ad tempus, non autem comprehendit perpetuò inhabiles. Tertiò quia non est dubitandum, Ordinarium esse competentem Iudicem huiusmodi causarum, quia nefas esset dicere, in Ciuitate non esse; qui super huiusmodi iudicere posset, causæ enim omnes in prima instantia spectant ad Ordinarium *sess. 24. capit* 20. Quartò, si non possent audiri via ordinaria vltra quinquennium professi contra præfatum Decretum, frustra fuisset conditum, & professus ex sua iniquitate commodum reportaret.] Quintò, ex Breui supadicto Doctor iste, infert Papæ intellectum esse, vt sic professi expellantur à Religione, & non retineantur, aliter non seruaretur Decretum Clement. quòd nihilominus Papa de nouo in suo Breui mandat seruandum. Sextò demum dicit; posse Ordinarios cognoscere super huiusmodi causas sine Superiore Regulari, & id potius supponit, quàm probet.

Dico igitur prædictis non obstantibus, non potuisse, nec posse Ordinarios audire Regulares nulliter professos ex non præmisso Nouitiatu in locis designatis, volentes è Religione exire vltra quinquennium ab illa inualida professione, contra dispositionem Sacri Concilij, sub qua continetur etiam præsens casus. Id totum probatur reiiciendo supradictas rationes vti insufficientes, aut non ad propositum, aut falsas.

Prima ratio destruitur, quia hoc casu inualidè professus potest præsumi professionem ratificasse iuxta præsumptionem, in qua fundatur Concil. non obstantibus Decretis illis: tum quia licèt in illis irritetur actus, non tamen persona perpetuò inhabilitatur, cum de hac re ne verbum quidem: tum quia in eis nullo modo prohibetur ratificatio professionis; tum quia non prohibetur respectu defectus integritatis anni Nouitiatus, ergo neque respectu loci designati, hæc enim duo inseparabilia sunt, vt infrà constat. Præterea hoc omninò certum est, quia Papa hac occasione rescripta concedit sub ea conditione, dummodo exponens non ratificauerit professionem tacitè, vel expresè.

Secundam concedo, Concilium non loqui de impedimentis perpetuis, nego tamen hoc impedimentum esse perpetuum, quod probo, tum quia perpetuum impedimentum inhabilitatis est illud, quod personæ inhæret vti eius defectus, & cum ea, vt ita loquar, est perpetuò deambulatorium, habens tractum successiuum continuò impediens, vt id constat exemplis allatis à *Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 30.* vbi exemplificat in criminosis, & illegitimis, iuxta Constitut. Sixti V. & in statuto Regulari à Sede Apostolica confirmato, inhabilitante quoslibet habentes tale defectum, v.g. laborantes morbo Gallico, item in defectu sexus, hi enim omnes inhærent personæ, cui sunt intrinseca

continuò impedientia : Defectus autem non fecisse nouitiarum in loco deputato non est tale impedimentum, sed circumstantia extrinseca, & ad tempus præimpediens professionem, siquidem notum est non perpetuò durare, neque habere tractum successiuum, cùm impediat solùm pro anno nouitiatus, ad quem solum refertur. Tum quia locus, & annus nouitiatus omninò æquiparantur, cùm sint inseparabilia, & de iure in idem recidant, non enim potest fieri annus Nouitiatus extra locum designatum, neque locus deputatus de iure spectatur sine anno probationis, in ordine ad quam solùm,& non alias refertur,ergo eodem iure censendi sunt *cap.*29 12.*quæst.*2.*cap.*30. *de Decim.cap.*22.*de Priuileg.* Sed defectus contingens ex parte anni probationis non est impedimentum inhabilitans, neque tractum habet successiuum, cùm vt quid negatiuum solum suum esse habeat pro illo tempore Nouitiatus, & solùm post se relinquit effectum nullitatis professionis, ergo idem dicendum est de defectu loci. Tum quia defectus anni probationis cognoscitur iuxta dispositionem Sacri Concilij, vt videtur insinuare *Bonacin.de Clausur.quæst.*2.*p.*10.*Diff.*2.§.2.ergo & defectus loci,qui non est separabilis ad anno. Tum,quia aliud est legem impedimento addere inhabilitatem perpetuam in persona patiente defectum, aliud est ex defectu circumstantiæ, seu formæ non seruatæ actum esse nullum:de primo genere sunt impedimenta matrimonij *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform* & supradicta ex Constitut. Sixti V. in quibus locis non solùm actus contra legem factus irritatur, sed etiam persona inhabilitatur perpetuò, vnde Papa mandat Superioribus Regularibus, vt tales professos omninò expellant à Religione, de quibus non loquitur Concilium, quòd reclamantes mandat dimitti,post probationem nullitatis suæ professionis, non autem expelli; de secundo genere sunt defectus ætatis,anni,& loci, de quibus loquens Papa fiue in Concil.*sess.* 25. *cap.* 15. siue Clem. in suo Decreto irritat quidem factam professionem, sed personas non inhabilitat, quod signum est post factum nolle Papam eos eiici à Religione, quia potest eorum professio aliunde connalescere, sed tantum dimitti posse, si reclament iuxta dispositionem Sacri Concilij, & sicut defectus integritatis Nouitiatus non impedit ratificationem,vt de communiori probat *Sanch. libr.* 7. *disputat.* 37. *à num.* 45.ita neque defectus loci, & in casu hoc expressè docet Breue Sanctissimi, non esse iterandum Nouitiatum, quæ locum habere non possunt in perpetuò inhabilibus, quia mens expressa summi Pontificis semper clamat in contrarium (loquor de Constitut. Sixti V. pro eo tempore, non secundùm quod reducta fuit in terminos iuris) Tum demum, quia inhabilitas perpetua supponit defectum intrinsecum in persona, etiam antequam procedat ad actum sibi interdictum, vt de se patet in allatis exemplis ; sed in casu nostro nullus præsupponitur vitiosus defectus ante receptionem habitus, ergo.

Ex his patet adducta absurda ab aduersario, absurda non esse respectu nostri casus, cum ea supponant, si velit congruè loqui, huuc defectum esse perpetuò inhabilitantem.

Tertia ratio omnino tollitur, quia respectu huius causæ, & similium in materia professionis solum est iudex competens iuxta dispositionem Sacri Concilij citra, & non vltra quinquennium. Probatur tum quia simpliciter loquendo Ordinarius non est iudex competens Regularium nisi in casibus à iure expressis, est communis, *cum Confess. Tit.* 5. *cap.* 1. 2. 3. *Rodr. tom.* 2.*quæst.* 63. per totam, siue causa sit criminalis, siue Ciuilis,aut spiritualis,*vt dicit art.*6. *Bertius in sua practica Crim. Regul. tit.* 2 *cap.* 14. *num.* 9. Sed is noster casus in nullo iure exprimitur, nec per aduersarium continetur sub dispositione Concil. quod tamen falsum est, ergo Ordinarius non est iudex competens. Tum quia est notoriù,Regulares esse exemptos à iurisdictione ordinariorum in omnibus, exceptis quibusdam casibus, sed is casus in nullo iure continetur nisi in dicta dispositione, quod tamen aduersarius negat, ergo non est quo ad hoc iudex competens secundum ipsum. Tum quia quoties in iure fit mentio de cognoscenda nullitate professionis, vel de egressu è Religione prætextu nullitatis, iudicium refertur ad Summum Pontificem, & ab eo etiam dirimitur, vt videre est *Cap. Perrectum cap. cum simus cap. Sicut tenor.cap. Sicut nobis cap. Ex parte de Regul.* in quibus locis Papa respondet diuersis Prælatis tum ordinariis, tum Regolaribus, quibus si competeret, non recurrissent ad supremum iudicem. Tum quia nullus extat de hac re textus asserens Episcopos esse iudices competentes ad dimittendos Regulares nulliter professos, excepto Trident. & si fortassis aliqui afferrentur, intelligendi essent in ordine ad Regulares non exemptos, vel pro eo tempore, quo olim omnes subiiciebantur Ordinariis. Tum quia ex supradictis de mente Sixti V. committebatur Superioribus tantum Regularibus, vt inhabiles professos expellerent nulla facta mentione ordinariorum, ergo super huiusmodi impedimenta nullum ius aliud habent,quam attributum à Sacro Concilio.

Neque obstat Concil.ab eo allegatum *cap.*20.*sess.*24. ibi enim sermo est de causis præcipuè in materia beneficiorum, & Matrimonij, & consequenter in ordine ad suos subditos, sic non facit ad rem; nec malè, seu inualidè professus,licèt constet de inualiditate, dicitur subditus ordinarij,quasi reputetur Secularis, quia super eum adhuc ius habet Prælatus Regularis, vt ex eodem colligitur Concilio, si enim dimittat habitum potest vti apostata puniri à Superioribus Regularibus, quos ibi Concil. vocat suos Superiores.

Tamen Congregatio Concilij censuit in causis nullitatis profess. quæ infrà biennium ab ordinario, & Superiore Regulari non terminantur, esse locum dicto Decreto sub die 9.Mart. 1598. *apud Farinac. decis.*223.

Quarta ratio non vrget, quia Episcopus simul cum Superiore Regulari potest hanc causam audire, si professus vult exire iuxta dispositionem Concilij, iuxta dicta, & sic nihil contra Decretum Clement. vltra id tempus recurrendum est ad Sanctissimum ex qualibet causa professio prætendatur nulla, vt docet *Serofa in suo Tractat. de inualid. profess. dub.* 1. Tum quia Ordinarij hanc facultatem habent limitatam intra tempus quinquennij, est enim de hac re iudicium magni momenti, ideo ad sedem supremam referendum, *cap.* 3. *de Baptism. cap.*59. *de Appellat.* Tum quia volentes exire post quinquennium debent impetrare rescriptum à Sede Apostolica, & sic practicari testatur *Portellus in suis dub. Regular. verf. Professionis nulla reclamatio num.* 44. §. *Circa quod, vt refert nouissimum Compend.Rodr. resolut.* 101. *num.*71 Tum quia in casu nostro plerique Ordinarij noluerunt se ingerere in hac re cum Rel giosis post quinquennium, alij è contra è quouis angulo venientes audiebant. Tum quia in facti contingentia multi exire desiderantes quinquennio transacto obtinuerunt rescriptum reclamandi. Ex his patet seruari benè Decretum Clemen, & hos Religiosos nullum commodum reportare, quia si volunt remanere, tenentur profiteri denuo iuxta Breue, si non, possunt exire reclamando, vt suprà.

Quinta ratio est omninò falsa. Tum quia intentio Papæ in suo Breui est, vt de nouo profiteantur, quia 1
in illis præscribit modum profitendi; Tum quia vt ad illos alliciat, eosdem post factam de nouo professionem restituit ad honores, gradus, & quæcumque alia, ac si prima eorum professio fuisset valida. Tum quia expressè dicit, quod hoc Breue condidit, vt Religiosi in vocatione, qua eos Dominus vocauit, permaneant. Tum quia Curia Romana, & Superiores Regularium ex Ordine Sanctissimi mandant Superioribus Localibus ne permittant sic professos tã facilè exire. Nec his

his obstat,quod dictum Decretum Clem. adhuc obseruandum sit, vt iubet Sanctissimus in suo Breui in fine, refertur enim ad recipiendos deinceps, vtitur enim clausula [imposterum] non autem ad receptos,ita quòd expellendi sint. Demum nullus expellendus est, nisi praecesserit causa proueniens ex aliquo personali defectu professi, neque expulsio praecipitur in Decretis Clem. VIII. solùm enim in secundo Decreto praecipitur eiectio eorum,qui tunc recepti fuerant contra primam prohibitionem Sanctitatis suae.

Sexta demum apparet item falsa ea probatis sub tertia ratione aducti.si enim simpliciter Ordinarij locorum non sunt Iudices competentes Regularium, nisi in casibus à iure expressis,vel contentis,consequens est dicere, neque esse tales respectu causae de nullitate professionis, & maxime sine interuentu Superioris Regularis, nam sicut non potest Praelatus Regularis esse Iudex in his causis sine Ordinario, vt tenet *Riccius in sua prax.aurea res.* 20.dicendo ab eo factam declarationem esse nullam, prout refert *Bariola versic. Professios* Ita neque Ordinarius sine Superiore Regulari, & eo magis, cùm Regularis plus subiiciatur suo Superiori quam Ordinario etiam in hoc,vnde Concilium loquens de hac re,priùs nominat Superiorem Regularem,quàm Ordinarium ex hoc insinuare volens huiusmodi causas magis spectare ad Praelatum Regularem, cùm agatur de persona, quae adhuc illi subdita est:dicit enim Concilium,coram suo Superiore:ordo enim scripturae semper attenditur in dispositionibus *Barbosa lit. O. n.16. multis citatis testibus,& peritis.*

Concluditur ergo ex his omnibus, Ordinarium alio iure,quàm Sacri Concilij, & intra quinquennium non posse audire Regulares reclamantes contra nullitatem suae professionis,& non quoslibet,nam Sacra Congreg: Concilij, referente *Bariola vers. Regulares*, dicit, quòd Regulares professionis nullitatem praetendentes, illam probare tenentur coram Superiore Monasterij, in quo professionem emiserunt,& coram eiusdem loci Ordinario. Ex hoc modo inscripta impetrata super hac re remittuntur ad Episcop: dicti loci:vbi Nouitius profecit. Videant ergo quo iure dimiserint indifferenter venientes.

Videte ergo Fratres mei carissimi,quod bonum consilium induit vobis iste homo ! sequimini consiliū, imò potius praeceptum Domini dicentis, Manete in vocatione.qua vocati fuistis,ad quos vos etiam experientia trahat,nam post professionem, quaecumque ea sit,recedentes, ferè omnes in praecipitium prolabuntur, quia quae malo sunt inchoata principio, difficile est, vt bono peragantur exitu *cap. Principatus dist.* 25. & nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.

Appos. Valet professio Regularis eius, qui habitum & professionem recepit in loco non deputato, ex praemisso tamen legitimo, & integro nouitiatu in loco à Sancta Sede Apostolica designato. Vide *cap. 4. q.* 24. & *resol.*54.*initio*, & *n.*118.

Assertum probatur, Tum ex *cap. Sicut nobis, de Regul: cap. Insinuante,Qui Cler.* ex quibus infertur, fuisse validam professionem eius, qui profecit extra Monasterium in propria domo,ergo multò magis recipiens habitum,& professionem in aliquo Conuentu. Tum quia profiteri intra Monasterium non est de substantia valoris professionis, cùm ad id sit quid extrinsecum. Tum quia de hoc nulla extat prohibitio irritans factam professionem extra Monasterium. *Gloss.verbo Monasterium; cap.Porrectum,de Regul.ibi Abbas, Henric.cum aliis citat. à Sanch.lib.*5 *cap.*3.*in fine.*

Dices modo extare prohibitionem Clementis VIII. in duobus supra dictis eius Decretis sub poena nullitatis professionis, ne Nouitij admittantur ad habitum, neque ad professionem,nisi in locis designatis.ergo non tenet professio facta, &c.

Respondetur, intentionem Summi Pontificis fuisse, vt non reciperentur ad habitum probationis, seu vt non probarentur, hoc est,vt non peragerent Nouitiatum, nisi in loco designato, quouis deinde in Conuentu reciperent habitum illum, & professionem, modò annum probationis complete, & perfectè perficerent in eodem loco designato; itaque annus probationis est principale intentum,vtriusque verò receptio minus,& in consequentiam spectatum. Suadetur haec responsio ea supra dicto Breui Vrbani VIII. ex duplici capite, tam ex titulo, quàm ex allegato posteriori Decreto Clement. VIII. in eodem Breui. Ex titulo quidem subiecti tenoris; *Breue Sanctissimi, &c. Super professionibus per Regulares emissis, non facto in locis designatis Nouitiatu*. Ecce ex eo quòd non fuit praemissus nouitiatus in loco designato, debes inferre nullitatem professionis, & non aliunde, si enim Papa voluisset professionem esse irritam etiam ex non receptis habitu, & professione in locis deputatis, mentionem fecisset, valet enim argumentum ab authoritate negatiua in lege, *Glos. Statutum in Extr. de Voto*, Et Confirmatur, quia verba Rubricae attendenda sunt, & argumentum ab ea acceptum tenet, *Barbosa de locis com. lit. A,num.* 217. *Megal. part.* 1.*libr.* 5. *capit.* 4. *num.*5. nullitas ergo professionis praecisè desumitur ex non praemisso Nouitiatu in loco non deputato, quicquid postea sit de receptione habitus, & professionis; Ea allegatione autem suadetur ,nam Vrban. VIII. ita loquitur. *Cum itaque sicut accepimus quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutionum. Regularium professores ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minimè fecerint, proindeque iuxta Constitutionem fel. rec. Clementis VIII. Praedecessoris nostri editam* (est secunda) *professio per eos subinde emissa, inualida existat.* Ea quibus verbis apertè colligitur professionem esse nullam praecisè ex non praemisso Nouitiatu vt suprà, quicquid sit de receptionibus. Intelligendus est ergo Clem. VIII. in suis Decretis de receptione habitus probationis in loco deputato, quae sit solùm in loco designato quicquid sit postea de solà receptione, & meritò, tum quia noua lex, & constitutio veterem explicat *l. Non est nouum ff. de leg. Quarant. versic. Ordo §. Circa.* Tum quia expedit iura iuribus concordare *cap. Cum expediat. de elect. in* 6. Tum quia principale spectandum est. *l. Si quid donationis causa, ff.de contr. empt.* principale autem intentum Papae est reformatio Religionum mediante anno probationis non in quolibet Conuentu, sed in designatis peragendo.

Constat ergo ex his, cum, qui intendit dimittere legitimè habitum, debere in supplicatione exprimere se recepisse habitum, & professionem extra locum deputatum, in quo tamen fecit legitimum annum Nouitiatus, in quo tamen non impetrabit gratiam,quia verè est professus, & hanc clausulam taceos, vt liberè exeat securus non est in conscientia;

Ita Fr.Franc. Bordonus D.T.Ordinis Tertij D.Franc. Def.Prouincial.dissentit à supradict.Doct.saluo,&c.

Additio ad nostram Oppositionem supradictam, contra Allegationem supra registratam.

QVamuis sufficienter opposuerim dictae Allegationi, tamen magis ad singula in specie respondendum ex subiectis, & alibi sparsim dictis citando loca.

Tertio §.asserit,Ordinarios potuisse non solùm intra quinquennium,sed etiam extra quinquennium, non obstante Trident.*sess.*25.*c.*19. dimittere Religiosos nullitet professos defectu loci designati; Oppositum omninò probaui,nimirum illos non potuisse licentiare nisi intra quinquennium, & non vltra, *supra hic q.3. & in opposi-tione §.* 1.*& §.*3 *& cap.*7.*de reclamat. q.*19.

Quarto §. asserit, Concilium fundari in tacita professione, id est ratificatione, quæ non habet locum in Decreto Clementis; & Concilium loqui da impedimentis ad tempus, & non de perpetuò habilibus, seu de impedimentis perpetuis, de quibus non loquitur Tridentinum, quia in his non præsumitur tacita professio, seu ratificatio, & tota doctrina, quam adducit, ast Sanchez. Quod iste Doctor dicit in hoc §. totum fundatur, & subsistit in hac falsa propositione. *Defectus loci non designati est impedimentum perpetuum, personam perpetuo inhabilitans.* Ex qua infertur non contineri sub dispositione Concilij, qui solùm loquitur da impedimentis ad tempus, in quibus etiam potest cadere ratificatio professionis, & post quinquennium Ecclesia præsumit, nulliter professos ratificasse professionem, post quod tempus ideo negauit hanc facultatem Ordinariis. Probato igitur, quòd impedimentum est ad tempus, & quòd de illo iudicium est ferendum iuxta dispositionem Tridentini, apparent prædicta falsa, hoc autem probaui hic in opposit. §. Secundam, & initio huius resol. *quæst. 1. in dub. 2. §. Secundò, cap. 7. de reclamat. quæst.* 17. *Et* quod intra quinquennium iudicium sit ferendum iuata dispositionem. Concilij *probaui in opposit. à ratione 3. & sequentibus, & ex dictis hic sub quæst. 3. & cap. 7. de reclamat. q. 25.* Quas adducit ea Sanchez rationes optimæ sunt sed non ad rem hanc, debebat enim probara, & non supponere, hoc esse impedimentum perpetuum; deinde esto esset perpetuum impedimentum, adhuc Sanch. nihil determinat de Iudice expulsionis.

Sexto §. asserit non esse dubitandum, Ordinarium Iudicem existere competentem, cùm omnes causæ in primâ instantia spectent ad Ordinarium *sess. 24. cap. 20.* Ad hunc locum respondi, Tridentinum ibi non comprehendere causas Regularium, *cap. 7. de reclamat. quæst. 25. in fine*; adde quòd Paulus V. *in sua Constit. Religiosum sub graui; extensa apud Nald. versic. Religiosus, num.* 48. decidit, prædictum *cap. 20. sess. 24*, locum non habera inter Religiosos.

Septimo §. dicit, Ordinarios cognoscentes huiusmodi causas, & inuenientes non esse seruatam formam Decreti Clem. non annullare professionem, sed declarare non fuisse seruatam formam Decreti, ea qua declaratione postea sequitur, professionem nullam in foro Dei, constara deinde nullam etiam in foro externo, non tamen declarari talam ab Ordinario, quia Papa ea tunc in ipsomet Decreto nullam declarauerat ad quemcumque affectum, Non placet hoc, quia per hanc Constitutionem, vt ita loquar, putat se posse effugere, nam in re hac facere constare, professionem fuisse nullam ex eo, quòd probatum fuit, omissam fuisse formam Decreti, licèt non sit directè declarare nullitatem professionis, non potuerunt tamen licentiare huiusmodi Religiosos sine directa declaratione nullitatis professionis, in qua consistit sententia cuius executio est habitus Regularis expoliatio, ergo Ordinarij non potuerunt expoliara illos sine sententia declaratiua nullitatis professionis; iste bonus vir timet interponere Decretum declaratiuum nullitatis, & postea audet illos extra vltra quinquennium, & solus dimittere.

Octauo §. dicit, quod si non possent audiri post quinquennium, & essent verè professi, Decretum Clementis esset frustratorium, & ex sua inobedientia, & fraude reportareur commodum, &c. Respondeo, non posse audiri, vt certi iuris est, neque facit ad propositum, quod reportent commodum, quia in ipsis Religiosis nulla est inobedientia, aut fraus, sed in Superioribus, qui ideò ibi puniuntur, & Nouitij ante professionem aut dimittendi, aut conducendi ad loca designata, ac proinde Decratum non est frustra.

Vndecimo §. dicit, mentem Vrbani in suo Breui fuisse, vt suffragaretur canonicè receptis, aaceptis, qui fecerunt Nouitiatum extra locum designatum, illis verò, qui minùs canonicè habitum susceperunt non fauere, sed esse expellendos; *& §. 12. & 13. ex eodem Breui*, nolentes profiteri de nouo esse expellendos. Probaui ego supra *quæst. 2. §. Primò, & cap. 7. de reclamat. quæst:* 26. mentem Pontificis fuisse solum, vt denuò profiterentur, & nequaquam expellerentur, & si resistant cogantur ad ratificandum, & hoc de iura rationabili, vt probaui hic sub *q. 2. §. 16.* Et nescio qua ratione distinguat, nam Breue præcisè loquitur de hoc defectu loci non designati; & non de aliis.

Decimo quarto §. asserit, Ordinarium posse se solu agere hanc causam, quia non est de illis Tridentini. Sed errar, nam probaui hic sub *q. 1. §. 8. & latius consil. 23. initio.*

Decimoquinto §. probando solos Ordinarios agere hanc causam, excludit Superiores, & quia ipso iure sunt priuati iurisdictione, & suis officiis, ex quo Nouitios receperunt contra formam Decreti; & quia sunt partes, neque enim in propria causa quis potest iudicare. Prima ratio non obstat, tum quia non sunt priuati nisi post sententiam, vt probaui *sub q. 1. hic. §. Quartò*, Tum quia esto essent illi declarati transgressores sufficiuntur alij in eorum locum. Tum quia forsan tempore causæ tractandæ adsunt noui Superiores, qui illos non receperunt ad habitum, neque professionem. Secunda ratio omninò impertinens est in hoc iudicio, quia Superior neque pars est, neque propriam agit causam, sed sui subditi, respectu cuius est propriè Iudex in hac causa, sicut in aliis, aliter nec a Concilio constitueretur Iudex in causa reclamationis. Ex his argo habes eius allegationem esse prorsus nullius momenti, cum rationes neque apparentes, ne dicam probabiles contineat, vel ferè omnes falsas, & reprobas vel impertinentes.

REPVGNACVLVM 52

AVTORIS

Pro sua Oppositione oppugnata. ab Adm. R. D.

D. FRANCISCO MICENO

I. V. D. Taruisino,

Defendente, Ordinarios locorum post quinquennium, etiam per se solos audire potuisse reclamantes Religiosos nulliter professos, ob receptum habitum, & professionem in Conuentibus non designatu, contra formam Decretorum Clemenis VIII.

PRæteritis annis quoddam Consultum supta dicti D. Miceni mihi casu exhibitum, quo Ordinarios locorum Religiosos nulliter professos, vt suprà, reclamantes, se solos etiam post quinquennium aodire posse conatus fuit probare; Ego quantum potui, vti falsum, dictante veritate, euertere, & destruere coactus fui, non solùm in publico folio *sub n. 50.* sed etiam in meo Tractatu nuper edito *de profess. Regul. c. 7. de reclam. q. 24. & 25. & in Resol. hac de dimissis prætextu Breuis Vrbani VIII. reuersis*; meis oppositis anno 1636. moa elapso nouissimè opposuit præfatus Doctor Opusculum sub nomine Propugnaculi, typis Fontaneis cusum Venetiis, in quo præter alia impugnat ad verbum maam Oppositionem, quæ & si satis fundata sit, vt eam suis vtcuaque rationibus demolliri non potuerit, tamen adhuc magis stabilienda est obiectorum euersione.

Doctor Micenus meam Oppositionem propulsat duobus modis, vno generaliter dicendo *sub n. 130.* me mutasse factum sui Consulti; altero singulis mearum rationum oppositionibus, quas ad septem reduxit respondendo.

Dicit

Dicit ergo, quòd Ego muto factum, affirmando illum in suis Allegationibus asseruisse, Ordinarios posse citrà, & vltrà quinquennium audire Regulares, quorum professio nulla est, ex eo, quod Nouitiatum non præmiserunt in loco designato à Sede Apostolica; probat autem hanc mutationem facti, seu casus, quia dicit se nunquam locutum fuisse de Nouitiatu, sed scripsisse solùm super forma tradita à Papa suscipiendi habitum, & emittendi professionem in loco designato iuxta duo Decreta eiusdem Clementis, quorum alterum incip. *Regularis disciplina*: alterum incip. *Sanctissimus in Christo*. In quibus, inquit, sermo non est de Nouitiatu, sed de Reformatione ad Religionem venientium, qui ne absque delectu, vt antea solebat fieri in singulis Monasteriis deinceps reciperentur in dictis Decretis prohibuit. Quod magis confirmat *sub num.* 154. dum dicit, Papæ premere magis susceptionem habitus, quàm annum probationis, qui ideò voluit in admissione ad habitum diligenter scrutari, quæ sit illa persona ad Religionem accedens, præsertim cùm maioris sit considerationis receptio ad habitum, quam Nouitiatus *ex Nauar. cons.* 26. *num.* 17. 18. *&* 19.

Respond. Me casum non mutasse, sed reliquisse omninò eundem impugnatum in mea Oppositione, & alibi, quod ostendo referendo factum sub vtrisque verbis; nam dicit ipse: *Dubitatur, an qui contra formam, & dispositionem prædictorum Decretorum habitum Religionis susceperunt, & professionem emiserunt in Conuentibus non designatis ante, & post quinquennium, possint ab Ordinario audiri, & declarari susceptionem habitus, & professionem huiusmodi esse fallam contra formam, &c. Dicimus affirmatiuè posse.* Ego autem sic nego; *Dico igitur prædictis non obstantibus, non potuisse, nec posse Ordinarios audire Regulares nulliter professos, ex non præmisso nouitiatu in locis designatis.* Nonne casus est omninò idem? licèt sub diuersis prolatus? siquidem verba non mutant substantiam facti, *l. cum falsa C. de iur. & facti ignorant. Menoch. consil.* 372. *num.* 18. Neque verbis est subtiliter dialecticandum, *Mantica de coniect. vltim. volunt. tit.* 1. *num.* 4. *Anton. Monachus Florent. decis.* 72. *num.* 27. nam subtilitas in iure reprobatur, *ex cap. Dilectis, ibi gloss. de Iud.* neque verba captiosè sunt accipienda, *cap. Erit autem* 2. *distinct.* 4. *iuncta gloss. versic. Captione, Nauarr. consil.* 6. *de Hæretic. num.* 8. ergo cùm impugnauerim illius factum, non debet dialecticari verbis, sed rationibus. Id autem clarè ostendo sic. Ex tribus capitibus potest professio esse nulla (vt aiunt) ex non seruata forma illorum Decretorum. I. Si receptio habitus probationis fiat extra locum deputatum. II. Si Nouitiatus peragatur extra dictum locum. III. Si professio extra eundem emittatur. Sine dubio iste casus procedit de nullitate professionis, ex quovis deinde trium illorum capitum nullitas oriatur; neque mihi hoc negabit D. Micænus de receptione habitus, & professione, cùm hos duos terminos exprimat in suo Consulto, & sæpiùs in Propugnaculo, neque iure negare potest; casum hunc procedere etiam de nullitate ex parte Nouitiatus, licèt neget de facto. Tum quia id virtualiter colligitur ex illis decretis sub verbis, *receptionis habitus*, quæ sine dubio includunt Nouitiatum, cùm ad hunc finem recipiatur habitus, vt cum eo Nouitius probetur, & probet. Tum quia id expressè habet Breue Sanctissimi Vrbani VIII. non solùm in Titulo, à quo desumitur efficax argument. & tituli allegantur ad decisionem causarum, *vt tradit Nauar. tom.* 3. *in gloss. cap. Hæc autem verba, num.* 6. sed etiam in eius verborum contextu, ibi: *Mandamus quatenus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad habitum Regularem alias canonicè recepti, annum probationis in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis minimè fecerint; &c.* Ex quibus verbis sæpiùs repetitis obseruaui, Papam intendere principaliter in annum probationis, non autem ad receptionem præcisam habitus, cùm hæc sit actio transitoria, quæ parum habetur in consideratione, & quasi factum non dicitur parum durans, *cap. Nam & ego* 3. *de verbor. signific. Gloss.* 1. *cap. Diuortium* 21. *distinct.* 1. *de pœnitent.* & cùm hoc Breue emanauerit occasione illorum Decretorum; sine dubio inferendum est, in illis sermonem esse de anno probationis sub verbis, *Receptionis habitus*. Tum quia certum est, Nouitiatum extra locum designatum factum esse nullum, & hoc præcisè virtute horum Decretorum; & non aliorum, cùm non inueniantur professionem irritantia ex non præmisso Nouitiatu in loco designato, alia ab his duobus, ergo in illis agitur de Nouitiatu probationis; vnde Nouitiatus spectari potest dupliciter. Primò, quò ad deputationem certi Conuentus, in quo peragendus sit, de qua in dictis Decretis. Secundò, quò ad descriptionem loci materialis, & disciplinæ à Nouitiis seruandæ, de quibus in Constitutione incipien. *Cùm ad regularem disciplinam*. Tum quia parum refert in casu hoc facere mentionem de hac, vel illa causa, annullante professionem in dictis Decretis, eo quòd expressio causæ irritantis professionem, non diuersificat casum, siquidem factum hoc non versatur directè circa nullitatem professionis, cùm de illa non sit altercatio, sed de Iudice competente, audiente reclamantem Religiosum nulliter professum ex non seruata forma illorum Decretorum; quæ, vt aiunt, consistit, vt habitus recipiatur in Conuentu designato, & ibi peragatur Nouitiatus, atque ibidem emittatur professio, & defectu cuiuslibet nulla redditur professio; fuit ergo inter Ipsum, & Me differentia solùm in expressione causæ annullantis professionem, Ipse enim expressit extremas causas, Ego autem mediam tantum, quam tamen & ipse includit sub illis verbis, *Contra formam, & dispositionem prædictorum Decretorum*, cùm peragere Nouitiatum extra locum designatum, sit illum agere contra formam illorum Decretorum, neque enim alibi præcipitur Nouitiatus agendus in loco deputato; nisi in illis Decretis.

Confirmatio eiusdem Doctoris desumpta ex *num.* 154. quòd Papæ magis premat susceptio habitus, quàm Nouitiatus, omninò est falsa, quod ostendo ex duplici consideratione receptionis habitus; nam hæc spectari potest. I. Vt actio transitoria consistens in illo ritu, & solemnitate, quando ingressurus induitur habitu Religionis, vt faciat Nouitiatum in loco designato, vbi illum recepit, & in hoc sensu loquuntur Decreta Papæ, qui respicit magis probationem, quàm receptionem transitoriam, per quam Nouitij non dicuntur reformari, & experiri, sed per Nouitiatum, & in hoc sensu eius ratio subsequens de seruandis personis, quæ veniunt ad Religionem, non facit ad rem; quia in his Decretis nihil disponitur de scrutatione volentium ingredi Religionem; cùm de hac scrutatione, quam nos Regulares vocamus requisitã, seu informationes requirendas à volentibus ingredi Religionem, latè statuat Sixtus V. in sua Constitutione, *Cum de omnibus*. Neque enim huiusmodi scrutationes faciendæ sunt à Conuentu designato pro Nouitiatu, sed à Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus, etiam intermediis; ad quæ spectat approbare informationem volentium ingredi Religionem: II. Igitur receptio habitus spectari potest prout refertur ad huiusmodi informationes recipiendas de vita, & moribus volentis ingredi Religionem, vt ipse videtur contendere ex discursu facto sub illo *num.* 154. & in hoc sensu loquitur extra rem, cùm illa Decreta ne verbum quidem de his scrutationibus; & concedi potest; Papæ magis premere hanc receptionem informationum, quàm receptionem habitus vt sic, sed illam non premit hic, sed in Constitut. Sixti V. Neque Nauarr. loco citato ab eo dicit esse maioris considerationis receptio habitus, quàm Nouitiatus, sed in *n.* 17. dicit Nouitiatum non dici incœptum, nisi vterque tam ingrediens Religionem, quàm ipsa Religio consentiant in habitus Nouitiatus susceptione; *& n.* 19. dicit, annum Nouitiatus non valere, quando non tenuit susceptio prima ad probationem, nulla prorsus facta mentione, quòd sit maioris considerationis receptio habitus, quàm Nouitiatus.

Rejecto igitur vti falsò, quod ipse asserit, Me casum, & factum mutasse, quod verùm non est, v. constat ex probatis, reliquum est respondere obiectis contra septem ex meis oppositionibus.

Prima ex meis oppositionibus, quæ fuit, Ordinarius locutum non potuisse audire reclamantes post quinquennium, quia præsumuntur professionem ratificasse, impugnat multis *sub num.* 132. quæ possunt reduci ad hanc negatiuam propositionem, quòd in casu nostro nulliter professus non potest ratificare professionem, quia ad eam ratificandam requiritur, vt cesset priùs impedimentum, & accedat nouus consensus profitentis, & nouus probationis annus *ex Nau. in cons.* 26. *num.* 18. *de Reg.* & quando fuit defectus in receptione habitus nulliter recepti post Trident. consensu etiam expresso accedente non potest ratificari, vnde habitu de nouo legitimè recepto, inchoandus est denuo Nouitiatus, ex eudem *Nau. cit. num.* 17. 18. *&* 19. quod probat vulgatis iuribus, nimirum, quod in se nullum est, nihil operari posse; neque tractu temporis conualescere, aut ratificari, quod nullum fuit; subdendo clarè id colligi ex Breui Vrbani VIII. dictas professiones nunquam ratificari posse, quia in eo dicitur, quòd Prælati ibidem expressi denuò ad professionem admittere illos possunt, non autem admittere ad ratificationem.

Resp. Verissimum esse, huiusmodi professiones ratificari posse, quod probo, Tum quia in illis Decretis, neque in Breui prohibetur illis huiusmodi ratificatio: Tum quia nullibi in iure prohibetur ratificatio professionis nullæ siue antiquo, siue nouo, aut Decretis, vel Breui, nisi quando impedimentum est perpetuum, aut ad tempus durans tempore ratificationis; sed impedimentum hoc non est perpetuum, vt probaui multis locis suprà citatis; ergo nil obstat huic ratificationi, cùm dicatur cessasse impedimentum, cùm tale fuerit solùm respectu professionis primæ, non autem eius ratificationis. Tum quia licèt Nauar. sit eius opinionis, quæ negat ratificationem professionis nullæ, nisi iterum suscipiatur ritè habitus, & annus probationis præmittatur, tamen in casu nostro Papa in suo Breui dispensat in hac repetitione Nouitiatus, non quia sit necessariò repetendus, sed ad tollendos scrupulos eorum, qui sunt huius opinionis, siquidem est probabilior opinio, quod ad ratificationem non requiratur repetitio Nouitiatus, quam sequitur *Sanch. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 14. *& lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 43. *Azor. lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 6. *§. Si queras, Palacios in* 4. *dist.* 38. *disp.* 1. *Bonac. part.* 10. *de clauf. diff.* 1. *num.* 5. *Faustus in suo Thes. lib.* 5. *quæst.* 97. *cum Barbosa ad cap.* 15. *sess.* 25. *num.* 22. *quos pro me citaui cap.* 7. *quæst.* 12. *Lezana cap.* 2. *num.* 9. contra paucos cum Nauar. Tum quia licèt requiratur nouus consensus ex parte profitentis, non tamen ex parte Conuentus ex probabiliori opinione *Sanch. cit. quæst.* 7. *Nauar. consil.* 27. *de Regul. num.* 2. *consil.* 28. *num.* 3 *Rodr. tom.* 3. *quæst.* 17. *art.* 3. *Graff. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 24. *Lessius lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 67. *Silu. Religio* 5. *quæst.* 2. *in fine, Bon. quæst.* 2. *de clauf. part.* 10. *diff.* 1. *num.* 4. *Portel. vers. professio num.* 42. *Scrofa dub* 9. *de inualid. profess. Compend. Rodr. resol.* 101. *num.* 76. *quos ego retuli eod. cap.* 6. *de ratificat. quæst.* 11. *etiam in terminis casus nostri ex ibi probatis, & quæst.* 16. Sed ad quid hæc referre, cùm sine his tractari possit casus noster? Tum quia illa axiomata, vt vulgaria sunt, habent suas interpretationes, & sic explicantur, quod actus in se nullus sibi dare esse non potest per se, neque tempus eidem, sed illi, remoto impedimento detinente illum in nullitate, nouus superueniens consensus tribuit esse; in casu autem nostro nullum adest impedimentum, quia illud fuit tantum respectu professionis, non autem respectu ratificationis, quam non prohibuit Clemens in suis Decretis. Et quod ait, ratificari non posse, quod nullum est, explicatur, ita vt quod valor eius retrotrahi non potest ad tempus actus nulliter gesti, quando ratificatio fit ab homine sine authoritate legis inducentis ratificationem, in casu autem nostro, iure communi conceditur huiusmodi ratificatio, vt videre est *cap. Perlatum, de iis quæ vi, cap. Significatum, cap. cùm virum de Reg. cap.* 1. *eod. in* 6. in quibus, & alibi agitur de ratificatione in casibus ibidem expressis; & non est maior ratio de illis, quàm de nostro; de qua professionis ratificatione *Doctor Marta, quem citat Scrofa in suo libello de Inualid. profess. dub.* 18. *num.* 2. *& faciunt, quæ habet Portel. part.* 1. *casu* 24. *num.* 6. asserens de communi, actum nullum ratificari posse, sublato impedimento, exemplificando in professione, quod nullum est in casu nostro. Demum, nescio quo iure Doctor Micænus clarè ex Breui colligat, huiusmodi nullam professionem ratificari non posse, cùm Papa expresè committat Prælatis ibi expressis, vt huiusmodi nulliter professos admittant ad professionem denuò, quod idem omninò est, ac ratificationem professionis huiusmodi nullæ recipere, emittere enim denuò professionem nihil aliud est, quàm actum priorem nullum conualidare, & de nullo facere validum, illa enim particula, [*Denuò*] refert posteriorem actum ad priorem, cui tribuit valorem saltem ex nunc, quando ab initio fuit nullus.

Secundam ex meis oppositionibus *sub num.* 133. quæ fuit, quod licèt irritetur actus, non tamen persona perpetuò inhabilitatur, quia nullo modo prohibetur ratificatio professionis. Conatur destruere *sub num.* 134. probando inhabilitari personam in dictis Decretis, eo quòd, in illis prohibetur, & irritatur professio emissa cum receptione habitus extra locum designatum; imò in secundo recepti contra formam in priori præscriptam, mandantur expelli, quod indicat illos perpetuò inhabilitari, ita quod necesse non fuit, vt Papa in suis Decretis expresè prohiberet ratificationem, cùm censeatur interdicta ex conditione perpetuæ inhabilitatis.

Respond. Doctorem Micænum ex illa eiectione non spernenda, si verborum corticem inspiciamus, non benè inferre impedimentum perpetuum, quia restringitur ad nondum professos Nouitios, & alios Tyrones, vt notum est ex illis verbis: *Etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant*, quæ verba referuntur ad Tertiarios, & alios inseruientes, ita quòd sensus sit, vt non solum expellantur Nouitij formales, & actuales, sed etiam alij gerentes aliqualem habitum, iam dispositi ad Nouitiatum, licèt nondum sint Nouitij, vt id insinuaui in mea Oppositione §. Quinta, & clariùs *cap.* 7. *de reclamat. quæst.* 17. *in fine.* Itaque cùm huiusmodi expulsio non extendatur ad nulliter professos, neque proinde sint perpetuò inhabiles, nihil obstare potest ratificationi. Deinde cùm ista expulsio fieri debeat de indutis contra primum Decretum, nobis obstare ferè nihil potest, etiamsi admittamus illud extendi ad nulliter professos, quod negamus, quia huiusmodi reclamantes dicuntur nulliter professi præcisè quia fecerunt contra secundum Decretum, in quo non mandantur expelli sui transgressores, sed primi tantùm Decreti; & reuerà ita est, quia in Breui fit mentio in numero singulari de Constitutione Clementis, quæ est secundum Decretum, ergo transgressio nulliter professorum fuit tantùm contra secundum Decretum. Demum simplex prohibitio, seu irritatio facti attentati sine alteriùs destructione non dicitur perpetuò inhabilitare, sed prætereа requiritur, vt expresè prohibeatur conualidatio actus attentati, vt fecit tempore suo Sixt. V. cit. Const. *Cùm de omnibus*, vbi criminibus obnoxiorum professionem non solùm irritauit, sed mandauit Superioribus Regularibus, vt illos omninò eiicerent post attentatam professionem, imò Iudicibus etiam Secularibus fecit facultatem illos puniendi extrahendo à Religione.

Tertiam ex meis oppositionibus *sub n.* 135. quæ fuit, quod non prohibetur ratificatio respectu defectus integritatis anni Nouitiatus, ergo neque respectu loci. Impugnat *sub num.* 136. hoc meum argumentum non esse congruum, quia Papa non loquitur in suis Decretis de Nouitiatu, sed de susceptione habitus, ad quod inha

inhabilitat personas illum suscipientes extra locum designatum, ita quod professionem nunquam ratificare possint.

Resp. Iam probaui in illis Decretis sermonem esse de Nouitiatu, ex supradictis §. Resp. Me casum neque in illis Decretis personas perpetuò inhabilitari, neque proinde prohiberi ratificationem, vt multis probaui §. Primam, §. Secundam. Ita quod hæc sufficerent, sed magis ostendo vim mei argumenti ex illo Axiomate, Connexorum est idem iudicium, *ex cap. Si quis 7. 1. quæst. 3. iuncta gloss. vers. Neutram, ex cap. Quanto 3. de iudic. ex cap. Translato 3. de constit.* maximè quando sunt inseparabilia, & vtriusque eadem est ratio, *gloss. vers. Ex eo quod cap. Preterea, de offic. Deleg.* Clarum autem est, Nouitiatum fieri non posse extra locum deputatum, neque locus designatus separari potest ab ipsomet Nouitiatu, cùm huiusmodi locus, si formaliter accipiatur, vt spectandus est, sit talis, qui sine experientia Monachali esse non potest. Quare sicut ratificari potest professio nulla defectu integritatis Nouitiatus, ita & nulla defectu loci designati conualidari potest.

Quartam ex meis oppositionibus *sub num.* 137. vbi dico Rescripta pro hoc casu impetrata fuisse sub ea conditione, *Modò non ratificauerit professionem*, impugnat *sub num.* 138. dicendo Cancellariam Apostolicam illum stilum seruare respectiuè ad dispositionem Tridentini, quod non includit hunc casum extrauagantem, propter quem non habet mutare suum stilum, ex quo sumi non potest aliquod fundamentum probandi huiusmodi ratificationem.

Resp. Stilum in Cur. Papali facere ius, & pro eo seruandum esse, *cap. Ex literis 11. de Const. cap. Quam graui de crim. falsi, Doct. in cap. cum pro causa, de procur.* Deinde huiusmodi conditio gratis non opponitur, sed necessariò. Demum, falsum est, hunc casum excludi à Tridentino, vt pluribus probaui *cap. 7. quæst. 16. & 17. de reclamat.*

Per has igitur quatuor rationes cum responsionibus D. Micæni contra meam Oppositionem satis probaui in casu præsenti cadere ratificationem professionis nullæ ob non seruatam formam dictorum Decretorum, quod confirmatur *Tum ex cit. Breui*, in quo Papa mandat Prælatis ibi expressis, vt omnes, & singulos Religiosos, aliàs Canonicè receptos ad habitum, qui Nouitiatum in locis designatis non præmiserunt, ac proinde professionem nullam emiserunt, ad professionem denuò, seruatis alias seruandis, absque nouo probationis anno admittant; ergo in casu nostro cadere potest ratificatio: Nec dicere potest iure Dominus meus, ideò posse, quia Papa præcisè illis indulget hoc priuilegium ratione cuius possunt professionem ratificare, quod illis negatum fuit in prædictis Decretis, quia hoc Breue editum fuit ad sedandas lites, & controuersias Religiosorum nouiter profitentium, non autem vt induceret ratificationem professionis anteà negatam virtute illorum Decretorum, quia si huiusmodi Decreta negassent, & prohibuissent huiusmodi ratificationem, Papa in suo Breui adiecisset clausulam; *Non obstantibus illis Decretis.* Quam tamen obstantiam non apposuit, sed potius illa confirmauit, & voluit in omnibus, & per omnia remanere in suo priori robore, & vt ab omnibus inposterum obseruarentur. Tum ex nouissimo Decreto, hac occasione emanato, incip. *Sanctissimus*, sub Dat. Romæ 8. Ianuar. 1636. quod refert Peyrinus in suo Formulario *lit. P. cap.* 20. in quo prohibetur sub grauissimis pœnis Prælatis ne quemquam huiusmodi Religiosorum post quinquennium à die professionis dimittant, imò neque etiam infrà quinquennium, nisi prius reclamantes suas causas, & iura retulerint coram Sacra Congregatione, quæ postea determinauerit ex speciali mandato Sanctit. suæ, quid agendum sit; ex quibus clarè colligitur negando sic professus nulliter audientiam post quinquennium, in casu nostro sine dubio cadere ratificationem, hoc ipso quod non possunt audiri, quia Papa vult eosdem habere pro professis, præsumendo illos professionem ratificasse.

Quintam ex meis oppositionibus *sub num.* 139. vbi dico duo, nempè Concilium non loqui de impedimentis perpetuis; & hoc impedimentum non esse perpetuum, sed ad tempus; reprobat *sub num.* 140. adducendo verba illorum Decr. *Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Statuta admissi fuerunt, nullas, & irritas esse ad quemcunque effectum ex nunc decernit, & declarat.* Ex quibus verbis non restrictis ad aliquod tempus, ideò infert perpetuitatem. Id totum confirmat rationibus, quas ego voco signatas, seu in actu designato, quia dicit, non probat, cùm sint illius subterfugia dicendo, vt sæpius dixit, me mutasse factum, & Clementem non fuisse locutum, sicut nec ipse de anno Nouitiatus; & non bene intellexisse Breue, in quo indulgetur, vt malè professi ex non præmisso Nouitiatu in locis deputatis, denuò admitti possint ad professionem, subdendo me sophisticè procedere, vt fecit ille studens, qui patri suo suasit tria esse quinque. Et ita ridiculosè impleuit paginam, in qua non potuit habere locum, licèt parum insudauerit mecum reluctando solis verbis.

Respond. Hoc impedimentum consurgens ex non seruata forma horum Decretorum non esse perpetuum, sed ad tempus, vt pluribus probaui in mea Oppositione §. *Secundam concedo, & cap. 7. quæst. 17. & faciunt dicta cap. eodem quæst. 16. & cap. 6. quæst.* 19. vbi distinxi, & declaraui quid, & quotuplex impedimentum in hac materia, super qua re nil laborauit Doctor Micænus pro respondendo meis argumentis, ne vnum quidem eorum tetigit, & certè dignus fuit requie, quia multum insudauit in illis argumentis verbalibus, non tamen oportet eum verbaliter relinquere, sed verbis ratio adiicienda est, siquidem allata verba Decretorum nequaquam probant huiusmodi impedimentum esse perpetuum, quod ostendo similibus verbis Tridentini *sess. 25. cap.* 16. ibi *Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruantiam, aut ad alios quoscumque effectus.* Ecce, istæ particulæ sunt multùm prægnantes, & efficaciores, quàm superius adductæ, & tamen ex his non inducitur perpetuum impedimentum, ex quo negetur ratificatio, siquidem omnes Doctores super dictum cap. scribentes admittunt ratificationem professionis nullæ; ergo neque inferendum est in casu nostro, cùm vtrobique agatur de nullitate professionis. Neque Breue de hac re quicquam tangit, sitne hoc impedimentum perpetuum, an ad tempus, sed tantùm dicit, quòd Prælati illos de nouo admittant ad professionem, quod est dicere, Prælatos admittere eorum ratificationem, vt satis probaui *suprà §. Resp. Verissimum.*

Sextam ex meis Oppositionibus *sub num.* 141. vbi dico, Ordinarium esse Iudicem cum Superiore Regulari solùm infrà quinquennium ex dispositione Trident. ita quod Ordinarius Iudex competens esse non potest Regularium, nisi in casibus expressis in iure; impugnat *sub num.* 142. dicendo Ordinarium esse Iudicem competentem omnium Clericorum (oblitus fuit Conuersorum, & quorumdam Nouitiorum) tam Secularium, quàm Regularium; ad quod citat quamplures textus, & Doctores quoque Regulares; & in specie huius casus, citando modò illa duo Decreta, in quibus non requiritur sententia iudicij super annullatione dictarum professionum, ita quod statim ac constat Ordinario reclamantes fuisse professos contra formam illorum Decretorum, Iudex ordinarius secularis non habet quicquam ponere de suo, sed tantummodò declarare, probationes factas fuisse sufficientes; modò Tridentinum, quod non loquitur de nostro casu, sed de aliis referendis coram Ordinario, & Superiore Regulari.

Resp. Satis me probasse *cap. 7. quæst. 16. & 17.* hoc impedimentum contineri sub dispositione Conc. ita

quod

quod Ordinarius loci in audiendo reclamantem non potest se solo esse Iudex, sed necessariò secum habere debet Superiorem Regularem, & hoc respectu causarum infrà quinquennium, vt ibidem probaui *quæst.* 19. 24. *&* 25. Iura ab illo citata Ordinario tribuunt forum competens pro, & contra Regulares iure originario, siquidem aliàs omnes Religiosi subiecti erant Episcopis, postea multis ab hinc annis ex diuersis priuilegiis, etiam in iure communi registratis *cap. Nimis iniqua*, 16. *cap. Nimis praua* 17. per Gregorium IX. Regulares exempti fuerunt à quauis iurisdictione ab Episcopis, & cæteris Ordinariis, vt docent omnes etiam ab illo citati, nec me extendo ad id probandum, quia id est Sole clarius; & si quando à Papa Ordinariis conceditur aliquod ius exercendi super Regulares, non vult, illos procedere iure suo, seu ordinario, sed tanquam Delegatos Sedis Apostolicæ, ita eorum facultas exponenda est iuxta limites potestatum aliis delegatis concessarum. Ad quod subdit ex illis Decretis non requiri sententiam declaratiuam nullæ professionis, dico, non tantùm requiri, vt sibi constet de probationibus, sed præterea debet ferre sententiam declaratiuam, indiuiduam professionem talis personæ fuisse nullam ob non seruatam formam illorum Decretorum, sententia enim definitiua processus terminatiua cadit super principale intentum, quod est nullitas professionis, non super probationes, quas supponit; nec vrget illa declaratio Papalis, quæ cùm sit legalis, & generica, non sufficit pro casibus specialibus, quibus est solùm norma speculatiua, vt ita dicam, non practica; & si enim in abstracto constet nullam esse professionem ex præmisso Nouitiatu extra locum deputatum, non tamen constat hanc, vel illam, huius, vel illius Religiosi esse nullam, nisi id in indiuiduo declaretur.

Septima ex meis oppositionibus *sub num.* 144. vbi dico, eius quartam rationem, nimirum, si non possent audiri via ordinaria etiam extra quinquennium, frustra esset conditum Decretum, ex quo proinde inualidè professus reportaret commodum, remanendo in Religione contra voluntatem Papæ; non vrgere, quia infrà quinquennium reclamans audiri potest ab Episcopo simul cum Superiore, & post hoc tempus à Sede Apostolica, quæ concedit Rescripta ad hunc specialem casum; impugnat, dicendo *sub num.* 145. hunc casum non habere locum sub Tridentino; neque rationes adductas facere pro hoc casu, sed pro aliis, in quibus Concilium intrare potest; *&* *num.* 147. dicit huiusmodi Rescripta impetrari ad cautelam, non ex necessitate, & sic non tolli facultatem Ordinariis. Ibidem etiam mihi imponit, quod dixerim, si non possunt reclamando exire, teneri iuxta Breue nouiter profiteri. Præterea subdit explicando illam Breuis clausulam. *Mandamus, quatenus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad habitum Regularem aliàs Canonicè recepti annum probationis, &c.* Mentem Papæ esse, vt Canonicè recepti de nouo ad professionem admitti possint, non autem, qui minus Canonicè recepti fuerunt, sed esse expellendos, vt qui fecerunt contra Decreta Clementis. Et *num.* 151. ait me absurdum dixisse, dum asserui, valere professionem eius, qui recepit habitum, & professionem extra locum deputatum, posito quod annum probationis integrum in Conuentu designato perfecerit quod absurdum probat *n.* 154. dum ait in dictis Decretis nullam mentionem fieri de Nouitiatu, sed eius intentionem, & causam finalem fuisse prouidere circa susceptionem habitus, & professionem, ne fierent in singulis Conuentibus, in quibus olim singuli ad Religionem venientes recipiebantur cum detrimento disciplinæ Regularis, ideò Papa occurrere cupiens his malis, & restituere Regularem disciplinam, per illa Decreta mandauit, vt receptio Nouitiorum fieret solùm in designatis à se Conuentibus, in quibus posset commodius Regularis obseruantia secundùm reformationem à Sanctitate sua institutam introduci, vt dicitur in secundo Decreto. Et quia Ego dixi, annum probationis venire principaliter, & susceptionem habitus secundariò, subdit ipse, quod Ego volo mutare naturam rerum (me facit magnum, ne dicam magum) & dicere Solem suscipere lumen, & splendorem à Luna.

Respond. Casum hunc cum allatis à me rationibus habere locum sub Tridentino, ex probatis locis citatis in præcedenti responsione. Præterea falsum est rescripta fuisse impetrata ad cautelam, & non ex necessitate, siquidem ius commune, præter Tridentinum nullam tribuit facultatem iudicandi super Regulari professione, cuius iudicium cum sit de re grauissima, quippè circa solemne votum Religionis, reseruatur post quinquennium soli Papæ, iuribus à me adductis *cap.* 7. *de reclamat. quæst.* 19. Ad illam imposturam, quod ego dixerim, si non possunt reclamando exire, teneri iuxta Breue nouiter profiteri, dico malè intellexisse meum dictum ex reiecta coma à se ex industria, vel incuria, nam in meo folio Mediolani impresso apud Columnam, à quo ipse extraxit, habentur hæc verba. *Ex his patet seruari benè Decretum Clem. VIII. & hos Religiosos nullum commodum reportare, quia si volunt remanere tenentur profiteri denuò iuxta Breue, si non, possunt exire reclamando, vt suprà.* Idest, si non volunt remanere, possunt exire reclamando, si autem volunt remanere tenentur professionem ratificare. Verba Breuis reuerà illum sensum non recipiunt, cum omninò sit impertinens, & falsus, quia Papa in eo Breui Prælatis mandat, vt denuò ad professionem admittant Religiosos, qui ad habitum Regularem aliàs Canonicè recepti, annum probationis non præmiserunt in loco designato, & ita illos, qui inobedientes fuerunt, & fecerunt contra Decreta Clementis, Papa in suo Breui mandat recipi denuò ad professionem, contra ipsum Doctorem Micæum, qui dicit sub illo *num.* 147. quod Papa non permittit eis id facere, ex quo sunt inobedientes, & formam traditam à Papa Clemente non seruauerunt, isti igitur inobedientes non possunt admitti ad denuò profitendum, sed omninò expellendi sunt, docet ipse, & tamen ipse non negabit, illos, qui nullam fecerunt professionem ex non præmisso Nouitiatu in loco designato, admittendos esse ex tenore Breuis, qui tamen fuerunt inobedientes, & fecerunt contra formam illorum Decretorum, in quibus præcipitur, ne Nouitij recipiantur ad habitum probationis, seu Religionis, nisi in Conuentibus designatis. Et particula illa. *Qui ad habitum Regularem aliàs Canonicè recepti.* Quibus suffragatur Breue, non autem aliis, qui Canonicè recepti non fuerunt, his enim habentes aliud impedimentum, vt quia recepti fuerunt sine informationibus requisitis à Sixto V. ex Constitut. *Cùm de omnibus*, vel sine consensu Conuentus, vel ex metu graui professerunt, in his, & similibus defectibus Papa in suo Breui suffragari minus intendit, neque tamen eisdem prohibet ratificationem professionis, sed de hac re Breue nil disponit; sicut ergo ante illud poterant professionem ratificare, ita & post; Neque isti minus Canonicè recepti extra hunc casum de receptione, probatione, & professione extra locum designatum, dicuntur inobedientes, & facere contra dispositionem, & formam horum Decretorum. Qua igitur ratione Summi Pontificis in suo Breui intentio est, vt inobedientes horum Decretorum non admittantur ad profitendum denuò, sed debeant expelli, si Sanctitas sua mandat, vt eorum professio admittatur? Sunt hæc pugnantia, nam *sub n.* 89. dicit hæc; *Quamuis ibidem Papa non dicat, vt eiciantur;* sicut Lunam Soli lumen, & splendorem communicare; nec miror, hunc virum doctum ita loquutum fuisse, eo quòd, sicut cuilibet experto in sua arte, & scientia credendum est, *l. Septima, ff. de statu homin.* vnde gloss. *vers. Græci c. Vt veterum dist.* 9. dicit credendum esse Augustino in disputando, Hieronymo in historiis, Gregorio in Moralibus, quod refert etiam *Moditius lib.* 2. *S. Prudentum responsa, dubit.* 7. *num.* 10. ita in his censendus est magis expertus, & longè scientior Regularis, cui quotidie similes

similes occurrunt difficultates, quàm Clericus secularis, cui magis proprium est esse versatum in aliis materiis sibi propriis, vti de Beneficiis, de Matrimonio, de Distributionibus, &c. quæ materiæ illi sunt familiares. Ad postremum eius, quo vult me absurdum dixisse, tenere professionem eius, qui extra locum deputatum recepit habitum, & postea probatus fuit in loco deputato, respondeo id non esse absurdum, cùm sufficienter probauerim initio huius mei *Repugnaculi,§.Respond.* me casum, in illis Decretis sermonem esse de receptione habitus in probatione, & non tantùm de ipsa receptione, quæ est actus transitorius, & ita esse fusius ibidem probaui, *& cap.4. de Nouitiatu quæst.24.* Neque sermo est de receptione habitus quò ad informationes, & requisita præmittenda, sed de receptione habitus Probationis, & Nouitiatus, vt suprà satis probaui, *§.Resp.* me casum, vbi etiam ostendi, venire principaliter receptionem habitus pro Nouitiatu, & Probatione, non pro ipsamet susceptione, disciplina enim Regularis formaliter restituitur per annum Probationis, & experientiæ morum Nouitij, in Conuentibus non quibuslibet, sed tantùm designatis, & reformatis, quam per simplicem receptionem habitus etiam quò ad requisita, & informationes, quæ susceptionem habitus, & Nouitiatum ipsum præcedunt.

Dominus Micænus *sub num.*147. in fine confutando meam oppositionem, meminit Literarum Sacræ Congregationis vti falsarum, & ab eadem minimè emanatarum, quas pro se adduxit Pater Castellus in sua responsione, quas simul cum responsione reiicit *sub n.* 123. ex triplici capite, quia falsæ, impropriæ, & affectatæ sunt. Falsitatem probat dupliciter, & quia Breue non dat facultatem conualidandi professiones nullas prætensas, sed tantùm denuò profitendi; & quia in illis fit iudicium, & punitur pars ante citationem contra omnia iura. Improprietatem probat, quia in illis citatur Bulla, & tamen Bulla non emanauit, sed solùm Breue. Affectationem suadet illis verbis: *Ma procurate con ogni vostra possibile industria, e diligenza, che quanto prima ritornino nelli Claustri.*

Quamuis Ego dictas non adduxerim literas, quia ad manus meas non peruenerunt, nihilominùs quia postea easdem ferè eiusdem tenoris apud *Peyrinum tom.3. priuileg. pag.* 322. legi directas ad Episcopum Casalensem, demptis quibusdam verbis rigorosis, quæ non decent tam graues viros, & magnos Sacerdotes, non possum mihi persuadere eas esse suppositas, & falsas, sed reales, & veras, à Sacra Congregatione prudentissimè emanatas. Neque obstant coniecturæ nostri Doctoris, contra quem agimus, nam quò ad falsitatem, iam probaui Breue dare facultatem conualidandi, seu ratificandi professiones huiusmodi nullas, quid enim est professionem denuò emittere, nisi priorem nullam ratificare, & conualidare; illa enim dictio [denuò] id demonstrat, referendo valorem secundi actus ad nullitatem prioris, à quo, vt ita dicam, auferendo nullitatem, confert valorem, seu provt ex nunc, seu provt ex tunc, modò non curo. Deinde in illis literis nullum apparet iudicium contra dictum Vicarium, sed solùm illi ordinatur, vt sua iura, quibus licentiauit Regulares nulliter professos, referat ad Sacram Congregationem. Quod ad impròprietatem locutionis coniectura nullius est momenti, cùm in vulgari idiomate dicatur Bulla quæcumque ordinariò à Papa proueniens, siue sit Decretum, seu Constitutio, Breue, aut Bulla: & cùm constet, dictas literas loqui respectiuè ad Breue nostrum, non est curandum de nomine, quando rem habemus, & effectum, *argument. l.Si quis in fundi vocabulo.ff.de legat.*1.*Institut.de leg.§.Si quis in Nomine.* Demum nullum affectationis vitium reperitur in illis literis, sed prudentissimè emanarunt, & talia verba sub eo rigore fuisse necessaria, quia huiusmodi egressiones sunt multùm præiudiciales animæ, & in graue detrimentum Religionum, vnde zelus fuit, non malus affectus reducendi oues errantes ad pristinum ouile.

RESPONSIO
R. P. IOAN. FRANCISCI CASTELLI
Ord. Min. Obs. S. Francisci,

Ad quandam scripturam

D. FRANCISCI MICENI IVRISCONSVLTI,

Brixiæ editam, pro tuendis Regularibus è suis Religionibus egressis, sub prætextu nullitatis suarum Professionum.

Spiritus Sancti gratia illuminet sensus, & corda nostra.

§.1. AD conditorem legis, legis interpretationem spectare omnia iura concordant, *Extrauag. Ad conditorem de verbor.signific.* Ioan.22.Clemens Papa VIII. felic.record. nonnulla Decreta circa Nouitiatus, & Nouitiorum educationem edidit, quæ cum certa modificatione de mente Sanctissimi D. N. D. Vrbani Papæ Octaui fuere confirmata à Sacra Congregatione Eminentissim. DD.Cardinalium Concil.Tridentin. Interpretum anno 1624. die 21. Septembris, & postremò anno 1631. idem Summus Pontifex per suum Motum proprium paterna benignitate circa huiusmodi Nouitiorum professionem, emissam in locis non designatis, aliqua decreuit. Quapropter dubium non est, difficultatum emergentium ex Decretis, & Motu proprio prædictis ad ipsum Summum Pontificem, siue ad ipsam Sacr. Congregationem, ab ipso deputatam, (cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacr. Canon. & Decret. & non ad aliquem inferiorem) resolutionem omnimodam pertinere, *Roderic.tom.*1.*quæst.*11. *artic.*1. *&* 2. cùm verba sint intelligenda secundùm mentem proferentis, *cap. Intelligentia de verborum signific.* nam cuius est condere legem, & eius est declarare *cap.1. de iur. calum.* Idcircò intelligentia vera, germana horum omnium relinquenda est summo iudicio Sanctit. suæ *cap. cùm venissent de Iudic.* & vt diffinit Sixtus V.fel.record. in suo Motu proprio anni 1588.19.Kal.Nouembr. dicens; Ad Rom.spectat Pontif.Sacr.Canon. Conditorem, quæ per eum sancita sunt, ita suæ declarationis arbitrio dilucida reddere, vt inde nemini possit dubitationis scrupulus exoriri.

§. 2. Et quoniam vidimus quandam scripturam asserentem professum contra Decreta prædicta Clem.VIII. nulliter, & inualidè professionem emisisse, posseque eiici à Religione, & ipsum teneri egredi. Dicimus eidem scripturæ, quod satis superque esset ad illius plenariam confutationem, oppositum sensisse Sanctissimum D.N. Vrbanum. Mandauit enim ipsi Eminentiss. Summo Pœnitentiario, Ordinariis, & Superioribus Reg. vt omnes, & singulos Regulares, qui ad habitum Regularem aliàs Canonicè recepti, & annum probationis in locis designatis minimè fecerunt, suam indeque professionem emiserunt, ad professionem denuò, seruatis seruandis, emittendam, absque nouo probationis anno, ex speciali Sanctæ Sedis Apostolicæ benignitate recipiant, & admittant. Non enim dicit Sanctitas sua, vt quod reiiciantur, & ipsi teneantur exire, sed quod recipiantur, & admittantur. Cui omnes Superiores, & Prælati tum Regulares, tum Ordinarij obedire tenentur. Et ideò Auctorem illius scripturæ remittimus ad Patrem *Roderic. tom.3.*

tom.3. quæst.54. art.6. tenentem huiusmodi, confessos adstrictos esse in conscientia ad perseuerandum in Religione, *Sanchez de matrimon.disput.37. num.6.lib.7. Nauar.cons.17.de Reg.impress.num.3.cap.2. & cap. Vidua de Reg.* Quod dictum concordat cum mente ipsius Sanctiss. & ideò Author ille ad indagandam mentem Sanctissimi debebat attendere intentioni Sanctit. suæ (vt rectè scribit Paulus Iurisconsultus Parauinus, *l.pen ff ad exhiben.* Non oportere ius calumniari, nec verba captari, sed qua mente quid dicitur animaduertere conuenite) quæ clarè habetur ex proœmio eius Motus proprij, vbi ait, *vtque in vocatione, qua vocauit eos Dominus permaneant.* Quia, vt dicunt leges, & Doctores ea proœmio habetur vera intelligentia, & causa finalis legum, & Canonum, ac mens disponentis, *Roderic.tom.1.quæst.11. art.6.* Nam actus agentium non operatur vltra eorum intentionem, secundùm Philosophos, & iurisperitos, *cap.finali de præbend.* cùm verba posita ad vnum finem, ad eundem finem sint interpretanda, *cap.finali de verbor. signific.cap.Intelligentia, eod.tit.* & vt tradit *Roderic. ibi in dict.artic.*

§. 3. Circa verò difficultatem ortam de Iudice competente super cognitione vniuersali validitatis, aut inualiditatis professionis emissæ à Regularibus iam occasione prædictorum, quàm alia quacumque de causa; cùm Sac.Concil.Trident. *sess.25.cap.19.de Reg.* hanc difficultatem soluat, ab ipso sanè non est recedendum. Dicit enim Concil. *Quicumque Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacumque de causa aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit coram Superiore suo, & Ordinario deduxerit.* Hæc Concil. Cùm ergo ita Decretum sit, qui aliter facit, contra Conc.immediatè attentat. ita affirmat *Nauar. cons.23. num. de Reg.* dicens: quia Conc. requirit, vt causa nullitatis professionis deducatur coram Superiore, & Ordinario, & *num 4.* ibi; Debebat causam nullitatis proponere non solùm coram ipso Superiore, sed etiam coram Ordinario, imò *cons.26.num.13.2.impress.& cons.5 num.13. de Reg. 2. impress.* videtur asserere solùm Superiorem Regul. esse Iudicem competentem. Ad 4. dubium ait: Respondeo, Quod remedium est ei, cuius professio non est valida supplicare Prælato Ordinis sui, qui sit Iudex competens eius, humiliter, vt declaret, professionem eius non valere; quamuis in fine addatur. Aduertendum licèt dicatur *num.13.* Prælatum Ordinis adeundum pro obtinenda declaratoria nullitatis professionis, non tamen excluditur, quin cum ipso etiam debeat interuenire Ordinarius, iuxta Decretum Sac. Conc. *cap.19. sess.25. de regul. sup. cons.23. Idem consil.87. de reg.1. impress. Roderic. tom.3. quæst.17. art.17. & Mirand. tom.1. quæst.30. art.4. concl.2. dicit cum Nauar. cons.87. citato,* sciens suam professionem esse nullam ob aliquam ex supradictis causis, scilicet quòd descendat ex genere Iudæorum, Saracenorum, aut Hæreticorum contra Constitutiones, & Motum proprium expressum Pauli IV. & aliorum Summorum Pontificum, potest reclamare, & ipsas coram suo Superiore, atque Prælato allegare, & infrà. Remedium est ei, cuius professio ob prædicta fuit inualida, supplicare Prælato Ordinis sui, qui sit Iudex competens, humiliter, vt declaret, professionem suam non valere, nec valuisse; & ideò requiritur sententia iudicialis data cum causæ cognitione, probatis, & seruatis, quæ probanda, & seruanda sunt in tali iudicio. Hinc est, quòd prædictus Religiosus sic nulliter professus tenetur à Prælato requirere, vt id faciat. Hæc *Pater Mirand. & art.6.* dicit; Tertia est, Quod causas nullitatis coram Superiore, & Ordinario ante deducat. Et *concl.2.* asserit coram Superiore, & Ordinario. Et infrà, coram Superiore, & Ordinario proponere. Postremò Adm. R.P. Batiola in suis Aphorism. L.R. verb. Regulares. §. Regulares professionis, pag.264. prædicta confirmando cum Decreto Sac. Cong. Concil. ait: Regulares professionis nullitatem prætendentes, illam probare tenentur coram Superiore Monasterij, in quo professionem emiserunt, & coram eiusdem loci Ordinario Sacr. Conc. Congr. Et sic semper practicatum fuit, vt experientia, quæ est rerum magistra in huiusmodi causis taliter iudicari videmus, scilicet, quòd causæ deducantur coram Superiore Regulari, & Ordinario, vt in diuersis Cancellariis secundùm occasiones videre est; Et ideò à consuetudine, quæ est optima legum interpres, non est recedendum, *cap. Cùm dilectus de consuet. & l. minimè, ff. de leg.* quia secundùm communem opinionem videtur habenda consideratio vsus, quo receptum est præfatum *cap.19. Nauar. consil.12. de Reg. in fine 2. impress.* quia consuetudo non solùm dare, sed etiam augere potest iurisdictionem, *cap. Duo simul de off. Ordin. & cap. Cùm contingat, iuncta gloss. verb. Consuetud. quæ alia citat. de foro compet. Roderic. tom.1. quæst. 7. art. 3.* Vnde cùm lex disponat, & consuetudo immemorabilis semper fuerit huiusmodi causarum iudicium ad Superiorem Regularem, & Ordinarium simul pertinere. Id quoque nunc obseruandum esse affirmamus, & ratio addi potest; Quia iure communi Iudex immediatus Regularium est Abbas, vel alius Prælatus eorum in pertinentibus ad Regulam suam, & Regularia statuta, quod fundatur *in l.finali, C. de iurisd.omn.iud. & in cap. cum ab Ecclesiarum Prælatis, de off. ord. & Nau.comment.2. de reg. n.1.2.impress.§. Addo 2. & §. Addo 3.* ait: Omnes ferè Regulares exempti sunt ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione per sua priuilegia, nec super vllis causis possunt conueniri coram Ordinario.

§. 4. Velle nunc dicere ex *Sanchez lib. 7. disput. 37. num.32. & 33.* Quod Conc. *cap.19. prædicto,* sit fundatum in professione tacita, quæ non intrat, nec potest intrare modo aliquo in dictis Decretis, & quod Conc. ibi loquatur de impedimentis ad tempus, & non comprehendat perpetuò inhabiles; & illa particula (ait, quid simile) posita sit ad maiorem declarationem, vt clariùs percipiatur mentem Conc. fuisse, loqui de quocumque impedimento ad tempus, professionem irritante; & illa verba (vel quacumque de causa) se restringere ad personas habiles. Dicimus quod est velle distinguere, vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, iuxta latè tradita à *Bart. Paulo Castr. & Iasone citatis à Roderic. tom.2. q.11. art.6. §. Nona regula.* Tandem ad declarationem maiorem veritatis asserimus Conc. loqui de quacumque professione, tam tacita, quàm expressa, & principaliter de expressa; non de impedimentis ad tempus tantùm, sed de quibuscumque impedimentis; non solùm de persona habili, sed etiam de persona inhabili; non solùm de causa temporali, sed etiam de causa perpetua.

§. 5. Et primo quoad professionem, quod principaliter loquatur de expressa, & consequenter de tacita, audiatur Sanchez, ait enim Doctor iste loco citato *n.1.* Decretum Concil. procedit in professione quacumque siue expressa, siue tacita: quia Concil. Trid. loquitur in vniuersum de professione, *& num.34.* Durante impedimento, quod irritabat professionem expressam, non potest professio tacita effici valida, eadem enim ratio, & par virtus est taciti, & expressi; nec tacitum plus operari potest, quam expressum, vt tradunt omnes scribentes. Et infrà. Et ne ambigendi ansa relinqueretur, Sixtus V. in suo motu proprio id expressit, dictus, siue expressam, siue tacitam cum illis impedimentis fore nullam. Hæc Sanchez. Audiatur præterea *Nauar. comment. 4. de Reg. num. 73. super cap.19. allegato Conc.* ait enim. Huic nouæ constitutioni videtur esse locus etiam in professione (nam de expressa præsupponit) tacita; quia loquitur generaliter de professione, quam constat esse genus ad expressam, & tacitam, *cap. Vidua, & cap. Porrectum de Reg. & cap. nullus de elect. in 6. & Clem.eod.tit.eis.* Et lex disponens indistinctè de genere,

vendicat

vendicat sibi locum in omni eius specie. l. de pacto. ff. de pub. in rem act. cap. solitæ de maiorit. etiam si tanta ratio eam non suadeat in vna, quam in alia. *l.* 1. *§. quod autem. ff. de al. lus. & dicto cap. Solita si satis perpendatur.* Et post alios tradit *Dec. in cons.669. num.* 3. Idem asserit *Azor. institut. moral. lib.* 12. *cap.* 4. *littera D.* dicit ipse, obseruandum est huiusmodi Decretum Concil. *cap.* 19. locum habere tùm in his, qui tacitè professi sunt, tùm etiam in his qui professionem expressam emiserunt. Ita etiam tenet *Sorbus in suis addit. comp. Priuil. verb. Nouitius, §. Ideò ad tollendos,* ait enim præsupposita expressa professione. Notandum quod supradicta relatio procedit etiam in professione tacita. *Insuper Nauar. consil.* 36. *de reg. num.* 14. *&* 15. 2. *impress. Ad quintum dubium scilicèt*, an professiones Fratrum licèt non valeant vt expressè, valeant tamen vt tacitæ. Respondet negatiuè, tùm quia in contractibus par virtus est expressi, & taciti, tùm quia qua ratione defectus consensus annullat professionem expressam, debet etiam annullare tacitam. Et ratio est, vt definit Sixtus V. in suo motu proprio. Ad Romanum, suprà allegato §. sed cum eadem ratio, quia (ait ipse) eadem ratio viget in tacita professione emittenda, quæ militat in expressa.

§. 6. Quantum verò ad id, quod asseritur Concil. loqui de impedimentis temporalibus tantum, & non de perpetuis. Respondemus: Concil. loqui de omnibus impedimentis *Sanchez l. cap. num.* 30. diuidit impedimenta in perpetua, & temporalia, ait enim. Præmittendum est, quædam esse impedimenta perpetua reddentia inhabilem quempiam ad profitendum: alia autem esse impedimenta, quæ inhabilitant, sed non perpetuò, & sequitur *num.* 31. Et videtur de his omnibus Decretum Concil. intelligendum: quia eo *cap.* 19. duo impedimenta temporalia numerauit. Respondendo autem ad dubium *num.* 34. dicit secunda conclusio. Nec id Trident. Decretum intelligitur de laborantibus impedimento temporali, quod irritauit professionem. Si ergò Concil. non loquitur de impedimento temporali; igitur à sufficienti diuisione loquitur de impedimento perpetuo. Dicimus autem nos Concil. loquutum fuisse de omnibus impedimentis, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, quoad validitatem, seu inualiditatem professionis. Professio metu facta est ipso iure nulla, *cap.* 1. *de iis quæ vi.* Sicut votum factum metu ex ipso iure nullum iuxta *Gloss. receptam in cap. Abbas, eo tit.* Et præterea nullus actus metu factus ligat agentem; & ideò professio ipso iure nulla non ratificatur, ex eo quod sic professus persistat longo tempore in Religione, quam professus est. *Nauar.* 2. *consil.* 89. *num.* 2. *&* 3. *de reg. & prima, consil.* 1. *eod. titul. num.* 11. *comment.* 2. *num.* 31. *& comment.* 4. *num.* 71. *&* 76. *de reg.* Quapropter cum professio metu facta sit ipso iure nulla, indigeatque ratificatione, si non superueniat ratificatio, impedimentum erit perpetuum, *ita Roderic. tom.* 3. *quæst.* 17. *art.* 15. Sic dicimus etiam de impedimento ætatis, de quo loquens Concil. *sess.* 25. *cap.* 15. *de reg.* ait: In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante sextum decimum annum expletum; nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur. Professio aut antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus. Hæc Concil. Et ideò si professio sit nulla ex huiusmodi impedimentis temporalibus specificatis in Concil. similiter, & multò magis reddetur nulla, in aliis impedimentis perpetuis ibi in Concil. comprehensis, illis verbis (aut quid simile, & quacumque de causa) quia vt suprà diximus, sicut ad validitatem vnius, sic ad validitatem alterius requiritur consensus, & remotio omnium impedimentorum tàm temporalium, quàm perpetuorum. Dicit ad hæc *Sanch. ipse, l. c. num.* 64. Non esse opus noua acceptatione ipsius Religionis, sed satis esse, si professus ille, sublato iam impedimento, & conscius nullitatis prioris professionis, ratificet; Nec discrimen inuenio, siue impedimentum ad tempus, siue in perpetuum inhabilitet. Eadem enim ratio est; nam tàm inhabilis est eo tempore, quo professus impedimento temporali inhabilitatur, quam est perpetuò dum impedimentum est perpetuum. Hæc Sanchez.

§. 7. Quod postremò asseritur ex Sanchez Concil. non comprehendere perpetuò inhabiles. Ad hoc etiam respondemus, primo Concil. loqui tàm de inhabilibus perpetuis, quàm ad tempus; quia signum vniuersale (vt est) Quicumque propter eius generalitatem trahit etiam ad casus improprios, vt multis citatis tradit *Tiraquel. de retract. lignag. §.* 1. *gloss.* 7. *num.* 20. *& seq.* Imò cum hoc signo vniuersali (*Quicumque*) complectitur etiam dissimiles qualitates, vt notat *Gloss. Clem.* 1. *verb. quamuis de sentent. & re iudic. & ibi Imola n.* 8. Quia receptissimum est in litteris Apostolicis, & Decretis Concil. nec vllam syllabam debere esse superfluam, cum priuilegij verba aliquid operari debeant, *cap. Abbas, de verb. signific. vers. contra quos facit.* Nam superfluitas in Lege, aut Decreto vitanda est, *cap. si Papa, de Priuil. in* 6. & ideò signum vniuersale (*quicumque*) appositum in Concil. de quacumque persona, tàm habili, quàm inhabili, intelligendum venit, nam esset superfluum, quia vt inquit ipsemet *Sanchez lib.* 3. *disput.* 26. *num.* 6. *de Matrim.* Adeò hoc est verum, vt non solùm verbum, & quælibet dictio Legis, aut Decreti nòn debent esse sine effectu aliquid operandi, sed etiam quælibet syllaba, vt benè docet *Gloss. cap. solitæ, verb. tanquam de maior. & obed. cum aliis ibi citatis ab ipso Sanchez.* Quia vbicumque tractatur de fauore publico, verba generalia non restringuntur ad personas habiles, sed generaliter intelliguntur etiam de inhabilibus, vt *per l.* 3. *§. vtrum, versic. hic quoque in fine, ff. ad sent. cons. Siluian. & docet Iason aliis relatis, l. si filiusfamilias, n.* 4. *& seq. ff. si certum petatur.* Nam verba legis ita interpretanda sunt, vt ipsa lex non frustretur, & otiosa reddatur, etiam in materia stricta, & odiosa, *iuxta cap. in his, de Priuil. & cap. si ciuitas, de sentent. excomm. in* 6. & ideò illa dictio vniuersalis (*quicumque*) redderetur otiosa, si esset intelligenda tantùm de personis habilibus, excludendo personas inhabiles. Imò si rectè perpendamus mentem, & verba Concil. habemus, quod Concil. principaliter loquatur de personis inhabilibus. Nam cum dicit (quicumque Regularis prætendat, &c.) intelligi debet, quicumque Regularis inhabilitet, aut perpetuò, aut ad tempus prætendat, nulliter professionem emisisse, deducat causas coram Superiore, & Ordinario intra quinquennium; quia si intellectus relatus de sola persona habili esset verus, sequeretur hoc falsum, scilicèt quod personæ perpetuò inhabili ad profitendum (facta professione) esset interclusa via ad reclamandum, nec intra quinquennium, nec post quinquennium, quod reprobatur ab ipso *Sanchez l. cap. num.* 26. ibi enim dicit: Beneficium restitutionis in integrum competit ei etiam centum annis transactis; Si ergo Concil. excludit personas inhabiles, & de ipsis non loquitur, videntur exclusæ ab omni reclamatione, quod non est verum; quia Doctor ipse à *num.* 21. vsque ad *num.* 29. concedit, ipsos per restitutionem in integrum, audiendos esse quocumque tempore transacto; ergò sequitur, quod sub illa generalitate (quicunque Regularis) comprehendatur tàm persona habilis, quàm inhabilis, tàm ad tempus, quàm perpetuò; & ratio est, si de quo minus videtur inesse, & inest, ergò de quo magis videtur inesse, inerit; maior defectus in profitente est impedimentum, & inhabilitas perpetua, quàm ad tempus. Si ergò Conc. habilitat, & dispensat ad reclamandum illum, qui habet minus impedimentum, multò magis habilitare debet illum, qui habet maius impedimentum, habilitat per vos personá habilem cum minori impedimento, ergò & inhabilem cum maiori impedimento. Conc. igitur de omnibus personis

personis loquitur, & de omnibus intelligendum est, *ita Mirand. tom. 1. quæst. 30. art. 4.* Nam descendentes ex Saracenis, Iudæis, & Hæreticis ex Decretis Pontif. sunt perpetuò inhabiles ad profitendum, nihilominùs comprehenduntur sub Decreto Concil. *concl. 2. & art. 6. concl.* a. superiùs relato.

§. 8. Respondemus secundò: mentem, & finem Sanchez, vt ex tota ipsa *disp. 37.* clarè constat, fuisse probare, quod Concil. non adstringat perpetuò inhabiles ad reclamandum intra quinquennium, sed quod ipsi absque vlla temporis præscriptione possint semper reclamare per beneficium restitutionis in integrum, cui opinioni cum huiusmodi beneficio ordine Sanctiss. vt infrà cum Nau. asserimus, non contradicimus.

§. 9. Respondemus tertiò: Sanchez loquutum fuisse de inhabilibus perpetuis, tam ex defectu, quàm ex delicto personæ; Ex motibus propriis Sixti V. *vt num. 30. & seq.* apparet. Dicit enim in fine: Hæc deseruiant pro professionibus hucusque emissis cum impedimentis illis Sixti V. vel non seruata forma ab ipso præscripta, scilicèt quod nullus maior 16. annis possit admitti, nisi præmissa certa informatione, & approbatione de eius vita, & moribus, vt in ipsis motibus propriis legitur. In casu autem nostro non sumus in similibus, quia motus proprij Clem. VIII. non loquuntur præcipuè de inhabilitate personæ ex defectu, vel delicto, sed de inhabilitate loci, & ideò non currit similitudo, vt scriptura ipsa asserit, quia à disparatis non fit illatio.

§. 10. Respondemus quartò: quod data, sed non concessa interpretatione Concil. allata ab ipso Sanchez iuxta sensum scripturæ allegatæ, nihilominùs sumus in statu ipsius Concil. respectu personæ habilis, & impedimenti temporalis, exclusis inhabilitate personæ, & impedimento perpetuis. Dicit enim Clemens VIII. Receptiones, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse, ex nunc declaramus. Et alibi: Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum, ex nunc decernit, & declarat. At Sixtus V. vt suprà deductum est, similem declarationem fecit ex defectu personæ, aut ex eius delicto. Clemens VIII. autem die 2. Aprilis 1602. reuocauit motus proprios Sixti V. ad iusque commune reduxit, relictis in suo robore pœnis ibi contentis in Superiores contra facientes. Vnde ex isto motu proprio Clem. VIII. perpetuò inhabiles de cæterò sunt facti habiles, & impedimentum perpetuum penitus cessauit (vt dicit ipse *Sanchez, d. cap. num. 62.* per Pontificiam dispensationem. Pari modo Sanctiss. D. N. Vrbanus VIII. suo motu proprio superius relato, impedimentum, & inhabilitatem perpetuam contentam in illis Clem. VIII. reuocauit, declarauitque omnes professos contra ipsos habiles ad professionem, remouendo respectu ipsorum illa impedimenta loci, inserta in dictis motibus propriis, & sic ad præsens per dispensationem Apostolicam cessant huiusmodi impedimenta, & inhabilitates perpetuæ, & professi ipsi, seruatis seruandis, absque alio Nouitiatu, absque alia ballotatione possunt remanere in Religione; cum ergò (suo modo loquendo) inhabiles perpetui sint facti habiles, & impedimenta perpetua sint remota. Concil. Trident. intrat, & intrare potest in dictis Decretis cum beneficio restitutionis in integrum eis facto à Sanctiss. via extraordinaria.

§. 11. Sed quia difficultas principalis nostra non stat in reclamatione, quam nec nos reprobamus, vt suprà diximus, modo explicato etiam in fine præsentis; sed in Iudice competente, coram quo fieri debeat huiusmodi reclamatio, qui (vt suprà probauimus) est Superior Regularis vnà cum Ordinario, & ideò ad præsens asserere in dicta scriptura solùm ad Ordinarium spectare iudicium huiusmodi causarum, excluso penitus Superiore Regulari, videtur doctrina noua, nouiter inuentata absque vllo vero, aut probabili fundamento, & nunquam vsu practicata. Ordinarius enim non est legitimus Iudex personæ Regularis, omnino Regulariter exemptæ ab eius ordinaria iurisdictione, & immediatè subditæ Sanctæ Sedi Apostolicæ, & eius Superioribus Regularibus, *vt habetur ex Compend. Priuil. verb. conuentri in iudicio, & verb. exemptio. & ex Confect. tit. 5. de Reg. exempt. & tit. 4. cap. 1.* Et ideò quando dicit Concil. *sess. 24. cap. 20. de reform.* causas omnes in prima instantia ad Ordinarium spectare; intelligi debet de causis suorum subditorum, & non de causis personarum exemptarum ab ordinaria sua iurisdictione, & subditarum aliis Superioribus, quia hoc esset mittere falcem in messem alienam à Sac. Can. reprobatum. Nam quamuis Regularis prætendat declarationem annullationis suæ professionis, tamen donec, & quousque à Iudice competente obtineat intentum, subditus est suæ Religioni, & Prælato, qui est in possessione eius personæ, nec est spoliandus lite pendente, sed defendi debet in ea, *cap. laudabilem, vt lit. pend. cap. cum Ecclesia Sutrina, cum tot. tit. de caus. possess. Gloss. cap. duo simul, de offic. iudic. ord. verb. consuetudo, cum per eum citatis, & cap. 1. de restit. prol.* Cum itaque iurisdictio Ordinarij in Regulares non sit ordinaria, sed delegata, aut per Concil. aut per Bullas, & Decreta Pontificia, standum sine dubio est delegationi. Delegatio ergo Conc. cum dicat, quod causæ huiusmodi deducantur coram Superiori Regulari, & Ordinario, & non aliter; Velle aliter contra hoc facere, est nulliter facere, & sine legitima iurisdictione, quia actus factus contra legem prohibentem non valet, *l. non dubium, Cod. de leg. Confect. tit. 5. cap. 2. & tit. 13. cap. 9.* Imò (authoritate Apostolica *cap. 7.*) affirmat Ordinarium esse excommunicatum ipso facto, reuocando Fratrem à Religione ad seculum, teneterique in conscientia ex pulsse illum ad Religionem suam reducere, quod dictum est conforme Decreto Sacr. Congreg. diei 8. mensis Iulij 1632. quo iubetur Ordinario Brixiensi, quod, ex posse, faciat omnes Regulares à se licentiatos ad propriam Religionem redire extenso suprà *sub num. 24.*

Reuerendo Signore.

QVesti Eminentissimi miei Signori vengono ragguagliati, che con l'occasione della Bolla, nella quale la Santità di N. S. hà dato facoltà à Regolari di conualidare le loro professioni, che si poteuano pretender nulle per causa di non hauer fatto l'anno della professione ò probatione, e le medeme professioni in luoghi non designati à riceuere Nouitij, alcuni di essi Regolari, che stanno di fameglia ne' Conuenti, ò Monasterij di cotesta Città, e Diocese, in vece di conualidar dette professioni, con licenza, ò Decreto vostro, habbiano lasciato l'habito, & hora se nè stiano fuori di Claustri in habito di Clerici Secolari, sotto pretesto, che tal facoltà, come si suppone, venga almen tacitamente, data in detta Bolla. E perche ciò è del tutto alieno dalla pia mente della Santità sua, ne tali dichiarationi di nullità di professioni, si possono fare, se non ser. ser. conforme alla dispositione de Sacri Canoni, Constitutioni, e Decreti Apostolici, e particolarmente del Sacro Concilio di Trento; Però l'Eminenze loro essendo restate assai marauigliate di voi, mi hanno ordinato di scriuerui, che quanto prima auuisiate quà tutto ciò, che in tal proposito vi occorrerà per vostra giustificatione; e che tra tanto non solamente vi asteniate dal dare le licenze, ò Decreti sudetti, mà procuriate con ogni vostra possibile industria, e diligenza, che quanto prima ritornino ne' Claustri con l'habito loro Regolare quelli, a' i quali hauerete concesso le licenze, ò Decreti sudetti. Tanto dunque esseguite, e state sano.

Di Roma à 27. d'Agosto 1632.

Al piacer vostro

Il Cardinal S. Onofrio.

A. Tornielius.

§. 12. Et

§. 12. Et hoc iure meritò, quia Fratres illi, qui cum sola sententia declaratoria Ordinarij, excluso Superiore Regulari habitum Religionis dimiserunt, & extra claustra sine Superioris Regularis licentia exierunt, sunt excommunicati, Apostatæ,& in statu damnationis æternæ, ex Decreto Concil. citato *cap. 19.* Quod si antea (idest) antequam causas deduxerint coram suo Superiore,& Ordinario habitum dimiserint,ad Monasterium redire cogantur, & tanquam Apostatæ puniantur, & addit *Nauarr. 2. conf. 22. de Reg. num. 2. & 3.* quod si in sacris sint, & administrauerint officium sui Ordinis, etiam irregularitatem contrahunt; cum nemo Regularis possit exire de Conuentu, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, & vocati fuerint, ex Decreto Conc. *sess. 25. cap. 4. de Reg.* Et subdit: Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, tanquam desertor sui instituti puniatur. Et addit Confect. *vbi suprà 15.* Quod nemo Regularis (etiam prætextu sententiæ) potest exire sine prædictorum (nempè Regularis,& Ordinarij) declaratione. Et ideò à Superioribus Regularibus excommunicandi, & puniendi sunt. Et ius militat, quia sublato fundamento ædificij, tollitur ædificium. Can. cum Paulus 1. *quæst. 1.* Fundamentum autem illorum Fratrum extra Religionem commorantium est sententia declaratoria solius Ordinarij, sublata igitur hac sententia, tanquam facta à non habente facultatem, tollitur illorum fundamentum, & ædificium remanet destructum, & ipsi remanent narratis pœnis subiecti, cum Ordinarius non possit iudicare huiusmodi causas, excluso Superiore Regulari, vt suprà probatum est. Et ratio in promptu adest, quia sicut professio emissa in manibus Ordinarij (quoad Religiones, & Monasteria exempta ab eius iurisdictione) non tenet sine Superioris Regularis consensu, vt probant *Nau. conf. 40. num. 2. & 4. de Reg. & Roderic. tom. 3. quæst. 17. art. 11.* Sic sententia declaratoria nullitatis professionis facta ab eodem Ordinario sine consensu Superioris Regularis, non tenebit; quia quicquid habet propositum in proposito, habet oppositum in opposito. *Can. sciendum 8. quæst. 1. & l. Et si contra tab. ff. de vulg. & pupill. Sanchez, l. c. num 34. Azor. lib. 12. cap. 5. littera B. Nau. & communiter Doctores.* Nam res in easdem causas resoluitur, ex quibus producitur. Dicit enim Concil. Non audiatur, nisi, & non aliter, causas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario; Verba enim ista (non audiatur, nisi, & non aliter) habent negationem,& ideò omnia, quæ sequuntur, destruunt,& eorum contradictionem ponunt. Quapropter negatiuæ illæ destruunt omnia facta, & operata contra ipsas. *Sanch. l. c. num. 54. & num. 19.* vbi dicit, quod dictio exclusiua affirmat id, quod ponit, negans omnes alios casus, præter expressos, quod rectè probat per leges relatas. Et sic sententia solius Ordinarij destruitur, & annullatur, vt facta contra negatiuas ipsas. *Nau. com. 2. de Reg. n. 15.* & actus factus contra formam substantialem à lege præstitutus non valet; imò non valet etiam si sit factus præter formam, *cap. cum dilecta de rescript. & cap. prudentiam de off. deleg.* Formam autem ferendi huiusmodi iudicium præscribit Conc. vt causæ deducantur coram Superiore,& Ordinario, facere ergò contra,& præter istam formam, quæ est substantialis (& non aliter) remanet actus ipse inualidus,& nullus; imò *Sanch. ipse l. c. n. 11.* cum loquitur de causis deducendis coram Iudice, semper asserit, hoc faciendum esse coram Ordinario, & Superiore, *& num. 1.* ait: tres conditiones petuntur in eo Decreto Concil. *cap. 19.* & infrà, secunda, vt causas, quas prætendit coram Superiore, & Ordinario deducat. Hæc Sanchez.

§. 13. Dicitur etiam, & asseritur Superiores Regulares non posse in huiusmodi causis esse iudices, quia iuxta Decreta prædicti Papæ Clem. sunt ipso facto priuati iurisdictione, &c. ex quo admiserunt prædictos malè professos ad profitendum, ipsosque Superiores esse partes, & nemo in propria causa iudicare potest, & ideò quod causæ ipsæ cognosci debent ab Ordinario tantùm. Respondemus huic assertioni primò, quod ferè omnes Superiores illius temporis ex hac vita migrarunt. Secundò, quod in Religionibus Superiores Regulariter amouentur quolibet triennio, & ideò non sunt semper iidem. Tertiò sequeretur, quod in Religionibus erga subditos non essent iudices competentes, & quod omnes essent partiales, quod etiam dici posset de Ordinariis in causis Regularium, & suorum subditorum Sacerdotum, & Clericorum, rationibus iudicio boni viri considerandis. Quartò, Respondemus, nullum inferiorem Papa posse contra ius commune (vt Sacr. Concil. Trident.) aliquid statuere, *cap. quod super iis de maior. & obed. cum ibi adnotatis à Doct. Nau. 1. consil. 5. num. 4. de Reg.* Cum ergo Sacr. Conc. Sancti Spiritus illustratione deputauerit iudicem huiusmodi causarum Superiorem Regularem, videtur quod assertio ipsa sit ad libitum introducta, cum author ipsius non sit tantæ authoritatis, quod possit legem statuere contra Sacr. Concil. Trident. & excludere Superiores Regulares à cognitione causarum suorum subditorum: affirmamusque insuper, assertionem ipsam esse periculosam, cum velit arguere Spiritum Sanctum malè, & contra iustitiam, ac leges deputasse Regulares in iudices vnà cum Ordinario in his causis cognoscendis, tanquam partiales. Quod dictum quantum sit sanæ doctrinæ consonum iudicio Superiorum relinquimus.

§. 14. Ex his propositis, & expositis, ac declaratis manifestè apparet Iudicem competentem esse in Ciuitate, scilicet Superiorem Regularem vnà cum Ordinario, non tamen ordinarium solum. Sed vltra istos Illustriss. & Reuerendiss. D. Nuncium Apostolicum, etiam in prima instantia respectu Regularium (facultate speciali sibi concessa à Summo Pontifice) & insuper ipsam Sanctam Sedem Apostolicam. Et ideò affirmamus, sententiam latam à solo Ordinario esse ipso iure nullam, & inualidam, tanquam factam, vt ait Confect. *l. cap.* à non habente iurisdictionem, & à persona quasi priuata, immediatè contra Decretum Concil. & Sacr. Congregationis, ac mentem Sanctiss. D. N. D. Papæ Vrbani VIII. Et Regulares omnes è Religione egressos absque licentia sui Superioris Regularis, cum sola declaratoria Ordinarij, esse Apostatas, & reuocandos esse ad Religionem, vt suprà dictum est.

§. 15. Postremò verò quoad quinquennium insertum in dicto *cap. 19.* Concil. ad reclamandum, inquit *Nau. Conc. 4. de Reg. num. 73.* Quod vltra quinquennium nemo est audiendus. Tamen *num. 76.* docet: Quod Regulares prætendentes nullitatem suæ professionis, elapso quinquennio, adire debent Summum Pontificem, & medio supplicationis impetrare dispensationem, ad hoc, quod, non obstante lapsu quinquennij, possint suas causas proponere,& iuribus suis vti coram Superiore Regulari,& Ordinario, *cap. coram de in integ. restit. Ita Sanchez lib. 7. disput. 37. de Matrim. per totum, vt suprà retulimus.* Et sic practicare vidimus in diuersis causis, prout in Cancellariis Venetiarum, Paduæ, Patauij,& Mantuæ, ac alibi videre est. De hoc quinquennio etiam pro libito remittimus Lectores ad Patres. *Roderic. tom. 3. q. 17. art. 10. & 17. Mirand. tom. 1. quæst. 40. art. 3. & Nau. 2. cons. 23. de Reg.* Et hæc dicta sint. Saluo, &c. Ad laudem Dei, Beatæ Mariæ, & Diuæ Catharinæ, in cuius festiuitate anni currentis 1633. præsenti allegationi finem imponebamus.

Ita affirmo, & sentio Ego Frater Ioannes Franciscus Castellus Ord. Min. qui suprà.

Circa supradictam responsionem Patris Castelli aduersum Dominum Micænum aliqua sunt consideranda distinctè per singulos §§. 54

Primo igitur §. ait, ad Papam spectare dubiorum emergentium circa dicta Decretum Clem.,& Breue Vrbani superius registrata interpretationem, quod verissimum est; sciendum tamen est, quod *Gloss. versic. Sicut*

enim, cap. Sicut enim 27. §. Ex his omnibus, triplicem assignat interpretationem. Prima dicitur probabilis, seu doctrinalis, & magistralis facta à Doctore, seu alio viro docto, & prudente, & hanc nunquam prohibent Legislatores. Secunda est iudicialis, eo quod fit à Iudice, hanc quandoque prohibent Legislatores; in casu autem nostro iudicandi nullitatem professionis defectu loci non designati, & dimittendi Religiosos huiusmodi probata ab illis nullitate, non prohibetur in Decreto, neque in Breui, in quo, licet §. Et ita, fiat mentio de iudicibus, non tamen pro hoc articulo de materia reclamationis, vt colligitur ex præcedenti §. Decernentes, in quo statuitur, vt huiusmodi Religiosi volentes denuò profiteri non molestentur, nec aliter iudicentur ab eo, quod hîc decernit Sanctitas sua, ibi autem ordinat de reclamatione, cum non det licentiam exeundi, vt probaui ibidem *quæst. 2. §. Primo, & §. Decimo octano*. Nunc tamen idem Vrbanus per suum Decretum, quod extendi *resol.* 23. abstulit facultatem cognoscendi hanc causam etiam infrà quinquennium, nisi quibusdam seruatis, vt ibidem hoc distinctiùs dixi. Tertia interpretatio dicitur authoritatiua prouenięns à Legislatore, de qua sunt authoritates allatæ à dicto Patre Castello; & hæc quandoque etiam originem trahit à consuetudine ratiue cultus, dicitur optima legum interpres, & secundum hanc tertiam subdui Legi subiecti tenentur necessariò agere. Hoc axioma ab eo adductum ad probandum, Ordinarios non potuisse esse iudices in hac causa, est deuium, quia in re hac ius dicendo, nulla lex interpretatur, cum manifestissimum sit, professionem factam, non præmisso Nouitiatu in loco designato esse nullam, ex Decreto, & Breui, vnde in eis non potest cadere interpretatio quoad hoc, declaratio etiam locum non habet in claris, *l. Ille, aut ille ff. de legat. 3. ex Gloss. verf. Nec iuri communi, ex cap. Cum dilectus* 8. *de consuet.* Iinde iudex in hac causa non interpretatur ius aliquod, sed factum tantùm, an sit secundum ius. Neque negatur D. Francisco Micæno interpretatio Breuis, & Decreti, quatenus asseruit de mente Pontificum esse, vt expellantur, quia est doctrinalis dicet ipse.

Secundo §. benè loquitur, probando illos non esse expellendos, etiam de mente Clem. VIII. & intentione Vrbani pariter VIII.

Tertio §. Hoc iudicinm audiendi reclamantes etiam in hoc casu speciali spectare ad Ordinarium, & Prælatum simul probatur, cùm ex Sacro Concilio, tum doctoribus, tùm consuetudine. Sufficiebat textus Trident. & postea probare iudicium aliter factum esse nullum, & audientiam concedi solùm infrà quinquennium.

Quarto §. dicit Micænum non debuisse distinguere de professione tacita, aut expressa, neque de impedimentis ad tempus, vel perpetuis, inferendo non loqui Tridentinum de professione tacita, neque de perpetuis impedimentis, quia inquit ipse, qood Concilium loquitur de omnibus professionibus, & impedimentis, per illud axioma, Vbi lex non distinguit, neque nos. Benè pater loquitur, dicendo in Tridentino sermonem esse de vtraque professione, *vt docent omnes cum Sanchez ab eo citato seq. §. Quintò*, sed non intellexit vim argumenti Micæni, qui nomine professionis tacitæ accipit professionis nullæ ratificationem, quàm ait non posse habere locum in Decreto Clemen. quia est impedimentum perpetuum excludens ratificationem, quàm non excludit Concilium, quod ideò negat audientiam reclamantibus post quinquennium, quia præsumit, eos professionem ratificasse. Errat deinde asserendo Concilium loqui de omnibus impedimentis, quia certum est nihil disponere de perpetuis, excludentibus ratificationem professionis, quàm non reiicit Tridentinum; & si eius assertio esset vera, sequerentur ea omnia absurda, quæ refert *Sanchez lib. 7. disput. 37. quæst.* 4. per totam, vbi tenet oppositum; neque pro illo facit adductum axioma, quia vbi lex non distinguit, nos quandoque distinguere debemus, quando id ratio dictat, *Thomasei. reg.* 300. seu quando sequitur absurdum, quod vitandum est distinctione adhibita, *Megal. 2. 2. libro 2. capite sexto, numero* 14. §. *Supradicta*.

Quinto §. multa adducit ad probandum, Tridentinum loqui de vtraque professione; sed frustra in ordine ad reprobandum dicta Micæni, qui hoc non negat, sed expressè asserit §. 4.

Sexto §. probat, Concilium loqui de omnibus impedimentis, ad quod probandum refert doctrinam Sanch. *lib. 7. disput. 37. quæst.* 4. vbi distinguit impedimenta in perpetua; & temporalia, & vis eius probationis consistit in hac conclusione *Sanch. num.* 34. nempè. Tridentinum non intelligitur de laborantibus impedimento temporali, quod irritauit professionem; ergo, infert ipse, si Concilium non loquitur de impedimento temporali, à sufficienti diuisione loquitur de impedimento perpetuo. Non benè syllogizatur Castellus, nam impedimentum ad tempus aliud habet tractum successiuum toto illo quinquennio impediens, quod malitiosè, & sophisticè tacuit, & de hoc est expressè conclusio Sanch. aliud est post professionem non impediens, & de hoc loquitur Concilium. Videtur iste Pater carere mediis ad probandum suum intentum, cum pro antecedente vtatur propositione apud se falsa. Deinde adducit, quod non est maior ratio de vno, quam altero impedimento in ordine ad valorem, vel inualorem professiuuis; sed impertinens est hoc dicere, cum suum argumentum debeat referre ad Tridentinum, non ad qualitatem professionis; diuersitatem autem assignat Sanch. cit. quia impedimentum perpetuum excludit ratificationem, & ideò cum eam præsumere non liceat, Concilium in illis locum non habet, sicut in temporalibus non durantibus vltra quinquennium, quæ non excludunt ratificationem. Adducit aliam rationem longo discursu, quæ constringitur sic. Professio nulla metu, semper nulla manet, nisi superueniat ratificatio, ac proinde metus erit perpetuum impedimentum, & cum de ipso fiat mentio in Concilio, comprehendetur ibi etiam perpetuum impedimentum. Dico, hunc Patrem ignorare differentiam inter impedimenta perpetua, & temporalia, imò, & temporalia facere perpetua, nam certum est, professionem inualidam ex quocumque impedimento remanere nullam quoadvsque ratificetur, ergo quodlibet impedimentum erit perpetuum hoc modo, & sumo exemplum in impedimento ætatis, nam professio facta ante 16. annum est nulla, & talis remanere potest perpetuò saltem apud Deum, si non ratificetur, ergo illegitima ætas erit perpetuum impedimentum, & sic discurrendo per singula videbis, & colliges in eius dicto omnia impedimenta esse perpetua, quod ridiculum, falsumque est. Igitur impedimentum perpetuum, est illud, quod non solùm personam perpetuò inhabilitat ad profitendum, sicut & temporale, si enim quis per centum annos maneat in nouitiatu in loco non designato, nunquam fiet habilis ad profitendum; sic puer manens à decennio vsque ad 16. annum in nouitiatu intra id tempus nunquam erit habilis ad profitendum, sed solùm transacto anno 16. sic nouitiatu interrupto nunquam fiet habilis ad profitendum, nisi renouata probatione; videntur igitur ambo habere hoc commune, quod, personam inhabilitant ad professionem, & perpetuò, idest, in quantum non remouetur impedimentum: differunt verò in hoc, quod temporale non impedit ratificationem, quia suum effectum impediendi absoluit in priori professione, cuius valorem impediuit; perpetuum verò è contra se habet, non solùm impedit professionem, sed etiam eius ratificationem, quia suum effectum inualidandi extendit ad vtrumque actum, & hoc cognoscitur, quando Papa inhabilitati adiungit expulsionem, vel quod potestas secularis super huiusmodi professos ius habeat, vt id totum colligitur ex Constit. Sixti V. de qua superius *dixi q. 1. hic §. Secundo, Sanch. lib. 7. disp. 37. n. 30.* inter autem

hæc

hæc impedimenta mediat tertium potius se tenens ex parte temporalis, habens tractum successiuum, exemplum sit in ætate, nam nouitius legitimè probatur in 15. anno, post quem habet impedimentum temporale successiuum, nam in anno 16. impeditur profiteri, & post attentatam professionem ratificare non potest eodem anno, sed postea, quia is annus vti insufficiens ad professionem habet tractum successiuum impediens etiam ratificationem; sic coniugatus manens non solùm potest impedire professionem, sed etiam ratificationem samper contradicendo; & de his latiùs dixi sub ea *q.1. §. secundo.*

Septimo §. conatur reiicere opinionem Sanch. asserentis, & benè Concilium non loqui de impedimentis perpetuis, ad quod præstandum vtitur mediis, quæ ipse *Sanch. sibi obiecerat num.* 31. quibus posteà respondet ipse *Sanch num.* 32. *&* 35. & non impugnantur directè, neque indirectè à Castello, referente diuersa axiomata generalia, quibus respondetur, non habere locum, quando sequitur scandalum, absurdum, & inconueniens, quæ adducta à Sanch. sequerentur, si Concilium loqueretur de perpetuis impedimentis, & quod non loquatur de illis, probatur ex Constit. Sixti V. qui dum ait hos esse expellendos, nullam mentionem facit de Concilio, neque de Ordinariis, vnde spectat hoc iudicium ad Superiores Regulares abstrahendo à dispositione Concilij, vt probaui *c.7. de reclamat. q.22.* Deinde alia est expulsio, quæ denotat actum contrarium voluntati expulsi, alia reclamatio, quæ insinuat actum conformem voluntati cupientis exire. Neque Sanch. asserendo hos vltra quinquennium audiri posse via extraordinaria remedio restitutionis, infert, hoc spectare ad Ordinarium, sed iudicem tacet; probaui autem *c.7. de reclamat. q.19. &* 20. hoc iudicium esse solius Papæ, vt benè probat *P. Serosa in suo libello de Inualid. profess. dub.1. n.3.* Neque Miranda asserit impedimentum illud descendentiæ esse perpetuum, sed tantùm, quod audiuntur solùm intra quinquennium laborantes eo defectu.

Octauo §. asserit mentem Sanchez fuisse, vt perpetuò inhabiles possent reclamare etiam post quinquennium beneficio restitutionis in integrum. Sed Sanchez cum hoc titulo sermonem habet respectu omnium impedimentorum.

Nono §. distinguit hoc speciale impedimentum loci ab impedimentis Sixti V. quæ inhabilitant defectu, vel delicto ipsius personæ, illud autem solùm extrinsecè defectu loci non designati. Sed nescio qua ratione adducat hanc differentiam, ex qua nil infert contra Micænum; neque contra Sanchez sed potiùs contra se agit, nam si differt ab illis, erit temporale, cùm illa sint perpetua.

Decimo §. dicit, quòd Clem. VIII. criminosos de perpetuò inhabilibus per Sixtum V. fecit habiles ad profitendum. Sed errat Pater, quia isti adhuc non possunt legitimè profiteri, sed tantùm validè, fecit igitur eos habiles non simpliciter, quia Superiores adhuc puniuntur illos recipientes, sed in ordine ad valorem professionis. Deinde subdit à pari, quòd Vrbanus per suum Breue de perpetuò inhabilibus fecit habiles, remouendo impedimentum loci. Sed fallit, quia præcedenti §. nolebat valere argumentum ab impedimentis Sixti V. ad impedimentum hoc Clem. VIII. & modò vult valere, prætterquam quòd falsum est sublatum fuisse impedimentum loci, cùm adhuc vigeat respectu ingrediendorum, & respectu ingressorum, dicitur cessare in ipsa professione nulla, & non tolli per Breue, quod solùm tradit illis modum ratificandi professionem, quod indicat illud esse impedimentum temporale. Ex his nihil contra Micænum.

Vndecimo §. dicit esse nouam Doctrinam contra Micænum asserentem solùm Ordinarium posse eam causam tractare, & falsam, ac proinde nullum iudicium, & respondendo ad *cap. 20. sess. 24.* ab illo adductum, dicit benè ibi sermonem esse de propriis subditis, quales non sunt Religiosi. Melius respondisset afferendo decisionem Pauli V. de qua ego suprà contra ipsum Micænum §. Sexto. Præterea Religiosi in similibus casibus sunt subiecti Ordinario, sed simul cum Superiore ex dispositione Concil. Ratio igitur subiectionis non est sufficiens ad excludendum Ordinarium ab hac causa, cùm ex parte sua in hoc Religiosus illi subiiciatur. Quod ait de mente Confect. *tit. 13. cap. 7.* Ordinarium esse excommunicatum reuocantem Religiosum à Religione; non facit ad rem, nam aliud reuocare quasi non habentem voluntatem, & sic ibi loquitur Confect. aliud est licentiare petentem egredi, de quo ibi non est sermo.

In reliquis §§. procedit probare, Ordinarios per se solùm non potuisse licentiare, & Religiosos sic dimissos esse Apostatas, & pro talibus esse habendos. Sed mox patebit, quomodo sint dicendi Apostatæ.

55 Quæres 4. An huiusmodi Religiosi prætendentes nullam fuisse suam professionem ob non præmissum Nouitiatum in loco deputato, egressi per sententiam Ordinarij tantùm sint Apostatæ, & incurrerint pœnas Apostatarum?

Respond. Nulliter Professi non solùm ex hac causa, sed ex quauis alia egressi per Decretum solius Ordinarij infrà quinquennium non sunt verè Apostatæ, ac proinde non veniunt puniendi, seu declarandi incurrisse pœnas Apostatarum, quamuis illorum, aut aliis pœnis arbitrio Superioris puniendi sint regressi ad Religionem. Post quinquennium vti Apostatæ puniuntur.

Primùm, quòd verè non sint Apostatæ, probatur ex definitione ipsius Apostasiæ, quæ est retrocessio Religiosi Professi, cum intentione non ampliùs reuertendi ad Religionem, quam professus est, neque accedendi ad aliam, ex quo requiruntur duo, vt quis fiat Apostata; 56 vnum est, vt sit Professus expressè, aut saltem tacitè, aliter Apostata non est; alterum est, quòd recessus fiat ad seculum sine intentione redeundi, aut intrandi in aliam Religionem. Est doctrina communis omnium cum *D. Thom. 2.2. quæst. 12. art. 1. ibi Caietan. Nauarr. consil. 1. de Apostatis num. 8. & per totum, Sanchez lib. 6. cap. 8. per totam primam quæstionem præsertim num. 4. Coriolanus casu 2. in fine, Bonacin. quæst. 2. de Clausf. p. 11. §. 1. num. 2. Portel. versic. eod. num. 1.* vbi dicit ad nostrum propositum, quod ille est Apostata, qui factus verè Religiosus deserit Religionem, vnde fugiens non verè professus Apostata non est, *Mirand. quæst. 51. artic. 1. Compend. resol. 11. num. 1. Confect. tit. 13. cap. 18. Quarant. vers. Casus num 5. Rodriq. tom. 1. quæst. 30. artic. 1.* Hi omnes expressè requirunt professionem ad incurrendam Apostasiam, & loquuntur de vera, & valida professione, quia hæc est simpliciter professio, nulla verò professio, est secundùm nomen attentata professio; ergo huiusmodi licentiati, si constet de nullitate suæ professionis, non sunt verè Apostatæ. Confirmatur, quia ille propriè est Apostata, qui verè Professus propria authoritate Religionem deserit, isti autem propria facultate Religionem non deseruerunt, sed ex Decreto Ordinarij. Nec obstat incompetentia Ordinarij, qui sa solo non potest licentiare, quia ex eo, quòd Ordinarius solus sit incompetens vel ratione solitudinis, vel quia non est loci, vbi Nouitius profecit nulliter, professio de inualida non euadit valida, sed adhuc nulla remanet, de cuius nullitate magis constat, ergo sic dimissus minus rectè cum adhuc non sit verè Professus, Apostata dici non potest.

Secundùm, quòd non sint declarandi Apostatæ, neque pœnas incurrisse, probatur, quia pœnæ Apostatarum congruunt solis Apostatis de iure, quoniam pœnæ tenent suos authores, *l. Sancimus, C. de pœnis, ex gloss. vers. Culpa caret, c. 2. de Const. c. 2. de iis, quæ fiunt à maior.* ergo pœnæ Apostatarum non incurrunt, qui non sunt Apostatæ.

Tertiùm, quod ideò neque necessariò veniunt puniendi

niendi illis pœnis, sed puniri possunt illis, vel aliis arbitrio Superioris, si non adsunt statutæ in Constitutionibus contra licentiatos non seruata dispositione Tridentini, si reuertantur, probatur, quia eo ipso, quòd non sunt Apostatæ, neque declarandi, quòd incurrerint pœnas Apostatarum, in arbitrio erit Superioris eosdem punire sic, vel aliis pœnis; hi enim Religiosi conscientiæ pondere, & cruciatu mortificati reuertentes, fatentur velint, nolint, suam inconstantiam, & malè egisse ideò aliquam salutarem pœnitentiam disciplinæ, abstinentiæ, & huiusmodi per aliquot menses merentur, habito respectu, quòd ipsi non erant Apostatæ, neque fugitiui; sed solùm quòd non seruauerunt modum in reclamando, quamuis ex hoc capite etiam veniant excusandi, & Ordinarii accusandi; ex alio capite cùm fuerint citati ex ordine Maiorum, & non comparuerint, videntur vti contumaces, & inobedientes puniendi more, & pœnis aliorum inobedientum, vnde per aliquot menses carcerari possunt, & etiam suspendi à iure præcedentiæ, & hæc omnia sunt in arbitrio Superioris Generalis.

Prædictis videtur obstare Sacrum Concilium in hac materia reclamationis illo *cap.19. sess. 25.* ibi: *Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur, ergo est Apostata, & pœnis Apostatarum debet puniri.* Dico quòd ibi Concilium non loquitur de licentiatis ab Ordinario, sed de illis, qui prætendentes suam professionem esse nullam, antequam audiantur, dimittunt habitum Religionis, responsio autem nostra est de licentiatis. Imò prædicta verba magis confirmant primum dictum nostræ responsionis, dum ante sententiam recedentem Trident. non vocat simpliciter Apostatam, sed tanquam Apostatam, particula enim (tanquam] indicat similitudinem, non veritatem, sed diminutionem eius, cui adiicitur *cap. Quoniam, §. Quod si, vt lite non contest. Graff. part.2. lib.3. cap.5. num.* 20. ergo recedentes post sententiam veniunt mitius puniendi, quam illi reputati tanquam Apostatæ quò ad pœnas.

Dices iterum, ex literis Sacræ Congreg. mandatur Ordinario, vt huiusmodi licentiatos reuocet, & procuret, vt reuertantur ad Religionem cum suo habitu, ergo sunt Apostatæ, quia hi solùm, & fugitiui reuocantur. Dico, non solùm reuocari Apostatas, & fugitiuos, sed quicumque alij, qui dimissi fuerunt contra Decreta Sacrorum Canonum, præsertim Sacri Conc. & in suis literis Sacra Congr. loquitur de iis, qui dimissi fuerunt virtute, & prætextu Breuis Vrbani VIII. & malè ratione Iudicis non competentis, & non de de aliis legitimè dimissis; & cùm in dictis literis nulla fiat mentio de Apostasia, neque de puniendis licentiatis, signum est euidens, illos non esse Apostatas, neque vt tales puniendos, sed ipsis indulgendum, cùm tota culpa redundet in Ordinarios. Ratione verò contumaciæ, quia legitimè requisiti à suis Superioribus noluerunt respondere, reuersi ad Religionem veniunt castigandi.

Petes autem hic, an huiusmodi nulliter professi, & malè licentiati incurrerint pœnas, sub quibus eos vocauerunt, & vt incurrisse declarari possint ante, vel post reuersionem, vel si erant censuræ inferendæ, post ingressum, possint Superiores eisdem illos punire ipso iure? videtur enim, quod non, quia licentiati non sunt ampliùs subditi, maximè cùm verè sint nulliter Professi.

Dico, quòd afficiuntur illis pœnis, & si erant censuræ inflictæ ipso iure, reuertentes sunt absoluendi ab illis, & dispensandi ab irregularitate, si celebrauerint;
57 non expedit tamen post reuersionem eos declarare incurrisse, si erant comminatoriæ, nè pœna medicinalis fiat in venenum. Probatur affici pœnis, quia adhuc sunt subiecti Superioribus Regularibus, sicut erant antequam licentiarentur; quod suadetur, Tum ex Trid. illo *cap.19.* ibi; *Coram Superiore suo.* Ecce quod nulliter professus est subditus Prælati Regularis, non secus ac professus verè, & illa licentia non tollit hanc subiectionem, cùm non magis sit nulliter Professus quàm ante. Tum ex literis Sacr. Congr. dum mandat Ordinariis, vt eos reuocent ad suas Religiones cum suo habitu, sicut ante; non reuocarentur autem, si non essent ampliùs subditi Religionis.

Quartum, quòd licentiati post quinquennium, vti 58
Apostatæ possint puniri, probatur, quia Ecclesia præsumit eos professos, ita quod in contrarium non admittitur oblata ab illis Probatio, quia hoc est proprium præsumptionis iuris de iure non admittentis probationem in contrarium; & super hac fundatur Trident. dum Ordinario, & Superiori limitat facultatem audiendi intra quinquennium, & non vltra, auferendo deinceps illis iurisdictionem iudicandi ex eo, quòd præsumit Papa eos ratificasse professionem. Et de hac præsumptione agit bene *Sanch. lib.7. disp.37. à n.6. ad* 18. Ergo isti licentiati ab Ordinario vti ex omni capite incompetente, & reputati pro veris Professis, vti Apostatæ retrocedentes puniendi sunt. Possunt tamen ex parte excusari, dum bona fide putabant se egredi posse ignorantes iura, & ex eo, quòd quamuis clara in Tridentino, reuocantur ab aliquibus in dubium; ignorantia autem iuris dubij apud hos Ordinarios cæcos potuit excusare licentiatos etiam pro foro externo, *Nauar. consil.4. de vsur. num.7. & consil.10. de Sepult. num.7. Sanch. lib.5. disp.13. num.13.* maximè Religiosos, *idem Nau. cit. cons.10. de Sepult. §.3. per cap. Non magno, Ne Cler. vel Mon. & cap.2. de postul. Silu. verf. Ignorantia num.16.* maximè quò ad pœnas, *Felin. in cap. Cæterum, de rescr. num.19. §. Secunda restrictio, Gratian discept. For. cap.631. n.14. & alij apud Sigism. dub.3. de elect. num.6. Sanch. lib.9. disp.32. num.29. &* 36. Quare posita hac ignorantia tam iuris, quam facti puniendi sunt pœnis salutaribus tantum.

Prædicta locum habent pro foro externo, nam in foro conscientiæ nulliter verè, & claré professus potest tuta conscientia extra manere, ita quòd neque afficitur huiusmodi pœnis siue fuerit licentiatus legitimè, siue non, etiam vltra quinquennium, quia defectus licentiandi potiùs se tenet ex parte Iudicis, quam licentiati, quia præcisis scandalo, & præiudicio aliorum, poterat licitè fugere, prætermissa etiam reclamatione, vt docent *Nau. tom.2. com.4. de Regu. num.75. in 4. aduers. Sanchez lib.2. disput.39. num.11. & disputat.15. lib.4. num.5. & lib.7. disp.37. n.11. cum quibus alij, quos citaui cap.7. de Reclam. quæst.12.*

Quæres 5. An nulliter Professus defectu loci non designati, possit postea, nullitate cognita, statim ratificare professionem in vtroque foro? Quod idem quæritur in quibuscumque aliis casibus nullitatis. Vide *resolutionem 23. quæstion. 4.*

Respond. Potest, modo impedimentum irritans non 59
sit perpetuum, vel temporale habens tractum successiuum impediendi; alia ratione non probatur nisi ex differentia operandi illorum duorum impedimentorum, quæ quoties durant semper destruunt professionem, ita quod eiusdem quoque ratificationem impediunt, & cæterorum impedimentorum temporalium non habentium tractum, nam ista suum effectum impediendi valorem professionis absoluunt in primo actu promissionis, vt latius probaui supra sub *quæst.1. §. Secundo, & contra responsionem Patris Castelli §. Sexto;* inde fit, quod cum nullum remaneat impedimentum, aut prohibitio, quod ratificetur, potest ratificari quouis tempore statim, & incontinenti post primam promissionem, exemplum sit in defectu ætatis, nam si hodie in mane primo proficiat, & post vesperas ratificet, quo tempore iam absoluit annum decimumsextum, benè, & validè ratificat. Sic hodie nulliter professus defectu loci, cras validè ratificat, quia non est maior

ratio

ratio, cur possit ratificare post quinquennium, & non ante, confirmatur in specie huius casus, quia rescripta Sacræ Congregationis ad reclamandum in hoc speciali casu etiam intra quinquennium concedebantur cum ea conditione; *Si professionem non ratificauit.* Nec dicas hoc esse illudere legem huiusmodi impedimenta statuentem, nam lex satis vtilis est, non illuditur, cum possint puniri transgressores, & ante professionem expelli Nouitij, quod sufficit legi, quæ vlterius non procedit. In impedimentis ergo perpetuis numquam cadit ratificatio ex probatis locis citatis, neque in aliis habentibus tractum successiuum, vt si profecit quis inualidè initio 16. non potest ratificare nisi in 17. Item durante metu non potest ratificare.

60 Sed quid dicendum; quando deest intentio ex parte Conuentus, vtrùm possit ratificari professio non obstante eo defectu?

Respond. Non potest, quia illa resistentia, & negatio consensus habet tractum successiuum impediens ratificationis valorem saltem intrà quinquennium. *Vide quæ dixi cap. 7. de reclamat. quæst. 38. & 39 & hic quæst. 1. §. Secundo, vers. Defectus,* vbi dixi per tolerantiam illorum inter Professos præsumi consensum tacitum, ac proinde nihil obstare ratificationi etiam ante quinquennium.

61 Capuccini, & alij Regulares diuersorum Ordinum habent Statuta prohibentia receptionem ad professionem, quando Nouitius laborat aliquo vitio, vel defectu, & quia controuertitur, an Statutum ab ipsis factum cum Decreto irritante professionem, subsistat? Id enim negant *Sanchez lib. 7. disputat. 37. num. 30. & lib. 5. cap 4. num. 73. Nauar. consil. 26. Rodriq. quæst. 10. art. 3. & tom. 3. quæst. 11. art. 11. Mirand. quæst. 19. art. 7. Compend. resolut. 101. num. 61. Portell. versic. Eiicere num. 10. & Ego cap. 3. de admiss. ad profess. quæst. 16. §. Secundum,* alij affirmant *cum Vecchio disput 4. dub. 1. num. 4.* idcircò, vt eorum Statutum habeat efficaciam, consensum præstant sub conditione, si caret tali vitio, defectu, vel morbo, ac proinde cùm is consensus sit conditionatus, conditionali non subsistente consensus nullus est, *argum. cap. Si pro te de rescr. in 6. cap. Præterea 40. de appellat.* Capuccini, inquam, habent simile Statutum, *quod refert Vecchius disputat. 13. dub. 15.* his verbis: *Qui elephantia, morbo caduco, aut alia infirmitate contagiosa afficitur, non recipiatur. Et si quis talis receptus fuerit, eo quòd interrogatus, talem infirmitatem manifestare noluerit, declaratur, Religionem ad eum retinendum minimè velle esse obligatam.* Hoc Statutum continet implicitè Decretum irritans, hoc ipso quod Religio non est obligata ad eum retinendum. Sed ipsemet *Vecchius videtur decere numero 4.* talem professionem esse nullam non vi decreti irritantis, sed defectu consensus, quem Patres solùm conditionatum præstant, & reuerà clarius est, & securius nullitatem se teneri ex defectu consensus, conditione non existente, quàm ex parte Statuti cum Decreto irritante, tum quia id non exprimitur, tum quia cum expressione irritationis controuertitur, an teneat.

Circa huiusmodi Statuta, & non præstitum consensum, nisi sub conditione, aduerto, quòd si Superiores, cognito defectu, eos statim non eiiciant, sed tolerent, posse huiusmodi sic receptos saltem post quinquennium ratificare professionem, quia per illam tolerantiam Religio præsumitur tacitè consentire, & sic tollitur impedimentum obstans ratificationi, ita quod transacto quinquennio, nec ipse exire potest, neque Religio potest illum expellere, nam quamuis Religio possit dicere, se anteà non consensisse, neque consentire velle in eius professionem, tamen Ecclesia in eo casu pro vtilitate animæ Religiosi, ipsa supplet consensum Religionis approbando, & consentiendo in eius professionem, vt in similibus defectibus consensus docet *Sanch. lib. 7. disp. 37. n. 64.* imò *Nauar. consil. 27. de regul. num. 2. & cons. 28. eod. num. 3. Graff. part. 1. lib 3. cap. 5. num. 24.* aiunt sufficere, si professio ratificetur à Nouitio absque nouo consensu ex parte Conuentus, quando prior consensus fuit nullus. Hoc igitur puto certum, post quinquennium non posse expelli, sicut nec ipsi exire pro foro externo.

Quæres 6. An egressi prætextu nullitatis professionis defectu loci non designati, à solo Ordinario dimissi, sint tuti in conscientia remanendo in seculo.

Resp. Nulliter certò, & clarè sine vlla hæsitatione professi sic dimissi à solo Ordinario sunt tuti in conscientia; non autem in foro externo. 62

Primum, quod in conscientia possint remanere in seculo, probatur, Tum quia nulliter professi nullam habent obligationem manendi in Religione, ergo licitè manere possunt in seculo, relicto habitu. Tum quia professio in hoc speciali casu; nulla est ad quemcumque effectum, vt se declarat Papa Clem. in suo Decreto §. *Receptiones*, posito initio huius resolutionis, ergo non obligat in foro Dei. Tum quia nulliter professus licitè fugere potest etiam ante reclamationem, præciso scandalo, vt tenent Doctores à me citatos in fine *quæst. 4. hic, §. Prædicta.*

Secundùm, quod non sint tuti in foro hominum, probatur, Tum ex literis allatis suprà Sacræ Congregationis, quæ mandat eos esse reuocandos. Tum quia exierant contra Sacros Canones præsertim Tridentini, ergo saltem ex hac transgressione veniunt puniendi, quod etiam probaui supra *quæst. 4. §. Dico.*

Dixi quando clara est nullitas professionis, quia in dubio, nequaquam recedere potest; quia constat de emissa professione, & solùm dubitatur de eius valore; stat ergo possessio Religiosi pro Religione, & sic cùm sit melior conditio possidentis, non potest exire priuando Religionem sua possessione, in dubio igitur professionis valoris professus egredi non potest, vt docent *Nauar. conf. 13. de regul. num. 10. Sanch. lib. 2. disp. 41. num. 32. & lib. 7. disput. 37. num. 12.*

Quæres 7. An verè nulliter professus, ac proinde licentiatus legitimè, eo quòd causam suam agitauit, & probauit coram suo Superiore, & Ordinario ambobus eiusdem loci, vbi reclamans emisit nullam professionem, si velit reuerti, teneatur Religio illum recipere? Et in receptione quomodo debeat se gerere?

Respond. Legitimè dimissum ob prædictam causam, vel quamcumque aliam, petentem iterum admitti, Religio non tenetur recipere; quamuis possit. Probatur, quia in hoc casu æquiparantur Secularibus primò petentibus admitti ad Religionem; sed horum petitionibus abnuere possunt, cùm nullum ius ad rem, neque in re habeant, ergo idem dicendum est de cupiente regredi, quia per illam sententiam legitimè datam renunciauit, & perdidit omnia iura, quæ in Religione possidere poterat, cuius ampliùs filius non est, ac si numquam fuisset illam ingressus, præsertim cùm nulla fuerit professio, quæ nullum ius illi potuit tribuere, maximè exeundo extinxit, si quod habebat: Non cogitur ergo Religio illum recipere, id tamen est in eius potestate, si habeat requisita ad ingressum necessaria, vnde & nouus Monasterij consensus requiritur, cùm sit in potestate Prælati, & Monasterij simul eum recipere, & non recipere. 63

Dato igitur, quòd recipiatur, restat videre quomodo Religio debeat illum recipere, & dubitatur, I. An recipiendæ sint informationes de illo, sicut si numquam aliàs fuisset ingressus? II. An debeat renouitiare? III. An denuo professionem emittere debeat? IV. An debeat sedere iuxta secundam professionem? V. An statim acquirat ea omnia iura, quæ poterat habere, quando primò erat professus?

Primò, loquendo de informationibus iuxta mentem Sixti V. non sunt recipiendæ in rigore, maximè si vixit in habitu Clericali, ratione Ordinis, quia Constitutio eius loquitur de merè Secularibus. Quòd si abfuit per 64

plures annos, cùm potuerit fieri criminosus, & obnoxius debitis, & latrociniis, si vixit in habitu seculari, petendæ sunt informationes. Aliàs si cognoscitur vir bonus, & laudabiliter vixisse, nil de his requirendum est.

65 Secundò, non tenetur renouitiare, probatur, Tum quia experimentum probationis iam aliàs habuit effectum ex parte vtrinsque: Tum quia eiectus regressus iterum non probatur, *Rodr. quæst.* 30. *artic* 29. *Sanch. libr.* 6. *cap.* 9. *num.* 33. ergo neque dimissus, cùm maior sit dubitatio in eiecto, quàm in dimisso, peior enim reputatur eiectus, quam dimissus, qui licitè vsus fuit sua libertate, Hoc latiùs probaui *cap.* 4. *de Nouitiatu quæst.* 36. Vbi aduerti posse Superiores reuertentem probare per aliquod tempus, maximè si plures annos abfuit, & longè, vti per sex, aut octo annos, vt ibi probaui rationibus §. *Quamuis*, Vbi nimis rigorosè loquutus sum contra malè egressos, persoadendo, hos posse cogi ad Nouitiatum, si velint ingredi, & abfuerint per notabile tempus, id est per annum. Sed quia infrà *quæst.* 8. probabo, Religionem teneri eosdem reuocare, & acceptare vt suos Religiosos, sicut erant ante, ideò non est æquum, eosdem iterum probare per Nouitiatum, sicut nec legitimè licentiatos, vt illud probo latius infrà *quæst.* 14.

66 Tertiò, certum est reuertentem teneri emittere de nouo professionem solemniter, ac si esset primò Nouitius, quia prior fuit nulla, & per recessum legitimum omninò euanuit, si quem poterat habere effectum, Sellius citandus. Hæc autem professio dici nullatenus potest ratificatio prioris antiquæ, quia illa ita extincta omninò fuit, & abolita, vt ratificatio dari non possit, quæ solùm refertur ad actum nullum, nondum validè derelictum.

67 Quartò, debet sedere iuxta secundam professionem in ordine, ac si nunquam aliàs Religionem fuisset ingressus, *refert Sellius in Selectis Canon. cap.* 18. *n.* 3. *decisum* 1. *Februarij* 1631. *apud Barbosam ad cap.* 15. *sess.* 25. *num.* 14.

68 Quintò, consequenter quò ad alia iura, & priuilegia tractandus est sicut alij, qui primò proficiunt, nam & si hæc professio de nouo facta referatur ad priorem aliàs nulliter factam, ac proinde videatur ratificatio, quæ iura mortificata facit reuiuiscere, ac si primò validè profecisset, tamen quia in casu hoc est notabilis circumstantia legitimi exitus, ratione cuius mortua, & extincta fuerunt huiusmodi iura, ideò ea de nouo acquirit iuxta nouam professionem, quæ non retrotrahitur quò ad huiusmodi iura, sicut ratificatio. Attendenda ergo sunt Statuta Religionum quid tribuant suis Professis post professionem, hoc enim idem communicandum est isti denuò professuro iuxta tempus huius professionis, cùm ad præteritum nullam habeat potentiam. Quare si ius vocis actiuæ, seu passiuæ non tribuatur Professo, nisi post tot annos à die professionis, reuersus hoc iure non potest vti nisi post illud tempus numerandum à recenti professione, facilè tamen dispensari potest à Superiore. Item is non potest esse Magister Nouitiorum, nisi post decennium ab hac noua professione. Sic discurre de singulis. Si erat Magister in ordine remanet sospensus, nisi restituatur à Generali, & amisit iura præcedendi inter magistros, & inferiores Sacerdotes.

Quæres 8. An nulliter Professos non legitimè egressos, vt quia dimissi fuerunt à solo Ordinario, vel etiam à Superiore, & Ordinario, sed non eius loci, vbi ipsi profecerunt, reuertentes teneantur Superiores recipere.

69 Respond. Tenentur. Tum quia adhuc sunt subditi, & reputari filij, donec legitimè secundum determinationem Sacrorum Canonum, præsertim Tridentini dimittantur, ergo reuersi debent recipi exemplo Patris familias, qui benignè recepit filium suum, statim illum induendo prima stolâ, annulo, & calceamentis, Lucæ 15. Neque murmurent, & conquerantur alij Fratres, dicentes non mereri talem receptionem, sed omninò esse repellendum, quia contra voluntatem Superiorum recessit; siquidem potest illis responderi, quod dixit Paterfamilias filio suo maiori: *Fili mi tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Nulla igitur est occasio murmurandi, cùm agatur de salute proprij Fratris. Tum quia illa sententia, vti nulla, non potuit eximere hos licentiatos à iuridictione, & subiectione, quam habebant ad suos Superiores Regulares, ergo sicut Superiores adhuc retinent ius super illos, ita & ex aduerso licentiati non legitimè, adhuc ius habent faciendi se recipere vti filij Religionis: Antecedens roboratur; & quia sententia à non iudice lata est nulla, *cap.* 4. *de Iudic. ibi glos. per cap. In primis*, §. *De persona* 2. *quæst.* 1. *cap. Ad audientiam, de consuetud. l. fin. C. si non à compet. Iudic.* & quia sententia lata contra iura est nulla *cap.* 1. *de sent. & re iud. l. Prolatam C. de sent. & interloc. omn. Iud.* & sententia nulla nullum parit effectum, *l.* 4. §. *Condemnatum ff. de re iud. Nau tom.* 4. *in cap. Cùm contingat, de rescript. remed.* 3. *Megal. lib.* 7. *de cens. cap.* 2. *num.* 67. neque enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur suum effectum, *Reg.* 52. *in* 6. Notum autem est apud Sapientes, Ordinarium per se solùm non posse licentiare nulliter professos ex. cap. 19. sess. 25. Neque obstat dicere, quod res iudicata pro veritate habetur, *l. Si non sortem*, §. *Haredi ff. de condict. indebit.* ac proinde sententiam, quæ transiuit in rem iudicatam, præsumi iustè latam, *cap. In præsentia, de renunc. l. Herennius*, §. *Cata ff. de vsur.* Nam dico, sententiam nullam non transire in rem iudicatam, *ex Magon. Lucensi decis.* 62. *num.* 15. *Surd. consil.* 61. *num.* 53. *Mar. Anton. libr.* 1. *resol.* 77. *num.* 14. *& resolut.* 109. *num.* 3. *&* 4. neque parit exceptionem rei iudicatæ, *l.* 4. §. *Condemnatum ff. de re iudic*, cum sententia nulla non sit sententia *l. fin. C. de sent. ex breuil. recit. Clem. Pastoralis* §. *vt igitur, de re iud.* maximè cùm sententia est notoriè nulla, & iniusta, quæ nunquam transit in rem iudicatam, *Surd. decis.* 260. *num.* 30. *Mar. Anton. libr.* 1. *resolut.* 57. *num.* 4. quia iniustitiæ notoria æquiparatur notoriæ nullitati ex citatis ab eodem *Mario resolut.* 77. *num.* 13. has limitationes cum Doctoribus refert *Barbosa lit. R. num.* 21. in suis locis communibus.

Probatur responsio 2. quia Apostatæ non solum debent recipi si veniant, sed etiam sunt requirendi à Prælatis Regularib. *cap. fin. de Regul. Rodriq. quæst.* 30. *art.* 5. 6. *&* 10. *cum suo Compen. resolut.* 11. *de Apostat. num.* 4. *&* 8. *Mirand. quæst.* 51. *art.* 3. 4. *&* 5. Sed sic malè licentiati, licèt verè non sint Apostatæ, tamen aliquam illorum speciem præseferunt, maximè dimissi post quinquennium, qui possunt puniri pœnis Apostatarum, vt probaui suprà hic *quæst.* 4. §. 4. ergo & isti recipiendi sunt, maximè cùm minor sit error istorum egressorum, quàm Apostatarum. Imò *Aloysius Riccius in decis. Curia Archiepiscopal. Neapolit. asserit par.* 4. *dec.* 84. nulliter professos non posse sine crimine apostatiæ ad seculum redire.

Probatur 3. quia legitimè eiecti à Religione, postea requirendi sunt, & recipiendi, cognita eorum emendatione cùm spe maioris frugi ex *cap. final. de Regul.* quod ad huiusmodi eiectos voluit extendi Sanctissimus Vrbanus in Decretis *de Regular. Apostat. & Eiectis*, §. *Ac postremò*, ergo multò magis recipiendi sunt isti licentiati, qui præsumuntur melioris conditionis, quàm eiecti,

Probatur 4. ex literis Sacræ Congregationis directis ad Vicarium Capitularem Brixiæ, & Episcopum Casalis, quibus mandat, vt dimissos quamprimùm procurent regredi ad sua claustra cum suo habitu, præstando in hoc auxilium eorum Superioribus, vt eos faciant reuerti; ecce quòd Superiores debent procurare, vt reuertantur, licèt nolint, ergo multò magis habent

habent obligationem eosdem spontè reuertentes recipiendi.

Quæres 9. An breue Sanctissimi Vrbani locum habeat in huiusmodi licentiatis malè, ad Religionem reuocatis, vel reuersis?

70 Respondet. Habet locum, ita quòd ratificata professione gaudent omnibus priuilegiis, de quibus in illo Breui, Generalis tamen non tenetur illos restituere, sicut obligatur restituere, qui permanendo in Religionem, professionem ratificauerunt, vnde illos mortificare potest per aliquod tempus, illos suspendendo ab omnibus actibus legitimis, professorum propriis, & iure præcedentiæ, &c.

Primum, quòd habeant reuersi ius ad illud Breue, probatur. Tum quia si est aliqua ratio in oppositum, maximè ille recessus per sententiam Ordinarij, ratione cuius exuendo se habitu renunciauerunt omnibus iuribus, & rationibus, seu potiùs perdiderunt, quæ habere poterant, ratificando professionem, sine illa retrocessione; sed hæc ratio obstare nullo modo potest, quia nulla sententia nullum parit effectum, *l.* 4 §. *Condemnatum, ff. de re iud. cap. Non debet* 11. *quæst.* 3. Nec præstat impedimentum, quod de iure suum non sortitur effectum, *Reg.* 52. *in* 6. imò nulla sententia caret re, & nomine sententiæ, *Clemen. Pastoralis*, §. *Vt igitur de re iudicata*, ac proinde reputatur ac si anteà numquam data fuisset, consequenter cùm hic consideranda non sit, cùm nihil sit, neque aliquid operetur, obstare non potest, quin reuersi adhuc gaudeant beneficio Breuis. Tum quia id apertè colligitur ex Breui, §. *Motu proprio*, & §. *Eosdem*, vbi vnica conditio requiritur ad fruendum priuilegiis ibi expressis, nimirum, vt prius professio denuò emittatur coram Prælato, vel alio ex ibi assignatis; & ibidem nulla sit distinctio de regressis, aut permanentibus, restringendo Breue ad permanentes, ergo neque nos distinguere debemus, secundùm vulgata iura; neque aliqua ratio nos cogit ad restringendum huiusmodi fauores ad solos perseuerantes, quia non obstante dimissione illa adhuc sunt Religiosi ratificatione egentes, sicut indigebant primò ante recessum, & sunt membra adhuc viua eiusdem Regionis, sicut erant ante, licèt adulterina, ergo, in eisdem Breue locum habet. Tum quia, licet ille mereatur priuilegium amittere, qui sibi permissa abutitur potestate, non tamen illud perdit *cap. Vbi ista* 7. *dist.* 74. *cap. Priuilegium* 60. 11. *quæst.* 3. *cap. Licet quibusdam* 18. *de Regul. in med. cap. Tuarum* 11. *med. de priuileg. cap. final. de pænitent. in* 6. *in fine*, nisi exprimatur argument. *c. final. de Immunit.* Sed in nostro Breui nil tale exprimitur, vt de facto perdant illius priuilegia.

Quare ea ipsa die reuertendo, professione ratificata de iure, & de facto gaudent gradibus, honoribus, dignitatibus, præeminentiis, atque habilitatibus, ac si ab initio validæ fuissent eorum professiones, nisi in pœnam expressè priuentur à Generali.

Secundum, quòd Generalis non teneatur priora iura, & priuilegia illis restituere, constat ex eo axiomate supra adducto, Priuilegium meretur amittere, qui sibi permissa abutitur potestate; sed isti recedentes abusi fuerunt Breui Sanctissimi, ergo Prælatus non tenetur priora iura restituere, sed potest illos suspendere à dictis iuribus, & posteà restituere, quando illi rationabiliter placuerit.

Obiiciunt quidam contra dictam responsionem præsertim quo ad iura præcedentiæ, & electionis. I. Quia vera professio & non inualida tribuit ius præcedentiæ. II. Neque ratificatione tribuitur ius antiquum præcedendi *c. Significatũ, c. Cum virũ, de Regul.* vbi dicitur, professionem aliàs nulla ratificatione conualescere prout ex nunc, non prout ex tunc, idest non retrotrahitur ad primam professionem. III. Reuersus à secunda Religione ad priorem sedet secundùm nouam professionem, quam facit in sua priori Religione, *decisum cap. Mandamus* 19. *quæst.* 3. *relato cap.* 12. de ætate, ergo multò magis sedere debet vltimo loco à seculo reuersus ad Religionem, in qua alias profecit nulliter, IV. Esto ratificans professionem non dicatur amittere præcedentiam antiquam, tamen licentiatus regrediendo non dicitur ratificare, sed primò profiteri, ergo sedet vltimo loco. V. Decisio clara est apud *Sellium in Selectis Canon. cap.* 18. *num.* 3. *sub die* 1. *Febr.* 1631. *referente Barbosa ad cap.* 15. *sess.* 25. *num.* 14. quòd Religioso nulliter professu, in habitu clericali laudabiliter viuendo, si posteà redeat ad Religionem à die professionis ratificatæ deberur locus. VI. quod isti careant iure electionis, suadetur ex eo, quòd non expedit eligere huiusmodi Religiosos, cùm sint parum prudentes, & inconstantes, & eorum gesta quando sunt Prælati ab aliis trahuntur in exemplum, cap. Magnæ de voto, ideò quòd aliis prohibent, facere non debent, arg. cap. Cum desideres, de sent. excom.

Sed quòd fruantur præcedentia antiquiore de iure non obstante recessu, suadetur ex supradictis rationibus pro responsione ad quæstionem, quia adhuc censentur Fratres, sicut ante recessum per sententiam, quæ vti nulla non potuit infirmare illorum iura antecedentia. Confirmatur à simili, imò potiori ratione, expulsorum, qui redeuntes habent locum antiquum iuxta suam professionem, licèt ob demerita priuari possint à suis Superioribus, *Sanch. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 35. Damnatorum ad triremes, *Peyrin. tom.* 1. *Relig. quæst.* 1. *cap.* 37. *conclus.* 8. *quod repetit tom.* 3. *priuileg. cap.* 2. *n.* 33. & Apostatarum, & tamen isti extra Religionem fuerunt non secus ac licentiati, & melioris sunt conditionis licentiati, quam alio modo extra viuentes, ergo sicut illi, isti non sunt de iure priuati iuribus præcedentiæ, quamuis à supremo Superiore mortificari possint in hoc.

Respondetur ad obiecta. Ad primum, non solùm veram professionem, sed etiam nullam modò ratificetur, hoc ius tribuere, nam ratificatio est quædam species rati habitionis, quæ retrotrahitur, & comparatur mandato, ac si ab initio tenuisset, vt pluribus probaui *cap.* 5. *de Effectibus Profess. quæst.* 50. *vbi citaui Nauar. consil.* 27. *de Regular. Graff. tom.* 1. *consil.* 6. *de Regul. in fine, Rodr. tom* 3. *q.* 17. *art.* 3. *in fine, Sanch. ex parte lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 68. *Scrofam in suo libello de Inualid. profess. dub.* 18. *Vecchium disput.* 14. *dub.* 8. *cum Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 34. *Bonac. quæst.* 2. *p.* 10. *de Clausur. diff.* 1. *num.* 6. Ad secundum dico, professionis ratificationem ibi negari retrotrahi quò ad valorem, non verò quoad suos effectus, & iura, quæ ratificantibus prodesse possunt, vt colligitur ex *gloss. vers. Ratum habuerit citati, cap. Significatum, de Regul.* Ad tertium, ideò reuersus à secunda Religione, in qua profecerat, ad priorem, sedet vltimo loco, quia per professionem in secunda, extincta omninò, & annullata fuerunt iura, tam potentia, quàm actu, quæ habebat in priori Religione, ideò tanquam homo nouus sedet iuxta nouam professionem; malè autem dimissus nullum ius amisit, sed adhuc remansit Religiosus, vt priùs, in eodem statu, in quo erat ante recessum, licèt deteriorato. Ad quartum dico, reuertentem non dici primò profiteri, cùm aliàs ibidem profecerit, ille enim dicitur primus actus, quem nullus antecessit, *l. Ex duobus, ff. de vulgar. Bald. in Rubr. ad finem, C. de seruis fugit. apud Grilenz. consil.* 50. *num.* 10. Sed propriè dicitur secundò profiteri, & priorem professionem nullam conualidare. Ad quintum, illa decisio est contra illos, qui legitimè licentiati fuerunt, vt colligitur ex illa clausula: *In habitu clericali laudabiliter vixit.* Malè enim licentiatus non dicitur laudabiliter viuere extra. Ad sextum, non carere iure electionis, validè enim professus statim habet ius ad electionem tam actiuam, quàm passiuam de iure communi, *cap. Ex eo, quod* 32. §. *fin. de election. in* 6. quoad electionem actiuam, quoad passiuam *cap. Cum in Magistrum* 49. *de elect. cap. Nullus* 28. *eodem in* 6. *Clement.*

Nè

Nè in agro, §. *Caeterum*, *de statu Monach.* Et quisque facta professione est eligibilis, docet *Lezana in sua Sum. quaest. Regul. capit. 18. num. 9. ex Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 3. num. 16. ex Nauar. Rodriq. tom. 2 quaest. 51. art. 13.* Dixi, eligibilis, quia actu non omnis professus potest eligi, sed ille, qui habet talem aetatem, talia requisita, &c. Quòd si Religio aliqua habeat statutum, vt ad vocem quis professus non admittatur nisi post biennium, vel quinquennium à die professionis, quamuis intelligatur à die verae professionis, quia sola vera professio ius tribuit vocis, vt probaui suprà hic *quaest.* 2. §. *Electionis*, tamen posita ratificatione, hoc ius retrotrahitur, ita quod in voce attenditur prima professio, sicut in iure praecedentiae, & ita dic de singulis. Hinc est quòd in mea Religione, vbi viget haec consuetudo, vt professus non vtatur, nisi post biennium, reuertentes ratificata professione, statim possunt dare, & recipere vocem, non expectando biennium, quia illud recenseur respectiuè ad priorem professionem, licet nullam. Adducta denique inconstantia, imprudentia, & malum exemplum, quòd licentiatus dedit, recedendo à Religione, non sunt causae inhabilitantes reuersum, quin possit vtraque voce gaudere

71 Quaeres 10. Ponamus casum, quòd huiusmodi licentiati malè, non possint gaudere priuilegio Breuis, & amiserint omnia iura, quae poterant habere, si remansissent, si reuertantur, an Pater saltem Generalis possit ea illis communicare, retrotrahendo ad tempus inualidae professionis; Et videtur non habere hanc potestatem. Tum quia non potest illos restituere, nisi mediante Breui, quo non gaudent ex facta suppositione, aliter si posset, frustrà esset priuilegium, frustrà enim conceditur specialiter, quod iure communi est concessum, *l. ad municip. l. Imperatores, ff. de priuil. cred. Surd. decis. 173. num. 18.* Tum quia licet ratificatio retrotrahatur ad tempus actus gesti *l. licet, ff. de iudic. l. fin. C. ad Macedon. reg. ratihabitio in 6.* tamen ista ratio non procedit, quando agitur de praeiuditio tertij, licet aliud sit quando tractatur de solo ratificantis damno, *Glos. & Ioan. Andr. in cit. cap. Ratihabitio, glos. Bart. Bald. in l. Aliena res, ff. de pignor. act. quos Doctores, & alia iura allegant Tiraq. de retractu consang. §. 7. Glos. 10. n. 66. Cacher. in decis. Pedemont. 119. num. 25.* Sed in casu hoc agitur de damno eorum, qui legitimè professi sunt, ergo ratificatio non debet illis nocere, ac proinde retrotrahi non debet, sed solum sustineri prout ex nunc. Tum quia quando actus est omninò nullus, tunc ratificatio sustinetur vt nunc, non autem retrotrahitur ad tempus actus nulliter gesti, *Bart. in l. Obseruare, ff. de off. Procons. Ruin. vol. 3. consil. 72. à num. 10. Natta consil. 262. à num. 10. Cacher. cit. num. 26.* Sed illa professio defectu loci non designati fuit omninò nulla, & pro tali ab ipsomet Clem. declaratur, vt habes eius expressa verba initio huius resolut. §. Receptiones, ergo non potest Pater Generalis propria authoritate restituere huiusmodi reuersos retrotrahendo eorum ratificationem ad tempus, quo priorem professionem nulliter emiserunt, maximè quoad iura praecedentiae, cum hoc directè praeiudicet aliis. His non obstantibus.

Respondeo, Pater Generalis denuò recipiendo professionem, de quo non dubitatur, de iure communi, restituere potest huiusmodi reuersos, quamuis neque ius imperfectum haberent ad huiusmodi restitutionem, ita quod ratificata professione, ipso iure, ratificatio quo ad suos effectus retrotrahitur ad tempus prioris professionis nulliter emissae, ac si ab initio tenuisset, in ordine ad omnia iura, quae tunc potuisset habere, si verè professisset, Probatur, Tum quia ratihabitio retrotrahitur ad tempus actus gesti. *Reg. 10. in 6. l. Licet, de iudic. l. fin. C. Ad Maced.* ergo reuersi ratificando professionem de iure se referunt ad priorem actum, ac si illum validè ab initio egissent, consequenter ius praecedentiae, quamuis ante ratihabitionem esset nullum, posita ratificatione conualescit prout ex tunc, Neque valet effugium, quod sit noua professio, & non ratificatio, quia cum sint vnum idem, parum refert eam vocare nouam professionem, aut ratificationem, quia vterque actus sine dubio refertur ad priorē nulliter factam, & professio dici non potest noua, nisi relatiuè ad veterem, cum igitur constet de re, de verbis curandum non est, *ex cap. in tantum. 36. ibi, Nomen denariorum variant de Simon.* Tum quia sicut per subsequens matrimonium legitimantur filij nati ante illud, inter personas solutas, ac si ab initio legitimi fuissent, ita quod ex tunc succedunt in iuribus paternis, ac si legitimi ab initio fuissent *c. 1. & c. Tanta est*, qui filij sint legitimi; ita professus inualidè dicitur filius illegitimus religionis, qui per subsequentem ratificationem legitimatur, & validè profitetur, ac si ab initio fuisset verus religionis filius succedens in omnia religionis iura, sicut succedit filius naturalis per subsequens matrimonium. Tum quia sicut nati ex matrimonio nullà bona fide contracto, legitimantur de iure, ratificato matrimonio per nouum consensum, & approbationem Ecclesiae, quod retrotrahitur quo ad iura successionis, ac si ab initio validum fuisset, per *cap. 2. & cap. quod nobis*, qui filij sint legitimi. *Tabien. ver. Filius, num. 6. Sanch. libr. 3. disp. 42. & 43.* ita & filij religionis ex matrimonio spirituali nullae professionis reputari debent legitimi, quo ad iura, quae ab initio verè professis competunt, per subsequentem ratificationem, Consequentia vtriusque argumenti patet ex eo, quod tenet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, quod est professio, vt *docet Euer. in hoc loco à matrimonio carnali ad spirituale, Vecchius Capuec. disp. 12. dub. 1. num. 6. vbi iura, & Doctores citat.* Tum quia contractus à minori factus sine decreto iudicis nullus est, tamen si factus maior per quadriennium illum ratum habuerit, fiet validus, & retrotrahetur ad tempus praeteritum, ac si ab initio tenuisset *l. fin. §. 1. C. si maior factus*, ergo idem dicendum est de ratificante professionem, quod illam retrotrahat ad priorem actum, quo ad suos effectus, & iura; tenet consequentia, quia professio est quidam contractus, *Nauar. consil 26. de regul. num. 1. Rodriq. tom. 2. quaest. 15. art. 12. §. Circa eamdem, Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 62.* Concluditur ergo ex his, nulliter professum per superuenientem ratificationem retrotrahere eam ad priorem actum, ac si ab initio tenuisset, quo ad omnia iura, ac proinde etiam quo ad praecedentiam, ideò Pater Generalis in casu nostro acceptando per se, vel per alium ratificationem horum reuersorum, de iure consequenter restituit omnia iura, & praecedentiam, quam habuissent initio primae professionis, si tenuisset. Nec obstat recessus à Religione, quia vti, nullus nullum producere potest effectum contra huiusmodi, sicut neque producit recessus per condemnationem ad triremes, vel per expulsionem, aut Apostasiam, ratione quorum recessuum redientes non amiserunt sua iura praecedentiae, sed adhuc retinent, ergo à fortiori reuertentes per ratificationem restituuntur, eo recessu inualido non obstante.

Ad obiecta respondeo. Ad primum, Generalem restituere de iure virtute ratificationis, quae hoc proprium habet, vt referatur ad actum prius gestum, se retrahendo ad illum, ac si esset ab initio validè factus, ex probatis; neque inde sequitur, quod Breue fuerit inutile, si aliàs de iure communi restitui possent, quia Papa concedit quandoque aliquid, quod iam iure communi est concessum, *glos. in cap. Vt debitus honor 59. de appell. vers. Ante sententiam, per cap. Et si Clericus 26. propè finem de iureiur. iuncta glosa fin. ibidem*, solet enim plus timeri, quod singulariter conceditur, *cap. Quamquam 6. distinct 24.* & id fit ad tollendas controuersias, & pro extinguendis scrupulis. *Nau. apud Portellum part. 1. suorum respons. casu 15. num. 1. Sigism. de elect. dub. 55. num. 8.* Ad secundum, quod non fiat re-

tractio

tractio in præiudicium tertij, sed ratificatio sustineatur prout ex nunc, per iura ibi allegata, habet locum, quando ratificatio non conceditur homini à lege, vt conceditur in casu ratificationis professionis, quæ iure communi cõceditur nulliter professis, *c.1.de iis, quæ vi, c. Significatũ, c. Cum virũ, de regul. & c.1. eod. in 6.* & hanc responsionem dat *Doct. Marta in libello de inualid. profess. Scrofa. dub. 18. §. Sed istis,* quæ iura, Doctores à me superius citata, sibi obiecerat idē Marta in simili casu de ratificante professionem, cui debetur locus antiquus de iure ratificationis, & ibi reddit rationem, cur per legem potest retrotrahi, & non virtute hominis, quia homo non potest fingere, actum nullum fuisse validum ab initio, sicut fingit lex *per l. Cum his statut. ff. de donat. inter vir. & vxor. l. 2. C. si quis alteri, vel sibi.* Idem dic ad tertium, neque huiusmodi restitutio præcedentiæ aliis præiudicat, cum de iure illi debeatur, ad quam habebat ius saltem imperfectum, perfectum effectum per ratificationem, cui nemo contradicere potest.

Quæres 11. An Pater Generalis, vel alius eius commissione recipiendo professionem horum nulliter professorum, & similium, nulla facta mentione de restitutione iurium, quæ habuissent ab initio, si valida fuisset professio, intelligantur restituti de iure.

72 Resp. Intelliguntur restitui ad omnia illa iura, de quibus in Breui Vrbani VIII. Probatur, Tum ex mox dictis de ratihabitione, cuius proprietas est, vt retrotrahatur ad tempus actus nulliter gesti, licèt non quò ad valorem, tamen quò ad suos effectus, ergo nulla facta mentione de huiusmodi effectibus in ratificatione professionis intelliguntur retrotrahi virtute ratificationis. Tum quia licèt Breue dicat, vt recipientes eos ad professionem restituant, ac restituto eo ipso esse, & censeri declarent ea authoritate Pontificia, quasi restitutio de iure non consequatur ratificationem a tamen sine dubio intelliguntur restitui, quia verba Breuis referuntur ad declarationem talis restitutionis in foro externo, & mandat Papa eosdem restitui, seu potius declarari restitutos ad euitandas lites, vt probaui *cap. 6. de ratificat. q. 26. & quæst. 29.* vbi de contractibus citaui *Riccium in decis. Curiæ Neapol. part. 4. decis. 146. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 16. apud Barbosam ad cap. 16. sess. 25. num. 18.*

Infertur ea dictis in hoc, & præcedentibus quæsitis redeuntem ad religionem malè dimissum, professione ratificata in manu Superioris, posse vti voce actiua, & passiua, habere sessionem iuxta tempus antiquæ professionis nullæ, gaudere adhuc priuilegiis Doctoratus, Lectoratus, &c. & posse prosequi audire sacramentaliter confessiones, sicut si nunquam recessisset à Religione, & fuisset aliàs verus religiosus; similiter habere executionem ordinum susceptorum, & promoueri posse ad alios suscipiendos seruatis seruandis. Hæc & similia locum habent de iure, modò superior recipiens expresè huiusmodi iura consequentia in pœnam inconstantiæ, & contumaciæ præteritæ non auferat ab huiusmodi ingressis.

Dices, mutatione personæ, mutatur priuilegium, *l. Licitatio, §. fin. ff. de publ. vnde Grilenz. conf. 69. nu. 3.* ait, quod mutata conditione personæ, & status rei mutatur per *l. 1. C. de impon. lucr.* ergo cum isti egressi per sententiam mutauerint conditionem personæ, quia de religiosis effecti sunt seculares, in eisdem mutatus etiam fuit status rei, & priuilegij, ac proinde quamuis reuertantur, imò & ratificent professionem non intelliguntur restitui, sed egent noua, & & positiua gratia Superioris, maximè in materia Sacramentalis Absolutionis, cuius iurisdictio penitùs extincta fuit per mutationem habitus, ergo ratificatione professionis non potuerunt de iure conualescere, & quasi reuiuiscere, nisi per positiuam, & formalem concessionem factam de nouo, quia semel extinctum non amplius reuiuiscit, *ex cap. Si illic 29. 23. quæst. 4. cap. Quæris 127. distinct. 4. de consecr. ex glos. versic. Contrahatur glos. fin. cap. Cum cessante 60. de appell.* Confirmatur, quia persona magis spectatur ratione qualitatis, & dignitatis, quam personæ, *leg. pen. ff. de reb. dub. Nauar. consil. de procur.*

Respondeo, illam mutationem fuisse nullam, ac proinde nullum effectum produxisse in præiudicium horum reuersorum, *l. Non putauit, §. Non quæris. ff. de bonor. possess. contr. l. fin. C. de sent. ex breuil. recit. cap. Illud de surrepatr.* & paria sunt nullum esse, vel esse sine effectu *Surd. decis. 51. num. 21. & 22. Mar. Anton. lib. 1. resol. 61. num. 24.* & sicut quod nullum est, ius aliquod tribuere potest, *Rota Roman. apud Farin. tom. 2. part. 1, decis. 572. num. 9.* ita è contra neque auferre, ergo ex illa mutatione status Religiosi in statum Clerici, cùm fuerit nulla, non potuit oriri aliquod ius præiudiciale reuerso, neque auferri ius si quod habebat, aut impedire eius retrotractionem per illam mutationem. Neque fuerunt extincta priuilegia, aut quæcumque alia iura sibi habebat per illam retrocessionem, sed tantum suspensa; suppono autem, quod probaui sub *quæst. 2. §. 10.* inualidè professum, tunc etiam ante ratificationem posse validè acquirere aliqua iura, & facultates, ac proindè per exitum illegitimum ea suspendi tantùm, & reuertendo per ratificationem eadem reuiuiscere, cum fuerunt tantùm suspensa, & non simpliciter extincta.

Quæres 12. An ista restitutio in pristinum statum per Breue referatur etiam ad prælaturas, dignitates, & honores, respectu etiam malè egressorum si reuertantur? e.g. in Religionibus sunt aliqui gradus perpetui, vt Prioratus perpetui, Definitoratus, Paternitates, gradus Prædicatoris, Lectoris, Magistri, &c.

Respondeo, Nulli est dubium perseuerantes in Religione restituendos esse, imò verius relinquendos esse in suis honoribus, & gradibus posita ratificatione, quia ita colligitur ea Breui, & ratificatio habet hoc ea sua legali conditione ex probatis suprà *quæst 10. & 11.* Difficultas solius egressorum est, & de istis dico adhuc restitui ex posita ratificatione, nisi superior expresè neget illis hanc restitutionem, quod facere potest, ob eorum inconstantiam, & contumaciam nolendo obedire, quando vocati fuerunt ad Religionem; Non possunt verò restitui, quando in eorum locum alij sunt substituti formaliter, quia ratio dictat, vt de nouo electi, & honrati non remoueantur, cum nulla subsit culpa, neque causa, sed reuersi sibi imputent, si non possunt restitui. Quòd si tam permanentes, quàm reuersi nolint ratificare professionem, sunt deiiciendi à suis honoribus, & gradibus, & cogendi ad profitendum denuò, vt probaui hic *sub q. 2. §. 16.* 73

Quæres 13. An ad ratificandam professionem nullam tam in hoc casu, quàm aliis necessarius sit nouus Monasterij consensus, tàm respectu permanentium, quam reuersorum? Videtur quod sic I. quia ita colligitur ea Breui ibi, *Seruatis alias seruandis*, inter quæ seruanda numeratur nouus consensus Monasterij, ergo is requirendus est, & si requiritur in iis, qui remanserunt in vocatione, eò magis respectu illorum, qui ab ea recedere tentauerunt. II. Nouitius in casu nostro erat inhabilis ad profitendum, eò quod præmisit Nouitiatum, in loco non designato, vel ante legitimam ætatem, vel ante perfectum Nouitiatum, in his & similibus casibus, sicut nullus est consensus ipsius nulliter profitentis, ita & consensus conuentus, à pari de matrimonio clandestino nullo, & inhabilitate personarum, quod ad sui ratificationem requirit vtriusque contrahentis nouum consensum, vt videre apud Sanch. *lib. 2. disp. 35.* III. Decretum Clem. relatum initio huius Consilij annullat huiusmodi receptiones extra locum designatum, & vt tales ibi declarat §. Receptiones; ergo requiritur nouus consensus ex parte conuentus. Doctores sequentes hanc opinionem distinguunt duplicem defectum irritantem consensum, nam aliquis irritans 74

solum

solum ex parte profitentis, non se extendendo ad destructionem consensus conuentus, cum nimirum est habilis, sed consensus est fictus, ac proindè nullus, item cum præstatur consensus ob metum grauem, in his duobus casibus sufficit ad veram ratificationem nouus consensus solius ratificantis, quia in vtroque casu respectu matrimonij sufficit renouatio consensus, ex parte fingentis, vel metuentis, docent probabilius *Nauar. cap. 22. num. 51. Angel. verb. Matrim. 3. imp. 11. num. 1. Siluest. Matrim. 8. quæst. 11 dict. 4. quos & alios vide apud Sanch. lib. 2. disp. 32. num. 9.* ergo dicendum est idem de matrimonio spirituali professionis, vt infert idem *Sanch. num. 14.* in prædictis duobus casibus, & ita tenent cum eo ibi *Emanuel Rodr. part. 2. Summ. cap 92. num. 5. quem etiam citat cum aliis lib. 7. disput. 37. num. 60. & 61. Nau. consil. 50. num. 1. loquendo de metu.* Alter defectus, qui non solum irritat consensum profitentis, sed etiam conuentus admittentis, est, quando profiens est inhabilis ex eo quod irritatur à lege attentata professio, exempla affert *Sanch. lib. 2. disp. 35. num. 4. & lib. 7. disp. 37. num. 62.* & si Nouitius profiteatur inexpleto Nouitiatu, vel ante legitimam ætatem, vel contra formam Constitutionum Sixti V. & Greg. XIII. Professio nulla ex impedimentis ad tempus, vt inexpleto Nouitiatu, vel ante legitimam ætatem, ratificatur per solum consensum profitentis, docent *Nau. consil. 27. de regul. n. 1: & consil. 28. num. 3. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 24. Silu. ver. Religio, 5. quæst. 2. in fine,* vbi ait furiosum, sublata furia ratificare posse professionem etiam sine nouo consensu conuentus, qui ignorauit eius dafectum, *Zanard. in suo directorio Theol. part. 2. cap. 26. num. 12. Sorb. ver. Nouitius not. 4. apud Vecchium disput. 14. dub. 4. num 4. §. Partem, Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. num. 63. quos, & alios citat Barbosa ad cap. 19. sess. 25. num. 18. Bonac. quæst. 2. de claus. part 10. diff. 1 num. 4. alios citat Compend. resol. 101. num. 46. in fine, alios cumulat. Scrofa dub. 9. num. 9. §. Probatur, loquendo de defectu ætatis, demum ipsemet Sanch. lib. 7. disp. 37. n. 64.* ait hanc assertionem esse probabilem, & tutam in praxi.

Oppositum probabilius tenet ipsemet *Sanch. lib. 2. disp. 35. num 4. Azor. lib. 12. cap. 4. quæst. 7. quem citat Sanch. lib. 7. disput. 37. num. 63. Rodr. tom. 3. quæst. 27. art. 3. Suar. tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 2. num. 20. quos citando sequitur Vecchius disput. 14. dub. 4. num. 4.* Rationes pro ipsis sunt superius allatæ.

Respondeo, Quouis modo professio sit nulla siue ex ficto consenso, vel ob metum grauem, siue ex inhabilitate ipsius profitentis, non requiritur nouus consensus ex parte Monasterij, sed sufficit primò præstitus siue infrà, siue extrà quinquennium; si autem non fuit præstitus, requiritur; dicta autem procedunt etiam pro foro externo.

Primum, quod non requiratur consensus nouus licet profitens fuerit aliàs inhabilis, Probatur, Tum, quia ita de consensu ob metum colligitur *ex cap. 1. de iis. quæ vi,* & de furioso, *cap. Sicut tenor 15. de regul.* & de ætate non legitima *cap. Significatum. 2. & cap. Cum virum 12. eod. & in 6.* in quibus locis ratificatur professio per solum consensum nulliter professi, nulla facta mentione, quod religio debeat de nouo consentire, & tamen defectus ætatis dicitur inhabilitata nouitium ad professionam, ergo defectus inhabilitans non requirit nouum consensum conuentus in ratificatione. Tum quia minor potest ratum habera contractum, quem fecit sub minori ætate absque nouo consensu alterius contrahentis, *l. 1. C. si maior factus. Alexand. vol. 5. consil. 117. num. 1. Gabriel tit. de Minor. concl. 4. num. 2.* Tum quia receptio facta de nouitius, & consensus præstitus in professione est absolutus, & non conditionatus, si nouitius est habilis ad profitendum, ergo inhabilitas non potest nocere consēsui, quia fit verus, licet illicitus. Tum in casu nostro, quia in Decreto Clem. licet irritetur professio, non tamen consensus Monasterij in professionem, cum ibi nulla mentio fit de huiusmodi consensu, odiuta enim asserenda non sunt, nisi exprimantur, neque lex præsumitur irritare vnum, licèt alterum annullet, maximè quando quod irritatur est posterius, vt professio, sine qua potest stare consensus vti prior, quod sine posteriori stare potest, igitur consensus etiam in casu nostro fuit validus, ac proindè cum præsumatur non reuocatus nihil prohibet adhuc perseuerare. Nec obstat renitentia aliquorum, qui resistunt huiusmodi ratificationi, quia hæc resistentia est irrationabilis, & contra mentem Papæ, cuius mens est, vt maneant in priori vocatione, præter quamquod non tollitur prior consensus, cum forsan ab aliis præstitus fuerit. Tum quia arduum est habere à Religione de nouo huiusmodi consensum, vt experientia constat obloquentium procurantium, vt non recipiantur denuò egressi. Tum quia dato, quod requireretur nouus consensus, is habetur iure communi in citatis capitibus, Papa enim, & Ecclesia illum supplent tam pro bono communi Religionis, quam nulliter profitentium, ne litigia, & odia excitentur, & dicitur consensus legalis, seu iuridicus, & de hoc benè *Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 64.* & cum ibi non distinguat infrà quinquennium, nec vltrà, procedit eius dictum in vtroque casu. Tum quia potissima aduersariorū ratio in eo consistit, quod consensus à conuentu præstitus pro persona inhabili sit nullus, quod tamen falsum est, quod suadeo; & quia licèt cadat super personam inhabilem, non tamen in se est frustratorius, cum ex parte sua aptus fuerit ad influendum in valorem professionis, quæ fuit nulla, non ex defectu consensus, sed ex impedimento alio, vt quia profecit ante ætatem, ante finitum annum probationis, vel non præmisso nouitiatu in loco deputato, &c. & quia pro hoc consensu facit illud axioma Si non valet quod ago vt ago, valeat vt valere potest, *§. fin. instit. de adopt. Thomaset. reg. 12.* ergo si non valet pro professione, valebit pro ratificatione; & quia factum tempore inhabili, relatum ad tempus habila tenet, *l. In tempus, ff. de hæred. instit.* consensus ergo conuentus si non potest producere suū effectū in professione, cum illo tempore persona Nouitij sit inhabilis habebit suam efficaciam tempore habili, idest, tempore ratificationis, quo est habilis nulliter professus ad profitendum denuò; & quia dum Trident. *cap. 15. sess.* annullat professionem emissam inexpleto Nouitiatu, & ante legitimam ætatem, irritat præcisè illam in ordine ad ipsum profitentem, ibi: *Professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regula, vel Religionis, Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunq. effectus.* Ecce quod Decretum irritans cadit præcisè super profitentem, ergo non extenditur ad consensum conuentus, licet sit pro persona inhabili, cum enim id sit odiosum, extendendum non est vltrà proprietatem verborum, *cap. Statutum 22. de elect. in 6. & l. in pœnis, ff. de reg. iur.* & quia illicitus consensus adhuc est consensus, vt patet de consensu præstito Nouitiis contra Constitutiones Sixti V. & Greg. XIII. nam licet Clem. VIII. in sua Constit. *In suprema,* apud Quar. vers. Monasteria virorum, reduxerit ad terminos iuris illas in ordine ad valorem professionis, remansit tamen prohibitio cum suis pœnis contra Superiores recipientes Nouitios contra formam ibidem constitutam à dictis Pontificibus; & quia licentia illicita adhuc est licentia, *glos. 1. cap. Si qua 29. 27. quæst. 1.* Conuentus autem consensus in professorum est licentia, ergo licèt sit illicita relata in Nouitium inhabilem, adhuc tamen est licentia, ac proindè valida ex parte sua apta producere veram professionem, si aliud non obstet: & quia etiam respectu fictè profitentis, vel cum metu graui, consensus potest dici illicitus, si conuentus sciat Nouitium fictè, vel ob metum profiteri, & tamen in opinione omnium præsertim aduersariorum, huiusmodi præstitus consensus tenet ex se, licet ex alia causa sequatur nulla professio, ergo idem dicendum est in aliis casibus. Ex his ergò deducitur de communiori opi-

niona

nione Doctorum quos citaui supra ante responsionem, & plures alios citat *Serofa dub.9.num.9.§.Probatur*, consensum priorem sufficere ad ratificandum professionem respectu cuiuscumque defectus, & impedimenti, etiam loci non designati, quia non est maior ratio de hoc, quam de aliis, vt constat ex dictis, & responsione ad obiecta.

Secundum, quod non requiratur nouus consensus intrà, vel vltrà quinquennium, sed sufficiat antiquus, probatur, quia quouis tempore dicitur perseuerare, maximè cum in moralibus non attendatur actualis perseuerantia, sed sufficiat virtualis. Confirmatur, quia Trident. *cap.19.sess.25.* præsumit inualidè professum ratificasse suam professionem post quinquennium, absque vllo nouo consensu Monasterij, ergo ad ratificationem non requiritur nouus consensus, sed sufficit antiquus, quod de iure reuocari non potest non solum post quinquennium, sed neque infra quinquennium, sine iniuria, maximè, quando impedimentum se potius tenuit ex parte Religiosis, quàm professi, vt in casu nostro de defectu loci non designati, nulliter enim professus sublatis impedimentis habet ius, vt Conuentus illum manuteneat in illo consenso, cum vt probaui hic *quæst.5.* statim emissa professione, possit ratificare illam, nisi impediat impedimentum perpetuum, vel aliud habens tractum successiuum, Quæ procedunt, etiam dato, quod consensus antiquus esset nullus, vt volunt aduersarij, quia in eo casu Ecclesia supplet consensum Conuentus, quod potest facere, *vt docent, Sanch. lib.7. disp.37.nu.64. & cum eo Commeb. Sacram.disp.24.num.98.& cum vtroq. Serofa cit. dub.9. num.10.*

Tertium, quod ad ratificationem requiratur consensus Conuentus, si anteà nullus fuit præstitus, sed potius restitit, probaui supra *q. 6. §. sed quid*, requiri infra quinquennium, modo conuentus non taceat, tolerando Nouitium, quia censetur in hoc casu consentire, cum in eius facultate sit simul cum Prælato reiicere Nouitium reprobatum.

Quartum, quod ratificatio professionis etiam in foro externo non requirat nouum consensum Conuentus, sed sufficiat antiquus, probatur, Tum quia citata iura, *cap.1.de iis, quæ vi, cap. significatum, cap. Cum virum, de regul.& c.1.eod.in 6.* sunt pro foro externo. Tum quia rationes hactenus adductæ faciunt pro vtroque foro. Tum quia fori conscientiæ, & externi idem est iudicium, quando externum non fundatur in præsumptione, *Sanch. lib. 1 cap.10.nu.11.vbi citat. Nau.tom.3.in c.Si quis autem nu.36.Sair.in Clau. lib.1. c. 13.nu.24.* & inter vtramque valet argumentum, *Valerus in suis differ. vtriusq. fori in præiud.ver.Forus, Sanch. lib. 1. disp.5. n. 20.* Sed casus noster non fundatur in præsumptione, ergo tenet pro vtroq. foro. Tum quia ita colligitur ex Trid. illo *cap.19. sess.25.* de nulliter professo, qui post quinquennium præsumitur ratificasse professionem, quod procedit etiam pro foro externo quatenùs nemo post illud tempus auditur ab Ecclesiæ iudicibus ibidē designatis. Et tenēt sine dubio supracitati Doctores, in: et quos aliqui se explicāt.

Respondendum modo est ad obiecta posita initio quæsiti. Ad primum dixi sub *q. 2. §. 7.* illam clausulam requirere, vt seruentur speciales constitutiones, quas vnaquæque Religio habet in admittendo nulliter professum ad nouam professionem, & ratificationem, aliter ea opinio videtur sequenda, quæ benignior est, respectu ratificantis professionem, ne defraudetur eius pia intentio, & in casu nostro videtur mens Papæ, vt ibi dixi, ne deueniatur ad nouum consensum, nisi sit in fauorem Religiosi. In mea autem Religione nil statuitur circa modum ratificandi professionem, quare Pater Generalis potest committere, vt reuersi recipiantur sine noua acceptatione, vt de facto fecit in quibusdam hactenus reuersis. Ad secundum dico Matrimonium nullum ex inhabilitate contrahentium esse renouandum per nouum consensum vtriusque, quia consensus vtriusque vti inhabilium fuit omninò nullus, vt benè probat de communi *Sanch. lib. 2. disput.35.num.2.* quod non procedit in casu nostro, in quo sola persona profitentis inhabilitatur, non autem Conuentus respectu cuius præcisè inhabilitas non habet locum, cum neque etiam in Constitutionibus Sixti V. fiat mentio directè de inhabilitate respectu recipientium, sed tantum receptorum, & ideò recepti nulliter nouum præstant consensum, non autem vocales Monasterij, cum iam sufficienter aliis consenserint. Ad tertium dico in Decreto Clem. VIII. cum loquatur directè ad Superiores, sermonem esse de receptione, & professione, quas ibidem irritat, consensus autem spectat ad Conuentum, de quo ibi nulla mentio; vel dic, quod etsi ibi irritat etiam consensum Monasterij, de quo tamen ne verbum quidem, id habere locum præcise in ordine ad primam professionem, non autem ad eius ratificationem, cum ibi non damnetur ratificatio, imò potius approbetur, attento Breui Sanctissimi Vrbani VIII. Vel dic, quod esto sit nullus consensus ex vi illius Decreti, adhuc nulliter professus non eget nouo consensu in ratificatione, quia suppletur ab Ecclesia, maximè post quinquennium, vt constat ex dictis, & hæc est bona responsio, sicut ea, qua dixi irritari receptionem in ordine ad professionem, non autem ad ratificationem, ac proindè cum duret virtualiter inhabilitate eius, qui potest nullam professionem ratificare, non eget nouo consensu Conuentus.

Ex his tollitur ea difficultas, quàm refert *Sanch. lib 7. disp.37.num 57. & ex eo. Vecchius disp. 14. dub. 4. in fine* 75
dum dicunt, vitium occultum, quod professionem irritauit, posse propalari in confessione, ad hoc vt Prælatus de nouo acceptet professionem, & petat consensum nouum à Conuentu, tacito nomine nulliter professi; vel petendū esse dispensationem à Papa super hoc nouo consensu, & noui Nouitiatus, nam hoc procedit respectu contrariæ opinionis, quæ licèt sit tuta, tamen cum sit subiecta multis incommodis, opposita ideò mihi videtur probabilior, cum habeat plures Doctores, vallata efficacioribus rationibus, vt etiam de nouitiatu non renouando dicam sequenti quæstione, ac proinde sine dicta cautela, Religiosus est tutus in conscientia ratificando per se solum professionem alias nullam, cum in iura nullum præscribatur Decretum in contrarium.

Quæres 14. An volens ratificare professionem teneatur repetere Nouitiatum? quæstio autem non procedit, quando Nouitiatus fuit validus, quia sine dubio renouandus non est, *vt de communi docent Sanch. lib.7. disp.37.n.45.Suar.tom.3.de Relig.lib.7.c.1.n.8. Less. lib. 2. cap.41.nu.66.& cum iis Vecchius disp.14. dub.5. num. 1.* 76
Neque in casu nostro, quia Papa hoc expressè indulget in suo Breui, licèt possit esse difficultas respectu reuersorum, quod confirmatur simili exemplo à *Beia parte 4. casu 29.* vbi loquendu de egressis tempore Sixti V. reuersis, à quibus est repetendus Nouitiatus, vt ibi multis probat; Tum quia Nouitiatus illius temporis fuit nullus; Tum quia veniens è seculo non reuertitur vt Religiosus, sed vt secularis, qui recipi non potest ad Religionem sine nouo Nouitiatu. Quæstio igitur est præcipuè circa reuersos, & alios quoslibet, quorum Nouitiatus fuit nullus! & quod nunc debeat repeti, affirmant *Nau. consil.26.de regul.num.17.& 19.Rodriq.part.2.Sum.cap.5.num. 2.Suar.citatus.quos sequitur Vecchius disp.14. dub.5. nu.8.* & citat contra se *Sanch. lib.7. disput. 37. num. 46. & breuiter refert idem Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 14.* oppositum pro se, repetendo, quod dixerat loco citato. Probant, Tum quia quod in se nullum est, non potest operari vllum effectum; Sed Concil. *sess. 25. cap. 15.* ad valorem professionis requirit validum Nouitiatum, ergo ea ratificari non potest sine nouo Nouitiatu, neque enim prior conualescere potest, prout ex tunc in se quo ad suum valorem, cum ad præteritum non detur potentia. Tum quia licèt expertus sit austeritates Conuentus, & Monasterium eius mores, quod est finis legis præcipientis Nouitiatum, non tamen dicitur lex cessare per

casum particularem, ergo renouandus est. Tum quia dispensatur in casu nostro in Breui, ergo aliàs est repetendus. His non obstantibus.

Respond. Inualidè professus, si vult ratificare professionem, non eget nouo Nouitiatu, licèt prior fuerit nullus; quod procedit etiam in casu nostro de reuersis habitu resumpto; & etiam quando Professionis, & Nouitiatus nullitas est notoria.

Nota autem, quòd nullitas Nouitiatus potest prouenire ex duplici capite; vel ab intrinseco ipsius probationis, quatenus denotat imperfectionem aliquam in experimento, quod accidere potest, I. Quia illum interrupit Nouitius fugiendo. II. Quia profecit Nouitius eo inexpleto. III. Quia probationem non incepit post annum decimum quartum, sed ante. IV. Quia illum fecit tempore furiæ, vel amentiæ. V. Quia illum non egit in habitu Regulari. In his casibus Nouitiatus dicitur nullus ab intrinseco, hoc est, ratione probationis, & experimenti, quia Nouitius ex illis defectibus perfectè non probat austeritates, neque probantur eius mores. Ex secundo capite oritur nullitas Nouitiatus in sequentibus casibus. I. Quando persona inhabilitatur ad hanc probationem vel Lege, vel Statuto aliquo à Papa confirmato, & inhabilitari potest expressè, vel tacitè, perpetuò irritando professionem; hac ratione dicit *Sanch. lib. 7. disput. 37. n. 54.* tempore Sixti V. fuisse irritum Nouitiatum criminosorum, & obligatorum ratiociniis, & debitis, non autem aliorum non criminosorum, defectu informationum, quia non criminosi non erant inhabiles, sed solùm obnoxii, ac proinde cùm non tenuerit receptio ad probationem, neque consensus Nouitij vt inhabilis, non poterat subsistere Nouitiatus. Nunc vero cùm Clem. VIII. reduxerit omnia ad terminos iuris fauore Nouitij, vt professio teneat, licèt non fuerit seruata forma Constitutionum Sixti V. annus probationis ex hoc capite est validus. II. Quando deest consensus Monasterij, seu Superiorum, & Nouitij, probatio enim est actus humanus ad vtrumque spectans, ac proinde vtriusque consensus requiritur *Nauarrus consil. 26. de Regular. num. 17. Sanch. num. 52. & ego cap. 4. quæst. 6.* Vnde non tenet Nouitiatus intrusi *Rodrig. tom. 3. quæst. 17. art. 12. vbi ait* accedente ratihabitione incipere ex tunc valere, dixi eo *cap. 4. quæst. 20.* Tenet verò Nouitiatus fictè inceptus à Nouitio, eo quòd permanendo, & experiendo de facto tollit fictionem: vt probaui quæst. 16. ibidem. III. Nouitiatus est nullus peractus extra locum designatum, vt colligitur ex Decreto, & Breui supra initio huius resolutionis extensis, in his, & similibus casibus dicitur Nouitiatus nullus ab extrinseco, quia quantum in se teneret, nisi obstaret extrinseca causa prohibens.

Prima pars, quòd Nouitiatus nullus ex quouis capite non sit repetendus ante ratificationem, probatur, Tum quia nullo iure præcipitur huiusmodi repetitio. Tum quia Nouitius aliàs sufficienter probauit austeritates Religionis, & Religio eius mores, non obstante eius nullitate, vnde satis dicitur integer quò ad experimentum, ergo frustra repetitur. Tum quia præmissio Nouitiatus decreta in sacris Canonibus refertur ad professionem, non ad eiusdem nullæ ratificationem. Ita *Sanch. libr. 7. disput. 37. & lib. 5. cap. 4. num. 14. Azor. libr. 12. cap. 1. quæst. 6. §. Si quæras, Pallacios in 4. dist. 38. disput. 1. quos prosequitur Bonac. par. 10. caus. diff. 1. num. 5. Thesaur. Religios. lib. 5. quæst. 97. cum Barbosa ad c. 15. sess. 25. n. 22. & ad c. 9. n. 17. vbi citat Nau. consil. 27. de Regul. n. 2.* sed is loquitur ibi pro foro interno, nam pro foro externo requirit Nouitiatum *consil. 26. n. 17. & 19. & consil. 89. num. 5. cum Compend. res. 101. cum suo Authore n. 76.* tenui hanc responsionem absolutè *c. 4. q. 37. & c. 6. q. 12. Portel. versic. Nouitiatus n. 31. & 32.*

Secunda pars, quod reuersi non teneantur renouitiare, probatur, Tum quia in his experimentum iam habuit suum effectum, ergo debet cum illo perseuerare. Tum quia illa egressio non efficit, vt experimentum iam aliàs captum fiat inefficax, cùm ad præteritum non detur potentia. Tum quia isti adhuc gaudent priuilegio Breuis ex probatis suprà hic *quæst. 9.* in quo nulliter professi ex non præmisso Nouitiatu in loco deputato, eximuntur à renouitiatu. Tum quia eiectus rediens non tenetur renouitiare, *Rodriq. tom. 1. quæst. 30. art. 29. & ex eo Sanch. lib. 6. cap. 9. num. 35.* Neque à secunda in qua professus fuit, redeundo ad priorem, vt ego probaui *cap. 4. quæst. 44.* Neque legitimè dimissus redeundo tenetur repetere Nouitiatum ex iis, quæ refert *Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num. 14.* vbi ait ex aliis Doctoribus reuersum teneri ratificare professionem, nulla facta mentione de nouo Nouitiatu, ergo à pari neque isti Religiosi teneri, quia si mutatio status in dictis casibus non obligat ad nouam probationem, multò minus in casu nostro, in quo mutatio fuit illegitima, & nulla. Tum quia in literis Sacræ Congregationis, quas suprà retuli, nulla imponitur reuersis obligatio repetendi Nouitiatum. *Bona part. 4. casu 29.* decidit nostrum casum à simili alterius casus tempore Sixti V. nam dicit multos illis temporibus licentiatos, postea pœnitentia ductos reuersos fuisse ad Religionem in eodem Conuentu, seu Prouincia, vbi erant cogniti, & eorum professiones ratificasse sine nouo Nouitiatu, ad quem tamen asseruit eosdem teneri, si volebant admitti in aliena Prouincia, vbi erant incogniti, nam in hoc ratio suadet, vt experiantur Patres eius mores, ne dicantur recipere incognitum contra iura sine probatione. Quamquam putarem sufficere literas testimoniales de vita, & moribus Patrum illius Prouinciæ, vbi est cognitus, sine nouo Nouitiatu. Ex his intelligitur obiectio relata ex ipso initio quæsiti. Demum Nouitiatus horum defectu loci designati videtur inualidus solùm accidentaliter, & essentialiter subsistere, quando Nouitius æquè benè potest probari, & probare in loco non designato, & designato, quia designatio neque confert, neque differt ad probationem, cùm hæc consistat in actibus ipsius Nouitij, & Conuentus, & non in illa materiali designatione. Hanc responsionem probaui pluribus *cap. 4. quæst. 36. vbi §. Quamuis*, dixi, Religionem posse obligare huiusmodi reuersos ad aliquam partem Nouitiatus, si velint manere in Religione, sed quia id arduum est & odiosum, & cùm debeant recipi, vt suprà probaui *quæst. 8.* concludo nunc in hoc non posse aggrauari, & rationes ibi adductæ non multum vrgent, nam Breue in his locum habet, licèt ibi id negauerim, & licèt diuturnitas temporis mutet mores, & mutatione loci mutentur animi affectus, tamen id non facit ad rem nostram, quia dato etiam, quòd isti malè se egerint in seculo infra id tempus, tempus probationis non attenditur respectiuè ad vitam malè præteritam, cùm reuersus ad Religionem dicatur conuerti secundùm iura, sed à die ingressus, ergo illud tempus intermedium spectari non debet, & cùm de antiqua probatione constet, non debent illum iterum probare, quæ enim nota, & manifesta sunt non egent probatione. Demum in mea Religione plures reuersi professionem ratificauerunt de licentia Patris Generalis absque præmissione noui nouitiatus. Probaui iterum supra sub *q. 1. §. 3.*

Tertiam partem, quod neque pro foro externo sit repetendus, probat benè *Sanch. lib. 7. disp. 37. n. 48. & lib. 5. cap. 4. num. 14.* cuius opinionem probabiliorem putat *Vecch. disp. 14. dub. 5. num. 6.* licèt num. 8. sequatur oppositum vti tutiorem, *Sanch. sequitur Bonac. q. 2. de claus. p. 10. diff. 1. num. 5. §. Ex dictis contra Nauarr. Rodriq & alios cum Compend. resolut. 101. num. 76.* tenentes pro foro externo repetendum esse Nouitiatum, quod tamen reprobaui, Tum quia Nouitiatus in se bonus materialiter ratione

experimenti

experimenti, talis censetur pro vtroque foro. Tum quia nulla Lex hoc requirit ad ratificationem professionis. Tum quia ad quod non obligat forus conscientiæ, neque forus externus, quando non fundatur in præsumptione, casus autem noster non fundatur in præsumptione, sed in veritate experimenti certi, ergo in neutro foro repetendus est Nouitiatus.

Obiectis duobus prioribus respondet *Sanch. lib. 7. disp. 37. num.* 8. ad primum dico, Nouitiatum fuisse nullum for... defectu requisitorum, tenuisse verò respectu experimenti, ac proinde ex hoc capite cùm sit aliquid posse producere aliquem effectum, vel dic absolutè ad ratificationem non requiri Nouitiatum. Ad secundum *dicit Sanch. cit. num. 47. & 58.* mentem Concilii fuisse, vt faucret vtrique parti, qui finis non potest cadere in casu nostro, ac proinde locum non habet in ratificatione, de qua ne verbum quidem in *cap. 15. sess.* 25. Ad tertium dico in Breui indulgeri nouum Nouitiatũ, non vt inde Papa inferat, necessariũ esse nouum Nouitiatũ ad ratificandum Professionem, sed ideò expressè indulsit, quod tacitè concedebatur ad tollendas discordias & lites, atque etiã, vt derogет specialibus Statutis, si quæ sunt, decernentia repetitionem Nouitiatus in ratificatione Professionis, vel si qui sequerentur oppositam opinionem.

Quæres 15. An Episcopus inceptum processum contra aliquem ex huiusmodi egressis possit perficere, postquam regressus ratificaint Professionem.

Resp. Affirmatiuè *resolut. præced. 7. quæst.* 46.

RESOLVTIO IX.

De Pœnis malè Absoluentium.

SVMMARIVM.

1 *Quas pœnas incurrat non Sacerdos absoluens.*
2 *Quid si timore mortis.*
3 *Non Sacerdos non incurrit pœnas Sacerdotum malè absoluentium.*
4 *Sacerdos nondum Confessarius pœnas eas non incurrit.*
5 *Absoluens à reseruatis p. m. nullam facit absolutionem.*
6 *Enumerantur pœnæ contra absoluentes à reseruatis.*
7 *Proponuntur dubia super pœnis in factis in Decreto Clem. VIII.*
8 *Obliuio, & ignorantia inculpabilis excusant à peccato, & censura.*
9 *Absoluentes non prætextu priuilegiorum excusantur secundùm quosdam.*
10 *Pœnæ Decreti non afficiunt Religiosos absoluentes alios Religiosos.*
11 *Pœnæ afficiunt respectu cuiuscumque casus, aut censuræ reseruatorum.*
12 *Etiam respectu Magnorum Abbatum reseruantium.*
13 *Decretum loquitur tam de reseruatis, quàm reseruandis in posterum.*
14 *Absoluens in dubio casuum Bullæ, & non aliorum afficitur pœnis.*
15 *Pœnæ non afficiunt Confessarios Romæ, neque Suburbiorum.*
16 *Neque extrà Italiam.*
17 *Episcopi absoluentes non afficiuntur dictis pœnis.*
18 *Regulares absoluuntur ab ea pœna excommunicationis intra Religionem.*
19 *Possunt etiam subiici Episcopis pro absolutione illius.*
20 *Non intendit absoluens in casu necessitatis, vel impedimenti.*
21 *Tertia pœna Decreti est priuatio quorumcunque Officiorum.*
22 *Quarta est inhabilitas.*
23 *Excommunicatio similis lata in Conciliis, & Synodis non afficiunt Regulares.*
24 *Absoluens suum Religiosum à reseruatis, quas incurrat pœnas.*
25 *De excommunicatione in Clementina, & Alexandrina.*
26 *Episcopus priuare potest ab hoc officio malè absoluentes.*
27 *Approbatus pro viris tantùm non potest eligi à fœmina tempore Iubilæi.*
28 *Prior punit suos Confessarios.*
29 *Sigillum frangens est sacrilegus.*
30 *Sigillum frangens nullam pœnam incurrit.*
31 *Casus Inquisitionis non est.*
32 *Restituere tenetur solum cùm fuit causa positiua, nè pœnitens restitueret.*
33 *Sollicitans subiicitur Inquisitioni.*
34 *Absoluens finita facultate nullas pœnas incurrit.*
35 *Prouincialis priuat suos Confessarios, si delinquant.*

CErtum est, quòd solus Sacerdos est Minister absolutionis Sacramentalis, de fide definitum *in Conciliis, Constantiensi, Florentino in Decretis Eugen. Papæ, & Tridentino sess. 14. canon. 10. & cap. 6. & Doctores omnes in 4. dist. 17. & 19. ibi Scotus, Faber de Pœnit. disput. 25. cap. 1. Megal. lib. 1. cap. 1. de pœnit. & alij communiter, quos citat Barbosa ad hoc caput 6. & can. 30.* cui præter potestatem Ordinis, illi collatam in ordinatione, necessaria ad validè absoluendum quoque est potestas iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ, vt expressè dicitur *eadem Sessione cap. 7.* illis verbis; *Verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Siquidem absolutio, vt ibidem subiungitur *cap. 6.* est instar actus iudicialis, quo à Sacerdote, velut à Iudice sententia infertur, *vt notant Bonac. disput. de Sacrament. quæst. 4. par. 6. numer. 1. in fine*, ac proinde huiusmodi sententia lata à non Sacerdote, vel etiam à Sacerdote, sed non habente iurisdictionem in pœnitentem, est ipso iure nulla, in sententia omnium, quia sententia à non iudice suo lata, est nulla *cap. 4. de iud. cap. Ad audientiam, de consuet. & in terminis, c. Quod autem 4. de Pœnit.* Faciens enim ea, quæ ad suum officium non spectant, inualidè agit, *regul. 27. in 6.* De hac duplici potestate Ordinis, & iurisdictionis dixi satis *resolut. 1. auctio. & resol. 36. quæst. 5. 6. 7.* Igitur non habens potestatem absoluendi ab aliquo peccato sine dubio attentatam absolutionem irritam facit, & nullam, in graue præiudicium pœnitentis, & sibi æternam damnationem acquirit, quia in re grauissima iurisdictionem, quam non habet, sibi vsurpat, grauissimum sacrilegium, præter alias exteriores pœnas, de quibus inferius agendum est.

Quæres igitur 1. An non Sacerdos ministrando hoc Sacramentum incurrat aliquas pœnas.

Respond. Nulla est censura, aut pœna, præter irre- 1
gularitatem, ipso iure incurrenda in Sacris Canonibus statuta. Sciendum tamen, quòd Greg. XIII. in Sua Constit. *Officij nostri*, *apud Bartolam in suis Floribus Inquisit. pag. 432.* declarauit, & definiuit pro Inquisitoribus in Regnis Hispaniarum, nondum Sacerdotes existentes, Missas tamen celebrantes, aut confessiones audientes, puniendos esse ab Inquisitoribus, ad quos pertinere hunc delictum definiuit ibidem. Paulus IV. ante ipsum, & postea Sixtus V. mandauerunt huiusmodi delinquentes à Iudicibus Inquisitoribus tradendos esse Curiæ seculari puniendos, prout refert Clem. VIII. in sua Constit. *Etsi alias*; quarum Constitutiones præcepit obseruari, ita quod huiusmodi non Sacerdotes à Iudicibus Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint, ritè degradati, statim tradantur Curiæ seculari per Iudices

Seculares debitis pœnis puniendi. Hanc Constitutionem Clementis *referunt Quar. versic. Ordo, in fine, Barnola cio, pag. 435 Peyrinus tom. 3. priuil. cap. 12.* eamdem *insertam in Constitutione, Apostolatus officium, Vrbani VIII. refert*, qui, quia nonnulli priuilegio minoris ætatis nimis temerè confisi, & legum indulgentia freti, pœnas à prædecessoribus suis paruipēdebāt, decreuit, quod non ordinatus celebrando, aut confessiones audiendo, puniatur iuxtà Constit. Clem. quamuis non fuerit constitutus in ætate vigintiquinque annorum, modò compleuerit annum vigesimum. De facto igitur nulla est pœna, quæ statim incurratur per hos transgressores, qui veniunt puniendi, licèt solùm vnicam Missam celebrauerint, & vnicum in confessione exceperint pœnitentē, licèt cum non absoluerint, quia textus dicit, quod puniantur non Sacerdotes confessiones audientes, non exprimendo, quod absoluant pro incurrendis pœnis, nec obstat, quòd in plurali loquatur, quia sic est vsus loquendi, & de iure, quia lex restringitur ad vnum, licèt loquatur in plurali, *Glos. versic Si compromissarius, cap. Si compromissarius 27. de elect. in 6. Megal. consilio 9. numer. 19. ex l. 2. §. Sed si vnus ff. de vi bon. rapt. Vide de prædictis Bullis. Rodriq. tom. 2. quæstione 27. articulo 2. & eum, eo Portellum versic. Pœna numero 23. Compend. resolutione 48. num. 18. Trimarchus de Solicitat. disp. 7. sect. 2. refert Constitutionem Gregorij Decimitertij, vbi numero 10. citat Sancium in Selectis disputat. 11. numero 36. A Cunha quæstione 23. numero 14. Rodriq. citat. Castrum Palao* tenere requiri absolutionem, vt casus subiiciatur Inquisitioni, sed ex dictis constat oppositum, nam dispositio, & non narratiua attendenda est in Bullis.

Irregularitatem verò prædictī delinquentes in Ordine, quo carent, si sunt laici non incurrunt, quia vt constat ex toto Titul. de Clerico non ordin. min. non fit mentio nisi de Clericis, non autem de laicis, vnde textus secundum tituli verba intelligendus est, sic tenent *Ang. versic. Irregul. num. 38. Saar. Henr. Regin. cum Bonacin. quæst. 3. de Irregular. p. 6. numer. 1. §. Dixi Clericus*, contra Nauar. *cap. 27. numero 242. §. Septimo in fine, quem Valent. Auila, Suar. Filliuc. Conink, quos citat Bonacin., sequuntur, cum Megal. libr. de Censur. capit. 1. numero 22. & 26.* qui omnes conueniunt huiusmodi delinquentes si sunt Clerici, incurrere dictam irregularitatem, per *cap. 1. de Clericis non ordin. min.* vbi dicitur, Clericum exercentem seriò, & solemniter actum Ordinis, quem non habet fieri irregularem. In casu autem nostro celebrationis præsertim non videtur cadere locus, sed sola temeritas, sicut & in confessione, nihilominus quandoque hæc loco contingere possunt, & tunc apud Deum excusantur ab hac pœna, licèt in foro externo puniuntur iuxtà dictas Constitutiones.

Quæres 2. An timore mortis non Sacerdos celebrans, aut excipiens confessiones subiiciatur prædictis Constitutionibus?

Respond. Non subiicitur. Probatur, Tum quia dictæ Bullæ fundantur in temeraria actione, vsurpatione, ingestione, & præsumptione, quæ non indicant violentam actionem, sed voluntariam, ergo non habent locum in casu nostro, in quo actio violenta non exercetur. Tum quia leges humanæ cum tanto periculo vitæ non obligant maximè quoad pœnalia. Non nego tamen, hunc non Sacerdotem, cui timor mortis incutitur potius in contemptum Sacramentorum, & Christianæ Religionis, quàm alio fine, incurrere peccatum mortale grauissimum, quia debet potius subire mortem, quàm prædicta præstare in contemptum veræ Religionis, cum id intrinsecè malum sit, nec quod mortis periculum excusat.

Quæres 3. An non Sacerdos excipiendo confessiones incurrat easdem pœnas, quas incurrunt Sacerdotes absoluentes ab illis peccatis, & censuris, a quibus non valent absoluere?

Respond. Non incurrit, quod alia ratione non probatur, nisi quia illæ pœnæ infliguntur expressè contra Sacerdotes, qui potestatem non habent absoluendi; ergo non comprehendunt, qui nondum est Sacerdos. Et in hoc nullam puto esse difficultatem.

Quæres 4. An Sacerdos nondum Confessarius incurrat aliquam pœnam administrando hoc Sacramentum?

Respond. Nullam pœnam incurrit, cùm hæc non 4
reperiatur in iure, *in quo cap. fin. dist. 6. de pœnit.* dicitur, quòd talis Sacerdos non Confessarius tentans suscipere ad pœnitentiam, gradus sui periculo subiacebit, hoc est, suspendendus est à celebratione Missarum, & nunquam admittendus ad hoc spirituale officium audiendi aliorum confessiones, docent *Portel. vers. Pœna num. 12. Rodriq. cum suo Compend. resol. 48. num 17.* Vnde audiens confessiones absque Episcopi approbatione priuandus est perpetuo iure audiendi confessiones, & ad tempus suspendendus à celebratione Missarum, docet *Riccius part. 2. decis. 146. & decis. 644.* Religiosus tamen per Episcopum excommunicari non potest, *respondit Sacra Congreg. 24. Mart. 1597. Archiepiscopo Salerni apud Barbosam lit. C. pagin. 64. Vide Peyrinum tom. 3. priuileg. cap 2. num. 40.* Prædicta procedunt etiam in eodem Sacerdote respectu suorum Fratrum, qui enim nondum approbatus fuit à suo Superiore absoluit, debet plecti prædictis pœnis. Pœnæ autem, de quibus in sequenti quæsito, incurruntur solùm à Confessariis, vt colligitur ex contextu verborum prohibentium absolutionem à reseruatis, nam simplex non dicitur absoluere simpliciter.

Quæres 5. An Sacerdos Confessarius simplex, hoc est, non habens facultatem absoluendi à casibus, & censuris reseruatis, nullam faciat absolutionem; peccet mortaliter, & aliquas pœnas incurrat?

Resp. Nulla est attentata absolutio; & Confessarius 5
præter peccatum mortale; incurrit pœnas, *de quibus mox §. Tertia pars.*

Prima pars, quòd nulla sit confessio, seu data absolutio, dicitur *sess. 14. cap. 7.* & in Decreto Clement. VIII. *§. Præterea nouerint*; & est vera opinio communissima, de qua testantur *Capeuilla de casib. reseru. c. 10. par. 1. q. 8. Finellus cap. 6. num. 3. & ex eis Floren. part. 1. dec casibus reseru cap. 5. num. 1. & 2.*

Secunda pars, quòd sic absoluens peccet mortaliter probatur ex eo, quod in re grauissima sibi vsurpat iurisdictionem, quam non habet, in graue præiudicium animæ pœnitentis; sed vsurpans alienam iurisdictionem peccat mortaliter, *D. Thom. 2. 2. quæst 60. art. 6. ex eo Nauar. consil. 2. de hæret. num. 4. §. 2. per l. fin. ff. de iurisdict. omn. Iud. & consil. 3. de crim. falsi*, ergo peccat mortaliter, at id etiam patet ex dictis initio huius resolutionis. *Silu. versic. Confessor 3. num. 1. vbi citat Rigard. in 4. distinct. 18. Floren. alios citans cap. 5. num. 3.*

Tertia pars continet quatuor pœnas contra absol- 6
uentem à reseruatis. I. Est subiectio per bimestre pœnis, quæ iuxta regulam solent Religiosis imponi pro grauibus criminibus. II. Est pœna excommunicationis. III. Est priuatio officiorum, dignitatum, & beneficiorum obtentorum. IV. Inhabilitas ad ea in posterum obtinenda. De singulis distinctè proponendum.

Prima pœna proponitur in Clem. Religiosi, *de priuil: in fine §. Nec etiam*, illis verbis: *Si qui verò præmissa, vel aliquod de præmissis attentare præsumpserint per duos menses subiaceant pœnis illis, quæ secundum illorum Regulam, vel statuta pro grauibus criminibus, seu culpis eis consueuerunt imponi. Super quibus absque manifesta necessitate, cum eis non valeat dispensari.* Hæc autem pœna non incurritur ipso iure, sed imponenda est ab ipso Superiore Religiosi, cui vt subiiciatur, necesse est, quòd absoluerit à casibus Sedi Apostolicæ, aut Ordinariis locorum reseruatis, vt ibidem expressè dicitur, & obseruat *Floren. cap. 5. num. 5.* Et præterea id fecerit ex temeritate, nam adest verbum, *præsumpserint*, ergo bona

fides,

fides, & ignorantia seiuncta à temeritate excusant. Est autem pro solis regularibus.

Sed est non leuis difficultas, an teneat nunc hæc pœna, quia post Clem. V. Regulares obtinuerunt priuilegia absoluendi à casibus Papalibus, & Episcopalibus, vt retuli *resolut.6. quæst.* 8. ac proinde cessauit hæc Clement. quo ad prohibitionem, & pœnam; postea verò saltem post Clementem VIII. dicta priuilegia omninò cassata, & extincta fuerunt, vnde punctus difficultatis eo consistit, An reuixerit prohibitio, & pœna prædictæ Clementinæ.

Dico, Clementinam non habere locum respectu illarum pœnarum infligendarum, neque excommunicationis inflictæ contra Religiosos Probatur, Tum quia illa Clementina quoad prohibitionem absoluendi sublata fuit per concessionem priuilegiorum absoluendi à quibuscumque reseruatis, ergo etiam quoad pœnas, quia pœnæ sunt accessoriæ prohibitioni, sublato enim principali, tollitur etiam accessorium, *cap. Inter dilectos, §. Cum igitur, de fide instrum. cap.2. de noui oper. nunc.* Tum quia licèt Clem. VIII. per suum Decretum sustulerit dicta priuilegia, non tamen excitauit Clementinam cum suis pœnis, cùm in Decreto non fiat mentio, & quòd semel extinctum fuit, non ampliùs reuiuiscere potest, argum. *cap. Si illic* 29. 23. *quæst.* 4. *cap. Quæris* 127. *dist.* 4. *de Consecr. ex Gloss. versic. contrahatur, gloss. fin. cap. Cum cessante* 60. *de appellat. Barbosa lit. A. num.* 18. *vbi tara, & Doctores citat.* Tum quia non licet dicere fuisse suspensam Clement. donec reuocarentur priuilegia contra illam concessa; siquidem priuilegia non conceduntur Regularibus ad tempus, sed perpetuò, *Oldrad. consf.* 30. *num.* 4. *§. Considerandum, Henric. lib* 7. *cap.* 22. *num.* 3. *Sanch. lib.* 8. *disput.* 1. *num.* 13. *ex illis Sigism. dub.* 120. *de elect. num.* 13. ac proinde non dicitur Clement. suspensa, sed extincta quoad hoc. Tum quia, *inquit Sanch. lib.* 3. *disp.* 2. *num.* 5. *§.* 7. quod valdè probabilis est opinio tenens, corrigi pœnam legis antiquæ aliis impositis per legem nouam. Tum quia sicut pœna à Statuto imposita tollit pœnam iuris communis, docet *Clarus lib* 5. *Sentent. §. Adulterium* q. 85. *ex Bertio in sua praxi tit.* 24. *cap.* 4. *num.* 25. ita & ius nouum per impositionem nouæ pœnæ tollit antiquam.

Secunda pœna est excommunicationis latæ sententiæ, quæ simplex est, I. Lata in dicta Clementina. II. In Bulla Cœnæ Domini. III. In Decreto Clem. VIII. de singulis aliquid tangendum est.

Excommunicatio Clementinæ, Religiosi, de priuileg. Papæ reseruata, quam denuntiare potest Ordinarius loci, postquam illi constiterit transgressio, est contra Confessarios solùm Regulares præsumentes absoluere Clericos, vel laicos excommunicatos à Canone, præterquàm in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis, vel à sententiis per Statuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis. Hæc igitur pœna est contra Confessarios temarè absoluentes à prædictis Seculares, vnde non comprehendit absoluentes Religiosos, siue sui, siue alterius Ordinis, cum Clement. expressè se restringat ad pœnitentes Clericos, & Laïcos. Vide, quæ de hac excommunicatione dixi *resolut.* 6. *quæst.* 10. Sed quia ex probatis mox §. *Dico*, non ampliùs habet locum hæc pœna, ideò satis sint hactenùs dicta.

Bullæ Cœnæ Domini excommunicatio fulminatur ipso iure contra quoscumque Confessarios tam Seculares, quam Regulares præsumentes absoluere ab excommunicationibus in ea expressis, quoscumque pœnitentes tam Seculares, quàm Regulares, §. Quòd si fortè; Ad hanc pœnam incurrendam requiritur temeritas, vnde ex incogitantia, obliuione, aut ignorantia etiam crassa absoluens excusatur, quia fertur contra præsumentes, Deinde cum ibidem non reseruetur, tolli potest à quouis Confessario, *Nauar. cap.* 27. *num.* 74. *& ex eo Sorbus verf. Excommun. in sua Annot. §.* 2. *ver.* vbi dicit absoluentem esse priuatum omni officio legendi, prædicandi, & Sacramenta administrandi; sed nescio quo iure, suo ne inducat horum priuationem, an Papali, qui nihil huiusmodi exprimit in sua Bulla? An autem Bulla deroget omnibus priuilegiis Regularium ita quòd neque eorum prælati possint Religiosos sibi subditos absoluere à censuris in ea latis? Affirmaui *resolut.* 3 *quæst.* 2. *& de Secularibus resolut.* 6. *quæst.* 9. Præterea præsumentes absoluere ab iis casibus Bullæ, prætextu alicuius priuilegij aliam excommunicationem inflictam in Decreto Clement. VIII. incurrit, de quo mox.

Decretum Clem. VIII, in quo fulminatur excommunicatio contra præsumentes absoluere vi alicuius priuilegij à quibuscumque casibus reseruatis Papæ ibidem expressis, & Ordinariis locorum, siue sint à iure in Conciliis Prouincialibus, aut Synodis, aut ab homine reseruatis, retuli cum Doctoribus, qui illud exponunt, suprà *resol.* 6. *quæst.* 9. *initio*; est autem excommunicatio Sedi Apostolicæ reseruata.

Difficultates aliquæ pro intelligentia huius pœnæ suboriuntur. I. An bona fides, obliuio, & ignorantia excusent ab incursu huius excommunicationis? II. An absoluens non prætextu alicuius priuilegij, sed ex proprio Marte excusetur? III. An absoluens Regularis Confessarius suos Correligiosos, vel alterius Ordinis incurrat? IV. An hæc pœna se extendat respectu quorumcumque casuum Sedi Apostolicæ reseruatorum tam in iure communi, quàm extra, & in Bulla Cœnæ Domini; & quorumcumque reseruatorum Ordinariis locorum siue in Conciliis, siue in Synodis, vel ab homine, aut à iure? V. An incurrat absoluens à reseruatis non solùm Episcopis, sed etiam alijs Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem? VI. An Decretum loquatur de casibus tunc iam anteà reseruatis, an etiam post eius promulgationem reseruatis? VII. An excusetur in dubio absoluens? VIII. An Confessarij Vrbis incurrant? IX. An Confessarij extra Italiam, X. An includantur Episcopi? XI. An Superiores Regulares possint absoluere? XII. An Episcopi, si non possunt Regulares? XIII. An incurrat absoluens in articulo mortis, vel alio casu necessitatis? 7

Primæ respondetur, bonam fidem, obliuionem, imò & ignorantiam crassam, non tamen cum ingenti temeritate coniunctam excusare à peccato mortali, ac proinde à censura, ratio est, quia in iure excommunicatio lata per verbum, Præsumptionis, non incurritur, nisi transgressio fiat cum temeritate, & dolo, *Cardin. in Clem. Religiosi, de priuil. quæst.* 39. *Tabien. excom.* 5. *casu* 11. *quæst.* 6. *num.* 7. *Nau. cap.* 27. *num.* 155. *cum aliis citatis à Sanch. lib.* 9. *disput.* 32. *num.* 38. vnde dicit *Imola in Clem.* 1. *de rescr. num.* 11. præsumere importare vexationem, & attentationem contra ius. Ita in casu nostro *Finell. de casib. reseru. cap.* 6. *num.* 6. *&* 8. *& ex eo Diana resol.* 73. *de Sacram. §. Notandum est etiam, Vgol. in tract. de offic. Episcop. cap.* 37. *§.* 2. *verf. Secus autem, quem sequitur Flor part.* 1. *de casib. reseru. cap.* 5. *num.* 23. *§. Quartò* vbi cum illis ait, absoluentem à casu reseruato, quem talem esse ignorat, non excusari ab hac pœna, quia hæc ignorantia est crassa, vel affectata, cum vtraque in Confessario sit mortalis, non enim licèt Sacerdoti officium suum ignorare, *docet ex D. Thom.* 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. *&* 2. *Nau. consf.* 10. *de Pœnit.* Igitur præfati nostrã responsionẽ admittunt etiam in ignorantia, quæ non est crassa; sed puto probabiliter cum maiori parte Doctorum *apud Sanch. lib.* 9. *disput.* 32. *num.* 36. *&* 38. *Diana part.* 2. *tract.* 6. *Miscell. resol.* 7. *Nau. cap.* 27. *num.* 141. *Bonac. quæst.* 2. *de Cens. in comm. p.* 1. *num.* 12. cum aliis apud præcitatos, excommunicationem latam contra scienter facientes, vel præsumentes facere aliquid, non incurri ab agente etiam ignorantia crassa; modò non iuncta cum ingenti temeritate, quia eo casu non dicitur scienter, neque dolosè agere, cùm ignorantia etiam crassa non includat scientiam, neque dolum; ergo idem dicendum erit 8

iu casu nostro, ac proinde contra Floron. absoluentem ignorantem casum reseruatum non incurrere has pœnas, quia dato etiam, quòd hæc sit ignorantia crassa, cùm non sit coniuncta cum ingenti temeritate, cùm difficile sit scire omnes casus reseruatos, excusat ab hac censura incurrenda.

9 Secundæ, stando in rigore verborum Decreti, absoluentem sine prætextu alicuius priuilegij, sed ex propria temeritate non incurrere pœnas, quia ita dicit textus, & asserunt non incurrere *Gambarupta de casib. reseru. cap. 3. num. 12. & ex eo Diana resol. 73. de Sacram. §. Non reticeam*, contra *Homob. par. 1. Exam. Eccl. tract. 5. cap. 4. num. 27. & Floron. par. 1. cap. 5. num. 27. §. Contrarium*; quòd tutius est, quia particula, *sub prætextu priuilegiorum*, non sumitur taxatiuè, cùm non adsit particula, *tantùm*, vel similis restringens, ergo sumitur ampliatiuè, & declaratiuè ad id, quod poterat facere specialem difficultatem.

10 Tertiæ, non habet locum hoc Decretum respectu Regularium suos Religiosos absoluentium, & ita respondit Sacra Congreg. apud *Nald. vers. Reseruatio, §. Et cum*, fuisse mentem Sanctitatis suæ prohibere absolutionem ab illis reseruatis tantum in ordine ad pœnitentes Seculares, *Vecch. disput. 9. dub. 7. num. 5. Floron. cap. 5. §. 4. Homob. part. 1. Exam. tract. 5. cap. 4. quæst. 22.* quos duos postremò citat *Dian. resolut. 73. de Sacram. §. Notandum est tamen*, qui cum illis tenent, absoluentem Religiosum à reseruatis intra Religionem non incurrere pœnas Decreti, quia ibi fit mentio de casibus reseruatis Ordinariis locorum, quo nomine veniunt solùm Episcopi. Verùm difficultas manet, an absoluentes eosdem à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis sine facultate, dictas pœnas incurrant? ad quod forsan responderent expressè, quod tacitè dixerunt. Sed Ego absolutè teneo, hoc Decretum respectu quorumcumque casuum nil disponere de Confessariis Regularibus erga pœnitentes Regulares, habent enim proprium Decretum de casibus reseruandis ab eorum Prælatis, de quo alibi, editum ab eodem Clem. VIII. & præter decisionem suprà allatam ex Sacra Congreg. confirmatur hoc assertum, quia inter alios casus exceptos, præter casus Bullæ Cœnæ Domini, à quibus Confessarij non possunt absoluere, exprimitur casus iniectionis manuum violentarum in Clericos, & tamen in secundo Decreto pro Regularibus eundem casum sub his verbis: *Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ*, subiicit absolutioni Prælatorum Regularium, qui possunt absoluere intra Religionem à reseruatis, ergo signum est, quòd illud prius Decretum est solum pro Secularibus, sicut posterius pro solis Religiosis.

11 Quartæ, Pœnæ afficiunt Confessarios absoluentes à casibus Papalibus, & Episcopalibus, siue à iure communi, aut speciali, siue sint peccata, siue censuræ. Hæc responsio latius patet *ex probatis resol. 6. quæst. 9. vsque ad §. Circa illa duo. Vide Dianam resol. 13. de Regul.*

12 Quintæ, Incurrunt, quia huiusmodi Prælati dicti Abbates Seculares, seu Priores Magni, qui in suos subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem, veniunt sub nomine Episcoporum, vt docent *Campan. in suo Diuers. iur. Rubr. 12. cap. 13. num. 76. Fagundez Præcepto 1. lib. 7. cap. 2. num. 55. & alij apud Barbos. ad cap. 15. sess. 23. num. 29.* vbi asseritur, ad hos Prælatos spectare examen, & approbatio Confessariorum suorum subditorum, si ergo veniunt sub nomine Episcopi, eò magis sub nomine Ordinariorum locorum, quibus verbis vtitur Decretum nostrum, ac proindè cùm possint sibi casus reseruare, eorumdem absolutio prohibetur sub dictis pœnis in eodem Decreto.

13 Sextæ Decretum expressè loquitur tam de reseruatis tunc in antea, quam post dictum Decretum reseruandis Papalibus, aut Episcopalibus; cùm igitur res sit clara, non est immorandum.

14 Septimæ absoluens in dubio, an casus sit reseruatus, licèt peccet, & faciat contra Decretum prohibens absolutionem à casibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ reseruatis, ac proinde pœnas incurrat; non tamen eisdem afficitur, si dubitando absoluat ab aliis Papalibus, vel Episcopalibus, eò quod in eo casu non dicatur Confessarius absoluere prætextu priuilegiorum, neque ex præsumptione, sed ex virtute illius regulæ, quæ dicit, meliorem esse conditionem possidentis suam libertatem, & potestatem, quam in dubio dicitur Confessarius possidere, & non perdere. Et in dubio casus reseruati ita tenent multi cum *Bonac. quæst. 7. de Pœnit. p. 5. §. 4.* Ratio autem cur non comprehendantur reliqui casus etiam Papales sub dicta clausula, *dubiè, vel clarè*, est, quia odiosa restringenda sunt quantum possibile est ex vulgatis iuribus; Confirmatur, quia illam clausulam immediatè coniungit cum casibus Bullæ; neque facit illud axioma, quod clausula in aliqua dispositione posita referatur ad omnia, cap. Secundò requiris 11. de appell. quia fallit, quando est onerosa, & tunc solùm respicit terminum proximè dispositum, *cap. Cum dilectus 6. de donat. Floron. cap. 5. §. 3.* in fine nobiscum sustinet respectu casuum Episcopalium ob adductas rationes, & alias ob eo positas.

15 Octauæ, Pœnæ dicti Decreti non adiciunt Confessarios intra Romam, neque in Suburbiis, audientes, & absoluentes à reseruatis; quia hi excipiuntur, sicut Confessarij Insularum Sardiniæ, Corsicæ, & Insularum, *vt docui resol. 6. quæst. 9. §. Prima, & §. Secunda.*

16 Nonæ, neque dictæ pœnæ habent locum in Confessariis extrà Italiam, quia Decretum limitat suam prohibitionem ad Confessarios existentes extrà Vrbem intrà Italiam. *Vide quæ dixi dicta resol. 6. quæst. 9. §. Portel.*

17 Decimæ, Episcopi absoluentes dictis pœnis non afficiuntur, quia prohibitio est contra inferiores Confessarios excludendo ipsos, vt docent *Megal. libro 4. de censur. cap. 2. num. 34. Bossius sect. 1. de Iubileo casu 1. num. 11. Bonac. quæst. 7. de Pœnit. p. 5. §. 2. num. 15.* Quod est etiam dicere, hoc Decretum non sustulisse Episcopis priuilegium Tridentin. *sess. 24. cap. 6. ex eodem Bonacin. p. 2. de Duello num. 15. §. Secundò*; quia de Episcopis, neque de priuilegiis Concilij nè verbum quidem in dicto Decreto. Quidam tenent oppositum ex eo, quod volunt priuilegium Tridentin. non extendi ad casus reseruatos post Concilium, sed probabilius est extendi, quia non distinguit de reseruatis, neque reseruandis, vtramque opinionem cum Doctoribus referunt *Sanch. lib. 2. cap. 11. num. 26. 27. Bossius sect. 1. de Iubileo casu 10. §. v. Germana* ergo ratio est superior adducta, quod confirmatur, quia aliter introductum in eorum fauorem, retorqueretur in damnum; contra Regulam 61. in 6. dictum autem Decretum conditum fuit fauore Episcoporum, prohibendo Confessariis, ne absoluant à casibus ipsorum. Idem dic proportionaliter de Abbatibus, de quibus suprà §. Quintæ, quia veniunt sub nomine Episcopi, & Ordinariorum locorum.

18 Vndecimæ, Prælati Regulares possunt absoluere suum Confessarium, qui temerè absoluendo Secularem à reseruatis in dicto Decreto, incidit in hanc excommunicationem; non obstante, quòd ibi reseruetur Sanctitati suæ, quia reseruatio intelligitur respectu eorum, qui nullam habent facultatem. Regulares autem Prælati maximè maiores habent priuilegia absoluendi suos subditos à quibuscumque reseruatis, & reseruandis Papæ, vt *docui resolut. 3. quæst. 1. & quæst. 11. §. Tertio*; Deinde possunt Episcopi ab ea censura absoluere virtute Tridentini *sess. 24. cap. 6.* vt docent *Beia part. 4. casu 57. Finell. cap. 7. de casibus reseruat. num. 12. Homobon. part. 1. Exam. tract. 5. c. 4. q. 23. quos sequitur Diana resolut. 73. §. Non desunt, de Sacrament.* ergo & Prælati Regulares, cùm eisdem competat dictum priuilegium, *vt probaui resolut. 2. q. 10. Nobiscum*

inclinat

inclinat Dian. resol. 3. de Regular. §. Notandum.

19 Duodecimæ, cùm Episcopi, ex mox dictis, possint absoluere ab ea excommunicatione, illi possunt subiici Confessarij Regulares à suis Superioribus, si aliàs non haberent, aut haberent eamdem facultatem, vt probaui in simili de subiectione *ref. 3. q. 13. & ref. 34. q. 4. §. Difficultas.*

20 Vltimæ respondetur, absoluentem in casu necessitatis, aut alterius impedimenti, iuxta quod dixi *resol. 6. qu. 9. §. 3.* non incidere in eam pœnam, quia non dicitur absoluere præsumptiuè, neque ex priuilegio, sed titulo necessitatis, quod ibi prohibetur solum prætextu priuilegij, & quatenus absolutio directè datur super reseruata, ex ibi probatis, vbi docui absolutionem solùm indirectè cadere super reseruata.

21 Tertia pœna est priuatio ipso iure absque vlla alia declaratione officiorum, & dignitatum aut beneficiorum, vt in eodem Decreto expressè dicitur. Nomine autem officiorum, & dignitatum veniunt officia habentia coniunctam superioritatem, vt Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Commissariatus; & etiam dignitates sine Superioritate, vt Definitoratus, Paternitas, Doctoratus, & similes personatus in Religione, item Lectoratus, Prædicatoratus, Regentoratus, &c. sunt enim officia virtutis, quæ non merentur remanere in prælamente malè vti officio suo. Nihilominus potest etiam dici venire solum officia, & dignitates habentia adiunctam superioritatem, vt in materia illegitimorum dixit Sixtus V. sua Constitut. *Ad Romanum spectat, apud Quarant. pag. mihi* 298. & alia similia refert *Sanch lib. 6. cap. 16. num. 66.* in his autem dispensare potest Superior maior, vt dicam *resol.* 10. & faciunt dicta mox §. 11. neque statim incurruntur, sed post sententiam iuxta quòd dixi alibi.

22 Quarta demum pœna est inhabilitas ad quæcumque officia, & Prælaturas in posterum obtinendas, Quæ satis manet explicata in præcedenti §. 3. Habilitare autem possunt Superiores maiores iuxta ibi dicta.

Aderat etiam inhabilitas perpetua audiendi confessiones: sed idem Clem. in secundo Decreto prioris declaratiuo sustulit.

23 Quæres 6 An excommunicatio Episcopalis lata in Concilijs, vel Synodis, aut alio modo contra Confessarios malè absoluentes incurratur etiam à Confessarijs regularibus exemptis? Nam Mediolani in Concilio V. Prouinciali, *titul. Quæ pertinent ad pœnitentiæ Sacrament. cap. Cum pro temporum*, lata est excommunicatio contra absoluentes à casibus reseruatis in loco, vbi administratur Sacramentum, *vt docet Gambarupta apud Bonacin. quæst. 7. de Pœnitent. p. 5. § 1. nu. 15. §. Adde*, vbi recitat pœnam suspensionis ipso iure contra absoluentes à casibus Episcopo reseruatis, vt videre est in eodem Concilio, & in prima Synodo *cap.* 18. Et in eodem Concilio lata est excommunicatio contra eum, qui confessiones audit sine approbatione scripta, quamuis sit Regularis, docet idem *Bonac. eadem q. 7. p. 4. §. 1 n. 32. §. 1mò.*

Respond. Dictæ excommunicationes, & similes pœnæ non comprehendunt Regulares Confessarios, quamuis de ipsis fiat mentio, nam illa expressio est de Confessarijs subiectis, & non exemptis. adesse enim possunt Religiosi subiecti, & non exempti. Probatur hæc responsio ex dictis *resol. 7. quæst. 2. & 5. & resol. 36. q. 29. & 30.*

Quæres 7. An Confessarius Regularis absoluens à casibus reseruatis Papæ, vel Superiori suo Regulari pœnitentes Religiosos, incidat in aliquam censuram?

24 Respond. Absoluens à reseruatis in Bullæ Cœnæ Domini incurrit excommunicationem nulli reseruatam in eadem Bulla latam, de qua satis dixi *quæst. 5. §. Bulla Cœnæ.* Ab alijs verò eidem Sedi reseruatis absoluens nullam incurrit pœnam, siue sit Superior, ex eo quòd potest iure priuilegij, vt probaui *resol. 1. quæst. 1.* non tamen à casibus Bullæ, *ibidem quæst. 2.* aliter incidit in dictam excommunicationem, siue sit simplex Confessarius, quia nullibi in iure inuenitur talis excommunicatio, nam quæ fertur in Clem. Religiosi, de priuil. est contra absoluentes Clericos, & laicos, vt ibidem expressè dicitur, vnde excluduntur absoluentes Religiosos, siue proprij, siue alieni Ordinis. Si verò absoluant Religiosos sui Ordinis à casibus reseruatis in Religione, dicit Alex. VI. Constit. *Intelleximus aliquos.* apud Confect. pag. 111. nullam esse absolutionem, & incidere in pœnam absoluentium à casibus non concessis. Hæc autem pœna est excommunicatio Clementinæ prædictæ, de qua dixi *quæst. 5. hic §. Prima pœna, & §. Excommunicatio*, in ordine ad pœnitentes seculares, nunc de eadem restat dicere in ordine ad pœnitentes Religiosos. Igitur confessarius absoluens suum Religiosum à quibuscumque reseruatis in Religione, siue peccatis, siue censuris in statutis, regulis, aut ab homine, est ipso iure excommunicatus; vt id etiam asseruit *Rodr. tom. 1. q. 21. art. 3. & ex Compend. resolut. 3 num 17. §. Religiosus*, & ratio est, quia in dicta Constitutione Alexand. statuit sic absoluentem incidere in pœnam absoluentium à casibus non concessis; Sed suo tempore reperiebatur sola pœna de iure excõmunicationis, ergo eam solam etiam nunc incurrunt. Idem ex parte sentit *Coriolanus par. 1. de casibus reseruatis, sect. 1. art. 20.* vbi ad nostrum propositum duo dicit, absoluentem ab excommunicatione, vt in dicta Clem. incidere in excommunicationem, nequaquam verò, si absoluat à solis peccatis reseruatis, *§. Si verò.* Iste Pater, pace sua, vnum dicit spectans ad ipsos Religiosos, alterum in se rectè dictum, sed impertinens ad principale intentum, cum ibi paucis explicet Clementinam in se, & non in ordine ad Bullam Alexand. debebat enim concludere Religiosum absoluentem alterum Religiosum à quibuscumque reseruatis in Religione, siue peccatis, siue censuris incidere in excommunicationis pœnam statutam à Clemente contra absoluentes à reseruatis; & eius dictum verificari non potest, cùm Alex. potius loquatur de peccatis, quam censuris saltem expressè, addendo pœnam contra absoluentes à peccatis, ergo explicatio Coriolani, quod absoluens à peccatis non incidat, est impertinens, & falsa respectiuè ad Alexandrum, qui expressè asserit oppositum.

Restat difficultas, an hæc excommunicatio, quæ in Clement. est reseruata, talis etiam censeatur respectiuè ad Alexandrinam? 25

Respondetur non esse reseruatam, quia licèt relatum dicatur esse in referente, cum omnibus suis requisitis, *l. Ait prætor, § de re iud. Bart. in l. 1. ff. si famil. furt. fec. dicat, & in l. 1. ff. de arbitr.* vnde easdem extentiones, & limitationes habeat recipere, quas ipsa habet, *Nau. tom. 3. de datis, num. 7.* nihilominus hæc regula non habet locum, quando qualitas relati requirit specialem mentionem, non enim includitur in dispositione referente, vt in simili docent *Gambar. de auth. leg. in exord num. 35. ex cap. penult. de iureiur. Genuens. in praxi Neapol. cap. 17. num. 4. & ex eo Megal. part. 3. de cens. lib. 4 cap. 2. num. 34.* ergo idem dicendum in casu nostro, cum de eius reseruatione non fiat mentio in Alex. vt fieri deberet *ex cap. Nuper, de sent. excomm.*

Quæres 8. An Episcopus possit punire Religiosos Confessarios malè absoluentes?

Respondeo punire præcisè eos priuando facultate audiendi Confessiones, vt probaui *ref. 36. q 30. & antec. q. 29.* recensui causas, propter quas potest illos priuare. 26

Quæres 9. An Religiosus de licentia sui Superioris præsentatus, & ab Episcopo simpliciter approbatus absque limitatione personarum, si in sua Religione adsit Statutum, ne tales Sacerdotes audiant Confessiones fœminarum, si de illis sit, peccet, audiendo fœminas; & an ab illis eligi possit vigore iubilei, aut alterius priuilegij? & an nullæ sint datæ absolutiones respectu fœminarum?

27 Resp. Iste eligibilis non est; sed peccat mortaliter, & puniri potest à suo Superiore; & datæ absolutiones nullius sunt momenti.

Prima pars, quod non possit eligi à fœminis, probatur. Tum quia priuilegium datum pro electione Confessarij intelligendum est iuxta dispositionem iuris, seu statuti *per l. Si quando Cod. de inoffic. testament. c. ip. Ex parte de verbor. significat. Berous lib. 1. consil. 25. num. 9 Compend. resolut. 90. num. 49. §. Vltima ex Rodr. vnde Vgolin. de offic. Episcop. part. 2. fol. 51. referente Nald. verbor. concedere num. 3.* dicit, gratiam factam eligendi Confessarium intelligi de approbato, ergo eò magis in casu nostro debet intelligi de approbato etiam respectu fœminarum. Tum quia non requiritur approbatio ordinarij, vt mediante iurisdictione consequuta ad approbationem valeat Confessarius electus absoluere pœnitentem eligentem, cum absoluat iurisdictione sibi delegata à concessore priuilegij, posita electione, vt clarum est, sed quia Papæ intentio est, vt per illam clausulam pœnitentes eligant idoneos Confessarios, qualis non censetur respectu fœminarum approbatus solùm pro masculis, vt de se patet, cum ergo approbatus pro viris tantùm non sit idoneus Iudex in hoc foro pro fœminis, sine dubio eligi non potest à fœminis, respectu quarum approbatus dici non potest. Tum quia tota difficultas consistit in illis verbis *Approbatum ab Ordinario*, an veniat sub illis quævis approbatio, quæ triplex esse potest restricta ad tempus, locum, & personas, quando non est simpliciter facta; dubium autem non procedit circa tempus, neque locum, quia puto, eligi posse Confessarium approbatum tantum per annum, & in sua Ecclesia, quia ista limitatio non respicit idoneitatem Confessarij; sed potius ius ipsius Episcopi, & Parochorum, quia approbatus iterum potest reuocari ad examen, & non potest audire in alienis Ecclesiis, remanet ergo dubitatio respectu personarum, in quo casu, iura habent, quod verba in dubio intelligenda sunt simpliciter, non secundum quid *l. Hoc legatum, in fine, ff. de legat. 3. l. 1. §. Si quis simpliciter ff. de verbor. significat.* ita quod sub eo nomine venit Confessarius approbatus simpliciter, idest, respectu personarum vtriusque sexus in præsenti casu, quod dico propter masculos, qui possunt eligere approbatum solùm pro viris, cum tunc nihil obstet. *Ita tenent Gutier. lib. 1. Canon. quæst. 17. num. 18. & 19. Cruz lib. 2. cap. 6. dubit. 3. conclus. 2. alij apud Bossium sect. 3. casu 2. num. 244. quem sequitur num. 246. alios citat Bonacin. quæst. 7. de pœnit. part. 4. §. 1. num. 22.* oppositum tamen sequitur cum aliis, cum quibus est *Megal. lib. 1. de pœnit. cap. 15. num. 8.* probant, Tum quia sumus in materia fauorabili, consequenter extendenda, quod intellige, nisi ius, aut ratio obstet, quæ obstare iam probaui; Tum quia sequeretur, ait Bonac. Parochum ex vi sui beneficij, si non habet potestatem delegatam, non posse eligi à pœnitente, qui illi non esset Parochianus; non obstat, quia adhuc eligibilis est, cùm dicatur approbatus absque limitatione sexus personarum, & simpliciter idoneus dicatur, non autem approbatus pro viris tantùm. Idem dic de approbato pro fœminis tantùm non posse eligi à viris, quia pro illis non reputatur idoneus, & potiori ratione, quia vt plurimum viri habent casus difficiliores.

Secunda pars, quòd peccet mortaliter, probatur, quia est transgressor præcepti in re graui, & in præiudicium animarum, neque enim in hoc casu attenditur Statutum quatenus Regulare est, sed potius Pontificium, & naturale supponens; nimirum quòd Confessarij Regulares, & alij in administratione huius Sacramenti subiiciuntur dispositionibus suorum Superiorum ex Clem. Dudum, & aliorum Decretis, & illud ritè, & sanctè administrare habent.

Tertia pars, de punitione, de se constat, cùm enim sint in culpa graui, & transgressores suorum ordinum, sine dubio possunt, imò debent puniri, nimirum suspensione à Confessionibus, maximè quando excipiunt Confessiones mulierum ex vi approbationis.

Quarta pars, de inualiditate absolutionum, probatur eo fundamento, quòd per approbationem Episcopi factam Religiosis obtinuit solùm iurisdictionem erga viros, non autem fœminas. Quod probatur. Tum quia licentiatus fuit à suo Superiore solùm pro masculis, neque enim potuit Superior plus illi concedere, quàm sibi competebat, *cap. cura pastoralis 11. de iurepatr. Reg. 79. in 6.* Tum quia omne ius, quod habet Episcopus in Religiosos quoad hoc factum approbationis, totum dependet à Superiore, ex Clement. Dudum, à Tridentino non sublatum, sed potius confirmatum, ergo Episcopus non potest approbare præsentatum, nisi iuxta formam præsentationis, quæ est pro viris tantùm. Tum quia concessio, & approbatio intelliguntur eodem modo facta, ergo sub eadem limitatione quoad viros tantùm, approbatio enim regulanda est à concessione, à qua ea dependet. *Faciunt dicta resol. 36. quæst. 11. num. 42.*

Quæres 10. An Prior in meo Ordine possit punire Confessarios delinquentes in excipiendis Confessionibus Fratrum, aut etiam Secularium?

Resp. Superiores maiores sine dubio possunt punire, & suspendere, seu priuare Confessarius Secularium delinquentes in Confessione Secularium, cum per approbationem Episcopi non eximantur à subiectione, & correctione suorum Superiorum, & magis si delinquant excipiendo Confessiones Religiosorum, etiam aliorum Ordinum. Ex vi Regulæ, *cap. 14. & 22.* Priores possunt eligere Sacerdotes in Confessarios suis subditis, consequenter eos punire possunt, si delinquant in hoc munere. Vide infrà *q. 16. de hac re.* 28

Quæres 11. An reuelans Confessionem violando eius sigillum peccet mortaliter, & aliquam pœnam incurrat? An sit casus Sanctæ Inquisitionis?

Respond. Committit Sacrilegium, quod est grauissimum peccatum mortale contra ius naturale, quia iure naturæ tenemur custodire famam proximi, seu secretum occultum tenere; iure Diuino, quia Confessarius vices Dei gerit, qui peccata tegit; iure Ecclesiastico, *cap. Omnis 12. de pœnitent. & cap. Sacerdos distinct. 6. de pœnit.* Peccatum hoc est contra iustitiam, quia lædit famam proximi; & contra Religionem, quia iniuriam infert Sacramento. Ita docent omnes cum *Nauarr. tom. 3. in cap. Sacerdos cit. Megal. lib. 1. de pœnit. cap. 16. Bonac. quæst. 6. sect. 5. part. 1. Faber disputat. 34. de pœnit.* 29

Nullam pœnam corporalem, aut spiritualem censuræ de iure communi ipso facto incurrit reuelans Confessionem, sed in d. c. Sacerdos, mandatur deponendus, & peregrinandus ignominiosè toto tempore vitæ suæ; & *in c. Omnis, cit. ordinatur,* hunc esse deponendum à Sacerdotali officio, & detrudendum in arctum Monasterium ad agendum ibidem perpetuò pœnitentiam. Deponendus est ergo ab omni officio, & munere Clericali, & efficitur infamis per primum textum, per secundum verò mitigatur pœna, nam deponendus est à munere solùm Sacerdotali, cum qua depositione perpetuò agere debet pœnitentiam in arcto Monasterio. Hæc autem secunda pœna venit seruanda, quæ propriè depositio non est, cum hæc excludat à deposito omne officium & beneficium, sed simplex suspensio pœnalis, aut censura suspensionis ab officio competente Sacerdotibus præcisè. 30

De dictis pœnis agunt *Coriol. p. 1. de casib. reseru. sect. 3. cond. 11. Confess. n. 16.* vbi obseruat, eam pœnam non esse imponendam, nisi sit fractor formaliter, & in terminis alicuius in specie peccati, *Silu. vers. Confessio 3. n. 4. Portel. ver. pœna n. 11.* qui hanc pœnam multum ampliat, nempè vt priuetur omni munere, dignitate, & omni Altaris Ministerio; in quo casu loquitur iuxta tenorem vtriusque textus, sed si velimus accipere pœnam secundi textus, vt ratio magis dictat, restringendum est negotium ad id, quod suprà dictum fuit, quia quoties eadē pœna amplior

in

in priori lege, restringitur in posteriori, hæc seruanda est, non illa.

Irregularis non est, *vt ex Suar tom 4 de Relig. disp. 32. sect. 8. testatur Portel. vers. pœna num. 11.* Ratio est, quia vel talis est, quia malè exercuit actum ordinis, quod accidere potest tribus modis ad incurrendam irregularitatem, I. Quia exercuit actum Ordinis, quem non habebat, *cap. 1. de Cleric. non Ordin. Min.* & id non facit ad rem. II. Quia scienter quis rebaptizat absolutè *cap. 2. de Apost. & reiterat. bapt.* & id est etiam impertinens ad casum nostrum. III. Quia exercet actum Ordinis ex officio, cum solemnitate, *cap. si celebrat. de Cleric. excommun. min.* nec hoc facit ad rem, quia reuelando confessionem nullum Ordinis actum exercet, sed potius est illius destructio, ergo ex hoc capite non fit irregularis. Vel ergo talis ex infamia facti, vel iuris, & hoc dicam non. Ita nobiscum etiam tenet *Megal. lib. 7. de censur. cap. 2. num. 117.* ea ratione, quia non reperitur expressa in iure, vbi citat Speculator, Marium Soccinum, & Maiolum asserentes esse expressam irregularitatem in dicto cap. Omnis, sed reuerà, ne verbum quidem ibi reperitur de hac re, vt constat perpendenti verba à nobis allata in responsione ad quæstionem, & docet citatus Megalius.

Infamis non est, quia hæc pœna in iure non reperitur *cap. Omnes 2. cap. Infames 17. 6. quæst. 1.* Quod si dicas, id exprimi *in cap. Sacerdos, dist. 6. de pœnit.* ibi ignominiosus, nam is terminus componitur ex, in, & nomine, hoc est sine bono nomine, ac proinde infamis, respondeo non attendi pœnam ibi statutam, sed posteriorem *cap. Omnis, vt ibi dicit glossa fin. & faciunt dicta quæst. 5. §. Prima, in fine.*

31 Casus Inquisitionis non est, quia casus pertinentes ad Sanctum Officium habent pro obiecto immediato crimen hæresis, aut suspicionem eius, aut aliqua ratione aliud delictum ei accessorium, vt colligitur *ex cap. Accusatus, de hæret. Nau. consil. 2. de hæret. num. 3. & sequent.* solum ergo hæreticus, vel de hæresi suspectus subiicitur Sanctæ Inquisitioni; Sed in casu nostro Confessarius sine dubio non est hæreticus, neque de hæresi suspectus, cum non peccauerit contra virtutem fidei Theologicæ, sed commiserit sacrilegium reuelando peccatum confessum in Sacramento Pœnitentiæ. Et id videtur tenere ibi *Nau. in fine.*

Quæres 13. An Confessarius non obligans pœnitentem ad restitutionem, teneatur ipse restituere.

32 Respondeo, Non teneri, licèt culpabiliter omiserit monitionem, quia officium eius quoad iustitiam est solum in ordine ad spiritualia, vnde errans in hac functione committit sacrilegium contra virtutem Religionis magis, quàm contra iustitiam. *Ita docet Fillinc. tom 1. tract. 7. cap. 12. quæst. 7. num. 374. Bonac. de restitut. disp. 1. quæst. 2. punct. 11. num. 13. quos, & alios citat Diana part. 1. tract. 2. Miscell. resol. 1. contra Nugnum, Zanardum, Gabrielem, Siluestrum, & alios.* Quod si Confessarius sit in causa, vt non restituat, quod accidere potest dupliciter, primo negatiuè, non admonendo eum, quem putat non restiturum, nisi moneatur; secundo positiuè, dicendo illum non teneri restituere, si hoc secundum faciat ex negligentia, aut malitia, tenetur restituere pro pœnitente, *vt docet Suar. tom. 4. disput. 32. sect. 6. ex eodem Diana, & Fabro de pœnit. disput. 33. num. 22. vbi ex ipso Suar.* dicit teneri restituere solùm, quando est causa positiua, & non negatiua, & ratio est, quod causa negatiua solùm tenetur, quando ei ex officio incumbit, modo Confessarius non tenetur ex officio iustitiæ, ergo. Idem dic, Confessarium obligari ad restitutionem, quando obligat pœnitentem ad id, ad quod reuerà non tenetur, ex supradictis Doctoribus.

33 Quæres 14. An Confessarius solicitans pœnitentem masculum, vel fœminam incurrat aliquas pœnas.

Respondeo, De facto nullam censuram, aut aliam pœnam incurrit, sed subiiciuntur Iudicibus Officij Sanctæ Inquisitionis à diuersis Summis Pontificibus puniendis, nouissimè à Gregorij Decimi Quinti Constitut. *Vniuersi Dominici*, quam explicant plerique Moderni Doctores, quos postremò citat Hieronymus Trimarchus Genuensis ex Minimis in suo tractatu de hac re.

Quæres 15. An Confessarius, qui anno transacto suæ approbationis concessæ ab Episcopo, non procurauit, vt facultas audiendi confessiones, confirmaretur de more, prosequendo hoc munus peccet mortaliter, nullas facit absolutiones, & aliquam incurrat pœnam? 34

Resp. Si inaduertenter prosequatur munus excusatur à peccato, ex communi Regula de inaduertentia, peccatum siquidem non est, nisi voluntarium, quo actu caret agens inaduertenter. Igitur peccat mortaliter exercendo hoc munus, quando aduertit iam expresse suam approbationem, nullas tamen de iure pœnas incurrit; quia nullo iure exprimuntur, probaui hic *quæst. 4.* Videat tamen vnusquisque quid statuerint Superiores contra huiusmodi negligentes prosequi audentes huiusmodi spirituale officium. In meo ordine nulla adhuc statuta fuit pœna. Confessiones à Christi fidelibus emissæ coram huiusmodi Confessario, quem putabant adhuc habere facultatem, validæ sunt, Ecclesia supplente iurisdictionem fauore animarum, quia error communis, & titulus coloratus dant iurisdictionem non habenti, *l. Barbarius, ff. de off. Prætoris,* etsi enim cessarit approbatio, adhuc tamen remanent eius reliquiæ virtute examinis, in quo fundatur approbatio, & quia error communis ortum habuit à iusto titulo ab initio. *Ita tenet Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 6. num. 3 quem prose citat Sanchez lib. 3. disp. 22. num. 58.*

Quæres 16. An Superior Regularis possit priuare suum subditum legitimè admissum ab Episcopo, subsistente legitima causa, ita vt inualidæ sint absolutiones deinceps dandæ, & ad quem Superiorem spectet huiusmodi priuatio.

Resp. Prouinciales, seu Generales legitima subsistente causa, possunt priuare suos Confessarios ab hoc munere, ita quod subsequutæ absolutiones sint nullæ. Prima pars probatur in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi, de quibus *concl. 36. quæst. 29. & 30.* ex eo enim quod ab Episcopis fuerunt approbati, non dicuntur exempti, ita quod si deliquerint in eo exercendo munere, non subiiciantur correctioni suorum Superiorum, cum adhuc in hoc, sicut in aliis subiecti sint eorum iurisdictioni, & castigationi. *Ita docent quamplures Doctores apud Bessium sect. 3. de Iubil. casu 2. numero 181.* Secundam partem docent omnes ab eo citati, & probatur, quia per priuationem huiusmodi illis aufertur potestas iurisdictionis, sine qua nullæ datæ sunt absolutiones à Sacerdote priuato facultate audiendi confessiones. 35

Non sufficit autem simplex prohibitio, aliàs Confessiones ab eo auditæ, licèt prohibitus Confessarius peccet mortaliter tenent, & validæ sunt, *vt docent Adrian. approbatus à Sanch. lib. 3. disp. 32. num. 2. §. Tandem, & à Portello part. 1. casu 9. num. 8.* quia simplex prohibitio respicit tantùm illicitam actionem, non verò vitiat actum. Quare prætcrea requiritur priuatio formalis, per quam auferat iurisdictionem, vt inde subsequutæ absolutiones nullæ sint.

RESOLV.

RESOLVTIO X.

De dispensationibus in communi pro Regularibus.

SVMMARIVM.

Dispensatio quid sit, quæ causæ ad eius valorem.
Inferior dispensat in quatuor causis.

1 *Prælati Regulares habent facultatem dispensandi cum suis subditis.*
Priuilegia referuntur.
2 *Quæ adhuc vigent.*
3 *Superiores omnes possunt dispensare.*
4 *Priuilegia dispensandi late explicanda.*
5 *Quinam veniant sub nomine Fratrum dispensandorum.*
6 *Prælati dispensant in omnibus, in quibus Episcopi.*
7 *Guardianus olim Laicus poterat dispensare.*
8 *Inferior non dispensat in lege Superioris.*
9 *Dispensat Prælatus etiam extra suum Conuentum.*
10 *Etiam extra forum pœnitentiale.*
11 *Absentem dispensare possunt.*
12 *De facto valent dispensare.*
13 *Secum dispensat in omnibus, in quibus potest dispensare suum subditum.*
14 *Tenet dispensatio in inuitum, & ignorantem.*
15 *Debita quandoque est dispensatio.*
16 *Reuocanda non est dispensatio data.*
17 *Negatam à maiore indulget inferior.*
18 *Remissam adhuc inferior perficere potest.*
19 *Ad maius dispensatus non censetur ad minus.*
20 *In seculo facta non prodest in Religione.*
21 *Dispensandi ius non desinit per primum actum.*
22 *Dispensare possunt pro vtroque foro.*
23 *Inferior non potest dispensare in genere.*
24 *Prælati dispensant in pœnis iuris non reseruatis.*
25 *Facultas dispensandi est delegabilis.*
26 *Prælatus non dispensat cum extraneo.*
27 *Dispensari quis simul, & eligi potest.*

DIspensatio est actus iurisdictionis, quo quis aximitur ab obligatione legis perfectè illum obligantis. Dixi, *Actus iurisdictionis*, quia solus Legislator, vel eius Superior, aut successor iure ordinario in lege sua, vel sui inferioris, aut sui æqualis prædecessoris potest dispensare; iure verò delegato quilibet alius à prædictis delegatus iure commissionis, aut priuilegij; itaque necesse est, vt dispensans habeat iurisdictionem ordinariam; vel delegatam, aliter nulla est dispensatio, quia omnis actus quoad suum valorem pendet non solùm à voluntate, sed etiam à potestate agentis, *ex cap. cum super 23. de offic. deleg.* Dixi a. *Ab obligatione Legis*, quia qui non tenetur ad eam, vel illam seruare non potest in aliquo casu necessitatis, aut impedimenti, non eget dispensatione, sed potius declaratione, legem in eo casu non obligare; & quando necessitas, vel impedimentum est certum, & clarum subditus se solo de facto potest agere contra legem, iudicando, se non obligari in eo casu, e.g. ægrotans grauiter non tenetur ieiunare; detentus carcere non tenetur ad præceptum audiendi Missam, &c. In dubio autem recurrendum est, vel ad Legislatorem pro dispensatione, si potest haberi tempore oportuno; vel si non potest haberi, & immineat casus, adhiberi potest Doctor, & vir prudens, qui iudicet, an lex eum obliget in tali casu. Legis autem nomine venire potest non solùm lex humana, in qua proprius Legislator sine dubio dispensare potest, vt est communis opinio; Sed etiam lex naturalis Diuina in materia votorum, & iuramentorum, vt de communi testatur *Sanch. lib. 4. cap. 37. num. 3.* ex vniuersali vsu, & antiquissimo Ecclesiæ, cui hanc potestatem contulit Christus, Matth. 16. illis verbis, *Quæcumque solueris super terram, erit solutum & in Cælis.* Hæc verba cum sint indefinita, ac proinde intelligibilia respectu cuiuscumque obligationis, comprehendunt quamcumque relaxationem, & exemptionem; neque enim inconuenit, vt ab Ecclesia Dei absit huiusmodi remedium tam necessarium Christi fidelibus. Et hæc dispensatio in lege Dei non est interpretatio, & declaratio, quod voti obligatio cesset, sed propriè est eximere, & tollere obligationem Legis, cui dispensatus subiaciebatur, quod *Sanch. num 5.* pluribus probat, adducando expressum textum *in cap. 4. de iureiur.* vbi dispensatio distinguitur ab interpretatione. Nomine insuper Legis humanæ, non tantum venit lex obligans sub culpa, siue sit vniuersalis, & Papalis, sed etiam Conciliaris, Synodalis, Regularis, cuiusmodi sunt Constitutiones, & statuta particularium Religionum, & similium; Sed etiam sub pœna tantum, cuiusmodi sunt Constitutiones diuersarum Religionum, quæ tantum obligant sub pœna transgressores, qui nullo modò peccant, ex vi obligationis Statuti, licèt requiritur transgressor, tunc sub culpa teneatur subire pœnam. Huius generis sunt singula Statuta in Regula nostri Ordinis registrata, & cæteræ ordinationes factæ à Superioribus, quæ ad pœnam tantùm obligant, vt videre est in Regulis Nicolai IV. & Leonis X. *cap. fini* & Regula Statutorum nostrorum in Procemio. Data in his dispensatio excusat transgressorem a pœna, quam de iure superior illi imponere non potest. Dixi demum, (Perfectè) quia quando lex imperfectè obligat, tolli potest obligatio non solùm dispensatione, sed etiam alia via, nempè irritatione, quo medio tolluntur vota Religiosorum, Filiorum, & Vxorum à suis Superioribus, quia obligatio huiusmodi in his personis subiectis dependet à voluntate eorum, quibus subiiciuntur.

Valor dispensationis requirit quatuor causas, duas ex parte dispensantis, alias duas ex parte dispensandi. Ex parte illius voluntas, & potestas, nam sine his nullus voluntatis actus subsistere potest, *ex cap. cum super 23. de offic. deleg.* Voluntas igitur est necessaria in dispensante, nam cum actus agentium non operentur vltra eorum intentionem, *l. Non omnes, ff. si cert. pet.* Si quis fictè dispenset, non tenet concessa exterius dispensatio, quamuis vires incipiat habere, si à dispensante ratificetur; & cum de actibus externis agatur, manifestanda 23
est voluntas dispensantis personæ, cum qua dispensatur, vt sciat legi non esse subiectam pro tali, vel tali casu. Potestas autem quæ iurisdictionis dicitur, non est actus ordinis, sed præstari potest à nondum ordinato, modò secularis sit saltem prima tonsura ordinatus, vel sit persona Religiosa professa, loquendo de spirituali potestate in Ecclesia, vnde aliàs in Religione Franciscana Conuersi erant Guardiani, & poterant dispensare in obseruantiis Regularibus, & in votis, vt colligo ex *Sanchez lib. 4. cap. 37. num. 20.* dum ait sufficere si quis sit persona Ecclesiastica. Hæc autem potestas cum propriè sit iurisdictionis, nihil efficere potest in excommunicato vitando, vel publico Clerici percussore, qui inualidè, sine dubio dispensat, cum careat hac potestate.

Ex parte dispensandi sunt subiectio, & iusta causa, necesse igitur est, vt persona dispensatione indigens incipiat habitare cum animo perseuerandi maiori parte anni, is enim ad hunc effectum dicitur subditus Superiori dispensaturo, vt aliis citatis docet *Sanch. lib. 4. disp. 37. n. 27. 28.* Iusta causa est illa, qua Legislator, vel dispensator rationabiliter mouetur ad dispensandum, & ad tria capita reducuntur ad necessitatem, vtilitatem, & pietatem siue publicam, siue priuatam. Defectu iustæ causæ dispensatio data ab inferiore in legem Superioris est nulla; data verò à proprio Legislatore, vel eius Superiore, vel Successore, tenet, licèt peccet saltem venialiter.

Inferior

Inferior autem diſpenſare poteſt in lege Superioris in quatuor caſibus. I. Quando ad hoc habet licentiam, aut priuilegium. II. In re parui momenti. III. In his, quæ ſæpè accidunt, vt in Ieiuniis, Feſtis, &c. IV. Quando ſuperuenit aliqua grauis neceſſitas, ita quod Superior adiri non poteſt, vnde Epiſcopus quandoque diſpenſat in impedimentis matrimonij, grauiſſima vrgente neceſſitate.

Quæres autem. I. An,& quo iure Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis?

1 Reſp. Poſſunt, non ſolùm iure proprio, & ordinario,ſed etiam iure priuilegij diſpenſare cum ſuis ſubditis, & Religioſis.

Prima pars, quod poſſint, probatur, Tum iure *cap. Cum ad Monaſterium,de ſtatu Monach.* ibi. *Quamquam ex Indulgentia poſſit Abbas*, & propè finem dicit, *Nec eſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare*, ergo ſuper aliis poteſt Prælatus diſpenſare, quia vno negato aliud cenſetur conceſſum, *cap. Qualis hinc 4. diſt.25. & ibi gloſſ.ver. Negatur.cap.Ex eo,quod,2 15.quæſt.3. iuncta gloſſ.ver. colligitur, cap. Nonne de preſumpt.* Loquendo de diſpenſatione irregularitatis,*cap.1 & 2.de eo,qui ordinem furt.cap cum illorum 32.in fine de ſenteut.excomm.*ergo poſſunt diſpenſare. Tum ratione,quia aliter poteſtas huiuſmodi Prælatorum non eſſet perfecta in ordine ad indigentiam ſuorum ſubditorum, quod eſt irrationabile, quia Prælatus cum habeat curam animæ & corporis ſui ſubditi, non debet carere remediis neceſſariis ad eius ſalutem. Ita docent omnes in materia diſpenſationis. *Rodriq. quæſt.26. Sylu. ver. eod. num.20.Mirand.tom.2.quæſt. 30. præſertim art.11.Nau.cap.12.num.75.§. Tertio, Compend. reſolut.52.*

Secunda pars,quod poteſtas diſpenſandi in Prælatis Regularibus ſit ordinaria, & ex officio, probatur, Tum quia hæc illis incumbit ex vi ſuæ Prælaturæ, ergo eſt ordinaria, Tum quia illis incumbit ex Lege, & hæc eſt ordinaria, *Innoc.in cap.1.de off. Archid. Megal.part.3. de cenſ.lib.3.cap.10.num.63.§.Similiter.* Et ita docent *Azor. lib.7.cap.29 q.7.Sanch.lib.8.diſp.3.n.9.& lib.4.cap.39.n.3.* loquendo de votis.

Tertia pars, quod iure priuilegij poſſint diſpenſare non ſolùm in non reſeruatis, quod facere poſſunt iure Ordinario, ſicut in ſua lege, verùm etiam iure priuilegij, probatur adducendo priuilegia ad hoc diuerſorum Pontificum.

Primum ſit Bonifacij IX. apud Confect.pag. 26.Conſtit. *Sacra Religionis*,pro Dominicanis,illis verbis. *Quodque Magiſter,& Priores prædicti,aut eorum Vicarij,eorum ſubditos Fratres, vel Sorores, qui forſan in quoſcumque Fratres dicti Ordinis excommunicationis, aut alias ſententias,ſiue pœnas,ſiue ſcriptis, aut aliàs minus ritè promulgarint, vel manus violentas in confratres, vel alios quoſcumque Clericos, etiam vſque ad ſanguinis effuſionem, & enormem læſionem iniecerint, &c.* & infrà; *Cum eis ſuper irregularitate,ſi quam huiuſmodi ſententiis ligati,celebrando diuina,vel ſe immittendo in illis,contraxerint, diſpenſare, eoſque quoad hoc in ſtatum priſtinum reſtituere.* Papa illis indulget,vt poſſint diſpenſare in irregularitate contracta ob exercitium ordinum in excommunicatione, vel ob Clerici percuſſionem, vel per aliam cenſuram à dictis Prælatis promulgatam.

Secundum ſit Gregor. XI. inſertum in mari magno Sixti IV. pro Prædicatoribus,illis verbis: *Magiſter quoque, & ſinguli Priores, Prouinciales, & Conuentuales, ac vices eorum gerentes in Prouinciis,& Conuentibus,ac locis ſibi commiſſis pro dictis Fratribus conſtitutis ibidem, nec non & Fratribus aliis eiuſdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumque abſolutione, & diſpenſatione indigentibus, ſiue priuſquam intrauerint Ordinem, ſiue poſt, in caſibus autem, in quibus exceſſerint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut ſuſpenſionis incurrerint ſententias à iure, vel à Iudice generaliter promulgatas,& huiuſmodi ſententiis innodati, aut in locis ſuppoſitis Eccleſiaſtico interdicto diuina Officia celebrantes, vel ſuſcipientes Ordines ſic ligati, notam irregularitatis incurrerint, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium valeant impartiri, niſi adeò grauis fuerit, & enormis exceſſus, quòd ſint ad eandem Sedem meritò deſtinandi. Fratres etiam veſtri, quos pro tempore vos Magiſter, & Priores tam Prouinciales, quam Conuentuales, nec non & vices noſtras gerentes in proprios habueritis Confeſſarios abſolutionis, & diſpenſationis beneficium vobis, cùm expedierit, valeant impartiri. Ad hæc volentibus veſtro aggregari Collegio, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationis ſententiis à iure, vel à Iudice promulgatis, generaliter ſunt ligati, abſolutionis beneficium, obſeruata forma Canonica impartiri, ipſoſque in Fratres recipere, ac eos,qui poſt aſſumptum habitum,vel profeſſionem emiſſam recoluerint ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententiis innodatos, ſecundum formam ipſam, vos Magiſtri, & ſinguli Priores Prouinciales, & Conuentuales, ac vices eorum gerentes valeatis abſoluere, & cum irregularibus diſpenſare, ſi forſan talibus innodati ſententiis, vel in locis interdicto ſuppoſitis Diuina præſumpſerint Officia celebrare, vel Ordines ſuſceperint, ita tamen, quòd ſi aliqui ex huiuſmodi eiſdem ſententiis propter debitum ſint adſtricti ſatisfaciant, vt tenentur.* Hæc omnia Sixtus IV. inſerendo in ſuo Mari magno pro Dominicanis apud Confect.pag.54. confirmauit, vt ibidem videre eſt pag.63. & quia dubitabatur, propter quoſnam exceſſus conſulenda eſſet Sedes Apoſtolica, declarauit hoc, ſubdendo hæc verba; *Vt abſoluentium, & abſoluendorum, diſpenſantium, & diſpenſandorum pro tempore puritati conſcientiæ conſulamus, declaramus hæreticos, relapſos, Schiſmaticos, & qui literas Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad Infideles prohibitas detuliſſent, dumtaxat eſſe ad Sedem Apoſtolicam meritò deſtinandos. Reliquis verò omnibus, etiam ſimonia qualitercumque irretitis, poſſe per illos, quibus inibi conceditur, abſolutionis beneficium, & diſpenſationis gratiam, iuxta caſuum indulgentiam impartiri. Et vt dictis Ordinis profeſſoribus omnis vagandi occaſio tollatur, & ad Apoſtolicam Sedem recurrendi ſubtrahatur propoſſe neceſſitas, Magiſtro, & Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicariis defectum natalium ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus, nec non cum his, qui ex quavis cauſa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ,& mutilationis membrorum irregulares forent, diſpenſandi cum dictis Ordinis Prædicatorum profeſſoribus, poſtquam ipſum Ordinem profeſſi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiuſmodi non obſtantibus, irregulares ipſi ad quoſcumque etiam Sacros Ordines promoueri, & in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & tam ipſi irregulares, quàm defectum natalium patientes prædicti ad quæcumque adminiſtrationes, & officia eligi, recipi, & aſſumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant motu, & ſcientia, ac authoritate prædictis concedimus per præſentes.*

Tertium eſt Fratrum Minimorum conceſſum ab Archiepiſcopo Cuſentino dicto Pirrho, confirmatum à Sixto IV. Conſtitut. *Sedes Apoſtolica*, apud Confect. pag.87.illis verbis: *Confeſſiones audiendi, & ab omnibus caſibus, excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, ac ſuper quacumque irregularitate, eidem Archiepiſcopo tam à iure, quàm ab eo reſeruatis,& præmiſſis,toties, quoties opus foret, & eſſet, abſoluendi, & diſpenſandi, ac vota quæcumque permutandi, & relaxandi.* Hæc conceſſio eſt æquè pro pœnitentibus Fratribus, & Secularibus, vt colligitur ex Conſtitut. *Dudum ad ſacrum Ordinem*, Iulij II. apud Confect.pag.118. §.Nec non Confeſſiones.

Quartum eſt Dominicanorum, conceſſum à Pio V. Conſtitut: *Romani Pontificis*,131. in nouo Bullario, & apud Confect. pag.228. illis verbis: *Et inſuper, quia Sacrum Oecumenicum Generale Tridentinum Concilium conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ.24. cap. 6. habetur, vt Prior Conuentualis,*

tualis, & Superiores Prelati dicti totius Ordinis, tam in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet, in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut Seculares non existant, eisdem Priori Conuentuali, & Superioribus Prelatis, vt ipsi per se ipsos idem omninò possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subiectos, tam quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumque facultates eadem authoritate, & tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac declaramus. Hoc exposui *resolut. 2. quæst. 9.*

Hæc quatuor sufficiant, qui alia plura desiderat, legat Compilatores Priuilegiorum, vti Sorbum, Rodriq. Portellum, illius Compend. & Peregrinum Theatinum iuxta Neapolitanam impressionem de anno 1633. vbi breuiter dicta, & alia refert. Sed difficultas præcipua in prædictis priuilegiis est, An nunc adhuc vigeant, & non sint sublata, Quare.

Quæres 2. An dicta Priuilegia dispensandi ita vniuersaliter saltem ex parte nunc sint sublata?

2 Respond. Nequaquam fuisse sublata, at si quandoque cassata fuerunt aliqua ex dictis, postea per superuenientem alterius Pontificis confirmationem inceperunt reuiuiscere, & habent vim vsque adhuc, stante amplissima concessione de nouo facta omnium priuilegiorum ex certa scientia, & plenitudine potestatis à Greg. XV. ad instantiam Thesiinorum, de qua satis dixi *resolut. 3. quæst. 11. §.* Sed quæres.

Quæres 3. An facultas dispensandi indifferenter competat omnibus Prælatis non solùm maioribus, vt sunt Generalis, Prouincialis, sed etiam Superioribus Localibus, & eorum Vicariis?

3 Respond. Certùm est, hanc potestatem habere prælatos omnes expressos in quæstio, cùm in terminis dicatur in allatis mox priuilegiis. Quæ intellige, nisi à maioribus inferiores prohibeantur expresè; vel agatur de re grauiori, vt de irregularitatibus, & aliis deductis ad forum contentiosum, seu notoriis, quia huiusmodi videntur spectare ad maiorem Superiorem, vel Prouinciales, quia grauiores causæ referuntur ad maiores. Vide quæ dixi *resol. 3. quæst. 5.* de facultate absoluendi, & applicabis. Vnde Locales Prælati, & eorum Vicarij illis absentibus poteruot dispensare suos subditos in votis, & abstinentiis Regularibus, ab aliis verò abstinere, nisi vrgeat necessitas, vt dixi initio huius resolutionis §. Inferior, posse hunc quandoque dispensare in lege Superioris.

Quæres 4. An latè explicanda sint huiusmodi priuilegia dispensandi.

4 Respond. Latè sunt explicanda, Probatur, Tum quia summa est ratio, quæ pro Religione stat, *l. sunt persona, in fine ff. de Relig. & sumpt. fun.* Tum quia Regularium priuilegia æquiparantur legi, ac perinde habentur, ac si essent inserta in corpore iuris, quod latè explicatur, *Oldrad. consil. 300. num. 4. §. Considerandum. Henr. lib. 7. cap. 22. num. 3. Fuscher. lib. 2. de visitat. cap. 16. num. 5. & ex illis Sigism. dub. 120. de elect. num. 13.* Tum quia potestas ordinaria latè explicatur, vt docet *Conar. 4. Decretal. part. 2. cap. 8. §. 8. num. 9. ex cap. Per venerabilem, Qui filij sint legitim.* Sed huiusmodi priuilegia continent potestatem ordinariam, cum sint perpetua *Bartol. in l. Ambitiose ff. de decr. ab Ordin. fact. num. 34. Silu. vers. Delegatus, quæst. 4. dist. 1. quos & alios plures citat Sanch. lib. 2. disput. 40. num. 14. Sigism. cit. dub. 121. num. 2.* Tum quia priuilegia conceduntur Regularibus in ipsorum fauorem, & gratiam licèt exercenda fauore aliorum, *Rodr. quæst. 61. art. 15. Sanch. lib. 4. cap. 54. num. 12. ad finem, & ex eis Bossius sect. 2. de Iubilæo casu 34. num. 5.* Demum probat *Sanch. lib. 8. disp. 2. initio,* quia cum potestas dispensandi conceditur, nulli fit præiudicium, nisi ipsi concedenti, qui suam potestatem communicat, neque etiam ex parte eius cui conceditur, requiritur odium, maximè in casu nostro, in quo Religionis Prælatis nominibus non expressis conceditur in honorem eius, & ob merita, & in præmium laborum, quos passi sunt Religiosi pro Ecclesia Dei, *Peyrin. tom. 3. de priuil. cap. 4. num. 24. & subdit Sanch.* quod dum Papa concedit huiusmodi priuilegia dispensandi non habet pro principali intento vulnerare ius commune, quod solùm in consequentiam venit, sed fauorem, & beneficium, quibus intendit afficere eos, & in casu nostro Religionem, cui conceduntur; igitur cum hic principaliter intendatur fauor, & nullum odium, nisi secundariò, concluditur priuilegia huiusmodi dispensandi latè esse explicanda, nisi præiudicent tertio, quia tunc restringitur facultas. Ita fusè *Sanch. lib. 8. disp. 2.* de omni facultate dispensandi, & cum eo in terminis nostris, *Portell. ver. Dispensatio, num. 23. 24. & num. 14. in Addit.* in quibus locis notat *cum Sanch. cit. disput. 1.* Ipsammet dispensationem strictè esse explicandam, vnde si dubitetur an dispensatio iam facta extendatur ad alium casum, non est extendenda propter eam rationem, quia strictè explicatur dispensatio iam facta; sicut & quando Religiosus habet facultatem dispensandi cum aliquibus determinatis personis, vt in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, & similibus, in quibus fauor, & gratia non fit intuitu Religiosi, sed pœnitentis præcipuè indigentis, *vt docet idem Sanch. lib. 8. disput. 2. num. 6. & 7.*

Quæres 5. Quænam personæ veniant sub nomine Fratrum, cum quibus Superiores dispensare possunt?

Respond. Nomine Fratrum primò veniunt professi tantùm in materia irregularitatis, nam dispensatio circa hæc confertur, vel in ordine ad ordines, vel Prælaturas, aut dignitates, quæ in Religione conferuntur solis professis. Quod si Nouitius sit initiatus ordine aliquo, & inciderit in aliquam irregularitatem, propter quam non possit ministrare in suscepto ordine poterit dispensari in ea irregularitate contracta siue ante, siue post ingressum in Religionem, etiam ante professionem, vt constat ex priuilegio Gregor. XI. Confirmato à Sixto IV. in suo Marimagno, suprà sub *quæst. 5. §.* Secundum; & ratio est, quia Nouitij veniunt sub nomine Fratrum, & eorum priuilegiis gaudent, vt docent ferè omnes *cum Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. num. 17. Sanchez lib. 4. cap. 39. num. 13. & lib. 6. cap. 10. in fine, Riccius tom. 4. praxis resol. 240. num. 2. & alij cum Diana resol. 73. de Regular.* Quare secundò veniunt ipsi Nouitij in dispensatione votorum. Veniunt tertiò famuli, & Tertiarij collegialiter viuentes cum professis, cum quibus possunt dispensare in votis, quia gaudent priuilegiis professorum, vt probaui *resolut. 3. quæst. 4. §.* Quatro. Si Superior iure ordinario, & ex officio præcisè dispensare intendat, eius facultas extendit se tantùm ad suos subditos sub eius obedientia de familia manentes, cum respectu illorum dumtaxat de iure suum officium exercere habeat; si verò intendat dispensare virtute priuilegij Gregor. XI. & Sixti IV. suprà relati *quæst. 1. §.* Secundum, in eo casu priuilegium extendere potest etiam ad aduenas ad ipsum declinantes, vt apertè colligitur ex dicto priuilegio; puto tamen hæc procedere in foro conscientiæ re existente occulta, perturbatur enim ordo, si vnicuique non seruatur propria iurisdictio, *cap. Peruenit 36. 11. quæst. 1.* 5

Quæres 6. An Prælati Regulares possint dispensare in omnibus, in quibus possunt dispensare Episcopi suos Clericos.

Respondeo. Possunt, Tum quia Prælati saltem maiores habent potestatem iurisdictionis Episcopalis, *gloss. versic. proprij, Clem. 1. de reb. Eccles. non alien. Corduba versic. Absolutio ordin. quoad Fratres Rodr. in sum. part. 1. cap. 29. & dixi resolut. 2. quæst. 9.* ergo possunt dispensare possunt in omnibus, in quibus Episcopi. Tum quia à Pio V. suprà hic *quæst. 1. §.* Quartum in absolutione, & dispensatione æquiparantur Episcopis. Ita in terminis *Portell. versic. Prælatus num. 36.* Faciunt quæ dixi *cit. quæst. 9.* vbi explicatur priuilegium Pij V. 6

Quæres

Quæres 7. An Guardianus, qui olim consueuerat esse Laïcus, seu conuersus, potuerit dispensare cum suis subditis?

7 Respond. Potuit propriè dispensare in obseruantiis Regularibus, & votis; probatur; Tum quia est persona Ecclesiastica, *Compend.resol.86.num.1.* ergo erat capax iurisdictionis requisitæ ad dispensandum. Tum quia ad dispensandum in his non est necessarium esse aliquo ordine initiatum, quia dispensatio non est actus ordinis, sed iurisdictionis spiritualis, *vt aliis citatis docet Sanch. lib.4.cap. 37. num. 16.* ergo exerceri potest à non habente aliquem ordinem. Tum quia est potius actus Superioritatis, quam alterius facultatis; sed Guardianus Laicus habet Superioritatem, hoc ipso, quod est Guardianus; nam olim isti admittebant Confessarios, & sibi casus reseruabant, vt docet *Rodr.quæst.15. art 2.* Non tamen possunt dispensare in materia irregularitatis, quia cum carent ordinibus consentaneum est, vt eum illorum sint incapaces, nequeant alios restituere capaces, & habiles.

Quæres 8. An inferior possit dispensare in lege Superioris? e.g. An Prior in Constitutionibus, seu Ordinibus factis à Prouinciali, & is in statutis Generalis, & hi omnes in legibus Papalibus? Quæstio procedit, quando Legislator expressè non prohibuit dispensationem.

8 Resp. Regulariter non potest, vt apertè colligitur *ex cap.Inferior 4.dist.21.cap.Cum inferior 16. de Maior. l.formam Cod.de off.præf.præt. Clem. Ne Romani, de elect. Nauar.tom.3.de lege pœn.num.31.Guttier lib.1. quæst. Canon.cap.5.num.10.Suar. Pontius, Salas, Barbosa, ex quibus Diana resol.52.§ verum Miscell.6.part.3. Bonac.quæst.2. part.2.de dispens.num.17.§. Secunda, vbi alios citat Compend. resol.52. contra Merand. tom.2. quæst.30. art.10.* & multos alios apud Bonac. & Dianam, ducti ea illa communi propositione, quod Episcopus in sua Diœcesi potest, quicquid Papa in tota Ecclesia, quæ cum sit simpliciter falsa, ideò nullam vim habet inferendi opinionem aduersariorum; quibus neque suffragatur *cap Nuper de sent.excomm.* quia ibi sermo est de absolutione, à qua ad dispensationem non tenet argumentum, ex iis, quæ habet *Sigism. de elect.dub.97. à num.1. ad 8.* & in terminis nostris *dub.98.n.6.* An autem possint dispensare in pœnis legis? dicam infrà *quæst.24.*

Dixi, *Regulariter*, quia in aliquibus casibus dispensare potest inferior in lege Superioris, vt docui initio huius resolut.§.Inferior. Ita docent multi cum *Bonac. loco citato, Sigism. cit. dub.98. num. 7. aliis citatis, Sanchez lib.2. disputat.40. num.3.& lib.8. disputat.5. Nauar. consil.4. de celebr. Miss.Graff. part.1. lib.1. cap. 31. n.14.* Et licèt non loquantur in terminis nostris, loquuntur tamen vniuersaliter de quouis inferiore respectu suorum Superiorum, ac proinde etiam de Prælatis Regularibus.

Quæres 9. An Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis etiam extra proprium locum, & Conuentum?

9 Respond. Possunt, quia hæc potestas siue sit ordinaria, siue priuilegiata non limitatur loco, aut territorio, cum sit gratiosa, non contentiosa; & priuilegia loquuntur indeterminatè sine distinctione locorum. Ita tenet *Portell. vers. Dispensare in Addit. num. 10. ex doctrina Sanchez lib.3. disput.19.num.7.& Suar.de censur. disp.41. sect.2. num.10.* ex duplici iurisdictione, gratiosa, de qua nunc, & contentiosa, quæ debet exerceri intra proprium locum, seu territorium, ad quod limitatur *l.fin.C.vbi, &* apud quos.

Quæres 10. An Prælati dispensare valeant suos subditos extra forum Sacramentale, siue ex officio, siue iure priuilegij?

10 Respond. Possunt, quod alia ratione non probatur, nisi quia sola peccata subduntur huic modo absoluendi; deinde priuilegia ad dispensandum non continent hanc restrictionem; nec obstat priuilegium tertium sub *quæst.1.* per illam particulam. *Confessiones audiendi.* Quia refertur ad peccata, non ad dispensationem, quæ differt ab absolutione; neque priuilegium quartum ibidem, illis verbis. *In foro animæ, seu conscientiæ.* Quia respectiuè ad absolutionem peccatorum refertur ad forum Sacramentale, respectiuè verò ad dispensationem irregularitatis, denotat dispensationem non prodesse pro foro externo, sed tantùm pro foro conscientiæ. Vide quæ latiùs dixi *resol.3.q.8.Portel. vers. Dispensare num.10.*

Quæres 11. An dispensare possint absentem subditum à seipsis?

Respond. Possunt, probatur. Tum quia in hoc actu 12
non habet locum absolutio, quæ ex sui conditione videtur requirere subditum præsentem iudici sententiam ferenti; Tum quia maior difficultas est in absolutione censurarum, quæ tamen confertur censurato absenti, *Bonac. disput 1. de cens.quæst.3.part.4. num.4.* de communi, ergo eo magis dispensatio, quæ nullum continet vestigium absolutionis, *ita docet Portell. verb. Dispensare, n.10.alij cum Bossio sess.1.de Iub.casu 10.n.166.*

Quæres 12. An Prælati Regulares non tantùm verbis, verùm etiam facto ipso dispensare præsumantur, quotiescumque suum Religiosum admittunt ad aliquem actum, ad quem admittere nequeunt, nisi prius sublato impedimento e.g. An Prælatus censeatur de facto restituere vocem, hoc ipso, quod Religiosum vocat ad electionem? item An dando litteras dimissorias ad Ordines, censeatur facto isto dispensare in irregularitate, qua est impeditus ad Ordines? Quæstio autem procedit respectu eorum, in quibus Prælatus dispensare potest, nam in prohibitis sicut verbis dispensare non potest; ita multò minus nequit facto tollere impedimentum: & difficultas est vniuersalis respectu quarumcumque legum siue iuris Diuini, siue humani, Papalis, aut alterius Superioris, siue æqualis.

Respond. Prælatus Regularis admittendo de facto
suum subditum ad aliquem actum sibi lege aliqua pro- 14
hibitum, in qua potest dispensare, censetur de facto per illum actum dispensare cum subdito, licèt nullam mentionem faciat de impedimento, modo subsit iusta causa, & cognitionem habeat impedimenti, neque prærequiratur cognitio causæ, cum certa forma Concil. & consensu aliorum; siue dispenset de iure, siue ex priuil.

Probatur vniuersaliter responsio, quod censeatur tunc tacitè dispensare. Tum quia ad dispensandum requiritur potestas, quæ reuerà adest, ex data suppositione, & voluntas, quæ tacitè inest illi facto, aliter ex illo facto præsumeretur delictum, & peccatum, admittendo indignum ad actum illum; sed delictum, & peccatum non præsumuntur, *l.Marito, ff pro Socio*; ergo dicendum est per hanc admissionem tacitè dispensare, ne præsumatur peccatum in admittente. Tum quia ad dispensandum nulla verba sunt necessaria, vt tenent communiter Doctores, cum per nutus, & signa quoque præstari possit, vt aliis citatis docet *Bonac.p.3.de dispensat.num.18.* Tum quia in his, quæ non habent certam formam, nec verba requirunt, tantùm valet voluntas tacita, quantum expressa *l.Qui ad certum ff.locat.l. De quibus 32 ad finem, ff. de legib.* ergo illud factum est sufficiens præsumptio dispensationis. *Ita docent Silu. ver.Dispensatio in fin. Ang. n.12. Sà n.8. Portel.ver.Dispensare n.13. Compend.resol.52. n.56.Sanch.li.8.disp.4.per totam, præcipuè n.17.* ad nostrum propositum, qui de hac re alias duas sententias refert contrarias nostræ responsioni, *quorum Doct.inter quos est Nau.cons.3.& 5.de fil.presbit.& cons.1.qui fil sint legit.* concedens hoc soli Papæ, nequaquam aliis inferioribus ab eo citati *n.15.* mouentur 1.per hoc quod validè dispensat in sua lege, iste verò debet præmittere causæ cognitionẽ. Sed ad hoc dico valere etiã respectu inferioris dispẽsatio, nem sine cognitione causæ, modò subsistat vera causa. II. Quia *c.fin.dist.15.* punitur Episc.promouens concubinariũ sine verbali dispensatione, ergo signum est, quod non tenuit tacita dispẽsatio ex facto promotionis. Sed ibi, & in

aliis

aliis textibus similibus punitur de facto dispensans, non quia fuerit nulla dispensatio, sed quia male se gessit in dispensando, debebat enim præmittere causæ cognitionem. III. Quia ex eo actu, & facto potius præsumitur delictum contra *l. Merito, ff. pro socio.* Ad hoc dico cum eodem *Sanchez num.* 17. quod in actu, qui sine peccato fieri nequit, sed potest fieri cum maiori, vel minori peccato, recipienda est præsumptio grauius peccatum excludens, *l. si adulterium cum incestu §. 1. 2. & 3. ff. Ad legem Iuliam, de adulter.* sed præsumptio, quod adsit dispensatio ex illo facto excludit grauius delictum, nimirum peccatum ex attentata dispensatione nulla, ergo præsumenda est dispensatio in eo casu.

Vt teneat dispensatio in lege sui Superioris, dixi requiri cognitionem impedimenti, & subesse iustam causam; ratio primi est, quia cum Prælatus non dispenset sine actu suæ voluntatis, necesse est, quod prænouerit impedimentum, quia voluntas non fertur in ignotum, *Arist. 3. Anim. com. 39. D. Aug. lib. 13. de Trinit. Nauar. tom. 3. cap. Cogitationis*; Regulatur enim à mente actus voluntatis, *Mendez à Castro in praxi Lusitana lib. 3. c. 15. num. 11.* Secundum constat ex mente omnium requiri iustam causam, vt valeat dispensatio in lege Superioris, qui nunquam præsumitur, concedere suam potestatem nisi licitè, ac proinde cum conditione essentiali, si subsistit iusta causa.

Quando prærequiritur certa forma, vt exempli gratia fiat in capitulo cum consilio, & consensu patrum, tunc omissa huiusmodi forma, Superior procedens de facto eligendo, nulla ratione censetur dispensare, quia prætermisit causæ cognitionem in hoc casu necessariam ad valorem dispensationis; exemplum habemus in dispensatione illegitimorum, quam Greg. XIV. Constit. *Circumspecta Romani.* Apud Confect. pag. 271. apud Quaranta versic. Monasteria virorum 302. concessit Prælatis exercendam suis capitulis, *vt dicam infrà resol. 12. quæst. 13. Vide interim Megal. consil. 91. per totum, contra Rodr. quem citando sequitur Portell. n. 7. Compend. resol. 52. num. 50.*

Dicta procedunt, siue dispenset de iure, siue ex priuilegio, quia faciunt rationes adductæ in probatione responsionis. *Et ita docet Sair lib. 7. Thesauri cap. 14. apud Sanchez lib. 8. disp. 4 num. 17.*

Quæres 13. An Superior possit secum dispensare in omnibus, in quibus potest dispensare cum suis subditis? Non est sermo hîc de dispensatione impropriè dicta, vt quando prohibetur aliquid fieri sine licentia Superioris, in quo casu Superior concedens licentiam, vt fiat, non dicitur dispensare, quia nullam legis obligationem tollit, sed solùm dando licentiam, dicitur facere agens iuxta formam legis, seu statuti per obtentam licentiam, vnde est actus solùm Superioritatis, non autem iurisdictionis; hoc modo Superior dans licentiam alloquendi Moniales dicitur exercere actum Superioritatis, non iurisdictionis; & in hoc sensu Superior valens licentiare subditum ad aliquid agendum, potest licentiare immediatè seipsum, ne sit peioris conditionis subdito, *vt docent Angel. vers. Monachus num. 7. Siluest. ver. Religio 6. quæst. 10. & Religio 7. quæst. 12. Armilla versic. Episcopus num. 8. Corduba versic. Accedere ad Monast. Mon. in fine, Rodr. tom. 1. quæst. 45. art. fin. & ex eis Sanch. lib. 8. disputat. 3. num. 1.* Restat ergo difficultas in vera dispensatione respectu legum, nempè irregularitatis, voti, iuramenti, & similium, in quibus relaxatur obligatio legis respectu dispensati. An nimirum Prælatus per se ipsum immediatè possit secum dispensare, an debeat ad hoc eligere tertiam personam, quæ iudicet, & dispenset.

13 Resp. Prælati Regulares, Generalis, Prouincialis, & etiam Prior possunt non solùm per tertium a se electum ad hoc, sed etiam seipsis immediatè secum dispensare in omnibus, in quibus possunt dispensare cum suis subditis.

Primùm, de mediata dispensatione, constat ex Marimagno Sixti IV. per Bullam Gregor. XI. insertam in eo, cuius verba retuli sub *quæst.* 1. hic §. Secundum. Confirmatur, Tum quia Episcopi, & alij Prælati exempti, euiusmodi sunt etiam Regulares possunt eligere Sacerdotem in Confessarium, vt probaui *cons. 34. q. 19. & 11.* qui illos absoluat ab omnibus, à quibus ipsi possunt absoluere subditos; ergo pari ratione possunt eligere Sacerdotem, qui illos dispenset; & potiori ratione, quia maior distinctio requiritur inter absoluentem, & absolutum, quàm inter dispensantem, & dispensatum. Tum quia Prælati non debent esse deterioris conditionis suis subditis. Tum quia illis durum, & incommodum esset, si cogerentur peregrinari ad Superiorem pro dispensatione, maximè hoc præiudicaret vtilitati publicæ subditorum, si eorum Superior localis deberet accedere ad suum Superiorem, cum ex suo officio teneatur residere. *Ita docent Henr. lib. 6. de pœnit. cap. 4. num. 3. & lib. 7. de Indulg. cap. 28. Sà ver. Religio num. 47. & ex eis Sanch. lib. 8. disp. 3. num. 3.* & breuius ac clarius ad nostrum propositum *lib. 4. cap. 37. num. 42.* Et hoc fieri potest extra Sacramentalem Confessionem, quia dispensatio non est materia Sacramenti absolutionis, vt docet ipsemet *Sanch. ea disp. 3. num. 3. in fine.*

Secundùm, de immediata dispensatione eiusdem in se ipsum; probatur: Tum quia hoc non repugnat iuri naturæ Diuino, neque humano; siquidem idem respectu diuersorum potest exercere vicem duorum, *Abbas in cap. Ex literis, de probat. num. 12.* hoc affirmit, nisi ab aliqua lege sit vetitum, *in cap. autem fin. de Instituti.* vbi reprobatur institutio eiusdem de seipso, asserit illud inde acceptum axioma. Distinctio debet esse inter dantem & accipientem; non esse vniuersaliter verum, vt ex ipso multis ostendit *Sanchez lib. 8. disput. 3. num. 6.* ergo cum nulli iuri repugnet dispensatio eiusdem cum se ipso, poterit Prælatus secum dispensare. Tum quia illud Axioma: Nemo sui ipsius iudex; non habet locum in iurisdictione voluntaria exercenda extra formam proprij iudicij, vt excludamus absolutionem Sacramentalem, *gloss. fin. cap. Nunc autem 7. distinct. 21. Thomasor. reg. 25. Sanchez citat. num. 6. initio.* Ita tenent *Armilla versic. Monachus num. 9. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disputat. 247. §. Religiosus tamen, Sà versic. Religiosus num. 47. Azor. lib. 7. cap. 29. & ex illis Sanchez lib. 8. disput. 3. num. 9. & lib. 4. cap. 37. numer. 45.* Obstare potest supra adductum priuilegium Gregor. XI. concedentis Prælatis, vt possint eligere Sacerdotem cum illis dispensantem. Sed dic eam moderationem non restringi respectu dispensationis, sed tantùm respectu absolutionis Sacramentalis, quæ requirit distinctionem personarum, non autem dispensatio, vt probatum est, verbum enim idem relatum ad diuersa, etiam diuersimodè interpretatur, & diuersificatur secundùm adiecta, *gloss. fin. argum. cap. Si Papa 10. de priuileg. in 6. per l. Quod sæpè, §. veteris ff. de contr. empt. Nauar. tom. 3. in cap. Negotium, Grileuz, consil. 256. num. 21.*

Quæret 14. An teneat facta dispensatio à Superiore cum subdito ignorante, vel non petente, aut nolente dispensari? & ei prosit?

Respond. Tenet facta dispensatio in illis tribus casibus; Probatur vniuersaliter, quia ex parte dispensantis adsunt omnia requisita ad eius valorem, nempè potestas, & voluntas, ergo ex hoc capite tenet; adsunt etiam requisita ex parte dispensati, nimirum subiectio, & iusta causa, vt suppono; hæ enim quatuor conditiones requiruntur, & sufficiunt, vt dixi initio huius resolutionis §. Valor. Confirmatur responsio in specie singulorum casuum. Prodest igitur dispensatio facta ignoranti etiam à die concessionis, si illam procurauit per nuntium, vel procuratorem, eo quod dicitur illam acceptare nomine suo; si verò non postulauit per tertium, sed alter sine eius mandato obtinuit, illi prodesse non potest, nisi à die scientiæ, & puncto 14

accepta

acceptationis. *Ita docent Suarez lib. 8. de legib. cap. 25. num. 15. Menoch. lib. 2. de arbitr. bent. 2. casu 185. num. 31. & ex eis, & aliis citatus à Bonacin. part. 3. de priuileg. num. 5. Sanch. lib. 8. disput. 26. num. 5.* in terminis, cum aliis ab eo citatis, vbi refert opinionem oppositam asserentium prodesse à die concessionis, quorum dictum approbo in materia electionis, prodest enim dispensatio facta cum inhabili ad Prælaturam, nam sequitur valida electio, licèt ignoret dispensationem, & illi prodest, licèt ex ea nullum actum agere possit, nisi intimetur illi electio, & ab eo acceptetur.

Valet præterea, & prodest scienti concessa dispensatio ab extraneo, sine eius mandato, quod probatur. Tum quia eius valor pendet à voluntate concedentis, & non à supplicatione petentis. Tum quia potest impetrari beneficium alicui sine eius mandato *cap. Si motu proprio, de prebend. in 6.* ergo & dispensatio, militat enim eadem ratio, quia vtrumque est gratia, & fauor. *Ita docent Nauar. consil. 2. 3. & 4. de rescr. Sà ver. Gratia num. 23. Sanch. lib. 8. disput. 26. num. 4. Bonac. part. 3. de priuil. num. 1. Portel. vers. Dispensare num. 11. ex Suar. lib. 6. de legib. cap. 13. num. 8.* & hoc solet accidere in Religionibus, vt plurimum enim Prælati dispensant cum suis subditis, vt fiant habiles ad electionem, nulla præcedente petitione. Vnde in mea Religione Prælati in visitationibus solent dispensare pro foro conscientiæ in irregularitatibus quibusdam, nulla præcedente subditorum petitione.

Dispensatio demum collata in nolentem habet suum effectum maximè quando cedit in vtilitatem publicam, vt quando quis dispensatur ad officium publicum, in quo casu resistentia dispensati nil operatur, & si enim beneficium non conferatur in inuitum *l. inuitus, §. Quod cuique ff. de regul. iur.* quod procedit, quando soli inuito prodest, & est priuatum beneficium, fallit tamen quando quia dispensatur ob bonum publicum, vt in ordine ad officia, tunc enim beneficium, & gratia confertur inuito *Thomaset. Regul. 151.*

Quæres 15. An Superior teneatur dispensare subditum petentem habilitari ad electionem, suadentibus id eius meritis? Quæstio pendet ab ea difficultate, An Superior, iusta subsistente causa teneatur dispensare subditum petentem, & indigentem dispensatione? Doctores communiter distinguunt quandoque Prælatum non teneri, quia dispensatio vocatur in iure indulgentia, *cap. 1. de statu Mon. in 6.* gratia, *cap. Didici 19. 7. cap. Licet, de elect. in 6.* Misericordia, *cap. Pastoralis de Cler. excommunic. min.* Sed hæc concedere nemo cogitur, ergo Superior non habet debitum dispensandi. Quandoque verò teneri, ex eo, quod dispensatio distinguitur in prohibitam, permissam, seu gratuitam, & debitam, benè *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 31. num. 2. & per totum vbi iura ad hoc citat, Sanchez lib. 3. disputat. 10. Bonacin. part. 3. de dispens. num. 22.* qui concludunt teneri Superiorem dispensare subditum, quando id exigit bonum publicum, vel priuatum tam animæ, quàm corporis, vt euitetur periculum scandali, & similium, vt colligitur *ex cap. Vt constitueretur, in fine, cap. Domino 25. distinct. 50. cap. 1. & 2. 19. quæst. 1. Graff. cit. quæst. 2. Sanchez cit. num. 5.* & quando lex id expressè præciperet; *vt docent plures apud Sanch. num. 4. ex his.*

15 Resp. Superior tenetur dispensare subditum, quando aliàs sequeretur præiudicium boni communis, aut priuati ipsius subditi, vt constat ex prædictis, aliter non tenetur.

Quod non teneatur suadetur; Tum ex citatis iuribus, in quibus vocatur gratia, indulgentia, & misericordia, ad quæ nemo tenetur. Tum quia subditus nullum ius habet petendi nisi deprecatiuè, & rogando, vt docent *Siluest. vers. c. eod. num. 3. in fine, & ex eo Miranda tom. 2. quæst. 30. art. 6. concl. 2. Lanor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 34. ex gloss. versic. Detrahendum cap. Vt constitueretur 22. dist. 50.* Tum quia in priuilegiis allatis sub *quæst. 1.* hic dicitur, quòd Superiores possint dispensare, ergo non habent debitum dispensandi, quia verbum, *Possum*, simpliciter prolatum importat solùm libertatem, & honestatem, non debitum, *ex cap. De multa 28. de prebend. in fine* ibi, *Poterit dispensari, l. Sapè, ff. de off. præsid. & docet Megal. 2. a. lib. 2. cap. 9. num. 127.*

Tenentur ergo vrgente necessitate; quia hanc potestatem Superiores habent in ædificationem, & vtilitatem suorum subditorum, ergo data necessitate tenentur dispensare, ne hæc potestas dicatur data in destructionem, & damnum subditorum indigentium. Infertur hinc Prælatum teneri dispensare Sacerdotem suum irregularem obligatum ad quotidianam celebrationem; item eum, cui dedit literas dimissorias ad ordines suscipiendos; item eum, quem impedit eligere ad Prælaturam.

An teneatur dispensare cum illegitimo ad Prælaturas, & alia Religionis Officia? Respond. Non tenetur, quando adest aliorum copia, æque bene meritorum ac ipse petens dispensationem, quia non vrget necessitas boni publici, neque vtilitas animæ petentis, cum sine peccato possit remanere subditus; si verò superet alios in meritis, vel non sit alius æque dignus suæ patriæ, tenetur Superior dispensare, quia vrget necessitas publica, & etiam priuata proprij honoris, cum sit dignior in patria præ aliis, & de isto de iure facienda est electio argum. Actor. 1. ibi. *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati eligere vnum, &c.* Et facit *cap. Nullus, cap. Obitum, cap. Nec emeritus, distinct. 61. cap. Metropolitano distinct. 63. cap. Bone 2. de postul. Prelat. ad finem, cap. Ne pro defectu, de elect.* est communis opinio assumendos esse de propio Conuentu, vel Prouincia, si illic desint, vt pluribus probat *Sigismund. dub. 15. de elect. vbi num. 4.* ait non valere electionem de extraneo, quando in Religione adest statutum, vel consuetudo obseruata non eligendi extraneos, aliter tenet electio, si quandoque Prælaturæ, & dignitates extraneis fuerint collatæ, quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. Vide ipsum cum Doctoribus allegatis.

In mea Religione neque statutum, neque consuetudo legitimè præscripta habetur negatiua electionis passiuæ, aut actiuæ ad Prælaturas, & dignitates, cum passim eligantur extranei in Priores, & alias dignitates in singulis Prouinciis diuersorum Conuentuum, imò, & Prouinciarum. Videtur tamen vsus probans, vt non eligantur in Prouinciales nisi de gremio Prouinciæ.

Quæres 16. An Prælatus possit reuocare datam dispensationem E. g. dispensauit irregularem ex defectu natalium ad electionem; vel priuatum voce, &c. An possit auferre factam dispensationem?

Respond. Prælatus non potest reuocare datam 16
dispensationem in lege sui Superioris sine legitima causa, quia sicut dispensauit intuitu legitimæ causæ, à qua durat dispensatio, ita eâ non subsistente amplius, sed noua superueniente reuocandi illam, potest Prælatus reuocare. Sine autem iusta causa reuocare non potest inducendo de nouo obligationem, cum ab eo non pendeat obligatio; sed à voluntate Legislatoris. Prædicta procedunt, nisi dispensatio habuerit suum effectum, vnde Prælatus non potest reuocare dispensationem super illegitimitate factam secuta valida electione dispensati, aut restitutum ad vocem, quia dispensatio habuit suum vltimum effectum. Ad hanc autem reuocationem exiguntur eadem requisita, quæ in ipsa dispensatione, quia quælibet res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur *cap. 1. de reg. iur.* vnde Prælatus solus etiam in capitulo non potest reuocare dispensationem factam pro illegitimo sine capitulo suo, eo quod neque sine illo dispensare potuit. Dispensatio autem circa votum nemo reuocare potest, quia sicut

nemo Superior induxit eam obligationem, licèt extinguere possit, ita neque reuocare ad esse. *Vide Sanch. lib. 8. disput. 33. Bonac. p. 10. §. 11. propos. 2. Portell. vers. Dispensare num.* 17.

Quæres 17. An quando Superior denegat subdito dispensationem, possit inferior Prælatus, non obstante illa negatiua etiam sibi narrata à subdito, dispensare, posito quod aliàs habeat potestatem? Et quæstio procedit de quovis Superiore, etiam Papa denegante, respectu inferioris Prælati, vel de Generali respectu Prouincialis, & de hoc respectu Prioris.

17 Respond. Potest, modò Superior non denegauerit dispensationem iudicando non adesse iustam causam dispensandi. Primum suadetur. Tum quia ea denegatio non abstulit potestatem inferiori. Tum quia illa denegatio non facit casum indispensabilem sed denotat arbitrium Superioris, qui non tenetur dispensare. Tum quia subditus relicto inferiori, accedendo ad Superiorem non cessit iuri suo, cum in eius sit optione accedere ad alterum. Alterum probatur, quia per illud iudicium allegata causæ insufficientia, casus effectus est indispensabilis præcisè respectu causæ allegatæ vti iniustæ, & insufficientis; si verò aliæ adsint causæ, quæ censeantur iustæ in ordine ad eum casum, poterit inferior dispensare, sicut & quando superuenit iusta causa, quia tunc adsunt omnia requisita; neque enim inferior constringitur ad vnicam causam, si reperiantur aliæ. *Sic docent Sanch. lib. 8. disput. 17. num. 5. 6. & 7. Compend. resolut.* 52. *num.* 10. *§. An negata, Portell. vers. Dispensare num.* 18.

Quæres 18. An Superior, non obstante causa remissa ad maiorem, vel Papam, cui se præsentauit indigens dispensatione, obtento etiam rescripto ad se faciendum dispensare pro foro conscientiæ, possit iure proprio dispensare?

18 Resp. Potest, quia per illam remissionem non amisit iurisdictionem, quam habebat etiam respectu illius specialis casus; nec obstat *cap. Licèt, de offic. legati vbi asseritur*, iudicem non esse ampliùs eum, qui causam ad Superiorem remisit, quia hæc propositio locum habet pro foro contentioso, & iurisdictione odiosa, qualis non est facultas dispensandi; *& ita docet Sanchez lib. 8. disput. 14. num. 8. & ex eo Portell. vers. Dispensare num.* 21.

Quæres 19. An dispensatus ad maius officium censeatur in dubio dispensatus ad minora? E. g. Petrus dispensatus fuit ad officium Generalatus, an absque alia dispensatione possit promoueri ad Prouincialatum, vel Definitoratum?

19 Respond. Non, quia dispensatio est strictè interpretanda, & restringenda, cum sit vulneratiua iuris communis, ita quod sufficit, si aliquid operetur, *cap. 1. de filiis Presbyter. in 6.* facit Regula, quæ à iure exorbitant non sunt habenda in consequentiam, in 6. Confirmatur à pari, quia dispensatus, vt promoueatur ad Archiepiscopatum non potest eligi in Episcopum; *cap. fin. de translat. Episcop.* Neque enim in his valet argumentum à maiori ad minus, vt aliis citatis docet *Sanchez. libr. 8. disputat. 1. num.* 32. estque communissima opinio, quam sequitur *Sigismund. dub. 30. num. 3. §. Manet ergo, vbi num. 5.* agit de nostro casu expressis verbis.

Quæres 20. An dispensato in seculo possit prodesse in Religione dispensatio illa?

20 Respond. Qui in seculo fuit dispensatus in ordine ad officia extra Religionem, non potest accepta dispensatione vti in Religione: Tum quia dispensatio strictè interpretatur: Tum quia limitata causa limitatum producit effectum, *l. in agris, ff. de acquir. rer. dom.* sed dispensatio limitata fuit ad officia extra Religionem, ergo limitari debet ad ea tantùm. Ita *Nauar. consil. 1 qui filij sint legitim.* referens eam rationem, quia verbum qualificatiuum additum in literis beneficialibus, quod potest denotare qualitates diuersas, intelligitur de qualitate congruente personæ impetranti, ergo clericus secularis impetrans dispensationem ad officia, & beneficia, censetur dispensatus solùm ad officia congruentia suo statui, nimirum ad Ecclesiastica secularia, *Sigism. dub. 80. de elect. num. 7. vbi citat Rodriq. quæst. 13. art. 10. Mirand. tom. 1. quæst. 2. artic. 4. in fine*, vbi ait, translati ad secunda vota indigere noua dispensatione, sicut & eiectus à Religione non potest eligi ad beneficia, sine noua dispensatione, quia priores dispensationes factæ fuerunt limitatæ ad eum statum, in quo erant, cum fuerunt dispensati à suis Prælatis, qui alio modo ampliori non poterant cum ipsis dispensare. Quæ non procedunt in ordine ad legitimam administrationem in ordine, vnde claudus, monoculus, &c. dispensatus, & ordine, in quo fuit dispensatus, initiatus ad secunda vota transiens, potest prosequi exercitium ordinis suscepti, quia simpliciter intelligitur dispensatus.

Quæres 21. An dispensatio in ordine ad aliquod officium finiatur per primam electionem, ita vt dispensatus egeat noua dispensatione si de nouo sit eligendus ad idem officium, pro quo fuit primo dispensatus, exempli gratia, quidam Religiosus fuit dispensatus ad Prioratum, qui in sua Religione est officium triennale, an in secunda electione ad idem egeat noua dispensatione?

Respond. Non eget noua dispensatione, sed illa prior perpetuò durat, ita quod eligi potest sæpiùs, & pluries, qui primò simpliciter dispensatus fuit ad aliud officium. Suadetur; Tum quia dispensatio cadit simpliciter super personam, & officium vt sic non respicit, licèt data sit vt prosit pro electione eius officijs ergo sicut persona semper durat, ita & dispensatio. Tum quia semel dispensatus ad beneficium, censetur dispensatus non pro illa vice tantùm, sed indefinitè pro pluribus successiuè, *Ioan. Andr. in cap. 1. de filiis Presbyter. in 6. Ang. versic. Beneficium num. 24. Armilla num. 29. Silu. versic. eodem 3. quæst. 11. num. 44. Tabiena 2. quæst. 17. quos & alios citat Sanchez lib. 8. disputat. 51. num.* 31. Tum quia dispensatus simpliciter, & absolutè in votis castitatis, Religionis, & non nubendi pluries potest successiuè ducere vxorem, vt multis probat idem *Sanchez num.* 8. iuxta limitationes ibi datas, ergo multò magis in casu nostro, in quo non videtur esse tanta difficultas, cum irregularitatis impedimentum sit ius Canonicum, illud naturale diuinum. Tum quia licèt dispensatio sit strictè interpretanda, non tamen obstat huic nostræ responsioni, siquidem interpretatio hæc non est lata, cùm non extendatur de casu ad casum, seu de officio ad officium, sed fiat de eodem officio pluries successiuè repetito numericè, quod est dispensationem interpretari iuxta proprietatem verborum. Tum quia non obstat illa regula. Sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, *l. Boues, §. Hoc sermone ff. de verbor. significat.* Habet enim locum, quando in primo actu desinit causa, & ratio, vt ex *Ludouic. Romano consil. 504. & Felin. in cap. 2. de Tregua fallent. 4. refert Nauar. tom. 2. de reddit. Eccles. quæst. 3. monit. 9.* in casu autem nostro durat causa, nempè meritum dispensati. Sed non placet hæc ratio, cùm non absolutè probet; dicitis igitur, Regulam illam fallere, quando per dispensationem tollitur absolutè impedimentum, vt in casu nostro, vt in simili docet *Sanchez vbi. lib. 8. disputat. 51. num.* 15. Prædicta procedunt in dispensatione respectu cuiuslibet impedimenti irregularitatis in ordine tam ad ordines, quàm ad dignitates seu vota, & huiusmodi, quia in his casibus dispensatio tollit simpliciter impedimentum; ac proinde cum ex se reuiuiscere non possit sine noua retractatione, idcircò dispensatus pluries potest eligi, & sæpiùs iterare actum ordinis, &c. 21

Quæres 22. An Prælati Regulares non solùm pro

foro

foro interiori, vt concessit Pius V. cuius verba retuli hîc *quæst.* 1. §. 4. verum etiam pro foro externo dispensare possint suos subditos irregulares notorios in ordine ad ordines, & officia; & in similibus aliis impedimentis, & pœnis; dato quod habeant facultatem dispensandi.

22 Respond. Possunt tam in impedimentis, & irregularitatibus, & pœnis occultis, quàm publicis, & deductis ad forum contentiosum intra Religionem. Probatur: Tum quia priuilegia relata sub *quæst.* 1. excepto Pij V. indistinctè loquuntur abstrahendo ab occultis, & publicis, ergo ad vtrumque extendenda sunt; quia facultas dispensandi latè interpretanda est, & extendenda, quantum proprietas verborum patitur; vt in terminis horum priuilegiorum probaui hîc *quæst.* 4. Tum quia subsequentes maximi Pontifices confirmantes suorum Prædecessorum priuilegia expresserunt per illam clausulam. *In iudicio & extra, ac etiam in foro conscientiæ.* Gregor. XIII. Constitut. *Ex benigna Sedis*; concessa tribus Ordinibus Franciscanæ Religionis, *apud Confect. pag.* 247. Qua clausula confirmando eisdem priuilegia vsus fuit Sixtus V. Constit. *Et si Mendicantium*, apud Confect. 268. & pro eisdem Clem. VIII. Constit. *Ratio pastoralis apud Confect.* 266. & posteriores Idem consequenter præstiterunt, ergo in his dubitandum non est. Quod si Concilium *sess.* 24. *cap.* 6. loquitur pro foro conscientiæ, & in occultis, cuius priuilegium Pius V. voluit habere locum etiam in Prælatis Regularibus; non obstat responsioni nostræ, quia Prælati Regulares in casu publico possunt vti aliis priuilegiis concedentibus dispensationem pro vtroque foro; neque enim Concilium, & Pius V. per illam limitationem ad occulta restringit priuilegia extra corpus iuris, sed reliquit in suo robore, quo ad Regulares. *Vide quæ dixi resol.* 13. *quæst.* 5. §. *Secundum, &* 9. 7.

Hanc responsionem dispensandi in omnibus irregularitatibus deductis etiam ad forum contentiosum; exceptis prouenientibus ex homicidio voluntario, mutilatione, & bigamia, *docent Beia part.* 4. *casu* 37. §. *quamuis, Rodriq. tom.* 1. *quæst.* 24. *art.* 3. *Mirand. tom.* 2. *quæst.* 8. *art. fin. concl.* 4. *Port. versic. Dispensatio num.* 8. *&* 9. *& in Addit. n.* 9. *Compend. resolut.* 32. *n.* 23. *Vecchius disput.* 9. *de Nouitiis dub.* 16. *Sigism. dub.* 98. *de elect.*

Quæres 23. An Prælati, & Episcopi possint aliquem dispensare in genere non præcognita materia in specie? verbi gratia, An possit aliquem dispensare in omnibus votis personalibus; non præcognoscendo an sint vota ieiunii, castitatis, &c. Item dispensandi in omni irregularitate ex defectu natalium, non discernendo vnam speciem ab alia illegitimitatis.

23 Respond. Quilibet Legislator in sua lege sic dispensare potest; quia omnia eius præcepta præcognouit, cum Legislator omnia sua iura in scrinio pectoris sui habere censeatur, hoc est in *cap.* 1. *de constit. in* 6. Vnde ex hac virtuali prænotione validè, & benè ex parte dispensati sequitur dispensatio. Quare Papa validè dispensat simul, & semel irregularem defectu natalium, licet ignoret in facto, non iure species huius irregularitatis: Inferior autem nequaquam dispensare potest hoc modo. Tum quia illi non præsumitur concessa huiusmodi ratio dispensandi, cum sit irrationabilis. Tum quia neque actu, neque virtute legem, in qua dispensare vult, censetur habere in mente sua cum non sit Legislator, ergo debet præmittere scientiam singularium specierum votorum, aut irregularitatum, in quibus dispensare vult; iuxta exempla relata in quæstione; *Vide resol.* 11. *quæst.* 4. §. 6.

Quæres 24. An Prælati Regulares possint dispensare in pœnis iuris communis, & suorum maiorum; nimirum habilitando ad vocem tam actiuam, quàm passiuam, & ad officia?

Respond. Possunt, quoties Legislator pœnam sibi non reseruauit expressè, *vt docet gloss. versic. Dispensatum cap.* 7. *de Cler. excommunic. min. Rodriq. cum sua Compend. resolut.* 52. *num.* 10. *&* 28. *Mirand. tom.* 2. *quæst.* 30. *art.* 11. *Portel. vers. Dispensare num.* 10. *dicentes*, Prælatos Regulares posse dispensare super pœnis ingredientium Monasteria Monialium; contra *Sigism. dub.* 98. *num.* 6. negantem huiusmodi dispensationem, quia inferior nihil potest in lege Superioris, dic nil posse quoad tollendam obligationem; vtique verò quoad dispensandum cum pœna. 24

Quæres 25. An Prælati possint aliis delegare facultatem dispensandi?

Respond. Possunt, quia habent potestatem ordinariam, quæ aliis delegabilis est, *cap. Aqua* 9. *de consecr.* Ita docet *Compend. resolut.* 32. *num.* 13. *Mirand. tom.* 2. *quæst.* 31. *art.* 7. Quæ procedunt siue habeant facultatem iure sui officij, siue ex priuilegio, vt colligitur ex prædictis, & aliis allegatis *à Barbosa ad cap.* 6. *sess.* 24. *num.* 54. 25

Quæres 26. An Prouincialis vnius Prouinciæ possit in suo Capitulo, seu Congregatione dispensare cum Religioso alterius Prouinciæ sibi non subdito?

Respond. Non potest. Tum quia sicut extraneus, & non subditus intelligibilis est, *vt ex cap. Ad nostram, cap. Officij, de elect. deducit Gofred. de postulat. Prælatorum, num.* 3. Ita neque potest dispensari, dispensatio enim est via ad electionem. Tum quia dispensatio est actus iurisdictionis; *iuxta tradita à Doctoribus in cap. Transmissa de elect. Rodriq. tom.* 1. *quæst.* 61. *artic.* 9. *Sanch. lib.* 8. *disputat.* 3. *num.* 4. & ego suprà initio huius Resolutionis, quæ non potest exerceri nisi in subditum, ex suprà probatis initio §. Ex parte. Verùm quidem est, quòd si actus dispensationis expediatur à Generali, vel id postuletur à Prouinciali subditi indigentis dispensatione, tunc tenet dispensatio, quia Generalis est Superior in toto Ordine, & Prouincialis vnius Prouinciæ potest suum subditum subiicere dispensandum ab extraneo Prouinciali, cui potest hæc facultas etiam delegari. 26

Quæres 27. An in eodem contextu Capituli possit quis simul eligi?

Resp. Potest de iure, quia nulla ratio in contrarium assignari potest; imò id videtur conforme naturæ rei; nam statim ac materia est disposita in naturalibus, introducitur forma in illam, vt perficiatur compositum, sic non malè fit, si post dispensationem, eligatur quis ad officium, siquidem dispensatio est via, & dispensatio ad electionem. Quamquam alioquin optimum esset, dispensatum ad maiorem habilitatem temporis diuturnitate alterius probare. 27

RESOLVTIO XI.

De Dispensatione super Irregularitate.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit irregularitas.*
2 *Eligi non possunt irregulares ad Prælaturas, & dignitates.*
3 *Irregularitas duplex.*
4 *Prælati Regulares dispensant in irregularitatibus tam occultis, quàm publicis.*
5 *Illiterati dispensantur.*
6 *Neophiti qui dicantur.*
7 *Vitium corporis in tribus casibus inducit irregularitatem.*
8 *Prouenit ex triplici causa.*
9 *Aliqua ex his sunt indispensabilia.*
10 *Vitiati corpore dispensantur.*

11 *An hec dispensatio fiat iure communi circa huiusmodi.*
12 *Digito carentes.*
13 *Oculo carentes.*
14 *Pede claudicantes.*
15 *Mutilatos.*
16 *Authoris opinio.*
17 *Cessat irregularitas huiusmodi cessatione defectus.*
18 *Iudicium deformitatis fit à Superioribus.*
19 *Pileoli vsum solus Papa concedit.*
20 *Corpore vitiati quando non eligantur.*
21 *Morbo incurabiles sunt inhabiles ad electiones.*
22 *In his dispensatio non habet locum.*
23 *His superueniente morbo non datur coadiutor.*
24 *Natalium super defectu dispensant.*
25 *Ætatem ad Ordines non dispensant.*
26 *Absoluens suspensum ob receptos ordines ante debitam ætatem.*
27 *Non potest dispensare, vt in susceptis ministret ante ætatem.*
28 *Postquam non eget dispensatione.*
29 *Irregularis fit exercens ordinem susceptum ante ætatem, dispensatur.*
30 *Libertatis defectus inducit irregularitatem.*
31 *Bigamia quid, & quotuplex.*
32 *Inducit irregularitatem.*
Eligibiles non sunt de iure communi.
33 *Dispensari possunt ad minores de iure communi.*
34 *Similitudinarij in omnibus dispensantur.*
35 *Dispensari in omnibus possunt iure priuilegiorum.*
36 *Bigamis directè non prohibetur Religio.*
37 *Irregularitas ex defectu lenitatis.*
38 *Sacramenti iteratio inducit irregularitatem.*
39 *In ea dispensat Superior.*
40 *Promotio mala inducit irregularitatem.*
41 *In ea iure communi dispensare possunt in certis casibus.*
42 *Hæretici cum suis fautoribus sunt irregulares.*
43 *Dispensant cum suo Clerico reuerso ad fidem.*
44 *Suspecti de fide sunt irregulares ex infamia.*
45 *Infamia quid sit.*
46 *Infamia tam iuris, quàm facti inducit irregularitatem.*
47 *Repellit à dignitatibus.*
48 *Infamia facti tantum, tollitur per emendationem.*
49 *Infamia iuris tollitur iure communi.*
50 *Infamia notoria tollitur iure priuilegiorum.*
51 *Infamia irregularitatis ex suspicione hæresis tollitur.*
52 *Homicidium inducit irregularitatem.*
53 *Tertiarij Prælati habent priuilegia dispensandi in irregularitatibus.*
54 *Excommunicati sunt legentes prohibita extra.*
55 *Non potest induci noua irregularitas aliquo statuto.*
56 *Irregularitas ex se non prohibet ingressum in Religionem.*
57 *Voce passiua caret irregularis, non actiua.*
58 *Superueniente hac non amittit suum officium.*

1 IRregularitas est Canonicum impedimentum ordines suscipiendi, vel in susceptis administrandi, & beneficia, ac cæteras dignitates Ecclesiasticas recipiendi. Dixi *Canonicum*, quia irregularitas non fuit inducta à iure diuino, sed Canonico, & Pontificio, vnde quis irregularis non dicitur, nisi asserta irregularitas in iuro reperiatur expressa, *cap. 15. qui 18. de sent. excommun. in 6.* Dixi 2. *Impedimentum*, per quod differt à censuris, quæ sunt pœnæ à spirituali potestate procedentes, irregularitas verò pluries accidit sine peccato, vnde pœna dici non potest, quæ supponit culpam, sicut censuræ, quæ sine peccato nunquam incurruntur: præterea singulæ censuræ differunt ab ea, nam irregularitas directè, & immediatè per se impedit receptionem Ordinis, & eius exercitium, excommunicatio verò mediatè, quatenus primò, & immediatè prohibet participationem in diuinis, sine qua non possunt recipi, neque exerceri Ordines, ac proinde mediatè impedit excommunicatio hunc duplicem effectum, quod irregularitas directè, & immediatè prohibet. A suspensione verò differt, quia hæc licèt suspendat exercitium ordinum, & hoc potius ad tempus; irregularitas verò etiam susceptionem ordinum, & perpetuò vtrumque prohibet. Demum Interdictum non per se prohibet receptionem ordinis; aut eius exercitium, sed quatenus separat à participatione tam actiua, quàm passiua, impedit etiam consequenter promotionem, licèt non semper exercitium. Dixi 3. *Ordines*, quo vocabulo veniunt tam minores, quam maiores, ac etiam prima tonsura secundùm Canonistas, qui illam referunt inter Ordines, contra veriorem opinionem Theologorum, consentientium non esse propriè ordinem, sed impropriè, & effectiuè disponens ad ordines. Quare irregularitas impedit susceptionem etiam primæ tonsuræ, quia in iure vocatus ordo saltem in ordine ad hoc, *cap. Cum contingat, de ætate.* Præterea prohibito vno, censentur vetita ea omnia, per quæ peruenitur ad illud, *cap. de consti. iuncta gloss. vers. Vnde omnia mala leg. oratio ff. de sponsal. l. Eos, in fine, Cod. de vs.* Sed irregulari prohibetur promotio ad ordines, ergo etiam ad primam tonsuram, per quam peruenitur ad ordines, ad quos est dispositio, & præparatio, *ita ferè omnes cum Sair. lib. 6. cap. 1. numero 19. si credimus Bonacina, alios citanti pro se, quæst. 1. de Irregular. part. 1. numero 5.* contra Barbosam tenentem irregularem posse suscipere primam tonsuram, cùm non sit ordo, neque subiecta huic legi. Dixi 4. *vel*, per disiunctionem, quia non omnis irregularitas impediens susceptionem ordinum, prohibet etiam illorum vsum, vnde *Gratianus in capitulo final. §. Sicut 15. quæstione 5.* inquit: *Non omnia, quæ ordinandum impediunt ordinatum deiiciunt.* Impeditus ergo ascendere ad Superiorem non prohibetur ministrare in inferiori. Dixi 5. *Beneficia, & cæteras dignitates Ecclesiasticas*, quia irregularis est incapax beneficij, & pensionis, siue Secularis, siue Regularis, ac proinde nulla electio, & collatio, vt colligitur *ex cap. Postulastis, de Cler. excommun. minor.* & ratio id suadet, quia datur beneficium propter officium, ergo inconueniens est dare beneficium illi, qui non potest fungi suo officio, cuiusmodi est irregularis. *Nauar. consil. 44. de homicid. num. 3.* vbi hoc asserit de beneficio, & pensione ex stilo Curiæ, *Megal. lib. 7. de censur. cap. 1. num. 5. Bonac. quæst. 1. de irregul. part. 4. num. 6. Sigism. dub. 70. de elect.*

Religiosi igitur irregulares non possunt eligi ad Prælaturas, vti ad Prioratum, Prouincialatum, Generalatum, & similes, quæ habent adiunctam administrationem cum iurisdictione fori externi, vt Custodiatus in prima Regula Diui Francisci, quod probatur ex cap. In quibusdam, de pœnis, ratio est, quia huiusmodi Prælaturæ pendent principaliter à munere ordinis, quod sicut irregulares exercere nequeunt, neque conueniens est, vt recipiant huiusmodi Prælaturas, aliter nulla est facta prouisio; vt docent communiter Doctores *cum Conar. in Regula Peccatum part. 2. §. 8. num. 7. Nauar. cap. 27. num. 251. Bonacin. quæst. 2. de irregular. part. 4. num. 6. in fine, Diana part. 4. resolut. 37. de irregular. expresiè Suar. ad rem nostram tom. 4. lib. 2. cap. 4. num. 6. & 7. & ex eis relatis Sigism. dub. 70. num. 2. qui num. 3. & 4.* asserit, irregularitatem non impedire electionem ad Definitoratum, & Descretatum, ea ratione, quia horum iurisdictio non manat ab ordine, neque ad eum ordinatur, neque propriè beneficia dicuntur, ergo irregularitas illis non obstat; & hoc ait patere de Discretatu, in quo nulla est iurisdictio. Quod idem proportionaliter dicendum est de Custodiatu in nostra Religione, vbi nullam habet iurisdictionem, sed solùm fert suffragium in capitulo Generali, nimirum non impediri ab irregularitate. Sed hæc eius opinio mihi non placet, quia huiusmodi gradus in Religione quauis non conferuntur nisi ordine saltem aliquo Sacro nempè 2

Subdia

Subdiaconatus insignitis, si loquamur de Discreto Conuentuali ad capitulum Prouinciale, maximè in nostra Religione *cap. 1. in fine Regulæ:* cætera verò officia supradicta, & similia non nisi Sacerdotibus conferantur, ergo pendet ab ordine, ac proindè ab illis arcentur irregulares.

3 Diuiditur autem irregularitas in duas species, quarum vna dicitur ex defectu, eo quod non prouenit ex culpa, & delicto personæ, sed ex quadam indecentia; altera dicitur ex delicto, à quo prouenit; & non incurritur nisi propter peccatum mortale ex communiori opinione, cum sit pœna grauissima, *vt testatur Bonac. q. 1. de Irregul. p. 3. num. 1. Diana tract. 6. Miscellan. part. 3. resol. 51.* Prior diuiditur in sex species. Prima est ex defectu animæ. Secunda ex defectu corporis. Tertia ex defectu natalium. Quarta ex defectu ætatis, & libertatis. Quinta ex defectu Sacramenti, quæ est bigamia. Sexta ex defectu lenitatis, seu ex homicidio licitè facto. Posterior diuiditur in quinque species, quarum Prima est ex iteratione Sacramenti. Secunda ex indebita subreptione, vel exercitio ordinum: Tertia ex actu infidelitatis, aut hæresis. Quarta ex infamia. Quinta ex homicidio illicitè commisso. Ita ferè omnes Doctores. De singulis autem aliquid dicendum est in ordine ad dispensationem erga Religiosos in sequentibus quæsitis.

Quæres autem 1. An Prælati Regulares possint dispensare in omnibus irregularitatibus, siue ex defectu, siue ex delicto prouenientibus, non solum occultis, verum etiam publicis?

4 Respond. Possunt dispensare cum suis subditis tam in occultis, quàm publicis irregularitatibus omnibus, iuxtà quod dicam infra suis locis, *consil. 13. quæst. 7.* Et pro publicis probaui *ibidem q. 22 Doctoribus citatis, quibus adde Nauar. consil. 84. de Regul. Sigism. dub 71. de elect. Megal. lib. 7. de cens. cap. 3. num. 34.* in occultis omnibus etiam homicidij in foro conscientiæ, *Compend. res. 52. num. 15. cum suo Doctore q. 24. art. 1. Mirand. tom. 2. quæst. 8.*

Quæres 2. Circa primam speciem irregularitatis, quæ dicitur ex defectu animæ, an in ea dispensare possint Prælati Regulares? Hæc irregularitas oritur ex triplici defectu. Primò ex carentia vsus rationis, irregulares hoc modo sunt non solum iure Pontificio, sed etiam iure Diuino, & naturali, quia carens vsu rationis est inhabilis ad ordines suscipiendos, ac proinde irregularis, licet promotus recipiat characterem. Hæc autem irregularitas est indispensabilis, vnde de illa quæstio non procedit. Secundò prouenit ex defectu scientiæ, vnde illiterati non promouentur *cap. Illiteratos dist. 36. addit gloss. penitus illiteratos,* vnde mediocriter literati, qui nimirum percipiunt linguam Latinam aliquatenùs non sunt irregulares, vt etiam colligitur ex Trident. *Sess. 23. cap. 11. Megal. lib 7. de cens. cap. 1. qu. 4. Bonac. q. 2. de irregul. p. 11. Mirand. tom. 2. q. 8. art. 2.* Tertiò demum prouenit ex defectu fidei respectu eius, qui recenter ad fidem conuersus est, *ex cap. 1. & 2. distinct. 48.* & vocatur Neophitus. Difficultas ergo est, An Prælati Regulares possint dispensare cum illiteratis, & Neophitis, vt Ordines recipere possint, & Prælaturas.

5 Respond. Possunt dispensare cum illiteratis, & Neophitis ad vtrumque. Vide *resol. 67. q. 18.* Primum de illiteratis habet veritatem in eo sensu, vt non sit penitus ignarus, qui enim neque characteres, neque legere aliquid potest est indispensabilis, dispensabilis ergo debet saltem habere aliquam mediocrem cognitionem, hoc est, scire legere, quamuis cognitionem Latini sermonis non habeat, modo præseferat spem addiscendi, & in hoc differt Religiosus à Clerico Seculari, qui debet habere perfectiorem cognitionem Latini sermonis, eo quod isti vt plurimum ordinantur ad curam animarum, quo fine non initiantur Religiosi, ergo minor scientia sufficit in his, in illis verò maior requiritur; & Tridentinum requirens cognitionem Linguæ Latinæ potius refertur ad Clericos Seculares, quàm Regulares, *vt docet Mirand. cit. q. 8. art. 7. §. vltimo.* Dices tu non facere hoc ad rem in ordine ad dispensationem, quia ideò dispensantur, quia non percipiunt linguam Latinam, sed solum sciunt legere, quod est mediocrem literaturam habere; quibus verbis vtitur nostra Regula *cap. 23.* Quod autem sic possint dispensare, seu licentiare ad ordines, docent *Rodr. tom. 1. q. 24. art. 7. cum suo Compend. resol. 106. num. 24. vbi alij citantur, Mirand. tom. 2. q. 8. art. 7. §. 2. vbi citat Henr. Maiolum, Angelum, & alios, Portellus versic. Ordines Sacri num. 6. Diana par. 4. resol. 74. de irregul. & resol. 86. de dubiis regul. & quicquid dicat Vecch. disp. 9. dub. 23.* Quo ad electionem ad Prælaturas, & dignitates sine dubio illiterati dicuntur indigni, nihilominus si vita & moribus bonum de se nomen præseferant, & versati sint in experientia rerum dicuntur apti, & digni ad Prælaturas; modò sufficientis literaturæ existant *ex cap. Cum nobis 19. de elect. iuncta glos. vers. Literaturæ; Mirand. tom. 2. q. 4. art. 2.* asserit peccare mortaliter electores, & electos, qui carent sufficienti scientia, & literarum peritia; dicas tu, hoc esse verum, quando malè legit, & nihil percipit de lingua Latina: si vero aliquid intelligit benè legendo excusatur à mortali, habita quoque respectu subditorum, qui in literis parum distant à suo capite; nam si subditi sint virtute ferè omnes prædìti, cum respectu eorum Superior vix dicatur scire legere, videntur esse in statu peccati mortalis non renuntiando officium, aut petendo dispensationem à suo Prælato, vel nisi peritia, & experientia bonæ gubernationis suppleat defectum scientiæ.

Neophiti dicuntur adulti conuersi ad fidem, baptizati infrà decennium ad minus, secundum *Nauarr. cap. 27. num. 205. §. Dixi, & ex eo Mirand. tom. 2. quæst. 8. art. 7. consil 3. Bonac. q. 2. de irregul. p. 3. num. 5.* Illi igitur repelluntur ab ordinibus *ex cit. cap. 1. & 2. dist. 48.* & à Prælaturis *ex cap. Cum causam 27. cap. Officij 38. de elect. gloss. in cap. 2. cit. dist. 48.* id tamen ibi in terminis non dicitur, sed est sermo de Religiosis nondum professis, qui dicuntur noui in Religione, sicut Neophiti in fide; *Lauor. tit. 4. de elect. cap. 26. num. 75.* esse quidem irregulares ad electiones, sed eam tolli cessantibus respectibus quos ibi recenset, nimirum si non sit periculum superbiæ, & sit benè instructus in disciplina Christiana, quibus positis, infert illos posse eligi absque alia dispensatione, pro qua illa dispensatione refert exemplum D. Ambrosij relatum *in cap. Neophitus dist. 61.* Præcitati Doctores dicunt huius dispensationem esse solius Papæ, ac proinde Episcopum, neque Prælatos Regulares posse dispensare. Dicas tu *cum Compend. & Doctoribus ab eo citatis, resol. 52. num. 21.* posse Prælatos dispensare ex priuilegio Sixti IV. cuius verba retuli *resol. 10. q. 1. § 2.* vbi Prælatis, & eorum vices gerentibus concedit facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus, exceptis tribus; nempe prouenientibus ex homicidio, bigamia, & mutilatione, ergo exceptio hæc firmat regulam; & priuilegium in aliis casibus non exceptis, *argum. cap. Dominus 6. 32. q. 7. & cap. 2. de coniug. lepros. Vide Euer. in hoc suo loco.* Ne dicas ibi sermonem esse de irregularitatibus ex delicto, non ex defectu. Quia de vtrisque sermo est, cum in exceptione exprimatur bigamia, quæ est ex defectu, ergo exceptio firmat priuilegium etiam in illis, quæ sunt ex defectu. Quod si alicui non placeat hoc, vtatur medio Lauorij dicentis, hos non indigere dispensatione, cum abest periculum superbiæ, & sunt benè instructi in fide, & reuerà in Religionibus non videntur tales formaliter Neophiti iudicandi, quia saltem in anno Nouitiatus possunt completè instrui, & probari, & sic in illis potest cessare huiusmodi nouitas. Vel demum determinetur spatium temporis, vltrà quod non ampliùs dicantur Neophiti, vt in opinione aliquorum in-

finuat Mirand. cit. & sic cessabit irregularitas sine dispensatione.

Quæres 3. Circa secundam speciem irregularitatis ex defectu corporis, An Prælati Regulares dispensare possint cum vitiatis corpore ad ordines, & dignitates?

7 Vitium autem corporis inducit irregularitatem in tribus casibus. Primò, quando vitium impedit exercitium ordinum, vt cæcitas, ratio enim dictat eum non esse promouendum, qui non potest exercere actus ordinis: Secundò, quando vitium inducit notabilem deformitatem, vt carens naso. Tertiò, quando vitium gignit horrorem, risum, seu scandalum, vt leprosus, nimis gebosus, ægrotus, paraliticus. *Hæc colliguntur ex dist. 55. & alibi, tit. de corpore vitiatis, tit. de Cler. ægr.*

8 Isti autem defectus, & vitia prouenire possunt ex triplici causa, nimirum naturali, vt si quis nascatur cæcus; accidentali, vt si quis fiat cæcus ex infirmitate; & libera ex facto proprio, vt si quis sibi vitilia amputet ex ira, & libidinis æstu, vel ex facto alieno, vt si inimicus mihi abscindat digitum ex quatuor; ex facto autem proprio tunc inducitur irregularitas, quando est culpabile, non autem si contingat sine culpa, etiam ex facto alieno, vt si medicus resecet membrum ob sanitatem recuperandam.

9 Notandum est, quod inter vitia corporis, alia sunt indispensabilia, vt cæcitas, hermaphroditus æqualis in vtroque sexu; abstemiitas præsertim respectu Sacerdotij; perpetuò amentes, & furiosi; continuò febricitantes grauiter; paralitici, hi & similes non valentes exercere ordines, quamdiù durat hoc impedimentum sunt indispensabiles, sublato vero huiusmodi impedimento, vt si cæcus recuperet visum, hermaphroditus euadat propriè vir; &c, Isti non egent dispensatione; ac proinde quæstio nostra in his non procedit. Alia vero vitia sunt dispensabilia quatenus adhuc etiam post dispensationem remanent in corpore dispensati, vt sunt monoculus, monipes, innasus, &c. & de his procedit quæstio, quæ duplicem potest habere sensum. Primus est, an Prælati possint dispensare hus irregulares, vt promoueantur ad ordines, quibus carent? Secundus, An iam promotos, adueniente vitio, possint dispensare, vt susceptis vti possint; vt, si effectus monoculus, leprosus, scabiosus possit dispensari ad actum ordinis suscepti?

10 Respond. Prælati Regulares possunt ex vi suorum priuilegiorum dispensare cum vitiatis corpore §. *Probatur*, & etiam in aliquibus de iure communi §. Hi doctores; *tam quo ad promotionem, quam* quo ad exercitium ordinum susceptorum; §. *Quod* & iudicare vitium iam cessasse, vt possit Religiosus *promoueri, vel* vti ordinibus susceptis. §. *Iudicium*; & quo ad Prælaturas §. *Eligi.*

Probatur responsio ex vi priuilegiorum vniuersaliter ex *Marimagno Sixti IV. cuius verba retuli resolut. 10. quæst. 1. §. 2.* vbi Prælatis Regularibus indulgetur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus, exceptis illis, quæ prouenniunt ex homicidio voluntario, mutilatione & bigamia, ergo cum excludantur hæ tres tantum, reliquæ includuntur in facultate, ac proinde etiam irregularitas ex defecto corporis; confirmatur, quia facultas dispensandi latè interpretanda est, vt de communi docui *resol. 10. quæst. 4 & fatetur dicta q. 2. §. Neophiti. ita in casu nostro tenent Mirand. tom. 2 q. 8. art. 3. in fine §. Hæc omnia, Vecchius disput. 9. dub. 20. in fine. Compend. resol. 92. num. 15.*

11 Hi Doctores citati difficultatem mouent, an de iure communi possint dispensare in his, præscindendo à priuilegiis? *Rodr. q. 24. art. 3. Mirand. Vecch. Compend. Portel. mox citati* dicunt Prælatos maiores posse de iure communi dispensare cum aliquibus corpore vitiatis cum hac limitatione, modò vitium corporis non gignat notabilem indecentiam, aut scandalum; probant duplici ratione; prima ex mox citato r. *Nuper, de sent. excom.* irregularitatem non reseruatam expressè tolli posse à Prælatis; *Glos. vers. Dispensatam cap. 7. de cler. excomm. Min.* altera argumento desumpto a potestate Episcopi super his de iure communi, Prælati enim maiores possunt dispensare in omnibus, in quibus Episcopi, cum & ipsi habeant potestatem quasi Episcopalem. Ex hic inferunt dispensationem in diuersis casibus subiectis.

Digito carens modò non sit pollex dispensatur à Prælato de iure communi, *docet Mir. q. 8. art. 3. conf. 3. Portell. vers. Dispensare num. 5. Compend. resol. 52. num.* 16. Plures habens digitos, si non adsit deformitas non est irregularis, vt multis citatis docent *Diana resol. 61. tract. 6. Miscell. p. 3.* ac proinde non eget dispensatione. 12

Oculo carens dextro, non sinistro, dispensari potest, *Mirand. Portell. Compend. cit.* & in maculis eiusdem oculi *Vecch. disp. 9. dub 20. num. 3. Rodr. quæst. 14. art. 3. Diana part. 4. resol. 73. de irregul.* 13

Pede carens dispensari potest, vt cum ligneo celebret *Mirand. cit. concl. 3. Compend. Portell. Vecch. cit. cum Silu. de corpore vitiatis in fine, Rosella eod. num. 2. Rodr. cit. Diana cit.* 14

Mutilatus membro siue occulto, siue patenti sine sua culpa dispensatur à Prælatis maioribus, *Mirand. cit. q. 8 art. & conclus. 2.* 15

Ego puto Prælatum Regularem non posse dispensare nisi in casibus expressè in iure concessis Episcopis, qui sunt duo, vnus est *cap. 1. de corp.* vitiatis vbi conceditur facultas Episcopo dispensandi cum eo, cui in duello amputatus fuit digitus; alter est, quod Episcopus potest dispensare cum eo, qui sibi virilia fecit abscindi potans licere; præter altaris ministerium, in his duobus casibus arg. ab Episcopi potestate de iure communi ad potestatem Prælati Regularis, potest ab hoc fieri dispensatio, vt tenent de Episcopo *Suar. & Tolet. quos citando sequitur Megal. part. 3. de cens. lib. 7. cap. 3. num.* 8. Confirmatur hoc, quia sic tenet communis opinio apud præcitatos, quibus *adde Nau. cap. 17. & alios quos citat, & sequitur Bonac. q. 2. de irregul. p. 2. num.* 36. 16

Ad rationes aduersariorum suprà §. *Hi Doctores*, dico primo ad eam limitationem, quoties vitium corporis non impedit exercitium ordinum, neque gignit notabilem deformitatem, indecentiam, horrorem, risum, aut scandalum, non inducere irregularitatem, vt dixi suprà hic §. *Vitium*, & de communi Doctorum à se citatorum docet *Bonac. quæst. 2. de irregul. p. 2. num. 1. & per totum punctum, vnde Diana part. 3. resol. 61. tract. 6. Miscell.* de communi docet habentem in manu sex digitos coniunctos, aut diuisos non esse irregularem, quia non adest magna deformitas, ergo vitium ex se sine indecentia, & deformitate non inducit irregularitatem, ac proinde non adest indigentia dispensationis, & consequenter illi Doctores frustrà adhibent eam limitationem, quæ ex se excludit irregularitatem, ac deinde eiusdem dispensationem. Ad primã rationem dico secundò, non esse parem rationem de irregularitatibus, quæ omnes censentur reseruatæ, licèt non fiat expressa mentio de reseruatione; quod colligo *ex sess. 24. cap. 6.* vbi Tridentinum concedit priuilegium Episcopis dispensandi in irregularitatibus occultis ex delicto, iuxtà quod ibi dicitur, ergo, signum est, quod omnes sunt reseruatæ Papæ, & eò magis in casu nostro, qui in Tridentino non exprimitur cum cæteris ex defectu prouenientibus; censuræ verò in iure partim reseruantur, & partim non, & ideò non reseruatæ tolli possunt non solum à Prælatis, sed etiam à simplicibus confessariis, quod nulla ratione dicendum est de irregularitatibus. Præterea *Sigism. dub. 98. num.* 8. respondens ad similem obiectionem ait non valere argumentum ab absolutione,

de

de qua tantum loquitur *cap. Nuper, ad dispensationem.* Dico tertiò ad secundam rationem tenere argomentum ab Episcopo ad Prælatum Regularem maiorem, sed falsum est quod Episcopus in prædictis omoibus dispensare possit, sed solum dispensat in illis duobus casibus expressis, de quibus suprà §. *Ego*, ac proinde etiam Prælatus Regularis in eisdem dispensare valet.

Quod de iure communi in prædictis duobus casibus suprà §. *Ego*, & de iure priuilegij possint in omnibus dispensare tam respectu promotionis, quam exercitij, suadetur, quia in priuilegio Sixti IV. vtrumque exprimitur, nimirum huiusmodi dispensationem in irregularitate dari, vt Religiosus possit promoueri ad omnes ordines, & in illis susceptis ministrare. Prædicti duo casus sunt de Sacerdote, qui dispensatur, vt possit vti suis ordinibus, ergo & nondum promotus in eisdem casibus dispensari potest, vt promoueatur, quia promotio, & exercitium habent connexionem ad inuicem, nam promouendus non est, qui ordine vti non potest.

17 Cessatione vitij, & defectus cum cesset irregularitas, non est opus dispensatione, sicut & cum deformitas abest notabilis non est locus irregularitati, ac proinde neque dispensationi; vnde sola difficultas manet, ad quem spectet hoc iudicium de cessatione, & notabilitate deformitatis apud Regulares?

18 Iudicium hoc faciendum est à Prælatis Regularibus cum suis subditis. Probatur: Tum quia tenet argumentum à potestate Episcopi ad Prælatum maiorem, cum in vtrisque æque sit potestas iurisdictionis, vt *pluries dixi cum Rodr. Mir. & aliis*; sed Episcopus potest hoc iudicium ferre, *cap. Commoniter, in fine dist. 33. cap. Nuper 7. q. 2.* & licet loquantur de exercitio, extenditur etiam ad promotionem, cum vtrobique adsit par ratio, & de promotione etiam ad Prælaturam habetur cap. 2. de corp. vit. ergo & Prælatus Regularis. Tum quia eius est iudicium ferre, cuius est dispensare; sed Regulares in his valent dispensare, ex probatis, ergo & iudicare. *Ita tenet Angelus, vers. Corpora vitiatus num. 5. Tabien. num. 1.* tam de iudicio promotionis, quàm exercitij, *quem citat Mirand. tom. 2. q. 8. art. 3. conclus. 1.* qui hoc concedit de exercitio, non de promotione, cuius iudicium vult spectare ad Episcopum, quod non displicet, cum agatur de debita ordinatione celebranda, & id potius se tenent ex parte potestatis ordinis, quam iurisdictionis. Sed dic esse etiam actus iurisdictionis, ac proinde vtramque spectare ad Prælatum respectu sui subditi & opinionis Mirandæ *est Sigism. dub. 88. num. 7. Compend. resol. 52. num. 17.* vbi alij citantur, ex eadem ratione, quam tamen tangit Miranda, sed vt dixi, non tenet, præterquam quod militaret etiam respectu exercitij, quod tamen falsum est ex eodem Mirand. & Compend. Negat etiam nostrum dictum *Bonacin. quæst. 2. de irregular. part. 2. in fine*; eò quod neque iure aliquo, neque priuilegio probatur; sed iam probaui tum iure communi, argumento ab Episcopo ad Prælatum, & iure priuilegij, nam si Prælatus Regularis iure priuilegij potest dispensare, vt patet ex dictis, necesse est, quod priùs casus discutiat, an sit subiectus irregularitati nec nè Religiosus dispensandus? Nobiscum est *Diana part. 4. resol. 73. de Irregul.*

19 An cum laboranti capite possit Episcopus, seu Prælatus Regularis cum suo subdito dispensare, vt vtatur pileolo inter celebrandum? Resp. Solus Papa, & non alius concedit vsum pileoli in Missa etiam extrà Canonem, vt respondit Sacra Congregatio 1. Ianu. 1590. & 17. Ian. 1595. Papa id concessit extrà Canonem Episcopo Fauentino, & eadem respondit Archiepiscopo Vrbinati, eo non posse vti sine licentia Sedis Apostolicæ. Idem postea censuit Sacra Congregatio Rituum die 31. Ianu. 1626. & Canon ipse prohibet Episcopo velatum caput, ergo neque secùm, neque cum aliis dispensare potest. Ita Gauantus super *Rubricas Missalis.* Oppositum tenent *Nauarr. consil. 7. de celebr. Miss. Rodr. quæst. 24. art. 5. Mirand. tom. 2. quæst. 8. art. 4. conclus. 5. quos citando sequitur Compend. resol. 52. num. 18.* asserentes, Prælatum maiorem posse dispensare in hoc non solum cum ægrotante, sed etiam sano, quod posterius nullatenùs est admittendum, cum nulla adsit causa, neque velatio capitis reddit maiorem deuotionem, sed indeuotionem, neque maiorem attentionem, sed indecentiam.

20 Eligi non possunt corpore vitiati, quando defectus ita est notabilis, vt sine magno horrore, & scandalo nequeant suum officium exercere, & attentata electio est nulla, vt docent omnes *in cap. Cum sua 2. cap. Expósuisti 6. de corpore vitiatis, Sigism. dub. 88. num. 1. Lamor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 78.* In his autem dispensare potest Prælatus Regularis, quando vitium est leue, & non gignit magnum horrorem, si tamen eligendus non sit impotens ad munus, ad quod eligendus est; & hoc iudicium facere spectat ad ipsummet Prælatum, docet *Sigism. cit. num. 7. & dub. 89. num. 14.* probatur quia in his iudicium ferre, & dispensare spectat ad Episcopum *ex cap. Cum de tua 2. de corpore vitiatis*, Rota, *coram Card. Seraphino decis. 625. num. 3.* concedendo id Episcopis in leuibus defectibus, ergo idem concedendum est Prælatis maioribus de iure communi, imò & in grauibus de iure priuilegij, ex suprà adductis.

21 Infirmitate detenti, seu alio morbo incurabili, & naturaliter durabili, quod impediat exercitium officij, sunt Irregulares ad Prælaturas *cap. vn. de cler. ægrot. in 6. cap. De rectoribus 3.* vbi de leproso Rectore, cui datur coadiutor; *cap. Tua nos 4.* vbi remouetur leprosus, sed non priuatur fructibus sui beneficij, *cap. Ex parte 5.* vbi Episcopo incurabili morbo non valenti exercere suum officium datur coadiutor; *cap. Consultationibus 6. de cler. ægrot.* Archidiacono paralytico datur adiutor. Licèt autem ex his textibus videatur valere electio de istis, quia non remouentur, res tamen ita se non habet, nam aliud est morbum aduenire iam constituto in Prælatura, vt loquuntur præcitati textus, & ideò ne afflicto addatur noua afflictio, non remouentur, sed illis datur coadiutor, & si remouentur quandoque, non priuantur fructibus beneficij, quibus alendi sunt, aliud verò est, morbum præcedere personam eligendam, in quo casu attentata electio sine dubio est nulla, *vt probant omnes Canonistæ in cap. Cum inter 21. de elect.* vbi repellitur epilepticus vti inhabilis ab electione.

22 Dispensatio in his, vt eligantur, non potest habere locum, quia eorum irregularitas ratione impedimenti non valendi exercere munus officij, ad quod essent assumendi, potiùs dicitur naturalis, quàm à lege posita. Quod si infirmitas sit incurabilis, vt morbus Gallicus, podagra, &c. *Soluere nodosam nescit medicina podagram.* Ouid. 2. de Ponto. Et non impediat perpetuò, sed spatiis interiectis, eligibilis est detentus tali infirmitate, cum non sit irregularis, quæ solùm causatur ex perpetuo perenniter impedimento, ac proindè neque eget dispensatione.

Iudicium autem ferre, quod infirmitas non impediat, spectat ad Superiorem cum vocalibus, agitur enim de re tangente conscientias tam Prælati, quàm vocalium electorum.

23 Dubitatur autem, An Prælato, cui aduenit huiusmodi perenne impedimentum, dandus sit coadiutor de iure *cap. De rectoribus, cap. ex parte, cap. Consultationibus,* suprà relatorum §. *Infirmitate*, an remouendus à Prælatura?

Dico non esse dandum coadiutorem Prælatis Regularibus, sed remouendos esse. Tum quia ideò Clericis datur coadiutor, quia eorum officia sunt perpetua, regularia verò ad tempus, & reuocabilia, *Rodriq. tom. 2. quæst. 26. art. 7. §. Potest.* Tum quia ideò clericis datur coadiutor

coadiutor, quia aluntur fructibus sui beneficij, & vt plurimum aliud non habent, vnde viuant, consequenter videtur irrationabile, & contra ius naturale, si destituerentur debitis alimentis, vnde ex citato capite Tua nos, leprosus remouetur ab officio, & munere, non à fructibus sui beneficij; Prælati vero Regulares, quamuis remoueantur, semper aluntur à Religione cum cæteris Professis, Tum quia Superiores Regulares facilè remouentur à suis Prælaturis, & officiis; qualibet legitima subsistente causa, etiam leui, *cap. Per tuas 32. in fine, de simon. cap. Qualiter 14. in fine, de accus.* non autem Clerici seculares. Ita tenent *Sigism. dub. 102. nu. 5, Portel. part. 2. suorum respons. casu* 28. Temperati tamen potest huiusmodi remotio, nam tolerari potest per sex, vel octo menses, imò si ægrotus sit in postremo anno sui officij, potest Religio illum compati vsque ad finem officij, vel rogare illum, vt renunciet, ne remotio inuoluntaria sit causa maioris ærumnæ, & afflictionis.

Quæritur 4. Circa tertiam speciem irregularitatis, quæ prouenit ex defectu natalium, quis in ea dispensare possit?

24. Resolutio huius quæsiti requirens longiorem dispensationem reiicitur in sequentem Resolutionem duodecimam.

Quæres 5. Circa quartam speciem irregularitatis, prouenientis ex defectu ætatis, & libertatis, an Prælati Regulares possint in his dispensare?

Quod ad defectum ætatis, nolo hîc disputare, an propriè sit irregularitas, nam quidam negant *cum Megalio lib. 7. de cens. cap. 1. num. 161.* ex eo, quod irregularitas perpetuò constituit hominem incapacem ordinum; ætatis autem defectus solùm intra tale tempus, & non perpetuò, & solum respectu talis, & talis ordinis, vnde ætas ad primam tonsuram, & quatuor ordines minores non determinatur, vt colligitur ex *sess. 23. cap. 4.* vbi dicitur, quod nullus prima tonsura, aut quatuor ordinibus minoribus initiatus potest obtinere beneficium ante decimum quartum annum, ac proinde in his non limitatur tempus, nisi in maioribus, nam ad Subdiaconatum quis initiari non potest ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad Presbyteratum ante vigesimum quintum annum ex *cap. 12. sess. 23.* Alij tenent esse propriè irregularitatem, quod colligitur ex *cap. Vel non est 14. de temp. ordin. cap. fin. eod. in 6. & ibi glos. vers. Infanti*, vbi refert ad hoc alia iura, & patet ex noua prohibitione Sacri Concilij.

25 Dispensare autem in ætate nullus inferior Prælatus Regularis etiam Generalis à Papa potest, vt Religiosus promoueatur ad ordines tam minores, quam maiores ante legitimam ætatem à Tridentino præscriptam, vt docent omnes cum *Megalio lib. 7. de cens. cap. 3. n. 24. per cap. Nullus, de temp. ordin. in 6. Glos. in Clem. Generalem, de ætate;* non obstantibus quibuscumque priuilegiis, quòd ad hoc penitùs exclusis, vt dicitur *cap. 12. sess. 23.* & in terminis, quod priuilegia antiqua sint sublata docent *Rodr. tom. 3. q. 23. art. 6. & 8. Mirand. tom. 1. quæst. 39. art. 1. Sair. lib. 6. de cens. cap. 12. n. 14. & 15. & alij. quos pro se citat Portel. vers. Ordines sacri num. 1. Barbos. hic num. 12. Compend. resol. 106. n. 8.* vbi addit neque priuilegia post Concilium concessa subsistere posse, quia illis derogarunt Moderni Pontifices confirmantes priuilegia posteriora, quatenùs non sunt contraria Decretis Tridentini, & hoc vniuersaliter procedit siue in foro conscientiæ, siue extrà, & hoc est ita certum, vt dubitandi nullus relinquatur locus.

26 Dubium esse potest; An Prælati Regulares possint absoluere à suspensione contracta recipiendo ordines ante legitimam ætatem? Item, An possint dispensare, vt post ablatam suspensionem valeant exercere munus Ordinis suscepti, licet nondum peruenerint ad legitimam ætatem? Et quid stante legitima ætate, An egeat promotus ante eam dispensatione ad exercendum munus suum? Denium, an possint dispensare in irregularitate, si quam contraxerint in exercendo munus suum?

Primò dico, Prælatos posse absoluere à dicta suspensione, Tum quia in Bulla, *Cum ex sacrorum Pij II. apud Quar. vers.* Ordo non reseruatur, ergo potest auferri à Prælatis etiam localibus arg. c. Nuper, de sent. excom. Tum quia ad hoc extat priuilegium Sixti IV. concessum Oliuetanis, quod citat *Pereg. in suo Compend. vers. Dispensatio §. 12.* Quod communicatur omnibus Religiosibus; quare & nostri Prælati etiam Locales vti possunt. *Et ita docent d. Pereg. Henr. in sum. lib. 14. c. 20. §. 3. Beia p. 4. cas. 37. §. Aduertendum, Portel, vers. Ordines sacri n. 14. Compend. resol. 106. n. 26. quos citat Barbos. ad hoc c. 12. sess. 23 n. 14. Dian. resol. 85. de regul. contra Capuc. cum Sair. lib. 6. c. 12. num. 13. 14* asserentium esse derogatum eorum priuilegiis in Tridentin. *cit. sess. 23. c. 12.* Sed errant, quia ibi solum prohibetur susceptio ordinum ante legitimam ætatem, & nihil de absolutione; neque obstat Sixtus V. reuocando priuilegia absoluendi malè promotos, quia posteriores Pontifices re ualidando regularium priuilegia ex certa scientia, sustulerunt reuocationem Sixti V. vt *docet ipse Dian. cum Sigis. dub. 76. n. 6. cum Suar. lib. 8. de legib. c. 19.*

Secundò, sublata suspensione per absolutionem, Prælatus non potest dispensare cum ordinato ante legitimam ætatem, vt exerceat suum munus, quia sicut non potest dispensare in principali, nempe in ætate ex probatis §. primo, ita neque in accessorio, nimirum in exercitio antequam perueniat ad debitam ætatem, *Barbos. ad hoc cap. 12. sess. 23. num. 15.* Quod si ita ordinatus, sublata suspensione per absolutionem, vel si eam non incurrit ob bonam fidem, exerceat scienter suum munus antequam assequatur ætatem, peccat mortaliter ex communiori opinione *Compend. resol. 106. n. 14. Dian. resol. 182. de Sacram,* contra *Nau. & Ledesm. ab eo citatos,* ex eò quod bona fide recipiendo ordinem, legitimè initiatus fuit, sed dic per subsequentem malam fidem vitiari exercitium, cum defectu ætatis nullum ius licitum acquisierit, non tamen incurrit irregularitatem præscriptam in Bulla Pij II. quia ea sequitur ex suspensione, quæ cum sit sublata per absolutionem, eum effectum irregularitatis producere non potest, sicut neque quando suspensionem non incurrit ob bonam fidem recipiendo ordinem, vt *docent cum cit. Diana resol. 182. de Sacram. §. Difficultas, alij apud ipsos.* 27

Tertiò, postquam assecutus fuit legitimam ætatem, non eget dispensatione ad exercendum munus suum, quia tunc nullum habet impedimentum, non suspensionis, cum iam sublata fuerit per absolutionem, vt suppono; neque irregularitatis, quia defectus ætatis est irregularitas, quæ cessat siue dispensatione post aduentum temporis legitimi. *Ita docet Scorcia Epitome 39. Bull. Pontif. Theor. 109. ex Diana resol. 182. de Sacr. §. Notand. Bonac. q. 2. de Irregul. p. 4. n. 1. §. Ex dicendis.* 28

Quartò, exercens actum ordinis suscepti ante legitimam ætatem incurrit irregularitatem ex delicto, eò quod existens suspensus ministrauit, & in hac potest dispensari à suis Superioribus, vt dicam de hac eadem irregularitate infrà *quæst. 9.* quod si absolutus fuit exercendo actum ordinis suscepti antequam perueniat ad legitimam ætatem, nullam incurrit irregularitatem, neque ex defectu, præter dictam ex delicto, vt probaui §. 2. 29

Irregularitas prouenire potest ex defectu libertatis; Primò, respectu seruitutis, serui enim quamdiu sunt sub potestate domini non possunt promoueri, *c. Nulli, c. quicumque. c. De seruorum, dist. 54. & toto tit. de seruis non ordin.* Casus dispensationis non est dabilis apud Religiosos professos, quia hoc ipso, quod sunt benè professi acquisiuerunt libertatem, ac proinde cum sint immunes ab irregularitate, non egent dispensatione. Neque secundò coniugati verè professi, quia 30

professione

professione effecti sunt liberi, ac proinde in eis cessauit irregularitas. Quod idem dic tertiò de obligatis ratiociniis publicis, siue priuatis, qui arcentur ab ordinibus, non tamen ab exercitio susceptorum *cap. vn. de oblig. ad ratiocin. c. 1. & 2. Ne Cler. vel Monac.* Quarto de Curialibus principum secularium, qui sunt irregulares, *c. Legem dist. 53.* Quinto de aliis, quos vide apud *Bonac. q. 2. de irreg. p. 4. propos. 2.* Isti ergo suprànumerati, cum per ingressum religiosum, hoc est, per validam professionem, vel eiusdem nullæ ratificationem effecti sint liberi, & exempti à suis dominis, vel aliis quibus subiiciebantur, ac proinde non sint amplius irregulares, nulla indigent dispensatione, dato etiam teneantur reddere ratiocinia, quia Religio eorum nomine respondere potest, præterquam quod videtur cessisse iuri suo non reclamando infra annum probationis.

Quæres 6. Circa quintam speciem irregularitatis, quæ est ex defectu Sacramenti, hoc est, quando quis est bigamus, An Prælati Regulares in ea dispensare possint? Bigamia autem significat diuisionem carnis, hinc est, quod triplex est Bigamia, Vera, Interpretatiua, & Similitudinaria. Vera est illa, quæ prouenit ex duplici matrimonio valido successiuè contracto, & cõsũmato, vnde qui successiuè duas duxit vxores Bigamus est, quia hic est, diuisio carnis, cùm non sit coniunctio vnius cum vna, sed vnius cum pluribus. Consummatio autem matrimonij est emissio seminis intra vas feminæ cognitæ affectu maritali, quod dico propter eum, qui adulterat, per hoc non dicitur fieri bigamus, quia non consummat affectu maritali, sed luxurioso tantùm. Quare qui vnicam tantùm duxit vxorem nondum dicitur Bigamus verè, licet sit interpretatiuè, si duxit corruptam ab alio, quàm à se, Itaque Bigamia Interpretatiua est illa, quæ prouenit non ex multiplici matrimonio, quod contingere potest tribus modis. I. Quando quis consumat duo matrimonia, siue simul, siue successiuè, quorum alterum siue priùs, siue posterius est nullum, cap. Nuper de bigam. II. Quando quis consumat cum corrupta ab alio, quam à se, siue ex copula matrimoniali, siue fornicaria, *c. Maritum dist. 33. cap. Curandum, dist. 34.* quod procedit, licet cum contraxit matrimonium, esset virgo, & antequam cum ea consumaret, cognita fuit ab alio, *cap. Si enim, c. Si laici dist. 34.* imò & nullum matrimonium, III. Quando quis consumat duo matrimonia licet ambo nulla, ex *cap. Nuper, eod.* In his enim omnibus casibus est diuisio carnis, si non ex duplici matrimonio vero, saltem interpretatiuo, cùm non sit commixtio carnis vnius cum vna, sed cum pluribus, aut cum vna, quæ cum aliis suam carnem diuiserat. Tertia species Bigamiæ dicitur Similitudinaria, cùm scilicet Clericus in sacris constitutus, vel professus contrahit matrimonium illud consumando *cap. Quotquot, cap. Monacho 27. q. 1. cap. fin. de* Bigamis, ratio est quia illi per votum sunt coniuncti cum Christo, seu Ecclesia, vnde coniungentes se mediante matrimonio attentato cum femina, etiam virgine dicuntur Bigami, quia hoc matrimonium similitudinem habet, seu interpretationem recipit plurium. *Vide Bonac. q. 2. de Irreg. p. 5. Megal. lib. 7. cap. 2. n. 62. Compend. resol. 16.* & alios communiter in materia irregularitatis. His positis:

Quæstio est, An Bigamia reddat irregularem Religiosum non solum respectu ordinum, sed etiam respectu prælaturarum? & quales Superiores possint ad vtrumque dispensare?

Resp. Bigamia reddit irregularem hominem Religiosum ad promotionem ordinum, & ad exercitium eorum. Item ad prælaturas, & dignitates. Prælati regulares maiores possunt cum bigamis dispensare ad ordines minores in bigamia vera, seu interpretatiua, non autem ad ordines maiores. Vtrique vero ad omnes ordines bigamos similitudinarios. Item & ad prælaturas quascumque, & ordines ex priuilegio.

Primum, quod reddat irregulares ad promotionem, & exercitium ordinum, patet ex *c. 1. 2. 3. de bigamis, & aliis supracitatis, & ex cap. 17. sess. 23* vbi clerici coniugati modò non sint bigami assumi possunt ad exercitium ordinum in Ecclesiis.

Secundum, quòd Religiosi bigami non possint eligi ad dignitates, probatur ex eisdem textibus tit. de bigamis, non enim est dignus beneficio seu prælatura, qui est incapax officii, expressè *dist. 26.* per illa verba: *Vnius vxoris virum,* Apostoli, quæ interpretantur, vt eligendus non sit vir plurium vxorum: sic *docent Bonac. cit. q. 2. de Irreg. p. 5 n. 3. Laur. tit. 4. de elect. c. 16. n. 65. Nau. cons. 3. & 4. de bigamis.* Quæ procedunt licet sint dispẽsati ad ordines, quia dispensatio ad ordines non extenditur ad prælaturas cum sit stricti iuris. 32

Tertium, quod Prælati regulares possint dispensare ad ordines minores, quò ad promotionem, & exercitium, probatur, quia à iure communi hæc facultas conceditur Episcopis *Glos. vers. Dispensare cap. 2. de bigamis, Rodr. tom. 1. q. 24. art. 2. Silu. vers. Bigamus q. 6. cum aliis, quos sequitur Compend. resol. 16. n. 2. & 12.* quicquid dicant alij in contrarium non posse de iure communi dispensare Episcopum, neque proinde Prælatos maiores, quos sequitur *Sigism. dub. 71.* tam quoad ordines, quam dignitates. 33

Quartum de Bigamis similitudinariis tam quoad ordines, quàm dignitates, probatur *per cap. 1. Qui Clerici, vel vou. & ibi glos. vers. Dispensatiue, per cap. Sanè 2. de conuers. coniug.* vbi hæc facultas tribuitur Episcopis, *vt etiam docent Bonac. q. 2. de irregul. p. 5. num. 15. §. in bigamia, Megal. lib. 7. cap. 5. num. 16.* quod probat ex Trident. quia hæc est ex delicto, quod tamen debet esse occultum, in publico autem ait dispensare solum, quando contraxit cum virgine, per iura ibi allegata; ergo idem dicendum est de Prælatis regularibus *cum Compend. resol. 16. n. 13. vbi citat Suar. & Villalobos, & Sigism. dub. 71. n. 2.* 34

Quintum denique, quòd virtute priuilegiorum possint dispensare cum quibuscumque bigamis ad ordines, & prælaturas, probatur ex priuilegiis allatis à *Portel. vers. Dispensare n. 4. quem sequitur Compend. resol. 16. n. 14. quos refert Diana resol. 63. de irreg.* Sed obiectua, quod in illis priuilegiis nulla sit expressa mentio de dispensatione bigamiæ, sed in genere Pontifices concedunt facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex quacumque causa contractis etiam reseruatis Papæ, & in homicidio, atque mutilatione, modò hi duo casus sint occulti, concessit Iul. II. Ordini Prædicatorum, *vt referunt Compendiatores priuileg. Societatis Iesu, Dominicanorum apud Sorbum vers. Dispensatio in fine sua Annot. §. Potest Prior, Peregr. tit. Dispensatio §. 1.* Sed isti non explicant, sit ne Bulla, an Oraculum, nam si esset Oraculum, nullius nunc esset roboris, cum annullata fuerint à Greg. XV. & Vrbano VIII. prout retuli *resolut.* 15. de hac materia Oraculorum, Vide Vecchium *disp. 9. dub. 15.* vbi absolutè tenet non dari huiusmodi priuilegia dispensandi cum bigamis veris, seu interpretatiuis, quia licet priuilegia vniuersaliter loquantur, semper tamen intelligitur excepta bigamia; quæ cum sit casus specialis non venit sub generali concessione, *ex Reg. In generali, in 6. ibidem tamen refert. §. Contra, Auilam part. 7. de cens. disp. 8. dub. 4. concl. 8. cum Henriq. lib. 2. de Matrim. c. 6. num. 11. in glos. lit. Z.* Prælatos Regulares, imò & Confessores posse dispensare virtute concessionis Sixti IV. Sed cùm sit Oraculum neque authenticum, vt videre est in *Sorbo vers. Absolutio extra ord. quoad Fratres n. 5.* nullius est momenti eorum dictum quoad ad hoc priuilegium, vt patet suprà. Sed rationi Vecchij, & aliorum responderi potest, regulam illam non habere locum, quando in concessione generali exprimuntur, & conceduntur casus maiores, vt est irregularitas ex homicidio in dicta concessione Iul. II. præter quam quod adest dictio 35

ampliatiua

ampliatur, *Etiam Papa reseruatis*, quæ comprehendit omnes casus etiam magis dubitabiles, *Nauar. tom. 3. Notab 26. de Iubilao num. 3. per l. Etiam ff de min. Florentus par. 1. de casib. reseru. cap. 5 §. 3. num. 5. & 6.* ergo comprehendit quoque casum nostrum de quauis bigamia, priuilegia enim regularia amplianda sunt, cum censeantur leges perpetuæ, ac si in corpore iuris essent inclusa, Oldr. cons. 300. *num. 4. §, Considerandum. cum aliis citatis à Sigism. dub. 120. de elect. n. 13.*

36 Petes, an Bigamus prohibeatur ab ingressu Religionis? Resp. Bigamus directè non prohibetur, neque est inhabilis ad ingressum, quia non impedit valorem professionis, neque prohibetur in iure communi; prætere a Clericatus non est de requisitis, neque de essentia professionis, & Religionis, *Nauar. cons. 10. de Regul. n. 2.* ac proinde bigamia licet impediat ascensum ad Clericatum, non tamen ad Religionem, quam quis ingredi potest sine ascensu ad Clericatum. Et quoad ingredientes ad statum conuersorum, seu Laicorum nulla est difficultas, *cum Nau. cons. 8. de conuers. coniug. n. 2 Vecchio disp. 5. dub. 3.* Quantum vero ad ingredientes ad statum clericalem, licèt possint admitti de iure, non sunt tamen recipiendi, nisi prius obtinuerint à Papa dispensationem saltem ad ordinem, loquendo in opinione eorum, qui negant, Prælatos Regulares posse dispensare cum istis, quia ingressi sine dispensatione essent inutiles Religioni, si non possent obtinere dispensationem.

Hinc patet, per ingressum in Religionem irreuocabilem non abstergi defectum bigamiæ, vt docet Suar. quem pro se citat *Compend. resolut. 16. n. 12.*

37 Quæres 7. Circa sextam speciem irregularitatis, quæ prouenit ex defectu lenitatis, seu ex licito homicidio, quis dispensare possit?

Respond. In speciali *Resolutione decimatertia infrà q. 4.*

38 Quæres 8. Circa primam speciem irregularitatis ex delicto iterationis Sacramenti, An Prælati Regulares dispensare possint? Hæc autem irregularitas contrahitur ex iteratione baptismi scienter facta tam ex parte baptizantis, quam rebaptizati, & non in aliis Sacramentis, *ita habetur cap. Qui in qualibet 1. quæst. 7. cap. Aphros, dist. 98. cap. 2. de apost. cap. Eos qui, cap. Qui bis, de consecr. dist. 4. l. 1. C. Ne Sanctum baptisma reiter.* qui enim bis se facit baptizari grauem iniuriam infert Baptismi Sacramento. Vterque ergo iterando hoc Sacramentum fit irregularis, non tamen simpliciter, sed ex parte, quatenus prohibetur promoueri ad maiores ordines *cap. Ex literarum, de apost. vt cum aliis docet Bonac. q. 3. de Irregul. p. 3. num. 7. §. Circa.* Requiritur scientia huiusmodi reiterationis, aliter bona fide putans non rebaptizare, vel rebaptizari immunis est ab illa, ignorantia enim sicut excusat à peccato, ita & ab irregularitate, quæ delictum supponit, Metus tamen etiam cadens in constantem virum non excusat à peccato, neque subinde ab irregularitate, quia coactus potest fingere baptismum, non habendo intentionem iterandi, à qua pendet Sacramentum, neque quis potest cogere intentionem alterius. *Bonac. cit. Megal. lib. 7. de censur. cap. 2. num 50.* cum aliis communiter. Baptizans verò sub conditione, si quis non est baptizatus, non incurrit, quia non dicitur iteratio baptismi, quamuis postea constet de priori baptismo valido. Demum scienter baptismum recipiens extra casum necessitatis ab hæretico, incurrit irregularitatem *cap. Verum est, in fine 1. q. 1. cap. Qui in qualibet 1. q. 7. Megal. cit. num. 51. 52.*

39 Respond. Prælatus Regularis etiam localis dispensare potest in huiusmodi irregularitate tam ad ordines quàm ad dignitates, non solum quando delictum, ac proinde irregularitas est occulta, virtute *cap. 6. sess. 24*, sicut possunt Episcopi, ex supra probatis *resol. 10. q. 1. §. 4.* verum etiam quando res est publica, vt docui ibidem *q. 22. & resol. 11. q. 1.* ex eo quod locis citatis probaui posse Prælatos dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto, ac proinde in hac speciali.

Quæres 9. Circa secundam speciem irregularitatis ex delicto indebitæ susceptionis, vel exercitij ordinum, An Prælatus dispensare possit?

Obseruandum est, quod irregularitas ex mala pro- 40
motione ad ordines incurritur primò ab excommunicatione fulminata ab ordinatore, qui siue scienter, siue ignorantia crassa recipit sacros ordines *cap. Cum illorum, de sent. excom. in 6. & cap. 5. de eo, qui furt.* vbi dicitur qui ingrediendo Religionem potest dispensari ab Episcopo. Sunt quidam asserentes, hunc remanere suspensum tantum ab vsu ordinis suscepti cum censura. Excluduntur ab hac irregularitate recipientes ordines minores in opinione aliquorum contra tutiorem, & probabiliorem asserentium incurrere, quia textus dicit Ecclesiasticos ordines, quo nomine veniunt omnes ordines. Alij conformius verbis textus dicunt hunc remanere solum suspensum, quia verba textus aptiora sunt suspensioni, quam irregularitati. Suspensi autem, & interdicti ad ordines promoti non fiunt irregulares, quia non reperitur in iure expressa, contra aliorum opinionem. Secundò fit irregularis qui eodem die recipit Subdiaconatum cum altero saltem minore, vel duos sacros *cap. 2. & 3. de eo, qui furt. vbi Abbas*, seu Episcopus dispensant si Religionem prius ingrediatur; volunt tamen Doctores probabilius hanc pœnam esse suspensionem, non irregularitatem. Tertiò recipiens furtiuè idest non vocatus, neque approbatus, ordinem Diaconatus fit irregularis ex *cap. Veniens de eo qui furt.* iuxta quod initio dixi. Quartò recipiens ordinem sacrum coniugatus est irregularis extr. Antiquæ. Quintò recipiens ordines sacros ab Episcopo, qui renuntiauit incurrit irregularitatem ex *cap. 1. de ordin. ab Episcop.* Sextò Clericus exercens ordinem sacrum scienter, serio, & ex officio est irregularis, *cap. 1. & 2. de cler. non ord. Min.* & in hoc casu potest Episcopus dispensare *ex cap. 2. iuncta glossa vers. Misericordiam,* vt ministret in susceptis, ergo & Superior Religionis, qui etiam de iure priuilegij dispensare potest, vt promoueantur ad vlteriores. Demum irretitus maiori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, etiam occultus, & toleratus fit irregularis solemniter, seu ex officio exercendo actus proprios ordinum maiorum, nisi excuset inaduertentia, ignorantia, aut necessitas, *cap. Si quis Episcopus 11. quæstione 3. cap. 2. & cap. Is cui, de sent. excommun.* Vide Doctores super dictis irregularitatibus, qui alias assignant, sed potius sunt species suspensionis, quam irregularitatis.

Respond. Prælati de iure communi dispensare pos- 41
sunt in primis sex casibus; quia Episcopi id facere possunt ex citatis textibus, vbi id exprimitur, ergo & Prælati Regulares, cum teneat argumentum a potestate Episcopi ad Prælatos maiores. De iure vero priuilegij ab omnibus prædictis dispensationem dare possunt, vt id expressè concessit Dominicanis in Marimagno Sixtus IV. seu Gregorius XI. ibi. *Et huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto Diuina Officia celebrantes, vel suscipientes ordines sic ligati, notam irregularitatis incurrerint absolutiones, & dispensationis beneficium valeant impertiri.* Et ita docent *Rodr. tom. 1. quæst. 20. art. 1. q. 24. art. 14. Cruz lib. 2. cap. 6. dub. 16. concl. 2. Mirand. tom. 2. quæst. 8. art. 24. conclus. 5. & cum eis Vecchius disp. 9. dub. 19. Compend. resolut. 52. num. 27. ex Clement. IV. in Marimagno pro Franciscanis,* quorum Prælati etiam locales, & eorum Vicarij possunt dispensare cum Nouitiis, professis etiam hospitibus ad eos declinantibus ab irregularitatibus incursis ob exercitium ordinum in censura. Quæ procedunt etiam in irregularitate contracta ab iis qui malè promoti, ac ideò censurati iuxta Constitutionem Sixti V. incip. *Sanctum, & salutare*, apud Quarant. *vers. Ordo.* Vbi licèt sibi reseruauerit non solum

absolutionem

absolutionem à reatibus, & excessibus contra ordinantes, & malè ordinatos, verum etiam dispensationem super Irregularitate contracta propter præmissa, cum clausulis efficacissimis derogantibus omnibus, & quibuscumque priuilegiis etiam Tridentini, tamen cum Clem. VIII. in sua Constitut. *Romanum Pontificem*: apud supradictum Quarant. Bullam Sixti V. reduxerit ad terminos iuris, & absoluerit pœnas, & censuras à se inflictas, remanentibus in suo robore eas, quæ reperiuntur in Sacris Canonibus, & Decretis Conciliis, ac in aliis Bullis Pontificiis; in quibus locis aut irregularitas non est reseruata; aut si est reseruata, dispensari potest virtute subsequentium priuilegiorum, eo quod Clem. VIII. sustulerit huiusmodi reseruationem Sixti V. Et ita probat *Vecchius disput. 9. dub. 13.* etiam dispensandi cum Simoniacis iuxta supracitatum priuilegium Sixti IV. vbi fit expressa mentio de hac dispensatione respectu simoniæ.

Quæres 10. Circa tertiam speciem irregularitatis ex delicto infidelitatis, vel hæresis; An Prælati Regulares possint dispensare?

42 Hæretici omnes cum suis fautoribus, & defensoribus sunt irregulares *cap. Saluberrimum 20. quæst. 7. cap. 2. de hæret. in 6.* Item eorum filij vsque ad secundam generationem per lineam virilem paternam, per maternam tantum vsque ad primam, *cap. Statutum 2. de hæret.*

43 Respond. Prælati Regulares possunt dispensare cum suo Clerico reuersum ad fidem, vt ministrare possit in ordinibus susceptis vsque ad Diaconatum inclusiuè, quia id facere potest Episcopus *ex cap. Saluberrimum cit.* ergo & Prælatus Regularis maior, non autem vt vlterius promoueatur. Virtute vero priuilegij Concilij *sess. 24. cap. 6.* potest si casus sit occultus, sicut potest Episcopus, ita & Prælatus Regularis, cum ei competat dictum priuilegium de iure Tridentini, & ex concessione Pij V. etiam Prælato locali ex probatis alibi. Et in terminis nostris de Episcopo tenet *Bonac. q. 3. de irregul. p. 7. num.* 14. vbi firmat posse Episcopum dispensare hæreticum reuersum non solùm in exercitio, sed etiam in promotione, non obstante Bulla Cœnæ Domini, quæ loquitur tantum de absolutione, non de dispensatione. Confirmatur id totum ex priuilegio Marimagni Sixti IV. relato *consil. 10. quæst. 1. §. 2.* vbi explicans, quinam mittendi sint ad Sedem Apostolicam pro absolutione, & dispensatione in casibus enormibus, determinat solùm in quatuor casibus, nimirum hæretici relapsi Schismatici, falsificantes literas Apostolicas, & deferentes ad infideles probibita, ergo hæretici non relapsi ad fidem conuersi, possunt dispensari à Prælatis Regularibus. Quamuis igitur Regulares Prælati non possint absoluere ab hæresi, vt probaui *resolut. 3. quæst. 2.* tamen possunt hæreticos conuersos dispensare in irregularitate, vt de Episcopo docet *Sanchez quem citat cum aliis in cap. 6. sess. 24. numero 71. Barbosa, & sequitur Bossius sect. 1. de Iubilæo casu 10. numero* 244. dato etiam quod non possit absoluere ab hæresi, ergo idem dicendum est de Prælatis Regularibus à paritate iurisdictionis.

44 Suspecti de hæresi non sunt irregulares propter suspicionem, sed propter infamiam si crimen sit notorium, *vt docet Sanclar. cap. 25. de hæresi dub. 1. num. 9. Sanchez lib. 2. cap. 25. numero 10. & 12. cum aliis, quos citat Trimarchus in suo tract. de solicitat. disput 14. sect. 9. vbi numero 64.* asserit cum his post purgatam infamiam prouincialem Prælatum dispensare posse ad celebrandum, quia lapsi in hæresim post pœnitentiam exercere possunt susceptos ordines, ergo eò magis tantum suspecti.

Quæres 11. Circa quartam speciem irregularitatis ex delicto infamiæ, An Prælati Regulares possint dispensare?

Notandum autem est, quod infamia est praua opinio de vita, & moribus proximi; sicut fama est bona opinio. de infamia dixi *resolut. 56. quæst. 11.* Est duplex alia iuris eò quod à iure imponatur, vt videre est *cap. Infames 17. 6. quæst. 1.* vbi recensentur delicta inducentia infamiam, quæ sunt apostasia à fide, raptus mulierum, furtum, simonia, periurium iudiciale, sodomia, hæresis, eius fautor, crimen læsæ maiestatis, persecutio hostilis, duellum, publica pugna cum belluis, matrimonium duplex, lenocinium, prostitutio filij, vel neptis, matrimonium cum meretrice, vel repudiata, maleficium, veneficium, adulteriū & alia, quæ referuntur à Doctoribus super dictum caput. & quando agunt de hac irregularitate. Vt autem huiusmodi crimina inferant irregularitatem debent esse notoria vno ex tribus modis, vel notorietate facti, ita quod delictum notum sit maiori parti loci, viciniæ, vel collegij, seu Monasterij, vel per declaratoriam sententiam iudicis; vel per propriam confessionem in iudicio. Infamia vero facti est illa, quæ oritur ex delicto, quod infame censetur apud graues viros, & hoc debet esse notorium maiori parti viciniæ, vt supra, vt possit inducere irregularitatem, quia crimen occultum non paritur infamiam *cap. fin. de temp. ordin.* 45

Infamia igitur tam iuris, quàm facti inducit irregularitatem cum ea differentia, quod infamia iuris prohibet non solum promotionem, sed etiam exercitium; facti verò solum promotionem, non exercitium excepta infamia facti homicidij, cùm peculiarem inducat irregularitatem vtrumque prohibentem. Plerique Doctores benè volunt non quoduis delictum inferre infamiam facti; sed solum ea, quæ de iure infamiam inferunt, & non aliter, *Vecchius disp. 9. dub. 21. num. 6.* 46

Infamia præterea repellit hominem à dignitatibus, & Officiis honorificis ex *cap. Infamis cit. 6. q. 1. & Reg. 87. in 6.* vbi dicitur: *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* 47

Respond. Infamia facti, quæ non sit etiam iuris tollitur per emendationem ipsius delinquentis, vnde potest promoueri ad ordines sine dispensatione, post acquisitionem famæ, Infamia iuris tolli potest à Prælatis Regularibus tam de iure communi, quàm iure priuilegij. 48

Primum, quod tollatur de iure communi, probatur, quia Episcopus potest eam tollere, non omnem tamen, sed eam solum quæ prouenit ex adulterio, & minoribus delictis, quia in his dispensando criminibus, vt adulter promoueatur; consequenter dicitur tollere infamiam iuris ex illis contractam, vt docent omnes Canonistæ in c. *At si Clerici §. De adulteriis, de iudic. Nauar. c. 27. n. 204. Bonac. quæst. 3. de Irregul. p. 1. num. 6. §. Tertio, Megal. lib. 7. de censur. cap. 3. num. 21. vbi num.* 23. refert quæ delicta dicantur minora adulterio, ergo & Prælati maiores. Et ita docent *Rodr. tom. 1. quæst. 24. art. 17. Mirand. tom. 2. quæst. 31. art. 11. Beia part. 4. casu. 37. in fin. Cruz. lib. 1. cap. 6. dub. 15. num. 6. quos sequendo Vecchius citat q. 9. dub. 22. num. 16. Compend. resol. 52. num. 19. Sigism. dub. 87. num. 3.* 49

Secundum, quod omnis infamia iuris notoria per confessionem, aut sententiam tolli possit iure priuilegij, probatur priuilegio concesso à Pio V. Abbatibus, & prælatis Congregationis Cassinensis dispensandi in quauis macula infamiæ, qualitercumque contractæ ante, vel post ingressum Religionis, habetur in Bullario nouo Bulla 129. & alio priuilegio concesso à Greg. XIV. Clericis Regularibus Ministrantibus infirmis, Bulla 17. in eodem Bullario, quæ citat *Peregrin. suo Compend. vers. Dispensatio §. 5. & sequitur Nald. ver. Infamia num. 1. §. Hic autem.* Hinc reiiciuntur *Rodr. tom. 1. quæst. 24. art. 6. cum suo Compend. resol. 52. num. 19. Mirand. tom. 2. q. 8. art. 5. conclus. 2. quos pro se citat. Vecchius disp. 9. dub. 22. num. 15.* 50

Porsell. vers. Dispensare num.6. Sigism. dub.87. num.7. Lanoe tit.14.cap.16.num.72. asserentes Prælatos Regulares non posse dispensare in hac irregularitate, quando est publica, vnde inferunt sodomitam condemnatum dispensari non posse à Prælatis Regularibus, & videntur fundari ex eo, quod delictum per sententiam publicatum infert scandalum, quod coniungitur cum infamia, & sicut Prælati non possunt dispensare cum vitiatis corpore, quoties vitium est scandalosum, ita neque cum infamia publica, quæ annexum habet scandalum. Sed tollitur difficultas, quia priuilegia citata absolutè loquuntur, ergo de quauis infamia siue sit cum scandalo, & publica, siue non. Deinde scandalum tam reperitur in minoribus delictis deductis ad forum contentiosum, quàm in maioribus adulterio; ergo si non obstat in illis minoribus, in quibus possunt Prælati dispensare, vt docent etiam aduersarij, ita neque obstare debet in maioribus. Demum scandalum in vitiatis corpore cum sit quasi annexum vitio naturali reddit irregularitatem indispensabilem, vnde leprosus videtur indispensabilis, sicut & paraliticus, &c. Non sic se habet scandalum infamiæ, quia processu temporis euanescit accedentibus quoque bonis moribus infamati.

51 Infamia quoque irregularitatis ex delicto hæresis proueniens tollitur virtute priuilegiorum quò ad ordines, vt probaui *qu.* 10. non autem tolli potest quo ad dignitates, postquam pœnitentias adimpleuerunt, vel etiam gratiam receperunt, quia Sanctissimus huius dispensationem, & rehabilitationem sibi, & supremo Officio Inquisitionis reseruauit, vt constat ex Decreto Vrbani dato 1. Octobris 1626. quod refert *Diana part. 4. pag. 294. & citant Nald. ad tit. de heret. in 6. Bossius de solicit. num. 70. Bariola vers. Regulares puniti, pag. 243.*

Quæres 12. Circa postremam speciem irregularitatis ex homicidio, An Prælati Regulares possint in ea dispensare;

52 Respond. Soluetur difficultas infra in propria Resolutione de hac re, quæ erit decima tertia.

Quæres 13. An Prælati Regulares Tertij Ordinis Diui Francisci habeant specialia priuilegia dispensandi in irregularitatibus quibuscumque tam defectus, quam delicti?

Respond. Habent, prout colligitur in libello suo-
53 rum priuilegiorum. Eugenij IV. in sua Constitut. *Iniunctum nobis*, pag. 30. illis verbis. *Ac etiam cum Clericis, & Presbyteris ex prædictis super irregularitate, si qua sententiis præfatis, vel earum aliqua legata, Missas, & alia diuina Officia, non tamen in contemptum clauium, celebrando, vel se immiscendo quomodolibet pro tempore contraxerint dispensare.* Hoc priuilegium concedit nostro Generali existenti in regnis Legionis, & Castellæ, qui illius virtute potest dispensare in irregularitate contracta à suis Religiosis, dum ministrarunt cum censura aliqua ligati. Et ibi limitatur pro foro conscientiæ ex verbis antecedentibus, vnde ex hoc capite dispensatio non suffragatur pro foro externo, si lis moueatur. Hoc priuilegium Paulus II. in sua Bulla, *Excitat arcanum*, extendit ad nostrum Generalem Italum, pag. 441. Confirmatum à Clem. VII. in sua bulla. *Ad vberes fructus*, pag. 69. vbi pag. 78. de potestate tam absoluendi, quam dispensandi habentur hæc verba: *Nec non Antonius pro tempore existens Visitator. Generalis Ordinis de pœnitentia huiusmodi, officium Generalis Visitatoris ipsius Ordinis, facere. & exercere, ac personas sibi subiectas in singulis casibus, in quibus, & prout Ministri & Magistri, ac Vicarij Generalis aliorum quorumcunque Ordinum Mendicantium etiam de Obseruantia, & Congregationis Reformatorum, iuxta eorum regularia instituta, & eis concessa priuilegia Apostolica absoluere, & dispensare, ac facere, & exercere, ac absoluere, & rehabilitare, & cũ eis dispensare.* Hæc priuilegiorum communicatio amplissima facta prædicto Generali, ac proinde et is successoribus in Regnis Castellæ, Legionis, Galitiæ, Andalusiæ, seu Vãdaluæ habet locum respectu cuiuscumque delicti absolutione, seu irregularitatis dispensatione egentis, iuxta dicta superiùs de singulis speciebus irregularitatis, tam pro foro interno, quam externo, ac proindè non ampliùs standum est restrictioni præcitati priuilegij Eugenij, & ita ferendum est, quia Papa non distinguit, neque restringit priuilegium, ergo amplissimè amplexandum est. Huiusmodi autem priuilegia successiuè confirmata fuerunt, vt alibi probo.

Quæres 14. An sit inflicta in iure pœna irregularitatis contra Religiosos extra claustra legentes aut audientes Leges, vel Medicinam?

Respond. Religiosi professi exeuntes claustra ad le- 54
gendum leges ciuiles, aut Physicam, idest Medicinam ipso iure sunt excommunicati, & amittunt spem totius promotionis, si intra duorum mensium spatium non redierint ad sua claustra, & reuersi in choro, capitulo, mensa, & cæteris vltimi Fratrum existant. *Cap. Non magnopere 3. Ne Cler. vel Mon. vbi glos. fin.* dicit, quod nullus cum his dispensare potest, & quia sibi obiicit *cap. Nuper*, subdit, quod hoc de promotione quoad dignitates intelligitur. Easdem pœnas omninò incurrunt Religiosi exeuntes ad audiendas leges, vel Medicinam, vt ferè eisdem verbis proponitur in alio *cap. Super specula 10. eod. Vide Bonac. quæst. 3. de irregul p 7. num. 17. Megal. lib. 7. de cens. cap. 2. num. 113. vbi ex Panorm. super dictum cap. Super specula*, dicit esse priuationem promotionis tam ad ordines, quam ad dignitates. Puto autem Prælatum Regularem in prædictis dispensare posse, si non de iure communi, saltem iure priuilegij Sixti IV. & aliis relatis in præcedentibus.

Quæres 15. An prælati Regulares, vel saltem capitulum Generale possit inducere nouam irregularitatem, quæ non sit expressa in iure communi?

Respond. Non, quia irregularitas ideò dicitur cano- 55
nicum impedimentum, quia inducitur per ius canonicum, vnde nulla est asserenda irregularitas; quæ non reperiatur expressa, in iure canonico, *c. Is qui, de sent. excomm. in 6.* sed nullus præter Concilium Generale, aut Summum Pontificem potest condere ius canonicum; ergo nullus Superior Regularis, aut Generale capitulum inducere potest nouam irregularitatem. Et ita docet *Suar. tom. 5. disput. 40. sect. 4. n.* 11. nullum ius speciale alicuius Diœcesis, aut Prouinciæ posse condere nouam irregularitatem, *& ex eo Megal. lib 7. de cens. c. 2. num. 3. vbi antecedenter num. 1. ex Abbate in cap. 1. constit.* dicit iuris canonici nomine venire propriè Constitutiones conditas in Conciliis Generalibus, & Decreta Summorum Pontificum, ex quibus duobus conficitur ius commune, seu canonicum, *vt docuit Cucus lib. 1, Instit. maior. tit. 1. num. 4.*

Quæres 16. An irregularitas prohibeat ingressum in Religionem?

Respond. Non prohibet quantum est ex se, eò 56
quod non impediat valorem probationis, neque professionis, præsertim quo ad statum laïcalem, quo ad statum verò clericalem, si non impedit, reddit tamen difficilem ingressum propter incommoda Religionis, & quia quandoque difficilis redditur dispensatio, & ideò melius est, vt ingredientes requirant dispensationem. Faciunt dicta sub *q. 6. §. Petes.* Nihilominus Prælati Regulares etiam ingrediendos, & Nouitios dispensare possunt iuxta eorum priuilegia, de quibus in supradictis quæstionibus.

Quæres 17. An Religiosus irregularis sit priuatus voce actiua, & passiua, ita vt non possit eligi, neque eligere, & inde secuta electio sit nulla ad dignitates, & prælaturas?

Respond. Irregularis est priuatus voce passiua, ac 57
proinde electio de ipso secuta, est nulla, non tamen caret voce actiua.

Primum,

Primum, de carentia vocis passiuæ, probat moltis testibus citatis *Lanor. tit. 4. de elect. cap. 16. num 96.* quamuis illi textus probent directè de suspensis, indirectè, & consequenter de irregularibus; *Sigism. dub. 70. ubi quamplures ad hoc citat Doctores*, & probat quia prælaturæ fundantur in ordine, cuius si incapax est irregularis tam quo ad promotionem, quàm quo ad exercitium, consequenter non potest fungi sua prælatura, seu superioritate ab ordine pendente.

Secundum, de nullitate electionis, tenent ferè communiter omnes apud dictum *Sigism. & præcipuè Suar. tom. 5. disput. 40. sect. 2. num. 38. & tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 4. contra Silu. ver.* Excomm. 4. *cum Diana resol. 79. de Irregul.*

Tertium, de voce actiua, probatur, Tum quia id non reperitur expressum in iure. Tum quia ius eligendi non fundatur in ordine, nam constat inter Regulares, Conuersos, & Clericos nondum prima tonsura insignitos ferre suffragia in electionibus conuentualibus Priorum, Discretorum localium, &c. Quod si quandoque ius commune, vt *sess. 22. cap.* 4. requirat personam Ecclesiasticam esse constitutam saltem in ordine Subdiaconatus, vt ferat vocem in Cathedralibus, vel collegiatis etiam Regularibus, id facit, non quia ordinis potestas sit fundamentum eius vocis, sed vt suffragium feratur à persona in altiori gradu constituta, *Ita docet Sigism. dub. 76. num. 6. 7. & 8. vbi multis probat. Bonac. quest. 1. de Irregul. p. 4. Lanor. tit. 4. de elect. cap. 15. num. 68. citans prædictos, & alios.*

Quæres 18. An Superior superueniente irregularitate perdat vsum suæ superioritatis, & iurisdictionis?

58 Respond. Non amittit, probatur, quia irregularitas est canonicum impedimentum prohibens promotionem ad ordines, & prælaturas, non autem iurisdictionem, & administrationem, sed solum exercitium ordinum, ergo superueniens non tollit actus superioritatis, & iurisdictionis. *Ita docent Lanor. tit. 4. cap. 15. num. 18. Sigism. dub. 70. num. 6. cum Suar. citato in præcedenti quæstione.*

RESOLVTIO XII.

De Illegitimis dispensandis.

SVMMARIVM.

1 *Illegitimus quis dicatur?*
2 *Illegitimorum quot species?*
3 *Naturalis filius.*
4 *Spurius filius.*
5 *Adulterinus filius.*
6 *Incestuosus filius.*
7 *Sacrilegus filius.*
8 *Spurij de quarta specie.*
9 *In dispensatione horum multa sunt attendenda.*
10 *Prædicti sunt irregulares ad ordines.*
11 *Professi non egent dispensatione ad ordines.*
12 *Matrimonio secuto non egent dispensatione.*
13 *Habiles sunt ad ingressum Religionis iure communi.*
14 *Prohibetur tamen per Bullam Sixti V.*
15 *Quam Greg. XIV. reduxit ad terminos iuris.*
16 *Dubia tria ex Bulla Sixti.*
17 *Quid per votum castitatis?*
18 *Tenet professio Spurij, vbi est pater.*
19 *Omissæ informationes non inficiunt professionem.*
20 *Excommunicati non sunt nunc admittentes debitè illegitimos.*
21 *Illegitimis prohibetur ingressus apud Minores.*
22 *Non autem apud Tertiarios.*
23 *Irregulares sunt ad prælaturas, & dignitates.*
24 *Officiorum tria genera in Religione.*
25 *Officia secundum generis excludunt superioritatem.*
26 *Officia tertij generis sunt oneris.*
27 *Dignitas, Officium, Personatus differunt.*
28 *Dispensatione egent officia regiminis animarum.*
29 *Commissarij, Visitatores de iure maiorum egent dispensatione.*
30 *Subprior eget dispensatione.*
31 *Definitores egent dispensatione.*
32 *Discretus, & Custos dispensandi sunt.*
33 *Doctor Dispensandus.*
34 *Magister item Nouitiorum.*
35 *Parochi pariter.*
36 *Gradus, honoris, & dignitatis quid veniat in Bulla Sixti.*
37 *Prælati dispensant iure communi.*
38 *Iure item priuilegiorum.*
39 *Reualidatorum à Greg. XIV.*
40 *Dubia septem super Bulla Gregorij.*
41 *Gregor. reualidat antiqua.*
42 *Dispensatio fit permissis consilio, & suffragiis Patrum.*
43 *Prælatus solus non dispensat virtute huius priuilegij.*
44 *Capituli intermedij quid veniat.*
45 *Dispensatio sine causa nulla est.*
46 *Dispensatur etiam cum filio patris Religiosi.*
47 *Priuilegij antiquis vtuntur ad tenorem Gregorij.*
48 *Priuilegia alia emanarunt post Gregorium.*
49 *Illegitimi non egent dispensatione ad non prælaturas ex Greg.*
50 *Dispensatio illegitimi in genere non valet.*
51 *Dispensatio de facto non tenet ex priuilegio Greg.*
52 *Dispensatus ad vnicum officium simpliciter censetur semper.*
53 *Dispensandi facultas in simplici non extenditur ad mixtam.*
54 *Expositus præsumitur illegitimus.*
55 *Occultissimus adhuc eget dispensatione.*
56 *Nec potest dispensari sub nomine ignoto.*
57 *Dispensabilis est ille, cuius pater ignoratur.*
58 *In seculo dispensatus non est talis in Religione.*
59 *Matrimonium subsequens reualidat electionem.*
60 *Legitimare non possunt Prælati Regulares.*
61 *Præsidens capituli dispensare potest.*

ILlegitimus filius dicitur ille, qui procreatus fuit ex 1
copula sine Matrimonio, vel cum Matrimonio, sed sacrilego. Dixi, *sine Matrimonio*, quia ipsum Matrimonium est radix, & origo, ex qua prouenit legitima proles, vnde eius defectu proles suscepta a parentibus, inter quos actu non constat matrimonium, sine dubio vocatur illegitima: Non est autem necesse, quod matrimonium a parte rei validum sit, sed sufficit vt tale bona fide putetur saltem ab altero coniuge, vnde proles dicitur legitima non solum ex constante matrimonio, sed etiam ex eodem putato vero, licèt sit nullum, modo fuerit contractum in facie Ecclesiæ, & non fuerit clandestinum id est celebratum sine præmissis denuntiationibus, sicut & quando fuit clandestinum, sed validum, vt multis probat *Sanch. ex cap. Ex tenore, qui filij sint legit. lib. 3. disput. 42.* Si verò Matrimonium est clandestinum, & simul nullum, proles inde suscepta est illegitima, non obstante ignorantia impedimenti, *cap. fin. §. Si quis, de claud. desp. ex eodem Sanch. cit.* Prætereà proles est legitima licèt nata, modo nondum sit detectum impedimentum per subsequentem publicationem, & approbationem matrimonij ab Ecclesia, licèt postea detegatur impedimentum, quia Ecclesia purgat omne vitium matrimonij clandestini, ex eodem Sanch. *disput.* 43. Dixi prætereà, *Matrimonio, sed sacrilego*, quia proles suscepta ex viro coniugato, sed promoto ad sacros ordines cum consensu vxoris, seu ea contradicente est illegitima, quia copula fuit sacrilega ex voto castitatis solemni tacitè contractu in susceptione ordinis sacri, licèt adhuc constet inter eos Matrimonium, quod per ordinationem non soluitur, sed remanet: hoc autem procedit quoad irregularitatem in ordine ad promotionem ordinum,

ordinum, & dignitatom Ecclesiasticarum, non quò ad successionem, quia legitima proles, vt vtrumque docet *Sanch. Doctoribus citatis lib. 9. disput. 38. num. 7. Bonac. quæst. 2. de Irregul. p. 3. num. 11. ex cap. Literas, de filiis presbyt.* Idem dic prole suscepta ex altero coniuge in Religione professo cum consensu alterius coniugis, est enim tunc copula sacrilega, ac proinde inducens prolem illegitimam, quod si alter contradicat, seu ignoret, proles suscepta adhuc est legitima, cum sit inter coniugatos non impediente professione, quæ in hoc casu non tenuit, vt colligitur *ex c. Quidam. cap. Placet. de conuers. coniug. Sanchez cit. num. 5.* vbi dicit quod proles est omninò, & quo ad omnes affectus legitima ergo etiam ad ordines, & dignitates. Sed vt distinctè procedatur.

Quæritur 2. Quot sunt species illegitimorum?

2 Respond. Omnes filij illegitimi reduci possunt ad duo capita principalia. Nam alij dicuntur Naturales, alij Spurij. Ita docent communiter Doctores *cum Azone in Rubr. de natur. lib. num. 6. Silu. vers. Filius num. 1. Megal. bene t. 2. libr. 2. cap. 8. q. 1. Mirand. tom. 1. q. 19. art. 3.* Sacri Canones tres adducunt species illegitimorum, nam vocant Manzeres notos ex meretrice, Naturales ex soluto, & concubina domi retenta, & Nothos ex adultero, & soluta, *cap. Cum pridem 10. med. de renunt. iuncta glosa vers. Manzeres*; sed vsitatior est prior distinctio.

3 Naturalis filius ille dicitur, inter quorum parentes poterat esse matrimonium tempore conceptionis, vel natiuitatis, vt docent omnes; sufficit autem alterum tempus ex dictis, quod vtilius erit legitimando per subsequens Matrimonium contractum ab eius parentibus, vt aliis citatis docet *Sigism. dub. 74. num. 2. Bonac. quæst. 2. de Irregul. p. 3. num. 6.* secundum opinionem iuris canonici Doctorum, contra opinionem Legistarum dicentium attendi tempus solius conceptionis, ex eò, quod agitur de macula, & crimine, quæ attenduntur in coitu, ac proinde tempore conceptionis tantum, sed adhærendum est Canonistis, quia ius canonicum licèt odio habeat coitum illicitum, sicut ciuile, nihilominus magis compatitur proli illegitimæ concedendo illi alimenta, quæ eidem denegat inhumane ius ciuile, ac proinde etiam in casu hoc magis indulgendum est, dicendo sufficere vtrumque tempus. Vt igitur filij dicantur illegitimi naturales debent procedere ex parentibus solutis nullum habentibus impedimentum dirimens matrimonium, ac proinde cum promissio sponsalium, votum castitatis simplex, aut Religionis, non dirimant matrimonium, solum naturalem prolem inducunt, non spuriam, *vt pluribus docet Sanch. lib. 1. de Matrim. disput. 3. num. 8. §. Ceterum. lib. 9. disp. 38. num. 3.* Isti autem filij naturales, adueniente matrimonio inter eos validè contracto, statim efficiuntur legitimi quò ad omnia iura tam temporalia, quàm spiritualia, ad quæ antea erant inhabiles, & prohibiti, expresè *cap. Tanta, qui fil. sint legit. & ibi Doctores, & supracitati cum Sanch. lib. 8. disput. 7. num. 19.* Quod procedit licèt post conceptum filium alter ex parentibus contrahat matrimonium cum tertia persona, & postea eâ mortua subsequatur inter eosdem matrimonium solum ratum, licèt non consumatum, vt docent omnes *cum Sigism. dub. 73. num. 2. Ghilimus. Abbas Alexandrinus in suis practicis resolut. vers. Illegitimus num. 1.*

4 Spurius filius ille dicitur, qui est procreatus ex parentibus, inter quos non poterat esse matrimonium tempore conceptiónis, vel natiuitatis filij; vel si aderat matrimonium, alter eorum erat professus in Religione, vel sacris initiatus, dum concepit filium, iuxta quod dixi ante hanc quæstionem. Ita omnes locis supracitatis. Subdiuiduntur autem filij spurij in quatuor species, nam alij dicuntur Adulterini; alij Incestuosi; alij Sacrilegi, alij demum Spurij dicũtur in specie aliorum impedimentorum matrimonij: sic ego illos distinxi ob maiorem, & clariorem intelligentiam dicendorum.

Adulterinus filius ille dicitur, qui procreatur ex altero saltem parente coniugato, licèt sit fœmina, quia is, qui nascitur deteriorem sequitur partem *cap. fin. 32. quæst. 4.* De filiis adulterinis agitur tit. de filiis presbyt. & tit. qui filij sint legit. Maius autem peccatum est adulterium ex vtroque coniuge, quam altero tantum, eò quod duorum iustitia violetur; & in confessione hæc duplex circumstantia aperienda est, docent *Nauar. cap. 6. num. 4. §. Ex quibus, & alij cum Sanchez libr. 9. disput. 55. num. 6. in fine.* Item explicanda est etiam in ordine ad dispensationem, vt docent *Angel. vers. Legitimatio num. 5. Rosella vers. Illegitimus num. 17. Silu. vers. Legitimus quæst. 3. cum multis aliis citatis à Sanchez lib. 8. disp. 24. num. 5. ratione 3.* in ordine ad matrimonium, ac proinde etiam in terminis nostris, cum sit par ratio. In iure Canonico adulterinus ex soluto, & coniugato vocatur Nothus, vt dicam infrà *§. Canones.* 5

Incestuosus filius dicitur ille, qui procreatur à parentibus inter se consanguineis, vel affinibus, vt colligitur *ex cap. Lex illa 36. q. 1.* vel incestus definitur consanguineorum, vel affinium abusus. *Bonac. q. 4. de Matrimon. p. 16.* definit incestum congressum cum persona cognata intra gradus, in quibus non potest celebrari Matrimonium, quod constare non potest inter consanguineos, & affines intra quartum gradum ex copula licita, si vero affinitas acciderit ex copula illicita intra secondum gradum. Item neque inter cognatos cognatione spirituali ex Sacramentis Baptismi, & Confirmationis. Item neque inter cognatos cognatione legali. Itaque Bon. incestum conficit ex copula inter consanguineos, affines, cognatos spirituales, & legales. Sed reuerà incestus propriè acceptus committitur tantum inter consanguineos, & affines, inter quos non potest esse Matrimonium. Ita docent Canonistæ *in citatum cap. Lex illa, Magister Sent. lib. 4. dist. 4. Graff. pr. lib. 1. cap. 13. & part. 1. decis. lib. 2. cap. 80. Toletus lib. 5. cap. 12. & cum istis citatis Floronus part. 2. de casib. reseruat. casu 6. num. 7. & 8.* Quare incestus inter cognatos spirituales ex Baptismo, & Confirmatione impropriè sic dicitur, cum potius sit sacrilegium, quia illis Sacramentis infertur irreuerentia, *vt docet Caiet. 2. 2. quæst. 134. art. 10. & ex eo Sanch. lib 7. disputat. 5. num. 9. in fine*, quod impropriè inter illos sit incestus, vt ex *Azor. tom. 3. lib. 3. cap. 9. quæst. 5. docet Floronus citatus num. 5.* Quod ibidem dicunt idem de copula inter cognatos legales esse impropriè incestum. Huiusmodi autem species incestus secundum suos gradus explicandæ sunt in dispensationibus ex parte petentis, & cognitæ esse debent dispensanti, ne eius actus dicatur ferri in incognitum, quia singulæ circumstantiæ, & gradus possunt reddere modo faciliorem, modo difficiliorem dispensationem. Ita docent multi *cum Sanch. lib. 8. disput. 24. num. 5.* in ordine ad Matrimonium, & ibi rationes allatæ faciunt ad nostrum propositum. 6

Sacrilegos filius dicitur ille, qui procreatur à parentibus, quorum alter saltem est ligatus regulari professione, vel ordine sacro. De his agitur *dist. 56. per totam, & tit. de filiis presbyt.* quo nomine veniunt non solum nati ex professis Clericis, seu deputatis ad Chorum, sed etiam Conuersis, & quibuscumque aliis validè professis siue expresè, siue tacitè, quia hi omnes habent votum castitatis solemne, quod est origo illegitimitatis sacrilegæ; quod procedit etiam respectu Religiosorum Militarium, qui vxores ducere possunt, vt sunt Milites D. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ, ex eò, quod solemniter promiserunt castitatem coniugalem idest abstinendi se ab omni coitu cum muliere aliena, ergo si concipiant ex fœmina sibi non coniuge, inducunt prolem sacrilegam, ac quilibet professus alterius ordinis, qui non potest copulam 7

habere

habere cum fæmina quauis, vt docet *Compend. reſolut. 76. num. 3. cum ſuo Authore tom. 1. quaſt. 13. art. 2. Mirand. tom. 2. quaſt. 2. art. 9.* vbi ait eſſe minus ſacrilegium, ſed non video rationem, quia æquè militibus, ſicut alijs profeſſis prohibetur copula illicita, ex qua vt illicita ſequitur vitium natalium in filio procreato. Verum etiam eſt, quod per ſubſequens matrimonium cum fœmina cognita non legitimatur proles, quò filius ſimpliciter naturalis non ſit, ſed ſpurius ex ſacrilegio, licèt inter eos potuerit conſtare matrimonium. Item proles ſuſcepta ex Clerico in ordine Sacro conſtituto, Subdiaconatus, Diaconatus, aut Presbiteratus, eſt illegitima, vt conſtat ex toto tit. de filiis Presbiterorum, quò nomine veniunt omnes conſtituti in ordine Sacro. Demum votum ſimplex eiuſdem caſtitatis, aut copula habita in Eccleſia, vel loco ſacro filium non conſtituunt ſacrilegum, quia hæc ex ſe non impediunt matrimonium. Singulæ autem circumſtantiæ coitus ſacrilegi exponendæ ſunt, vt mox dicam.

8 Spurij de quarta ſpecie à parentibus inter quos non poteſt conſtare matrimonium ſunt illi, qui concipiuntur à parentibus, quorum alter ſaltem habet impedimentum dirimens matrimonium excepto coitu ex adulterio, quod vocatur Ligaminis impedimentum; ex inceſtu, quod dicitur Cognationis impedimentum ſecundum conſanguinitatem, & affinitatem; & ſacrilegio, quod vocatur Voti, ſeu Ordinis impedimentum; in cæteris impedimentis ſpurius huius ſpeciei vocari poteſt, & ſunt quinque, Conditio ſeruitutis; Crimen adulterij, & homicidij; Diſparitas fidelis cum hæretico, vel infideli; Honeſtas orta ex ſponſalibus validis in primo gradu; & Raptus ex cuius coitu proles ſuſcepta dicitur ſpuria.

9 In diſpenſando circa prædictos illegitimos non ſolum explicandæ ſunt ſpecies illegitimorum, quod ſint naturales, vel adulterini, vel inceſtuoſi, vel ſacrilegi, ſed etiam circumſtantiæ, & qualitates coitus, iuxta expoſita in prædictis ſpeciebus, vt docent ferè omnes Doctores, quos pro ſe citat *Sanch. lib. 8. diſp. 24. num. 3. infra q. 12.*

Quæritur 2. An huiuſmodi illegitimi ſiue naturales, ſiue ſpurij ſint irregulares in ordine ad ordines, ad quos promoueri non poſſint ſine diſpenſatione?

10 Reſpond. Prædicti illegitimi, licèt ſint occulti non poſſunt promoueri ad ordines tum minores, tum maiores, cum ſint irregulares, & egeant diſpenſatione, *vt dicitur cap. 1. & fin. de filiis presbyt. cap. Conſuluit de ſeruis non ordin.* Ita omnes *cum Bonac. quaſt. 2. de irregul. p. 3. num. 2. Megal. lib. 7. de cenſur. cap. 1. num. 82.* Et qui recipit ordines ſine diſpenſatione peccat mortaliter, quia tranſgreſſor eſt legis Eccleſiaſticæ in re graui, expreſsè *Bonac. cit. num. 12.*

Quæres 3. An illegitimi, ac proinde irregulares ad ordines Religionem ingredientes egeant diſpenſatione ad ordines?

11 Reſpond. Illegitimi quicumque in Religione profeſſi tacitè, vel expreſsè non egent diſpenſatione, ſed poſſunt promoueri ad quoscumque ordines, quia ius Canonicum ipſo iure profeſſos diſpenſat, & facit habiles ad ordines, *cap. 1. diſt. 56. cap. 1. de filiis presbyt. Nauar. tom. 2. com. 2 de Regul. num. 60. Rodrigu. tom. 1. quaſt. 13. art. 5. cum ſuo Compend. reſol. 52. num. 40. Sigiſm. dub. 72. numero 2. Ego in meo tractatu de Profeſſ. Regul. cap. 5. de effectibus profeſſionis q. 10. vbi citaui Sanch. libr. 7. diſput. 86. num. 4. & lib. 5. cap. 5. num. 10.* vbi dicit, hoc procedere licèt profeſſus receperit ordines ante profeſſionem, nempe tolli profeſſione irregularitatem quod ad vſum, & exercitium ſuſceptorum ordinum, cum *Diana part. 4. reſol. 65. de irregul. in fine.* Debet autem eſſe valida profeſſio, aliàs remanet irregularitas, quæ tamen tollitur adueniente ratificatione eiuſdem, cum hæc nil aliud ſit quam vera profeſſio relatiuè ad nullitatem antiquæ quæ reſtauratur.

Quæres 4. An Religioſi illegitimi naturales tantum egeant diſpenſatione tam ad ordines, quam dignitates, ſecuto matrimonio inter eorum parentes?

Reſpond. Non egent diſpenſatione ad vtrumque. 13
Tum quia matrimonium ſubſequens purgat omne vitium natalium, & aufert proinde cauſam proximam turpitudinis. Tum quia æquiparatur filio legitimo, qui nulla eget diſpenſatione. *Ita gloſa verſ. Legitimus cap. Tanta 6. qui filij ſint legit. Sylu. verſ. Illegitimus num. 5. Miranda tom. 2. quaſt. 2. art. 7. Rodr. quaſt. 13. artic. 8. cum ſuo Compend. reſol. 52. num. 43. Megal. libr. 7. de cenſur. cap. 1. num. 84. Bonac. quaſt. 2. de Irregul. p. 3. num. 6. Sigiſmund. dub. 73.* vbi cum aliis dicit hoc ſecundum omnes num. 2. Sixtus V. Conſtit. *Ad Romanum*, vt in ſequenti quæſtione. Quid autem dicendum ſit, quando matrimonium ſubſequitur electionem. Vide q. 20.

Quæres 5. An illegitimi prohibeantur aliquo iure ab ingreſſu ios Religionem?

Reſpond. De iure communi ſunt habiles, non ſe- 14
cus ac legitimi admittuntur, vt videre eſt *cap. 1. diſt. 56. cap. 1. de filiis presbyter.* Poſtea Sixtus V. in ſua Conſtitut. *Cum de omnibus*, quam extendunt Quarant. verſ. Monaſteria virorum, *Miranda tom. 1. q. 19. art. 3.* prohibuit ingreſſum illegitimis procreatis ex inceſtu parentum conſanguineorum, vel affinium intra tertium gradum, aut ſacrilegio, quorum alteruter parens caſtitatem vouerat Deo etiam legitimatis Apoſtolica, Imperiali, vel Regia, aut quauis alia authoritate, irritando habitus ſuſceptionem, & profeſſionem, quàm prohibitionem intellige, quod non poſſunt recipi in numerum Clericorum, vt ibidem dicitur, ſeu potius colligitur collatis ad inuicem duobus §. §. nimirum *Ne igitur contingat*, & §. *Sed ne iis*, vbi Papa concedit hos poſſe recipi in numerum Conuerſorum, ſeu famulorum ad ſeruilia miniſteria. Deinde §. *Quo ad reliquos.* Concedit quod poſſunt recipi alij illegitimi, ſcilicet Naturales, & alij ſpurij excluſis inceſtuoſis intra tertium gradum conſanguinitatis, & affinitatis, & ſacrilegis, duobus tamen concurrentibus: primo, vt fiat inquiſitio de eorum vita, & moribus, & tot habeant merita, vt defectum natalium ſuppleant; ſecundo, quod iſti approbentur in capitolo Generali, vel prouinciali à Generali, ſeu Prouinciali cum vnanimi conſenſu ſuorum Definitorum: aliter receptorum profeſſio nulla ipſo iure eſt cum expulſione à Religione, Iſtos tamen receptos validè profeſſos adhuc facit inhabiles perpetuò ad gradus, honores, & dignitates. Idem Sixtus poſtea in ſua ſecunda Conſtit. *Ad Romanum*, prioris moderatiua, declarauit non comprehendi legitimatos per ſubſequens matrimonium. Item voluit iam diſpenſatos, ſeu legitimatos per Eccleſiaſticos ad gradus, & honores obtinentes dignitatem ad vitam, eſſe ipſo iure Priuatos, habentes vero ad tempus permittit eoſdem in ſuis officiis vſque ad præfixũ tempus, quod illis nulla ratione poſſit prorogari, Tertio declarat nomine graduum, dignitatum, & honorum, à quibus arcet profeſſos illegitimos venire Præpoſitatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Cuſtodiatus, Prouincialium, ac Generalium officia, & alia his ſimilia, cum onere, & ſuperioritate coniuncta, de quibus dicam infra *q. 7.* Subdit ſe excludere ab hac prohibitione officia Lectoris, Cófeſſarij, Studiorum, & Sacræ Theologiæ Magiſtri, Regentis, Prædicatoris; neque excluduntur à voce actiua, neque à ſuſcipiendis ordinibus. Hæc eſt ſumma duarum Conſtitutionum prædictarum Sixti V. quo ad illegitimos, quæ ambæ modo redactæ ſunt ad terminos iuris communis, vt apparet ex Conſtitutione Gregorij XIV. de qua mox. *Vide de hac re Rodr. tom. 1. quaſt. 13. art. 18. 19. Mirand. tom. 1. quaſt. 19. art. 3. & tom. 2. quaſt. 2. art. 8. cum eis Portellum verſ. Illegitimus num. 8.*

15 Gregorius XIV. in sua Constit. *Circumspecta.* prælibatas Constitutiones Sixti V. reduxit quantum spectat ad illegitimos inhabiles ad Religionem, seu habiles, sed incapaces officiorum, ad terminos iuris communis, ac proinde fecit habiles ad professionem quoscumque illegitimos, illos excipiendo, quorum pater viuit in Religione, quos prohibuit recipi in eadem viuente patre; & in ordine ad officia, quorum erant incapaces, reualidauit priuilegia cum eis dispensandi, *vt dicam quæst.9.*

16 Remanent tria dubiola; alterum subortum ex prima Constitutione Sixti vti prohibet sacrilegis ingressum ibi: *Vel quorum alteruter parens castitatem Deo vouerit.* An veniat solum solemne votum castitatis tam professionis, quàm ordinis, & non simplex; Secundum originem ducens ex Constitutione Gregorij, An filius spurius validè possit profiteri in Religione, vbi viuit pater, ibi: *Dummodo tamen filius illegitimus, in Religione, in qua pater, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso patre viuente non admittatur, quod expresse prohibemus.* Tertium, An Gregorij Bulla requirat præuiam informationem de illegitimis iuxta Constitutionem Sixti V. supra hic, ad valorem professionis.

17 Ad primum dico venire solum votum solemne vel professionis, vel ordinis. Tum quia leges non respiciunt actus priuatorum. Tum quia copula ex voto simplici licèt sit sacrilega quoad speciem luxuriæ, non tamen facit filium sacrilegum, sed solum exercita contra solemne votum castitatis in ordine, & professione, vt constat ex dictis *q. 1.§.Sacrilegus.* Tum quia terminus vniuersalis, & indefinitus accipitur in potiori significatione; in casu autem nostro potior significatio voti castitatis est comprehensio solius voti solemnis.

18 Ad secundum dico, secutam professionem esse validam, quia ibi prohibitio est simplex non includens Decretum irritans, ergo tenet facta professio contra prohibitionem, *Ita cum suo Authore Compend. resol. 52. num. 42.* Confirmatur id per dicenda ad tertium, *illos sequitur Miranda tom. 1. quæst. 19. artic. 5. conclus. 3.*

19 Ad tertium dico, omissas informationes de Nouitiis illegitimis nullam non reddere inde secutam professionem, quod probatur, Tum quia Gregorius Bullas Sixti reduxit ad terminos iuris communis, quod illegitimis non negat, imò apertè concedit ingressum Religiosum, vt dixi initio huius quæstionis. Tum quia in Constitutione Gregorij non adest clausula irritans. Tum quia Clem. VIII. in sua Constitut. *In suprema, apud Quar. vers. Monasteria virorum, Mirand. cit.* reducendo ad terminos iuris communis Constitutiones eiusdem Sixti quò ad eam partem, per quam non seruantes debitã formam inquisitionis, & informationis, ex quibus omissis sequitur nulla professio, voluit informatione omissa non obstante tenere professionem respectu quorumcumque siue illegitimorum, siue aliorum, & non meminit ibidem Bullæ Gregorij, ergo signum est in Constitutione Gregorij non irritari professionem illegitimorum omissis informationibus, de qua re nunc dubitandum non est, quia Clemens supradictus voluit tenere omnium professiones, *Ita tenet Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7. num. 14. quem citat Vecch. disput. 5. dub. 4. num. 4. Rodriq. quem sequitur Miranda tom. 1. q. 19. art. 3. conclus. 3.* contra Sanchez *lib. 7. disp. 37. num. 55.* eò quod putat Gregorium non reduxisse ad terminos iuris Constitutionem Sixti, sed eosdem fecisse tantum habiles ad Religionem, dependenter à præuia informatione, & meritis suffraganibus cognoscendis in capitulo; sed reuerà reduxit omnino ad terminos iuris communis Bullam Sixti, ac proinde reddidit simpliciter habiles independenter ab illis requisitis; non obstante etiam, quod in Constitutione Gregorij apponatur clausula: *Ita tamen*, quæ secundum Iurisconsultos inducit conditionem, & formam, ex cuius omissione sequitur nullitas actus, *vt referunt Roà. dr. tom. 3. quæst. 10. art. 5. ante §. At in re; & ex eo Mirand. cit.* quia non semper inducit formam essentialem, sed quandoque & vt plurimum accidentalem arguens solum modum illicitum in agente sine illa; si enim Gregorius voluisset inducere per eam conditionem, id expressisset per Decretum irritans, sicut fecit Sixtus.

An autem nunc admittentes illegitimos ad Religionem, ad quam Gregor. habiles fecit, iuxta ius commune, Superiores quicumque illi sint, incurrant excommunicationem reseruatam Papæ, latam in prima Constitutione Sixti contra Superiores admittentes ad habitum, & professionem illegitimos omissis informationibus? Respond. Nunc post Gregorium non incurrunt, quia idem Gregorius per suam Constitutionem reduxit illas Sixti ad terminos iuris communis, ac si prædictæ Constitutiones editæ non fuissent, quò ad illegitimos, ergo sublata fuit etiam pœna excommunicationis, sublata enim Constitutione vti principali, consequenter tollitur pœna ei accessoriè annexa, cum accessorium desinat esse per detractionem principalis, ex vulgatis iuribus. Neque Clem. VIII. in sua citata Constitutione excitauit, dum voluit Constit. Sixti, quoad pœnas remanere in suo robore, quia ibi sermo est de superioribus sine præuiis informationibus recipientibus adultos excedentes decimum sextum annum obnoxios criminibus, debitis, & ratiociniis, non autem de eisdem recipientibus illegitimos, quia cum dictæ Constitutiones quoad illegitimos cassatæ fuerint, vt constat ex supra dictis, non potest Clemens congruè loqui dicendo, quod remaneant in suo robore, cum non existant, ac proinde nullum habeant robur, quod enim non existit, impossibile est, quod remaneat. 20

In Constitutionibus Generalibus Ordinis Minorum primæ Regulæ, vt refert *Mirand. tom. 1. q. 19. art. 3. in principio*, prohibentur à Religione illegitimi, tamen *Corduba super caput 2. Regulæ quæst. 4.* ait apud prædictum hanc prohibitionem non esse in vsu, sed passim recipi illegitimos. Dato autem quod esset in viridi obseruatione circa eam nil innouauit Gregorius XIV. qui ad terminos iuris reduxit Constitutiones Sixti V. præcisè nil determinando de statutis particularium Religionum, ideo ea reliquit in suo robore, iuxta tradita *ad cap. 1. de constit. in 6.* 21

Dubitari potest circa recipiendos in nostrâ Religione, nam in *cap.* 1. Regulæ Nicolai IV. *& cap.* 1. Regulæ Leonis X. *& cap.* 8. Regulæ postremæ vtramque prædictam continentis, infames prohibentur à Religione, sed illegitimi sunt infames secũdum Azorium *in Summa C. Ex quibus causis infamia irrogetur*, vbi illegitimos vocat infames infamia facti, *& in l. Fratres C. de inoff. test. habetur*, spurium esse personam turpem; ergo arcentur à Religione. Nihilominus dico nequaquam prohiberi illegitimum ab ingressu in Religionem in præcitatis locis, quia prohibitio debet expressè, & in terminis facere mentionem de illegitimis, de quibus ne verbum quidem, nec obstat Azo, & lex citata, quia prædicta procedunt de iure ciuili, non autem iure Canonico, quod istos non facit infames, vt videre *cap. Infames 6. quæst. 1.* vbi non exprimuntur illegitimi inter infames. 22

Quæres 6. An illegitimi sint irregulares in ordine ad Beneficia, Prælaturas, & Dignitates?

Respond. Sunt irregulares siue sint seculares: siue Clerici, siue Religiosi, vt apertè dicitur *c. Innotuit 20. de elect. c. 1. & fin. de filiis Presbyt.* vbi illegitimi prohibentur à Prælaturis, beneficiis curatis, dignitatibus, & personatibus. *Ita docent omnes teste Sigism. dub. 72. Megal. lib. 7. de censur. cap. 1. num. 82.* ita quod attentata electio nulla omninò est, & satis hoc certum in supradictis Constitutionibus Sixti V. quas ideo Gregorius XIV, reducendo ad ius commune concessit facultatem 23

cultatem dispensandi cum illis ad gradus, honores, & dignitates, iuxta quod dicam *quæst.9. Vide Dianam p.4. resol.65. de irregul.*

24 Quæres 7. An Religiosi illegitimi egeant dispensatione respectu quorumcumque officiorum in Religione, vt ad ea ritè, & validè promoueri possint? Pro resolutione quæstionis distinguo tria genera officiorum in Religione. Primi generis officia habent adiunctam Superioritatem cum iurisdictione fori externi, cuiusmodi sunt officia Generalatus, Prouincialatus, Custodiatus, Prioratus, Guardianatus, Præsidentatus eius, qui in locum amoti, vel præmortui Superioris Localis subrogatur; demum Vicariatus eius, qui primo ibi gubernat, eo quod non sit locus aptus pro Prioribus, qui eliguntur tantùm in Conuentibus deputatis; hi omnes vocantur Prælati, dignificati, & personati, eò quod habeant iure ordinario administrationem rerum Ecclesiasticarum cum potestate fori externi. Alia sunt officia pariter cum Superioritate, & iurisdictione, cuiusmodi sunt Commissariatus delegati à Prælatis supradictis aliis partibus, qui vices gerant suas, & denominantur cum addito nominis ipsius delegantis, vnde delegatus à Generali vocatur Commissarius, seu Vicarius Generalis, à Prouinciali Prouincialis Vicarius, &c. & isti cum alterius vices gerant, non dicuntur habere iurisdictionem ordinariam, sed delegatam tantam, quantam illis tribuitur à delegante, seu committente; isti autem Vices gerentes suorum maiorum quandoque instituendi sunt de iure speciali Religionis, vt in Religione nostra olim de iure Summi Pontificis, & Regulæ instituebantur Commissarij Generales, sic in ordine S. Benedicti institutus Prior sub Abbate; interdum instituuntur ex mero arbitrio Prælati, cum id non præscribitur in lege, vel statutis. Huius generis sunt etiam Visitatores prouisi de iure ad visitandam Religionem, seu aliquam Prouinciam. Item Præsidentes capitolis Generalibus, aut Prouincialibus. Isti omnes habent coniunctam cum suo officio Superioritatem, administrationem, & iurisdictionem fori externi, & vt vno complectar verbo non solùm habent regimen rerum Ecclesiasticarum Religionis, aut Monasterij, sed etiam regimen animarum, & curam Religiosorum sibi subiectorum.

25 Secundi generis officia excludunt Superioritatem, & regimen animarum, includunt tamen quandam prærogatiuam, & excellentiam, per quam dicuntur dignificati, & magis honorati aliis carentibus officio, cuiusmodi sunt officia Definitoris, Consiliarij, Discreti, Custodis, Patris Prouinciæ, Procuratoris Generalis, Magistri, seu Doctoris, Regentis, Lectoris, Concionatoris, &c. Hæc officia vocantur dignitatis, seu personatus in Religione, exceptis Lectoribus, & Concionatoribus, Confessariis, & Magistris Nouitiorum, quæ sunt potius laboris, quam dignitatis, vnde possunt reduci ad tertium genus.

26 Tertij ergo generis officia sunt laboris, & oneris seruilis excludentia non solùm Superioritatem, sed etiam dignitatem, & personatum, cuiusmodi sunt officia Procuratoris Localis, Sindici, Sacristæ, Vicarij victus, & vestitus, de quo in Regula nostra *cap.6.* de Cœnobiorum Vicariis, &c.

27 *Portellus vers. Officia ordinis in Addit.* distinguit hæc tria, Dignitas, Officium, & Personatus. Dignitatem dicit esse eius, qui habet iurisdictionem fori externi; & rerum administrationem. Officium eius, qui habet aliquarum rerum administrationem siue iurisdictione externa, vt Procurator, Sacrista, & Vicarius Conuentus. Personatum esse eius, qui neutrum habet, sed alios præcedit in Choro, vel alio simili loco, propter particularem excellentiam, & remunerationem, vt sunt Magistri, Lectores, & Patres præteriti Prouinciales.

His ergo ita distinctis, quæstio procedere potest vel de iure communi, vel de iure Constitutionis Sixti V. secundæ.

28 Resp. Ad primum, de iure communi, Religiosi illegitimi sunt irregulares, ac proinde egent dispensatione ad hoc, vt ritè promoueri possint ad omnia officia primi generis, quæ coniunctam habent Superioritatem, & regimen rerum, & subditorum, siue sint Prælaturæ, siue non. Sunt etiam irregulares dispensatione egentes in ordine ad officia secundi generis. Respectu verò tertij generis nulla egent dispensatione.

Primùm, de officiis Superioritatis, probatur nam inter hæc aliæ sunt Prælaturæ, & ad hæc illegitimus eget dispensatione, vt patet *ex cap.1. & fin. de filiis Presbyt. & cap.1. de eod. in 6.* vel non sunt, sed delegantur à Prælatis, & cùm in hoc sustineat idem officium cum delegantibus, necesse est, quod tales sint, quales Prælati ipsi alieni ab omni specie defectus natalium. Tum quia omnes isti æquiparantur habentibus beneficia curata, quibus illegitimis prohibentur sine dispensatione, præscus *cap.1. eodem in 6.* Tum quia omnia officia hæc fundantur ex suis intrinsecis in ordine cum habeant adnexum regimen animarum; At illegitimus non potest promoueri ad ordines, ergo neque ad hæc officia, quæ sine ordine constare non possunt. Tum quia ratio dictat, ne illegitimi præsint legitimis nisi prius purgati sint à defectu natalium per dispensationem. Et hoc patet suprà *quæst.6.*

Secundùm, de officiis dignitatis, & personatus, *vt patet ex citata quæst.6. & expressè cap. fin. de filiis Presbyt.* Vbi illegitimi excluduntur à dignitatibus, & personatibus.

Tertiùm, de officiis seruilibus, patet non indigere dispensatione, Tum quia non habent adiunctam Superioritatem, vel dignitatem; Tum quia non requirunt ordinem; Tum quia hæc officia in iure non prohibentur illegitimis.

29 Commissarij igitur, seu Vicarij Generales, seu Prouinciales, vel Visitatores, destinati tamen perenniter, & non in aliquo casu occurrente, & transitorio, egent dispensatione, quia habent iurisdictionem fori externi cum regimine animarum, & sunt dignificati, *Compend. cum suo Doctore resol.52. num.51.* Simpliciter verò delegatus potius vt iudex, & per actionem transitoriam non eget dispensatione, quia potius iudex est ad puniendum, vel ad liberandum, quam ad regendum subditos, neque dignitas est, cum non sit durabilis ad præfixum tempus; neque ex sui conditione coniungatur cum ordine.

30 Vicarius, seu Subprior eget dispensatione, quia licèt non sit Prælatus, neque dignificatus, neque personatus, habet tamen regimen animarum, ac proinde æquiparatur habenti beneficium curatum, & Superioritatem habet si non fori externi, saltem paternè corrigendi, imò etiam carcerandi, &c. *Tenet Rodr. cum suo Compend. resol.52. n.51. contra Mirand. tom.2. q.2. art.8 conclus.5. §. Primo,* asserentem indigere dispensatione, quia quandoque habet iurisdictionem ordinariam, nempè in absentia Superioris, quod non probo, quia semper dicitur delegatus, & is etiam indiget dispensatione propter adductam rationem.

31 Definitores tam Generales, quam Prouinciales egent dispensatione, cum eorum officium sit dignitas, *vt docent Mirand. tom. & quæst.2. art.8. concl.2. Portell. vers. Illegitimus n.8. Compend. cum suo Doctore resol.52. num.51. contra Sigismundum dub.70. quem citatum reieci resol.11. initio §. Religiosi,* benè tamen loquitur *dub.72. in fine,* eosdem non arcendo in vim Constit. Sixti, vt mox dicam *§. Respond.* ad secundum, & *q.11.*

32 Discretus, & Custos ad Capitulum generale egent dispensatione, quia eorum officium est personatus. Discretus verò Localis facit casum dubitabilem, quia est officium transitorium, & præcisè vocatiuum, sed quia fundatur in ordine, nam in nostra Religione debet esse saltem constitutus in ordine Subdiaconatus *cap. 8. Regulæ propè finem,* ideò eget dispensatione.

33 Doctor cuiuslibet professionis eget dispensatione,

non quia supponat ordinem, sed quia est dignitas, *ex iuribus, & Doctoribus citatis à Graff. tom. 2. consil. 2. de testam. differ. 3. num. 2. & consil. 3. de pœnit. contra Nald. vers. Doctor, num. 1. Vide quæ dixi cap. 5. de effectibus profess. quæst.* 58.

34 Magister Nouitiorum eget dispensatione, quia habet regimen animarum, & quandam potestatem educationis super Nouitios, vt probaui *cap. 4. de Nouitiis, & Magistro quæst.* 62. æquiparatur enim curato, & debet esse Sacerdos, ergo non potest promoueri illegitimus, quicquid dicant *Rodr. Compend. Mirand.* eò quod nullam habet iurisdictionem fori contentiosi, neque enim sufficit hæc ratio, aliter illegitimus potest esse Parochus, qui eadem iurisdictione caret, & tamen non potest promoueri ad beneficium curatum, *cap. 1. de filiis Presbyt. in 6.*

35 Parochi Religiosi præsentati à Prælatis Regularibus, & ab Episcopo approbati egent dispensatione, quia dicuntur habere beneficium curatum, non secus ac Clerici seculares *cap. 1. de filiis Presbyter.* ratio est, quia inconueniens est aliquem esse irregularem quoad ordines, & non quoad aliud officium, quod penitus pendet ab ordine vt est officium Parochi etiam Regularis.

36 Respond. Ad secundum, Sixtus V. in sua prima Constitutione illegitimos exclusit à gradibus, honoribus, & dignitatibus, quorum nomine, in secunda Constitutione declarauit venire officia cum onere, & superioritate coniuncta illis verbis: *Appellatione dignitatum, honorum, graduum debere intelligi Præpositatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Custodiatus, Prouincialium, ac Generalium Superiorum Officia, & alia his similia, cum onere, & Superioritate coniuncta.* Ego puto, per illa verba, *Et alia his similia*, venire non solùm Prælaturas, sed quæcumque alia officia cum regimine subditorum enumerata in corpore huius quæstionis sub primo genere officiorum, quia illa sunt coniuncta cum onere, & Superioritate.

Quæres 8. An Prælati Regulares iure communi possint dispensare cum illegitimis ad dignitates?

37 Respond. Possunt in aliquibus casibus, probatur argumento à potestate Episcopi ad potestatem Prælati Regularis habentis iurisdictionem quasi Episcopalem; nam Episcopus potest dispensare illegitimum ex quouis coitu ad beneficium tantùm simplex, *ex cap. 1. de filiis Presbyt. in 6.* non autem ad curatum, neque ad dignitatem, vel personatum cum cura, *ex glossa ibid. vers. Beneficium, Megal. lib. 7. de cens. cap. 3. num. 17. Diana part. 4. de irregul. resol. 64. §. Not.* addit, posse dispensare quoad Canonicatus Ecclesiarum Collegiatarum, & inferioribus beneficiis extra Cathedralem. Ergo hoc idem proportionaliter præstare poterunt Prælati Regulares Generalis, vel Prouincialis cum suis illegitimis ad officia inferiora, nimirum in officiis cum Superioritate, quæ non sit Prælatura, & ad dignitates, & personatus iuxta superius dicta. Nonnulli apud *Bonac. quæst. 2. de irreg. part. 3. num. 15. §. Addunt*, dicunt Episcopum virtute *cap. 6. sess. 24.* posse dispensare illegitimum occultum ad quæcumque, eo quod hæc irregularitas proueniat ex delicto parentum, quos Doctores citat *Diana contra se part. 4. resol. 64.* ac proinde secundum hanc opinionem possunt etiam Prælati Regulares, sed hæc opinio à multis reiicitur, quia defectus natalium communiter connumeratur inter irregularitates ex defectu, quæ non proueniunt regulariter ex propria culpa, sed vt plurimum sine peccato.

38 Quæres 9. An Prælati Regulares habeant aliqua priuilegia dispensandi cum illegitimis ad quæcumque officia in Religione, nam Sixtus V. in sua prima Constitutione sustulit omnia priuilegia huiusmodi, inter quæ principale erat illud, quod habetur in Mari magno Sixti V. cuius verba retuli *resol. 10. quæst. 1. §. 2.* in hæc verba: *Magistro, & Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicariis defectum Natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus.* Alia referuntur antiqua priuilegia, sed melius est hoc, quia in Bullis Pontificiis noui Bullarij est registratum vti authenticum. Alia refero infrà §. 1.

Respond. Gregorius XIV. Constit. *Circumspecta*, reualidauit omnia antiqua priuilegia dispensandi cum illegitimis cum hac speciali forma, vt illis Generalis, vel Prouincialis possent vti in capitulis suis Generali, aut Prouinciali, & non aliter, in hæc verba: *Statuimus licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apostolicorũ eis concessorum, quæ dummodò vsu recepta, nec aliàs sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur, in hac parte reualidamus; cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis cum Generali, Prouinciali, seu intermedio capitulo, & non aliàs, suffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, & inde secuta quæcumque vt antea tenere, ac valere, proinde ac si supradictæ Constitutiones non emanassent.* De hac Constitutione mentionem faciunt, & tractant *Sigism. dub. 76. Rodr. & suus Compend. resol. 52. num. 40 ad 49. Mirand. tom. 2. quæst. 2. art. 3. & tom. 1. q. 19. art. 3. Portell. vers. Dispensare num. 2. & 3. & vers. Illegitimus num. 9. & 10. Megal. cons. 91. Lanor tit. 4. de elect. c. 16. à num. 29. Diana part. 3. de dub. Regul. resol. 102. Peregr. in suo Compend. priuileg. Theatin. versic. Dispensatio §. 6. in Scholio.* 39

Occurrunt nonnulla dubia pro explicatione huius priuilegij. I. An Gregorius concedat præcisè nouum priuilegium, an verò veteribus nouam addat formam, qua vti debeant Superiores in dispensando? II. An Prælatus debeat dispensare præmissis suffragiis Patrum omnium vocalium, an sufficiat concursus, quatuor tantùm Definitorum cum Prælato? III. An teneat dispensatio data à solo Prælato sine Patribus etiam in capitulo? IV. Quid veniat sub nomine intermedij capituli? V. An teneat data dispensatio sine iusta causa? VI. An hoc priuilegium extendatur ad filium, cuius pater est in Religione eadem? VII. An non obstante priuilegio hoc, possint Prælati antiquis priuilegiis vti prout iacent? 40

Primo occurritur dicendo, Gregorium reualidare antiqua priuilegia, ibi: *Reualidamus*, ac simul dare nouam formam dispensandi, ibi: *Generalis, aut Prouincialis cum Generali, Prouinciali, seu intermedio capitulo, & non aliàs, &c.* Quod est dicere simul, & semel non solùm dare formam, sed simul etiam concedere priuilegium. Priuilegia autem antiqua præter illud Sixti IV. referunt *Peregr. cit. vers. Dispensatio §. 6. Sorbus vers. Dispensatio, Portell. vers. Illegitimus num. 9.* Vnum Iulij II. pro Minimis; alterum Eugen. IV. pro Congregatione S. Ioannis Euang. in Portugallia; Tertium Pauli III. pro Societate Iesu, &c. 41

Secundum Prælatus debet dispensare præmissis consilio, & suffragiis Patrum tantummodò Definitorum. Quod hoc præstare debeat simul cum Patribus constat ex illis verbis: *Generalis, aut Prouincialis cum Generali, Prouinciali, seu intermedio capitulo.* Illa enim præpositio, *Cum*, accessoriè coniungit à se vocatos cum principali agente, vt docet *Sanch. lib. 7. cap. 1. num 22.* alia occasione, quare Prælatus vti principalis audito consilio, & habito consensu Patrum dispensare debet, & non aliter. Quod nomine capituli, quod consilium, & consensum præstare debet, veniant solùm Definitores quatuor Generales in capitulo Generali, vel Prouinciales in Prouinciali, suadetur, quia isti quatuor repræsentant tantùm capitulum, *cap. In singulis §. Huiusmodi, de statu Monach.* vnde & in illis intelligitur transfusa tota reliquorum vocalium potestas. Confirmatur, quia Sixtus V. in prima sua Constitutione informationem illegitimorum ex non incestu, aut sacrilegio recipiendorum voluit probari, 42

probari, & stabiliri in capitulo Generali, vel Prouinciali cum quatuor Definitoribus tantùm, ergo idem dicendum est de eisdem in ordine ad dispensationem. Demum, vt probatur infrà §. Quarto, nomine capituli intermedij veniunt Congregationes ordinariæ, quæ fiunt de iure speciali in duobus annis intermediis inter vtrumque capitulum Prouinciale, & Generale, ad quam conueniunt in pluribus Religionibus solùm quatuor Definitores; & hoc nullam patitur difficultatem in nostra Religione, in qua ad Congregationes singulis annis faciendas conueniunt solùm quatuor Definitores cum suo Prælato, vt constat ex *cap. 1. & 2.* Regulæ, & Constitutione *Pastoralis Officij*, concessa nostris Italis à Nicolao V. & ea Constitut. *Decet Romanum*, ergo priuilegium intelligendum est simpliciter de quatuor Definitoribus, aliter nullam vim haberet in capitulo intermedio. *Ita docent Rodr. q. 13. art. 19. Mirand. tom. 2. q. 2. art. 3. Sigism. dub. 76.*

43 Tertiò respondetur, quod nulla est data dispensatio à solo Prælato virtute huius priuilegij Gregorij siue in capitulo, siue extra, etiam cum suis Definitoribus, quia illa forma dispensandi in capitulo cum suis Definitoribus est omnino essentialis, cum simul data sit cum potestate, qua ante priuati erant Prælati à Sixto V. & quod acta nulla sint, omissa forma data simul cum facultate docent *Fœlin. in cap. Ex parte, de Constit. Sanch. Salas, Suar.* & alij communiter cum *Bonac. part. 7. de legib. §. 5. num. 17.* Confirmatur ex particula, *Et non aliàs*, quæ denotat, gestum contra formam esse nullum, *Bonac. disput. 7. de legib. quæst. 2. part. 4. num. 13. & ex eo Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 31.* in terminis nostris *cum Rodr. quæst. 13. art. 14. cum suo Compend. resolut. 52. num. 40. Portell. vers. Dispensare num. 2. Mirand. quæst. 2. art. 3.*

44 Quartò, in mea Religione sine dubio tollitur difficultas dicendo venire solùm duas Congregationes ordinarias, quæ fiunt singulis duobus annis intermediis, cum aliæ non soleant fieri extraordinariè, & incidenter. In aliis verò Religionibus neque puto venire extraordinarias, seu Congregatas incidenter, sed solùm illas, quæ regulariter fiunt singulis annis temporibus præfixis in Regulis, aut Constitutionibus cuiusque Religionis, ea ratione, quia leges non aptantur iis, quæ solent rarò accidere, & incidenter, *l. Nam ad ea, ff. de legibus. Ita Rodr. quæst. 13. art. 19. Mirand. tom. 2. quæst. 2. art. 3. in fine. Megal. consil. 91. num. 4. Lauor. tit. 4. cap. 16. num. 30. contra Sigism. dub. 76. num. 5.* eò quod dispensatio non pendet à loco, sed ab habentibus potestatem, neque violenta est extensio verborum. Sed dicas tu in hoc casu dispensationem pendere à loco quoad sui valorem, & violentam esse verborum extensionem, quæ præcisè referuntur ad capitula ordinaria, non incidentia, leges enim accidentalis non considerant.

45 Quintò, data dispensatio hæc sine iusta causa ex omnium sententia nulla est, quia data dispensatio sine causa ab inferiori in lege Superioris nulla est, maximè in re nostra per illa verba: *Suffragantibus meritis, dignos iudicauerint. Ita docent Rodr. quæst. 13. art. 14. cum suo Compend. resolut. 52. num. 49. Mirand. tom. 2. quæst. 2. art. 11. Sigismund. dub. 78. Lauor. tit. 4. cap. 16. numer. 32.*

46 Sextò, possunt dispensare etiam cum filio illegitimo, cuius pater erat, vel est in Religione eadem, etiam vt recipiat dignitatem in Conuentu, vbi pater est subditus, vel Prælatus, ad quod probandum suppono huius professionem esse validam, vt probaui suprà *sub quæst. 5.* §. Ad secundum, quo posito, probo, quia priuilegium Gregorij est fauore omnium professorum indistinctè, ibi: *Cum illegitimis*, iuncta clausula: *Ac si supradictæ Constitutiones non emanassent.* Priuilegium ergo fauet omnibus illegitimis, cum ibidem non distinguatur, sed absolutè loquatur de omnibus, de quibus Sixtus V. in suis Bullis, in quibus de vniuersis indistinctè locutus fuerat. Confirmatur ex eiusdem Gregorij Bulla, in qua dum loquitur de illegitimis in ordine ad ingressum distinguit inter illos, qui non habent patrem in eadem Religione, quos admittit, & eos, qui habent patrem in Religione, quos excludit; ergo si noluisset priuilegium dispensationis ad hos extendi, distinxisset *argum. l. Si seruus §. prætor ait vers. Non dicis ff. de acquir. hæred.* lex enim præsumitur aliquid noluisse, si facilè potuit illud exprimere, & non expressit *Menoch. cons. 30. num. 8. cum aliis citatis à Barbosa, Vaz. lit. L. n. 32.* Ita tenent *Rodriq. quæst. 14. art. 7. cum suo Compend. resol. 52. num. 42. Sigism. dub. 75. num. 5.* quos citat *Barbosa ad sess. 25. cap. 15. num. 19.* qui limitant, modò non dispensetur pro eodem Conuentu, vbi est pater. *Miranda verò negat absolutè tom. 2. quæst. 2. art. 10. quem sequitur Portell. vers. Dispensare num. 3. Lauor. tit. 4. cap. 16. num. 47.* Conueniunt ergo in hoc illegitimos non posse dispensari in Conuentu, vbi præest, vel præfuit eorum pater. Quia his obstant plura capita, nimirum *caput secundum*, 3. 4. 8. 10. 11 13. 15. 16. *De filiis Presbyter.* in quibus locis prohibetur filius promoueri immediatè ad eam Ecclesiam, in qua eius pater administrauit. Postea Clement. VII. in sua Constitut. *Ad Canonum conditorem*, quam ex parte referunt *Nauar. tom. 4. in cap. Si quando de rescr. except. 21. Sigismund. dub. 75.* ampliauit prohibitionem etiam ad mediatam successionem in beneficio, ita quòd voluit nullam à se datam, vel dandam dispensationem suffragari, contra mentem suam concessam. Demum *Trid. sess. 25. cap. 15.* reddidit omnino huiusmodi illegitimos inhabiles ad obtinendum aliquod beneficium in Ecclesia, in qua parentes eorum habent, vel habuerunt illud, vel aliud simile, aut dissimile. Ex quibus omnibus inferunt Religiosum illegitimum ad nullas dignitates posse promoueri in eodem Conuentu, in quo pater similem, vel dissimilem habuit, vel habet dignitatem. Sed reuerà authoritates adductæ nil probant; nam responderi potest primò singulis, in communi, dicendo habere locum in dignitatibus, quæ propriè dicuntur beneficia frugifera, quorum cum sint incapaces Religiosi propter votum paupertatis, vt alibi probaui, nihil de ipsis in citatis locis disponitur contra Religiosos pressè acceptos, nam licèt in Clem. fiat mentio de Monasteriis Regularium, hoc tamen non comprehendit Regulares, sed solùm Militares, vt ex contextu verborum colligi potest, textus verò citati, & Tridentinum ne verbum quidem de Regularibus. Secundò, concesso etiam, quod præfatæ prohibitiones extendantur ad Regulares, quod de iure communi loquendo est falsum, cum *cap. 16.* expressa mentio fiat de Secularibus, ac proinde excludantur Religiosi, non tamen benè infertur, Prælatos Regulares non posse cum illis dispensare per sua priuilegia, quia in prædictis locis non prohibetur huiusmodi dispensatio per priuilegia, imò & si prohiberentur, non teneret interdictum, quia antecessor sui successoris manus ligare non potest. Quare Prælati benè dispensare poterunt. Adde, quod ingressus in Religionem illegitimo prohibetur solùm dum viuit pater, ergo mortuo patre si ingrediatur, absolutè potest gaudere priuilegio dispensationis, cum tunc non minus sit capax, quàm alij illegitimi, ergo sicut isti dispensabiles sunt, ita & filius patris Religiosi iam saltem mortui.

47 Septimò, Prælati non possunt vti priuilegiis antiquis, nisi iuxta formam traditam in Constitutione Gregorij, quia iste Pontifex ea reualidauit sub hac forma, nimirum dispensandi cum capitulo, quod indicat formam essentialem, ex probatis §. Primo, & §. Secundo. Contrarium tenet *Sigismund. dub. 76. num. 6. 7. &* 8. ductus ea ratione, quia Successores Gregorij confirmando in vniuersum priuilegia ex certa scientia, vt postea fecerunt Clement. VIII. & Paulus V. cuius Bullas ipse citat, consequenter reualidarunt antiqua priuilegia prout iacent, dispensandi nimirum illegitimos extra capitulum per solùm Prælatum; & ad hoc inducit Doctores de confirmatione priuilegiorum ex certa scientia, seu motu

motu proprio, ac proinde non ampliùs obstare Constitutionem Gregorij. Hæc ratio nullius est momenti, nam falsum est, confirmationem priuilegij etiam ex certa scientia antiquum à nouo limitatum reducere ad suum pristinum statum, & quia vnum confirmaret nempè antiquum, & aliud infirmaret, scilicèt nouum, quod est absurdum, neque enim idem debet operari contrarios effectus, *l. Legata ff. de legat.* 1. *l.* 2. *ante finem C. de iur. calum.* & confirmatio non potest infirmare quod roborat, aliter tollitur natura confirmationis; & quia vtriusque potest saluari confirmatio, nimirum antiquum confirmari simul cum nouo, quatenus eius vsus est sub tali forma; & ita dicendum est, quia melius est, duo conseruare, quàm vnum cum destructione alterius, præterquam quod sequeretur Gregorianum non valere, quod neque ipse negat. Ea his etiam constat idem falsò asseruisse *Portell. vers. Illegitimus num.* 16. dum dicit Prælatos posse vti priuilegiis antiquis, quia Gregorius ea non reuocauit, sed reualidauit, quia reualidatio facta fuit, sub ea forma necessariò seruanda, aliter actus nullius est roboris, vt probaui §. 3.

Quæritur 10. An post dictum Gregorij priuilegium dispensandi cum capitulo illegitimos emanarint alia priuilegia ampliora concedentia facultatem saltem Generali dispensandi sine capitulo, & extra capitulum quouis tempore?

48 Respond. Emanarunt concessa ab eodem Gregorio, vnum Societati Iesu incip. *Exponi nobis*, Alterum Religiosis Ministrantibus infirmis incip. *Illius qui.* In quibus conceditur facultas Generali per se, vel per alium à se delegatum dispensandi quouis tempore cum illegitimis ad quascumque dignitates, & officia. Quibus priuilegiis possunt vti omnes Religiones communicantes in priuilegiis, eiusmodi est nostra, vt probaui *in resol.* 52. *de commun. priuil. Ita docent Sigismund. dub.* 76. *num.* 9. *Tambur. de iure Abbatum tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 14. *num.* 10. *Peregr. tom.* 1. *priuil. ad Constit.* 2. *Iulij II.* §. 29. *num.* 96. *quos sequendo citat Diana resolut.* 102. *de dubiis regular.*

Quæres 11. An illegitimus egeat dispensatione ad officia, quæ non sunt Prælaturæ, neque habent onus coniunctum cum Superioritate, iuxta priuilegium Gregorij? Difficultas autem non est, an sit irregularis, ac proinde egens dispensatione, quia indigere de iure communi probaui *quæst.* 9. Sed in eo consistit, An isti dispensari possint non seruata forma Gregorij; quod est etiam quærere, An per Constitutiones Sixti V. huiusmodi egeant dispensatione ad officia quod non sunt Superioritatis?

49 Respond. Non eget dispensatione iuxta priuilegium Gregorij, sed Prælati possunt dispensare per antiqua priuilegia prout iacent, quia non fuerunt cassata per Sixtum V. nisi in ordine ad Prælaturas, & similia officia cum onere, & Superioritate, ipse enim illegitimos fecit incapaces ad huiusmodi officia, & non ad alia, vt se declarat in secunda Constitut. *Ad Romanum*, §. *Quoniam verò*, cuius verba retuli *quæst.* 7. §. Ad secundum; ac proinde subsequens priuilegium Gregorij intelligitur adhibendum dumtaxat in ordine ad Prælaturas, ad quas Sixtus V. fecit illegitimos incapaces. Ita tenet *Sigism. dub.* 72. *num.* 3. per dictam comparationem Bullarum. Non placet tamen responsio ad obiectionem *cap. fin. de filiis Presbyter.* vbi illegitimi egent dispensatione etiam ad dignitates, & personatus, quam sibi imperitè obiecit, respondendo illud caput correctum fuisse per Sixtum V. Nam dico, & obiectionem non facere ad rem, quia licèt illegitimi non egeant dispensatione ad personatus de iure Sixti V. egent tamen de iure communi, cui nequaquam derogauit, & data etiam correctione, quam non admitto, Gregorius postea Constitut. Sixti reduxit ad terminos iuris communis, ac pro inde reuixit *cap. fin.* consequenter omnes egent dispensatione etiam ad dignitates sine Superioritate si non priuilegij Gregorij, saltem de iure.

Quæritur 12. An valeat dispensatio illegitimi in genere, tacitis circumstantiis, & qualitatibus defectus natalium?

50 Respond. Non valet, sed vnaquæque species illegitimitatis explicanda est, & nota esse debet dispensandi e.g. an dispensandus sit naturalis ex solutis, an ex incestu, an ex sacrilegio, &c. Ratio est, quia vnaquæque de se sufficiens est ad impediendum personam à consecutione dignitatis, ergo vnaquæque debet esse nota dispensatori, non enim dispensatio extenditur ad incognita, cum sit actus voluntatis, quæ non operatur, nisi dirigatur ab intellectu in hunc, vel illum actum; præterquam quod est stricti iuris. Deinde vna species est alia grauior e. g. sacrilegium adulterio, & magis vtrumque simul, quàm diuisim, ex quo dispensatio redditur difficilior, ac proinde requirens vrgentiorem causam, & maiora merita in sacrilego, quàm adulterino. Demum probaui *resolut.* 10. *quæst.* 23. nullum inferiorem Legislatore posse sic dispensare in genere, non præcognitis speciebus, & circumstantiis delicti, & defectus, circa quæ habet cadere dispensatio. *Ita docent omnes, quos pro se citat Sanch. lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 3. *Sigism. dub* 79. Faciunt dicta de speciebus illegitimorum supra hic sub *quæst.* 1.

Quæres 13. An illegitimus de factò electus sine vlla expressione dispensationis censeatur tacitè dispensatus?

51 Respond. Quando Prælatus vtitur priuilegio Gregorij, de quo *sub quæst.* 9. non præsumitur de facto dispensare, neque sic potest, quia priuilegium hoc prærequirit cognitionem causæ de consilio, & consensu Definitorum in cap. congregatorum, qui actus nequaquam præsumi possunt, cum debeant esse expressi; & quotiescumque ad aliquid requiritur consensus expressus non sufficit tacitus, *argum. cap. Cum pro paruulis* 75. *dist.* 4. *de consecr. cap. Merumque* 27. 2. *quæst.* 7. Oppositum docent *Rodr. cum suo Compend. Portel. in re hac, quos citaui resol.* 10. *quæst.* 12. §. *quando, Mirand. tom. & quæst.* 2. *art.* 14. cum aliis asserit tenere in foro conscientiæ. Quod si Prælatus velit vti aliis priuilegiis post illud concessis, de quibus suprà *qu.* 10. vel electio fiat ad alia officia, quàm ad Prælaturas iuxta dicta *q.* 11. in eo casu præsumitur dispensare, dato quod cognitionem habeat defectus eligendi, & iusta adsit causa, quia tunc non eget cognitione causæ cum suis definitoribus.

Quæritur 14. An dispensatus ad vnum officium sine vlla restrictione ad primam vicem, censeatur dispensatus pro omnibus vicibus, quibus successiuè potest proponi ad idem officium?

52 Resp. Censetur absolutè dispensatus, toties, quoties eligitur, vt satis probaui *resol.* 10. *quæst.* 21.

Quæres 15. An habens facultatem dispensandi in specie simplici, vt in adulterio, possit dispensare in sacrilegio coniuncto cum adulterio? Seu, an habens facultatem dispensandi in mixto, possit dispensare in quouis simplici? vt, si quis habens facultatem dispensandi cum sacrilego incestuoso, possit dispensare cum eodem, si sit solum sacrilegus, aut tantùm incestuosus?

53 Respond. Habent facultatem dispensandi cum illegitimo in specie simplici, vt cum adulterino non poterit dispensare cum adulterino sacrilego, aut incestuoso, quia facultas dispensandi licèt ample sit explicanda, non tamen extendenda est vltra proprietatem verborum. Confirmatur, quia licèt sub simplicibus veniat mixtum maximè in fauorabilibus *ex Bartolo in l. Gallus*, §. *Et quid si tantum, ff. de liber. & posthum. Sanch. lib.* 8. *disput.* 2. *num.* 28. de hac re, non tamen venit idem mixtum sub concessione vnius simplicis, eo quod concesso minore non intelligitur concessum maius *cap. porro de priuileg.* Et sic patet etiam habentem facultatem dispensandi in mixto posse dispensare in singulis simplicibus sub eo comprehensis, cui enim licèt quod est maius,

maius, vtique etiam quod est minus, & facilius dispensatur cum simplici quàm cum mixto, ergo concesso mixto, concessum intelligitur quodlibet simplex sub eo contentum.

Quæstio 16. An filius expositus reputandus sit illegitimus, ac proinde irregularis, ac subinde egens dispensatione?

54 Respond. Expositus, cuius nimirum parentes ignorantur, reputatur illegitimus, irregularis, ac proinde egens dispensatione, quia vehemens suspicio, & præsumptio est contra ipsum, quia filij legitimi non solent sic exponi. *Ita multi cum Bonac. quæst. 2. de Irregular. part. 3. num. 10.* vbi docet expositum ordinatum sine dispensatione posse vti ordinibus susceptis sine dispensatione, stante probabili opinione contraria asserente: Expositos non esse censendos irregulares, quàm cum aliis sequitur *Diana part. 4. resol. 58. de Irregul. Affirmantes cum Bonac. & Megalio part. 3. de censur. lib. 7. cap. 1. num. 89.* dicunt cum his facilem esse dispensationem.

Quæres 17. An illegitimus omnino occultus egeat dispensatione?

55 Respond. Quamuis occultissimus adhuc indiget dispensatione, vt omnes docent, quos retuli hic sub *qu. 2.* Et suadetur. Tum quia in electionibus quis debet se abstinere ab electione, aut petere dispensationem, *cap. Nisi, de renunt. iuncta glossa vers. Non potuerit, cap. Innotuit, de elect.* Tum quia illud axioma: *Non dico vt te prodas*, locum habet in ordine ad punitionem, ratione cuius nemo tenetur se prodere, quando est occultus, *Sanch lib. 3. disput. 14. num. 5. 6. Ad secundum*; in re autem nostra apertiendus est defectus, vt euitetur peccatum mortale, & nullitas electionis per præcedentem dispensationem.

Sed ponamus casum, quod illegitimus occultus petat dispensationem à Superiore rogando ipsum, vt indicet Definitoribus, iuxta priuilegium Gregorij, qui velint secum dispensare cum quodam illegitimo occulto, cuius nomen tacetur ob dignos respectus. An teneat huiusmodi dispensatio? Respond. Quod huiusmodi petitio est irrationabilis, ac proinde nulla dispensatio secuta, eò quod Definitores debent habere legitimam causam huius faciendi sibi cognitam consentiendi in dispensationem, quam habere non possunt, nisi notitiam habeant de vita, moribus, & meritis dispensandi, vt dicitur in Constitutione Gregorij, ibi: *Eorum suffragantibus meritis*. Ergo in fide Prælati consentire non possunt, vnusquisque enim secundum proprium, & prudens iudicium debet de dispensatione iudicare, an expediat, cum singulorum conscientiæ onerentur, & non solius Prælati.

Quæres 18. An sit dispensabilis ille, cuius pater ignoratur?

56 Respond. Est dispensabilis. Tum quia est dispensabilis expositus ex probatis *quæst. 16.* ergo multo magis spurius iste. Tum quia licèt dubitari possit de qualitate illegitimitatis ex parte patris, certa tamen est circumstantia ex parte matris, quod in hoc casu sufficit scire, quando ex parte patris qualitas est inscibilis, ac proinde impossibilis non inducens obligationem. Tum quia quando quis reputat filium suum, & pro tali alit ex dicto matris, licèt sit publica meretrix, Ecclesia, seu Prælatus sine dubio illum dispensare potest pro filio talis, tunc enim moralem cognitionem habet qualitatis vtriusque parentis.

Quæres 19. An dispensatus illegitimus in seculo ad dignitates, censeatur talis etiam, quando est in Religione, itavt dispensatione non egeat ad dignitates Regulares? Item an dispensatus ad dignitates Regulares censeatur etiam dispensatus ad Seculares, siue exeat, siue non?

57 Respond. In neutro casu censetur dispensatus. Patet conclusio ex *probatis resolut. 10. quæst. 20.* vbi Doctores retuli in terminis nostris, quibus adde alios *apud Lanor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 46.* vbi refert *Nauar. cons. 1. qui filij sint legitimi*, dicentem dispensatum in seculo ad beneficium curatum, non posse eligi ad regularia, contra alios.

Quæres 20. An matrimonium subsequens reualidet electionem præcedentem, ita quod electus post matrimonium contractum inter eius parentes, non egeat noua collatione, neque dispensatione?

Respond. Licèt collatio dignitatis facta illegitimo naturali, nondum secuto matrimonio inter eius parentes, fuerit nulla secundum communem opinionem, ac proinde peccatum mortale in vtrisque tam conferentibus, quàm electo, quia transgressio fuit in re graui; tamen si postea sequatur matrimonium, electus non eget noua collatione, neque dispensatione, sed statim virtute illius matrimonij reualidatur. Probatur: Tum quia matrimonium illud retrotrahitur, ac si ab initio prolis factum fuisset, ita quod prolem legitimat quoad omnes actus præcedentes etiam prout ex tunc ex *cap. Tanta, qui filij sint legit.* ibi Doctores. Tum quia illegitimus ante professionem recipiens ordines sine dispensatione remanet adhuc irregularis ad eorum exercitium, quod impedimentum tollitur per subsequentem professionem absque vlla dispensatione, vt docet *Sanchez lib. 5. cap. 5. num. 10.* ergo idem dicendum est de promoto ad dignitatem non egere dispensatione adueniente matrimonio, sed posse prosequi in suo officio, probatur consequentia, quia tenet argumentum à professione ad electionem, vt probaui *cap. 1. de profess. Regul. quæst. 50.* Neque dicas esse disparitatem in eo, quod electio fuit nulla, ordinatio autem tenuit, ac proinde cum non firmetur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, sequitur non posse reualidari electionem per subsequens matrimonium, sed indigere aut noua collatione, aut dispensatione, ac docent plures apud *Sigism. dub. 73. num. 3.* vbi dicit data noua collatione, non esse necessariam dispensationem. Quia ad hanc obiectionem dico subsequens matrimonium, ex eo quod legitimat Religiosum patientem defectum natalium, reualidare etiam nullam collationem, quia is, & similes effectus consequuntur ex ipsa conditione legitimationis, non enim potest quis esse ex parte legitimus, & illegitimus, cum legalis, seu canonica legitimatio sequatur legitimationem naturalem, quæ omnino, & totaliter legitimat prolem. Consequenter patet ex his reualidari processu temporis id quod ab initio nullum fuit, per subsequens matrimonium. 58

Quæres 21. An Prælati Regulares saltem Generalis possit legitimare suos Religiosos simpliciter ad quæcumque?

Respond. Non, quia legitimare est simpliciter auferre omnem maculam natalium restituendo illegitimum ad omnia illa iura, successiones, officia, dignitates, & actus, ad quæ erat ante incapax, retrotrahendo habilitatem horum omnium ad punctum conceptionis, ac si tunc proles legitima fuisset. Quod totum ostendo in Summo Pontifice, qui non solùm in statu Ecclesiastico, de quo non dubitatur, sed etiam per vniuersum Orbem Christianum potest legitimare ad quæcumque tam spiritualia, quàm temporalia, dispensando in radice, per quam secutum fuit matrimonium inualidum ex aliquo impedimento iuris positiui; radix enim, & origo, ex qua consurgit, vt proles sit illegitima, ac subinde incurrat damna siue Ecclesiastica, siue Secularia illegitimitatis, est lex Ecclesiastica, qua statutum est, vt impedimentum ab ea positum dirimat attentatum matrimonium, quod si ab Ecclesia positum non fuisset, matrimonium teneret, ac proinde sequeretur proles legitima, neque subinde damna incurrisset. Papa autem potest irritare, & reuocare suam legem, vel prædecessorum non solùm quoad effectus futuros, sed etiam præteritos ex sua lege prouenientes, eosdem destruendo, ac si nunquam præfuissent. *Vide Sanchez lib. 8. disput. 6. num. 4.* luculenter defendentem, & merito amplianrem 59

supremam

motu proprio, ac proinde non ampliùs obstare Constitutionem Gregorij. Hæc ratio nullius est momenti, nam falsum est, confirmationem priuilegij etiam ex certa scientia antiquum à nouo limitatum reducere ad suum pristinum statum, & quia vnum confirmaret nempè antiquum, & aliud infirmaret, scilicèt nouum, quod est absurdum, neque enim idem debet operari contrarios effectus, *l. Legata ff. de legat.* 1. *l. 2. ante finem C. de iur. calum.* & confirmatio non potest infirmare quod roborat, aliter tollitur natura confirmationis; & quia vtriusque potest saluari confirmatio, nimirum antiquum confirmari simul cum nouo, quatenus eius vsus est sub tali forma; & ita dicendum est, quia melius est, duo conseruare, quàm vnum cum destructione alterius, præterquam quod sequeretur Gregorianum non valere, quod neque ipse negat. Ex his etiam constat idem falsò asseruisse *Portell. vers. Illegitimus num.* 10. dum dicit Prælatos posse vti priuilegiis antiquis, quia Gregorius ea non reuocauit, sed reualidauit, quia reualidatio facta fuit sub ea forma necessariò seruanda, aliter actus nullius est roboris, vt probaui §. 3.

Quæritur 10. An post dictum Gregorij priuilegium dispensandi cum capitulo illegitimos emanarint alia priuilegia ampliora concedentia facultatem saltem Generali dispensandi sine capitulo, & extra capitulum quouis tempore?

48 Respond. Emanarunt concessa ab eodem Gregorio, vnum Societati Iesu incip. *Exponi nobis*, Alterum Religiosis Ministrantibus infirmis incip. *Illius qui.* In quibus conceditur facultas Generali per se, vel per alium à se delegatum dispensandi quouis tempore cum illegitimis ad quascumque dignitates, & officia. Quibus priuilegiis possunt vti omnes Religiones communicantes in priuilegiis, cuiusmodi est nostra, vt probaui *in resol. 52. de commun. priuil. Ita docent Sigismund. dub. 76. num. 9. Tambur. de iure Abbatum tom. 1. disput. 5. quæst. 14. num. 10. Peregr. tom. 1. priuil. ad Constit. 2. Iulij II. §. 29. num. 96. quos sequendo citat Diana resolut. 102. de dubiis regular.*

Quæres 11. An illegitimus egeat dispensatione ad officia, quæ non sunt Prælaturæ, neque habent onus coniunctum cum Superioritate, iuxta priuilegium Gregorij? Difficultas autem non est, an sit irregularis, ac proinde egens dispensatione, quia indigere de iure communi probaui *quæst. 9.* Sed in eo consistit, An isti dispensari possint non seruata forma Gregorij; quod est etiam quærere, An per Constitutiones Sixti V. huiusmodi egeant dispensatione ad officia quod non sunt Superioritatis?

49 Respond. Non eget dispensatione iuxta priuilegium Gregorij, sed Prælati possunt dispensare per antiqua priuilegia prout iacent, quia non fuerunt cassata per Sixtum V. nisi in ordine ad Prælaturas, & similia officia cum onere, & Superioritate, ipse enim illegitimos fecit incapaces ad huiusmodi officia, & non ad alia, vt se declarat in secunda Constitut. *Ad Romanum, §. Quoniam verò*, cuius verba retuli *quæst. 7. §.* Ad secundum; ac proinde subsequens priuilegium Gregorij intelligitur adhibendum dumtaxat in ordine ad Prælaturas, ad quas Sixtus V. fecit illegitimos incapaces. Ita tenet *Sigism. dub. 72. num. 3.* per dictam comparationem Bullarum. Non placet tamen responsio ad obiectionem *cap. fin. de filiis Presbyter.* vbi illegitimi egent dispensatione etiam ad dignitates, & personatus, quam sibi impertinenter obiecit, respondendo illud caput correctum fuisse per Sixtum V. Nam dico, & obiectionem non facere ad rem, quia licèt illegitimi non egeant dispensatione ad personatus de iure Sixti V. egent tamen de iure communi, cui nequaquam derogauit, & data etiam correctione, quam non admitto, Gregorius postea Constitut. Sixti reduxit ad terminos iuris communis, ac pro inde reuixit *cap. fin.* consequenter omnes egent dispensatione etiam ad dignitates sine Superioritate si non priuilegij Gregorij, saltem de iure.

Quæritur 12. An valeat dispensatio illegitimi in genere, tacitis circumstantiis, & qualitatibus defectus natalium?

Respond. Non valet, sed vnaquæque species illegitimitatis explicanda est, & nota esse debet dispensandi e.g. an dispensandus sit naturalis ex solutis, an ex incestu, an ex sacrilegio, &c. Ratio est, quia vnaquæque de se sufficiens est ad impediendum personam à consecutione dignitatis, ergo vnaquæque debet esse nota dispensatori, non enim dispensatio extenditur ad incognita, cum sit actus voluntatis, quæ non operatur, nisi dirigatur ab intellectu in hunc, vel illum actum; præterquam quod est stricti iuris. Deinde vna species est alia grauior e.g. sacrilegium adulterio, & magis vtrumque simul, quàm diuisim, ex quo dispensatio redditur difficilior, ac proinde requirens vrgentiorem causam, & maiora merita in sacrilego, quàm adulterino. Demum probaui *resolut. 10. quæst. 23.* nullum inferiorem Legislatore posse sic dispensare in genere, non præcognitis speciebus, & circumstantiis delicti, & defectus, circa quæ habet cadere dispensatio. *Ita docent omnes, quos pro se citat Sanch. lib. 8. disp. 24. num. 3. Sigism. dub. 79.* Faciunt dicta de speciebus illegitimorum suprà hic sub *quæst.* 1. 50

Quæres 13. An illegitimus de facto electus sine vlla expressione dispensationis censeatur tacitè dispensatus?

Respond. Quando Prælatus vtitur priuilegio Gregorij, de quo *sub quæst. 9.* non præsumitur de facto dispensare, neque sic potest, quia priuilegium hoc prærequirit cognitionem causæ de consilio, & consensu Definitorum in cap. congregatorum, qui actus nequaquam præsumi possunt, cum debeant esse expressi; & quoties cumque ad aliquid requiritur consensus expressus non sufficit tacitus, *argum. cap. Cum pro paruulus 75. dist. 4. de consecr. cap. Merumque 27. 2. quæst. 7.* Oppositum docent *Rodr. cum suo Compend. Portel. in re hac, quos citaui resol. 10. quæst. 12. §. quando, Mirand. tom. & quæst. 2. art. 14.* cum aliis asserit tenere in foro conscientiæ. Quod si Prælatus velit vti aliis priuilegiis post illud concessis, de quibus suprà *qu.* 10. vel electio fiat ad alia officia, quàm ad Prælaturas iuxta dicta *q.* 11. in eo casu præsumitur dispensare, dato quod cognitionem habeat defectus eligendi, & iusta adsit causa, quia tunc non eget cognitione causæ cum suis definitoribus. 51

Quæritur 14. An dispensatus ad vnum officium sine vlla restrictione ad primam vicem, censeatur dispensatus pro omnibus vicibus, quibus successiuè potest proponi ad idem officium?

Resp. Censetur absolutè dispensatus, toties, quoties eligitur, vt satis probaui *resol. 10. quæst. 21.* 52

Quæres 15. An habens facultatem dispensandi in specie simplici, vt in adulterio, possit dispensare in sacrilegio coniuncto cum adulterio? Seu, an habens facultatem dispensandi in mixto, possit dispensare in quouis simplici? vt, si quis habens facultatem dispensandi cum sacrilego incestuoso, possit dispensare cum eodem, si sit solum sacrilegus, aut tantùm incestuosus?

Respond. Habens facultatem dispensandi cum illegitimo in specie simplici, vt cum adulterino non poterit dispensare cum adulterino sacrilego, aut incestuoso, quia facultas dispensandi licèt ample sit explicanda, non tamen extendenda est vltra proprietatem verborum. Confirmatur, quia licèt sub simplicibus veniat mixtum maximè in fauorabilibus *ex Bartolo in l. Gallus, §. Et quid si tantum, ff. de liber. & posthum. Sanch. lib. 8. disput. 2. num.* 28. de hac re, non tamen venit idem mixtum sub concessione vnius simplicis, eo quod concesso miuore non intelligitur concessum maius *cap. porro de priuileg.* Et sic patet etiam habentem facultatem dispensandi in mixto posse dispensare in singulis simplicibus sub eo comprehensis, cui enim licèt quod est maius, 53

maius, vtique etiam quod est minus, & facilius dispensatur cum simplici quàm cum mixto, ergo concesso mixto, concessum intelligitur quodlibet simplex sub eo contentum.

Quæstio 16. An filius expositus reputandus sit illegitimus, ac proinde irregularis, ac subinde egens dispensatione?

54 Respond. Expositus, cuius nimirum parentes ignorantur, reputatur illegitimus, irregularis, ac proinde egens dispensatione, quia vehemens suspicio, & præsumptio est contra ipsum, quia filij legitimi non solent sic exponi. *Ita multi cum Bonac. quæst. 2. de Irregular. part. 3. num.* 10. vbi docet expositum ordinatum sine dispensatione posse vti ordinibus susceptis sine dispensatione, stante probabili opinione contraria asserente: Expositos non esse censendos irregulares, quàm cum aliis sequitur *Diana part. 4. resol.* 58. *de Irregul. Affirmantes cum Bonac. & Megalio part. 3. de censur. lib. 7. cap. 1. num.* 89. dicunt cum his facilem esse dispensationem.

Quæres 17. An illegitimus omnino occultus egeat dispensatione?

55 Respond. Quamuis occultissimus adhuc indiget dispensatione, vt omnes docent, quos retuli hic sub *qu.* 2. Et suadetur. Tum quia in electionibus quis debet se abstinere ab electione, aut petere dispensationem, *cap. Nisi, de renunt. iuncta glossa vers. Non potuerit, cap. Innotuit, de elect.* Tum quia illud axioma: *Non dico vt te prodas*, locum habet in ordine ad punitionem, ratione cuius nemo tenetur se prodere, quando est occultus, *Sanch lib. 3. disput. 14. num. 5. §. Ad secundum*; in re autem nostra aperiendus est defectus, vt euitetur peccatum mortale, & nullitas electionis per præcedentem dispensationem.

Sed ponamus casum, quod illegitimus occultus petat dispensationem à Superiore rogando ipsum, vt indicet Definitoribus, iuxta priuilegium Gregorij, qui veliut secum dispensare cum quodam illegitimo occulto, cuius nomen tacetur ob dignos respectus. An teneat huiusmodi dispensatio? Respond. Quod huiusmodi petitio est irrationabilis, ac proinde nulla dispensatio secuta, eò quod Definitores debent habere legitimam causam huius faciendi sibi cognitam consentiendi in dispensationem, quam habere non possunt, nisi notitiam habeant de vita, moribus, & meritis dispensandi, vt dicitur in Constitutione Gregorij, ibi: *Eorum suffragantibus meritis.* Ergo in fide Prælati consentire non possunt, vnusquisque enim secundum proprium, & prudens iudicium debet de dispensatione iudicare, an expediat, cum singulorum conscientiæ onerentur, & non solius Prælati.

Quæres 18. An sit dispensabilis ille, cuius pater ignoratur?

56 Respond. Est dispensabilis. Tum quia est dispensabilis expositus ex probatis *quæst.* 16. ergo multo magis spurius iste. Tum quia licèt dubitari possit de qualitate illegitimitatis ex parte patris, certa tamen est circumstantia ex parte matris, quod in hoc casu sufficit scire, quando ex parte patris qualitas est inscibilis, ac proinde impossibilis non inducens obligationem. Tum quia quando quis reputat filium suum, & pro tali alit ex dicto matris, licèt sit publica meretrix, Ecclesia, seu Prælatus sine dubio illum dispensare potest pro filio talis, tunc enim moralem cognitionem habet qualitatis vtriusque parentis.

Quæres 19. An dispensatus illegitimus in seculo ad dignitates, censeatur talis etiam, quando est in Religione, ita vt dispensatione non egeat ad dignitates Regulares? Item an dispensatus ad dignitates Regulares censeatur etiam dispensatus ad Seculares, siue exeat, siue non?

57 Respond. In neutro casu censetur dispensatus. Patet conclusio *ex probatis resolut.* 10. *quæst.* 20. vbi Doctores retuli in terminis nostris, quibus adde alios *apud Lanor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 46. vbi refert Nauar. cons. 1. qui filij sint legitimi*, dicentem dispensatum in seculo ad beneficium curatum, non posse eligi ad regularia, contra alios.

Quæres 20. An matrimonium subsequens reualidet electionem præcedentem, ita quod electus post matrimonium contractum inter eius parentes, non egeat noua collatione, neque dispensatione?

Respond. Licèt collatio dignitatis facta illegitimo naturali, nondum secuto matrimonio inter eius parentes, fuerit nulla secundum communem opinionem, ac proinde peccatum mortale in vtrisque tam conferentibus, quàm electo, quia transgressio fuit in re graui; tamen si postea sequatur matrimonium, electus non eget noua collatione, neque dispensatione, sed statim virtute illius matrimonij reualidatur. Probatur: Tum quia matrimonium illud retrotrahitur, ac si ab initio prolis factum fuisset, ita quod prolem legitimat quoad omnes actus præcedentes etiam provt ex tunc ex *cap. Tanta, qui filij sint legit.* ibi Doctores. Tum quia illegitimus ante professionem recipiens ordines sine dispensatione remanet adhuc irregularis ad eorum exercitium, quod impedimentum tollitur per subsequentem professionem absque vlla dispensatione, vt docet *Sanchez lib. 5. cap. 5. num.* 10. ergo idem dicendum est de promoto ad dignitatem non egere dispensatione adueniente matrimonio, sed posse prosequi in suo officio, probatur consequentia, quia tenet argumentum à professione ad electionem, vt probaui *cap. 1. de profess. Regul. quæst.* 50. Neque dicas esse disparitatem in eo, quod electio fuit nulla, ordinatio autem tenuit, ac proinde cum non firmetur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, sequitur non posse reualidari electionem per subsequens matrimonium, sed indigere aut noua collatione, aut dispensatione, ac docent plures apud *Sigism. dub. 73. num.* 3. vbi dicit data noua collatione, non esse necessariam dispensationem. Quia ad hanc obiectionem dico subsequens matrimonium, ex eo quod legitimat Religiosum patientem defectum natalium, reualidare etiam nullam collationem, quia is, & similes effectus consequuntur ex ipsa conditione legitimationis, non enim potest quis esse ex parte legitimus, & illegitimus, cum legalis, seu canonica legitimatio sequatur legitimationem naturalem, quæ omnino, & totaliter legitimat prolem. Consequenter patet ex his reualidari processu temporis id quod ab initio nullum fuit, per subsequens matrimonium.

Quæres 21. An Prælati Regulares saltem Generalis possit legitimare suos Religiosos simpliciter ad quæcumque?

Respond. Non, quia legitimare est simpliciter auferre omnem maculam natalium restituendo illegitimum ad omnia illa iura, successiones, officia, dignitates, & actus, ad quæ erat ante incapax, retrotrahendo habilitatem horum omnium ad punctum conceptionis, ac si tunc proles legitima fuisset. Quod totum ostendo in Summo Pontifice, qui non solùm in statu Ecclesiastico, de quo non dubitatur, sed etiam per vniuersum Orbem Christianum potest legitimare ad quæcumque tam spiritualia, quàm temporalia, dispensando in radice, per quam secutum fuit matrimonium inualidum ex aliquo impedimento iuris positiui; radix enim, & origo, ex qua consurgit, vt proles sit illegitima, ac subinde incurrat damna siue Ecclesiastica, siue Secularia illegitimitatis, est lex Ecclesiastica, qua statutum est, vt impedimentum ab ea positum dirimat attentatum matrimonium, quod si ab Ecclesia positum non fuisset, matrimonium teneret, ac proinde sequeretur proles legitima, neque subinde damna incurrisset. Papa autem potest irritare, & reuocare suam legem, vel prædecessorum non solùm quoad effectus futuros, sed etiam præteritos ex sua lege prouenientes, eosdem destruendo, ac si nunquam præfuissent. *Vide Sanchez lib. 8. disput. 6. num.* 4. luculenter defendentem, & merito amplianter supremam

supremam in terris potestatem. Sed prædicta nullus Ecclesiasticus præter Papam præstare potest, cum in legibus matrimonij nihil reliqui possint, ergo Prælati Regulares non possunt legitimare suos Religiosos. Confirmatur ex differentia legitimationis, & dispensationis; nam Legitimatio duo includit, primò ablationem cuiuscumque defectus natalium vndequaque, hoc est, perpetuò, respectu cuiuscumque status, & in ordine ad quoscomque actus; secundò retrotrahit hæc omnia, quæ legitimatus requirit, ad tempus conceptionis, ac si tunc proles procreata fuisset ex legitimo matrimonio. Dispensare verò, quamuis sit reddere personam habilem pro nunc ad certum actum in genere, & in specie, iuxta tenorem dispensationis exercitæ circa personam illegitimam, nihilominus excludit illa duo, nimirum totalem ablationem tam respectu defectuum, quàm inhabilitatis simpliciter; & retractionem, cum fiat prout ex nunc, non prout ex tunc, & ad primum esse, quia est stricti iuris, ac proinde non extendenda, neque amplianda.

Quæres 12. An Præsidens capituli Generalis, aut Prouincialis possit virtute dictorum priuilegiorum dispensare? Ponamus exemplum in aliquo, qui indigeat tunc dispensatione, vt possit promoueri ad Generalatum, vel ad aliud officium, in eo enim instanti nullus Superior ibi reperitur præter Præsidentem cum Generalis cum suis quatuor Definitoribus finierit suum officium?

60 Respond. Potest dispensare, probatur, quia in eo casu se habet ac Vicarius Capituli Sede vacante, qui succedit in omnia iura prædecessoris, & Episcopi mortui, tam quoad ea quæ Episcopo competunt iure ordinario, quàm speciali, seu delegato à Papa, *vt docent communiter Doctores in tit. Ne Sede vac. de qua re bene Addit. Quarant. vers. Capitulum Sede vacante*, ergo idem dicendum est de Præsidente Capituli Regularis, cum tunc Sedes Regularis vacet. Verùm quidem est, quod non potest dispensare virtute Priuilegij Gregoriani in opinione nostra requirente concursum quatuor Definitorum, qui non adsunt; vtique verò in opinione eorum, qui sub nomine capituli volunt venire omnes vocales, vel solus virtute priuilegiorum recentiorum.

RESOLVTIO XIII.

De dispensandis Regularibus homicidis.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas ex homicidio iusto, vel iniusto.*
2 *Sola mors, & mutilatio inducunt eam.*
3 *Mutilans mortuum non fit irregularis.*
4 *Causa influens necessaria est.*
5 *Causa remota non sufficit.*
6 *Necessitas mutilandi excusat.*
7 *Infidelis non est capax huius.*
8 *Carens vsu rationis non incurrit.*
9 *Homicidium voluntarium in se inducit.*
10 *Homicidium voluntarium in causa inducit.*
11 *Homicidium purè casuale excusat.*
12 *Licèt detur opera rei illicita.*
13 *Tridentinum non obstat.*
14 *Dispensant super irregularitate ex defectu lenitatis.*
15 *Dispensant super irregularitate etiam homicidio voluntario occulto.*
16 *Non publico.*
17 *Vtique ex voluntario in causa publico.*
18 *Abortientes sunt excommunicati, & irregulares.*
19 *Dispensantur etiam pro foro externo.*
20 *Et habilitantur.*
21 *Absoluuntur ab excommunicatione.*
22 *Mutilatio quid sit?*
23 *Dispensatio ne in Mutilatione etiam pro foro externo.*

1 IRregularitas proueniens ex homicidio, seu mutilatione duplex est, alia dicitur ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis causata ab homicidio licito, seu non peccaminoso; alia ex delicto ipsius homicidij, seu mutilationis voluntariæ. Ad hoc autem vt ex his inducatur, necesse est, quod mors, seu mutilatio sit hominis viui, causata proximè, extra casum necessitatis, ab homine baptizato, & doli capace.

2 Dixi I. *Mors seu mutilatio*, quia verberatio, percussio, magna sanguinis profusio, & quæuis alia actio, ex qua non sequitur mors, seu mutilatio, non inducit irregularitatem, *Nauar. consil. 23. de homicid.*

3 Dixi II. *Hominis viui*, quia mutilans hominem mortuum irregularis non est, cum non sit propriè homo, sed cadauer, *Nauar. cap. 27. num. 210. & 217. Megal lib. 7. de censur. cap. 1. num. 29.* quod procedit siue sit fidelis, siue infidelis, siue natus, siue adhuc in ventre matris, & dicitur abortus, modo fœtus sit animatus, *cap. Sicut ex literarum 20. de homicid.*

4 Dixi III. *Causata*, quia qui nullo modo influit in effectum homicidij, vel mutilationis, non fit irregularis; vnde consultor, cuius dicto non stetit iudex, non est irregularis, sequuta morte ex alia causa, quàm ex eius consilio; quod mentem iudicis non determinauit ad mortem inferendam. Idem dic de eo, qui dedit consilium alteri iam penitus parato ad occidendum. *Ita docent omnes apud Bonac. q. 4. de Irregular. p. 1. num. 6.* Sub nomine causæ intellige efficacis, & influentis in effectum, venit non solùm qui immediatè occidit, sed etiam qui mandat, consulit, adiuuat, consentit, & cooperatur proximè in mortem, seu illam non impedit, cum possit, & teneatur ex officio, *cap. Si quis 8. dist. 50.*

5 Dixi IV. *Proximè*, quia causa remota in homicidium non inducit irregularitatem, vnde conficiens gladios, eosdem vendens ad vsus humanos indifferenter, *Nauar. cap. 27. num. 212. §. 1. & alij communiter cum Bonac. qu. 4. de Irregular. part. 1. num. 13.* Item ratione homicidij publici non censentur causa proxima nisi ministri iustitiæ, & illi qui concurrunt ad probationem causæ, vel ad executionem pœnæ, non autem Sacerdotes, & alij non ministri hortantes reum ad ascendendum scalas, vel alio modo accelerando executionem iustitiæ, vel qui vendunt scalam, funes, ensem, & qui fecit furcam, quia istæ actiones respectu horum priuatorum sunt remotæ, *vt ex Vasq. docet Turrian. lib. 9. de cens. disp. 66. dub. 3. & cum illis Diana part. 3. tract. 5. Miscell. resol. 79.* quia iura inducentes hanc irregularitatem loquuntur de ministris iustitiæ, & eis proximis cooperantibus. Sic neque incurrunt transcribentes processum, vel qui dederunt leuia indicia non sufficientia ad probandum esse reum, *Bonac. q. 4. de Irreg. p. 1. n. 5.*

6 Dixi V. *Extra casum necessitatis*, intellige, vel ex parte patientis, vnde Medicus, seu Chirurgus non valens impedire infirmitatem periculosam mortis sine præcisione membri, potest sine irregularitatis periculo præscindere, modò necessaria est præcisio, sine qua sanitas recuperari non possit, & non sequatur mors ex eius negligentia, *cap. Ad aures de ætate, cap. Tua nos, de homicid. vbi de Religioso, de quo infrà quæst. 2. Megal. lib. 7. cap. 1. num. 52.* Vel ex parte agentis, titulo iustæ defensionis, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, qui alio modo non potest defendere vitam suam, quàm suum inuasorem occidendo, non fit irregularis, *cap. Si quis dist. 50. iuxta gloss. vers. Defensione, cap. Significasti 18. de homic. Clem. Si furiosus, de homic.* Idem tenent multi de occidente alium ad defensionem sui honoris, & rerum suarum, quas alia via tueri non potest, *cum Bonac. q. 4. de Irregul. p. 6. num. 10. contra Megal. lib. 7. cap. 1. n. 57.* cum aliis.

7 Dixi VI. *Ab homine Baptizato*, quia infidelis, & carens

carens baptismate huiusmodi irregularitatem ex homicidio iusto, seu iniusto non incurrit, *cap. si quis 8. dist. 50. cap. 1. & cap. Si quis 4. dist. 51.* Ita de Irregularitate ex defectu *Bonac. quæst. 4. p. 1. num. 2. & ex delicto, p. 8. num. 4. Megal. lib. 7. cap. 1. num. 33.* expresse de irregularitate ex defectu lenitatis.

8 Dixi VII. *Doli capace*, quia amens, furiosus, & puer non vtens ratione occidendo, seu mutilando iustè, vel iniustè materialiter non incurrunt irregularitatem, cum actus debeat esse factus humano modo, intellectu aduertente, & voluntate volente homicidium in se, vel saltem in sua causa, *vt patet ex Clem. si furiosus, de homic. & ex toto tit. de homic. in Decretalibus.* Hoc vltimum. Dixi fusè explicatur in sequenti quæsito pro intelligentia dictorum, & dicendorum.

Quæres 1. Quid sit homicidium voluntarium tam in se, quam in causa, & homicidium casuale? & an ex his inducatur irregularitas ex delicto?

9 Respond. I. Homicidium voluntarium in se est illud, quod quis ex proposito, seu ex industria directè intendit; & volt. Et hoc dicitur homicidium voluntarium, sine alio addito, & simpliciter, requirens expressam voluntatem occidentis, seu intendentis in ipsammet occisionem. Et ita intelligendum est *cap. 6. sess. 24. Tridentini*, dum facit facultatem Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepta illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario, nam ibi sub his terminis venit irregularitas ex homicidio tantùm voluntario in se, non autem voluntarium in causa, seu casuale, *vt docet Barbos. de potest. Episc. part. 2. allegat. 39. num. 47.* & alij multi *cum Diana part. 4. resol. 72. de Irregul.* Et hoc genus homicidij sine dubio inducit irregularitatem, vt constat *ex toto tit. de homicid. cap. 1. 11.* & aliis.

10 Respond. II. Homicidium voluntarium in causa, dictum etiam casuale culpabile est illud, quod licèt in se expresse neque directè intendatur, tamen intenditur secundariò, & indirectè, atque in causa, ex eo, quod præuisum sequitur ex aliqua actione in se volita; vt si homicidium præuisum expressè in se non intentum sequatur ex ebrietate; ex leui percussione; ex saltatione immoderata cum prægnante; ex eiusdem percussione; ex immoderata sui defensione; ex ludo, ex vsu sclopi; ex propinatione veneni; ex punctione circa præcordia, & similibus actionibus, à quibus potest prouenire mors. Duo autem includit homicidium casuale, seu in causa, nimirum præuisionem secuturi homicidij; ad hoc enim, vt homicidium imputetur, necesse est, quod agens præuiderit ex sua actione posse homicidium accidere, aliter non præuidendo mortem, excusatur ab homicidio voluntario, quia voluntarium non est sine præuisione: Alterum, quod includit est negligentia, qua nullam adhibuit diligentiam ad præcauendum mortem futuram, exempli gratia, instaurator tectorum præuidendo ex proiectione tegularum inutilium posse sequi alicuius mortem, si sequatur, signo non exposito, fit irregularis, quia fuit negligens in expositione signi. Homicidium ergo in causa culpabile ex omissa diligentia, inducit irregularitatem, vt colligitur ex *cap. 5. 7. & 10. 12. 18. & 20. de homicid.* Quando iura excipiunt, vel prohibent Episcopis, seu aliis Prælatis dispensationem irregularitatis ex homicidio voluntario, non loquuntur de hoc genere homicidij voluntarij in causa, & casualis, sed de voluntario simpliciter, vt docent præcitati præcedenti responsione *cum Turriano, & Vasq.* quos pro se citat allegatus ibi Diana, quorum dictum reputat non improbabile *Bonac quæst. 4. de Irregul. p. 8. num. 2.*

11 Respond. III. Homicidium pure casuale, & inculpabile est illud, quod nullo modo est intentum, neque volitum in se, aut in causa, quod nimirum non præuisum prouenit ab actione, quæ per se proximè non ordinatur ad homicidium, vel mutilationem, aut si fuit præuisum, adhibita fuit debita diligentia, ne sequeretur, e.g. Ebrius, vel dormiens, qui ante non præuidit homicidium; vel si præuidit, vsus fuit debita diligentia, faciendo sibi assistere amicum, vel abscondendo arma, euadit irregularitatem, quia homicidium fuit omninò inuoluntarium, ac proinde inculpabile, atque consequenter non potuit esse causa inducens irregularitatem ex delicto, quæ supponit homicidium culpabile. Hoc genus homicidij debet excludere præuisionem, vel saltem negligentiam supposita præuisione, ad differentiam homicidij voluntarij in causa, quod, vt dixi, includit præuisionem, & negligentiam, vnde se habent ex opposito. Dixi: *Ab actione, quæ per se proximè non ordinatur, &c.* Quia si proximè ordinetur ex sua natura, vt est lethale vulnus, propinatio veneni, &c. homicidium non potest esse casuale huius generis, sed voluntarium in causa, *cap. si alius 5. cap. Significasti 18.* Quod hoc homicidium excuset ab irregularitate aperte colligitur *ex cap. 9. 13. 14. 15. 16. 22. 23. & 25. de homicid.* Ita docent omnes, quos pro se citat *Bonac. q. 4. de irregul. p. 7. num. 2.*

Quæres 2. An mox dicta de homicidio omnino casuali excusante ab irregularitate procedant in eo, ex cuius actione illicita sequitur mors præter intentionem, maximè in Clericis, & Religiosis. An scilicèt Religiosus dans operam rei illicitæ, seu sibi prohibitæ, si casu præter intentionem occidat hominem, sit exemptum ab irregularitate? V.g. Si ex casuali explosione sclopi rotati, quem gestat, homo occidatur; vel si occidat hominem loco feræ; vel aperiendo apostema moriatur ægrotus; vel fornicando cum prægnante; vel cum eadem saltante, secuto abortu fœtus animati, &c. Istæ omnes actiones sunt illicitæ maximè Clericis, & Religiosis, & sunt periculosæ mortis:

Respond. Clericus, seu Religiosus dando operam 12
rei illicitæ, licèt sit periculosa ad mortem, non fit irregularis ex homicidio casuali inde secuto, modo præuiderit periculum, & adhibuerit debitam diligentiam, ne sequeretur mors, aut mutilatio. Probatur I. *ex cap. continebatur 8. iuncta glossa fin. de homicid.* vbi dicitur irregularis Clericus, qui ludendo casu alium occidit, non quia dabat operam rei illicitæ, vt est ludus clerici cum Laico, *ex gloss. cit.* Sed quia non præmisit debitam diligentiam ad euitandum periculum mortis. Probatur II. *ex cap. Exhibita 22. eod.* excusatur ab irregularitate quidam Clericus, qui cum aliis ludendo proiecit lapidem in vnum ex illis, non animo offendendi, sed vt timorem illi incuteret, ex qua proiectione nil læsus neque tactus corruendo ipse in alium lapidem, casu sibi caput offendit, vnde mortuus fuit propter imperitiam medici, & incuriam patris. Illa autem proiectio lapidis sine dubio erat illicita, & tamen ex hoc irregularitatem non incurrit. Probatur III. magis directè de Religioso *ex cap. Tua nos 19. eodem*, vt colligitur ex illis verbis: *Nos igitur Fraternitati tuæ respondemus, quod licèt ipse Monachus multum deliquerit, officium alienum vsurpando, quod sibi minimè congruebat, si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra Consilium eius accidit ideò reprobandus, quod non post satisfactionem condignam, cum eo misericorditer agi possit, vt Diuina Officia valeat celebrare, alioquin interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis executio de rigore.* Ex quibus verbis colligitur dictum Monachum non fuisse irregularem ibi; *Non est reprobandus.* Verba autem illa, *post satisfactionem condignam*, referuntur ad peccatum, quod fecit sibi vsurpando officium alienum, vt ibi dicit etiam gloss. Item verba illa. *Cum eo misericorditer agi possit*, referuntur ad actum ipsius Prælati Monachi, cui præcepit vt se abstineret à ministerio Altaris, dum Sedes Apostolica consuleretur, respondit igitur Papa, quod post peractam pœnitentiam potest sinere illum ministrare, si peritus erat in arte, & adhibuit debitam diligentiam, alioquin,

ideſt ſi non erat peritus, neque vſus fuit debita diligentia, vt ſubdit ibi gloſſa, interdicenda eſt illi Sacerdotalis executio, ideſt declarandus irregularis. *Ita docent Coninch. de Sacramentis, diſp. 18. dub. 9. num. 87. præpoſitus in part. 3. quæſt. 5. de irregul. dub. 10. num. 86. Sotus lib. 5. q. 1. art. 9. quos pro ſe citat Diana part. 4. reſol. 23. de irregular. vbi reſol. 24. cum Molina tenet* Religioſum ſecantem venam, non eſſe irregularem, ſecuta morte, quia non eſt actus Chirurgiæ, ſed barbitonſoris, ac proinde non prohibiti in iure Religioſis, & Clericis. Oppoſitum de Monacho Chirurgo docent multi *cum Bonacin. quæſt. 4. de irregular. part. 5. num. 4. & part. 7. num. 9. Secundò, Megal. lib. 7. de cenſib. cap. 2. num. 108. §. Et in dicto;* Probatur IV. ratione; Tum quia diligentia adhibita purgauit omne periculum mortis, ac proinde mors ſequens non poteſt dici voluntaria. Tum quia homicidium inducens irregularitatem debet eſſe peccaminoſum; Sed homicidium caſuale ſequens poſt adhibitam diligentiam non eſt peccaminoſum, cum non ſit voluntarium in ſe, cum directè, & expreſsè non ſit volitum, neque in cauſa, quia ex eo, quod agens præuidendo periculum vſus fuit debita diligentia, ne mors ſequeretur, actio ex qua ſequitur homicidium dicitur cauſa tantùm materialis, & non formalis, quæ poſſit imputari operanti in ordine ad homicidium; ergo nullo modo eſt culpabile, ac proinde non aptum inducendo irregularitatem. Tum quia actio illicita non eſt in ordine ad homicidium; neque ex eo quod connexa ſit cum homicidio, ſed quia aut in ſe eſt talis, aut quia eſt prohibita, ergo nihil confert homicidio. Demùm non actio illicita inducit irregularitatem, ſed ipſum homicidium culpabile. Noſtram reſponſionem docent *Coninch. Hurtado, Præpoſitus, Fillucius, Tauerus, Henr. Sà, quos pro ſe citat Diana part. 4. reſolut. 20. de irregular. Bonac. quæſt. 4. punct. 7 num. 8. & 9. contra Megal. lib. 7. cap. 2. num. 107. & ſequent. Bonacin.* excipit tres caſus, primum de mandante percuſſionem etiam cum expreſſa prohibitione lethalis vulneris, qui incurrit irregularitatem, morte ſecuta, *ex cap. final. de homicid. in 6.* Secundum ponit de Monacho Chirurgo, ſed iam probaui, non eſſe irregularem. Tertiùm, quando datur opera rei illicitæ, ex qua vt plurimum ſolet ſequi mors, vnde non excuſatur admouens ignem bombardæ, vbi eſt multitudo hominum, vel vbi arx euertitur, in his enim caſibus, vt plurimum ſequitur mors, vt ipſe docet cum aliis, & ita dicendum eſt, quia hic impoſſibilis eſt cautio diligentiæ, ac proinde mors habet aliquid voluntarij ſufficienter inducentis irregularitatem.

13 Neque prædictis obſtat Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7.* vbi diſpenſatio irregularitatis ex homicidio caſuali, ſeu defenſiuo committitur Ordinario, quia ibi vel ſermo eſt de homicidio caſuali cum negligentia commiſſo, & de defenſiuo cum exceſſu; vel etiam de caſuali ſimpliciter, & defenſiuo ſine exceſſu; ſed procedit Concilium in foro externo, quod præſumit adfuiſſe aliquam culpam, nam in foro conſcientiæ ſi ſeruatum fuit moderamen inculpatæ tutelæ, & homicidium fuit omninò caſuale, & inuoluntarium, nequaquam occidens eſt irregularis, *vt docet Megal. lib. 7. cap. 1. num. 60.*

Quæres 3. An Prælati Regulares de iure communi, ſeu ſaltem ex priuilegio poſſint diſpenſare ſuper irregularitate proueniente ex homicidio iuſto ex publica authoritate, vti ex miniſtris iuſtitiæ in cauſa ſanguinis, vel ex bello iuſto, &c.

14 Reſpond. Prælati Regulares de iure communi non poſſunt diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis ex homicidio iuſto, quia id eis, neque Epiſcopis in iure communi conceditur, ſed Papæ reſeruatur; vtique verò virtute ſuorum priuilegiorum, quorum primum eſt Martini V. Viuæ vocis Oraculo authentico, in quo concedit Priori S. Benedicti Vallis Oliueti facultatem diſpenſandi in foro conſcientiæ ſuos Monachos ſuper omnibus irregularitatibus, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſeruat, in morte videlicèt, & in membrorum truncatione, modò hæc notoria non ſint. *Sorbus verſ. Diſpenſatio §. 24. Compend. reſolut. 52. num. 23. Portell. verſ. Diſpenſare num. 8. vbi ex Rodriq. quæſt. 24. art. 16.* limitat in ordine ad ordines, non ad Prælaturas; ſed gratis ponitur hæc limitatio, cum priuilegia non ſint reſtringenda, ſed amplianda quantum patitur propria verborum ſignificatio, ibi autem nulla eſt limitatio, & verba ad vtrumque referri poſſunt. Poteſt eſſe difficultas de hoc priuilegio, cum ſit viuæ vocis oraculum iam ſublatum per ea, quæ dixi *reſol. 31.* Sed ibi dixi præſertim *quæſt. 3.* Papam ſuſtuliſſe oracula præiudicialia tantùm, hoc autem nulli præiudicat, ergo adhuc viget; *Et Nauarr. conſil. 15. de homicid.* non credit huic priuilegio: nihilominus propter aliqualem dubitationem accipe ſecundum priuilegium, quod eſt amplius tam pro foro conſcientiæ, quam externo, & in caſibus notoriis Sixti IV. cuius verba retuli *reſolut. 10. dict. 1. §. 2.* ibi: *Nec non cum his, qui ex quauis cauſa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, diſpenſandi, &c.* Sed hoc priuilegium videtur etiam pati difficultatem maiorem, quam præcedens, & impertinens ad rem noſtram, propter expreſſam exceptionem; nihilominus dicas nomine homicidij voluntarij venire ſolùm illicitum, & prohibitum in quinto præcepto Decalogi, *vt ex Maiolo docet Mirand. tom. 2. quæſt. 8. artic. 8. & multi alij apud Barboſam ad cap. 6. ſeſſ. 24. num. 34.* aſſerendo in Bullis Iubilæi, & priuilegiorum in exceptione homicidij voluntarij venire ſolùm illicitum, & non licitum, cuiuſmodi eſt homicidium publica authoritate factum iuſtitiæ punitiuæ, vel belli. Quod ſi de his dubites accipe tertium Iulij II. concedentis Dominicanis facultatem diſpenſandi in omni irregularitate etiam in caſibus Papæ reſeruatis, nimirum in homicidio, & membrorum obtruncatione, modò factum horum duorum non ſit notorium, prout referunt *Sorbus poſt ſuam Annot. & alij Compend. cum Compend. reſolut. 52. num. 25. Peregrin. verſic. Diſpenſatio §. 1.* vbi excludit homicidium voluntarium, ſed non placet, quia in generali conceſſione intelliguntur etiam ſpecialia conceſſa, quando non colligi poteſt ex verbis conceſſionis, vt colligitur hic. Eſt autem hoc priuilegium limitatum, & forſan Oraculum, ideò accipe quartum priuilegium Pauli III. conceſſum per Bullam Congregationi S. Benedicti Vallis Oliueti diſpenſandi ſingulis annis prima die Lunæ Quadrageſimæ ſuper quibuſcumque irregularitatibus, quauis occaſione, vel cauſa contractis, vt refert *Compend. reſolut. 52. num. 25.* gaudere omnes Prælatos cuiuſvis Religionis. Demum Pius V. Conſtitut. *Dum ad Congregationem*, 129. Congregationis Caſſinenſium Prælatis concedit facultatem diſpenſandi in foro conſcientiæ in irregularitate contracta ex homicidio voluntario ſolùm modo intrantes in Religionem, & volentes manere, & adeſt clauſula derogatoria quibuſcumque Conciliis, ac proinde etiam Tridentino, *vt bene notat in ſuo Scholio Peregrin. verſic. Diſpenſatio, §. 2.*

Noſtram reſponſ. tenent *Fillius tom. 1. tract. 19. c. 10. num. 282. Villalobos tom. 1. tract. 21. diff. 28. num. 10. Lezana cap. 18. in ſua Summa quæſt. regul. num. 43. quos citat, & ſequitur Diana part. 4. reſolut. 69. de Irregul. Compend. reſolut. 52. n. 59. Vecchius diſput. 9. dub. 18. num. 4. Mirand. tom. 2. quæſt. & art. 8. Barboſa ſuper cap. 6. ſeſſ. 24. num. 35.* refert plures Doctores aſſerentes, poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper hac irregularitate ex defectu lenitatis, ergo eodem iure hoc idem competit Prælatis Regularibus maioribus.

Quæres 4. An Prælati Regulares ſaltem Generalis poſſit diſpenſare in irregularitate contracta ex homicidio voluntario illicito, & iniuſto?

Reſpond. Prælati Reg. virtute ſuorum priuilegiorum 15
poſſunt diſpenſare in irregularitate contracta ex homicidio ſimpliciter voluntario, modò ſit occultum; non autem

autem si sit publicum; vtique verò in vtroque casu nempè siue sit occultum, siue publicum, quando non est voluntarium simpliciter, sed in causa tantùm, & casualiter, iuxta quod dixi hic *quæst.*1.

Primùm, de priuilegiis concedentibus dispensationem irregularitatis ex homicidio simpliciter voluntario illicito, sed occulto, probatur ex priuilegiis primo, tertio, & quarto relatis in probatione præcedentis quæstionis, vbi nec obstat limitatio Sixti IV. excipientis homicidium voluntarium illicitum, quia subsequentes Pontifices loquuti fuerunt absque dicta exceptione. *Ita docent Corduba in Compend. priuil. verf. Dispensatio* §. *Quoad* §.24. *Rodr. tom.*1. *q*.24 *art.*12. *Mirand. tom.*2. *q*.8. *art.*10. *Cruz, & Molina, quos pro se citat Vecchius disp.*9. *dub.*16. *num.*2. vbi extendit priuilegium etiam ad nouitios; *Sigism. dub.*71. *de elect. num.*1. *Portel. verf. Dispensare num.*8. *Compend. resol.*52. *n.*25. *quos citat*, sed non sequitur *Diana resol.*45. *de dub. Reg.*

16 Secundùm, quod non possint dispensare, quando homicidium est publicum, constat ex verbis expressis ipsorummet priuilegiorum, quæ restringunt dispensationem, quando delictum non est notorium, vt docent præcitati Doctores. Quamuis nonnulli benè sentiant, etiam quando est publicum, *vt colligitur ex* 4. *priuileg. Pauli III. suprà sub quæst.* 4. *ex Compend. resolut.*52. *num.*25.

17 Tertiùm, quod possint dispensare in irregularitate contracta ex homicidio iniquo, sed voluntario tantùm in causa, seu casuali, etiam pro foro externo, probatur, Tum quia ex citatis priuilegiis, in quibus exceptio homicidij voluntarij restringitur ad voluntarium in se, ergo huiusmodi exceptio firmat Regulam, & priuilegium in casibus aliis; antecedens probatur *ex dictis q.*1. *hic, & à Vecchio disp.*9. *dub.*18. *num.*4. Ita docent præter *Vecchium, Portell. verf. Dispensatio num.*9. *Mirand. tom.*2. *q.*8. *art.*13. de homicidio casuali ob propriam defensionem. Tum quia Episcopi dispensant in dicto mox homicidio casuali occulto, vt quampluribus Doctoribus citatis refert *Barbosa ad c.*6. *sess.*24. *n.*37. de irregularitate ex homicidio defensiuo cum excessu, *n.*38. 39. *&* 40. ergo & Prælati Regulares, & hoc non tantùm pro foro interno, sed etiam pro externo, & quando delictum est notorium, & publicum, *& docet Rodr. q.*24. *art.*13. *quem sequitur Vecchius cit. disp.*9. *dub.*18. *n.*6. *Sigism. dub.*71. *in fine, vbi citat etiam Mirandam.*

Dices, prædicta in *quæst.*4 *&* 5. vera sunt, si spectemus priuilegia in se, abstrahendo à Concilio Tridentino, sed quia reuerà non est abstrahendum, cum illi non fuerit derogatum per subsequentes Pontifices, idcircò Regularium priuilegia post Trident. nullius sunt roboris, cum omnis irregularitas procedens ex homicidio siue iusto, ex titulo defensionis *c.*7 *sess.*14. siue iniusto *ex c.*6. *sess.*24. sit excepta, & immediatè reseruata Papæ. Neque obstat quintum priuilegium relatum *sub q.*4. vbi dictum fuit derogatum fuisse Tridentino, quia posteriores Pontifices confirmarunt priuilegia Religionis respectu eorum, quæ non aduersantur Tridentino,

Dico ad eam obiectionem satis in se efficacem, sed extra rem in casu nostro, nulla ratione obstare Tridentinum, non primo loco, ex quo licèt colligatur, Episcopos nullam habere facultatem dispensandi in irregularitate ex defectu lenitatis, seu ex homicidio iusto, seu casuali, non tamen bene infertur Prælatos Regulares non posse vti adhuc suis priuilegiis, cum illis ibi nulla ratione derogetur, imò neque derogatur alicui priuilegio Episcoporum, si quod habent, sed Tridentinum mandat, ne dispensent super ea in commissionibus sibi datis, nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possint, Procedit ergo locus Trident. ex suppositione, quod committatur dispensatio Episcopo, non verò si ipse velit dispensare iure communi, quod posse facere circa irregularitatem ex homicidio casuali docent quamplures, *quos citat Barbosa ad hoc cap.* 7. *sess.*14. *num.* 10. *&* 11. nimirum posse Episcopum dispensare quoad ordines minores, & apertè colligitur *ex cap. Ad audientiam* 12. *de homicid.* Idem dicendum est de secundo loco, nam quamuis, ex priuilegio concesso Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, inferatur Episcopum antea non potuisse saltem absolutè, & generaliter, non tamen infertur Regulares Prælatos, non potuisse ante, quia notum erat, habuisse Priuilegia, & hæc modo adhuc subsistere, quia Concilium nulla ratione illa annullauit, sicut neque annullauit, quæ competebant alias de iure communi Episcopis, siquidem ibi concedit Priuilegium, ergo nullis Priuilegiis derogat, ne idem operetur diuersos, & contrarios effectus; & in specie loquendo de casu homicidij voluntarij ibi excepti: Regularium Priuilegia, quoad hoc nequaquam sublata fuerunt, tum quia exceptio est pro Episcopis, non pro Regularibus, tum quia ibi nulla fit derogatio priuilegiorum: neque obstat, quod hoc priuilegium extendatur ad Prælatos Regulares, ac proinde videatur extendi etiam exceptio, quia responderi potest per vulgata iura extendi priuilegium eò, quod sit fauorabile, non verò exceptionem, quæ vti odiosa restringi debet, vel dic, cum nemo teneatur vti priuilegio, dato casu dispensandi in huiusmodi irregularitate, & aliis deductis ad forum contentiosum, Prælati Regulares possunt vti suis priuilegiis, omisso Concilij priuilegio. Itaque illa duo Concilij loca nihil omninò disponunt circa priuilegia Regularium in hac materia.

Quæres 5. An Prælati Regulares possint dispensare suos subditos in irregularitate contracta ex abortu fœtus animati, nam hoc est homicidium, *cap. contulisti* 18. 2. *quæst.* 4. *& cap. Quod verò* 8. *cap. Moyses* 9. *cap. Sicut fœmina* 10. 32. *quæst.* 2. & incurrit irregularitatem *ex cap. Sicut ex literarum* 20. *de homicid.* Ratio dubitandi est, quia Sixtus V. Constit. 87. *Effrænatam*, sibi reseruauit absolutionem excommunicationis latæ contra non solùm procurantes abortum, sed etiam consulentes, vt fœminæ detur potio, vel remedium ad non concipiendum, seu ad sterilitatem, eosdem priuando ipso iure omni officio, & beneficio, & dignitate Ecclesiasticis obtentis cum inhabilitate ad prædicta omnia, sibi reseruando prædictorum omnium absolutionem, dispensationem ad officia, & in irregularitate, sublato quouis priuilegio, etiam Marimagno, etiam priuilegio Iubilæi. Et quamuis postea Gregorius XIV. Constitut. 8. *Sedes Apostolica*, illam reduxerit ad terminos iuris communis quoad sterilitatem, & abortum fœtus inanimati, voluit tamen quoad abortum fœtus animati pœnas prædictas priuationis officiorum, excommunicationis, & irregularitatis manere, & absolutionem ab excommunicatione, facit casum Episcopo reseruatum, consequenter dispensatio in reliquis adhuc, remanet reseruata Papæ. 18

Resp. Prælati Regulares ex vi suorum priuilegiorum possunt dispensare tam in irregularitate contracta ex abortu fœtus animati, quam in officiis habilitando suos Religiosos, etiam pro foro externo, & sine dubio absoluere ab excommunicatione. 19

Primùm, de dispensatione irregularitatis, probatur ex eo, quod posteriores Pontifices confirmando Regularium priuilegia motu proprio, seu ex certa scientia reualidauerunt antiqua priuilegia, de quibus dixi *quæst.*4. derogata quoad hoc à Sixto V. *Ita docent Portell. verf. Abortus n.*10. §. *Hoc non, quem sequitur Villalobos p.*2. *sum. tract.*12. *diff.*14. *n.*6. quando delictum est occultum; *Idem Portell. p.*3. *casu* 13. *n.*3. *contra Rodr. cum suo Compend. resol.*4. *n.*5. *&* 6. eò quod homicidium abortus sit qualificatum, cum perdatur anima, & corpus, quod non venit sub nomine homicidij voluntarij simpliciter. Sed dic tu venire, quia priuilegia prout iacent accipienda sunt, & non restringenda, & non minus est homicidium hominis nati, quam nondum nati, cum quo etiam animam perdere potest, & non tantùm corpus.

20 Secundum, de habilitatione, probatur ex priuilegio Sixti IV. cuius verba retuli *resol.10.quæst.1. §.Secundum*, reualidato per Clem. VIII. in sua Constit. *Ratio Pastoralis*, apud Confect. pag.286. & successores, vt probo in *consilio de confirmat.priuil.quamuis Portell.num.10.& 13. & part.3.casu 23. n.3. nolit cum Compend. resol.4. n.7. non reseruari habilitationem.*

Tertiùm, pro foro etiam externo, seu quando delictum est occultum, iam probaui *q.5.§.2.*

21 Quartùm, de absolutione ab excommunicatione, est clarum in Decreto de casibus reseruandis à Superioribus Regularibus sub illis verbis: *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto, de quo resol. 45.* Si enim possunt sibi reseruare hunc casum, à fortiori absoluere ab illo, etiam vt includit excommunicationem, *Coriol.super hunc casum in fine, Compend.resol.4.n.2.Portell.n.5.* Addo, quod si Prælati non sibi reseruauerint hunc casum tam quoad excommunicationem, quàm quoad peccatum, posse quemlibet confessarium absoluere Religiosos suos, quia casus Clement. VIII. non sunt de iure reseruati in Decreto, sed debent reseruari, vt afficiant Confessarios, & pœnitentes.

22 Quæres 6. An Prælati Regulares possint dispensare in irregularitate prouueniente ex mutilatione, siue delictum sit occultum, siue publicum? Mutilatio autem est separatio membri alicuius à corpore humano viuo, vnde excæcans aliquem sine erutione oculi non est irregularis. Nomine membri venit quælibet pars corporis, quæ habet speciale officium in corpore ab aliis separatum; vt pedes, manus, oculi, nasus, auricula, lingua, secundum *gloss.in Clem. Si furiosus, de homicid.* Ita docent communiter *cum Toleto lib.1.c.71.Sair.lib.6.c.15.* qui dicit mamillam esse vnum ex membris, cum habeat peculiare officium contra *Couarr.& Henr.quos citat, sed non sequitur Megal.lib.7.de cens.c.1.n.31.* vbi ait ex communi abscissionem quorumcumque digitorum non inducere irregularitatem, quod idem dicit *Rodr.tom.1.q.24.art.10. ex Portello versic.Prælatus ad absoluendum n.39.Mirand. tom.2.q.8.art.11.in fine.*

23 Respond. Prælati Regulares non solùm virtute *c.6. sess.24.* sub quo comprehenduntur, vt docent quamplures apud *Barbosam hic n. 9.* vel ex priuilegio Pij V. qui illud caput extendit ad quoscumque Prælatos etiam locales, vt docent apud eundem *Barbosam cit. num. 10.* possunt dispensare in irregularitate prouueniente ex mutilatione occulta, & non deducta ad forum contentiosum, cum in Concilio non excludatur, secundum omnes Doctores citatos ab eodem Barbosa loco allegato *n.41.* Et ita docent in terminis nostris *Sigism. dub. 71. num.5. Rodr.q.24.art.10.Mirand.tom.2.quæst.8.art.11.& cum eis Vecchius disput.9. dub.17.Portell. vers. Dispensare n.7. & ver.Prælatus num.39.Compend.resol.52.num.26.* Hi omnes procedunt, quando delictum est occultum, quos, & alios citat *Diana part.4.resol.71.de irregul.* Verùm etiam virtute priuilegij Pauli III. tam pro foro interno, quàm externo, quod esse pro vtroque foro, docet *Compend.resol.52.num.25.* Nec obstant alia priuilegia restringentia ad forum conscientiæ, quia vnusquisque Pontifex potest concedere priuilegia modo restrictiora, modo ampliora, ita quod restrictio vnius non tollit ampliationem alterius. Neque locus Concilij, quia nihil agit de priuilegiis Regularium neque pro, neque contra, sed illa relinquit in suo statu, imò confirmat *cap.20.sess.25.* in iis, quæ non aduersantur Decretis eiusdem Concilij, prædicta autem priuilegia non obstare, probaui *quæst.5. §.Dico.*

RESOLVTIO XIV.

De dispensatione, Commutatione, & Irritatione Votorum inter Religiosos.

SVMMARIVM.

1 *Votum quid sit?*
2 *Dispensatio quid sit?*
3 *Secularis non dispensat.*
4 *Potestas est Ecclesiastica.*
5 *Dispensatio cum iusta causa.*
6 *Commutatio voti quid?*
7 *Commutatio etiam à vouente fit.*
8 *Prælatus in duobus casibus commutat.*
9 *Commutatio est ad minus in æquale.*
10 *Iustam causam exigit.*
11 *Irritatio quid sit?*
12 *Prælati dispensant in votis suorum iure officij.*
13 *Commutant.*
14 *Irritant.*
15 *Vicarij horum ea tria præstant.*
16 *Iure item priuilegiorum.*
17 *Dispensant inuitum.*
18 *Non commutant.*
19 *Irritant vtique.*
20 *Super interna ius non habent.*
21 *Papa nonnulla tollunt reseruata.*
22 *Commutant pariter, &*
23 *Irritant.*
24 *Solemnia secunda non possunt tollere.*
25 *Vota de re aliàs præcepta tollunt.*
26 *Votum adiectum Regulæ dispensat.*
27 *Vota non præiudicialia subduntur.*
28 *Vota facienda irritabit.*
29 *Petens irritationem sine causa peccat.*
30 *Irritantur vota concessa fieri.*
31 *Non confirmata à maiore.*
32 *Vtique confirmata, à maiore tolluntur.*
33 *Successor irritat vota formata à suo antecessore.*
34 *Irritata non reuiuiscunt.*
35 *Si fuit licentia concessa ad tempus, irritantur post.*
36 *Peccat petens irritationem voti concessi.*
37 *Licentia vouendi quando censeatur data?*
38 *Causa iusta petitur in Superiore ad tollendum vota.*
39 *Irritatio sine causa valet.*
40 *Votum implendũ quando erit sui iuris adhuc irritatur.*
41 *Iurata vota tolluntur.*
42 *Vota ante professionem facta tolluntur.*
43 *Nouitiorum vota non irritantur.*
44 *Eorum vota sunt suspensa.*
45 *Ideò ea seruare non tenentur.*
46 *Eorum vota dispensat Prælatus.*
47 *Magister vota Nouitiorum non dispensat.*
48 *Vota omnia transeunt in solemne.*
49 *Reseruata quoque & in subsidium Terræ Sanctæ.*
50 *Et realia.*
51 *Ad hoc non requiritur mens profitentis.*
52 *Nec obest contraria voluntas.*
53 *Regresso non reuiuiscunt.*
54 *Iuramenta item transeunt in professionem.*
55 *Secum dispensare, & commutare tantùm potest Prælatus.*
56 *Potestas hæc delegabilis est.*
57 *Reseruatio fieri potest, ne vota tollantur.*
58 *Vota emissa statim obligant Religiosum.*
59 *Abbatissa irritat tantum vota Monialium.*
60 *Inferior tollit factum de licentia maioris.*
61 *Votum transeundi non potest irritari, sed alias tolli.*

62 *Irritatio non prodest inualidè professo.*
63 *Dispensatio verò, & commutatio tenet.*
64 *Tertiariorum, & famulorum vota dispensant.*
65 *Dispensare valens potest commutare.*
66 *Non è contra.*
67 *Confessarij non possunt circa vota Religiosorum.*
68 *Vota extra Sacramentum relaxantur.*
69 *Legati à latere non irritant Religiosorum vota.*
70 *Neque Episcopi.*
71 *Potestas dispensandi restringitur ad subditos.*
72 *Transitus ad laxiorem non dispensatur.*
73 *Papa solus dispensat in tribus solemnibus.*
74 *Eò magis in secundarius.*
75 *Prælati non dispensans in votis solemnibus.*
76 *Pater non irritat vota filij professi.*
77 *Pater professus non potest irritare vota filij.*
78 *Neque electus acquirit hoc ius.*
79 *Si fiat tutor, potest.*
80 *Coniugatus professus non irritat vota vxoris.*
81 *Dominus non irritat vota serui ingressi.*

1 VOtum, quod est promissio voluntaria, & deliberata Deo facta de meliori bono: non solùm cessat quoad suam obligationem, mutatione materiæ, cessatione causæ, & conditione deficiente, quæ vocantur causæ connexæ cum materia voti; verùm etiam per potestatem hominis dispensantis, commutantis, aut irritantis materiam ipsiusmet voti; de tribus huiusmodi causis hic agendum est in ordine ad personas Religiosas, præmittendo singulorum in specie breuem descriptionem, quorum cognitio viam aperibit resolutioni quæstionum infrà proponendarum.

2 Dispensatio est relaxatio obligationis voti facienda à persona Ecclesiastica per potestatem spiritualem iurisdictionis ordinariæ fori externi, aut delegatæ, iusta interueniente causa. Dixi I. *Relaxatio*, quia Superior per actum dispensationis aufert penitus à suo subdito illam obligationem, quam sibi per vinculum voti imposuerat; in quo conuenit dispensatio cum Irritatione, ambo enim tollunt, & extinguunt obligationem voti; differunt verò à Commutatione, quæ non liberat vouentem ab obligatione, sed transfert obligationem à veteri materia ad nouam suppositam voto,
3 remanente semper eadem obligatione. Dixi II. *A persona Ecclesiastica*, quia persona merè Secularis hoc ius nequaquam habet, non dixi, aliquo ordine insignitus, quia etiam solùm prima tonsura ordinatus potest habere hanc facultatem dispensandi, *vt docet cum Lessio lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 12. num. 100. §. 2. Sanchez lib. 4. cap. 37. num. 20.* & cum apud Regulares professus carens etiam prima tonsura, & purus conuersus sit persona Ecclesiastica, *Gloss. fin. cap. Ex eo 32. de elect. in 6. Nauar. consil. 25. de priuileg.* poterit dispensare in votis, sicut & simpliciter dispensare, vt dixi etiam *resolut. 10. §. valor hinc fit*, quod huiusmodi constitutus Superior poterit dispensare cum suis subditis. Et in hoc differt à commutatione, & irritatione, quæ etiam à persona Laïca, & Seculari præstari possunt, nam ipsemet vouens quicumque sit, etiam fœmina potest commutare suum votum saltem in melius, vt patebit infrà, & paterfamilias, atque maritus, & dominus subiecti filij, vxoris, & serui possunt votum irritare. Dixi
4 III. *Per potestatem spiritualem iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ*, quia huiusmodi potestas cum dependeat ab Ecclesia, non potest esse Secularis, sed necessario debet esse spiritualis, & ad fauorem animæ; hinc fit, quod nullus secularis potest dispensare; Hæc autem potestas duplex est, ordinaria, quæ competit Prælatis ex officio suo, vti Priori, Prouinciali, & Generali; & delegata nimirum concessa inferioribus ab habenti-
5 bus potestatem ordinariam. Dixi IV. *Fori externi*, quia hæc potestas non competit cuilibet habenti potestatem spiritualem, nam non competit de iure ordinario Confessariis, neque Curatis, quia licèt isti habeant potestatem spiritualem absoluendi, non tamen possunt dispensare in votis, quia eorum potestas est solùm fori interni, quæ non sufficit ad dispensandum de iure ordinario. Dixi V. *Iusta interueniente causa*, quia apud homines certum est, dispensare neminem posse in votis, etiam Papam, sine iusta causa, quia huiusmodi relaxatio est iuris naturalis diuini, super quod neque Papa sine legitima causa valet dispensare, quia Deus in terris illi non reliquit hanc facultatem exercendam quouis modo, & ad libitum, sed prudenter, & semper posita legitima causa.

Commutatio voti, ab aliis maximè in iure dicta Re- 6
demptio voti, mediante pecunia, *secundum Silu. ver. Votum 4. quæst. 1. in fine ex Sanch. lib. 4. cap. 24. num. 1.* est substitutio, seu positio nouæ materiæ loco prioris, remanente semper eadem voti obligatione. Hæc autem commutatio debet fieri de voluntate ipsius vouentis, siquidem Superior non potest materiam mei voti commutare in aliam, remanente eodem Religionis vinculo, nisi ego consentiam, quia obligatio voti requirit personalem, & voluntarium consensum ipsiusmet vouentis, cum sit lex priuata, quam sibi imponit ipse vouens, & non alius ab illo diuersus.

Votum autem commutare potest propria authori- 7
tate ipsemet vouens de communi opinione in aliquid euidenter melius, quale dicitur illud quod omnibus consideratis est Deo gratius; ratio illius est, quia suum votum non infringit ille, qui illud in melius commutat, *cap. 3. de iureiur.* cum rem Deo gratiorem faciat; *de hac re pleno Sanchez lib. 4. cap. 49. num. 4.* Præterea nonnulli probabiliter docent, ipsummet vouentem posse proprio iure suum votum commutare etiam in æquale euidenter tale, quia posterior materia subrogata æquè grata est Deo, ac Prior; ergo nihil refert, offeratur ne posterior an Prior; quamquam alij securius cum *Sanchez cit. quæst. 2. num. 12.* asserant in hac commutatione requiri authoritatem Superioris interpretantis posteriorem materiam loco Prioris subrogatam æquè placere Deo, ac Priorem illi oblatam, siquidem dubium est, an illi placeat oblata, & subrogata à solo vouente, vt ergo Deus dignetur illam acceptare sibi æquè gratam, sicuti fuit Prior, necessaria est interpositio authoritatis Prælati vices Dei in terris gerentis super hac re. Igitur certum vnum est vouentem posse sine iurisdictione, sed sola propria facultate commutare suum votum prius factum in aliud euidenter melius; in opinione verò est, an possit illud subrogare in euidenter æquale sine authoritate Superioris; vnde securius agendo adhibenda est Prælati Ecclesiastici authoritas, non damnarem tamen virum prudentem de se commutantem in æquale, quia iuxta opinionem probabilem agit prudenter, ac proinde non peccat.

Igitur commutatio voti habet locum apud Superio- 8
rem in duobus casibus; Primò quando votum commutandum est in æquale, tunc enim securius est adhibere potestatem Prælati, vt dixi: Secundò, quando vouens intendit suum votum commutare in minus, in hoc casu, constat apud omnes interponendam esse authoritatem Prælati Ecclesiastici. Regula autem communiter datur, quod ille potest iurisdictionis potestate commutare vota, qui super illis dispensare potest. Tum per illam Regulam 53. Cui licèt id, quod est maius, licèt etiam quod est minus; sed maius est dispensare, cum sit totius obligationis relaxatio, non autem commutatio, quæ in minus, vt plurimum est. Tum quia qui potest totum debitum remittere, illud idem ex parte sine dubio mitigare potest, si nollit tollere. Valet igitur argumentum à dispensatione ad commutationem; non verò è contra, qui potest vota commutare valet consequenter eadem dispensare, & quia qui potest minus, non ideò potest maius; & qui potest dimittere partem debiti, non ideò ius habet relaxandi totum. Qui ergo habent potestatem ordinariam dispensandi possunt vota commutare, vt Doctoribus citatis tradit *Sanch. lib. 4. c. 49. n. 28.*

9 Commutario autem huiusmodi secundum opinionem quamplurium, cum quibus est *Sanch. lib.4. cap.50. num.4.* facienda est ad minus in æquale, quia est quidam contractus inter commutantam nomine Dei, & ipsum vouentem, ergo seruanda est æqoalitas, quæ essentialiter includitur in Iustitia cuiuslibet contractus. Alij verò *cum Bonac. punct.8. de voto §.3. num.*11. probabiliter tenent sufficere commutationem in minus, iusta tamen subsistente causa, quia aliter priuilegia, & delegationes essent vanæ, cum ipsemet vouens possit semper suum votum subrogare in æquale euidenter, vel etiam probabiliter.

10 Causa autem iusta requiritur ad commutandum votum in æquale, vel in minus quia fit per spiritualem potestatem à Deo manentem, qua mediante Prælatus interpretatur mentem Dei, sed Dei mentem, & consensum in huiusmodi commutationem Prælatus non potest, neque debet interpretari benè sine iusta causa, ergo necessaria est iusta causa. Ita docent omnes cum *Sanchez lib 4. cap.50. num.*14. Quare ad commutationem in melius non requiritur aliqua causa, cum eius loco succedat illa melioritas materiæ.

11 Irritatio demum est relaaatio voti facti dependenter ab eo, qui habet potestatem dominatiuam super vouentem sibi subditum, qui in hoc saltem non dicitur esse sui iuris, sed sub potestate, & dominio alterius, qui illius votum ab eo dependenter factum irritare potest. Hoc modo Dominus votum serui; Prælatus Religiosi; Pater filij, Maritus vxoris votum irritare possunt, & valide etiam pro suo arbitrio sine vlla præcedente causa, quamuis sic irritans peccat venialiter, quia impedit sine vlla causa bonum spirituale proximi, *Sanch. lib.4. cap.*24. *num.*13. His præsuppositis.

Quæres 1. An, & quo iure Prælati Regulares possint dispensare, commutare, & irritare vota suorum Religiosorum.

12 Respond. I. Prælati Regulares, siue maiores, vt Generalis, Prouincialis, Custos, siue minores, vt Guardiani, Priores, & cæteri Superiores immediatè locales iure ordinario ex munere sui officij possunt dispensare in votis suorum Religiosorum. Probatur, quia habentes iurisdictionem spiritualem fori externi possunt in votis dispensare, sicut in aliis; sed Prælati Regulares huiusmodi iurisdictionem habent, vt docent omnes, ergo habent potestatem dispensandi. Confirmatur *contra Palud. in 4. dist 38. quæst. 4. art.4. concl.7. num.45. & D. Anton. part.2. tit.11. cap.2. §.9. vers. Item Abbas*, asserentes carere, & esse superfluam, quia Superiores vota tollere possunt mediante irritatione; sed hæc ratio non impedit, quin aliis mediis possint relaaare vota, nam aliqua dispensatione tolli possunt, non autem irritatione quia auferri non potest votum transeundi ad strictiorem Religionem, & tamen tolli potest dispensatione, infrà *quæst.*29. ergo non est superflua. Ita docent omnes *cum Silu. vers. Votum quæst. 4. dicto 4. Angelus 4. num.6. Nauar. cap. 12. num.75. quos & alios citat Sanch. lib.4. cap.39. num.3. Mirand. tom. 2. quæst.32. art.1. concl.3. Rodr. tom.1. quæst.25. art.7. Graff. tom.2. consil.4. de voto diff.1. num.3. Bonac. part.8. de voto §.4. num.26. §. Item*, qui cum multis aliis loquitur de Prælatis maioribus; sed eadem facultate non carent etiam locales, & expressè docent *Sotus lib.7. de Iust. quæst.4. art.3. col.5. §. Abbates item Graff. part.1. lib.2. cap.31. num.18. Suar. Arrag. quos pro se citat Sanch. lib 4. cap.39. n.5. Portell. vers. Voti dispensatio n.*72. vbi id extendit etiam ad Præsidentes habentes totam curam Monasterij in absentia Prælati, non verò, quando est præsens.

13 Respond. II. Prælati possunt etiam commutare vota suorum subditorum, quia est certa Regula, eum, qui habet potestatem ordinariam dispensandi in votis, posse eadem commutare, *vt tradit Sanch. lib.4. cap.49. n.28.* habere etiam facultatem eadem commutandi; cum plus valens efficere, quod est dispensare, possit etiam id quod est minus, vt est commutare. Ita cum *D. Thom. 2.2. q.88. art.12. docent Mirand. tom.2. q.32. art.3. Portell. vers. Voti commut. à num.*91.

Respond. III. Prælati Regulares possunt irritare vota suorum Religiosorum, quia illi possunt irritare vota, qui habent dominium super ipsos vouentes; huius generis sunt Prælati Regulares, nam per obedientiam, quam illis promittunt, se & propriam voluntatem Prælatis subiiciunt, suum velle, & nolle transferendo in potestatem Superioris, ac proinde cum Religiosus vouere non possit nisi dependenter à voluntate Prælati, hinc fit, quod Superior pro suo arbitrio potest emissum votum cassare, & irritare. *Ita cap. Monacho 20. q.4.* docent omnes cum *Sanch. lib.4. cap.33. num.2. Mirand. tom.2. quæst.32. art.4. Portell. vers. Voti irritatio num.*57. Hæc facultas irritandi vota competit omnibus Prælatis etiam localibus, quia omnibus indifferenter promittitur obedientia, *vt ex Suar. tom.2. de Relig. tract.2. de voto lib. 6. cap.10. num.15. docet Sanchez lib. 7. cap.33. num.* 15. 14

Quæres 2. An Vicarij Prælatorum prædictorum possint dispensare, commutare, & irritare vota Religiosorum?

Respond. Possunt, modo habeant generalem potestatem regendi Religiosos sibi subiectos, & absens sit Prælatus, ratio est, quia tunc habent vices ipsius Prælati, & saltem tacitè delegatam habent huiusmodi facultatem. *De dispensatione agit Sair. & Azor. & cum eis Sanchez lib. 4. cap. 39. num.6. & Portell. à me cit. suprà Resp.* I. De Irritatione docent *Suar. & Sanchez lib. 4. cap. 33. num.*16. quia Religiosus huic obedire tenetur etiam ex vi professionis, ergo habet super eum potestatem dominatiuam, ac proinde illius vota irritare potest. 15

Quæres 3. An Prælati Regulares, præter hanc potestatem ordinariam ex vi sui officij, seu de iure, habeant etiam de iure priuilegij facultatem dispensandi cum suis Religiosis, irritandi, & commutandi eorum vota?

Respond. Habent. Primum sit Eugen. IV. Constitut. *Etsi quaslibet personas*, apud Confect. pag.38. illis verbis: *Liceat insuper præfatis Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus præfatæ Congregationis præsentibus, & futuris personas volentes eorum Congregationi Sociari, quæ Religionem, locum, & ordinem alium quemcumque etiam arctiorem ingredi vouissent, tali voto non obstante, ad probationem, professionemque recipere, eosque authoritate Apostolica ab ipso voto absoluere, & cum ipsis dispensare. Dummodò in tali Religione, seu Ordine, de quo vouissent, professionem non emiserint. Quod si tamen ante professionem emissam ab ipsa recesserint Congregatione, huiusmodi dispensatio nullius sit roboris, vel momenti. Nec non, quod præfati Præsidens, Visitatores, Abbates, Priores, & Rectores cum Commissis, quamdiu in Monasteriis suis, aut sub obedientia eorum vixerint super omnibus votis, excepto dumtaxat voto Religionis, eadem authoritate valeant dispensare.* Hoc priuilegium dispensandi volentes ingredi, vel Nouitios à voto ingrediendi in arctiorem Religionem, & Commissos à quibuscumque votis, excepto Religionis voto, concessum fuit Congregationi Monachorum S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti; quod est communicabile aliis Religionibus. Secundum sit Sixti IV. concessum Ordini Minimorum in sua Constit. *Sedes Apostolica*, apud Confector. pag.87. ibi: *Et in præmissis toties, quoties opus foret, & esset. absoluendi, & dispensandi ac vota quæcumque permutandi, & relaxandi, & pœnitentiam salutarem iniungendi.* Tertium sit Nicolai V. qui Constitut. *Apostolicæ Sedis*, in Bullario nostrorum priuilegiorum pag.40. concessit Prælato Generali facultatem absoluendi à votis minoribus suos Fratres, familiares, & seruitores. Nomine autem votorum minorum veniunt vota non reseruata. 16

Quæres 4. An Prælati Regulares possint dispensare, commutare, aut irritare vota contra voluntatem sui subditi.

Resp.

17 Resp. possunt I. dispensare inuitum, & quia quis
potest absolui inuitus à censuris, ergo, & dispen-
sari in votis; & quia subditus non potest præiudica-
re potestati sui Prælati, intendentis dispensare ob bo-
num publicum Religionis, cui neque subditus ob-
stare potest. Ita docent *Beia part. 2. casu 9. not. 2. Sanch.*
lib. 4. cap. 24. numer. 26. contra *Arrag. & Suarez*,
ductos ex eo, quod beneficium non confertur in in-
uitum & quia subditus non acceptando dispensatio-
nem videtur denuò uotum emittere; sed beneficium
confertur etiam inuito ob bonum publicum; & vt
dispensatio habeat suum effectum, debet prohibere ue
18 iterum vutum emittat. Non possunt II. commutare
votum inuiti, quia obligatio antiqua non potest exten-
di ad nouam materiam, sine voluntate vouentis, vt
dixi initio §. commutationum *Sanch. Suar. cit. nu. 27.*
19 contra Beiam; Demum III. possunt irritare votum
inuiti, quia habent plenam potestatem dominatiuam
super professum. *Ita Arragon. Suar. Sair. quos citat pro*
se Sanch. nu. 25. Ghilinus ver. Votum num. 23.

Quæres 5. An possint dispensare, commutare, & irri-
tare vota interna.

20 Respond. Non possunt. Probatur; Tum quia dicere si habes votum, illud tibi irrito, dispenso, commuto, non verè est prædicta præstare in actu exercito, sed potius signato, designando id, quod vult facere, si subditus suum votum internum manifestabit. Deinde isti sunt actus voluntatis dirigendæ ab intellectu in hoc vel illud singulare obiectum voti, vt superior sciat an, & qua ratione possit dispensare; Sed actus internus, vt sic non potest obiici potentiæ ignoranti illum; ergo frustra potestas superioris super illum versatur, cum nihil efficiat; & vrget maximè in commutatione, quia distinctè sciri debet materia prior, vt illi alia proportionata, & sufficiens subrogetur. Ita sentiunt de dispensatione *Ledesmu part. 4. quæst. 16. art. 6. Arrag. 2. 2. quæst. 11. artic. 3. Bannes 2. 2. quæst. 11. artic. 4. argument. 2.* contra Adrianum *quolib. 2. artic. 1. Ioannem Medinam de orat. in quæst. de potestat. Ecclesiast. Cordubam, Vasq. Suar. quos citando sequitur Sanch. libro 4. cap. 24. numero 40.* De Commutatione, alij contra *Sanchez cit. cum Vasquez 1. 2. quæstione 96. artic. 4. disputat. 160. capitulo quarto.* De irritatione alij contra *Sanch. Adrian. Vasq. Suar. & alios apud ipsos.*

Quæres 6. An Prælati Regulares possint dispensare, commutare, & irritare quæcumque vota etiam reseruata suorum Religiosorum? De non reseruatis nulla est difficultas, quia super his nemo dubitat, sed quæstio est de reseruatis, quæ sunt quinque: vota nimirum Castitatis, Religionis, Peregrinationis ad Terram Sanctam, ad limina Apostolorum, & ad Diuum Iacobum Compostellanum, quæ dicuntur reseruata Papæ non quidem de iure, quo solum votum Peregrinationis Hierosolimitanæ reseruatur in capit. Ex multa, cap. Super his, de voto, sed reliqua tantum de consuetudine, vt docet cum communi *Sanch. lib. 4. cap. 40. numero 6*, contra Arrogonam, Sair. & Petrum de Ledesma volentes reliqua etiam de iure reseruari, ex *eod. Sanch. numero 7.* & insequentibus reiicit opiniones aliorum dicentium alia vota reseruari Papæ, sed cum id nullo iure probatur, idest eorum dictum attendendum non est.

Respond. Prælati Regulares possunt dispensare, immutare, & irritare vota reseruata Papæ.

21 Primum de dispensatione probatur in singulis votis, & in voto castitatis locum non habet responsio, quia professi non emittunt simplex castitatis, cum, illud imbibitum sit in solemni, Nouitij verò illud habent non est opus dispensatione propter eamdem rationem, quia absorbetur in voto professionis, qui si velit redire ad seculum, cum in hoc casu non gaudeat priuilegiis Religionis, neque est locus dispensationi; Quod ad secundum, votum Religionis in professo locum non habet, cum iam in votum professionis sit commutatum, quod si à professo fiat votum strictioris Religionis, iam hoc votum non dicitur reseruatum, cum non sit votum simpliciter Religionis, sed votum transeundi ad secundam strictiorem, quod non est reseruatum, Papa enim sibi reseruat ipsum votum Religionis, & non eius circumstantiam, quod est transitus ad strictiorem: *Nauarr. consil. 40. de voto numero tertio, Sanchez libro quarto, cap. 42. numero secundo, Compend. resolut. 52. numero 31. & resolut. 140. num. 4. Portell. ver. votum num. 67.* Loquendo autem de Nouitio habente votum transeundi ad strictiorem potest Prælatus dispensare, vt maneat in sua laxiori, quia hoc votum non est reseruatum, cum referatur ad circumstantiam, ita docet *Nauar. consil. 41. Compend. resolut. 52. numero 32.* Tria demum vota peregrinationis subduntur dispensationi, non obstante reseruatione, quæ non habet locum in Religiosis, quod probo, Tum quia quoties Papa concedit priuilegium dispensandi in votis Regularium, aut excipit solum votum Religionis, vt fecit Eugen. pro Commissis S. Benedicti, vt retuli eius verba supra sub *quæst. 3.* vbi volentibus ingredi, seu nouitiis indulget, vt cum eis Prælati possint dispensare in voto Religionis strictioris, , remanendo in sua laxiori; aut nullum excipit, vt fecit Sixtus IV. qui concessit Prælatis Minorum, facultatem dispensandi, seu permutandi vota quæcumq. cuius verba retuli sub *d. quæst. 3.* ergo ex vtroq. priuilegio bene inferri potest Prælatos Regulares posse dispēsare etiam super votis reseruatis, quia quoties in priuilegiis fit mentio de aliquo reseruato maiori, quod excipitur, priuilegium extenditur ad reliqua reseruata inferiora, cuiusmodi sunt vota triplicis peregrinationis, secundum enim vulgata iura, exceptio firmat regulam, seu priuilegium in aliis casibus non exceptis, & in terminis docet *ex Suarez, Sanchez lib. 4. c. 40. nu. 18. & 22. Bossius sess. 2. de Iubilæo casu 8. num. 25. Bonac. part. 7. §. 4. num. 12.* Et illæ clausulæ. *Super omnibus votis*; in primo priuilegio. *Quæcumque vota*; in secundo, sunt multum prægnantes, cum habeant signum vniuersale, vnde dicunt Doctores, quod propositiones vniuersales magis extenduntur, quam indefinitæ, & includunt etiam ea, quæ alias non comprehenderent, *Nauar. consil. 9. de iis, quæ vi, nu. 5. consil. 5. de statu Monac. numer. 1.* consequenter comprehendunt in casu nostro etiam vota reseruata. Tum quia quando Papa eisdem Regularibus concedit facultatem dispensandi cum secularibus in votis, semper excipit reseruata, vt videre est in constit. *Pastoris æterni*; Leonis X. apud *Confect. pag. 158.* & in alia eiusdem eodem modo incipientis pag. 162. Clem. V. constitut. *Ex Clementi Sedis apud Confector. 174.* Pauli III. Constit. *Cum inter cunctas*, pag. 184. id autem cum non faciat cum ipsis Regularibus, signum est, nolle excludere reseruata, nisi respectu secularium. Tum quia aliter priuilegium frustratorium esset, & vanum, si non referretur ad reseruata, quia super non reseruatis habent potestatem ordinariam dispensandi vt probatum fuit quæstione prima, ergo ne priuilegium reddatur inutile, dicendum est ipsum referri ad reseruata. Tum quia occasio vagandi Regularibus omnibus modis subtrahitur, vt videre est capit. Vt periculosa; Ne Cler. vel Mon. & in diuersis aliis locis iuris communis, & Sixtus IV. in suo Mari magno, cuius verba retuli *resolut 10. quæst 1. §. Secundum*, ab hoc occasione accepta, subtrahendi, nimirum materiam rogandi Regularibus, indulsit eorum Prælatis priuilegia absoluendi, & dispensandi in multis, quæ aliàs non concessisset, ergo dicendum est in casu nostro posse Prælatos dispensare in huiusmodi peregrinationibus reseruatis, vt illis subtrahatur duplex materia vagandi, nimirum executionis voti, & eiusdem absolutionem à Papa receptam.

His obstat Miranda *tom. 2. quæst. 9. art. 8.* asserens ne-

que Generalem posse dispensare in tribus supradictis votis peregrinationis reseruatis, adducendo pro se *Silu. ver. Casus quæst. 1. casu. 11. & Nauar. cap. 12. nu. 75.* nullam adducit rationem, nisi quia sunt reseruata, & nullum extat speciale priuilegium dispensandi in illis. Et eum sequitur *Portel. ver. Voti commut. num 42. citans quæst. 32. art. 1. conclus. 2.* ea motus ratione, quia neque Episcopus potest dispensare cum suis. Imò si Papa concedat priuilegium dispensandi in votis cum Religiosis, nulla facta mentione votorum reseruatorum, priuilegium restringitur ad non reseruata, quia ex illo communi axiomate, in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus, *vt docet Sanch. lib. 4. cap. 40. numer. 15. & 16. Bossius sess. 2. de Inbil. casu* 8.

His tamen non obstantibus maneant iam stabilita, quæ confirmantur reiectione rationum aduersariorum, nam prætérquam quod dici potest dicta peregrinationis vota non esse reseruata nisi respectu secularium, falsum est nullum speciale extare priuilegium, siquidem duo iam retuli suprà *quæstione* 3. & probaui hic esse propriè super vota huiusmodi reseruata. Neque Nauarr. & Siluest. ab eo citati hoc expresè negant Prælatis Regularibus pro suis subditis. Ad rationem Portelli dico esse disparem, quia Episcopi non habent priuilegium, vt Prælati Regulares; quod suadet etiam materia vagandi, quæ secularibus amica, omnino quantum possibile est à Regularibus subtrahenda est. Neque concessio illorum priuilegiorum dicitur generalis, sed potius specifica, horum votorum reseruatorum, quia Prælati Regulares iure ordinario secluso quouis priuilegio possunt dispensare in votis non reseruatis.

22 Secundum de commutatione patet proportionaliter ex dictis mox de dispensatione, & docent præcitati *cum Nauarr. consilio 40. & 41 de voto.*

23 Tertium de irritatione respectu omnium votorum etiam reseruatorum, excepto voto strictioris Religionis, constat apud omnes, quia à Religiosis vota fiunt dependenter à voluntate Superioris, quia dominium super illos habet, ergo pro suo libito potest etiam vota irritare illo excepto, vt docent omnes *cum Sanch. libro quarto, capitulo 33. numero secundo, Compendiat. resolut. 140. numero tertio, Portel. ver. Voti irritatio num. 57. & 67. Bonacin. part. 7. de voto §. 2. num. 26. Mirand. tom. 2. quæst. 32. art. 4.* & in terminis de simplici peregrinatione reseruata *idem Mirand. citat. art. 1. conclus. 2. in fine, & quæst. 9. art. 8. Portel. ver. Voti commut. nu. 42. Sanch. lib. 4. cap. 33. nu. 9.* de voto eundi in subsidium terræ Sanctæ respondens obiectionibus. Omnes excipiunt votum strictioris Religionis, quia professus hoc vouere potest independenter à voluntate Superioris, quod si illud emittat dependenter à voluntate Superioris, tunc potest Prælatus irritare, quia tunc habet potestatem dominatiuam extensam super materiam voti.

Quæres 7. An dispensare, commutare, seu irritare possint vota secundò solemnia, quæ in quibusdam Religionibus emittuntur simul cum tribus substantialibus; vt votum abstinentiæ Quadragesimalis emissum à Minimis; redimendi captiuos à Fratribus de Mercede, &c. de quibus *Sanch. lib. 4. cap. 33. num. 5.*

Respondi Huiusmodi vota dispensare, commutare, neque irritare possunt; probatur, quia huiusmodi regulantur iuxta tria substantialia; sed hæc à nullo
24 inferiori Summo Pontifice tolli possunt, vt docent omnes, & hoc præcipuè cernitur respectu irritationis, quia in his Religiosus non est subiectus quo ad se, neque quo ad materiam Superiori Regulari, quia in suo valore penitus independentia sunt ab ipsis, ergo non possunt esse obiectum irritationis. *Ita docent Sanch. libro 4. cap. 33. num. 5. Portel. ver. Vot. irritatio num.* 68.

Quæres 8. An Prælati Regulares possint dispensare super votis adiectis præceptis affirmatiuis, aut negatiuis Decalogi, seu alterius legis, aliàs obligantis? e. g. An Prior possit dispensare, seu irritare votum audiendi Missam diebus festis, seu non peierandi, seu ieiunandi, singulis diebus Veneris iuxta Regulæ præceptum?

Respond. Possunt non solum dispensare super hu- 25
iusmodi noua obligatione, sed etiam irritare; primum suadetur, quia huiusmodi noua obligatio ex voto subditur Ecclesiasticæ potestati, sicut alia vota, cum materia voti sit non tantum bonum consilij, & supererogationis, sed etiam materia aliàs præcepti. Alterum suadetur, quia voluntas subditi in omnibus debet esse subdita dominio sui Prælati, maximè in iis, quæ spectant ad gubernationem animæ, ergo respectu huius nouæ obligationis dependet à voluntate Superioris, ac proinde illam irritare potest. *Ita docent Nauar. cap. 12. num. 65. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 29. num. 7. Suar. lib. 6. cap. 10. num. 9. quos, & alios citat Sanch. lib. 4. cap. 33. num. 7.* contra Armillam *votum num. 9. Pallacios in 4. dist. 38. & alios apud eundem Sanch. num. 6.* quia neque hæc materia, neque voluntas subditi in hoc subditur suo Prælato, ergo non potest cadere irritatio; bene respondet ipse Sanchez neutrum subiici voluntati, & dominio superioris quo ad ordinariam obligationem.

Quæres 9. An Superior possit irritare votum adiectum alicui præcepto Regulæ, seu Constitutionis? quamuis in eo dispensare non possit?

Respond. Potest dispensare, & irritare tale votum, 26
quamuis non possit dispensare in præcepto, seu statuto, & obseruantia suæ Regulæ, vt enim patet distinguuntur præceptum, & votum illi adiectum, ergo ex eo, quod nihil potest super ipso præcepto Regulæ, non bene infertur nil posse super voto adiecto, cum ex diuersis non fiat illatio. Quod autem votum dispensare possit constat ex eò, quod est materia subiecta spirituali potestati superioris, qui & illud irritare potest, quia in omnibus votis, excepto illo strictioris Religionis, subditur dominio sui Prælati, à quo dependenter subditus votum emittit. *Ita docent Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 17. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 7. num. 8. & 9. quos pro se citat Sanch. lib. 6. c. 33. num.* 8. contra Caiet. & Armillam asserentes posse irritare solum, quando super præceptum Regulæ potest dipensare, etiam sunt reiecti ex nostra ratione.

Quæres 10. An Superior possit irritare omnia, & quæcumque vota suorum subditorum tam præiudicialia sibi, quam non præiudicialia?

Respond. Potest ex ratione, quia à Religiosis om- 27
nia vota emittuntur dependenter à voluntate, & dominio Superioris cum ea conditione, si superior non contradixerit, ergo nulla est difficultas quin Superior possit ea omnia irritare, cum super omnia habeat potestatem dominatiuam, siue sibi præiudicent, in quo non dubitatur, siue non præiudicent, in quo posset esse difficultas, quæ omnino tollitur, quia Prælatus non dicitur, habere hanc potestatem dominatiuam super subditum ex eo, quod votum illi præiudicat, sed quia sibi promisit obedientiam. Id patet supra q. 6. & docent omnes, excepto voto strictioris Religionis, *vt dixi eadem quæst. 6. §. 3. cum Armilla vers. Votum 2. num. 3. Sanch. lib. 4. cap. 33. num. 2. Bonac. p. 7. §. 11. num. 26. Portel. vers. Voti irritatio num. 32.*

Quæres 11. An Superior possit irritare vota antequam fiant à suo subdito?

Respond. Potest non solum per aliquod statutum, 28
sed etiam ore tenùs: non sufficit autem simplex prohibitio, sed necesse est, quod positæ prohibitioni addat ipso iure annullationem voti attentati contra suam prohibitionem, aliter teneret votum, quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, ex vulgatis iuribus, peccaret tamen vouens contra prohibitionem

bitionem. Potest ergo Superior irritare futurum votum, & quia obligatio voti Religiosi pendet à volontate sui Superioris, qui sicut potest consentire in votum, ita & illi contradicere antequam fiat; & quia sicut potest auferre conditionem à facto voto, ita & antecedenter illam non ponere, quod confirmatur, quia difficilius est tollere obligationem contractam, quam impedire contrahendam. *Sic docet Suar. tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 2. nu. 12. & c. 6. num. 25. & cum eo Sanch. lib. 4. c. 24. num. 52.*

Quæres 12. An subditus sine peccato possit petere à Prælato irritationem voti?

29 Respond. Peccat venialiter, quando nulla subest causa, neque molestia in illud exequendo. Tum quia id est signum negligentiæ. Tum quia est causa peccati Prælati irritantis. Tum quia non bene vtitur iure suo; tenet verò irritatio. *Petrus Ledesma tom. 2. tractat. 10. cap. 7. dub. 2. Sair. lib. 6. cap. 10. num. 14. Sanch. lib. 4. cap. 24. num. 15.*

Quæres 13. An Superior possit irritare votum à subdito factum de eius licentia, seu postquam consensit in illud, postquam fuit emissum à Religioso? Difficultas autem non est, An Superior datam licentiam vouendi reuocare possit, antequam licentiatus ea vtatur? quia cum subditus nullum acquisierit ius, reuocari potest ab ipsomet Superiore, vel successore, cum res adhuc sit integra, *Rosella vers. Votum 3. num. 2. Sair. lib. 6. cap. 10. n. 12. cum Sanchez lib. 4. cap. 27. num. 1.* Neque quando votum iam factum est executioni mandatum, tradendo rem promissam, quia certum est Superiorem nullum ius habere reuocandi, quia per traditionem iam translatum est rei dominium in alterum. Consistit ergo difficultas in eo, I. An possit reuocare, & irritare votum iam factum de licentia sua, sed nondum executioni demandatum. II. An inferior possit irritare votum factum de licentia maioris? III. An maior possit irritare votum factum de licentia minoris superioris? IV. An successor æqualis reuocare possit? V. An huiusmodi irritatio sit propria, & directa? VI. An fiat à Prælato licitè non obstante data licentia? VII. Qualis debeat esse huiusmodi licentia?

30 Primò Respond. Prælatum, qui concessit licentiam vouendi posse votum irritare, perinde ac si licentiam non dedisset; Probatur, Tum quia per hanc licentiæ concessionem Prælatus potestatem dominatiuam in suum subditum non perdidit, cum aliud sit licentia, aliud potestas. Tum quia subditus per eam licentiam non est effectus sui iuris, sed adhuc remanet subiectus, cum facultate vouendi. Tum quia adhuc remanet votum cum sua conditione dependentiæ, si superior non contradixerit. Ita *docent Angel. vers. Votum num. 10. Nauarr. cap. 12. numero 37. Corradus part. 1. quæst. 303. Sair. libr. 6. cap. 10. num. 12. quos & alios citat Sanchez lib. 4. cap. 27. num. 9. Bonac. p. 7. de voto §. 2. num. 28. Portell. versic. Voti irritatio num. 34.* Neque protestatio nolendi irritare adiecta licentiæ tollit facultatem irritandi, sed solum actum validum reddit illicitum ex parte irritantis, qui alias suam protestationem seruare deberet, non enim à se abdicare potest dominium, quod super Religiosum habet illum eximendo à sua obedientia. *Ita Suarez ex Sanchez cit. num. 21.*

31 Secundò, Inferior non potest irritare votum sui Religiosi concessum, vel confirmatum à Superiore, quia nullam authoritatem habet in facto sui superioris. *Ita docent Ricard. in 4. dist. 38. art. 4. quæst. 3. Angles part. 2. quæst. 11. de voto. art. 7. diff. 6. Rodriqu. part. 2. cap. 89. num. 7. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 8. num. 2. quos pro se citat Sanchez lib. 4. cap. 27. num. 4.* vbi ait, iusta subsistente causa, posse interim illud votum factum de consensu superioris maioris suspendere, quia Religiosus non omnino eximitur etiam in hoc ab obedientia sui Prælati inferioris.

32 Tertiò, Prælatus maior potest irritare votum emissum de licentia inferioris; & quia vtriusque voluntas tam inferioris Prælati, quam subditi est sub dominio suo; & quia non irritat, vt est subditus inferiori, sed quatenus est sub dominio suæ voluntatis, & quia per eam licentiam inferior non potest restringere dominium superioris. *Ita docent Ouandus in 4. dist. 38. propos. 19. Ricard. Angles, & Suar. quos citat Sanchez lib. 4. cap. 27. num. 5.*

Quartò, successor æqualis, vti Prior de nouo electus, seu etiam Præsidens subrogatus donec Prior eligatur, potest sine peccato reuocare, & irritare votum factum à suo subdito de licentia antecessoris, quia prior superior non ligauit manus posterioris, cum par non habeat imperium in parem, *cap. Innotuit, de elect.* Confirmatur, quia posterior non fuit particeps voti prioris, qui contraxit aliquam obligationem circa votum, ratione cuius non poterit illud irritare sine peccato respectu licentiæ datæ, quæ ratio cum non militet in successore, ideò is sine peccato potest votum irritare. *Ita docent Petrus Ledesma tom. 2. tract. 10. cap. 7. dub. fin. dicto 11. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 8. in fine, cum eis Sanch. lib. 4. cap. 27. num. 36.* 33

Quintò, est directa, & perfecta irritatio, itavt nunquam reuiuiscant huiusmodi vota de licentia Superioris emissa, quia eadem potestate dominatiua irritantur, qua cassantur reliqua emissa sine tali licentia; sed hæc propriè irritantur ita quod nunquam reuiuiscunt, ergo & illa; non per hanc licentiam potestas dominatiua deterioratur, sed adhuc eadem remanet. Confirmatur, quia eadem conditio, si superior non reuocauerit, adhuc imbibitur in his votis ex licentia factis, quam in aliis; sed hæc propriè dicuntur irritari, ergo & illa. *Ita docent. Caiet. 2. 2. quæst. 88. art. 8. dub. penult. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto. 8. numero 7. & ex eis Sanchez lib. 4. cap. 27. numerò 19.* 34

Sextò, quando licentia non fuit concessa absolutè, sed ad certum tempus, eo transacto, potest superior licitè irritare votum, sicut & quando fuit concessa licentia ad beneplacitum, quæ ad libitum sine peccato reuocari potest, quia in his casibus votum se habet, ac illa, quæ emittuntur sine licentia. Quando verò licentia fuit absoluta sine determinatione temporis illicitè reuocat votum, quia ipsemet Prælatus dando licentiam suo subdito vouendi; quodammodò & ipse vouit, vel saltem Deo compromisit rem illam, ergo illud irritando facit iniuriam Deo, cui vt votum promitteretur, fuit causa. Ita multis adductis probat *Sanch. lib. 4. c. 27. num. 28 Angel. Votum 3. num. 2. Silu. Votum 3. q. 2. dicto 6. Nau. cap. 12. num. 73. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 29. in fine, Sair. lib. 6. cap. 10. num. 12. qui cum Nauarr. cit. Portell. vers. Voti irritatio, nu. 34. Sanch. n. 32.* dicit hoc esse peccatum mortale reducibile ad sacrilegium contra violationem voti; intellige hoc, modò superior non habeat legitimam causam irritandi illud votum de sua licentia factum, nam ea licentia subintelligitur data sub ea conditione, si non superueniat iusta causa irritationis, vt docent allati, cum Sanchez *num. 29.* qui *n. 30.* ait hanc causam debere esse grauiorem, quam esset in principio sufficiens ad denegandam licentiam, quia in superiore consurgit nouum vinculum ratione voti, quod antea non erat, non tamen requiritur tanta causa, quantam exigit dispensatio, quia illa irritatio innititur potestati dominatiuæ, quæ ex se causam non requirit. Aliqui probabiliter tenent esse peccatum solum veniale *cum Rosella Votum 3. num. 2. citati à Sanchez numero 31.* 35

Subditus petens irritationem huius voti de licentia Superioris facti, eodem genere peccati se constringit, cuius reus est ipse Superior irritans; *Sanchez lib. 4. cap. 27. num. 34.* quod si faciat irritare illud à Superiore, qui dedit licentiam, vel à successore, ex hoc non peccat, quia tunc votum reputatur ac si fuisset emissum sine licentia, *hoc docet Sanchez lib. 4. cap. 27. num. 38.* 36

vbi

vbi *num.39.* dicit, non esse necessariò exprimendam eam circumstantiam, votum emissum fuisse de licentia Superioris?

37 Septimò demum, Superior tunc dicitur dare licentiam emittendi votum, quando vel ipse motu proprio, vel ad instantiam subditi petentis indulget, vt votum fiat, necesse igitur est, vt Superior habeat notitiam voti, & de facto in illud consentiat, non enim sufficit non repugnare voto, & se habere negatiuè, sed requiritur politica approbatio. Huiusmodi autem licentia aduenire potest voto iam facto, quod dicitur per illam confirmari, quia quoties licentia non requiritur ad valorem actus, potest præstari etiam post factum, *vt docet Sanch.lib.4.cap.27.à num.41.*

Quæres 14. An ad licitè dispensandum, commotandum, seu irritandum votum requiratur iusta causa in Superiore? Et an subditus excusetur si desit iusta causa?

38 Respond. Certum est apud omnes nullam esse dispensationem, seu commutationem voti datam sine iusta causa; ac proinde superiorem peccare mortaliter, & subditum adhoc teneri sub eadem obligatione ad votum implendum ac si nulla fuisset facta relaxatio. Primum de nullitate patet ex dictis initio huius consilij, respectu dispensationis & ita docent omnes *cum Sanchez lib. 4 cap. 45.* respectu commutationis pariter vniuersi cum eodem *libr.4.cap. 50. à num* 12. Secundum de peccato mortali superioris constat apud præcitatos, quia in re graui abutitur potestate sibi concessa in destructionem, non in ædificationem, cum sit causa peccati proximi violantis votum, ad quod adhuc tenetur sub pœna peccati mortalis, nisi illum excuset bona fides, quod si scienter vtatur illicita, & nolla dispensatione sine dubio peccat, quia scit se verè non fuisse dispensatum.

39 Loquendo de Irritatione facta sine causa, omnes docent eam valere, ac proinde subditum eximi ab obligatione, quia irritatio ex sui conditione causam requirit, cùm habens potestatem dominatiuam re sua vti possit sine causa; sed votum, & ipse vouens est sub dominio superioris, qui si repugnet, aut non consentiat in votum, nihil fit à vouente, & ita docent omnes *teste Sanch. lib.4. cap. 24.num. 8. qui num.* 13.cum communiori asserit superiorem sine causa irritantem peccare venialiter, quia abutitur iure suo, & impedit bonum spirituale proximi; & in hoc non peccat subditus stando irritationi. Quod si petat ipse irritationem sine causa aliquali peccat; & quia id est signū pœnitentiæ voti facti, quod est veniale; & quia malè vtitur iure suo, petendo irritationem sine aliqua causa; & quia est signum negligentiæ, quia cooperatur peccato superioris inducti per ipsum ad illicitè irritandum suum votum. *Ita docent Petrus Ledesma tom. 2.tract. 10. cap.7. dub. 2. Sair.libr.6. cap. 10.num. 14. quos sequitur Sanch. lib. 4.cap.* 24. *num.* 15. vbi ait subditum id non proponere superiori nisi quia grauamen aliquod, aut molestia sensit, & tunc non malè facit, sed vtitur iure suo, proponens superiori molestiam, vt indicet, an expediat irritatio, aliter sciens nullam esse causam; peccat.

An irritans, & vtens irritatione voti de licentia facti peccent? dixi præcedenti quæstione §. Subditus.

Quæres 15. An Superior irritare possit votum factum animo implendi illud quando erit sui iuris? e.g. An Superior possit irritare votum eius Religiosi, qui vouit ex intentione implendi illud, quando erit extra Religionem de licentia Summi Pontificis, vt, si transferatur ad prælaturam secularem, Cardinalatus, Episcopatus, item quando erit in secunda Religione, vel eiectus à Religione. Et quæstio procedit non solum pro tempore, quo erit subiectus, sed etiam quando erit extra Religionem.

40 Respond. Superior potest irritare huiusmodi votum, dum Religiosus est subiectus; non autem quando erit sui iuris extra Religionem. Primum suadetur, quia Religiosus cum non sit sui iuris, sed perfectè subiectus sit suo superiori, non potest se eximere à potestate sui superioris, ergo non obstante conditione adimplendi votum, quando erit sui iuris, adhuc superior tale votum irritare potest, non enim subditus habet ius coarctandi potestatem dominatiuam sui superioris. *Ita docent Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 17. quæst. 19. Sair.lib. 6. cap. 10. Lessius lib.2. de iust. cap. 40. dub. 10. num. 80. & cum eis Sanchez lib. 4.c.29. num.3.* vbi *num.* 4. ait huiusmodi vota non reuiuiscere in Religioso effecto sui iuris, quia fuit simpliciter relaxatio, & non suspensio pro tempore subiectionis. Secundum, quod votum factum animo adimplendi post adeptam libertatem, seu etiam simpliciter emissum, non possit irritari à Superiore Religionis probatur, quia isti absoluti sunt ab obedientia superioris cuiuscumque Regularis, vel saltem suspensa potestas dominatiua, ac proindè illorum vota irritare non possunt, *quicquid dicat Sà vers. Votum, num.5. de irritat.voti.* Ita docet *Suar.tom.2.de Relig.lib.6.de voto c.7.* de Religioso facto Episcopo, Sanchez de quocumque translato ad prælaturam *lib.4.c.30.n.*21.& de eiecto iustè *nu.*26. de transeunte legitimè etiam in anno probationis *num.*29. in his omnibus casibus superior, apud quem votum emissum fuit, non potest irritare votum Religiosi iam translati, seu eiecti, aut qui iam transiuit ad secunda vota. Quod si omnes isti redeant ad suam priorem Religionem Superior illorum vota quæcumque facta etiam tempore libertatis reuocare potest, vt locis citatis docet Sanchez, quia iam effecti sunt per regressum professionis sub dominio Prioris Superioris. Prædicta applica dispensationi, & commutationi, *vt docet Sanch. lib 4.c.39.n.13.14.& 15.*

Quæres 16. An Superiores possint irritare, dispensare, & commotare vota iurata suorum Religiosorum?

41 Resp. Possunt, Tum quia per adiectum iuramentum non aufertur, neque limitatur eorum potestas. Tum quia iuramentum adiectum actui alicui regulatur secundum eius naturam *c. Quemadmodum* 25. *de iureiur.* Tum quia possunt dispensare, & relaxare iuramenta suorum subditorum, vt de communi asserit *Portell.vers. Iuramentum num.*43. *& vers. Votum num.* 41. & eadem commutare *num.* 45. Ita docent etiam *Sanchez lib. 8. disput 2. num. 18. & lib. 4. cap. 53. num. 8. Diana resol. 25 Miscell. 5. part. 3. Sorbus vers. Votum not.* 5. & alij asserentes illos, qui habent facultatem delegatam relaxandi vota, posse etiam tollere iuramenta facta Deo, quia vota, & iuramenta æquiparantur, vt videre est in Sacra Scriptura Numer.cap.3, *contra Bonac. p. 7. §. 4. num.* 32. quia facultas non est extendenda vltra proprietatem verborum; sub nomine autem facultatis dispensandi in votis, non veniunt iuramenta, cum quid diuersum sint à votis, sed dici potest esse diuersa quo ad suas rationes formales, & diuisim sumpta, non autem si sumantur coniunctim, & in ordine ad virtutes Religionis, per quam aliquid Deo cum iuramento promittitur. Hæc sunt dicta ad confirmationem responsionis.

Quæres 17. An Prælatus possit irritare vota emissa ante professionem, dato quod Nouitius in actu professionis habuerit voluntatem ea non imbibendi in voto solemni, in quod de iure communi resoluuntur, *c. Scripturæ 4. de voto, cap. Qui post votum 3. de Regu. in 6.* qui enim profitetur per actum contrarium potest impedire, ne priora vota absoluantur per professionem, quia per hanc expressam voluntatem votum prius factum confirmat, vt *docent Ricard. Angel. & Rosella apud Silu. vers. Votum 4. q.7. in dicto 3. contra quos infra q. 21. §.Quintum.*

42 Resp. Potest irritare, quia licèt spectata vt emissa ante professionem in Nouitiatu, vel in sæculo, non dicantùr dependere à dominio Prælati, cum ante tem-

pus

pus professionis Nouitius sit sui iuris, & absolutus à dominio superioris, in quo sensu irritari non possunt, vt de Nouitiis probabo infra *quæst.* 18. tamen quia in ipso actu professionis, in qua de iure imbibuntur, per contrariam voluntatem adhuc remaneant, & confirmantur, ac si de nouo emitterentur, & tunc censeantur renouata vt à professo, ideò irritari possunt à Superiore, cum dicantur renouata dependenter à dominio superioris sub ea conditione, si non contradixerit. Ita ex *Sila. cit Sanchez. libro* 4. *cap.* 31. *num.* 3.

Quæres 28. An Prælatus possit irritare vota Nouitiorũ siue sint facta in seculo, siue in Nouitiatu adimplenda post illud tẽpus, seu alio quouis modo ab ipsis emissa?

43 Respond. Non potest, quia adhuc Prælatus super illos dominium non habet, cum non promiserint obedientiam solemnem professionis; quod procedit licet intendat irritare, secuta professione, quia hæc conditio non tribuit dominium; sicut neque si Nouitius emittat ex sua deuotione tria principalia vota, quia hæc priuatim emissa non sufficiunt, vt Nouitius subiciatur imperio Prælati, ad quod necessarium est votum solemnis professionis. Quod si Nouitius intendat vouere dependenter à voluntate superioris, aut Magistri, in eo casu poterunt irritare, quia hoc modo se Nouitius subiecit imperio Superioris, seu Magistri. *Ita docent Suar., tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto cap.* 7. *num.* 11. *Rodriq. tom.* 1. *q.* 25. *art.* 8. *Nau. cap.* 12. *num.* 65. *quos & alios pro se citat Sanchez lib.* 4. *cap.* 33. *num.* 28. *quibus adde Bonac. p.* 7. §. 2. *num.* 32. *Vecchium disput.* 10. *dub.* 6. *num.* 1. *vbi testatur de communi, Compend. resol.* 52. *num.* 34. *Mirand. tom.* 2. *quæst.* 33. *art.* 6. *portell. vers. Vota Nouitij num.* 18. *Diana resol.* 71. *de Regular.*

Quæres 29. An saltem possit Prælatus Regularis Nouitiorum vota suspendere? Seu An sint ipso iure suspensa in anno probationis?

44 Respond. Non solum Prælatus, & Magister Nouitiorum possunt suspendere vota personalia, quæ impediunt probationem, & exercitia anni Nouitiatus; non autem realia; verum etiam ipso iure sunt suspensa pro illo probationis anno; quod si Nouitius egrediatur reuiuiscunt. Primum de suspensione personalium constat ex eo, quod illi habent potestatem in Nouitium ad experiendum illius mores pro anno probationis. vt dicitur in Constit. Nouit. §. *Habeat autem Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen.* Quæ verba & si referantur ad Magistrum, non excluduntur tamen alij superiores, vt expressis verbis subiicitur. Quare sine dubio Prælatus, seu Magister possunt illorum vota sibi præiudicialia in regimine eorum suspendere. *Ita docent Sanchez lib.* 4. *cap.* 33. *numero.* 32. *cum Lessio, & Suar, & numero* 35. prædicta ait procedere in Magistro, qui propriè illorum est super ot habens immediatè eorum regimen; illos sequuntur *Vecchius disp.* 10. *dub.* 5. *num.* 2. *Bonac. p.* 7. *de voto* §. *II. num.* 32. Secundum de non suspendendis votis realibus, probatur, quia illi superiores in tantum illorum vota suspendere possunt, in quantum præiudicant regimini illorum, vt probaui; vota autem realia non impediunt exercitia probationis, neque regimen superioris, ergo non possunt suspendi. Ita docent præallegati *cum Vecchio disp.* 10. *dub.* 5. *num.* 8. *vbi num.* 9. ait mixta esse adimplenda quo ad obligationem realem, vt si promisit peregrinationem cum eleæmosina. Tertium, quod ipso iure sint suspensa, probatur ex eo, quod pro tunc non habent rationem voti, quia sunt impeditiua melioris boni, quod est executio operum religionis. *Ita Sanchez lib.* 4. *cap.* 33. *num.* 27. *cum Sila. Palud. Anton. Azor. Rodr. & aliis, quod pro se citat Vecchius disp.* 10. *dub.* 5. *n.* 5. Quartum denique quod reuiuiscant per retrocessionem, probatur, quia non intelliguntur relaxata simpliciter, sed quatenus impediunt obseruantiam Regularem; sed si recedat Nouitius non amplius est sub ea obseruantia, ac proinde vota reuiuiscunt. vt docent omnes cum *Sanch. lib.* 4. *cap.* 33. *num.* 39. *cum Lopez, Lessio, & Suar. quos & alios pro se citat Vecchius disput.* 10. *dub.* 5. *num.* 7.

Deduco ex dictis habentem votum ieiunandi die Sabbati aut non comedendi carnes, vel oua talibus diebus, 45
quibus Monasterium non vtitur talibus abstinentiis, ipso iure non teneri seruare huiusmodi vota, sed manere suspensa, quia impediunt obseruantiam communis vitæ Regularis, cui in refectorio Nouitius se accommodare fas est, cum illius communitatis pars sit; in propria verò cella, seu apud amicum non potest facere contra votum, quia intelligitur suspensum præcisè quatenus obstat obseruationi Regulari, in quibus casibus non obstat. Vide *meum tractatum de profess. regul. cap.* 4. *quæst.* 66. §. *Vota Nouitiorum.*

Quæres 20. An Prælati Regulares, & Magister Nouitiorum possint dispensare, & commutare eorum vota?

Respond. Possunt Prælati, non autem Magister. Pro- 46
batur, Tum quia habent potestatem spiritualem fori externi super illos. Tum quia non minorem habet potestatem Prælatus Regularis, quam Episcopus in Nouitium; ergo si Episcopus potest in illorum votis dispensare, etiam Prælatus Regularis. Tum quia sicut aduena, qui contraxit domicilium Mediolani potest dispensari ab Archiepiscopo, eo quod sit effectus eius subditus, ita & Nouitius, qui contraxit domicilium intra Religionem potest dispensari à Prælato Regulari, cum sit effectus eius subditus. Tum quia gaudet priuilegiis Religionis, quibus possunt dispensare in votis professi, quæ priuilegia retuli *q.* 3. vbi expressa fit mentio de volentibus ingredi Religionem, qui sunt Nouitij, & in nostro speciali priuilegio ibi relato Generalis potest dispensare cum Tertiariis, & famulis commensalibus, ergo multò magis cum Nouitiis. *Ita docent Rodr. part.* 2 *sum. cap.* 89. *num.* 10. *& tom.* 9. 25. *art.* 8. *Sanchez lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 17. *Bonac. p.* 7. *de voto* §. *IV. num.* 27. *Compend. resol.* 52. *num.* 34. *Portell. vers. Vota Nouitij num.* 19. *Vecchius disput.* 10. *dub.* 6. *num.* 2. *Diana resol.* 71. *de regul. Mirand. tom.* 2. *quæst.* 33. *art.* 5. *&* 6. *Ghilinus vers. Votum num.* 46. Dispensant ergo non tantum de iure communi, & ex officio potestatis suæ, sed etiam de iure speciali priuilegiorum allegatorum, *vt obseruat Vecch. disp.* 10. *dub. num.* 3. eò quod non sint deterioris conditionis secularium, cum quibus dispensare possunt confessarij Mendicantium. Dicta procedunt etiam respectu quinque votorum reseruatorum Papæ, iuxta quæ dixi supra sub *quæst.* 6. quicquid dicat ipse *Vecchius cit. numero* 5. allegans alios Doctores pro se, qui tamen non expresè huc negant Prælatis Regularibus respectu suorum subditorum, & licet sit maior difficultas respectu Nouitiorum, quorum vota fiunt independenter à voluntate Prælatorum, nihilominus adhuc in illis dispensare possunt saltem ex vi priuilegiorum, quibus gaudent Nouitij, vt *docent Diana multis citatis resolut.* 72. *de Regul.* Apud præcitatos sunt Doctores negantes hanc facultatem Prælatis, quorum rationibus satisfactum fuit per nostras, vnde immorandum non est ad repellendum illas.

Magister Nouitiorum iure ordinario non potest dis- 47
pensare, neque commutare vota Nouitiorum, eo quod non habeat potestatem ordinariam propriè acceptam, neque eorum est Prælatus, vt *docent Rodr. quæst.* 13. *art.* 20. quæ necessaria est ad dispensandum, & commutandum vota, vt probaui quæst. 1. neque obstat, quod super illos habeat plenam, & absolutam potestatem, vt dicitur in Constit. Nouit. Clem. VIII. cuius verba retuli sub *quæst.* 10. quia illa potestas non est propriè iurisdictio, sed potestas educationis, & institutionis, *vt probaui in meo tract. de profess. regul. cap.* 4. *de nouitiatu quæst.* 62. Neque præterea

obstat,

obstat, quod possit eorum vota suspendere; ex probatis sub *qu.* 19. quia quælibet potestas sufficit ad suspendenda vota, quando præiudicant illi, sub cuius cura est persona vouens, ad vota vero dispensanda requiritur potestas ordinaria spiritualis fori externi consistens in Prælato, qualis cum non sit Magister Nouitiorum, ideo eorum vota dispensare, vel commutare non potest. *Quicquid dicat Compend. resolut.* 52. *numero.* 34. *& Vecchius disput.* 16. *dub.* 6. *num.* 6.

Quæstio 21. An omnia, & quæcumque vota etiam reseruata commutentur ipso iure in votum solemne professionis, etiam ipso profitente ignorante, aut resistente positiuè huic commutationi?

48 Respond. Omnia vota emissa siue in seculo, siue in anno probationis, siue temporalia, siue personalia siue realia, siue reseruata, aut non, etiam votum in subsidium Terræ Sanctæ ipso iure commutantur in votum professionis, ad quod non requiritur intentio profitentis, qui neque per contrariam voluntatem potest impedire talem commutationem; neque excitantur, si egrediatur.

Primum, de omnibus votis indistinctè, probatur ex cap. Scripturæ 4. de voto, vbi dicitur: *Reus fractor voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam nescit Religionis obseruantiam commutare.* Et de voto strictioris Religionis de iure commutato in professione laxioris Religionis, habetur expressè, *cap. Qui post votum* 3. *de Regul. in* 6. iure ergo Ecclesiastico professio habet hoc priuilegium absorbendi in se quæcumque vota. Et hoc ius fundatur in diuino naturali, exemplo eius, qui ex diuersis causis obligatus, tradendo seipsum in seruum suo creditori ab omnibus debitis liberatur; ita Nouitius per professionem tradendo se in obsequium Dei, liberatur à quibuscumque præcedentibus obligationibus Deo factis, quia nihil habet deinceps, quo possit satisfacere Deo, hoc ipso quod se totum illi tradidit. Ita docet egregiè *Palud. in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. *art.* 2. *numero.* 15. *conclus.* 6. *quem sequitur Sanch. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 43. *& libro.* 4. *cap.* 52. *numero.* 6. Quod omnia commutentur tradunt *Sanch. cit. à num.* 36. *Diana part.* 3. *resolut.* 65. *Miscell.* 6. *Mirand. tom.* 2. *q.* 33. *art.* 6. *Vecchius disput.* 10. *dub.* 7. *in fine.*

49 Secundum, de votis etiam reseruatis, & etiam in subsidium Terræ Sanctæ patet ex adductis rationibus, & confirmatur, quia nullum votum maius, & euidenter melius inuenire potest voto professionis Regularis, ergo cum sit melius voto in subsidium Terræ Sanctæ, hoc imbibit in se; neque enim votum infringit, qui illud in melius commutat, cap. Peruenit, de iureiur. *Ita docent Mirand. tom.* 1. *quæst.* 25. *art.* 7. *& tom.* 2. *q.* 33. *art.* 6. *Ghilinus verf. Votum num.* 24. *Portell. verf. Voti commut. num.* 63. *Sanch. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 52, vbi refert Doctores oppositum sentientes de voto Hierosolimitano, cum quibus est *Nald. ver. Votum num.* 50.

50. Tertium de votis realibus propter easdem rationes docent *Sanch. cit. num.* 43. *vbi antecedenti num.* 42. *refert. Doctores Palud. D. Anton. & Tabienam.* sentientes oppositum, quia videtur ius acquisitum illi, in cuius fauorem facta sunt; sed dicas nullum ius acquisitum fuisse, ex eo precisè, quod est votum, quia non fuit acceptatum vt suppono. Nisi sit votum reale defuncti, quia professione hæredis non absoluitur, sed transit ad suos hæredes, quia non est vinculum Religionis, sed iustitiæ, quo Nouitius tenebatur satisfacere, vt docet ipse *Sanch. cit. num.* 47.

51 Quartum, quod ad eam commutationem non requiratur intentio profitentis cooperatiua commutationis, suadetur, quia non est ipse profitens, qui commutat, sed ius Ecclesiasticum, quod huiusmodi vota extinguit, vt probaui §. 5. vnde potius solutio, & liberatio à votis dicitur à plerisque Doctoribus, quam commutatio. *Ita docent Caiet.* 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 12. *circa solet ad* 1. *Silu. verf. Votum* 4. *quæst. fin. Armilla numero* 28. *quos & alios pro se citat Sanchez lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 38. *Contra Angelum verf. Votum* 4. *num.* 2. *Hostiens. Ricard. & Rosellam citatos à Sanchez num.* 38. requirentem intentionem actualem, vel saltem habitualem, quia commutatio nequit fieri sine intentione commutandi, sed hæc ratio procedit in ipso commutante, in casu autem nostro ipse profitens non dicitur commutare, sed Ecclesia in quantum concessit hoc priuilegium Voto solemni, & confirmatur in eo, cuius votum commutatur à Prælato contra eius intentionem, vt probaui hic *quæst.* 4.

52 Quintum, quod per contrariam voluntatem non possit impediri huiusmodi commutatio, probatur ex eo, quia nihil ad illam cooperari potest, cum non ipse, sed ius canonicum absorbeat in professione ea vota, neque enim iuris priuilegio derogare potest. Ita docet *Sanchez lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 41. vbi subdit, quod si Nouitius in ipso actu professionis, vel post, confirmet ea vota, in eo casu cum denuò voueat, tunc incipiunt vota obligare: & cum dependeant à voluntate Prælati, dispensari, irritari, aut commutari ab eo posse, Itaque absolutè loquendo priora vota non possunt per contrariam voluntatem, quin subiiciantur commutationi virtute professionis. *Ibidem Sanchez in oppositum citat Hostiens. Ang. Ricard. & Rosellam.*

53 Sextum, quod non excitentur, si egrediatur, vel eiiciatur à Religione, probatur, quia illorum commutatio est perfecta extinctio, & absolutio ab obligatione priori, vt docent omnes in materia de commutatione votorum, *Ita insinuat de suis egressis Sanch. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 55.

Quæres 22. An prædicta procedant in iuramentis Deo factis, ita quod absoluantur ex priuilegio professionis?

54 Respond. Procedunt *vt docet Sanchez libr.* 5. *cap.* 5. *num.* 44. tam in iuramentis personalibus, quam realibus, quia inducunt rationem voti, & per illa nulli acquiritur ius, nisi posita acceptatione. Confirmatur quia habens ius relaxandi vota, habet etiam potestatem soluendi iuramenta, quia illa sunt maius vinculum, quam hæc, vt multis citatis *Diana docet parte* 3. *Miscell.* 5. *resolut.* 23. §. *Secundo*; sed ius commune tribuit professioni hoc respectu votorum, ergo intelligitur concessum etiam respectu iuramentorum.

Quæres 23. An Superior possit per seipsum irritare, dispensare, & commutare propria vota à se emissa?

55 Respond. Non potest irritare, neque id alicui committere, vtique verò secum dispensare, & commutare. Primù de irritatione suadetur, Tum quia nemo habet potestatem dominatiuam in seipsum neque alteri communicari potest in seipsum. Tum quia vota irritabilia habent tacitam conditionem si superior non repugnauerit; quam conditionem non habent vota superioris respectu sui ipsius, ergo neque ea sibi irritare potest, neque proinde id committere alteri. *Ita docet Sanchez lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 6. Secundum de dispensatione probatum fuit *resol.* 10. *quæst.* 13. Tertium, quod superior possit commutare suum votum non solum facultate priuata in melius, vel æquale, vt probaui supra initio §. *Vota autem*, verum etiam ex potestate iurisdictionis, qua pro aliis vti potest, probatur iisdem rationibus, quibus constat Prælatum posse secum dispensare, & confirmatur quia commutatio ex sui conditione non requirit distinctionem personarum, ergo Prælatus seipsum dispensare potest. Vtrumque probauit *Sanchez libr.* 8. *disput.* 3. *à num.* 6. *ad* 11. *seipsum citans lib.* 4. *c.* 37. *num.* 45. de dispensatione, & *num.* 46. de commutatione, *& cap.* 39. *num.* 10. *Mirand. tom.* 2. *q.* 31. *art.* 3.

Quæres 24. An huiusmodi potestates irritandi, dispensandi,

ſpenſandi, & commutandi cum tertio poſſint delegari alteri?

56 Reſpond. Hæc poteſtas alteri delegari poteſt. Primum de irritatione oſtenditur, quia id non eſt facere delegatum dominium voluntatis ſubditorum, ſed tantum illi committere, vt reſcindat obligationem contractam dependenter à voluntate ſuperioris, ſi illi votum placuerit. *Ita docet Sanchez libr. 4. cap. 24. num. 54.* Alterum de diſpenſatione, & commutatione colligitur ex dictis *reſol. 10. quæſt. 25.* & de diſpenſatione aſſerit cum *Suar. Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 4. de vtriſque Portell. verſ. Voti commut. num 45.*

Quæres 25. An Prælati maiores poſſint ſibi reſeruare aliquorum votorum irritationem, diſpenſationem, aut commutationem?

57 Reſpond. Poſſunt, quia habent poteſtatem non ſolum ſuper ſubditos ſuperiorum inferiorum, ſed etiam ſuper ipſos ſuperiores, quorum poteſtatem reſtringere poſſunt, cum in ea dependeant à ſuis maioribus.

Quæres 26. An vota emiſſa à Religioſis ſtatim incipiant eos obligare, an poſtquam in illis eorum ſuperior conſenſerit?

58 Reſpond. Statim obligant, modo non ſint contra aliquid prohibitum per regulam, ſtatutum, aut præceptum ſuperioris. Primum ſuadetur, quia materia eſt bona, & non eſt Religioſo interdicta; neque ſubintelligitur conditio, ſi ſuperior conſenſerit, quaſi incipiat valere à puncto dati conſenſus, ſed hæc alia, ſi ſuperior repugnabit, *Ita docent Silu. verſ. Votum 3. quæſt. 3. Armilla num. 8. & 9. Tabiena 4. quæſt. 4. Nauar. cap. 12. num. 67. & 69. quos pro ſe citat Sanchez libro 4. cap. 25. num. 6. cum aliis,* contra *Hoſtienſem, Ricardum, Palud. apud citatum Sanchez num. 5.* quorum rationibus reſpondet num. 22. Dixi, *modo non ſint contra aliquid, &c.* Ratio eſt, quia votum non debet emitti de re illicita, cuiuſmodi eſt prohibita in Religione, vnde & in his bene ſubintelligitur illa conditionalis, ſi ſuperior conſenſerit. Ita Sanchez *cit. num. 8.* qui affert exemplum voti peregrinationis prohibitæ Religioſis ſine licentia Prælati, cum nullus Religioſus poſſit exire clauſtrum ſine licentia ſui Prælati,

Quæres 27. An Abbatiſſa poſſit irritare, commutare, & diſpenſare cum votis ſuarum Monialium.

59 Reſpond. Poteſt irritare vota monialium profeſſarum, quia per earum profeſſionem acquiſiuit dominatiuam poteſtatem obedientiæ ſuper ipſas, quæ non poſſunt vouere niſi dependenter à voluntate ſuæ ſuperiorıſſæ. *Ita docent Rodr. tom. 1. quæſt. 25. art. 7. cum ſuo Compend. reſol. 52. num. 33. Portell. verſ. Diſpenſare num. 22. cum aliis, quos pro ſe citat Sanch. lib. 4. cap. 33. num. 19.* loquendo de omnibus votis indiſtinctè, cum omnia fiant dependenter à Dominio Abbatiſſæ. Non tamen in illis diſpenſare, aut commutare, quia carent ſpirituali poteſtate. *Ita docent præcitati, cum Sanchez de diſpenſatione lib. 4. cap. 39. num. 7. de commutatione, cap. 49. num. 24. cum Rodr. q. 16. artic. 7. Bonac. p. 7. de Voto §. 4. num. 29.*

Quæres 28. Ad inferior poſſit diſpenſare, ſeu commutare votum factum de licentia ſuperioris? quamuis non poſſit irritare illud, vt probatum fuit *q. 15. §. 2.*

60 Reſpond. Poteſt, quia illa licentia ſuperioris maioris non coarctat poteſtatem ſpiritualem inferioris Prælati, aliud enim eſt concedere licentiam vouendi, aliud impedire eius relaxationem, cui non præiudicatur per licentiam vouendi. *Ita ex Suar. docet Sanch. l. 4. c. 42. num. 5.*

Quæres 29. An poſſint irritare, diſpenſare, ſeu commutare votum tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, tam Nouitiorum, quàm profeſſorum?

61 Reſpond. Non poſſunt irritare, niſi illud emittant cum expreſſa dependentia, niſi Prælatus illud reuocauerit, vt probaui ſupra *quæſt. 6. §. 3.* Vtique verè illud diſpenſare, vel commutare, quia non eſt votum Religionis ſimpliciter, quod dicitur reſeruatum, ſed votum tranſitus ab vna ad aliam Religionem, & quamuis eſſet vnum ex votis reſeruatis adhuc poſſunt Prælati diſpenſare, quia reſeruatio quinque votorum eſt potius pro Secularibus, quam Regularibus, præterquam quod adeſt priuilegium diſpenſandi etiam in reſeruatis, *vt docui cit. quæſt. 6. §. 1. Ita docent ibi allegati Doctores, quibus adde Compend. reſolut. 123. num. 80. quem cum aliis pro ſe citat Diana reſol. 91. de Regular. Portell. verſ Voti diſpenſ. num. 80.*

Quæres 30. An inualidè profeſſus vtatur validè irritatione, vel ſaltem per ratificationem conualeſcat data alias irritatio nulla? vel requiratur noua irritatio ex parte Prælati?

Reſpond. Irritatio eſt nulla, neque conualeſcit per 62
ſubſequentem ratificationem. Primum ſuadetur, quia irritatio fundatur in dominio Prælati ſuper Religioſum ex promiſſa ſibi obedientia; ſed hic nulla fuit promiſſio obedientiæ, ergo irritatio ſubſiſtere non poteſt. Præterea vota nulliter Profeſſorum ſe habent ac vota Nouitiorum, cum non dicantur fieri ſub ea conditione, ſi ſuperior non repugnauerit; ſed vota Nouitiorum irritare non valent ex probatis *quæſt. 18.* ergo neque nulliter profeſſorum. Nec ſuffragatur bona fides, & error communis in poteſtate dominatiua, licet habeat locum in poteſtate iuriſdictionis, *vt docet Sanch. lib. 4. cap. 32. in fine.* Alterum, quod non conualeſcat, ſed requiratur noua irritatio ſuadetur, Tum quia irritatio eſt quid facti, non effectus iuris. Tum quia ratificatio licet ſit idem quod profeſſio, ac proinde conſtituat ratificantem ſub dominio ſuperioris, non tamen includit actum irritationis.

Quæres 31. An ſaltem teneat data diſpenſatio, aut commutatio voti nulliter profeſſi?

Reſpond. Tenet diſpenſatio, & commutatio facta fa- 63
uore nulliter profeſſi, quia ſuperior dum diſpenſat votum huiuſmodi Religioſi, præſcindit à profeſſione, & ſimpliciter illum diſpenſat quatenus poteſt illum diſpenſare, iuxta illud axioma: *Si non valet quod ago vt ago, valeat vt valere poteſt. §. fin. Inſtitut. de adopt. Thomaſet. regula 12,* Confirmatur, quia ſi non diſpenſatur vt profeſſus, ſaltem diſpenſatur vt perſona habens domicilium perpetuum in Religione, & continuò commenſalis, quæ gaudet priuilegiis Religionis ex alibi probatis, & mox ſupponam *q. 32.* Demum ſaltem diſpenſatio ſuſtinebitur ex illa regula, quod titulus coloratus, & error communis faciunt ius, *l. Barbarius ff. de Offic. Prætoris.* Imò cum eiſdem diſpenſat ſciendo eſſe nulliter profeſſos ſi volunt ratificare profeſſionem, quia non ſunt minoris conditionis, quam ſint Nouitij, & familiares, alias non.

Quæres 32. An Prælati Regulares poſſint diſpenſare, & commutare vota ſuorum Tertiariorum, & aliorum famulorum perpetuò commenſalium?

Reſpond. Poſſunt; ſuadetur. Tum quia intra Re- 64
ligionem contraxerunt domicilium, & facti ſunt ſubditi Prælato Regulari, ſicut ſi Secularis relicto domicilio Laudenſi illud transferendo Mediolanum, fieret ſubditus huic Archiepiſcopo, ac proinde poſſet diſpenſari ab eo in votis, ergo idem dicendum eſt de his Tertiariis, & familiaribus, cum ſint verè ſubditi Prælato Regulari, non minus ac ille ſecularis Archiepiſcopo. Tum quia gaudent iuribus, & priuilegiis fauorabilibus profeſſorum, *vt probaui reſolut. 2. quæſt. 4. & reſol. 34. quæſt. 16.* Priuilegia autem in ſpecie de hac re retuli ſupra *quæſt. 3.* vbi de volentibus intrare, & de Commiſſis; & in noſtra Religione non eſt difficultas, quia Nicolaus V. prout ibidem retuli conceſſit Patri Generali facultatem abſoluendi etiam familiares à votis minoribus ideſt non reſeruatis, nomine autem abſolutionis venit diſpenſatio, per eam enim vouens abſoluitur, & liberatur à voto, & cum poſſit diſpenſare, eo magis immutare, cum ſit quid minus, vt probo ſequenti quæſtione.

Quæres 33. An Superior valens ex officio diſpenſare, ſeu ex priuilegio, poſſit etiam commutare vota

ſuorum ſubditorum; & viceuerſa habens facultatem commutandi vota poſſit illa diſpenſare? Difficultas autem præſertim procedit, quando quis habet facultatem per Bullam Iubilæi, aut priuilegij, nam qui habet facultatem diſpenſandi iure ordinario, habet etiam commutandi, & è contra, cum hæ duæ poteſtates in Prælatis coniungantur, *vt probaui initio Reſolut. §. igitur, & q. 1. Reſp. 2.*

65 Reſpond. Qui ex priuilegio valet diſpenſare, poteſt etiam commutare vota; non è contra, qui poteſt commutare, valet diſpenſare. Primum probant ex illa regula. Cui licet quod eſt plus, licet etiam quod eſt minus in eo contentum; ſed eſt plus diſpenſare, quam commutare, cum per diſpenſationem tollatur tota obligatio, per commutationem vero ſolum ex parte, nimirum vinculum prioris obligationis. Deinde commutatio includit diſpenſationem prioris materiæ, cuius obligationem relaxat, transferendo illam ſuper nouam materiam, ergo qui commutat etiam ſimul diſpenſat. Præterea priuilegia ſunt amplianda, & extendenda præſertim Regularium, ſumma eſt enim ratio, quæ pro Religione ſtat. *l. Sunt perſonæ ff. de Relig. & ſumpt. fun. Sanchez libro 8. diſput. 1. num.* 13. æquiparantur enim legi, ac perinde habentur ac ſi eſſent inſerta in corpore iuris, *& Oldrado conſ.* 300. *num.* 4. *§. Conſiderandum.* Ita docent *Sair. lib. 6. cap. 12. num. 15. Leſſius libr. 2. cap. 40. dub. 11. num. 94. Suar. tom 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 12. à num. 10. Bonac. p. 7. de voto. §. num. 10. Diana alios citans part. 3. reſolut. 25. §. Miſcell. 5.* contra Sanchez qui ſtrennè probat oppoſitum, *Doctoribus, & rationibus pro ſe adductis lib. 8. de Matri. diſput. 2. num. 15. & libr. 4. cap. 53. num. 4.*

66 Secundum de potente commutare ex priuilegio non valente diſpenſare conſtat clarè, eo quod commutare ſit quid minus, quam diſpenſare, vt patet ex mox dictis, & cui conceditur quod eſt minus, non intelligitur conceſſum id quod eſt maius per conceſſionem minoris. Ita docent omnes teſte *Sanchez lib. 4. cap. 53. num. 2. Bonac. citans Doctores p. 7. de voto §. IV. num.* 30. licet ibi falsò citet Sanchez quo ad opinionem, & locum, vt de more facit.

Quæres 34. An Confeſſarij Regulares ſuos pœnitentes Regulares poſſint diſpenſare in votis, & eadem commutare?

67 Reſpond. Non poſſunt, quia non habent poteſtatem ſpiritualem fori externi ordinariam, cum ſint delegati à ſuis Prælatis; & hoc certum eſt niſi aliquod habeant priuilegium ſpeciale, Neque illis ſuffragantur priuilegia fauore Secularium conceſſa, quia cum ſint pro ſecularibus, non ſunt extendenda vltra proprietatem verborum ad Religioſos.

Quærens 35. An vota relaxari poſſint à Prælatis extra confeſſionem.

68 Reſpond. Poſſunt, Tum quia eſt profeſſus externæ iuriſdictionis. Tum quia non eſt materia ſubiecta ſacramentali abſolutioni. Tum quia nullum ius de hac re extat. Tum quia habentes priuilegium diſpenſandi, ſeu commutandi non coarctantur ad hæc præſtanda in foro ſacramentali, *vt docent Sanchez lib. 4. cap. 54. num. 16. vbi multos citat, & cum eis Diana reſol. 9. de regul. Bonac. p. 7. de voto §. 3. num.* 16. ergo eo magis id aſſerendum eſt de Prælatis. Procedunt dicta, quando ſuperior delegans non reſtringit ſuam cōceſſionem, quod non præſumitur, niſi ſe explicet per tenorem conceſſionis. Neque vrget, quod in priuilegiis relatis ſupra *q. 3.* fiat mentio de abſolutione à votis, quia ibi hoc verbum non accipitur Sacramentaliter, ſed pro relaxatione, & liberatione à voto.

Quæres 36. An Legati à latere poſſint irritare, diſpenſare, & commutare vota Religioſorum ſuæ prouinciæ? De irritatione conſtat non poſſe, quia illi non promittunt obedientiam, remanet ergo difficultas in reliquis.

69 Reſpond. Non poteſt irritare vota ex dicta ratione, *& docet cum aliis Sanchez lib. 4. cap. 33. num. 14.* Vtique verò diſpenſare in omnibus votis Religioſorum, quia eſt legitimus Regularium Superior in eos habens poteſtatem iuriſdictionis fori externi. *Ita Sanchez lib. 4. cap. 39. num. 25. Naldus ver. Legatus num.* 6. & loco citato prius agit, & bene probat poteſtatem illorum in omnes exemptos. Idem dicendum de commutatione, nam omnes habentes poteſtatem ordinariam diſpenſandi, gaudent etiam eadem ad commutandum, *vt docet Sanchez lib. 4. cap. 49. num.* 28. *ſeipſum referens cap.* 52. *num.* 1.

Quæres 37. An Epiſcopus poſſit irritare, diſpenſare, & commutare vota Religioſorum?

70 Reſp. Non poteſt irritare, ſed tantum diſpenſare, & commutare, iuxta quod probaui *reſol* 16. *q. 2.*

Quæres 38. An poteſtas, quam habent ſuperiores, ſiue ſit ordinaria, ſiue ex priuilegio, reſtringatur ad ſuos ſubditos actu, ita quod non poſſint irritare, diſpenſare, aut commutare vota aduenarum?

71 Reſp. Reſtringitur ad ſuos ſubditos. Tum quia hæc poteſtas illis datur, vt ſpiritualiter poſſint gubernare ſuos ſubditos, ergo non extenditur ad non ſubditos, & aduenas. Tum quia vnicuique ſeruanda eſt propria iuriſdictio, ne ordo confundatur, *cap. Peruenit 36.* 11. *q. 1.* ergo vnuſquiſque ſuperior cum propriis ſubditis poteſt diſpenſare, & non cum aliis. Nec obſtat, quod in profeſſione promittatur obedientia indiſtinctè omnibus ſuperioribus, ac proinde videantur omnes habere poteſtatem ſaltem dominatiuam irritandi vota, quia huiuſmodi ſubiectio, & dominium non acquiritur, neque dicitur haberi actu, niſi quando Religioſus actu ſubditur ſuperiori locali, vel Prouinciali, nam Generali omnes ſunt actu ſubiecti. Demum allata priuilegia *q. 3.* non ampliant hanc facultatem, ergo neque nos ampliare debemus. Neque obſtat, quod priuilegia abſoluendi à cenſuris, & peccatis extendantur etiam ad aduenas, & hoſpites, ex probatis *reſol. 2. q. 5.* quia id explicant, non autem priuilegia diſpenſandi in votis, ideo reſtringenda ſunt quia priuilegia tantum valent, quantum ſonant *cap. Accepimus 4. de fide inſtr. in fine, cap. Porro 7. c. Recepimus 8. de priuil.* vbi dicitur, quod priuilegium attendendum eſt iuxta ſuum tenorem. Verum quidem eſt, quod aduena dum eſt in alieno Conuentu ſubditur pro eo tempore ſuperiori illius loci, qui illius vota quatenus ſibi præiudicant, vel obſeruantiis illius Conuentus, ſuſpendere poteſt, quæ ſuſpenſio durat dum ibi eſt, cum non ſit illi propriè Prælatus, ſed accidenter tantum.

Quæres 39. An Superior poſſit diſpenſare cum Nouitio, aut profeſſo, vt tranſeant ad laxiorem Religionem.

72 Reſpond. Neutrum poteſt. Primum de Nouitio ſuadetur, quia Prælatus in tantum poteſt diſpenſare cum Nouitio, in quantum vult manere in Religione, in qua de præſenti probatur, vt colligitur ex priuilegio allato *ſub q. 3.* ergo cum per hanc diſpenſationem recedat à Religione ſtrictiori, nequaquam diſpenſari poteſt. Nec obſtat, quod Nouitius diſpenſari poteſt: vt remaneat in laxiori vbi probatur, non obſtante voto ſtrictioris, vt probaui *q. 6. §. 1. & q. 29.* ſiquidem eſt lata differentia, nam in hoc ſecundo caſu gaudet priuilegiis Religionis, cum perſeueret in Religione, quod non poteſt verificari in priori caſu. Secundū de profeſſo non habet rationē voti, cum non ſit de meliori bono, ſed de minus bono, votum tranſeundi à ſtrictiori ad laxiorem, ac proinde nullum eſt votum. Quod ſi loquamur de illo profeſſo, qui cupit tranſire à ſtrictiori ad laxiorem, motus aliquâ legitima cauſâ, in eo caſu ſuperior Regularis non poteſt hanc facultatem concedere, quia non poteſt commutare votum ſolemne maius in minus, quod ſolius eſt Papæ, vt *probabo mox quæſt. 41. Vide quæ dixi reſolut. 29. præſertim quæſt. 4.*

Quæres

Quæres 41. An Papa tantum possit dispensare in votis Religionis? An etiam aliqualiter Prælati Religionis? Inter vota Religionis solemnia, aliqua dicuntur de substantia, vt sunt Obedientia, Paupertas, & Castitas; alia sunt secundariò solemnia, eo quod accessoriè exprimuntur cum illis tribus in forma professionis.

73 Respond. Papa potest dispensare in tribus votis solemnibus, & in aliis quoque secundariis. Nullus verò Prælatus Regularis in prædictis dispensare potest. Primum de Papa probatur. Tum quia Papa in iure Diuino naturali dispensare potest in omnibus votis, ergo etiam in solemnibus, quia non est maior ratio de vno, quam de aliis. Tum quia potest dispensare in simplicibus, ergo in eisdem cum adiuncta solemnitate quæ est iuris positiui Ecclesiastici *cap. vn. de voto in 6.* illis verbis: *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta.* de qua te *Sanchez libro 7. disput. 25. in fine num. 7. Scotus in 4. dist. 38. Nauar. consil. 11. de Regul. & ego pluribus. c. 1. de profess. Regul. q. 3. Ita docet Mirand. tom. 1. q. 25. art. 13. Rodr. cum suo Compend. resol. 52. num. 29. & resol. 110. num. 3. Portell. vers. Votum num. 23. Sanchez libr. 5. cap. 2. per totum, & in specie de voto castitatis. Sanchez lib. 8. disput. 8. num. 7. vbi num. 8.* hanc dispensationem ait requirere vrgentissimam causam vtilitatis publicæ. De voto obedientiæ idem *Sanchez libr. 5 cap. 2. num. 11.* vbi pro se citat *Azor. libro 12. cap. 7. q. 3.* exemplificantes in Religioso translato ad Episcopatum, Cardinalatum, aut aliam prælaturam, in his enim eximitur ab obedientia suorum Prælatorum sic translatus, vt *docet Angles part. 2. q. vnic. de voto art. 2. post 13. diff. dub. 5.* ipse vero Sanchez *lib. 6. cap. 6. num. 2.* docet Episcopum non absolui à voto obedientiæ, cum adhuc sit Religiosus, dictu remanere actu absolutum ab obedientia Prælatorum Regularium, quia dum est Episcopus non tenetur illis obedire, renuntiato autem Episcopatu reuertendo ad Religionem teneri obedire, quia non fuit omnino absolutus, sed suspensum obedientiæ exercitium, cum enim etiam post susceptam dignitatem remanserit Religiosus, fit, vt habitu in eo remanserit votum obedientiæ. Idem dic de reliquis Prælatis. De voto paupertatis idem *Sanch. lib. 5. c. 2. num. 9.* vbi ad dispensandum in voto paupertatis ait sufficere eamdem causam, quæ necessaria est ad dispensandum in voto castitatis, quia non est maior ratio de vno voto, quam de aliis, *& ita cum eo docent Ribadeneira, Azor. & Vasqu. ab eo citati*, necessarium enim est statui coniugali, & gubernationi liberorum proprietas rerum, & administratio bonorum, contra *Nauar. tom. 2. comment. 2. de regul. num. 17.* negantem id Papæ respectu voti paupertatis, non defectu eius potestatis, sed quia putat non dari causam sufficientem, sed posse dari iam insinuaui ex eodem Sanchez.

Neque his obstat *cap. Cum ad Monasterium 6. de statu Mon. prope finem*, illis verbis: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam, nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Quia hæc verba intelligenda sunt, quod Papa non potest dispensare in illis votis, ita quod post dispensationem ille, qui dispensatus fuit adhuc remaneat Religiosus, sed dispensando facit de Religioso non Religiosum. Ita colligitur ex citatis Doctoribus.

74 Secundum, quod Papa possit dispensare in secundariò votis solemnibus, vt ieiunium Quadragesimale, seu vita quadragesimalis Minimorum, &c. *de quibus Sanchez lib. 4. cap. 53. num. 5. & ego supra qu. 7.* probatur, quia hæc vota sunt accessoria tribus substantialibus, ergo sicut potest in principalibus ex probatis, ita & in secundariis, quia accessorium sequitur conditionem sui principalis.

75 Tertium, quod Prælati Regulares neque etiam Generalis possit dispensare in votis essentialibus, probatur, tum ex *cap. Cum ad Monasterium, cit. §. Neque his*, & ex Trident. *sess. 25. cap. 2.* vbi de voto paupertatis, in quo nequaquam dispensare possunt, vt Religiosus possideat, vel administret, vt dominus, & proprius, de qua re vide quamplures Doctores citatos à Barbosa super *dictum cap. De voto castitatis est certissimum ex citato capite Cum ad Monasterium.* De obedientia docent *Rodriquez ex suo Compend. resolut 121. num. 3. Silu. versic. Casus casu 5. q. 1. Mirand. tom. 2. q. 7. art. 6. Portell. versic. Generalis num. 3. & idem Compend. resol. 52. num. 35.* de eisdem tribus in genere. Inquiunt ergo illi, quod Generalis non potest eximere aliquem Religiosum à Prouincialis, aut Guardiani obedientia; neque multò minus Prouincialis Fratrem ab obedientia sui Prioris, quia huiusmodi exemptiones pertinent ad Papam.

Quartum de reliquis votis constat ex eò, quod participant de ratione voti solemnis, in quo sicut non possunt dispensare Prælati, ita neque in his, vt probaui suprà *q. 7.*

Quærea 42. An pater siue in Seculo, siue in Religione existens possit irritare vota filij Secularis, aut Religiosi? Suppono, Patrem ex patria potestate, quam habet in filios pro recta gubernatione suæ domus posse irritare omnia, & quæcumque vota filiorum impuberum, hoc est, fœminarum vsque ad decimum secundum completum, masculorum vsque ad decimum quartum inclusiuè, *vt de communi docet Sanchez lib. 4. cap. 35. num. 7.* puberum verò hoc est, fœminis decimotertio, masculis à decimoquinto vsque ad vigesimum quintum inclusiuè vota realia omnia pater irritare potest, ex eodem *Sanchez num. 21.* non autem personalia, nisi in quantum sunt sibi multum præiudicialia, & nimium aduersantur regimini domus, *ex eodem numer. 15. 16. & 17. Bonac. p. 7. de voto §. 2. numero* 18. Ratio est, quia omnia eorum habent adnexam eam conditionem, si pater non contradixerit; & in impuberis hoc dictat leue eorum, & fragile iudicium; & ratione voti realis docet defectus administrationis bonorum paternorum, quibus carent filij minores,

76 Respond. Pater in seculo manens, seu etiam Nouitius, vel professus non potest irritare vota sui filij professi, quia non est amplius sub patria potestate, neque sub cura paterna, per professionem siquidem eximitur à patria potestate, & constituitur sub obedientia, & cura Prælati Regularis, ad quem spectat vota irritare. *Ita docet Sanchez libr. 4. cap. 35. numero 50.* Quod filius liberetur à patria potestate per professionem, colligitur ex *l. Si ex causa §. Pomponius, ff. de min.* quia cum professione se totum tradat Religioni, necesse est quod liberetur à patre. *Rodr. tom. 2. q. 77. art. 6. Sanchez lib. 5. cap. 5. numer. 29. quos citant cap. 5. de effect. profess. q. 19.*

Idem pater in seculo manens, seu Nouitius potest irritare vota filij Nouitij, quia per annum probationis non eximitur à patria potestate. *Sanchez lib. 4. cap. 35. num. 47.*

77 Pater in Religione professus non potest irritare vota filij Secularis, siue Religiosi, quia per professionem perdidit potestatem patriam, quam in filios habebat, & omnem curam illorum translatam in tutorem, siue curatorem. *Ita Sanchez libr. 4. cap. 35. num. 48.* quod amittat curam filij colligitur *ex cap. Cum simus, de Regul.* vbi patre ingresso legitima traditur filio, qui effectus est sui iuris. *Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 6. num. 6.*

78 Quod si pater eiiciatur à Religione, non ideo potest filiorum vota irritare, quia per hanc eiectionem non iterum acquisiuit patriam potestatem, cum adhuc remaneat professus, *vt docet Sanchez libro 4. cap. 35. num. 49.* Idem dic de filio eiecto, quia non redit

sub paterna cura per electionem, cum remaneat professus, *vt docet ibidem num. 51.*

Subiungit idem *Sanchez num. 52.* Patrem professum Militarem posse irritare vota suorum filiorum etiam professorum in eodem ordine, in quo ipse pater viuit, quia apud omnes constat huiusmodi Militares habere curam, & administrationem suorum filiorum cum patria potestate super ipsos.

79 Sed quid dicendum, si pater professus fiat tutor, aut curator filij, an in hoc casu possit irritare vota filiorum; potest enim accipere tutellam, *vt docet Nauar. consil. 1. Ne Cler. vel Mon. num. 3. ex Silu. verf. Tutella quæst. 3. Graff. part. 1. libro 3. cap. 5. num. 112. per cap. Monachi 16. q. 1. cap. Generaliter ead. cap. fin. dist. 88. capit. Cyprianus 12. quæst.* intellige cum licentia sui Superioris.

Dico in eo casu suorum filiorum, aut aliorum, quorum curam habet, vota irritare posse, quia id conceditur tutoribus, & curatoribus indistinctè, iuxta doctrinam *Sanchez libro 4. cap. 35. numero 60. & 61.* ergo non est deneganda patri professo cum induat omnes conditiones cæterorum tutorum, & curatorum.

Quæres 42. An Coniugatus Religionem ingressus amittat ius irritandi vota alterius coniugis?

80 Respond. Coniugatus Religionem ingressus non solum per professionem, sed etiam per ingressum anni probationis amittit potestatem irritandi vota vxoris. Ratio est, quia per vtrumque ingressum fiunt sui iuris per diuortium spirituale ad quod valet argumentum à diuortio carnali, sed per hoc perditur potestas irritandi vota, *vt probat Sanchez lib. 4. cap. 30. numero.* 18. ergo per illud quoque. Confirmatur quia licet per subsequentem ingressum, & professionem non dissoluatur matrimonium, in quo fundatur mutuum dominium, & potestas in alterum, tamen quia exercitium huius potestatis irritandi vota attenditur in ordine ad vsum matrimonij, educationem prolis, & gubernationem familiæ, quæ cessant per ingressum, ideo vterque eorum fit sui iuris, ac proinde perdunt potestatem irritandi vota. Quod si de consensu vxoris iuuenis in Religione professus ex officio iudicis Ecclesiastici ob periculum incontinentiæ vxoris relictæ reuocetur ad seculum, quod fieri posse ostendit *Sanchez libro 7. disput. 33 numero 15. quem citant cap. 2. de profitente q. 74.* 10. tunc poterit irritare vota vxoris præiudicantia sibi, & communi bono matrimonij.

Quæres 43. An Dominus possit irritare vota serui ingressi in Religionem?

81 Respond. Quando seruus ingressus fuit de licentia, tunc à die susceptionis habitus probationis, deinceps illius vota Dominus irritare non potest, quia per hoc dedit illi libertatem, Dominus autem in tantum irritat vota serui, in quantum est illi subiectus, ergo cum illum liberauit à seruitute, non poterit amplius illius vota irritare. Quod si seruus contra voluntatem Domini, aut eo ignorante ingressus est Religionem, sicut illum reuocare intra triennium potest vltra quod tempus incipit valere professio *cap. Si quis incognitus 17. quæst. 2.* ita & illius vota irritare, cum adhuc dicatur esse sub seruitute sui Domini.

RESOLVTIO XV.

De dispensatione Secularium.

SVMMARIVM.

1 *Seculares dispensantur in voto ad Domum Lauretanam.*
2 *Priuilegia dispensandi in votis non reseruatis.*
3 *Dispensant etiam in reseruatis.*
4 *In dubio emissionis.*
5 *In dubio reseruationis.*
6 *Commutatis aliàs à Papa in materiam non reseruatam.*
7 *Si obligatio fuerit tantum sub veniali.*
8 *Emissis ob metum leuem.*
9 *In prorogatione executionis.*
10 *Si sunt pœnalia.*
11 *Et sub conditione futuri emissis.*
12 *Castitatis votum reseruatum quid?*
13 *Virginitatis votum non est reseruatum.*
14 *Matrimonium non contrahendi tollitur.*
15 *Fornicando votum tollitur.*
16 *Coniugatorum relaxatur.*
17 *Coniugalis votum Castitatis tollitur.*
18 *Ordines sumendi non est reseruatum.*
19 *Religionis votum reseruatum quid?*
20 *Peregrinationis triplicis votum quando reseruatum.*
21 *In circumstantiis dispensant.*
22 *Dispensant in omnibus votis, in quibus Episcopi.*
23 *Quid, quando Episcopus sibi reseruat commutationem.*
24 *Num dispensent in reseruatis ex casu necessitatis?*
25 *In votis iuramento confirmatis.*
26 *Iuramenta commutant.*
27 *Tertio item non praiudicantia.*
28 *Non autem de materia reseruata.*
29 *In quibus dispensant, commutant.*
30 *Commutant in quid minus.*
31 *Coniugatos in petitione debiti dispensant.*
32 *Ieiunia, & dies festos non.*
33 *Confessarij dispensantes debent esse approbati ab Episcopo.*
34 *Approbatus pro viris commutat vota fœminarum.*
35 *Præstant hæc etiam extra Sacramentum.*
36 *Aduenis prosunt hæc priuilegia.*
37 *Irregularitates tollere non procuret.*
38 *Dispensantes non inciderunt pœnas.*

CONfessarius ex ordine Mendicantium ab Ordinario approbatus ad audiendum confessionem Secularium dispensauit cum quodam Seculari in voto peregrinationis ad Sanctam Ædem Lauretanam. Post hoc factum admonetur à suo amico, non potuisse dispensare in prædicto voto, ad quod probandum offert illi duas rationes, quarum prima est, hoc votum esse specialiter reseruatum Papæ cum quinque aliis ordinariis, Castitatis nimirum, Religionis, & Peregrinationis triplicis ad limina Apostolorum, Ierusalem, & Compostellam, vt docet *Nauar. tom. 2. comment. 1. de Regul. num. 21. cum quo postea senserunt Sorbus verf. Votum, §. 3. Henr. lib. 7. de indulgent. cap. 30. num. 6. Rodriq. in Bulla Cruciata §. 9. num. 104.* vnde Sixtus V. dum Præsbyteris Congregationis Oratorij in sua Bulla incip. *Decet Romanum, apud Quar. versic. Confessor*, concessit facultatem commutandi vota, exceptis quinque communiter reseruatis adiecit etiam hoc, ergo sine dubio est reseruatum. Secunda est, Regulares non posse dispensare in voto peregrinationis vltra duas diætas, prout concessit Innoc. VIII. *apud Sanch. lib. 4. cap. 45. num. 4. & refertur à Sorbo verf. Dispensatio §. 16.* sub nomine oraculi non authentici, *refertur etiam à Portell. verf. Voti dispensatio num. 81.* Nomine duarum diætarum, secundum legem 3. *ff. de verb. signif. l. Vicena, ff. Si quiescant*, veniunt quadraginta milliaria, *cap. Nonnulli 28. de rescr.* vel etiam sexaginta ex consuetudine, *apud Molfesium tom. 2. Sum. tractat. 21. cap. 15. num. 134. quem refert Diana resol. 121. de regul.* Sed notorium est hanc peregrinationem non posse confici octo, neque decem diebus, ergo est vltra duas diætas. Sic remanat probatum illum Confessarium malè dispensasse in eo voto, vnde eius partes sunt admonere pœnitentem, se non fuisse benè dispensatum, ac proinde teneri reddere suum votum.

Cæterum, his non obstantibus, tenuit data dispensatio, quia Confessarij Regulares ad id habent amplio- 1

ra

ta priuilegia, quæ mox referam q. 1. quam sit illud Innocentij VIII. vnde ad rationes adductas respondetur ad priorem, falsum esse votum Lauretanum esse de reseruatis Papæ, vt docet communior opinio *cum Sanchez libr. 4. cap. 40. numero. 10. vbi citat Azor. tom. 1. libro 12. cap. 18. q. 4. & cap. 19. q. 3. in fine, Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, cap. 21. numero 14. quos citando sequitur Bossius sect. 2. de iubilæo casu 8. numero 14.* Ratio est quia neque iure alicuius communis Cōstitutionis, neque consuetudine reperitur reseruatum nisi in citata Constit. fauore Presbiterorum Congregationis Oratorij, quibus conceditur facultas commutandi vota exceptis quinque cum hoc Lauretano, quæ exceptio non facit ius contra Mendicantes, & alios Sacerdotes, qui non sunt de illo Oratorio. Ad posteriorem rationem ex priuilegio Innocentij VIII. dico præterquam quod illud est oraculum nunc sublatum ea alibi probaris, concessum fuit Minoribus de Obseruantia cum tali exceptione, in quo priuilegio alij Mendicantes cum tali limitatione nolunt communicare, cum sit quid odiosum, in quo priuilegiorum communicatio non fit, *vt docent Rodr. tom. 1. quæst. 55. art. 17. in fine, Mirand. tom. 2. q. 46. art. 6. Sigism. dub 56. num. 10. Portell. vers. Commun. priuil. num. 10. Sorbus vers. eod. §. Notandum.* Præfatus autem Confessarius non est illius Ordinis, imò si esset, posset se tueri dicendo se dispensasse virtute aliorum priuilegiorum, quæ sunt ampliora.

Quæres autem 1. Quænam sint ista priuilegia concedentia Regularibus Confessariis facultatem dispensandi Seculares in omnibus votis, exceptis quinque communiter Papæ reseruatis?

22 Respond. Sunt sequentia, omissis illis, quæ sunt oracula, aut minus authentica. Primum concessum fuit ab Eugen. IV. Monachis S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti, Constit. *Et si quælibet*, apud Confect. pag. 38. illis verbis: *Insuper, & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus*, & cap. infra, *Cum eis dispensare præter censuras, pœnas, & vota, & casus, de quibus esset merito Sedes Apostolica consulenda.* Secundum concessum fuit à Sixto IV. Dominicanis Generali, Prioribus, aut Præsidentibus ab eo deputandis in singulis domibus, facultatem commutandi vota etiam forensium, in sua Constit. *Sedis Apostolicæ*, apud Confector. pag. 79. illis verbis: *Ac vota peregrinationis, & abstinentiæ per eosdem fideles emissa, quæ loci Ordinarius si præsens esset, commutare posset, & ipsi fideles commode adimplere non poterunt, in ipsius loci ordinarij absentia, in alia pietatis opera commutare.* Est priuilegium ita arctum, vt via eo Regulares vti possint, ideo accipe Tertium, quod concessum fuit Minimis a Leone X. Constitut. *Pastoris æterni*, apud Confector. pag. 138. in quo Confessariis deputandis à Correctoribus Papa concedit facultatem commutandi vota omnia, quinque reseruatis exceptis, & hoc solum in festiuitatibus omnium Sanctorum, Beatæ Mariæ Assumptionis, eiusdem Annuntiationis, & Pentecostes, sub hoc nomine veniunt priores tres festiuitates Pentecostes, pro vna siquidem festiuitate coluntur sub eadem solemnitate, & priuilegium suffragatur à primis ad secundas vesperas Sed est satis limitatum, ideò accedamus ad Quartum amplissimum Confessariis Societatis Iesu concessum à Paulo III. in sua Constitut. *Cum inter cunctas*, apud Confector. pagin. 184. commutandi omnia vota etiam forensium exceptis quinque reseruatis. Ex allatis priuilegiis vtere carrentis, nimirum primo, & vltimo, in quibus non sunt limitata quo ad tempus, seu Confessarios, vt in reliquis duobus, & prout obseruaui solum primum concedit præter commutationem etiam dispensationem, quod non faciunt reliqua, quicquid dicat *Peregrinus vers. Commutatio votorum §. 1. in fine, vbi refert alia priuilegia. Vide etiam Sanchez libro 4. cap. 43. numero 4.* vbi duo refert, vnum quod est viuæ vocis oraculum Innocent. VIII. de quo supra ego, alterum Martini V. concedentis Benedictinis facultatem dispensandi in votis Episcopis reseruatis; & Iulius II. eisdem concessit facultatem dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt dispensare Episcopi, *vt refert ex Sorbo vers. Dispensatio, Peregrin. vers. Dispensatio §. 10.* Vide eosdem citantes alia priuilegia, hæc tamen sufficiant, *cum Compendiatore Rodriq. resol. 32. numero 31. Diana resolut.* 121. *de Regul. vbi ex Alfonso de Leone* refert Confessarios Regulares posse dispensare, seu commutare vota Peregrinationis etiam vltra duas dietas, ex priuilegio concesso Congregationi Sanctæ Mariæ Fuliensis.

Quæres 2. An Confessarij Regulares, qui ex visis præcedenti quæstione, habent facultatem dispensandi, & commutandi omnia vota, exceptis quinque reseruatis, possint quandoque in eisdem reseruatis dispensare.

Respond. Possunt, pro qua re suppono hanc regulam. Tunc Confessarij Regulares possunt dispensare Seculares in illis quinque votis, quando reseruatione non afficiuntur. Ratio autem est, quia isti Confessarij in tantum non possunt in illis votis dispensare, in quantum sunt reseruata, vt colligitur ex citatis priuilegiis præcedenti quæsito, ergo si in aliquibus casibus eorum materia non habebit adiunctam reseruationem, poterunt Confessarij dispensare in illis ex illo communi priuilegio, quod Confessarij Regulares possunt dispensare in omnibus votis non reseruatis. *Ita docent Sanchez lib. 4. cap. 43. num. 7. vbi citat Henr. Rodr. quæst. 41. art. 9. quæst. 63. art. 6. Suar. cap. 26. voto numero 18. & 19. & Portell. versic. Dispensatio a num. 14. ad 22. & versic. Voti dispens. num.* 81. 3

Primo, illa quinque vota non sunt reseruata, quando vouens dubitat an illa vota emiserit, quia in dubio facti voti quis potest possidere suam libertatem, tenendo se non vouisse, post adhibitā diligentiam, neque enim quis in dubio obligandus est, *Sanch. lib. 4. c. 1. num.* 16. ac proinde Confessarius in eo casu potest dispensare, seu potius declarare vouentem non teneri ad illius obseruationem. *Vide Sanchez libro 4. cap. 40. numero 26. vbi citat Suar. tom. 2. de Relig. libro 6. de voto. cap. 26. num. 6. Bonac. p. 7. de voto §. 4. num. 17. §. 3.* 4

Secundò, illa quinque vota non sunt reseruata, quando dubitatur de reseruatione seu sunt pro vtraque parte opiniones probabiles, in dubio enim casus non est censendus reseruatus, cum reseruatio sit odiosa, & in odiosis benignior pars sit amplectenda. Ita Suar. Sanch. & Bonac. mox citati. 5

Tertiò, illa non sunt reseruata, quando commutata fuerint per Summum Pontificem in aliam materiam non reseruatam, quia censetur nouum votum, ac proinde non habens adnexam reseruationem, quæ afficit tantum materiam ex illis quinque, vnde votum castitatis commutatum in votum ieiuniorum non amplius dicitur reseruatum, vtique verò si vnum reseruatum commutetur in aliud reseruatum, quia remanet semper eadem qualitas reseruationis, materia variata; neque hic locum habet illa regula; *Subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur.* Intelligitur enim de natura intrinseca voti, nempè quod materia substituta debet esse apta ad cultum Diuinum, sicut prior, in cuius locum subrogata fuit posterior, hæc enim est natura voti, & non reseruatio, cuius qualitatem non est necesse vt sapiat secunda materia. *Sanchez lib 8 disp. 9. num. 20. & lib. 4. cap. 40. num. 46. Bonacin. p. 7. §. 4. num.* 18. §. 6. & in re nostra *Portell. versic. Dispensatio num. 16. Diana resolut. 71. de Bulla Cruc.* 6

Quartò, illa non sunt reseruata, quando quis ad illa se obligauit solum sub veniali, quia Papa sibi reseruat vota perfecta, quale non est emissum sub hac leui obligatione, *vt docet Sanch. cit. cap. 40 num. 46. Bonacin. §. 4. n. 20. Diana resol. 72. de Bulla Cruc.* 7

8 Quintò, illa non sunt reseruata, quando emissa fuerunt ob leuem metum ad extorquendum votum, quia multi tenent non obligare, quamuis probabilior opinio sit in oppositum, stante ergo hac opinione duplici, *docent multi cum Angel. Votum 4. num. 9. Tabiena vers. Dispensatio q. 9. Diana resolut. 73.* de Bulla Cruc. in hoc casu votum non subiici reseruationi, quia reputatur votum imperfectum, cum dubitetur de eius valore, Papa autem non sibi reseruat vota imperfecta, hos Doctores *citat pro se Bonac. p. 7. de voto §. 4. num. 17. contra Sanchez lib. 4. cap. 40. num. 30.*

9 Sextò, illa vota non sunt reseruata, quoad dilationem temporis, quia hæc est circumstantia voti, & non ipsum votum, vnde habens legitimam causam differendi votum Religionis, peregrinationis, &c. potest in hac prorogatione dispensari, cum non sit reseruata. *Ita Sanch. lib. 4. cap. 40. num. 76. Bonac. p. 7. de voto §. 4. num. 21. §. 6.*

10 Septimò, illa vota non sunt reseruata, quando sunt pœnalia accessoria rei non reseruatæ, maximè quando includunt conditionem, vt si quis dicat: *Si lusero in pœnam voueo castitatem. Non ludam amplius sub pœna Religionis ingrediendæ, &c.* in his materia quamuis alias sit de re reseruata, tamen adiuncta vt pœna, & quid accessorium ad aliud, quod non est reseruatum, sequitur huius conditionem, ac proinde reseruata non dicitur, vnde Episcopus, vel alius dispensans in voto non ludendi, consequenter tollit etiam adiectum pœnale votum, quia sublato principali tollitur accessorium. *Vide Sanchez lib. 8. disput. 10. num. 9. & lib. 4. cap. 40. num. 87. Bonac. p. 7. de Voto §. 4. num. 17. §. 4. Diana resol. 53. de Bull. Cruc.*

11 Octauò, illa vota non sunt reseruata, quando emissa fuerunt sub conditione de futuro nondum adimpleta, ratio est, quia votum est adhuc imperfectum, & nondum obligat, nisi per adimpletionem conditionis, cum ergo Papa sibi non reseruet vota imperfecta, sequitur in his Confessarium posse dispensare, cum non obstet reseruatio. Dixi, *sub conditione de futuro*; vt, si peierabo voueo castitatem; voueo Religionem si meus pater præstabit consensum, in his votum non tenet nisi post impletam conditionem, quæ suspendit consensum in votum vsque ad sui impletionem. Quod si conditio sit de præsenti, vt voueo castitatem si pater meus nunc viuit, vel præterito, vt si meus frater euasit mortem voueo Religionem, cum non suspendat consensum, sed votum existat absolutè, & simpliciter, exposita veritate conditionis, ideò censentur hæc vota absoluta, & reseruata; cum in se statim contineant perfectam rationem voti. *Sanch. lib. 8. disput. 10. num. 13. & lib. 4. c. 40. num. 99.* benè probat votum conditionale etiam conditione adimpleta adhuc remanere non reseruatum, quia licèt effectum sit perfectum, tamen adhuc manet radix, per quam votum in se imbibit illam imperfectionem, ac proinde adhuc perseuerat illa negatiua reseruatio, consequenter huiusmodi votum erit dispensabile. *Diana resol 54 de Bulla Cruc.*

Deducitur hinc, votum reseruatum Papæ esse illud, quod est promissio certa, absoluta, non conditionalis, plenè voluntaria, sub obligatione peccati mortalis, affecta clara reseruatione, cuius materia in aliam reseruatam non fuit commutata.

Restat de singulis pauca discurrere, quando non sint reseruata, vt Confessarius Regularis sciat vti suis priuilegiis in dispensando in illis, quando non sunt reseruata.

12 Castitatis votum reseruatum est promissio perpetua abstinendi se ab omni actu venereo, etiam licito.

Dixi I. *Promissio perpetua*, quia votum eius, qui promisit seruare castitatem ad decem, aut viginti annos, non est reseruatum, cum non sit perfectum, sed diminutum, conseruatio enim castitatis simpliciter includit in sua perfectione perpetuitatem. Censetur verò reseruatum, si promissio fuit centum annorum, aut etiam ad minus, spatium enim centum annorum dicitur perpetuum, *Bart. in l. si vsusfructus, ff. de vsufr. leg. Ita Sanchez lib. 8. disput. 9. num. 6. & lib. 4. cap. 40. num. 48.* & in re nostra *Portell. vers. Dispensatio num. 14. Diana resol. 57. de Bulla Cruc.*

Dixi II. *Ab omni actu venereo*, quia vt votum sit reseruatum, debet esse plenum, & perfectum, quale non est votum castitatis, in quo non promittitur Deo abstinentia ab omnibus actibus venereis etiam licitis, vt docent omnes mox citandi in sequentibus deductis ex hoc Dixi.

13 Virginitatis votum, quando dicit abstinentiam à primo actu luxurioso, non est reseruatum, cum non sit votum castitatis prohibentis omnes actus luxuriosos, in dubio autem censetur idem cum voto castitatis, quando voluntas expressa non fuit abstinendi se à primo solùm actu. *Ita docent Lessius lib. 2. de iustitia cap. 40. dub. 15. num. 105. cum aliis à Sanchez cit. lib. 4. cap. 40. num. 65. Suar. lib. 6. cap. 11. num. 15. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 31. n. 31. quos citat Diana part. 2. tract. 11. resol. 60. de Bulla Cruc.* affirmant virtute Bullæ Cruciatæ Confessarios posse dispensare, & Episcopum, cum quibus est *Portell. vers. Voti dispensatio n. 78.* & de Confessariis Regularibus *vers. dispensatio num. 21.*

14 Matrimonium non contrahendi votum non est reseruatum, cum non sit votum castitatis abstinendi se ab omni actu luxurioso, sed tantùm à coitu coniugali. *Sanchez lib. 8. disput. 9. num. 11. & lib. 4. cap. 40. num. 66. & alij apud ipsum, cum Diana resol. 59. de Bulla Cruc. Portell. vers. Dispensatio num. 19.* de Confessario Regulari.

15 Fornicandi minimè votum reseruatum non est, quia non dicit abstinentiam ab omni actu venereo, cum includat tantùm carentiam actus venerei illiciti; sicut & votum non tangendi mulierem. *Ita Nau. cons. 42.* de voto non tangendi mulierem, *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 31. n. 30. & 31. cum quibus est Sanch. lib. 4 cap. 40. num. 67. Diana resol. 61. de Bulla Cruc.*

16 Coniugatorum votum non petendi debitum, aut etiam non reddendi, communi etiam consensu interueniente, non est votum castitatis absolutè, cum includat abstinentiam tantùm ab actu venereo licito, & non à quocumque etiam illicito. *Ita Sanchez lib. 8. disput. 9. num. 8. & lib 4. cap. 40. num. 51. Rodr. tom. 2. summ. c. 90. num. 3. & ex illis Diana resol. 48. de Bulla Cruciata, alios citans.*

Eorumdem votum castitatis emissum ab altero tantùm, aut etiam ab vtroque sine consensu non est reseruatum, quia non est votum simpliciter castitatis abstinendi se ab omni actu luxurioso, cum adhuc ita vouens teneatur reddere debitum. Quod si ex mutuo consensu promiserunt castitatem, tunc votum cum sit simpliciter abstinendi ab omni actu luxurioso, sine dubio est reseruatum. *Ita Sanchez lib. 4 cap. 40. à num. 52. ad 58.* modò non habeat adnexum votum Religionis, quia tunc censetur absolutum, quouis modo fiat, *Portell. in re nostra vers. Dispensatio num. 17. Diana resol. 58. 70. 82. de Bulla Cruciata.* Quod si votum castitatis, seu Religionis fiat ante consummatum matrimonium sine alterius consensu, & reseruatum, cum sit absolutè tale, & perfectè abstinendi ab omnibus venereis, ideò Religiosi non possunt dispensare, imminente etiam periculo contra *Portell. vers. Dispensatio num. 20. propter rationem adducendam infrà quæst. 4.*

17 Coniugalis castitatis votum, modò non sit solemne, vt in Religiosis Militaribus, non est reseruatum, cum sit votum castitatis ex parte, nam habens tale votum potest inire matrimonium. *Ita docent Sanch. lib. 4. c. 40. num. 50. Henr. l. 7. c. 30. n. 6. & ex illis Diana resol. 62. & 81. de Bulla Cruc.* loquens de Confessariis Cruciatis valentibus commutare hoc votum, ac proinde idem dicendum est de Confessariis Regularibus virtute suorum priuilegiorum valentibus relaxare omnia vota, quæ non sunt reseruata.

Ordines

18 Ordines sacros assumendi votum non est votum castitatis, quia per ipsum non promittitur abstinentia à venereis, quamuis subsequatur illis positis, ad quos accessoriè se habet, sed est votum assumendi statum, cui adnectitur votum castitatis, ac proinde non est reseruatum, sed dispensabile, aut commutabile per Confessarios Regulares. Quod non sit reseruatum probant *Sanchez lib. 4. cap. 40 n. 69. aliis citatis, Beja p. 1. casu* 28. vbi probat posse dispensari virtute Iubilæi, *Diana resol.* 64. *de Bulla Cruc.* posse commutari virtute Cruciatæ; ac proinde dico ego posse dispensari à Confessariis Regularibus virtute priuilegiorum supra *q.* 1. allatorum. *Ita Portell. vers. dispensatio num.* 19.

19 Religionis votum quatenus est casus Papæ reseruatus est promissio certa, & perpetua ingrediendi Religionem, pressè acceptam, a Sede Apostolica approbatam abstrahendo à strictiori, vel laxiori.

Dixi I. *Promissio certa, & perpetua*, quæ explica iuxta dicta superius de voto castitatis, & paulo suprà de circumstantiis communibus omnibus quinque votis reseruatis.

Dixi II. *Ingrediendi Religionem*. Multi sustinent votum ingrediendi Religionem non includere perseuerantiam, seu professionem in illa, quia hoc votum censetur factum iuxta dispositionem iuris, quod ingredere volenti concedit integrum annum experiendi, an sibi placeat status Religionis, quod si non placuerit, poterit exire sine peccato, quia hoc votum habet adnexam hanc conditionem, voueo Religionem; si mihi placuerit. Hæc est opinio multum probabilis, quam aliis citatis sequuntur *Sair. lib. 6. cap.* 10. *num.* 21. *& Bonacin. p. 5. de voto §. 6. num.* 22. *contra Valentiam, Toletum, Cajet. Rodriq. & Sanch. lib. 4. cap. 16. num.* 90. qui ait hunc vouentem teneri manere in Religione, & profiteri, quando Religio sibi placet, & nullam habet iustam causam exeundi. Stante igitur diuersitate opinionum, dicit *Sanch. lib. 4. cap.* 40. *num.* 75. posse Episcopum dispensare in perseuerantia voti Religionis, quia perseuerantia est aliud votum à Religione, & citat pro se *Hostiensem tit. de voto num.* 16. *Diana resol.* 79. *de Bulla Cruc.* qui tenet Confessarium Cruciatum posse commutare hoc votum perseuerantiæ.

Dixi III. *Pressè acceptam*; vnde in voto ingrediendi Religionem non militarem, seu etiam Militarem, sed S. Ioannis, quæ est Religio propriè accepta ex promissione trium votorum, nullus præter Papam dispensare potest, cum sit votum simpliciter Religionis. *Sanchez lib 4. cap.* 40. *num.* 76. *Diana aliis plures citans resol.* 77. *de Bulla Cruciata.* Loquendo autem de voto Religionis ingrediendæ aliorum Militarium Alcantaræ, & Calatrauæ, &c. in eo dispensare potest Episcopus, & commutare Confessarius Cruciatæ, quia id votum non est reseruatum, cum non sit votum propriè Religionis, ita docent *Sanch. lib. 4. cap. 40. num. 76. & Diana, aliis citatis resol. 78. de Bulla Cruc.* ac proinde etiam Confessarij Regulares virtute Priuilegiorum *sub quæst.* 1. relatorum, stante enim diuersitate opinionum, an Religio Militaris sit propriè Religio, est sufficiens ratio destruendi reseruationem ex dictis *suprà §. 1. & 2. & docet Sanch. cit. n. 76. per suam regulam sub num.* 26.

Dixi IV. *A Sede Apostolica approbatam*, vnde votum ingrediendi Collegium certarum fœminarum, quæ non sunt sub approbata Religione, non dicitur votum Religionis, ac proinde cum non sit reseruatum dispensari potest. *Ita Sanch. lib. 4. cap. 40. num.* 71. Idem puto dicendum de voto induendi habitum, seu ingrediendi ordinem Tertium D. Francisci personatum viuentium in seculo, quia licèt sit ordo approbatus à Nicolao IV. in sua Constit. *Super montem*, tamen non est propriè Religio, cum isti Tertiarij non promittant tria vota Religionem constituentia. Demum votum obedientiæ, aut paupertatis emissum extra approbatam Religionem, non dicuntur vota Religionis, neque proinde reseruata, sed dispensabilia ab Episcopis, *vt docent Sanch. cit. n.* 72. seu à Confessariis habentibus priuilegium dispensandi in quibuscumque non reseruatis.

Dixi V. *Abstrahendo a laxiori, vel strictiori*, nam votum ingrediendi vnam ex illis non est reseruatum, vnde promittens Religionem strictiorem dispensari potest ad transitum in laxiorem, quia hæc non est dispensatio in voto Religionis, sed in eius circumstantia. *Ita docet Sanch lib. 8. disp. 9. num. 17. & lib. 4. c. 40. num.* 74. loquendo de Episcopo dispensante, *Nauar. consil.* 41. *de voto Bonac. p. 7. de voto §. 4. num. 21. §. 3. Diana resol. 55. de Bulla Cruciata*, de eodem Episcopo dispensante, & Confessario Cruciato commutante, *Portell. vers. dispensatio n.* 15. de Confessario Regulari dispensante virtute priuilegiorum.

Peregrinationis triplicis tunc dicitur reseruatum votum quando emittitur ob deuotionem illorum locorum, etiam sine vllo subsidio. Loca autem vltra marina sunt loca Sancta Hierusalem. Loca Romæ sunt limina Apostolorum Petri & Pauli. 20

Tertium locum est Ecclesia Compostellæ vbi requiescit corpus S. Iacobi Apostoli.

Dixi I. *Ob deuotionem illorum locorum*, qui enim vouit adire illa loca, alio fine sibi expresso, quam deuotionis, non dicitur fecisse votum reseruatum, cum emittendum sit ob cultum Dei, & venerationem illorum locorum, vnde *Sanch. lib 4. cap. 40. num.* 77. ait votum eius, qui promisit ire Romam ad visendam imaginem Virginis, aut ad osculandos pedes Sanctissimi, non est reseruatum. Est verò reseruatum si simpliciter vouit pergere ad ea loca, quia votum dicitur directum in cultum illorum locorum.

Dixi II. *Etiam sine vllo subsidio*, quia ad constituendam reseruationem sufficit deuotio, quia Doctores communiter loquentes de reseruatione horum non distinguunt inter deuotionem, & subsidium, vt illis citatis docet *Sanch. lib. 4. cap. 40. num.* 6. Nec obstant *cap. Super his 8. cap. Ex multa 9. cap. Postulasti ver. de voto peregrinationis in subsidium Terra Sancta*, quasi hoc votum Papæ non sit reseruatum, nisi interueniat subsidium, nam hoc falsum est, cum de eadem præcisè ob deuotionem sermo sit in aliis capitibus præcedentibus, vt videre est *cap. Venientis 2. cap. Non est 5. cap. Licet vniuersis 6. cap. Magnæ deuotionis 7. de voto.*

Modus autem exequendi huiusmodi peregrinationes, vti mendicando, pedibus nudis pergendo, cum sint circumstantiæ, & accidentia voti, non sunt reseruata, ideò non solùm Episcopus in his circumstantiis dispensare potest, *vt docet Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 13. num.* 105. *ex illo Sanch. lib. 4. c. 40. n. 78. Bonac. p. 7. de voto §. 4. n. 21. §. Item*, sed etiam Confessarius Cruciatæ commutando *ex Diana aliis citatis resol.* 83. *de Bulla Cruc.* & Regularis ex vi suorum priuilegiorum. 21

Constat ergo ex dictis nostra responsio declarata, & probata cum ratione, tum authoritate Doctorum in præcedentibus citatorum.

Quæres 3. An Confessarij Regulares possint dispensare in omnibus votis, in quibus possunt ipsi Episcopi, seu in casibus Episcopis reseruatis?

Respond. Possunt, Ratio est, quia possunt dispensare in omnibus votis Papæ non reseruatis ex probatis *quæst.* 1. *&* 2. Vota autem Papæ non reseruata dicuntur spectare ad Episcopos iure ordinario, ergo in his dispensare possunt. Ita in terminis concesserunt diuersi Pontifices. Iulius II. Congregationi Benedictinorum, & Sancti Bernardi, Eug. IV. eidem Benedictinorum, & hoc per Bullas Authenticas, vt asserit *Peregr. in suo Compend. priuil. vers. dispensatio, §. 10. Sanch. lib. 4. cap.* 43. *n.* 4. *Bariol. vers. Votum*, vbi ait, omnia vota, quæ potest Episcopus dispensare, & commutare, posse Regulares virtute suorum priuilegiorum, quæ in hoc nec reducta, nec annullata fuerunt, vbi citat *Nauar. c. 12. n. 75. Rodr. q.* 63. *Sanch. lib. 8. disp. 16. n. 3. &* 4. Religiosum subdit, *q. 1. de obedient. cap. 21. §. 1. Compend. resol. 5. num. 5. num. 35. Portel. vers. Vot. commut. 64. &* 81. 22

23 Quod si dicas, hanc responsionem non habere locum, quando Episcopus in sua Tabella, vel à iure speciali sibi reseruat dispensationem, seu commutationem votorum, quia nullus secularis Confessarius super casus reseruatus Episcopis aliquid potest, cum illorum priuilegiis derogatum sit, ex probatis *resol.6.q.9.* Respondeo, non obstare huiusmodi reseruationem, quia priuilegia sublata fuerunt præcisè quoad absolutionem peccatorum, vel censuratum Episcopis reseruatarum, & benè probaui *ead.resol.quæst.13.*

Quæres 4. An Confessarij Regulares possint dispensare in votis Papæ reseruatis in illis casibus, in quibus possunt Episcopi ratione solius magnæ necessitatis in casu, quo non potest adiri Papa, tunc enim ratio dictat mentem Pontificis esse hanc facultatem tacitè indulgere Episcopis, pro salubri gubernatione suorum subditorum, non enim verisimile est Papam velle animas fidelium in tanto versari discrimine salutis, vt Doctoribus citatis *docet Sanchez lib.8.de matrim. disput.9. num.12. seipsum citans lib.4. cap.40. num.34. cum Lessio lib.2.de iust.cap.40.dub.13.num.106.Suar.tom.2.de Relig. de voto c.26.n.9.& sequent.* Difficultas ergo est an Confessarij Regulares in tali casu necessitatis, quo Papa adiri non potest, dispensare, & commutare valeant vota secularium, non obstante reseruatione, & res videtur certa ex responsis in præcedenti quæsito; eo quod possunt dispensare in omnibus votis, in quibus valent dispensare Episcopi.

24 Respond. Non possunt, Probatur. Tum quia Confessarij Regulares non habent tale priuilegium, cum in aliatis suprà *quæst.1.* semper excipiantur reseruata Papæ. Tum quia ille casus necessitatis non tollit reseruationem. Tum quia adducta ratio, seu responsio præcedentis quæsiti in oppositum intelligitur de casibus Episcopalibus, seu de votis, quæ possunt relaxare iure ordinario, ex titulo autem necessitatis dicuntur dispensare iure delegato, & præsumpto Sedis Apostolicæ. Demum hoc præsumitur concessum Episcopis ob Pastorale munus, quod erga suos subditos exercere habent, quæ ratio non competit Regularibus Confessariis, qui ex charitate tantùm huiusmodi munera obeunt. *Sic tenent Sanchez lib.4.cap.43.num.7.Bonac.p.7. de voto §.4. num.16. Portell.vers. Voti dispens.num.81.Compend.cum suo Doctore resol.140.num 12.*

Quæres 5. An possint dispensare in votis habentibus adiunctum iuramentum in sui confirmationem.

25 Respond. Possunt; Tum quia possunt dispensare in iuramentis, vt mox probabo, ergo & in votis iuramento firmatis. Tum quia adiectum iuramentum non variat substantiam voti, non enim de non reseruato facit reseruatum. Hoc concessit de votis iuratis Greg. XIII. Societati Iesu per priuilegium incipiens: *Decet Romanum*, vt referunt *Peregr.in suo Compend vers.Commutatio §.2.Portell.vers.Confessor erga Secul.num.26. & vers. Voti commut.num.97.vers.dispensatio num.18.& 26.Rodr. cum suo Compend.resol 32.num.31.Bossius sect.2 de Iubilæo casu 5.num.18.ad 23.*

Quæres 6. An possint dispensare in iuramentis Deo factis? vt si quis iuret se ieiunaturum singulis Sabbatis in honorem Virginis Mariæ, vel se suscepturum talem peregrinationem.

26 Resp. Possunt, probatur, quia iuramenta includunt rationem voti, cum fiant in honorem Dei, & id colligitur ex citato priuilegio Gregorij præcedenti quæsito, & docent ibi allegati *Portell.vers.Confessor erga Secularem, n.27.& vers.Votum n.100.alios Doctores citans resolut.14. q.16.quibus adde Bossium sect.2.de Iubilæo sect.5.n.21.Ghislinum vers. Iuramentum n.15.* probant ea ratione, quia qui possunt dispensare, vel commutare vota non solùm iure ordinario, sed etiam iure delegato priuilegij, possunt etiam dispensare, aut commutare iuramenta, vt quampluribus Doctoribus citatis docet *Sanchez lib. 8. disp.2.n.18.seipsum referens lib.4.cap.53.n.8.contra Bonac. p.7.de voto §.4.num.32.*

Quæres 7. An prædicta facultas in antecedentibus quæsitis relaxandi vota, & iuramenta Secularium se extendat ad ea, quæ facta fuerunt in fauorem tertij? vt, si quis vouit Ecclesiæ Calicem, vel iurauit dare aureum in eleemosynam pauperi?

Respond. Extenduntur, quia spectata vt sunt promissiones factæ in honorem Dei, & nondum ab aliquo homine acceptatæ, nulli tertio dicuntur præiudicasse, eo quod nemo in promissione in suum fauorem facta dicatur ius acquirere nisi per humanam acceptationem, vnde Confessarius vi suorum priuilegiorum in huiusmodi votis, & iuramentis dispensando tertio præiudicium non affert, cum ille, in fauorem cuius emissum fuit votum, vel iuramentum, nullum ius, aut emolumentum, quod suum esset, amittat. Ita intelligendum est priuilegium Gregorij citatum *quæst.6.* concessum Societati Iesu relaxandi iuramenta, sine præiudicio tertij, qui nimirum ius iam acquisierat per acceptationem, vel ibi exceptio est de iuramentis præcisè facti homini facto, *vide Sanch. lib.4. cap.41. num.7. & cap.53.n.2.per totam. Portell.vers.Confessor. erga Seculares num.26.27. & vers. Votum 97.* 27

Quæres 8. An prædicta de iuramentis relaxandis habeant locum, quando sunt circa materiam quinque votorum reseruatorum? An nimirum Confessarij possint dispensare cum illo, qui iurauit visitare limina Apostolorum?

Respond. Non habent locum, quia cum includant rationem voti, & cultus Diuini, censenda sunt esse subiecta reseruationi, sicut sunt ipsa vota, maximè cum par sit ratio vtriusque in ordine ad relaxationem. *Ita docent Sanchez lib.4.cap.54.num.23. & Portell.vers.Voti dispens. num.100. iterum Sanchez lib 3. cap.19. num.6.* loquendo de Episcopis, qui non possunt in illis dispensare, cum sint Papæ specialiter reseruata, ergo multo minus Regulares Confessarij. Votum quidem est, quod possunt eadem relaxare, quando deficiunt à reseruatione iuxta dicta proportionaliter de eisdem quinque votis *sub q.2. Vide Bossium sect.2. casu 5. num.13. referentem Doctores pro vtraque parte*, de potestate Episcopi super dicta iuramenta. 28

Quæres 9. An prædicta de dispensatione accommodentur commutationi, ita quod Confessarij Regulares possint commutare vota, & iuramenta quæcumque etiam circa materiam quinque reseruatorum, quando reseruatione non afficiuntur?

Respond. Locum habent, imò omnia ferè priuilegia loquuntur præcisè de commutatione, vt videre est ex priuilegiis 2.3.& 4.relatis *quæst.1.*& ex illo Gregorij citato *sub quæst.5.* Et reuerà hisce nostris temporibus Confessarij Regulares non vtuntur dispensatione, sed commutatione, cum priuilegia quoad ad hoc sint clariora, & vsitatoria. *Ita Sanch lib.4.c.54.num,19.citans Suar. tom.2. de Relig.lib.6.de voto cap.26.n.17.* loquentes de commutatione quinque votorum, quando eorum materia non afficitur reseruatione. 29

Quæres 10. An Confessarij Regulares virtute suorum priuilegiorum vota Secularium in quid minus licitè commutare possint?

Respond. Possunt, probatur. Tum quia illud minus pro nihilo reputatur, ac proinde censetur commutatio quasi in æquale. Tum quia ex probabili opinione ipsemet vouens potest commutare suum votum in æquale euidenter, *vt docent Rodriq. tom.2.summ. cap. 102. num. 4. Vmald. in suo candel. Sacr. cap. 24. §. 15. Lessius lib.2. cap 40. num.91. Bonacin part.7.de voto §.3. num.8. quos, & alios pro se citat Bossius section.2. de Iubilæo casu 25.num 6.* ergo Confessarius potest commutare in quid minus, cum eius potestas sit efficacior voluntate vouentis. Tum quia res minor æquè præsumitur grata Deo, ac altera æqualis, cum vtraque sit apta ad cultum Diuinum, & Deus videtur esse contentus de eo, quod Confessarius facit eius nomine, cum prudenter se gerat. Demum in casu nostro, puto hoc certum, ex eo, 30

quod

quod Confessarij Regulares virtute suorum priuilegiorum non solùm possunt commutare, sed etiam simul dispensare, ratione cuius actus dispensationis simplectur illud quid minus per relaxationem, *vt docet Cajet. 2.2. quæst. 88 art. 12. quem pro se citat Graff. tom. 1. cons. 6. de voto num. 1. Sanch. lib. 4. cap. 50. num. 5.* Ita tenent *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 30. num. 7. Sair. lib. 6. cap. 18. num. 19. Bonac. part. 7. §. 3. num. 11. cum suprà citatis, quos pro se vocat Bossius sect. 2. de Iubilæo casu 25. num. 15. Diana p. 3. Miscell. V. resolut. 25. §. 4.* contra quamplures alios apud citatos, quos sequitur *Sanch. cit. num. 4.* asserens commutationem etiam ex vi priuilegiorum, non habentem admixtam dispensationem, faciendam esse in æquale si non euidenter saltem dubiè, aut opinatiuè, ea ratione, quod commutatio est contractus quidam inter commutantem nomine Dei, & vouentem; contractus autem requirit ex sui natura æqualitatem. Sed hæc ratio habet locum in contractibus fundatis in iustitia, qualis non est votum, quod fundatur in virtute Religionis, & fidelitatis, inter enim Deum, & homines iustitia propriè non est.

Quæres 11. An possint dispensare cum coniugatis in petitione debiti? Possunt autem coniuges priuari iure petendi debitum in duobus præsertim casibus. Primò, quando quis voto castitatis adstrictus de facto contrahit matrimonium, impeditur enim à petitione debiti ob votum castitatis. Secundò, quando quis rem habuit cum consanguinea suæ vxoris, *cap. 1. cap. Transmissæ, de eo, qui cogn.*

30 Respond. Possunt dispensare cum coniugatis ad petendum debitum, quia ideò non potest petere debitum, quia adhuc viget votum castitatis etiam respectu debiti coniugalis; sed Confessarius Regularis potest vi suorum priuilegiorum ex *quæst. 1.* dispensare in votis, etiam de materia reseruata, in quantum non est affecta reseruatione, cuiusmodi est votum castitatis, in quo possunt dispensare, quando illud relaxant ex parte, vt in casu nostro, in quo coniugatus non dispensatur in toto voto, sed solùm in parte, nempè ad petendum, & reddendum debitum. Præterea Pius V. viuæ vocis oraculo concessit hoc Confessariis Regularium deputatis à suo Prouinciali, *vt referunt Sorbus vers. dispensatio, ad finem, ex eo Pereg. tit. dispensatio §. 7. Sanch. lib. 4. cap. 43. num. 10. Portell. vers. Confessor erga secu'. num. 23. Compend. resolut. 32. num. 29. Diana resolut. 14. de Regul.* Qui omnes requirunt specialem deputationem factam à Prouinciali, quæ deputatio non expirat mortuo, vel amoto ab officio Prouinciali, *vt obseruant Portel. citat. & Compend. resolut. 114. num. 15. Bossius sect. 2. de Iubilæo casu 80. n. 28. sub num. 29.* ait cum aliis hoc procedere siue ante, siue post consumationem matrimonij, quod etiam prius dixit *Sanchez citat. num. 11.* Est autem hoc viuæ vocis oraculum, ideò ex vi eius non videntur posse dispensare, dixi tamen non obstare, ex probatis *resol. 6. quæst. 17.* vbi hoc iterum asserui in ordine ad casum reseruatum, quibus ibi dictis adde, eo priuilegio etiam sublato, adhuc posse Confessarios dispensare vi aliorum priuilegiorum, quibus possint dispensare in votis etiam de materia quinque votorum, modò non sit affecta reseruatione, quale est votum castitatis in ordine ad non petendum debitum, in quo possunt dispensare, quia non relaxant simpliciter totum votum castitatis, sed solùm illius partem, nempè ad petendum debitum, & hoc insinuat *Sanchez lib. 4. cap. 43. num. 12. & facimus dicta sub quæst. 2. §. Castitatis*; Vnde mortuo altero coniuge habens superstes votum castitatis media illa dispensatione ad exigendum debitum, non potest iterum contrahere, neque alios actus luxuriosos committere absque violatione voti, vt cum aliis docet Sanchez.

Quod ad dispensandum in petitione debiti, amisso iure ob incestum cum consanguinea vxoris, vt concessit Iulius II. Ordini S. Benedicti, vt videre est apud præcitatos, idem dicendum, quod superius expositum est de alia dispensatione, excepto hoc, quod in eo dispensare possunt, non prout pendet à ratione voti, cum hic nullum adsit votum, sed potius, vt pœna à lege inflicta, quamquam his nostris temporibus non sit necessaria huiusmodi dispensatio, cum hæc pœna priuationis exigendi debitum non incurratur nisi post condemnationem iudicis, aut vxoris innocentis prohibitionem, licèt possit adulter tunc etiam amicabiliter petere, quamuis non exigere. *Vide Sanch. lib. 1. disput. 68. Bonac. quæst. 4. de matrim. p. 5. num. 20. Nald. vers. Maritus, num. 10.*

Quæres 12. An Confessarij Regulares possint dispensare in ieiuniis, Vigiliis, & diebus festis cum secularibus?

31 Respond. Non possunt, quia ad hoc nullum habent priuilegium, *vt docet Compend. resol. 65. num. 13. qui resolut. 140. num. 12.* licèt dicat Curatos in minimis, & frequenter occurrentibus posse dispensare, cuiusmodi sunt obseruatio ieiuniorum, & festorum, tamen ab illis ad Confessarios Regulares non valet inductio, quia ea facultas illis tacitè permittitur ratione sui officij Parochiæ, & non Confessariis Regularibus, cum ex officio illis minimè incumbat cura animarum. Vnde neque dispensare possunt cum suis colonibus, vt in diebus festis laborent, *docet Belloch. de casib. reseru. q. 16. n. 184.* Verùm quidem est, quod in casibus veræ necessitatis occurrentibus possunt declarare eos non teneri ad aliquod ieiunium, aut festum, quia hoc non est dispensare, sed reddere certum pœnitentem de illa re, circa quam dubitabat, ac proinde stando dictis sui Confessarij pœnitens non ieiunando, vel laborando excusatur à peccato, quamuis aliàs ieiunium, & festum illum obligaret, stante bona fide, & consilio Confessarij, quod reputabat bonum, & legitimum consilium.

Quæres 13. An Regulares, vt possint vti dictis priuilegiis pro secularibus, debeant necessariò esse approbatos ab Episcopo ad audiendas Confessiones secularium, an sufficiat approbatio intra Religionem à solis Prælatis Regularibus?

32 Respond. Quamuis stando in rigore priuilegiorum, de quibus suprà *sub quæst. 1.* non videatur petita à Summis Pontificibus huiusmodi Episcopalis approbatio, cum in illis non exprimatur, sed solùm deputatio proprij Superioris Regularis, nihilominus omnes Doctores in supradictis quæsitis allegati dicunt huiusmodi priuilegia adhibenda esse à Confessariis, qui tales esse non possunt erga seculares, nisi approbati sint ab ordinariis locorum, & ita tenendum est, ratione id dictante, quia singuli Religiosi Sacerdotes etiam Confessarij inter Regulares non sunt indifferenter docti, & prudentes ad huiusmodi dispensationes faciendas, cum requirant in volente dispensare cognitionem multorum spectantium ad materiam votorum, iuramentorum, & cæterorum casuum conscientiæ, quorum notitia magis præsumitur in Confessariis Secularium, quam ipsorum Religiosorum tantùm, & consequenter benè responsum fuit huiusmodi approbationem necessariam esse.

Quæres 14. An approbatus ad certum genus personarum, possit nihilominus dispensare, seu commutare vota earum personarum, quas non potest audire in confessione?

34 Respond. Potest, Ratio est, quia illa limitatio refertur præcisè ad absolutionem Sacramentalem, sine qua potest fieri dispensatio, vt probo mox. Deinde tempore Iubilæi, qui erat approbatus pro solis viris, potest audire etiam fœminas virtute Iubilæi, vt probaui *resolut. 34. quæst. 28. §. Nihilominus*; ergo multò magis in casu nostro, in quo Sacramentalis absolutio non habet locum.

Quæres 15. An huiusmodi dispensationes, & commutationes dari possint extra Sacramentum Pœnitentiæ.

35 Respond. Possunt dari. Tum quia votum non est materia subiecta Sacramentali absolutioni, Tum quia

licèt

licèt ex *quæst.* 13. debeat esse Confessarius dispensans, & commutans vota, tamen non infertur, id præstandum esse in foro Sacramentali; cum huiusmodi suppositio Confessarij ad hoc munus peragendum sit tantùm, vt ritè, & prudenter se gerat Sacerdos in dispensatione votorum. Tum quia licèt in aliquibus ex relatis priuilegiis *sub quæst.* 1. mentio fiat de absolutione auditis eorum peccatis, ex hoc tamen non infertur id extendendum esse ad hoc exercitium votorum, cum ea dispositio restringatur ad absolutionem peccatorum, non votorum, quæ non sunt peccata; *Ita Sanch. lib. 4. cap. 43. n. 17.* de dispensatione votorum, *cum Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 16. num. 4.* & de commutatione *cap. 54. n. 16. illum pro se citat Compend. resolut. 3. num. 54. Portel. vers. Voti dispens. num. 51. Bossius sect. 2. casu 38. à num 5. Ghilinus vers. Votum nu. 45. Diana part. 3. resol. 9. de regul. vbi citat Tamburinum tom. 2. de iure Abbat. disput. 19. quæst. 2. n. 5. Sancium in suis Selectis disp. 14. num. 2. Layman lib. 4. tr. 6. cap. 10. num. 21. & alios, & tract. 5. Miscell. resolut. 25. §. 4. contra Peregr. in suo Compend. vers. commutatio §. 3. in Scholio citantem pro se Cordubam in summ. quæst. 152. & Sorbum vers. Votum, in suis Annot.*

Quæres 16. An vti possint huiusmodi priuilegiis erga aduenas ad se accedentes?

36 Respond. Possunt, quia id expressè dicitur in allatis priuilegiis *sub quæst. 1. ita Sanch. lib. 4. cap. 43. num. 15. de dispensatione, & c. 54. num. 59. & 60. Portel. vers. Voti disp. n. 103. Diana part. 3. tract. 5. Miscell. resol. 25. §. 4.*

Quæres 17. An Confessarij Regulares possint dispensare seculares ab irregularitate aliqua?

37 Resp. Non possunt, quia super hoc nullum priuilegium habent, neque necessitas, aut ratio dictat hoc, cum non sint subiecti Regularibus. Verùm quidem est, quod possunt dispensare cum volentibus ingredi Religionem, vt patet ex priuilegiis relatis *resolut. 10. quæst. 5.* Nec obstat, quod ex aliis refert *Portel. part. 1. casu 3. num. 1. de priuilegio Sixti IV. quod extendit Confess. pag. 87.* quia restringitur ad Religiosos subditos, quicquid dicat ex Rodr. extendi etiam ad seculares per Iulium II. quia de hoc non constat. Præterquam quod non video quomodo Irregularitas præsertim Bigamiæ ad maiores ordines sit reseruata illi Archiepiscopo Pirrho.

Quæres 18. An dispensans, vel commutans in reseruatis incurrat aliquam pœnam?

38 Resp. Nunc nullam videntur incurrere pœnam eo quod non reperitur expressa in iure Canonico; & pœna, quam ponit Sixtus IV. *in sua extrau. registrata inter extr. comm. cap. 5. de pœnit. & remiss. incip.* Et si Dominici, quæ est excommunicationis reseruatæ Papæ, ratò incurritur, cum ea sit præcisè contra solùm commutantes quinque vota reseruata, non quovis titulo, & facultate, sed tantùm virtute alicuius concessionis, seu priuilegij concessi ab eodem Sixto V. vt videre est ex eiusdem extrauaganti, & obseruant Doctores; *quos citat Sanch. lib. 4. cap. 40. num. 23.* vbi cum Sairo aduertit eam excommunicationem non incurrere dispensantem in illis votis, quia extrauagans nullam mentionem facit de dispensatione, sed solùm loquitur de commutatione. Dato igitur quod aliquis Confessarius Regularis commutet aliquod ex illis reseruatis virtute concessionis, seu priuilegij Sixti IV. absolui potest ab excommunicatione à suis Prælatis Regularibus virtute suorum priuilegiorum, cum possint absoluere in omnibus exceptis reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, de quorum genere non est iste casus excommunicationis. Ad quod faciunt *d. resol. 3. quæst. 1. & 2.*

RESOLVTIO XVI.

De potestate gratiosa Episcopi pro Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest absoluere Religiosum non licentiatum.*
2 *Potestas Episcopi gratiosa in quo consistat.*
3 *De licentia Superiorum se subiiciunt Episcopis.*
4 *Prior non licentiat pro reseruatis.*
5 *Neque alij inferiores.*
6 *Maiores licentiant.*
7 *Licentiati absoluunt à quibus licentiantes.*
8 *Quanam potestate Episcopus absoluat.*
9 *Licentiatus solùm ad proprium pro reseruatis Papæ.*
10 *Superior seipsum licentiat.*
11 *Licentia etiam præsumpta sufficit.*
12 *Licentiant solùm in casibus occurrentibus.*
13 *Quomodo Episcopi potestas amplior.*
14 *Absolutio data in ordinatione prodest.*
15 *Indulgentiæ datæ ab Episcopis prosunt.*
16 *Priuilegio Episcopi alienandi vtuntur Religiosi.*
17 *Priuilegio Episcopi reducendi onera Missarum vtuntur.*

IN Religione N. excommunicationis ob iniectionem manuum violentarum in Religiosum absolutio reseruata est Patri Prouinciali, si non sit homicidium, aut mutilatio, quia tunc reseruatur Generali; accidit, quod Prior quidam Conuentus in eam occultè incidit, cum autem longè multum distet à suo Prouinciali, neque occasionem ab hac extraneam habeat illum adeundi, accedit ad Episcopum suum, hoc est, vrbis, vbi habet Monasterium, & re illi narrata absolutionem ab excommunicatione obtinet, nolendo adire suum Prouincialem non tantùm ob longitudinem itineris, quam ne eius subditi deueniant in aliqualem cognitionem erroris ab eo perpetrati.

Difficultas est, An potuerit se facere absoluere ab Episcopo propria authoritate, vt de facto fecit. Videtur autem quod sic. Tum quia iure communi, *cap. Religioso 21. de sentent. excommun. in 6.* hæc facultas conceditur Episcopo absoluendi Regularem, qui percussit Clericum sibi subditum, ergo etiam, si percutiat suum Correligiosum, id enim est priuilegium fauorabile, ac proinde latè explicandum. Tum quia exemptio Religiosorum ab Episcopis est, ne ab his molestentur, sed vt quietiùs, & commodius Deo inseruiant in suis Monasteriis; sed absolutio hæc est omnino fauorabilis, & tribuit quietiùs, & commodius Deo inseruire, ergo respectu huius non dicuntur exempti, sed subditi eius Episcopi, in cuius Diœcesi habitant, nam de iure communi, ex probatis *resolut. 7. quæst. 1.* olim omnes Religiosi subiecti erant Episcopis. Tum quia nimia distantia Superioris dat præsumptam licentiam faciendi se absolui ab Episcopo. Tum quia idem præstare videtur conseruatio propriæ famæ, quam Superior conseruare tenetur non solùm vt est persona priuata, sed etiam vt Superior, ne subditi ex eius scandalo ad similia trahantur. His tamen non obstantibus.

Respond. Ille Prior nequaquam potuit se facere absoluere ab Episcopo loci, ac proinde data absolutio fuit nulla. Probatur, Tum quia Religiosi etiam quoad absolutionem dicuntur exempti ab Episcopo, ac proinde cum non sint neque in hoc illi subiecti, non possunt absolui. Antecedens probatur *ex Clem. cum ex eod. 3. de sentent. excommun.* vbi Papa concedit Episcopo facultatem absoluendi Fratres Minores ab excommunicatione contracta in quodam casu, non quidem potestate 1
ordinaria,

ordinaria, sed authoritate Apostolica delegata, eo quod 1 illi Religiosi sunt exempti, vt ibi dicit *gloss. fin.* Hac eadem facultate delegata vtitur Episcopus absoluendo ab excommunicatione ob percussionem Clerici Secularis Religiosum, vt patet ex prima obiectione, quæ contra nos non est, cum in casu nostro percussio terminauerit contra Religiosum subditum Priuti percutienti. Tum quia nullus Religiosus, quamuis etiam Superior, priuatim potest renuntiare priuilegiis exemptionis subiiciendo se Episcopo; ergo ille Episcopus nequaquam potuit illum absoluere, cum nulla ratione esset illi subditus, absolutio enim cum sit actus iurisdictionis, in qua absoluens se habet vt iudex, nulliter confertur in non subditum, vt omnes fatentur. Antecedens probatur *ex cap. si diligenti, de foro compet.* vbi dicitur, quod beneficio concesso toti Collegio Ecclesiastico renuntiari non potest à persona priuata, priuilegia autem Religiosis concessa sunt publica concessa toti Religioni in genere, & non huic, vel illi Religioso, ergo à priuatis Religiosis non potest renuntiari; & in terminis nostris, quod Religiosi non possiut renuntiare exemptionibus etiam respectu Episcoporum sine licentia Romani Pontificis, habetur *cap. cum tempore §. de arbitr. Rodr. q. 59. art. 9. Compend. resol. 18. num. 20. §. 1. & resol. 23.* Vnde patet ad secundam rationem Religiosos ab Episcopis esse exemptos etiam quoad fauores, ita quod propria authoritate non possunt se illis subiicere sine consensu sui Superioris. Ita sentiunt in terminis nostræ responsionis *Tabiena vers. Exemptus quæst. 6. Angel. vers. Exiom. 5. casu 1. num. 50. Rosella vers. Absolutio 3. num. fin. Armilla vers. Exemptio num. 9. Rodr. tom. 2. quæst. 63. art. 10. & tom. 1. quæst. 36. art. 5. eosdem sequitur Sanchez lib. 4. cap. 39. num. 38. cum Molina tom. 4. disp. 61. num. 3 §. Illud tamen obserua Megal. part. 1. lib. 1. cap. 13. nu. 10. vbi pro se citat Genuens. in sua praxi Archiep. c. 66. num. 19. cum aliis.*

Respondendum modo est rationibus oppositis, constat autem solutio primarum duarum in præcedentibus, vnde ad tertiam dico solam distantiam non dare huiusmodi licentiam, seu subiectionem in casu nostro, in quo duo attenduntur exemptio, & iurisdictio, & si enim maxima distantia operetur, vt qui non habet super aliquem iurisdictionem in foro conscientiæ, illam acquirat, vt probat *Beja part. 3. casu 2. §. Adde, per cap. cum longè dist. 63. cap. si quis incognitus 17. quæst. 2. cap. Tum ex literis 5. de in integrum restitut. iuncta gloss. vers. Locorum distantiam, ad finem, cap. Nihil, de elect. & c. 1. Ne Sede vac. in 6. Vnde Nald. vers. Abesse num. 11.* docet absentiam Prioris per vnum diem naturalem eius iurisdictionem circa reseruata transferre in suum Vicarium, seu Locum tenentem; hoc tamen, non sufficit in casu nostro, sed præterea deberet tollere exemptionem, & Religiosum subiicere Episcopo, quod fieri nequit, cum debeat interuenire præsumptus consensus totius Religionis. Deinde distantia hæc non est accidentalis, sed ordinaria, cum Pater Prouincialis cui reseruata est huiusmodi excommunicatio Regulariter resideat in vno tantùm Conuentu suæ Prouinciæ, ac proinde semper distat vniformiter à suis subditis extra proprium Conuentum, igitur si hæc distantia sufficeret, non solùm ille Prior, sed quicumque alij Religiosi extra Conuentum residentiæ Prouincialis possent accedere ad Episcopum pro absolutione reseruatorum, eo quod illa causa nempè distantia dans iurisdictionem semper actu vigeat; sed hoc est absurdum, & inconueniens, aliter nunquam accideret casus, quo subditi deberent accedere ad Superiorem pro reseruatis, ergo huiusmodi distantia nihil prodest. Ratio præterea Beiæ loquitur in casu necessitatis captiuorum inter infideles, vbi possunt confiteri simplici Sacerdoti, cui pia mater Ecclesia censetur conferre potestatem iurisdictionis ex illa distantia à Sacerdotibus Confessariis, & Naldus loquitur de Superiore casu absente à suo Conuentu.

Ad quartam rationem dico, conseruationem famæ non habere tantam vim subiiciendi illum Priorem Episcupo pro absolutione; ea enim posita necessitate poterat Prior accedere ad suum ordinarium Confessarium faciendo se absoluere directè à quibus poterat, cum obligatione se præsentandi suo Superiori tempore debito pro directa absolutione à reseruatione, iuxta quæ pluribus dixi, *& probaui resol. 6. quæst. 9. §. Tertia, & §. Ex his resoluitur.*

Quæres autem 1. Cum Episcopus non potuerit absoluere dictum Religiosum, in quo consistet huiusmodi potestas gratiosa Episcopi pro Regularibus.

Respond. Consistit in potestate absoluendi à peccatis, & censuris, dispensandi in Irregularitatibus, & in votis, & concedendi indulgentias, cum similibus gratiis: Ad hæc autem, & huiusmodi consequenda necessaria est licentia Superioris Regularis, qui indigentem aliqua ex prædictis fauoribus subiiciat Episcopo, siquidem Episcopus super Regulares nullum ius siue odiosum, siue gratiosum habere potest, cum sint ab illo exempti, & immediatè subiecti suis Superioribus, vnde ius super illos acquirere possunt solùm ex suorum Superiorum concessione, vel ex delegatione Summi Pontificis; posita ergo subiectione nulli dubium est posse Episcopum super illos iam subiectos exercere potestatem gratiosam, sicut & odiosam in aliquibus casibus, iuxta probata *resol. 7. per totum.* 2

Requiritur ergo licentia Superioris, qua mediante Religiosus de exempto fit subditus Episcopo, quoad hoc, vt ab eo absoluatur, vel dispensetur, isti enim sunt actus iurisdictionis, qui exerceri non possunt nisi in suum subditum. Itaque hæc licentia duos effectus parit, vnum, quod tollit exemptionem à Religioso: alterum, quod illum subiicit Episcopo. Primum, de renuntiatione exemptionis probatur. Tum quia exemptio Regularium ab Episcopo respicit duo, odiosa nimirum de quibus *Confect. in Summario tit. 5. cap. 1. 2. 3. & 4.* & fauores, cuiusmodi sunt receptio ordinum, absolutio, dispensatio, &c. Quando iura prohibent Regularibus renuntiationem priuilegiorum loquuntur de exemptione odiosa, non autem gratiosa, & fauorabili, cui possunt renuntiare in casibus occurrentibus, *vt docent Lapus, & Anchar. in cap cum nullus, de temp. ordin. in 6. num. 3. not. 4. quos, & alios pro se citat Sanchez lib. 4. cap. 39. num. 32.* Tum quia hæc non est propriè renuntiatio priuilegij exemptionis, sed in tali casu nolle vti, vel non posse, propter aliquod impedimentum, vel alium respectum. Tum quia Prælati Regulares variare, & restringere priuilegia possunt, *vt docet Rodriq. quæst. 6. art. 2.* & ea interpretari, vt concessit Iulius II. Constit. *Considerantes, apud Confect. pag. 112.* Secundum de subiectione probatur, *Tum ex cap. Luminoso 18. q. 2.* vbi Abbas subiicit suum Monachum Episcopo. Tum quia priuilegia, & exemptiones conceduntur in gratiam, & fauorem ipsorum Religiosorum, vt docent omnes, ergo non debent operari contrarium effectum, & verti in eorum odium, contra illam Regulam 61. in 6. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum; retorqueretur autem si non posset subiici Episcopo. Tum quia *Corduba super Compend. priuileg. versic. Absolutio ordin. quoad Fratres §. 1.* testatur adesse priuilegia, quibus Religiosi possunt subiici ordinario pro absolutione. Tum quia licèt exemptus non possit se submittere Superiori extraneo sine licentia Papæ, tamen Ordinario alias suo potest se submittere, docet *Papponius lib. 2. cons. 1. num. 13.* quia quælibet res facilè reuertitur ad suum principium, & suam naturam, alias autem omnes Religiosi erant subiecti Episcopo de iure communi, ergo facili negotio iterum reduci possunt, maximè fauore suarum animarum. Tum quia Religiosi quoad Sacramentum pœnitentiæ sunt subiecti in omnibus suis Prælatis, ergo dare possunt illis licentiam subiiciendi se non solùm Episcopis, sed etiam aliis Sacerdotibus.

Quod de licentia suorum Superiorum possint se subiicere

3 subiicere Episcopis, qui illis absoluere possunt ab omnibus, à quibus possunt absoluere suos subditos, *docent Federic. consil. 14. à num. 5. Rodriq. tom. 1. cap. 13. numero 2. Siluest. versic. Absolutio 5. num. 2. quos pro se citat Sanchez lib. 4. cap. 39. num. 32.* qui loquuntur etiam de dispensatione virtute Concilij *cap. 6. sess. 24. quibus adde Nauarr. consil. 8. de offic. ordinar. Graff. lib. 4. cap. 16. num. 1. Bonacin. de voto part. 7. §. 4. num. 10.* vbi de dispensatione, & absolutione, quos & alios citat etiam *Bossius sect. 1. de Iubilao casu 10. num. 159. Portell. versic. Episcopus num. 13. & in Addit. num. 2.* vbi probat Episcopum posse absoluere Religiosum ab hæresi, *Compend. resolut. 3. num. 6. & 15. Nald. versic. Exemptio num. 4. & versic. Religiosus num. 13. Portell. part. 1. casu 12. num. 2. Contra Ioannem Andr. Lapum, Feder. & alios cum Valero vers. Regularis differ. 6.* asserentes etiam sine licentia posse Religiosos se subiicere Diœcesano pro absolutione, & dispensatione irregularitatum, & votum, etiam Papæ reseruatorum, virtute Sacri Concilij *cap. 6. sess. 24.*

Quæres 2. An Superior Regularis possit licentiare suum subditum, vt absoluatur ab Episcopo ab illis reseruatis, à quibus ipse licentians absoluere non potest? Quæstio autem procedere potest dupliciter. I. Respectu casuum reseruatorum intra Religionem, exempli gratia, An Prior possit ita licentiare suum subditum, vt absoluatur ab Episcopo à reseruatis Prouinciali, vel Generali, à quibus ipse non potest absoluere? Idem quæritur de Prouinciali respectu casuum Generalis. II. Respectu casuum reseruatorum Papæ, nimirum in Bulla Cœnæ Domini, à quibus Prælati Regulares absoluere non possunt suos subditos, secundum probabilem opinionem, quam tenui *resolut. 3. quæst. 2.* An illos licentiare possint, vt absoluantur ab Episcopo, qui virtute *cap. 6. sess. 24.* absoluere potest, & dispensare in omnibus reseruatis, etiam ab hæresi, & aliis reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, quæ illi decreto non derogauit, *vt docent Portell. vers. Episcopus in Addit. num 1. Fagund. lib. 8. de precept. quæst. 8. num. 82. quos, & alios citat Barbosa ad citatum cap. num. 67. alios citat pro se Bossius sect. 1. casu 10. num. 10.*

4 Respondeo. Loquendo de casibus intra Religionem reseruatis, non potest Prior licentiare, vt absoluantur ab Episcopo à reseruatis Prouinciali, seu Generali; neque Prouincialis respectu casuum Generalis; vtique verò Prouincialis pro suis, sicut Generalis pro suis, & reseruatis Prouinciali potest subiicere Episcopo. Hi verò omnes, quando casus est in Bulla Cœnæ Domini, aut alius Papalis, possunt suum subditum licentiare ad Episcopum, vt ab eo absoluatur, vel dispensetur.

5 Primùm, de inferioribus Prælatis respectu casuum reseruatorum suis maioribus, probatur; Tum quia inferior per se nil disponere potest circa casus reseruatos maioribus Prælatis, ergo neque subditum subiicere Episcopo. Tum quia quoties Religiosi habent remedium ordinarium non debent recurrere ad extraordinarium, *leg. in causa ff. de min. ex gloss. vers. De gratia duximus, cap. cum olim, de priuileg.* Tum quia aliter frustraretur reseruatio Superioris, quæ est vt ad ipsum fiat recursus, & non extra Religionem. *Ita docet Molina tom. 4. disput. 61. num. 3. §. Illud tamen obserua, & ex eo Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 38. Duardus lib. 3. Bulla §. 2. q. 11. num. 27. & cum eo Bossius sect. 1. de Iubilao casu 10. num. 263.* Intellige, nisi Prior habeat facultatem absoluendi ab illis.

6 Secundùm, quod Prælati maiores possint licentiare suos subditos, vt absoluantur ab Episcopo, vel alio à casibus sibi reseruatis, probatur iisdem rationibus quibus probata est responsio ad primum quæsitum, quia cum habeant potestatem ordinariam, illam aliis delegare possunt, & in hoc non puto aliquam esse difficultatem, quicquid videatur dicere in contrarium *Portel. ver. Episcopus, in Addit. n. 4. Vide Bossium sect. 1. casu 10. n. 159.*

Tertiùm, quod sic licentiati possint absolui ab Episcopo suo Diœcesano à reseruatis Papæ, à quibus Prælati licentiantes absoluere, vel dispensare nequeunt, 7
probatur. Tum quia Episcopus virtute illius capitis potest absoluere non solùm subditos suos ordinarios, sed etiam in sua Diœcesi degentes aduenas, mercatores, & alias personas commorantes maiori parte anni, *vt docent Suar. tom. 4. de Pœnit. disputat. 30. sect. 2. num. 3. Sanch. lib. 3. disput. 23. num. 12. & lib. 2. cap. 11. num. 8. ad 17. Nald. vers. Absolutio à peccatis num. 9. quos, & alios citat Barbosa ad hoc cap. num. 50.* ergo potest etiam absoluere Religiosos, cum magis sint subditi, quam aduenæ. Tum quia Prælatus potest subiicere Episcopo suos subditos respectu propriorum casuum, ex probatis §. 2. ergo etiam respectu reseruatorum Papæ, eo quod maior necessitas reperiatur in hoc casu, quam in alio. *Ita docet Molina tom. 4. disp. 61. num. 4. corollar. 2. Auila part. 2. de cens. cap. 7. disput. 1. dub. 6. Suar. Henr. quos, & alios pro se citat Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 35. Bossius sect. 1. casu 10. num. 159. Vide resol. 2. quæst. 11. & resol. 34. quæst. 4.*

Quæres 3. Qua potestate, seu iurisdictione, propria ne, an delegata per licentiam Prælati Regularis Episcopus absoluat, vel dispenset cum Religioso ad se licentiato?

Respond. Quando Episcopus absoluit vel dispensat 8
in casu, in quo Prælatus Regularis poterat absoluere, vel dispensare, in eo casu dicitur hæc præstare potestate sibi delegata à Superiore Regulari, quia licentia, qua suum subditum subiecit Episcopo, vel alio Sacerdoti, nil aliud est, quam delegatio propriæ potestatis commonicatæ Episcopo. In quo etiam casu dici potest Episcopum sua propria iurisdictione ordinaria vti fauore Religiosi, quia is per subiectionem effectus est subditus Episcopo, in cuius Diœcesi habitat, ac proinde cum tunc reputetur vti ordinarius subditus absoluitur, & dispensatur potestate ordinaria, sicut dispensantur Seculares subditi. Quando autem Episcopus absoluit ab illis casibus, à quibus non potest absoluere Superior licentians, tunc beneficium absolutionis impendere dicitur potestate propria sibi à iure concessa virtute *c. 6. sess. 24.* Faciunt dicta *resol. 34. quæst. 4.*

Quæres 4. An Religiosi licentiari possint ad quemcumque Episcopum, aut alium Sacerdotem?

Respond. Quando licentiant respectu peccatorum, 9
& censurarum, a quibus ipsi absoluere possunt, tunc indifferenter ad quoscumque Sacerdotes licentiare possunt, quia per illam licentiam confertur delegatio, & facultas absoluendi Sacerdoti electo, quæ cuilibet Sacerdoti idoneo communicari potest. Quando verò Superior Regularis non potest relaxare, tunc non potest licentiare nisi ad proprium Episcopum, in cuius Diœcesi Religiosus manet de familia, vel ibi habitaturus est maiori parte anni, quia potestas concessa Episcopis absoluendi, & dispensandi in occultis reseruatis Papæ restringitur solùm ad subditos, sub quo nomine veniunt non solùm Clerici, & Seculares ibi habentes domicilium, qui propriè dicuntur subditi, sed etiam aduenæ, mercatores, & Religiosi maiori parte anni permansuri, vt dixi suprà *quæstione 2. §. 3.* Doctoribus citatis, quibus adde *Floronum parte 1. de casibus reseruat. cap. 4. §. 7. num. 10.* ergo vt licentia prosit licentiandi sunt ad proprium Episcopum. *Ita docent Sanchez libro 4. cap. 39. num. 39. Floronus citat numer. 12.*

Quæres 5. An Superior alios licentians possit seipsum licentiare?

Respond. Potest, quia non debet esse deterioris con- 10
ditionis suis subditis, & potest vti eadem licentia, qua subditi vtuntur. *Ita Sanchez lib. 4. cap. 39. n. 37. vbi citat Henr. Auilam, & Suar. quos sequitur Bossius sect. 1. casu 10. num. 162. vbi alios citat; faciunt dicta resol. 3. q. 9. & resol. 10. quæst. 13.*

Quæres

Quæres 6. Qualis debeat eſſe huiuſmodi licentia, expreſſane, an ſufficiat tacita, ſeu præſumpta?

11 Reſpond. Certum eſt, Religioſos ſine vlla licentia non poſſe ſe ſubiicere pro abſolutione, vel diſpenſatione Epiſcopo, vel alio extraneo Sacerdoti; quia quod ad hæc ſubiecti ſunt diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, vt notum eſt, requiritur ergo licentia aliqua, non eſt autem neceſſaria expreſſa, ſed ſufficit tacita, & præſumpta, quando nimirum de præſenti ſcit, & non contradicit, iuxta dicta *reſolut. 4. quæſt. 3.* qualis eſt etiam quando Prælatus eſt impeditus, eo quod ſit excommunicatus denuntiatus, vel longè abeſt caſu, & alius non eſt eius vices gerens. *Ita docet Sanchez lib. 4. cap. 39. num. 35. vbi citat Henr. de Sacrament. Pœnitent. cap. 16 num. 8. Littera T, D. Anton. part. 3. tit. 24. cap. vltimo, §. 1. verſ. Et nota, Silu. verſ. Apoſtaſia quæſt. 8. num. 71. ad finem; reddit rationem Sanch. num. 36.* quia in illis caſibus præſumitur Papa, & Religio conſentire, vt Religioſus abſoluatur ab Epiſcopo, ne cogatur vagari, quod periculoſum eſt Religioſis, *vt ex illo docet Molina tom. 4. diſp. 61. num. 5.*

Quæres 7. An Prælati Regulares, quando ipſi poſſunt abſoluere, poſſint non ſolùm in caſibus occurrentibus licentiare ſuos ſubditos, ſed etiam ordinariam licentiam facere antequam caſus occurrat? vt ſi Superior concedat alicui facultatem faciendi ſe abſoluere toties, quoties indigebit per tres, aut ſex menſes, &c.

12 Reſpond. Quando Superior per ſe poteſt abſoluere, vel diſpenſare, rariſſimè debet huiuſmodi licentiam concedere Religioſo in Conuentu moranti, quia non dicitur vti, ſed abuti ſua poteſtate, quam habet in ædificationem, non in deſtructionem diſciplinæ Regularis, neque in detrimentum animæ licentiati, cui per hoc tribuitur occaſio, & facilitas peccandi. Quod ſi ſubditus indiget abſolutione, vel diſpenſatione, quam intra Religionem habere non poteſt, non ſolùm debet, ſed tenetur in caſibus occurrentibus, & non ordinariis facere illi licentiam, vt accedat ad Epiſcopum, in cuius Diœceſi eſt de familia conſtitutus, vel moraturus eſt maiori parte anni. In quo caſu non poteſt negare licentiam Religioſo iuſtè petenti acceſſum ad Epiſcopum, niſi Superior legitimè arbitretur, eſſe denegandam, & mittendum ad Sedem Apoſtolicam Religioſum, *vt docet Molina diſput. 61 num. 5. cum aliis, quos citat Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 34.*

Quæres 8. An hactenus dicta procedant ſpeculatiuè, & ex ſuppoſitione, quod Prælati Regulares non habeant tantam poteſtatem ſuper ſuos, quantam habet Epiſcopus ſuper ſuos ſubditos? Nam quæſito 2. dictum fuit Epiſcopum poſſe ſuper caſus Bullæ Cœnæ Domini vigore *cap. 6. ſeſſ. 24.* cui non derogatur per annualem promulgationem eiuſdem Bullæ, ſuper quos non poſſunt Prælati Regulares, ac proinde dicta hactenus procedunt abſolutè, & in praxi, & non tantùm ſpeculatiuè, ex alia parte probaui *reſol. 2. quæſt. 9.* ampliorem poteſtatem habere Prælatos maiores Regulares, quàm Epiſcopos, ergo fruſtra fit acceſſus ad Epiſcopum, quoties Prælati Regulares poſſunt diſpenſare, & abſoluere, imò tunc non poſſunt accedere.

13 Reſpond. Prædicta vtroque modo ſe habere poſſunt, nam ſtando in iure priuilegiorum, Prælati Regulares non poſſunt abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ, vt probaui *reſolut. 3. quæſt. 2.* ac proinde cum ab illis abſoluere poſſit Epiſcopus, de facto ad hunc recurſum habere poſſunt. Quod ſi ſpectemus priuilegium Tridentini, ſicut non fuit ſublatum Epiſcopis, ita neque Prælatis Regularibus habentibus quaſi dignitatem Epiſcopalem, cum non ſit maior ratio de vno, quàm altero, imò potior ratio ſuadere debet, vt remaneat potiùs pro Religioſis, quàm Secularibus quibus non denegatur vagatio, cum illis non ſit periculoſa, ſicut Regularibus, & in hoc ſenſu non datur acceſſus Religioſis ad Epiſcopum neceſſarius, cum ipſi Superiores poſſint illorum fauore, quicquid poteſt Epiſcopus; dico, *neceſſarius*, quia ex poteſtate ordinaria poſſunt illos licentiare ad Epiſcopum, vel alium abſoluendos, vel diſpenſandos in illis caſibus, in quibus poſſunt ipſi.

Quæres 9. An abſolutio ab excommunicatione, & diſpenſatio ab irregularitate generaliter data ab Epiſcopo præparatis ante ſe pro receptione ordinum proſit etiam Religioſis ab eo exemptis?

Reſpond. Prodeſt, quia in hoc caſu Epiſcopus ordinans dicitur eorum Superior, & in hoc ab eo non ſunt exempti, ſed ſubditi, ſicut ſunt Seculares. *Ita docet Ignatius Lupus in ſuis commentar. de caſibus reſeruat. Bergomi part. 1. diſtinct. 19. differ. 2. art. 1. vbi pro ſe citat Silueſt. verſic. Irregularitas quæſt. 9. in fine, Henr. lib. 10. de Sacram. ordin. cap. 20. num. 2. Peyrin. tom. 1. ad Conſtit. 1. Iulij II. num. 43.* 14

Quæres 10. An Epiſcopi concedere poſſint indulgentias Regularibus perſonis, & eorum Eccleſiis?

Reſpond. Archiepiſcopus poteſt concedere indulgentiam per totam Prouinciam, vt expreſsè dicitur *cap. Noſtro 15. de pœnitent. & cap. Quod autem 4. eod.* dicitur quod Prælati non poſſunt concedere indulgentias niſi ſuis ſubditis, & alios de licentia ſui iudicis idest Superioris. Igitur indulgentia conceſſa ab Epiſcopis non poteſt prodeſſe Religioſis exemptis, niſi de licentia proprij Superioris. *Ita Rodriq. quæſt. 22. art. 7. Corduba lib. 5. quæſt. 13. dub. 2.* De iure autem communi Epiſcopus in die dedicationis concedere poteſt annum indulgentiæ, in anniuerſario verò dies quadraginta, & non vltra, expreſsè *cap. Cum ex eo 14. de pœnitent.* exceſſus autem nullus eſt, & nihil prodeſt, vt inde colligitur, & expreſſius *cap. final. eodem in 6.* ſiue id fiat ab vno, ſiue à pluribus Epiſcopis ſimul Eccleſiam conſecrantibus. Hanc autem indulgentiam concedere poſſunt Eccleſiis omnibus ſuæ Diœceſis etiam Regularibus, quia Eccleſia vt ſic non eſt exempta, cum ſine ipſo fundari non poſſit Conſtit. *Dum intra. Concil. Later. ſub Leone X. apud Confeſſ. pag. 127. Rodr. q. 28. art. 1. cum ſuo Compend. reſol. 9. n. 2. Confeſſ. tit. 18. c. 4. & 5.* Sufficit autem quæcumque licentia etiam præſumpta, & non repugnantia, ſeu non prohibitio Superioris, quia illi nullatenus id præiudicare poteſt, modo obedientiæ non reſiſtat. 15

Quæres 11. An Epiſcopi priuilegium alienandi res Eccleſiaſticas ſuæ Diœceſis, inconſulto Romano Pontifice, commune ſit Clericis Secularibus, & Regularibus?

Reſpond. Affirmatiuè, *reſol. 27. quæſt. 27.* 16

Quæres 12. An Epiſcopi priuilegium reducendi onera Miſſarum ſuæ Diœceſis ſit commune etiam pro reducendis Miſſis Regularium?

Reſp. Affirmatiuè. *reſol. 25. quæſt. 23.* 17

RESOLVTIO XVII.

De benedictione, & conſecratione rerum Eccleſiaſticarum apud Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Abbas Caſſinenſis benedicit Calices extraneorum.*
2 *Prælati Regulares benedicunt Paramenta.*
3 *Quæ non poſſint benedicere.*
4 *Calices, Altare, neque Campanas.*
5 *Neque primum lapidem.*
6 *Benedicere poſſunt nouam Eccleſiam.*
7 *Pollutam benedicunt.*
8 *Sacerdotes ſimplices non poſſunt.*
9 *Propria tantùm benedicunt.*
10 *Caſſinenſes propria, & extranea benedicunt, ſeu conſecrant.*
11 *Tertij Ordinis priuilegium.*
12 *Domos in die Sabbati Sancti nequeunt.*

13 *Extra illum diem benedicunt.*
14 *Sponsas benedicere non possunt.*
15 *Benedictio noua Mensa induci non potest.*
16 *Purificare possunt mulierem ex partu.*
17 *Capellanus benedicit Aquam in Oratorio.*
18 *Benedictio, & consecratio in quibus differunt.*
19 *S. Blasij benedictio ingutture vbique confertur.*

1 ABbas Cassinensis oblatum à Religioso Mendicanti Calicem benedicendum reiiecit, asserendo non posse consecrare Calices extraneorum, sed tantùm ad vsum propriæ Ecclesiæ, & in testem sui asserti adducit declarationem Sacræ Congregationis sub die 24. Augosti 1609. & consuetudo in contrarium abrogata fuit ab eadem Sacra Congregatione, die 18. Augusti 1629. vnde dixit accedendum esse ad Episcopum loci pro consecratione. Et in terminis, quod Abbas non possit benedicere campanas extraneorum probat *M. Anton. lib. 2. resol. fin. casu 3.*

Ego autem dico illum Abbatem potuisse consecrare Calicem cum patena, quia tale priuilegium habent non solùm pro suis Ecclesiis, sed etiam pro extraneis, vt probat Tamburinus *tomo 1. disputat. 23. quæst. 13.* vbi ait Abbates Cassinenses habere priuilegium consecrandi Calices non solùm proprios, sed etiam alienos, vt docent *quæst. 2.* vt ex eo refert *Gauantus versic. Abbas num. 21. & 22.* quicquid dicat *Ricciùs in praxi fori Eccl. decis. 539. apud eundem Gauant. num. 29.* Itaque Abbas iste potuit benedicere non solùm Calicem, sed etiam patenam illi accessoriam, campanas, & lapideum Altare, in quibus omnibus interuenit Crisma, & Vnctio, ex quo prædicta omnia dicuntur consecrari. Supranominatum priuilegium Abbatum Cassinentium benedicendi ea, in quibus etiam Vnctio interuenit, non sublatum per Tridentinum, declarauit Sacra Congregatio sub die 10. Nouembr. 1614. cuius verba refert *Nald. versic. Abbas num. 4.*

Neque obstat declaratio citata Sacræ Congregationis, quia ea loquitur de benedictione Paramentorum, vnde Abbates, & alij Superiores Regulares non possunt benedicere Paramenta Ecclesiarum sibi non subditarum, *vt ex Tamburino tomo 1. dispus. 22. quæst. 2. num. 2. refert Gauantus vers. Abbas num. 30. infra quæst. 4.* Nomine autem Paramentorum non veniunt Calices, campanæ, Altare, &c. vt de se constat, sed solùm vestes Sacerdotales, & ornamenta Calicis, vt Corporale, Purificatorium, &c.

Quæres 1. An Prælati Regulares habeant priuilegia benedicendi Paramenta, cuiusmodi sunt vestes, quibus Sacerdos induitur in celebratione Diuinorum Officiorum, & ornamenta adherentia Calici, vt sunt Corporale, Purificatorium, Pallas, Cruces, Tobaleas, &c.

2 Respondeo. Habent. Primum sit Bonifacij IX. concessum Dominicanis, Constitut. *Sacræ Religionis*, apud Confect. pag. 26. illis verbis. *Huiusmodi Fratres valilibet constitutis candelas, aquam, Sal, Palmas, & alia ornamenta in eorum Ecclesiis seruatis solemnitatibus consuetis benedicere.* Est concessio amplissima communicata non solùm Superioribus, sed etiam subditis benedicendi ibi res expressas, & ornamenta, quo nomine sine dubio veniunt Paramenta Sacerdotalia, & ornamenta Calicis, & Altaris. Secundum est Iulij II. concedentis Generali, & Prouincialibus Minimorum atque eorum Vicariis facultatem benedicendi Corporalia, & alia ornamenta Ecclesiastica suorum locorum, & domorum, præter Calices, & Patenas, vt refert *Sorbus vers. Benedicere, §. 11.* Tertium est Leonis X. in sua Constitut. *Religionis suadet honestas*, concessum viuæ vocis oraculo à Sixto IV. apud *Sorbum vers. Benedicere §. 4.* confirmatum Minoribus de obseruantia, illis verbis. *De vestri ordinis Generalibus, & Prouincialibus, Vicariis, ac Custodibus, & Guardianis pro tempore existentibus, vt omnia, & singula eiusdem ordinis, & obseruantia Ecclesia, cœmiteria, & Capitula, & Oratoria, vbicumque existentia receptas, & recepta, recipiendas, seu recipiendas paramenta, & ornamenta, ac alia quacumque ad Diuinum cultum, & vsum vestrum necessaria, in quibus Crisma non interuenit pro vestro vsu tantùm solemni benedictione, ac etiam per Vicarium, seu Guardianos, aut alios ad hoc à vobis in vestris capitulis Generalibus prouide deputandos benedicere. Ac illos, seu illa, & eorum qualibet sanguinis, seu seminis effusione, seu alias quomodolibet pollutas, seu polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos, præsertim in locis remotis, vbi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poteritis, benedicta, reconciliare liberè, & licitè valeatis*; apud Confect. pag. 140. Omnes ergo Superiores, ac eorum Vicarij, excepto Vicario Guardiani possunt benedicere omnia, in quibus non interuenit Crisma. Alij verò Fratres eo priuilegio vti non possunt, nisi sint ad hoc specialiter deputati in Capitulo Generali. Ex hoc tamen non denegatur Prælatis eisdem, quin possint delegare hanc potestatem suis Sacerdotibus in casibus occurrentibus, quia potestas concessa Prælatis per priuilegia perpetua, est ordinaria, *Bartol. in leg. Ambitiosa, ff. de decret. ab ordin. factis, num. 34. Bald. & Imol. in cap. fin. de offic. ordinar. Sanchez lib. 2. disputat. 40. num. 14. & libro 8. disputat. 2. num. 10.* Ordinaria autem potestas delegari potest, *cap. Aqua 9. de consecrat.* ergo prælati Superiores hanc ordinariam potestatem benedicendi delegare possunt suis Sacerdotibus, non obstante illa deputatione facienda in Capitulo Generali, quæ censetur Regularis potestas, & non nudum ministerium in casibus occurrentibus delegatum. Quartum sit Gregor. XIII. concessum Prælatis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, Constitut. *Exposcit*, 31. in Nouo Bullario, benedicendi vasa, vestimenta, & ornamenta Ecclesiastica, *refert Peregr. in suo Compend. titulo Benedicere. Vide alia apud ipsum, & Sorbum, Compend. resol. 14. Portell. vers. Benedicere, & vers. Vicarius.*

Constat ergo ex allatis priuilegiis Superiores Regularium, & eorum vicesgerentes posse benedicere Paramenta, Corporalia, & cætera ornamenta Ecclesiastica, in quibus non interuenit Crisma; & cum Regulares omnes inter se communicent priuilegia, possunt nostri Superiores, & ab illis deputati, & Prælati aliarum Religionum benedicere huiusmodi res Ecclesiasticas, Confect. *tit. 18. cap. 4.*

Quæres 2. An Prælati Regulares possint benedicere Calices cum patenis, Altaria, campanas, Ecclesias nouas, & pollutas, atque cœmiteria, & huiusmodi, in quibus interuenit Crisma.

Resp. Prælati Regulares non possunt benedicere Calices cum patenis, neque Altaria, neque campanas; neque benedicere primum lapidem pro Ecclesia ædificanda; vtique eandem post ædificatam benedicere, vt ibi celebrari possit, non autem consecrare, vtique pollutam reconciliare, siue sit consecrata, solùm benedicta, iuxta mox dicenda, idem dic de cœmiterio polluto reconciliando, seu primo benedicendo. 3

Primum de Calice, & patena, Altari, & campana colligitur ex secundo priuilegio, vbi excipiuntur Calices cum patena, & ex tertio priuilegio, vbi excipiuntur ea, in quorum benedictione interuenit Crisma, quod adhibetur in consecratione Calicis, & Altaris, *vt notat Portell. versic. Benedicere num. 1. expressè cap. Vnic. de Sacra Vnctione §. Vngitur*, & etiam in benedictione campanæ, vt videre est in Pontificali; Vnctio autem non pendet à potestate ordinis, neque à iurisdictione, sed à potestate Episcopali, ideò Papa nulli non Episcopo solet concedere huiusmodi priuilegium benedicendi cum Vnctione, quod est propriè consecrare. *Vide Mirand. tom. 2. quæst. 40. art. 4.* 4

Secundùm, quod non possint benedicere primum lapidem, quamuis in eo non adhibeatur Vnctio, probatur, quia hæc facultas de iure competit Episcopis 5

ex

ex titulo de Relig. dom. tutul. de Capellis, Syluest. verf. Ecclesia 2. num. 1. & aly communiter; Neque eam consecrare, aut cœmiterium, quia in his interuenit Vnctio, & est actus ordinis Episcopalis *cap. Aqua 9. de consecratione Ecclesia, & de Vnctione cap. 1. de Sacra Vnctione, §. Vngitur*, In his enim tribus casibus Regulares nil possunt pro suis Ecclesiis, sed pro his recurrere habent ad proprium Episcopum, qui si requisitus nollit intra quatuor menses, possunt alium postulare. Ita concessit Honor. I V. Ordini Prædicar. Constitut. *Ex parte vestra*, apud Confect. pag. 20. illis verbis; *Vt si Diœcesani prædicti à vobis humiliter requisiti, huiusmodi lapidem in prædictis Ecclesiis, vel Oratoriis ponere, aut Ecclesias, vel Oratoria prædicta, ac etiam Altaria vestra consecrare, & cœmeteria benedicere denegauerint, vel id facere vltra quatuor menses distulerint, vos per quoscumque malueritis Episcopos, &c.* Quod postea eidem Ordini confirmauit Bonifac. IX. Constitut. *Sacra Religionis*, apud eundem Confect. pag. 26. Aliud priuilegium ampliùs vocandi quemcumque Episcopum, sine præiudicio proprij, concessit Eugen. I V. *Et si quælibet*, apud Confect. pag. 38. Monachis Sanctæ Iustinæ Ordinis Sancti Benedicti Leo X. Constitut. *Dum intra*, apud Confect. pag. 129. ita decreuit his verbis. *Nec ab alieno Episcopo consecrationem Ecclesia, vel Altaris, aut cœmiterij benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eos, pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi vbi ordinarius bis, aut ter, cum debitis reuerentia, & instantia requisitus, sine legitima causa recusauerit*, *Vide Mirand. tomo 2. quæst. 40. art. 5.*

5 Igitur ex his infertur nullum Regularem Prælatum ordinum præsertim Mendicantium posse ponere primum lapidem, aut Ecclesias, Calices, & cœmiteria consecrare, sed id spectare ad Episcopum loci, vel ad extraneum vocatum, si proprius sine legitima causa, recusauerit. Neque his obstat *cap. 5. sess. 6.* vbi prohibetur Episcopo prætextu cuiusvis priuilegij exercere Pontificalia in alterius Diœcesi, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem ordinario tantùm subiectas: Quia loquitur solùm de Sacra Ordinatione, & non de aliis. Præterea dato quod loquatur vniuersaliter, Concilium non intrat in casu nostro, quia loquitur, quando extraneus Episcopus exercet Pontificalia prætexto priuilegij sibi concessi, in caso autem nostro exercet munus quatenus vocatur à Regularibus habentibus priuilegium proprium. *Compend. resol. 9. num. 2. & resol. 53. num. 4.*

6 Tertiò, de benedictione nouæ Ecclesiæ, vt in ea possit celebrari, *colligitur ex priuilegio 3. relato quæst. 1. & docet Confect. tit. 18. cap. 4. §. Generales, Peregr. ver. Benedicere, Compend. resol. 53. num. 2. Mirand. tom. 2. quæst. 39. art. 1. concl. 3. Vide decis. 124. & dub. 167.* vbi rem latius examinaui.

7 Quartùm, quod possint reconciliare Ecclesiam etiam consecratam pollutam, etiam cœmiterium concessum fuit à Leone X. cuius verba retuli *sub quæst. 1.* cum ea restrictione, modo aqua sit prius benedicta ab Episcopo, qui non distet per duas dietas, qua distantia posita possunt easdem reconciliare aqua à se benedicta. *Mirand. tom. 2. quæst. 39. artic. fin. conclus. 3. Compend. resolut. 13. num. 5. Confect. tit. 18. cap. 5.* Qui distinguit duplicem benedictionem, vna fit de aqua tantùm, quæ adhibetur ad reconciliandam Ecclesiam, vel cæmiterium solùm benedicta, *cap. si Ecclesia 10. de consecr. Eccl. altera fit de vino*, & cinere necessariis ad reconciliandum Ecclesiam, & cæmeterium consecrata, *cap. penult. eod.* Quando igitur Ecclesia polluta non est consecrata sine dubio reconciliari potest per ipsos Prælatos simplici aqua à se benedicta non solùm iure priuilegij, sed etiam quia hæc reconciliatio non prohibetur simplici Sacerdoti de iure *cap. fin. de consecr. iuncta gloss. verf. Lauetur, docet Mirand. cit. artic. 8. conclus. 1. citando Syluest. Nauar. Sot. Henr.* Nihilominus simplex Sacerdos Ecclesiam non consecratam reconciliare nunc non potest, quia in nouo Rituali Romano, dicitur, quod Ecclesiæ violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat.

Quæres 3. An Sacerdotes Regulares non Superiores possint benedicere Paramenta Ecclesiastica?

8 Respond. Stando in priuilegio Bonifacij I X. cuius verba retuli *sub quæst. 1.* omnes Sacerdotes Regulares possunt benedicere ornamenta Ecclesiastica, vt ibidem obseruaui. Quod priuilegium concessum fuit Dominicanis, apud quos est in obseruantia vt testatur *Portell. versic. Benedicere in Addit. num. 1.* non illud Sixti I V. concessum Minoribus de Obiero. contra ipsummet Portellum ibidem, qui cum *Mirand. tom. 2. quæst. 40. artic. 1.* asserit virtute priuilegij Sixti IV. quod est Oraculum viuæ vocis, posse simplices etiam Sacerdotes benedicere ornamenta, & paramenta Ecclesiæ, exceptis corporalibus. Falsum est enim illud oraculum Sixti IV. quod sub verbis Leonis X. retuli suprà *quæst. 1.* concedere eam facultatem Sacerdotibus simplicibus, quia conceditur solis Superioribus, vt planè colligitur non solùm ex verbis narratiuis illius oraculi, ibi: *Sixtus Papa IV. prædecessor noster, vobis, vt Paramenta, &c.* Obserua verbum, *vobis*, quod refertur ad illos Religiosos, quibus Leo X. dixerit suum priuilegium, nimirum Generalibus, Prouincialibus, & Guardianis, ergo eis solùm concessit facultatem benedicendi prædicta; sed etiam ex verbis dispositiuis ipsius Leonis, per quæ fit mentio de solis Superioribus, vt constat ex verbis relatis suprà eadem *quæst. 1.* Itaque Sacerdotes simplices solùm virtute priuilegij Bonifacij IX. possunt ea ornamenta ibi expressa benedicere. Quamquam puto adesse contrariam consuetudinem, & nullus audet illa benedicere sine facultate sui Superioris, vt vidi obseruare in mea Religione.

Quæres 4. An Prælati, & Superiores hac facultate, quam habent benedicendi Paramenta Ecclesiastica, & huiusmodi, possint vti pro Ecclesiis extraneis?

9 Respond. Non possunt, vt declarauit Sacra Congregatio sub die 24. August. 1609. non posse Superiores Regulares benedicere Paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum, & consuetudinem in contrarium abrogauit sub die 18. August. 1629. vt ex *Tambur. tom. 1. disputat. 22. quæst. 2. num. 2. refert Gauantus versic. Abbas num. 30.* Imò id constat ex priuilegio Leonis X. cuius verba retuli *sub quæst. 1.* ibi: *Pro vestro vsu tantum.* Vnde priuilegium Innocent. V I I I. concessum Augustinianis Vicariis Generalibus, & Visitatoribus benedicendi Paramenta non solùm ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam aliorum, *vt refert Confect. tit. 18. cap. 4. ad finem, Mirand. tom. 2. quæst. 40. art. 3. Compend. resolut. 13. num. 2. Portell. versic. Benedicere num. 3.* per concessionem factam Monachis S. Iustinæ de Padua ab eodem Innoc. *vt refert Sorbas verf. Benedicere, §. Et Congregatio. de quo priuilegio etiam Peregr. tit. eod. Diana resolut. 40. de regul. vbi citat Peyrin. tom. 5. constit. 1. Ialy 2, §. 19. num. 44. Rodr. tom. 1. quæst. 16. art. 2. Mirand. cit.* concludit ergo Diana ex Gauanto huiusmodi priuilegia esse sublata, aut etiam consuetudinem, vt ego dixi, & reuerà ita est, quia illud priuilegium Innocentij non constat, sed puto esse oraculum viuæ vocis, quod sine dubio nunc sublatum est.

10 Dixi, *Paramenta benedicendi*, quia si loquamur de consecratione Calicis cum patena, altaris, & campanæ, possunt Abbates Cassinenses non solùm pro vsibus suarum Ecclesiarum, sed etiam aliarum consecrare, vt constat ex diuersis huius Religionis priuilegiis, *de quibus Tambur. tom. 1. disput. 22. qu. 13. & ex eo Diana resol. 15. de regul. & dixi initio huius Resolut.*

Quæres 5. An Regulares Tertij Ordinis habeant specialia priuilegia circa benedictionem, & consecrationem Ecclesiarum?

11 Respondeo. Habent concessa à Nicol. V. in Italia existen

existentibus in sua Constitut. *Pastoralis Officij*, sub dat. 20. Iul. 1447. *apud Compend. nostrorum priuileg. pag.* 33. illis verbis: *Huiusmodi supplicationibus inclinati Fratribus prædictis præsentibus, & futuris, domos, Oratoria, atque loca prædicta, quæ Fratres ipsi pacificè possident perpetuò retinendi, & in illis residendi; nec non de licentia Ordinarij pariter, & consensu Capellas, Oratoria, & domos de nouo fundandi, & construendi, & altaria erigendi, aliáque necessaria pro Missis; & alijs Diuinis Officiis celebrandis faciendi; Capellas quoque, & altaria huiusmodi per aliquem Catholicum antistitem gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem consecrandi, ac in eisdem domibus, Oratorijs, & locis huiusmodi Missas, & officia per eorum Superiores, & alios pro eorum deuotione celebrare volentes celebrari faciendi.* Nomine autem antistitis venit proprius Episcopus, non quilibet hisce nostris temporibus, iuxta dicta *sub quæst.* 2. §. 2. Sub nomine Capellarum, & Oratoriorum veniunt etiam Ecclesiæ, quæ propriè consecrantur, & non tantùm oratoria presse accepta.

Quæres 6. An Regulares in hebdomada Sancta possint benedicere domos, vt solet fieri in die Sabbati Sancti?

12 Respond. Non possunt, quia hoc est Officium Curati, vt legitur in Rituali Romano de hac benedictione. *Decisum* 23. *Nouemb.* 1619. *refert Sellius apud Barbosam ad cap.* 8. *sess.* 22. *num* 41. & hoc idem reperi in postrema responsione Sacræ Congregationis, quæ ad instantiam Curatorum Ciuitatis, & Diœcesis Bononiæ resoluit quatuordecim dubia partim eorum fauore, partim in gratiam Regularium, transmissa ad Archiepisc. Bononiæ tunc Cardinalem Ludouisium 2. Iul. 1620. vt videre est in folio typis digesto anno 1624. per impressorem Cameralem de Sanotettis.

Quæres 7. An Regulares extra illam benedictionem ordinariam Sabbati Sancti, possint benedicere oua, panem, Agnos Paschales, & similia certis diebus, vt in die Paschatis, in Festo S. Christophori? Item incidenter domos, animalia in casibus occurrentibus personarum Secularium?

13 Respond. Regulares possunt benedicere oua, agnos, panem, & similia in eorum Ecclesias illata, & etiam extra in suis domibus, quia id non est munus proprium Parochi, cum in huiusmodi benedictionibus non sit adiuncta de iure aliqua oblatio, super quam Curatus possit fundare suam intentionem. Ita practicatur Mediolani, vbi hæc scribo, & in tota Lombardia, vt in multis locis animaduerti.

Quæres 8. An Regulares possint benedicere sponsos sine licentia Parochi?

14 Respond. Non possunt sine consensu Curatorum, vt apertè dicitur in Concil. Later. sub Leone X. Constit. *Dum intra*, apud Confector. pag. 119. Imò in Clem. Religiosi de priuileg. Religiosi matrimonium solemnizantes idest solemniter benedicentes, vt exponit ibi glossa, ipso iure incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam. Prætcrea ex *cap.* 1. *sess.* 24. Incurrunt etiam suspensionem auferendam ab Episcopo Parochi, quouis priuilegio non obstante. *Ita docent Nauar, consil.* 10. *de Constitut. Sanchez lib.* 3. *disput.* 48. *num.* 8. *&* 9. *Mirand. tom.* 1. *quæst.* 48. *artic.* 2. *Compend. resolut.* 93. *num.* 6. *quos citat Barbosa ad hunc locum Concilij num.* 188. *Nald. vers. Pœna num.* 17. *Nonnulli cum Henric. lib.* 13. *cap.* 38. §. 2. *in com. lit. E. Suar. tom.* 5. *de cens. disput.* 12. *sect.* 4. *num.* 13. *Sair. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 10. *Bonac. de suspens. part.* 5. *num.* 20. cum aliis asserentem non ampliùs incurrere excommunicationem, sed solùm suspensionem, quia duplex pœna non debet incurri pro eodem delicto, *cap.* 4. *in fine, de iudic.* sed hoc axioma procedit respectu iudicis, non autem respectu legis, Nald. cit. mitius enim agitur cum ministro legis, quam cum lege *l. Celsus, ff. de arbitr.* Quod demum Parochus possit deputare Religiosum ad benedicendos sponsos, *asserunt Mirand. tom.* 1. *quæst.* 48. *art.* 1. *cum Barbosa seipsum allegante ad dictum cap.* 1. *sess.* 24. *num.* 100. Dicta procedunt etiam quando Ecclesiæ Regulari adnexum est ius Parochiæ, tunc enim solus deputatus potest exercere hoc munus, & non alij, aliter sine licentia saltem præsumpta benedicentes incurrunt dictas pœnas. *Faciant dicta resol.* 7. *q.* 15. *dub.* 13. §. 13.

Quæres 9. An Generalis, vel Prouincialis possint introducere nouam benedictionem Mensæ, exempli gratia, adhibendam pro die, & tota octaua Patroni Religionis, sine licentia Congregationis Sanctorum Rituum? Videtur enim quod sic, quia habent propria officia, & Missas Sanctorum Religionis, ergo & propriam benedictionem Mensæ in honore suorum Sanctorum, præsertim Patroni.

Resp. Non possunt, quia huiusmodi Ritus sunt eius 15
generis, qui spectant ad Summum Pontificem, vel ad Sacram Congregationem de eius mandato. Confirmatur; Tum quia Ritus Ecclesiastici instituuntur ab vniuersali Ecclesia ex *sess.* 25. *cap.* 5. Tum quia benedictiones Mensæ sufficienter, dispositæ sunt per singula tempora ab Ecclesia in Breuiario, cui nihil addi, aut detrahi potest, vt constat ex Bulla Pij V. in eius capite inserta. Nec obstat ratio dubitandi, quia eorum propria officia sunt approbata à Sede Apostolica, non autem illa noua benedictio.

Quæres 10. An Regulares possint benedicere mulierem post partum tam in suis, quam in alienis Ecclesiis? *Genuensis in sua praxi Neapol.* c. 37. *n.* 13. id negat ex eo, quod Parochus habet fundatam intentionem super omnibus oblationibus; quæ fiunt intra Parochiam, quare cum in hac purificatione, quæ tantùm est de consilio cap. Vnde de purificatione offeratur candela, spectabit hoc munus ad solùm Parochum, neque enim conueniens videtur esse vt oblatio fiat Parocho, & benedictio conferatur in aliena Ecclesia, quia non perficeretur ille actus deuotionis purificationis.

Respond. Possunt, quia is non est actus iurisdictio- 16
nis proprius Curati, sed simpliciter ordinis competens cuilibet Sacerdoti de se, vnde in Rituali Romano in danda hac benedictione non fit mentio de Parocho, sed tantùm de Sacerdote, quandò autem agit de benedictione sponsorum nominat Parochum, quia is est actus etiam iurisdictionis; neque ibidem fit mentio de candela offerenda à muliere Sacerdoti, sed simpliciter, quod debet tenere in manibus candelam accensam, vnde ruit ratio Genuensis, quia talis oblatio non est necessaria, neque debita, cum possit Sacerdos dare illi ad manus candelam Ecclesiæ, vt vidi obseruare in multis Ecclesiis Regularium Sacerdotes earum offerentes propriam Ecclesiæ candelam. Possunt igitur Regulares in propriis Ecclesiis recipere mulierem post partum purificandam per benedictionem, non autem in Ecclesiis aliorum, ne iura perturbentur, & ita respondit Sacra Congregat. in folio allegato à me suprà *quæst.* 6. *ad* 9. illis verbis. *Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere.*

Quæres 11. An Regularis Capellanus in Ecclesia, seu Oratoria, vbi Parochus non residet, aut rarò celebrat, possit benedicere aquam pro vsu fidelium ibi Missam audientium?

Respond. Potest, quia est simpliciter actus Ordinis 17
nullam inuoluens oblationem, neque Parocho præiudicialis, imò multum leuaminis, cum alias ex æquitate tenetur ibi benedicere vocatus Parochus, qui si neget hunc actum extraneo Sacerdoti, debet desistere, quia Curatus ius habet super omnes Ecclesias, & Oratoria existentia intra fines suæ Parochiæ. *Vide cap. Constitutus de Relig. dom. cap. Dilectus, de capell. Hieronymum Caratum Mediol. in suo libello de iuribus Parochialibus tit.* 2. *de Capellis, & Orat.*

Quæres 12. in quo consistat Benedictio, & differat à consecratione.

Respond. Benedictio consistit præcipuè in duobus 18
in

in oratione ab Ecclesia instituta, & in signo Crucis facto per manum dexteram Sacerdotis benedicentis, & quamplurimæ consumantur aspersione aquæ benedictæ, & omnes quidem extra sacrificium Missæ. Obiectum autem benedictionis non solùm sunt res materiales animatæ, & inanimatæ, vt oua, panis, animalia, sed etiam homines, qui benedictione indigent, & in cuius vtilitatem cæteræ res benedicuntur; huiusmodi autem res sunt etiam obiectum consecrationis, quia consecrantur non solùm homines, vt Papa, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Virgines, &c. sed etiam res inanimatæ, vt Ecclesia, Calix, & huiusmodi, & in his omnibus interuenit Vnctio, vt colligitur ex tit. de *Sacra Vnctione*, distinguuntur ergo benedictio, & consecratio, quod benedictio perficitur tribus, oratione, signo Crucis, & aspersione aquæ benedictæ, vt plurimum, consecratio autem præter illa specificatur Sacra Vnctione.

Quæres 13. An in die S. Blasij 3. Februar. Sacerdus Regularis Capellanus in Oratorio, seu Ecclesia extranea possit benedicere gulam candelis benedictis in antecedenti die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis?

19 Respondeo. Potest, nisi expressè contradicat Parochus, quia ille non est actus pertinens ex officio ad Curatum, neque illi præiudicat quoad aliquam oblationem; aut Parochianus per hoc eximitur à iurisdictione, & subiectione sui Parochi; demum huiusmodi benedictiones indifferenter recipiuntur à quovis Sacerdote, quod fieri non posset, si esset actus proprius Curati.

RESOLVTIO XVIII.

De ieiuniis & abstinentiis Religiosorum.

SVMMARIVM.

1 *Mediolani duplex ritus.*
2 *Religiosus Mediolani extra comedit carnes.*
3 *Nisi illi perpetuò prohibeatur.*
4 *Abstinentiis propriis tenentur etiam extra claustra.*
5 *Ad ieiunia Secularium non tenentur.*
6 *Iuuenes, & sexagenarij tenentur ad ieiunia Religionis.*
7 *In quibus dispensantur à Superioribus.*
8 *Tertiarij dispensantur in omnibus austeritatibus Regulæ.*
9 *Conuentuales, & Obseru. non comedant carnes in die Natalis.*
10 *Voto simplici adstricti comedunt.*
11 *In ieiuniis se conformant locis quoad delectum ciborum.*
12 *Ieiunia annuntiant Secularibus.*
13 *Franciscanus violatione ieiunij vnicum committit peccatum.*
14 *Ieiunij votum publicum obligat Religiosos consentientes.*

1 MEdiolani ritus duplex Ecclesiasticus viget, Romanus nimirùm, & Ambrosianus diuersitatem præferens in multis præsertim in celebratione Missæ, & Diuinorum Officiorum, atque in ieiuniis, & abstinentiis, nam Ambrosiani, quorum ritu vtuntur Clerus, & populus, ieiunium Quadragesimale incipiunt à prima Dominica; Romani verò, quorum ritum adhibent omnes ferè Regulares, eandem incipiunt more cæterorum in vniuersali Ecclesia à die Mercurij antecedente, qui vocatur dies Cinerum.

Quidam Religiosus motam trahens de familia hic Mediolani in Conuentu N. in domo amici, vbi ritu Ambrosiano viuitur inuitatus Feria quinta Cinerum, comedit carnes, putans se id posse facere sine peccato; nihilominus fit illi scrupulus ab alio Religioso per sequentes rationes. Prima est, quia adesse non videtur, qui aliquantisper abest, quæ est sententia Patrum relata *sess. 23. cap. 1.* Sed iste Religiosus aliquantisper abest, cùm neque per dimidium diem abfuerit à suo Conuentu, ergo per illud breue tempus cùm non videatur abfuisse, censetur remansisse in suo Conuentu, ac proinde non potuit comedere carnes, ac si continuò fuisset in Conuentu, quia recessisse non censetur breui reuersurus, *cap. Diuortium 21. dist. 1. de pœnit. l. 1. §. qui præsens ff. de verbor. significat.* Secunda est, quia sicut Seculares obligatur legibus, quæ in suo domicilio obseruantur nisi illud domicilium deserat, ita & Religiosus tamdiù obligatur legibus sui Conuentus, quamdiù illum non deserit; sed illo die in suo Conuentu seruatur ieiunium Quadragesimale, ergo non potuit illud extra frangere. Tertia est, quia qui casu abest, non censetur abesse, sed adhuc esse, vbi erat, vnde discessit, *Bart. in l. Quæsitum 76. §. fin. ff. de legat. 3.* vbi sunt hæc verba: *Quæ in fundo sunt, accedunt etiam, quæ tunc non sunt, si esse solebant.* Religiosus autem cum iste hac casu abfuerit, censetur mansisse in suo Conuentu, vbi ieiunium seruatur, ac proinde continuò habuit obligationem non frangendi ieiunium. Quarta est, quia Regulares non tenentur ad ieiunia, & abstinentias Ambrosianas, ergo ad Romanas, ac proinde neque extra carnes comedere possunt, aut lacticinia illis quatuor diebus, æquitate id suadente ex illo communi axiomate. Qui sentit commodum, sentire debet onus. Quinta est, quia in regula huius Religiosi statuitur obseruatio ieiunij Quadragesimalis iuxta ritum, quem Sancta Romana tenet Ecclesia; regula autem professum obligat personaliter, hoc est, independenter à loco, sed vbicumque reperitur, nisi aliud explicetur. Sexta est, quia iste ad domum amici vadit præcisè vt fruatur illa mensa, quod est fraus, & dolus, qui nemini debet patrocinari, secundum vulgata iura. Septima demum est, quia multi Doctores tenent aduenam, & Peregrinum teneri ad leges, quæ seruantur in suo loco, etiam quando abest, *& hos citat Sanchez lib. 3. disput. 18. num. 17. §. Tandem*, & in materia ieiunij *Silu. vers. Ieiunium num. 7. Rosella num. 16. quos refert cum aliis Diana resolut. 18. de ieiunio*, ergo multo magis tenetur iste Religiosus, qui aduena, neque peregrinus est, sed habitat in eadem vrbe. His tamen non obstantibus.

Dico, præfatum Religiosum potuisse illo die in domo 2
amici, vel cognatorum comedere carnes. Probatur, Tum quia præceptum, seu lex seruandi Quadragesimam est vniuersalis localis obligans Christi fideles tantùm respectiuè ad locum, vbi recepta est lex seruandi totam Quadragesimam incipiendo à die Cinerum, vel consuetudo incipiendi illam à prima Dominica, *vt docent Sanchez lib. 1. cap. 12. num. 28. & 39. Bonac. part. 6. de legibus num. 59. Diana resolut. 18. de Ieiunio.* Sed totius Quadragesimæ præceptum incipiendo à die Cinerum Mediolani receptum est solùm intra claustra Regularium, non autem extra in domibus Secularium, vt notorium est, ergo Regulares afficit tantùm dependenter à loco. Tum quia D. August. relatus in *cap. Illa, dist. 12.* ex doctrina D. Ambrosij docet, vnumquemque posse conformari legibus, & consuetudinibus illorum, apud quos diuertit, iuxta illud dictum. *Si fueris* Romæ Romano viuito more, si fueris alibi viuito sicut ibi. Tum quia aduena, quando est extra proprium locum, vbi leges seruantur, non tenetur illas seruare etiam si sint iuris communis, quando non seruantur in loco alieno vbi reperitur, vt docet communis, & probabilior opinio *cum Nau. c. 23. n. 120. Sanch. lib. 3. disp. 18. n. 18. §. 2. in fine. Bon. p. 6. n. 59. & 6.* vbi de legibus iuris communis: sed Religiosus Mediolani habēs domicilium intra claustra, vbi viuitur ritu Romano, æquiparatur aduenæ, quando reperitur extra claustra, ergo sicut alij peregrini potest vesci carnibus. Minor suadetur, quia aduena est ille, qui domicilium habet extra territorium vbi reperitur; religiosus

autem censetur habere domicilium extra Diœcesim Mediolanensem, quamuis habeat Monasterium in solo Mediolanensi, si quidem locus exemptus, & extra Diœcesim æquiparantur *ex glossa vers. Autem earum parte, Clem. de foro compet. Graff. part. 1. lib. 4. cap. 8. num. 39. notat ex Ioan. Andr. super dictam glossam, Rodr. tom. 1. q. 36. art. 3. §. 1.* Tum quia non solùm aduena, sed quivis alius manens etiam in eadem vrbe potest à sua Parochia, vbi lex seruatur ieiunij, aut festi, transire ad aliam Parochiam eiusdem vrbis, vbi non adest illa obligatio, & ibi comedere vetita, & non ieiunare, neque seruare festum, *vt docent Sanchez lib. 3. disput. 18. num. 25. idem lib. 1. cap. 12. num. 31. cum Suarez & Lessio à se citatis Bonac. part. 6. de legibus num. 61.* ergo multò magis id dicendum est de Religioso, cuius Monasterium magis differt à domicilio seculari, quam Paræcia à Paræcia. Tum quia sicut extra claustra delinquens ratione delicti fit subditus ordinario iuxta Decretum *cap. 14. sess. 25.* in quo non censetur exemptus, ita & comedens extra non censetur exemptus; sed potius quoad hunc fauorem subditus ordinario viuendo more Ambrosiano, *arg. Regula 55.* Qui sentit onus, & commodum sentire æquom est. Demum non est contra Euangelium, imò conforme, quod quis comedat ea, quæ sibi apponuntur ab aliis Christi fidelibus, & hoc decernitur *cap. 13. Reg. nostra*, maximè quando comedunt cum cæteris Religiosis aliarum Regularum, & si enim ibi fiat mentio de comestione cum alienis Religiosis, idem tamen non prohibet eum Secularibus Christianis, sed omittit hoc respectu Secularium insinuando, non expedire Religiosis comedere cum Secularibus.

Hoc nostrum dictum, loquendo de aduenis extra aduenientibus, qui illis quatuor diebus Cinerum hic Mediolani apud Ambrosianos possunt comedere sibi vetita in proprio domicilio, & non seruare Quadragesimam docent *Sanchez lib. 1. cap. 12. num. 30. apud ipsum Lessius lib. 4. de iust. cap. 2. dub. 8. num. 50. & eos citat Diana resolut. 18. de ieiunio.* Dicta procedunt, licèt quis sine iusta causa discedit à suo domicilio, vt libere possit vti illo priuilegio, quod probatur, Tum quia quis non tenetur manere in proprio domicilio, vt seruet legem ibi obligantem, cum huiusmodi lex nullibi extet. Tum quia iste recedens vtitur iure suo, ac proinde fraudem non dicitur committere *ex Regula Nullus 55. de reg. iur.* Tum quia fraus propriè tunc contingit, quando adest obligatio legis, quam aliquis per dolum intendit eludere; sed quis recedendo à proprio domicilio non intendit eludere legem, sed tantùm vti iure suo, cum obligationem non habeat manendi, vt seruet legem. *Ita doceat Sanchez lib. 3. disputat. 18. num. 29. Bonac. part. 6. de legibus num. 64. § Addo, Diana resol. 19. de ieiunio.*

3 Dicta locum non habent apud eos Religiosos, qui nunquam comedunt carnes, vt sunt Carthusiani, & Minimi, vel ex vi Regulæ, & suæ professionis tenentur ad totam Quadragesimam, cuiusmodi sunt omnes Franciscani militantes sub prima Regula, in cuius *cap. 3.* præcipitur ieiunium Quadragesimale, quod sine dubio intelligitur ritu Romano. *Vide Bartolucciam in speculo Regul. super dictum caput §. Sed aliam vsque ad Resurrectionem Domini.* In nostra autem Religione quamuis ieiunium Quadragesimale ordinetur à Quinquagesima, & deinceps vsque ad Pascha, vt videre est in Regulis Nicol. IV. *cap. 5.* Leonis X. *cap. 3. & in statutis cap. 13.* tamen quia id non est sub præcepto attentis præcisè dictis locis, ideò Religiosus non peccabit, sed tantùm poterit puniri à suo Superiore, quia fuit transgressus Regulam; quod verò non peccauerit suadetur, quia quoad culpam non magis peccauit, quam Secularis, qui nullam habet hic Mediolani obligationem sub culpa; ergo cum Secularis non peccet, neque Religiosus, cum eius Regula illum non obliget sub culpa. Nec obstat, quod in proœmio Statutorum, quæ pro Regula habentur, ita dicitur: *Opera pretium est autem scire, neminem per ipsamet Decreta, iuxta Sedis Apostolica priuilegia ad culpam obligari, sed solum ad pœnam, nisi quatenus ipsa Decreta ius Diuinum in se, aut humanum contineant,* Decretum autem Quadragesimalis ieiunij continet in se ius humanum, hoc est Pontificium, ergo obligat sub culpa, ac proinde Religiosus Tertij Ordinis non potest comedere carnes illis diebus. Quia respondetur, dicta verba solùm indicare ius humanum de se obligare, Decretum autem non inducere nouam obligationem, neque veterem auferre, vt fortasse potuissent aliqui putare, itaque Decretum Regulæ ius humanum relinquit in sua virtute obligandi prout obligat hic, aut istic, non autem illic.

Reliquum est respondere rationibus obiectis. Ad primam, ad tertiam quoque dico illa dicta habere locum in fauorabilibus non autem odiosis, *vt docet Sanchez lib. 3. disputat. 18. num. 24. ad rem nostram.* Ad secundam dico, ad hoc, vt quis deobligetur legibus sui domicilij, non est necesse, vt domicilium penitus deserat, sed sufficit, vt ibi actu non sit, licèt habitu sit, nam vt aliquis tentatur legibus sui domicilij debet ibi esse subditus non tantùm habitu, & radicaliter, sed etiam actu, & præsentialiter, *vt docet Bonac. part. 6. de legibus num. 50.* Ad tertiam iam dixi. Ad quartum concedo Religiosos ritu Romano vtentes non teneri ad ieiunia Ambrosiana, non tamen sequitur teneri ad Romana et correspondentia, nisi intra claustra, illud enim axioma verum est, quando commodum, & onus connexa sunt, vt docet *Sanchez cit. in fine quæst.* ritus autem isti nullam connexionem habent ad inuicem. Ad quintam patet suprà §. Dicta, excipi illos Religiosos, qui ex Regula habent præceptum sub culpa seruandi ieiunium Quadragesimale ritu Romano; Ad sextam dico quamuis accedat animo comedendi sibi vetita, nihilominus non peccat, neque fraudem committit in legem, cum non teneatur manere in claustris, vt seruet ieiunium, vt dixi suprà §. Hoc nostrum. Ad septimam demum respondeo extare Doctores illam opinionem sequentes, sed cum apposita sit longè probabilior, *vt docent Sanch. & Diana ibi citati, & Bonac. p. 6. num. 59.* ideò nostram responsionem eludere non potest.

Quæres autem 1. An Regulares teneantur ad ieiunia, & abstinentias in suis Regulis, vel Constitutionibus indicta, non solùm intra claustra, sed etiam extra claustra in domibus Secularium, vel aliorum Religiosorum?

Respond. Tenentur ea obseruare etiam extra claustra, quando aliter non exprimitur in eorum statutis. 4 Ratio est, Tum quia huiusmodi obligationes non sunt locales, sed personales Religiosum comitantes quocunque pergit. Tum quia leges dicuntur obligare localiter, quando Legislator habet Diœcesim, & territorium, cuiusmodi sunt Papa, & Episcopus, & Principes Seculares; Prælati autem Regulares nullum habent territorium, est enim territorium vniuersitas agrorum, intra fines cuiusque ciuitatis *Gloss. vers. Territorium, c. 2. de Constit. in 6. per l. Pupillus ff. de verb. signific.* vnde fit quod tenentur obedire censuris, & aliis præceptis, quamuis delinquant extra claustra, quia Prælati Regulares suam iurisdictionem, & potestatem exercent in suos subditos independenter à quovis loco, ergo consequenter tenentur obseruantiis regularibus extra claustra, ac si essent intra illa. Tum quia præfecti in Parochum Ecclesiæ Seculari non eximuntur ab huiusmodi abstinentiis, quæ eorum officium non impediunt, *vt docent Siluest. vers. Religio 7. quæstione 1. Angel. versic. Monachus numero 7. & cum eis alios citatis Sanchez libro 6. cap. 6. num. 36.* ergo multo minus morantes intra claustra.

Dixi, *Quando aliter non exprimitur in eorum statutis,* nam tunc extra possunt comedere sibi vetita intra claustra, cum regula eosdem eximat ab obligatione; & patet hoc ex nostra Regula *cap. 13.* quæ extra comedentes eximit ab abstinentiis à Religione indictis, vt dixi

suprà

suprà §. *Dico, in fine.* Sic Monachis nigris S. Benedicti solum intra refectorium prohibetur comestio carnium, cap. Cum ad Monasterium, de statu Regul. vnde alibi etiam intra claustra eas comedere possunt. Carthusiani vero, & Minimi nullibi eas comedere possunt, cum illis huiusmodi concessio simpliciter sit prohibita.

Quæres 2. An Regulares teneantur ad ieiunia, quæ seruantur in loco, vbi habent Monasterium; Iodici autem possunt ieiunia vel ab Episcopo, vel à consuetudine; vel ex voto alicuius ciuitatis, vel oppidi.

5 Respond. Ad oulla ieiuoia loci, vbi habitant, teneotur. Probatur, Tum quia habent peculiares obseruantias ieiuniorum, ergo oon tenentur ad ieiunia loci, consentaneum enim est, vt qui in vno grauatur, in alio releuetur; sicut neque seculares tenentur ad ieiunia Regularium, ita neque isti ad ieiunia illorum. Tum quia Sacrum Concilium dum præcipit *cap.* 12. *sess.* 25. Regularibus vt seruent dies festos ab Episcopo præceptos, nullam mentionem facit de ieiuniis, ergo signum est illos non teneri. Deinde loquendo de singulis modis inducendi ieiunij, facile constat, non comprehendi Religiosos, nam si sermo sit de indictis per consuetudinem, Religiosi non obligantur, tum quia consuetudo inducitur ex certa scientia *glos. vers. Legitimè, cap. fin. de consuet. vbi Abbas num.* 12. *Silu. ver. Consuetudo quæst.* 4. *Tabien., Not.* 7. *num.* 8. Sed Religiosi cum sint mortui mundo *cap. Placuit* 8. 16. *quæst.* 1. non possunt scire quid faciant Seculares, imò ab his remoti esse debent, *cap. Si cupis* 5. 16. *question.* 1. ergo consuetudo huiusmodi eos ligare non potest, cum eam scire non teneantur. Tum quia consuetudo eorum, inter quos versamur, seruare tenemur, *ex c. Quæ contra more.* 2. *dist.* 8. *Glos. vers. Societate, cap. Illa autem* 11. *dist.* 12. Sed Religiosi non conuersantur cum Secularibus, ergo eorum consuetudines seruare non tenentur. Quæ enim maior ratio, qua Religiosi teneantur sequi consuetudinem Secularium, & non Seculares Regularium. Loquendo autem de indictis ex voto, apud me verum est non teneri, quia quando capita, & patres familias edunt huiusmodi vota, hanc obligationem non possunt transfundere in Religiosos qui neque expresse, neque tacitè consentiunt in huiusmodi vota, non enim vocantur Prælati ad dandum consensum in votum, sicut congregantur Seculares, ergo nulla ratione tenentur, si quidem obligatio voti induci non potest sine consensu eius, qui obligandus est sub voto. Demum loquendo de ieiuniis ab Episcopo indictis in sua Diœcesi, notum est, illa non obligare Regulares, quia in omnibus sunt exempti ab eorum iurisdictione in his præsertim obseruantiis ordinatis in eorum Synodis, ad quos Regulares non tenentur, vt docui *res.* 7. *quæst.* 5. Ita de ieiuniis ab Episcopo indictis *docent Suar. lib.* 4. *de legib. cap.* 20. *num.* 8. *Azor. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 30. *quæst.* 2. *Fagund. lib.* 1. *de præceptis Eccles. cap.* 7. *num.* 4. *Lamas part.* 1. *cap.* 5. §. 28. *in fine, quos pro se citat Diana resol.* 36. *de ieiunio, Bonac. p.* 6. *de Ieiunio num.* 5. loquens etiam de ieiuniis ex consuetudine particularium, non generali totius Diœcesis quibus adde *Compend. resol.* 75. *in fine*, vbi cum prædictis, & aliis à se citatis asserit, Religiosos obligari ad ieiunia generali consuetudine Prouinciæ, aut loci communiter recepta, etiam intra sua claustra. *Portell. vers. Festi diei num.* 2. & 4. & *ex voto indicta Sanchez lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 20. Sed nescio qoa ratione excipiant ieiunium inductum generali consuetudine, siquidem consuetudo non est maioris efficaciæ legis scriptæ in Conciliis, & Synodis Ordinariorum, qui suis Constitutionibus non possunt ligare Religiosos exemptos ad seruanda ieiunia, vt doceot præcitati, ergo multò minùs consuetudo, Secularium, & faciunt rationes supra adductæ ad hoc. Nec stat, quòd sint membra populi, & eius bona comedant, quia sunt membra accidentaliter, & ex honestate, non necessariò, cum faciant caput à populo distinctum, & dicuntur comedere bona sibi debita, neque aluntur vt præcisè secum ieiunent, sed quia populus debitum habet alendi corporaliter Religiosos, cum illos spiritualiter cibent.

Mediolani prædicta certa sunt ob latam distinctionem rituum Regularium, & Secularium, nam ieiuniis secularium ex voto non tenentur Religiosi, imò neq nè Clerici viuentes ritu Romano, vt videre est in Kalendario ritu Romano, vbi fit mentio de ieiunio in honorem S. Sebastiaoi 19. Ianu. seruando in ciuitate apud Populum, & de alio in honorem S. Ambrosij Patroni 6. Decembr. seruando à Populo, & clero simul, vnde ex his clarum est, Regolares hic Mediolaoi ad oulla ciuitatis, aut Diœcesis ieiunia teneri, & ita dicendum est etiam respectu aliorum.

Scio Nicol. IV. in Regula, quam Tertiariis præscripsit in sua Constit. *Super montem, cap.* 5. eisdem præcipere obseruationem ieiuoiorum ab Ordinario ex causa communiter indictorum, & beoè, quia Tertiarij, de quibus ibi sermo est, sunt illi, qui in propriis domibus viuunt, & non profitentur solemniter tria vota, neque proinde propriè Religiosi sunt, neque exempti sunt à iurisdictione Episcoporum, vt ibidem colligitur c. 11. Non tameo inferendum est; Tertiarios Religiosos teneri ad ieiunia indicta ab Episcopo, quia non profitentur illam regulam provt iacet, cum sit propria habitantium in suis domibus singulariter, sed quatenus digesta, & expressa reperitur in earum statutis, vt videre est clarè in forma professionis, quæ ab illis legitur, dum solemniter profitentur; in eorum autem statutis, quæ pro regula habentur, nulla fit expressio huiusmodi obligationis, vt colligitur ex cap. 13. & alibi, cum nunquam id exprimitur; vnde posteà Leo X. in sua Constit. *Dilecti fily*, in Bullario huius ordinis pag. 66. nullam mentionem facit de hac re, vt videre est in toto contextu Regulæ, & præcipuè cap. 3. Neque Clement. VII. Constit. *Ad vberes fructus*, pag. 69. referens breuiter regulam Nicolai IV. quam cum Leone adaptauit Tertiariis propriè Religiosis collegialiter viuentibus sub emissione trium votorum.

Quæres 3. An Religiosi, qui nondum excesserunt vigesimum primum annum, vel sexagenarij teneantur ad ieiunia suæ Regulæ obligantis eos sub culpa?

Respond. Tenentur tam iuueoes, quam senes. Tum 6
quia voluntariè se obligarunt per professionem, cedendo iuri, quod illis indulget Ecclesia. Tum quia ad se obligandum ieiunio dictæ ætates sufficiunt. Tum quia indecens est, vt in pari professione sit dispar disciplina maximè in communi victu. *Ita docent Rodriq. cum suo Compend. resolut.* 75. *num.* 5. & 8. *de iuuenibus, & de senibus num.* 10. *Sanchez lib.* 4. *cap.* 11. *num* 56. *vbi citat Rosellam vers. eod. num.* 14. *Silu. quæst.* 6. *dicto* 1. *Tabien. q.* 16. *num.* 17. *Cordubam cap.* 3. *super primam Regulam S. Francisci quæst.* 2. *Bonac. p. fin. de ieiun. num.* 6. §. *Respondeo. Portell. vers. Ieiunium num.* 2. vbi ait, quod Minoritæ iuuenes ante annum vigesimum secundum tenentur ieiunare Quadragesimam, Aduentum, & Feriam sextam ex vi Regulæ, non autem cætera ieiunia ab Ecclesia vniuersali indicta, cum *Rodr. tom.* 2. *quæst.* 100. *art.* 6. & *idem docet Bartolucius in suo speculo regul. super cap.* 3. *Regulæ* §. *Sed aliam vsque.* Tenentur ergo Religiosi etiam iuuenes, & senes non solum ad ieiunia specialia regulæ, vt in die Veneris, sed ad quæcunque alia Ecclesiæ, ad quæ se obligarunt ex vi professionis. Facilè tamen dispensari possunt à Prælatis suis, *vnde Homobon. part.* 2. *Respons.* 66. *alt.* §. *Vnde*, sexagenarios esse dispensandos à lege ieiunij.

Quæres 4. An Prælati Regulares possint dispensare suos subditos in ieiuniis, & aliis abstinentiis tam specialibus Religionis, qoam Ecclesiasticis generalibus?

Respond. Prælati Regulares, non solum Generalis, 7
seu Prouincialis, qui dicuntur habere iurisdictionem similem Episcopis, sed etiam Superiores locales pos-

sunt dispensare in legibus ieiuniorum, & abstinentiarum cum suis subditis non solum professis, Nouitiis, sed etiam aliis Tertiariis, & perpetuò commensalibus, tam in dictorum iure Ecclesiastico, quam speciali Regularum, seu Constitutionum, legitima tamen semper subsistente causa, maximè quando ieiunium est de præcepto, aliter dispensatio nulla est. Quod possint dispensare probatur tum ratione, quia loquendo de Summo Pontifice non est credibile, ipsum negare huiusmodi facultatem Prælatis inferioribus, sed præsumitur ipsum hanc facultatem concedere in casibus occurrentibus, ne detur occasio vagandi Religiosis. Tum ex priuilegiis Apostolicis, nã Eugenius viuæ vocis oraculo concessit Prioribus, & in eorum absentia Vicariis facultatem dispensandi cum infirmis, & debilibus Fratribus, ac familiaribus. Quod idem concessit etiam Sixtus IV. viuæ vocis oraculo, quæ duo oracula, quod ad hoc sublata non sunt, cum nulli omnino præiudicent, ex probatis *resolut. 31. quæst. 3.* Leo X. viuæ vocis oraculo concessit Prædicatoribus ea ordine Minorum actu concionantibus posse sine scrupulo fractionis ieiunij anticipare, sed retardare horas comestionis, & collatiunculæ. Item posse itinerantes ieiunium vnius diei transferre in alterum diem, quod extende ad quodcumque ieiunium seu Ecclesiæ, siue Regulæ, seu voti, cum generalis sit concessio. Hæc habentur *in Compend. priuil. ver. Ieiunium. Peregr. in suo Compend. ver. Ieiunium* refert Sixtum IV. concessisse Monachis Sanctæ Iustinæ de Padua dum equitantur, facultatẽ sumendi mane collatiunculam, & sub nocte cœnandi. Hoc autem priuilegium solum quietat conscientiam Religiosi titubantis, siquidem multum probabilis est opinio *Toleti lib. 6. cap. 2. nu. 8. Filiuc. tom. 2. tract. 27. p. 2. c. 2. num. 18. Lessij, Layman. Villalobos, Fernand. & aliorum cum Diana resolut. 33. de Ieiun.* asserentium quemliber posse mutare collatiunculam in prandium, seu cœnam, & nullum esse peccatũ, si adsit legitima causa, si vero non adsit, esse solum veniale, quia illa peruersio non est mutatio substantiæ ieiunij, sed tantum mutatio circumstantiæ comestionis.

Nostram responsionem circa huiusmodi ieiunia, & abstinentias, *docent Rodriq. quæst. 22. art 9. tom. 2. quæst. 100. art. 2. eum. suo Compend. resol. 75. num. 2. 3. 4. 13. Mirand. tom. 2. q. 30. art. 11. conclus. 2. q. 31. art. 1. Bartolucius lib. 1. sui speculi conclus. 2. & 7. Homob. part. 3. Respons. 59.*

8 In mea Religione sine dubio possunt Prælati etiam locales dispensare circa ieiunia, & alias austeritates, vt dicitur in fine cap. 13. Regulæ, quæ verba licet videantur referri ad Prælatos maiores per antecedentia verba, ibi. *Si quispiam vero instat, ac probabili causa horum aliquid adimplere non poterit, maiorum authoritatem imploret.* Illa enim particula, *Maiorum*, refertur ad Generalem, & Prouincialem. Nihilominus æque bene possunt referri etiam ad Superiorem localem, respectu suorum subditorum dicitur maior in Conuentu; & quod possit dispensare in rigore, & abstinentia regulæ, quoties necessitas vrgebit *indulgetur cap. 5. de Cœnobiorum Ministris.*

Quæres 5. An Religiosi in die Natalis Domini occurrente diebus Veneris, aut Sabbati, possit comedere carnes, & ieiunium frangere, quando regula id eis expressè non indulget?

9 Respond. Non possunt, vt expressè dicitur cap. fin. de obseruat. ieiun, ibi: *Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec Regulari obseruantia sunt adstricti in sexta Feria, si festum Natiuitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus, propter festi excellentiam, vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis.* Itaque hoc priuilegium consuetudine introductum eo die vescendi carnibus est concessum solum non adstrictis voto, vel regulari obseruantia. Quare Religiosi comedentes contra votum, vel præceptum regulæ peccant mortaliter non quidem contra ius commune, quia ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ omnes fideles dispensantur à prohibitione Ecclesiastica, non tamen à prohibitione speciali voti, vel regulæ, ideo peccant contra regulam, vt *docet Abbas. Cardin. & Anchar. super dictum cap. Silu. Tabien. Armilla ver. Ieiunium. Beia part. 2. casu 6. & cum eis Sanchez lib. 4. cap. 11. num. 64. vbi citat Rodriq. tom. 1. summ. cap. 14. asserentem, peccare etiam contra ius commune* Hæc responsio propriè procedit pro Minoribus sub prima Regula militantibus in cuius cap. 3. adstringuntur sub pœna peccati mortalis ad ieiunium Feriæ sextæ per totum annum, ac proinde isti si hac die incidat Natale Christi non possunt comedere carnes. vt super dictum caput notat Bartolucius §. Nisi Feria sexta, vbi aducrit Prælatum posse dispensare in ieiunio, & comestione carnium ob legitimam causam, quæ est lætitia, & exultatio illius Sanctissimi diei, ad quod citat *Besam part. 2. casu 6. §. Respondetur, Siluestr. ver. Ieiunium q. 10. Tabien q. 11. Nau.* Si vero incidat in die Sabbati possunt comedere, quia Regula nihil specialiter disponit, ac proinde illos relinquit sub dispositione iuris communis, *arg. l. Commodissime ff. de liber. & posthum.*

Dixi, *Quando Regula id eis expressè non indulget*, nam cum se accommodat iuri communi, sine dubio frui possunt priuilegio non ieiunandi, sed comedendi carnes. Ista autem expressio reperitur in nostris Regulis Nicol. IV. cap. 5. Leonis X. c. 3. & Statutis, quæ nunc pro regula habentur cap. 12. vnde sine dubio pos- 10
sunt comedere carnes.

Loquendo autem de iis, qui tenentur voto simplici proprio siue Religiosi, siue Seculares, quamuis expressè Papa decidat teneri illo die abstinere, & sequuntur maior pars Doctorum, quos allegat *Diana de Ieiunio resol. 22.* Nihilominus apud ipsum Molina, & Azor. asserunt hunc non teneri voto illo die, si interrogatus de hoc priuilegio, respondisset assertiuè q. se non obligasset, si memoriæ tunc occurrisset Natale Domini, si vero in responsione trepidet, tenetur ad ieiunium; Fagundez eos sequitur ductus alia ratione, quia quando non cõstat de expressa vouentis intentione, tunc votum explicandum est iuxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ illo die non obligat ad abstinentiam, *& ita tenet etiam Rodriq. tom. 3. summ. cap. 25. num. 8.* quamuis oppositum senserit *tom. 3. q. 45. artic. 3.* Itaque Papa ibi intelligendus est vouentem teneri eo die, si expressè se obligauit etiam ad hunc diem. Sed ista responsio videtur violenta, & pugnare cum textu, eo quod dubium propositum fui. Papæ, ac proinde sequitur Papam ibi non decidere dubium de voto cum expressa voluntate ieiunandi illo die, sed de voto, in cuius emissione non constat de huiusmodi expressa voluntate, quando enim nota est voluntas vouentis, sub dubio reuocanda non est, cum in claris non sit locus coniecturis, nec dubia cum claris confundantur. Quare petat dispensationem ab Episcopo, vel Confessario Regulari, qui potest licite dispensare, existente legitima causa, huiusmodi tam magna solemnitate, aliter peccat mortaliter, vt docet Beia, cum aliis citatis.

Quæres 6. An Religiosi in obseruatione suorum ieiuniorum tam Regulæ, quam Ecclesiasticorum teneantur se abstinere à lacticiniis, sicut fit ab omnibus Christi fidelibus in Quadragesima, an possint vti lacticiniis more loci, vbi reperiuntur, vt fit in Lombardia, vbi omnibus diebus ieiuniorum extra Quadragesimam adhibentur lacticinia.

Respond. Vnusquisque seruare debet, quod præci- 11
pitur circa ieiunia in sua Regula, vel Constitutionibus. In prima Regula D. Francisci cap. 3. vbi de ieiuniis nil disponitur de lacticiniis, vnde isti in partibus Lombardiæ poterunt comedere illa iuxta morem secularium, extra verò vt in Romandiola, poterunt se conformare consuetudini locorum, in quibus abstinetur à lacticiniis, loquendo de ieiuniis Regularibus, nam loquendo de Vigiliis, & Quatuor temporibus, debent

debent seruare consuetudinem. In mea Religione capitulo decimo tertio, Regulæ, est in Regul. Nicol.IV. prohibetur vsus lacticiniorum diebus ieiuniorum, de qua prohibitione nulla fit mentio in Regula Leonis X, multo minus his diebus ieiuniorum possunt comedere cibos ex brodio carnis coctos, *vt docet Graff. pr.lib.2.cap.10.num.36.& lib.2.de arbitr.c.61.num.2* quia caro, & brodium ex ea æquiparantur. Facilis est tamen dispensatio, imò cadat nunc vsus in contrarium, & Religiosi nostri in ieiuniis se conformant vsui loci, vbi habitant, vnde in Lombardia vtuntur lacticiniis, extra vero nequaquam, ex probata consuetudine, & recepta, contra quam agere, esset peccatum mortale.

Quæres 7. An Regulares diebus Festis voluntariè possint in suis Ecclesiis populo annuntiare festa, & ieiunia? imò cogi possint ab Ordinario?

12 Respond. Possunt voluntariè, imò & alias cogi. Primum suadetur, quia Episcopus illia hoc munus prohibere non potest, cum multum vtile sit fidelibus, & iuri Curatorum non præiudicet, ita declarauit Sacra Congregat. 2. Iulij 1620. *vt refert. Barbosa ad cap. 8. sess. sess. 22. numero. 37. &* apud me habeo folium typis Sauoretti Bononiæ expositum 1624. ex quatuordecim responsionibus prima. Secundum tenent *Rodr. quæst. 43. artic. 7. ad finem, Aphor. Episcop. ver. Festum numero 6. Barbosa citato n. 36.*

Quæres 8. An Franciscanus sub prima Regula frangens ieiunium Feriæ V I. occurrentis cum Vigilia, vel Quatuor Temporibus, aut Quadragesima, seu Aduentu, duplex peccatum committat.

13 Resp. Franciscanus cuiuscumque ex dictis ieiuniis fractor existens, vnicum committit peccatum contrà virtutem temperantiæ. Probatur ea vnica ratione, quia in Regula illa ieiunia præcipiuntur solum sub motiuo virtutis temperantiæ,& abstinentiæ, à cibis vetitis, & non etiam sub motiuo Religionis, & voti, licèt inde dependeat huiusmodi obligatio, cum Religiosus præcisè obligetur ex vi professionis; ergo eorum transgressio est vnicum mortale peccatum. Consequentia inde patet, quia ex communi Doctorum opinione, peccata specie multiplicantur, & distinguuntur per ordinem ad diuersas perfectiones, seu virtutes oppositas malitiis, & deformitatibus actuum humanorum. *Vide D.Thomam 1.2.quæst.72.Scotum 2.dist.35. quæst.1. Becan. quæst.2. de malit.act.inter.Bonac.quæst.4.de peccatis part.3.* Ergo quot erunt perfectiones, & virtutes specie differentes, quibus opponitur actus humanus malus, tot erunt peccata specie distincta illis opposita. Antecedens, quod transgressio ieiuniorum præceptorum in Regula Sancti Francisci, sit tantum contra virtutem abstinentiæ, & non voti Religionis, probatur ex iis, quæ docent *Rodr. tom.1.quæstione 26. artic.4.& Mirand. tom. 1. quæst. 25. art.2. concl.2.* asserentes, præcepta contenta in prima Regula Sancti Francisci, inter quæ est hoc ieiunium, non esse vota solemnia neque simplicia; quod ego pariter probaui pluribus in meo Tractatu *de profess. Regul. cap.1. quæst. 48.* ergo horum transgressio non potest esse contra virtutem Religionis ex perfectione voti, cum non sit violatio voti, sed tantum præcepti. Confirmatur, quia S. Franciscus in his ordinandis attendebat abstinentiam, & sobrietatem, ergo sub hoc motiuo dedit huiusmodi præcepta. Itaque transgressio horum præceptorum sacrilega non est, sed ea, qualis secularium, qui tenentur ad ieiunia absque vlla voti constitutione. In sequentibus soluuntur obiicienda, & magis roboratur responsio.

Nauarra *cap.1. num.4. §. Ex quo,* ex pluralitate præceptorum tenet, Franciscanum frangentem ieiunium Feriæ Sextæ occurrentis cum præcepto Ecclesiastico ieiunij duplex peccatum committere; metina relîqui ex oppositione ad diuersas virtutes cum *Sanchez lib.9.disp. 15. num. 6. Bonac. quæst.4. de peccat. p.3.nu.7. de communi, Diana alios referens resolut. 16. de ieiunio, Lezana cap. 7.num. 26.cum quibus est Rodr. tom.2.quæst. 100. art. 8. §. Adde, cum suo Compend. resolut. 75. numero nono, Bart. super capitulo 3. Regulæ, in suo Speculo Regul.* qui Doctores Franciscani distinguunt, vnicum esse peccatum, si transgressio Feriæ VI. accidat in Quadragesima, aut Aduentu, duplex vero, si occurrat cum ieiuniis aliis Ecclesiasticis, rationem reddunt, quia obligatio ieiunandi die Veneris refertur solum ad ieiunia extra Quadragesimam, & Aduentum, consequenter cum extra Quadragesimam, & Aduentum consurgat duplex præceptum, Ecclesiæ nimirum, & Regulæ, duplex quoque erit peccatum, sicut vnum ex transgressione ieiunij Quadragesimalis, & Aduentus per vnicum præceptum, quod non multiplicatur respectu Veneris. Sed pace tantorum virorum, seu vnius viri, quem reliqui sequuntur, vti ducem, hæc doctrina non placet, quia eadem obligatione, qua Religiosus tenetur extra Quadragesimam ad ieiunium Veneris, constringitur etiam in Quadragesima, siquidem in vtroque casu tenetur ex vi voti professionis, & Regulæ (in opinione horum) ergo fractor in vtroque casu aut semel peccat, aut bis, & non differenter, cum non sit assignabilis differentia, & si enim Seraphicus non præceperit Ieiunium Feriæ Sextæ, expressis terminis, nisi extra Quadragesimam, & Aduentum, hoc idem tamen statuit in genere collectiuo sub eadem obligatione, qua præcepit totam Quadragesimam, qui enim indixit ieiunia Quadragesimalia, includit omnes dies hebdomadæ, & consequenter etiam dies Veneris. Consequenter ex his, ad hominem, videtur inferendum, Rodr. cum suis asserendum fuisse in vtroque casu duplex committi peccatum à transgressore ieiunij huiusmodi tam in Quadragesima, quam intra illam. Confirmatur id, quia Doctores communiter asserunt frangentem votum de materia alias in præcepto duorum peccatorum esse reum. Quia tamen in mea opinione superius probata, transgressio voti non habet locum in his præceptis ieiuniorum, ideo vnius tantummodò peccati reus est transgressor horum ieiuniorum.

Conueniunt tamen omnes præcitati, iuuenes, qui non perfecerunt, vel nondum attigerunt annum vigesimum primum, obligari quidem ad ieiunia in Regula præcepta, vt ego etiam probaui supra *q.3.* tamen si ea transgrediantur, vnicum incurrere peccatum, ex vi nimirum præcepti Regulæ, & non etiam Ecclesiæ, quæ eos non obligat.

Quærea 9. In quadam ciuitate sedata pestilentia anni 1630. Conuenit populus cum clero, omnes demum coram Archiepiscopo illius loci Ordinario, ad Indicendum ex voto ieiunium tali die, vt Deus deinceps populum, & ciuitatem suam præseruet à tam contagioso morbo, conuocant etiam Religiosos, inter hos, quoddam Monasterium cum suo capite noluit se obligare; quidam alij alterius Conuentus, maior quidem eorum pars cum Superiore suo huic obligationi se subiecerunt, alij pauci restiterunt. Quæres, inquam, An illud Monasterium totum resistendo obligationi peccauerit? An sit nihilominus subiectum voto? Quod idem quæritur de illa minori parte, quæ noluit se obligare.

Respond. Omnes Religiosi vtriusque Monasterij, 14
qui noluerunt se obligare ad ieiunium cum aliis peccauerunt, & non obstante ea resistentia adhuc tenentur obseruare illud ieiunium, quod tota ciuitas obseruat.

Primum de peccato probatur. Tum quia rationabile est, membra conuenire cum suo capite, cum ab hoc discedere non deceat, *capite 1. distinctione 12.* neque discrepare, neque aliter facere, *cap. Celebritatem at. distinct.3. de consecr. cap. Cum non liceat 12. de præscript.* & turpis est ea pars, quæ non congruit suo toti *cap. 2. distinct.8. cap. fin. de sponsa duor. §. Ne verò;* Sed Religiosi sunt ciues, membra, & partes ciuitatis

uitatis vbi habent habitationem, & domicilium, *vt docet Nauarr. comm. 2. de Regul. num. 63. §. Nunc, consil. 6. de testam. num. 3. consil. 9. de maior. num. 3.* Tum quia huiusmodi resistentia fieri non potest sine scandalo, debent enim Religiosi Laicis prælucere exemplo, incumbendo ieiuniis, & abstinentiis, & meliores esse Secularibus, aut saltem bonum præbere exemplum. Confirmatur ex mox dicendis.

Secundum de obligatione non obstante resistentia probatur. Tum quia & si votum requirat proprium, & voluntarium vouentis consensum ex natura suæ definitionis, qui in casu nostro deest, imò actus ab eis præstitus directè est contrarius, & impeditiuus huiusmodi consensus; tamen ex hoc non sequitur illos eximi ab ea subiectione, & obligatione, à Populo, Clero, & cæteris Religiosis suscepta, ab Episcopo indicta, & authorizata, quia isti resistentes obligati 'non' manent ex vi voti præcisè, sed ex statuto, & pacto, in quod cum cæteris debebant consentire; Votum siquidem dupliciter spectari potest, pro intelligentia huius negotij; vno modo, vt dicit priuatam singulorum obligationem eorum, qui votum emiserunt, qua ratione ad eius substantiam, & obligationem requiritur proprius, & voluntarius singulorum consensus; altero modo, vt dicit publicam obligationem, in quam conuenire possint populus cum Ecclesiasticis, ob aliquem honestum finem in bonum, & vtilitatem communitatis tendentem; ad quam contrahendam sufficit maior pars ciuitatis, seu communitatis, ex quo facto, tanquam statuto, seu pacto consurgit obligatio in omnes personas communitatis, tam consentientes, quàm dissentientes, & resistentes; cum ea tamen differentia, quod consentientes obligantur ex vi voti, consequenter transgressores effecti rei sunt sacrilegij; resistentes, & successores tenentur in ratione pacti, seu statuti prædictorum. Ita de hac differentia respectu successorum docent *Suar. tom. 3. in part. 3. quæst. 83. art. 6. disp. 88. sect. 5. Petrus Ledesma de Sacram. cap. 27. de Eucharist. conclus. 14. Vasq. 1. 2. quæst. 96. art. 5. disp. 167. num. 34. & alibi, quos pro se citat Sanchez lib. 4. cap. 55. num. 19.* Tum quia huiusmodi obligatio se habet vt lex respectu subditorum acceptantium legem sibi præscriptam à Principe; sed lex accepta à maiori parte subditorum, ligat non solum subditos, qui legem acceptauerunt, sed etiam illos, qui legi noluerunt se subiicere, vt tenent omnes, vbi tractant de acceptatione legis; ergo idem dicendum in casu nostro, cum huiusmodi obligatio ieiunij sit quædam lex à communitate suscepta, & à Superiore approbata, & publicata.

Itaque etiam Religiosi resistentes tenentur ad ieiunium toto eo tempore, quo de familia manebunt in ea vrbe, vel loco, in quo publicum emissum fuit votum; si verò inde recedunt non ampliùs subiiciuntur, quia votum illud obligat personas illas dependentes à loco, & non personaliter. Idem dic de successoribus, & aliis aduenientibus illuc ad commorandum, quia huiusmodi obligatio est localis afficiens omnes in loco.

RESOLVTIO XIX.

De opinione Superioris sequenda.

SVMMARIVM.

1 *Nouem opiniones de furto notabili peccato mortali.*
2 *Superior non potest cogere subditum ad suam opinionem secundum aliquos.*
3 *Dubium. & opinio quomodo differunt inter se.*
4 *Opinio quid, & quotuplex.*
5 *Superior cogit ad suam opinionem.*
6 *Sanchez excipit aliquando.*
7 *Impugnatur ab Authore.*
8 *Subditus non exequitur sine speciali precepto.*
9 *Quod sit in materia non excedente limites potestatis.*
10 *Respondetur rationibus initio propositis.*

CLemens Octauus in suo Decreto incipiente, *Sanctissimus*, in quo tradit, & præscribit casus, quos Superiores sibi reseruare possunt, quod referunt *Confess. titul. 171 capitulo octauo, & explicant Quar. ver. Casus reseruati, Graff. pr. libro tertio, per votum. Coriolanus edidit tractatum de hac re, & refert etiam Nald. ver. Religiosus numero 43. de eodem agit Megal. parte 1. de Pœnit. libro primo, cap. 12. Beia parte tertia, casu 16.* exprimit casum octauum sub his verbis. *Furtum de rebus Monasterij seu Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.* Modo quidam Prælatus Regularis, prout iacet sibi reseruauit, iuxta citatum Decretum, procedente autem tempore, non leuis dissensio exorta fuit inter Confessarios Monasterij, quænam quantitas constitueret peccatum mortale, & inter eos multa fuit contentio, occasione accepta à multitudine opinionum digladiantium, quænā dicatur notabilis quantitas ad constituendum peccatū mortale, ad quod *Diana parte 2. tract. 3. Miscell. resolut. 57. refert* nouem opiniones, vnde superior in tanta opinionum diuersitate volens dirimere litem, mandauit singulis Confessariis, vt in absoluendo ab hoc peccato Religiosos, seruarent suam opinionem, quæ fuit, vt excessus trium Iuliorum esset peccatum mortale, de quo fit mentio in supradicto casu. Videtur autem, quod superior non possit præcipere hoc, vt suam opinionem sequantur. Tum quia res præcepta excedit potestatem Superioris, qui non potest agere vltra sphæram suæ actiuitatis. Tum quia cum subditus ex sua opinione prudenter agat, non potest cogi a Superiore, vt suam sequatur; aliter ageret contra conscientiam, ac proinde peccaret mortaliter; omne enim quod non est ex conscientia, ædificat ad gehennam. Tum quia dignitas Prælati non deteriorem reddit opinionem subditi, sicuti neque suam reddit probabilem, si non est, aut si est, non facit probabiliorem: opinio enim dicitur magis vel minus probabilis ab authoritate, & ratione non ex dignitate opinantis. Tum quia pœnitens non tenetur sequi opinionem sui Confessarij, sed Confessarius opinionem pœnitentis, quia quotiescumque Confessarius potest licitè absoluere, pœnitens habet ius ad se faciendum absoluere, stante sua opinione, quia licitè absolui potest, vt tenent quamplures Doctores, quos pro se citat Diana *res. 11. de opinione probab.* ergo neque subditus opinionem sui Superioris, cum non minus subiiciatur pœnitens Confessario, quam subditus Prælato. 1 2

Notandum autem est pro resolutione huius difficultatis, differre inter se dubium, & Opinionem, nam Dubium, est illud, quo intellectus neutri parti assentitur, sed ambiguus manet, & suspensus quasi in æquilibrio non magis pendens ad vnam partem, quam ad alteram, quod ei accidit, quia nullas rationes habet sufficientes, quibus mediantibus possit vni parti potiùs consentire, quam alteri; quod si interdum magis videatur inclinare in vnam partem, quam ad alteram, cui tamen firmiter ex ratione non assentitur, tunc dubium nuncupatur Suspicio orta ex leuibus coniecturis, non tamen per hoc intellectus dicitur determinari ad vnam partem, cum adhuc anceps maneat, & in lance inæqualiter. *Vide Sanchez libro primo, capit. decimo, Reginald. libro 13. Becan. quæstione 8. de bonis. vt intern. Bonac. quæstione 4. de peccat. puncto septimo.* Diuidunt autem dubium in speculatiuum, quo quis dubitat extra exercitium, & practicum, quod quis habet in exercitio. Opinio autem est assensus prudens vnius partis fundatus in firmis rationibus, cum timore, & formidine ne pars opposita sit vera. Vnde inquit Aristot. 5. Æthic. quod opinio est circa ea, quæ 3

aliter

aliter se habere possunt. Differunt ergo, quod dubium est actus intellectus anceps, & indeterminatus, ex eo, quod intellectu a ex sua imperfectione, & ruditate nesciat inuestigare aliquam determinationem de eo circa quod dubitat; è contra opinio est actus intellectus certus, & determinatus, ex eo, quod scit inuestigare determinationem rei de qua facit opinionem, nihilominus quia non habet eam certitudinem, quæ reperitur in actu scientifico, idcirco habet adiunctam formidinem circa partem oppositam, quæ opinantem non impedit, quin prudenter dicatur agere operando secundum conceptam opinionem, eo quod causa operationis non est illa formido, sed ratio, quæ suadet illum sic operari.

4 Opinio autem alia tuta, alia tutior; alia probabilis, alia probabilior, relictis aliis diuisionibus, de quibus vide Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 5.* Tuta illa dicitur, in qua potest esse aliquod peccatum, à quo tamen excusatur agens secundum illam, quia prudenter operatur; hoc ipso quod agit iuxta dictamen rationis inducentis illum ad sic operandum. Tutior illa dicitur, quæ nullum continet periculum peccati. Probabilis est illa, quæ habet firmas rationes, & probatos Doctores, non nomine, sed re, magis enim creditur Doctori propter rationem, quam affert pro sua opinione, quam suæ dignitati, Doctori enim asserenti sine ratione non est credendum, vt dicit *Megal. lib. 1. de Pœnitent. cap. 9. num. 26,* quia opinio non ex fide humana, sed ex ratione nascitur. Probabilior opinio demum illa dicitur, quæ nititur melioribus fundamentis, efficacioribus rationibus, adiunctis grauioribus, & classicis Doctoribus. Igitur esse magis, vel minus tutum in opinione refertur ad minus, vel maius periculum peccati, vel ad nullum peccatum; esse verò magis, vel minus probabile respicit veritatem secundum magis vel minus firmatam, Vnde euenire potest, quod aliqua opinio sit tutior, licet sit minus probabilis, quam sit alia probabilior, licet minus tuta, quia probabilior nititur meliori ratione, tutior vero debiliori fundamento. His prælatis.

5 Respondeo, quod Superior potest cogere subditum ad sequendum suam opinionem, & is tenetur obedire, & operari secundum illam, modo sit circa materiam intra obiectum suæ potestatis. Probatur, Tum quia subditus cum careat velle, & nolle proprio, *cap. Si Religiosus 27. de electione in 6. capitulo final. de testam. & sepult. eod.* & quod per professionem obedientiæ vtrumque subiicit dominio, & potestati Superioris, in operando suam voluntatem debet conformare cum voluntate Superioris, ita quod illi contradicere non potest in iis, in quibus illi subiicitur, ergo sine dubio potest cogere illum ad operandum secundum suam opinionem. Tum quia illa coactio nihil aliud est quam præceptum à Superiore intimatum subdito in re sine dubio licita, opinio enim facit licitè operari, & à peccato excusat, quamuis alias esset falsa, modo probabilis habeatur, *Nauarr. tom. tertio, in cap. Si quis autem, num. septimo. & resol. decima, de consanguinitate, Modenus 9. Prudentum responsa dubitatione octaua, num. secundo, & aliis communiter,* sed superior præcepta licita, quæ non excedunt eius iurisdictionem, imponere potest suis subditis, ergo per illa cogere ad executionem suæ opinionis, Tum quia in dubiis obediendum est Superiori, cum sit in professione iubendi, *gloss. ver. Iniquitas, cap. Quid culpatur 4. 23. quæstione prima, Gloss. ver. Obedientiam, cap. Ad aures quinto. de tem. ordin. Gloss. final. cap. Dilecta de maiorit. D. Bonau. in secunda distinct. 39. articulo primo quæstione 3. Rodriq. tomo 3. quæstione 19. articulo 6. multos alios citat Sanch. lib. sexto. cap. tertio, n. 3.* ergo multo magis quando præcipit sequendum esse suam opinionem, cum tunc non sit dubitandum de re præcepta, liceat necne. Confirmatur ex infra dicendis.

6 Sanchez *lib. 6. cap. 3. num. 7.* docet subditum in aliquo casu non teneri obedire Superiori, quando pro se habet opinionem probabilem, quia ea opinione data Prælatus non habet certam possessionem superioritatis in subditum, sed reuocatur in dubium, ac proinde illa possessio non præponderat contra libertatem, quam habet subditus sequendi suam opinionem, & non obediendi Superiori. Quod extendit, licet opinio Superioris sit probabilior, quia illa maior probabilitas non reddit omnino firmam possessionem Superioris, nec tollit probabilem opinionem fauentem libertati subditi. Et paulo infra sibi obiicit, superiorem tunc licitè præcipere ratione opinionis, & consequenter obligare, ergo subditus tenetur obedire, & manet obligatus, cum sint relatiua, nec potest dari bellum iustum ex vtraque parte. Respondet superiorem probabiliter obligare, & ita subditum remanere probabiliter obligatum, at cum sit etiam probabile oppositum, scilicet, Superiorem non obligare, poterit subditus in praxi illud sequi, neque absurdum est dari bellum iustum ex vtraque parte, quando ignorantia veritatis excusat, vt hic contingit; & de iusto bello ex vtraque parte citat P. *Nauarrum lib. tertio, de restitut. parte tertia, dubio decimoquarto, num. 239. adde. Becan. de virtut. Theolog. cap. 25. quæstione 7.* Itaque opinio Sanchez est contra nostram responsionem, asserendo subditum habentem opinionem probabilem non teneri obedire Superiori præcipienti, quod est dicere Prælatum non posse cogere subditum ad sequendam suam opinionem, vnde respondendum est ad rationes ab eo adductas, quæ in summa sunt hæ duæ. Prima, quod opinio subditi reuocat in dubium facultatem superioris præcipiendo. Secunda, quod opinio subditi indicit iustum bellum contra superiorem iustè præcipientem.

Prima igitur ratio Sanch. mihi non probatur, sed videtur falsa, quia quando opiniones sunt æque probabiles, non est maior ratio, cur opinio subditi perturbet possessionem superioris & opinio superioris non perturbet libertatem subditi, imò in hoc casu opinio superioris debet præualere, quia constat de pacifica possessione superioritatis, & de subiectione Religiosi talem in genere, & reuocatur in dubium superioritas, & subiectio, quo ad specialem casum, & cum hæ opiniones in æquilibrio sint, induunt naturam dubij, consequenter in hoc casu superiori obediendum est, ex suprà adductis, quod in dubiis obediendum est superiori. Quando autem superioris opinio est probabilior, tunc sine dubio magis firmatur possessio superioritatis, & minuitur libertas subditi, ac proinde tenetur obedire, cum superior non sit deterioris conditionis, imo melioris subdito, & quatenus subditus quæ superiori cedere debent. Demum quando opinio subditi est probabilior, & superioris minus probabilis, in hoc casu est occasio dubitandi, tamen adhoc dico non minui superioritatem, neque potestatem imperandi, quia coactio, & præceptum adiectum prudenter a Superiore, obligat subditum submittere se voluntati Prælati, siquidem cum opinio vt sic sit actus intellectus, quem cogere non potest superior, remanet opinio in suo statu; eius vero executio, cum sit actus voluntatis impediri potest à Superiore, in cuius manu est voluntas subditi. Itaque potest dici opinionem subditi spectari posse dupliciter, vno modo speculatiuè, & quatenus se tenet ex parte intellectus, & hac ratione comparari possunt potentiæ intellectiuæ Superioris, & subditi, & in hoc sensu non facit ad rem; altero modo practicè, & executiuè, quatenus se tenet ex parte voluntatis, in quo sensu opinio subditi nequaquam potest perturbare possessionem iurisdictionis in Superiore, eo quod Religiosus professione obedientiæ suam voluntatem subiecit rectè voluntati Superioris sui, opinio igitur supradicta potest perturbare intellectum Superioris, non autē eius voluntatem, à qua proueniunt actus superioritatis, & imperij. 7

Secunda

uitatis vbi habent habitationem,& domicilium, *vi docet Nauarr.comm.2.de Regul.num.63.§.Nunc, consil.6.de testam.num.3.consil.9.de maior.num.3.* Tum quia huiusmodi resistentia fieri non potest sine scandalo, debent enim Religiosi Laicis prælucere exemplo,incumbendo ieiuniis, & abstinentiis, & meliores esse Secularibus, aut saltem bonum præbere exemplum. Confirmatur ex mox dicendis,

Secundum de obligatione non obstante resistentia probatur. Tum quia & si votum requirat proprium,& voluntarium vouentis consensum ex natura suæ definitionis,qui in casu nostro deest,imò actus ab eis præstitus directè est contrarius,& impeditiuus huiusmodi consensus; tamen ex hoc non sequitur illos eximi ab ea subiectione,& obligatione,à Populo,Clero, & cæteris Religiosis suscepta,ab Episcopo indicta, & authorizata, quia isti resistentes obligati non manent ex vi voti præcisè, sed ex statuto,& pacto,in quod cum cæteris debebant consentire; Votum siquidem dupliciter spectari potest,pro intelligentia huius negotij; vno modo, vt dicit priuatam singulorum obligationem eorum, qui votum emiserunt, qua ratione ad eius substantiam, & obligationem requiritur proprius, & voluntarius singulorum consensus; altero modo, vt dicit publicam obligationem, in quam conuenire possunt populus cum Ecclesiasticis, ob aliquem honestum finem in bonum, & vtilitatem communitatis tendentem; ad quam contrahendam sufficit maior pars ciuitatis, seu communitatis,ex quo facto, tanquam statuto, seu pacto consurgit obligatio in omnes personas communitatis,tam consentientes,quàm dissentientes, & resistentes; cum ea tamen differentia,quod consentientes obligantur ex vi voti,consequenter transgressores effecti rei sunt sacrilegij; resistentes, & successores tenentur in ratione pacti, seu statuti prædictorum. Ita de hac differentia respectu successorum docent *Suar. tom.3.in part.3.quæst.83.art.6.disp.88.sect.5.Petrus Ledesma de Sacram.cap.27.de Eucharist.conclus.14. Vasq.1.2. quæst.96.art.5.disp.167.num.34. & alibi, quos pro se citat Sanchez lib.4.cap.15.num.19.* Tum quia huiusmodi obligatio se habet vt lex respectu subditorum acceptantium legem sibi præscriptam à Principe; sed lex accepta à maiori parte subditorum, ligat non solum subditos, qui legem acceptauerunt, sed etiam illos, qui legi noluerunt se subiicere, vt tenent omnes, vbi tractant de acceptatione legis; ergo idem dicendum in casu nostro, cum huiusmodi obligatio ieiunij sit quædam lex à communitate suscepta,& à Superiore approbata,& publicata.

Itaque etiam Religiosi resistentes tenentur ad ieiunium toto eo tempore, quo de familia manebunt in ea vrbe, vel loco,in quo publicum emissum fuit votum; si verò inde recedunt non ampliùs subiiciuntur, quia votum illud obligat personas illas dependentes à loco, & non personaliter. Idem dic de successoribus, & aliis aduenientibus illuc ad commorandum,quia huiusmodi obligatio est localis afficiens omnes in loco.

RESOLVTIO XIX.

De opinione Superioris sequenda.

SVMMARIVM.

1 *Nouem opiniones de furto notabili peccato mortali.*
2 *Superior non potest cogere subditum ad suam opinionem secundum aliquos.*
3 *Dubium. & opinio quomodo differunt inter se.*
4 *Opinio quid,& quotuplex.*
5 *Superior cogit ad suam opinionem.*
6 *Sanchez excipit aliquando.*
7 *Impugnatur ab Authore.*
8 *Subditus non exequitur sine speciali præcepto.*
9 *Quod sit in materia non excedente limites potestatis.*
10 *Respondetur rationibus initio propositis.*

Clemens Octauus in suo Decreto incipiente, *Sanctissimus*, in quo tradit, & præscribit casus, quos Superiores sibi reseruare possunt, quod referunt *Confect. titul. 17. capitulo octauo, & explicant Quar. ver. Casus reseruati, Graff. pr. libro tertio, per votum. Coriolanus edidit tractatum de hac re, & refert etiam Nald. ver. Religiosus numero 43. de eodem agit Megal. parte 1. de Pœnit. libro primo, cap.12. Beia parte tertia, casu 16.* exprimit casum octauum sub his verbis. *Furtum de rebus Monasterij seu Conuentus,in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.* Modo quidam Prælatus Regularis,prout iacet sibi reseruauit, iuxta citatum Decretum, procedente autem tempore, non leuis dissensio excitata fuit inter Confessarios Monasterij, quænam quantitas constitueret peccatum mortale, & inter eos multa fuit contentio, occasione accepta à multitudine opinionum digladiantium, quænam dicatur notabilis quantitas ad constituendum peccatum mortale,ad quod *Diana parte 2. tract. 3. Miscell.resolut.57. refert* nouem opiniones, vnde superior in tanta opinionum diuersitate volens dirimere litem, mandauit singulis Confessariis, vt in absoluendo ab hoc peccato Religiosos,seruarent suam opinionem, quæ fuit, vt excessus trium Iuliorum esset peccatum mortale, de quo fit mentio in supradicto casu. Videtur autem, quod superior non possit præcipere hoc, vt suam opinionem sequantur. Tum quia res præcepta excedit potestatem Superioris, qui non potest agere vltra sphæram suæ actiuitatis. Tum quia cum subditus ex sua opinione prudenter agat,non potest cogi à Superiore,vt suam sequatur, aliter ageret contra conscientiam, ac proinde peccaret mortaliter, omne enim quod non est ex conscientia, ædificat ad gehennam. Tum quia dignitas Prælati non deteriorem reddit opinionem subditi, sicuti neque suam reddit probabilem, si non est, aut si est, non facit probabiliorem; opinio enim dicitur magis vel minus probabilis ab authoritate, & ratione non ex dignitate opinantis. Tum quia pœnitens non tenetur sequi opinionem sui Confessarij, sed Confessarius opinionem pœnitentis, quia quotiescumque Confessarius potest licitè absoluere, pœnitens habet ius ad se faciendum absoluere, stante sua opinione, quia licitè absolui potest,vt tenent quamplures Doctores, quos pro se citat Diana *ref. 11. de opinione probab.* ergo neque subditus opinionem sui Superioris, cum non minus subiiciatur pœnitens Confessario, quam subditus Prælato. 1 2

Notandum autem est pro resolutione huius difficultatis, differre inter se dubium, & Opinionem, nam Dubium, est illud, quo intellectus nostri parti assentitur, sed ambiguus manet, & suspensus quasi in æquilibrio non magis pendens ad vnam partem, quam ad alteram; quod ei accidit, quia nullas rationes habet sufficientes, quibus mediantibus possit vni parti potiùs consentire, quam alteri; quod si interdum magis videatur inclinare in vnam partem, quam ad alteram, cui tamen firmiter ex ratione non assentitur, tunc dubium nuncupatur Suspicio orta ex leuibus coniecturis, non tamen per hoc intellectus dicitur determinari ad vnam partem, cum adhuc anceps maneat, & in lance inæqualiter. *Vide Sanchez libro primo,capit. decimo,Reginald. libro 13. Becan. quæstione 8. de bonit. vt intern. Bonac. quæstione 4. de peccat. puncto septimo.* Diuidunt autem dubium in speculatiuum, quo quis dubitat extra exercitium, & practicum,quod quis habet in exercitio. Opinio autem est assensus prudens vnius partis fundatus in firmis rationibus, cum timore,& formidine ne pars opposita sit vera. Vnde inquit Aristot. 5. Æthic. quod opinio est circa ea, quæ aliter 3

aliter se habere possunt. Differunt ergo, quod dubium est actus intellectus anceps, & indeterminatus, ex eo, quod intellectus ex sua imperfectione, & ruditate nesciat inuestigare aliquam determinationem de eo circa quod dubitat; è contra opinio est actus intellectus certus, & determinatus, ex eo, quod scit inuestigare determinationem rei de qua facit opinionem, nihilominus quia non habet eam certitudinem, quæ reperitur in actu scientifico, idcirco habet adiunctam formidinem circa partem oppositam, quæ opinantem non impedit, quin prudenter dicatur agere operando secundum conceptam opinionem, eo quod causa operationis non est illa formido, sed ratio, quæ suadet illum sic operari.

4 Opinio autem alia tuta, alia tutior; alia probabilis, alia probabilior, relictis aliis diuisionibus, de quibus vide Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 5.* Tuta illa dicitur, in qua potest esse aliquod peccatum, à quo tamen excusatur agens secundum illam, quia prudenter operatur; hoc ipso quod agit iuxta dictamen rationis inducentis illum ad sic operandum. Tutior illa dicitur, quæ nullum continet periculum peccati. Probabilis est illa, quæ habet firmas rationes, & probatos Doctores, non nomine, sed re, magis enim creditur Doctori propter rationem, quam affert pro sua opinione, quam suæ dignitati, Doctori enim asserenti sine ratione non est credendum, vt dicit *Megal. lib. 1. de Pœnitent. cap. 9. num. 26*, quia opinio non ex fide humana, sed ex ratione nascitur. Probabilior opinio demum illa dicitur, quæ nititur melioribus fundamentis, efficacioribus rationibus, adiunctis grauioribus, & classicis Doctoribus. Igitur esse magis, vel minus tutum in opinione refertur ad minus, vel maius periculum peccati, vel ad nullum peccatum; esse verò magis, vel minus probabile respicit veritatem secundum magis vel minus firmatam, Vnde euenire potest, quod aliqua opinio sit tutior, licet sit minus probabilis, quam sit alia probabilior, licet minus tuta, quia probabilior nititur meliori ratione, tutior vero debiliori fundamento. His prælatis.

5 Respondeo, quod Superior potest cogere subditum ad sequendum suam opinionem, & is tenetur obedire, & operari secundum illam, modo sit circa materiam intra obiectum suæ potestatis. Probatur, Tum quia subditus cum careat velle, & nolle proprio, *cap. Si Religiosus 27. de electione in 6. capitulo final. de testam. & sepult. eod.* & quod per professionem obedientiæ vtrumque subiecit dominio, & potestati Superioris, in operando suam voluntatem debet conformare cum voluntate Superioris, ita quod illi contradicere non potest in iis, in quibus illi subiicitur, ergo sine dubio potest cogere illum ad operandum secundum suam opinionem. Tum quia illa coactio nihil aliud est quam præceptum à Superiore intimatum subdito in re sine dubio licita, opinio enim facit licitè operari, & à peccato excusat, quamuis alias esset falsa, modo probabilis habeatur, *Nauarr. tom. tertio, in cap. Si quis autem, num. septimo. & resol. decima, de consanguinitate, Modestus §. Prudentum responsa dubitatione octaua, num. secundo, & aliis communiter*, sed superior præcepta licita, quæ non excedunt eius iurisdictionem, imponere potest suis subditis, ergo per illa cogere ad executionem suæ opinionis, Tum quia in dubiis obediendum est Superiori, cum sit in professione iubendi, *glos. ver. Iniquitas, cap. Quid culpatur 4. 23. quæstione prima, Gloss. ver. Obedientiam, cap. Ad aures quinto. de tem. ordin. Gloss. final. cap. Dilecta de maiorit. D. Bonau. in secunda distinct. 39. articulo primo quæstione 3. Rodriq. tomo 3. quæstione 19. articulo 6. multos alios citat Sanch. lib. sexto. cap. tertio, n. 3.* ergo multo magis quando præcipit sequendum esse suam opinionem, cum tunc non sit dubitandum de re præcepta, liceat necne. Confirmatur ex infra dicendis.

6 Sanchez *lib. 6. cap. 3. num. 7.* docet subditum in aliquo casu non teneri obedire Superiori, quando pro se habet opinionem probabilem, quia ea opinione data Prælatus non habet certam possessionem superioritatis in subditum, sed reuocatus in dubium, ac proinde illa possessio non præponderat contra libertatem, quam habet subditus sequendi suam opinionem, & non obediendi Superiori. Quod extendit, licet opinio Superioris sit probabilior, quia illa maior probabilitas non reddit omnino firmam possessionem Superioris, nec tollit probabilem opinionem fauentem libertati subditi. Et paulò infra sibi obiicit, superiorem tunc licitè præcipere ratione opinionis, & consequenter obligare, ergo subditus tenetur obedire, & manet obligatus, cum sint relatiua, nec potest dari bellum iustum ex vtraque parte. Respondet superiorem probabiliter obligare, & ita subditum remanere probabiliter obligatum, at cum sit etiam probabile oppositum, scilicet, Superiorem non obligare, poterit subditus in praxi illud sequi, neque absurdum est dari bellum iustum ex vtraque parte, quando ignorantia veritatis excusat, vt hic contingit; & de iusto bello ex vtraque parte citat P. *Nauarrum lib. tertio, de restitut. parte tertia, dubio decimoquarto, num. 239. adde. Becan. de virtut. Theolog. cap. 25. quæstione 7.* Itaque opinio Sanchez est contra nostram responsionem, asserendo subditum habentem opinionem probabilem non teneri obedire Superiori præcipienti, quod est dicere Prælatum non posse cogere subditum ad sequendam suam opinionem, vnde respondendum est ad rationes ab eo adductas, quæ in summa sunt hæ duæ. Prima, quod opinio subditi reuocat in dubium facultatem superioris præcipiendo. Secunda, quod opinio subditi indicit iustum bellum contra superiorem iustè præcipientem.

Prima igitur ratio Sanch. mihi non probatur, sed videtur falsa, quia quando opiniones sunt æque probabiles, non est maior ratio, cur opinio subditi perturbet possessionem superioris & opinio superioris non perturbet libertatem subditi, imò in hoc casu opinio superioris debet præualere, quia constat de pacifica possessione superioritatis, & de subiectione Religiosi talem in genere, & reuocatur in dubium superioritas, & subiectio, quo ad specialem casum, & cum hæ opiniones in æquilibrio sint, induunt naturam dubij, consequenter in hoc casu superiori obediendum est, ex suprà adductis, quod in dubiis obediendum est superiori. Quando autem superioris opinio est probabilior, tunc sine dubio magis firmatur possessio superioritatis, & minuitur libertas subditi, ac proinde tenetur obedire, cum superior non sit deterioris conditionis, imo melioris subdito, & quatenus subditus quæ superiori cedere debent. Demum quando opinio subditi est probabilior, & superioris minus probabilis, in hoc casu est occasio dubitandi, tamen adhuc dico non minui superioritatem, neque potestatem imperandi, quia coactio, & præceptum adiectum prudenter a Superiore, obligat subditum submittere se voluntati Prælati, siquidem cum opinio vt sic sit actus intellectus, quem cogere non potest superior, remanet opinio in suo statu; eius vero executio, cum sit actus voluntatis impediri potest à Superiore, in cuius manu est voluntas subditi. Itaque potest dici opinionem subditi spectari posse dupliciter, vno modo speculatiuè, & quatenus se tenet ex parte intellectus, & hac ratione comparari possunt potentiæ intellectiuæ Superioris, & subditi, & in hoc sensu non facit ad rem; altero modo practicè, & executiuè, quatenus se tenet ex parte voluntatis, in quo sensu opinio subditi nequaquam potest perturbare possessionem iurisdictionis in Superiore, eo quod Religiosus professione obedientiæ suam voluntatem subiecit rectè voluntati Superioris sui, opinio igitur supradicta potest perturbare intellectum Superioris, non autē eius voluntatem, à qua proueniunt actus superioritatis, & imperij. 7

Secunda

Secunda ratio de iusto bello non habet locum in casu nostro quo ad voluntates vtriusque eo quod voluntas subditi sit subiecta voluntati superioris rectè, cum qua proinde pugnare licitè non potest; dari verò potest ,quo ad partem intellectiuam , quia Prælatus non potest cogere subditum , vt speculatiuè sequatur suam opinionem , quia intellectus naturaliter operatur, & obedientia promissa refertur ad potentiam voluntatis, non intellectus, tenetur ergo tantum operari secundum opinionem Superioris.

Obseruandum autem est, quod huiusmodi cautio, seu præceptum de seruanda Superioris opinione habet adiunctam legis interpretationem, vt videre est in casu formato , nam Superior Legislator casuum reseruatorum potest declarare mentem suam fuisse in eo casu condendo, sibi reseruandi illud peccatum quatenus est furtum excedens summam duorum, aut trium Iuliorum, in quo sensu nulli dubium est, standum esse eius interpretationi , vt potius lex sit , quam opinio; quod si superior respondeat vt doctor, seu vt peritus non vt Legislator dicendo se esse talis opinionis, quam præcipit insuper seruandum esse à subditis Confessarii; , in hoc sensu loquitur opinatiuè, non vt Legislator , & hanc opinionem, inducere potest non solum Legislator, sed etiam quiuis alius Superior non Legislator , & Prælatus localis, qui casus condere non potest, valet verò præcipere, vt seruetur opinio à se præscripta, qui ius habet cogendi prudenter voluntatem suorum subditorum.

8 Non insuper, quando Superior suæ opinioni non adiungit præceptum cogendi subditos ad eam sequendam , posse operari secundum opinionem propriam contra opinionem etiam probabiliorem , aut tutiorem Superioris, quia in tali casu subditus agit prudenter, & non contradicit voluntati Prælati relinquentis subditum in sua libertate.

9 Dixi in responsione; Modò præceptum de sequenda opinione sit circa materiam contentam intra limites potestatis Superioris, quia potestas debet esse ordinaria non excedens propria iura; vnde Superior non potest præcipere suo Confessario pro secularibus, vt in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sequatur semper opinionem tutiorem ; aut probabiliorem , quam ipsemet sequitur , quia quoad hoc exercitium non est subiectus Prælato suo, hoc enim præceptum est de materia excedente obiectum suæ potestatis, cum illi promiserit obedientiam in ordine ad Regulam, & non simpliciter.E contra verò poterit Generalis præcipere suis Prouincialibus, vt sequatur suam opinionem asserentem , Prælatos Regulares non posse absoluere suos subditos à reseruatis in Bulla Cœnæ Domini , contra opinionem asserentem posse absoluere , si hanc ipsi tenerent,nam in hoc casu debet propria deponere,& operari secundum opinionem Prælati maioris.

10 Respondendum modo est rationibus initio resolutionis obiectis nostræ responsioni. Ad primam, patet præceptum Superioris non excedere propriam potestatem , sed est intra eius limites , ex hactenùs allatis. Ad secundam dico, in eo casu ne agat contra conscientiam teneri deponere suam opinionem, vel saltem operari iuxta Superioris opinionem, quia tunc non dicitur agere contra conscientiam suam , cum operetur iuxta alienam, aliter sibi imputet. Ad tertiam dico dignitatem , seu superioritatem non deteriorare opinionem subditi , neque per hoc propriam meliorare, sed solum impedit voluntatem subditi, ne operetur secundum propriam opinionem , maior enim vel minor probabilitas pendet ab intellectu, & ratione, non à coactione voluntatis Prælati, qui suo præcepto nequaquam alterat opiniones, sed operationem voluntatis. Ad vltimam de Confessario non volente cogere pœnitentem ad suam opinionem, dico esse disparem rationem, quia Confessarius solum cogit pœnitentem ad suam opinionem , quando non habet debita requisita , quibus non caret , quando prudenter se gerit Quod si dicas, ponamus pœnitentem Religiosum esse opinionis contrariæ Superioris, in hoc casu Confessarius tenetur illum absoluere, consequenter non tenetur obedire opinioni Superioris,quæ pugnant ad inuicem. Respondeo , in hoc casu Confessarius non tenetur sequi opinionem pœnitentis , cum habeat præceptum Superioris in contrarium redundans etiam in subditum, nam reseruatio casuum primò, & directè afficit Confessarium auferendo illi potestatem absoluendi à casibus reseruatis, & secundariò pœnitentem, eo quod non potest recipere beneficium absolutionis ab illo Confessario; cum præterea, afficiatur illo præcepto communi Confessario, & sibi.

RESOLVTIO XX.

De Sacramentali Communione.

SVMMARIVM.

1 *Superior sub mortali tenetur quærere an subditi communicent.*
2 *In tribus casibus tenentur communicare.*
3 *Primo in Paschate.*
4 *Communicans eo tempore indignè adhuc tenetur.*
5 *Sicut & extra illud tempus.*
6 *Secundo in articulo mortis.*
7 *Tertiò singulis mensibus Monachi nigri,& Moniales hortantur.*
8 *Hoc est sub veniali.*
9 *Habens solum venialia non tenetur.*
10 *Tertiarij communicant prima Dominica cuiuslibet mensis.*
11 *Antiquitus solum in Paschate , Natali , & Pentecoste.*
12 *Sacerdotes communicant cum Stola.*
13 *Paschale,& Viaticum porrigunt non solum.*
14 *Professis,sed etiam*
15 *Nouitiis , atque.*
16 *Tertiariis,& aliis commensalibus.*
17 *Famulis.*
18 *Et casu in conuentu repertis.*
19 *Ministrant omnibus degentibus in suis hospitalibus.*
20 *Paschale incolis satisfactione minimè.*
21 *Paschale deuotionis gratia ministratur.*
22 *Paschale,& Viaticum in casu necessitatis porrigunt.*
23 *Dicta procedunt etiam pro Extrema Vnctione.*
24 *Quibusuis in propriis Ecclesiis tribuunt.*
25 *In extraneis quoque Curatis non contradicentibus.*
26 *Licentia requiritur ad ministrandum.*
27 *Quam Regulares concedunt Secularibus in suis Ecclesiis.*
28 *Excommunicati sunt Religiosi ministrantes Paschale, & Viaticum.*
29 *Eucharistiam in suis Ecclesiis seruare tenentur.*
30 *Sanctissimum exponere possunt.*
31 *Lampas perenniter collucere debet.*

SVperiori Conuentus admonito suum Religiosum Sacram Communionem in Paschate non sumpsisse, negligenti veritatem huius omissionis quærere, & punire delinquentem, culpa mortalis à Sene Monasterij obiicitur; vnde Superior consilium poscit, an hoc sit peccatum mortale , prout sibi obiectum fuit.

Responsum est affirmatiuum, Superiorem hunc peccasse mortaliter , quod probatur. Tum quia Prælatus negligens ea, quæ spectant ad suum officium, si delinquat in re graui, peccat mortaliter, *Glos. in cap. Ea quæ, de offic. Archid. Angel. ver, Negligentia, vt Prælatus, Graff. Append. lib. 4. cap.4. num. 24.* 1

Sed

Sed in casu nostro Prælatis deficit in re graui vt notum est, ergo peccat mortaliter. Tum quia Prælati est spiritualiter pascere gregem suum, quod propriè fit per hoc Sacramentum. Tum quia in hoc æquiparatur Parocho, immo Superior localis propriè dicitur Parochus suorum subditorum, ergo ex officio suo debet inquirere, an Religiosi sui recipiant hunc spiritualem cibum, aliter delinquit grauiter. *Vide Graff. Append. libr. 4. cap. 4. num. 34.* Itaque Superior ex officio suo debet per se, vel per alium à se deputatum ministrare hoc Sanctissimum Sacramentum præsertim in hac solemnitate, quæ omnes fideles obligat ad Sacram Communionem, & toties, quoties ipsi petunt, præcipuè autem in infirmitatibus periculosis procurare debet, vt se muniant Sanctissimis Sacramentis.

Quæstio autē prima est; quoties, & quando Religiosi non celebrantes teneantur sumere Sacram Cōmunionē.

Respond. In his tribus casibus. Primò tempore Paschatis. Secundò de iure Diuino in articulo mortis. Tertiò, quādo Religio specialiter obligat in aliis casibus.

Primò, tempore Paschatis vnusquisque fidelis, ac proinde Religiosus tenetur sub mortali communicare, ex vniuersali præcepto Ecclesiæ *cap Omnis. 12. de pœnit.* Hoc autem tempus incipit à Dominica Palmarum, & clauditur Dominica in Albis; aut secundum alios incipit in die Cœnæ Domini; aut à Quadragesima, vnde standum est consuetudini. *Vide Nauar. cap. 21. n. 45.* asserentem primum dictum esse declarationem Eugenij Papæ, *& alios Doctores apud Barbosam ad cap. 8. sess. 13.* Tempus autem Religiosorum est medium ex prædictis, cum media via in controuersiis sit eligenda *Instit. Quibus ex causis manum. §. penult. Instit. de rerum diuis. §. Cum ex aliena, Thomasset. reg. 178.* Duo dubiola excitantur, vnum est, Religiosus indignè communicans an satisfaciat præcepto? alterum est, An qui non communicauit intra tempus præfixum, teneatur adhuc Communionem recipere? Ad primum dico teneri iterum communicare dignè, quia præceptum hoc Ecclesiasticum cum sit determinatiuum Diuini præcepti de sumenda communione dignè, consequenter obseruari debet intra præceptum diuinum, quod præcipit communionem dignè recipiendam, *Ita docent Syluius in part. 3. quæst. 80. art. 11. quæst. 2. ibi Nugnus art. 1. diff. 2. dub. fin.* quos contra se citat *Diana resol. 43. de Sacr.* vbi cum quampluribus oppositum, *& Bonac. q. 7. de Sacram. Euchar. p. 2. num. 12.* tenet satisfacere, quia præceptum Ecclesiasticum obligat quo ad substantiam, quod est sumere Eucharistiam, non autem quod ad modum, hoc est sumere dignè, quod non pertinet ad essentiam præcepti. Prior opinio mihi magis probatur, quia hoc præceptum ex eo, quod est determinatiuum Diuini, hoc determinat secundum quod à Deo præscribitur, & cum à Deo institutum sit, vt dignè sumatur, sub eadem ratione Ecclesia illud determinauit, ne videatur imperfectè Diuinum præceptum ordinasse, & limitasse ad tale tempus. Ad secundum dico, remanere obligationem deinceps recipiendi Sacram Communionem, quia tempus Paschale præscribitur non ad finiendam obligationem, sed ad eam solicitandam, vnde manet obligatio vsque ad sequens Pascha, quæ cum sequenti obligatione imbibitur in vnam. *Ita docent Nauar cap. 21. num. 45. Bonac. quæst. 7. p. 2. num. 13. problematicus, cum multis aliis citatis à Diana resol. 41. Sacram. vbi citat. Doctores putantes oppositum probabile cum Silu. Tabien. Armill. Valen. Tolet. & aliis,* quia hæc obligatio est affixa diei, sicut obligatio audiendi Missam, & ieiunandi, sed tu dicas, non esse obligationem connexam cum die, quia Papa in citato cap. hoc præceptum absolutè posuit affigendo illud tempori, non diei.

6 Secundò, Religiosi omnes in articulo mortis debent sub mortali communicare de iure Diuino, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* quod maximè verificatur tempore mortis, tunc enim maximè necessarium est homini ad conseruandum, & roborandum vitam spiritualem contrà tentationes. *Ita omnes docent cum Becan. c. 33. de Sacram. q. 4. Diana resol. 40. de Sacram. Bonac. quæst. 7. p. 1. de Euchar. num. 1.* contra nonnullos asserentes hanc obligationem esse sub veniali tantum, sed non sunt audiendi, quia vt transgressio rei maximi momenti multum periculosa ægrotanti. Verum quidem est, eum qui communicauit octo diebus ante, vel quotidie celebrabat non teneri sub mortali communicare, ex Bonac. & Diana cum aliis à se citatis; recuperata autem sanitate, qui non communicauit, non tenetur amplius ex hac causa, quæ iam cessauit, vt docent omnes.

Tertiò, de iure communi in *Clem. Ne in agro, §. Sanè,* 7
solis Monachis nigris statui ur Communio sacra singulis mensibus, & non aliis Religiosis, vt ibidem expressis verbis habetur, & ratio suadet. Tum quia illos nominat solos; Tum quia vt præceptum odiosum restringendum est. Tum quia lex non plus obligat, quam verba exprimant. Nonnulli tamen extendunt huc statutum de semel confitendo in mense, & Sacra Communione sumenda prima Dominica cuiuslibet mensis, in quos videtur inclinare *Miranda tom. 2. quæst. 33. art 1. in fine,* & hoc probant tum authoritate Trident. *sess. 25. cap. 10. ibi: Admoneantur Sanctæ Moniales, vt saltem singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.* Quæ verba licèt expressè referantur ad Moniales, intelligenda tamen sunt etiam de Religiosis, cum ad æqualem perfectionem cum illis tendere debeant, quæ in frequentatione Sacramentorum præcipuè consistit. Tum ratione, quia Religiosi in aliquo à Secularibus differre debent, & propter Religionis perfectionem aliquid ad pensum Sanctæ Institutionis adiicere, consentaneum est, *cap. Denique dist.* Sed hæc non multum vrgent, sed solum consilium inducunt, & honestatem ac proinde omissio peccatum non est veniale, cum transgressio consilij nullum sit, *cap. fin. §. Hac & si, in fine distinctione quarta, capitulo final. 14. quæstione 1.* sic patet ad authoritatem & rationem.

Restant duo dubiola, Vnum, an hæc obligatio respectu Monachorum sit sub mortali; Alterum, an peccati tantum venialis reus teneatur confiteri, vt postea
communicet? Primò respondetur, obligare tantum 8
sub veniale, quia licèt sit præceptum de graui momento, tamen receptum non fuit cum tanto rigore, neque verba Clem. id inferunt, *Ita docent Nauar. cap. 21. num. 9. Megal. part. 1. lib. 5. cap. 4. num. 5. Coriolanus part. 1. de casibus reseruat. sect. 5. art. ....* ait standum esse consuetudini Religionis huius; & hoc præceptum obligare eo modo, quo cæteræ Constitutio-
nes huius Religionis. Secundò dico non teneri con- 9
fiteri, quia hoc præceptum obligat sicut alia Ecclesiastica, quæ habentem solum venialia non constringunt, cum peccatum veniale non sit materia necessaria confessionis, sed tantum voluntaria, vnde venialia aliis mediis Religiosus delere potest, & sic communicare. *Ita insinuat gloss. ibi, Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 1. art. 3. Palud. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 4. apud Coriolanum citatum, qui cum Caiet. tom. 1. opusc. tit. 5. quæst. 2. Cano relect. de pœnit. part. 5. Nauar. tom. 3. in capi. placuit num. 100.* ab eo citatis docet teneri etiam si solum habeant peccata venialia, eo quod id videtur magis consonum menti Pontificis, qui verisimile nō est præsumpsisse peccare mortaliter singulis mensibus; & cum velit ibi reformare Religionē, inferendū est obligasse eosdem etiam quo ad venialia, aliter id non esset reformare, sed relaxare Religionē; sed hæ rationes nō obstant, quia Papa præscripsit hoc tempus, vt Sacramenta hæc frequentarent, præscindendo ab huiusmodi præsumptionibus, & Religio satis reformatur ea hoc capite, si prouideat de præcepto tendente ad reformationem, quamuis hic, & nunc non habeat locum non defectu

Religiosorum, sed quia non indigent ex necessitate medio, cum aliunde venialia deleantur.

Constat ex dictis cæteros Religiosos de iure communi non magis obligari ad frequentationem horum Sacramentorum, quam Seculares, qui obligantur semel in anno in Paschate, & quando occurrit periculum mortis, quia cum non constet de obligatione ea asserenda non est, *vt aliis citatis docet Mirand. tomo secundo, quæstione 33. articulo secundo.*

10 Nostris consilium datur *cap.* 14. Regulæ, sumendi Sacram Communionem primo vniuscuiusque mensis die Dominico, nisi Priores illud in alterum diem iustè, & piè distulerint; temerariis autem transgressoribus, qui intra triduum non paruerint, admoniti per Priorem imponitur ibidem pœna bidui ieiunij in pane, & aqua publicè in Refectorio exequenda. In Regula Nicol. IV. *cap.* 6. ter in anno confitentur, & communicant, in Natali, Paschate, & Pentecoste. Est autem id pro Secularibus Tertiariis, imò & prò Regularibus ex Leone X. *cap.* 4. quibus accommodauit regulam Nicolai, subdit autem Leo; quod etiam seruent statuta à suis Superioribus super hoc ordinata, manet ergo supradictum statutum *Clem. Ne in agro*, §. *Sanè. pro Monachis ægris. de quibus suprà* §. 3. Triplex autem tempus supra præscriptum de confessione, & communione desumitur ex *cap. Et si non frequentiùs 15. dist. 2. de consecr.* vbi Fabianus Papa statutum fecit communicandi in Paschate, Pentecuste, & Natali.

11 Vocaui consilium communicandi singulis mensibus, quia Regulæ statuta neminem ad culpam obligant, sed tantum ad pœnam, quam ibi præscriptam negligentes subire tenentur sub pœna peccati mortalis requisiti à Superiore, ita quod neque occultè possunt comedere, aut bibere quicquam illis duobus diebus, nisi panem, & aquam.

Quæres 2. An præceptum sit communicandi Sacerdotibus cum Stola, & aliis Religiosis in die Cœnæ Domini?

12 Respond. Nullum adest præceptum sub culpa communicandi eo die, solent tamen Superiores locales eo die communicare omnes suos Religiosos, tam Sacerdotes, & Religiosos clericos, quam conuersos. Sacerdotes autem debent habere stolam pendentem à collo, vt ordinatur in Ceremoniali Romano *lib. 2. cap. 23. ex eo Stachyologia Sacerdotis Thedaldi Conplanensis Diœcesis Placentinæ cap. 25. §. Celebrans num. 3. Ceremoniale Canonicorum Congreg. S. Saluatoris cap.* 42. vbi ait Diaconum habere stolam pendentem super humero sinistro, sed reiicitur, quia soli Sacerdotes stola vtuntur in communione recipienda, *Castald. in suo Ceremoniali lib. 3. cap. 57. n. 17. Concilium Braccarense can. 3. apud Nald. vers. Sacerdos num. 6. & Gauantum in suo Enchiridion. vers. Euchar. num.* 34. dicit, quod Sacerdotes communicant cum stola in modum crucis, sed iste modus seruatur solum in celebratione; & paulò ante num. 19. refert Sacram Congreg. die 27. Septem. 1608. dixisse, hac die, clerum, & Canonicos in Missa solemni communicare.

Quæres 3. An Prælati Regulares possint ministrare hoc Sacramentum ex vi sui officij non solum suis Religiosis, sed etiam Nouitiis, Tertiariis, & aliis collegialiter cum ipsis viuentibus, aut aduenis, & aliis casu ibi repertis, non solum ex deuotione, sed etiam ex præcepto Paschali, aut in articulo mortis?

13 Respond. Prælati Regulares Communionem Paschalem, aut viaticam conferre habent non solum suis Religiosis professis, sed etiam Nouitiis, Tertiariis, & aliis collegialiter cum ipsis viuentibus, & cum illis etiam, qui casu tempore Paschali, aut in articulo mortis ægrotant intra claustra, siue ibi sint vt aduenæ, siue vt suspecti apud Curiam, seu alia ex causa, iuxta subiicienda.

14 Primum, de professis, constat ex dictis in præcedentibus, nam sicut ipsi habent obligationem communicandi illis temporibus, ita illorum Superiores tenentur hoc Sacramentum ministrare.

Secundum, de Nouitiis constat ex eo, quod subii- 15
ciuntur Superiori locali, & suo Magistro quo ad administrationem Sacramentorum, *vt patet ex Instr. Clem. VIII. §. Curam adhibeat, & §. Quilibet Nouitius.* Præterea subduntur Tertiarij, vt dicam §. Tertium, ergo à fortiori Nouitij, qui magis subduntur Superioribus, quam illi. Demum faciunt dicta *resol. 2. quæst. 4. & resol. 3. quæst. 4. §. 2.*

Tertium, de Tertiariis, probatur ex Constitut. *Dum* 16
intra. Leonis X. *apud Quar. ver. Priuilegia Regularium §. Fratres autem.* Vbi postquam Sacrum Concilium Later. decreuit Tertiarios cuiuscumque Religionis, qui in propriis domibus habitant, in die Paschatis tantum Eucharistiam sumere cum cæteris Sacramentis, Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto, à proprio Sacerdote, hoc est à Parocho cæterorum laicorum, subdit: *Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, &c. priuilegiis, quibus Fratres ordinis, cuius tertia Regula habitum gestant, gaudere debeant.* Est autem priuilegium inter alia quod Religiosi, quo ad Sacramentum hoc, & alia non subduntur Parochis, in cuius Parochia habent Conuentum. *Ita declarauit etiam Sacra Congr. apud. Nald. ver. Clausura num. 3. & docent Rodr. q. 56. artic. 10. Homobon. parte 2. Respons.* 49. Tertiariæ etiam Virgines in propriis domibus degentes quoad hoc Sacramentum subduntur Parocho, ex declaratione Sacræ Congreg. *apud Nald. cit. num. 7.*

Quartum, de aliis non Tertiariis, hoc est imper- 17
fectum habitum Religionis non deferentibus, famulis interuenientibus, aut alio modo ibi moram consultò trahentibus, suadetur, Tum ex Mari magno Sixti IV. ex Greg. XI. apud Confect. pag. 56. Tū ex citata Cōst. Leon. X. §. *Eucharistia*, illis verbis: *Eorumdem vero Fratrum obsequio insistentibus Sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.* Tum ex Trident. *sess. 24. cap.* 11. vbi oblati, & alij actu inseruientes, & manentes intra claustra sub obedientia Superioris Regularis exempti sunt ab ordinariis. *Et sess. 25. cap. pariter* 11. supponuntur exemptæ personæ Seculares, quæ sunt de familia Monasteriorum; ergo si sunt exemptæ à iuribus ordinariis Parochorum, & Episcoporum sine dubio subduntur Superioribus Regularibus Et ita in terminis nostris *docet Bonac. q. 7. de Euchar. p. 2. num.* 10. §. *Hoc tamen. Compend. resolut. 124. num. 14. Portell. ver. Sacramentorum admin. num.* 9. extendit etiam ad coniugatum commensalem, sed nocte domi dormientem, sed is videtur subiectus Curato.

Quintum, de aliis casu repertis in Conuentu tem- 18
pore Paschatis, vel in articulo mortis, probatur de aduenis, & forensibus. Tum quia in his præsumitur tacita licentia suorum Parochorum, qui non debent pati, suos Parochianos extra existentes carere hoc Sacramento. Tum quia prohibitio contra Regulares non ministrandi hoc Sacramentum pro Paschali obligatione, est fauore Curatorum, ne illis à Regularibus fiat iniuria; in casu autem nostro nulla fit iniuria Parocho loci, quia aduena, qui manet intra clausuram pro breui tempore, siue etiam maiori parte anni, non acquisiuit habitationem in Parochia, sed intra claustra, quod idem dici potest de illo, qui extrà Monasterium hospitatur per breue tempus, super hunc enim Parochus nullum ius Parochiale acquisiuit; quare Regulares sine iniuria Parochi possunt illis ministrare cōmunionem Paschalē pro satisfactione, Tum quia de aduenis, & forensibus, quod Communionem possint recipere satisfaciendo Paschali præcepto, extat priuilegium concessum Monasterio Sanctæ Mariæ de Guadalupe à Nicol. V. 4. Kalen. Oct. 1458. postea extensum omnibus Ecclesiis eius Ordinis, & proinde per communicationem omnibus Regularibus, *vt refert Beia part. 4. casu 4. §. 2.*

15

ex aequo propè finem. Refert autem multa alia, quae mihi consonare non videntur. Tum quia licet Eugen. IV. declarauerit aduenas acquirere incolatum quoad Confessionem, & Communionem tempore Paschatis in loco vbi reperiuntur, non tamen benè infertur hos aduenas extra claustrum breui hospitantes, obligari sumere Communionem à Parocho, quia possunt accedere ad Regulares, si quidem declaratio emanauit illorum fauore ad tollendos scrupulos, & non vt eos obligaret accedere ad Parochum, aliter fauor verteretur in eorum dispendium, sed Papa reliquit eos in sua libertate. Tum quia priuilegia concedentia Regularibus facultatem ministrandi hoc Sacramentum Secularibus, excipiendo diem Paschalem, non significant aduenas praedictos excludendos esse, sed solum indicant hoc Sacramentum illo die non posse conferri Secularibus incolis, & habitatoribus loci, vbi est Monasterium, nam Papa concedit priuilegia respectu quorumcumque fidelium, siue incolarum, siue forensium, & sic exceptio refertur ad habitatores, non ad forenses. Neque demum obstat, quod aduenae teneantur accedere pro Sacramentis ad matricem Ecclesiam, quia hoc ius nullibi statutum est pro forensibus, vt aliis citatis docet *Sanchez libro 3. disput. 23. num. 17. §. Nec obstat etiam.* Nostram igitur responsionem circa forenses tenent *Beia cit. Sanchez cit. in terminis, Portell. ver. Administratio Sacram. num. 6. Diana resolut. 12. de Regul. Ghilinus ver. Euchar. num. 19. Compend. resolut. 127. num. 4.* vbi refert Pontificum priuilegia; sed meliùs est inniti rationibus, & iuri communi, quia priuilegia modo vigent, modo nullius sunt valoris.

Incolae autem, & habitatores casu reperti in Monasteriis, debent exire ad propriam Parochiam Paschalem Communionem sumpturi, quam in Conuentu à Regularibus recipere nequeunt pro satisfactione praecepti sine licentia proprij Parochi. Suspecti autem ibi in tuto morantes, egredi non possunt, debent petere licentiam à suo Curato communicandi pro satisfactione praecepti, quam illis denegare non debet, aliter illis magnam infert iniuriam priuando tam pretioso munere.

Viaticum Regulares conferre possunt Secularibus casu secum morantibus in articulo mortis non solum aduenis, sed etiam incolis etiam Parochiae, intra cuius limites Monasterium situm est. Ratio est, quia non est maior ratio cur Parochus ministret hoc Sacramentum Religioso extra claustra aegrotanti in domo consanguineorum, vel amici, & non id possit praestare Religiosus erga secularem casu aegrotantem in suo Monasterio; illud autem supponit Sacra Congregatio, cuius responsionem ad Parochos Bononienses reperi in folio excusso Bononiae apud Sauoterum anno 1624. ergo idem dicendum est in re nostra. Nec dicas, benè hoc procedere respectu Parochi, qui habet territorium Parochiale afficiens omnes existentes intra eius limites, non autem respectu Regularium, cum careant Parochia; quia respondetur, quod cum Superior localis propriè dicatur Parochus personarum existentium intra sua claustra, *vt docet Fagundez lib. Sec. 4. de praeceptis Ecclesiae,* cum illarum curam habeat, & omnimodam potestatem super omnes in suo Monasterio degentes, *docent Archid. in c. De capellis 16. q. 2. n. 3. Innoc. in cap. Vt fama, de sent. excomm. n. 3. Abbas in cap. Ioannes, de regul. & alij cum Bertis in sua praxi Iudic. c. 2. n. 2.* Conueniens autem est, Regulares admonere Parochum, si aegrotans est habitator, & subditus eius, qui si ipse velit Sacramenta administrare intra claustra, reiiciatur omninò, quia sua iura tueri debent, & tenentur, *arg. cap. 2. 3. q. 3. ibi glossa;* vnde curatus resistendo huic administrationi de iure facienda à Regularibus sine dubio peccat, & facit iniuriam Religiosis, qui vtuntur iure suo. Circa aduenas nulla monitio praemittenda est Curato loci, cum super illos nullum omninò ius habeat quod ad Sacramenta, neque quoad funeralia, cum in eo casu aegrotans censeatur persona Religionis.

Quaeres 4. An Regulares possint ministrare Eucharistiam Paschalem, aut Viaticum infirmis degentibus, & illis inseruientibus in suis hospitalibus exemptis?

Respond. Possunt, quia quod ad omnia sacramen- 19
ta, & alia subduntur Religiosis, vt colligitur *ex cap. 8. sess. 25. de quo Rodriq. tom. 2. quaest. 84. art. 2. §. 2. Zerola in praxi Episcop. part. 1. versic. Hospitale §. 8. Riccius decis. 365. part. 5. citati à Barbosa super dictum cap. num. 3. Vide etiam Gloss. in Clem. quia contingit, de Relig.* quae refert hospitalia Regularia in quinque esse libera, *apud Compend. resolut. 74.* Et ita concessit Bonifac. IX. Constit. *Dudum siquidem,* inserta in alia incipiente, *Ad Summi,* Martini V. facta Dominicanis illis verbis; *Et hospitalia quaecumque, quae sub cura, & regimine ordinis, & Fratrum Praedicatorum fuerint pro tempore constituta, & eorum rectores, & gubernatores cum omnibus suis iuribus, & pertinentiis, quae in praesentiarum obtinent, & in futurum, dante Deo, iustis modis poterunt adipisci ab omni iurisdictione, dominio, & subiectione, & potestate quorumlibet Ordinariorum, & Praelatorum, & personarum Ecclesiasticarum, &c.* Vide quae dixi *resol. 36. quaest. 28.*

Quaeres 5. An Regulares possint ad Communionem Paschalem recipere seculares incolas, & habitatores in propria Parochia, nam de aduenis dictum fuit *q. 3.* ita quod satisfaciant praecepto *cap. Omnis 12. de Poenitentiis?*

Respond. Nequaquam possunt, quia id est munus 20
proprium Parochorum, *ex citato cap. Omnis, & cap. 1. sess. 23.* & expressè prohibetur quibuscumque Regularibus, vt colligitur ex eorum priuilegiis, dum in aliis casibus Summi Pontifices concedunt illis facultatem ministrandi hoc Sacramentum secularibus in suis Ecclesiis, excipiendo semper Communionem Paschalem praecipuè quoad seculares incolas, vt videre est praesertim apud Confect. priuilegio incip. *Sedis Apostolica, pag. 79.* concessu Dominicanis, & alio incip. *Ex clementi Sedis.* Pauli IV. apud eundem pag. 285. concesso Minoribus Obseruat. *Ita docent Mirand. tom. 1. quaest. 42. art. 2. §. Sed quamuis, Bonac. q. 7. de Euchar. p. 2. num. 7. §. Et hoc verum est. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 8. Portell. ver. Sacram. admin. num. 5.* quos, & alios contra se citat *Diana res. 73. de celebr. Miss.* qui cum *Cruz lib. 2. de statu Relig. cap. 5. dub. 4. consil. 3. Beia par. 4. casu 4. Rodr. tom. 1. q. 56. art. 3. Sorbo vers. Communicare, §. Notandum, ad finem, de mense, Nauarr. cap. 21. n. 52. ex citato à nobis priuilegio suprà q. 3. §. 5.* Nicolai V. alios citat *Barbosa ad cap. 8. sess. 13. num. 15.* Sed reuerà isti nimis generaliter loquuntur, nam illud priuilegium facit solum pro aduenis, non autem pro habitatoribus, & incolis. Haec responsio magis confirmatur ex dicendis quaestione sequenti.

Quaeres 6. An deuotionis gratia à Regularibus conferri possit hoc Sacramentum in die praecisè Paschatis illis, qui iam satisfecerunt, vel intendunt satisfacere per nouam receptionem quamprimum?

Respond. Potest, quia licet Summi Pontifices exci- 21
piant illum diem Paschatis, vt videre est in citatis priuilegiis *quaest. praeced.* tamen accipiendus non est praecisè, & materialiter, sed formaliter pro toto tempore, quo satisfieri potest huic praecepto, vnde si quis communicauit Dominica Palmarum, vel Feria V. in Coena Domini ad satisfaciendum praecepto, iam ampliùs ad hoc praeceptum non tenetur, consequenter in die Paschae ex deuotione Communionem recipere poterit apud quoscumque Regulares, qui enim alio die communicat, satisfecit praecepto intra tempus determinatum, de quo suprà *q. 1. §. 3. Ita docent Rodriq. part. 1. cap. 64. de Commun. num. 1. Nugnus, & ex eis Bonac. quaest. 7. de Eucharist. par. 2. num. 9. Mirand. tom. 1. q. 42. art. & conclus. 2. iterum Rodriq. qu. 56. art. 3. cum suo Compend. resol. 127. num. 3. Portell. ver. Sacram. admin.*

admin.num.5. Scrofa q.35.concl.7. Megal.lib.4.de censur. cap.6.num.64.Bariola vers.Regulares, alios citat Barbo. ad cap.8.sess.13.num.17.contra Nauar. cap. 21. num.52. Henriq. Azor. apud. dictum Barbosam cit. num. qui ita fuisset decisum sub die 2. Martij 1619. asserit, sed ista decisio est intelligenda de illis, qui intendunt satisfacere eo die, vt concordet cum alia sub dat. 21. Maij 1601. illis verbis: *Congr. Concil.censuit non satisfacere precepto Ecclesia eum, qui Sanctissimum Eucharistia Sacramentum ante, vel post diem Pascha non de manu Parochi, sed Regularium habentium à Sede Apostolica priuilegium ministrandi hoc Sacramentum in die Paschatis*. Apud Farin.dec.273.

Quæres 7. An Regulares possint Eucharistiam ministrare Seculari per modum præcepti Paschalis, & viatici, quando hoc Sacramentum iniustè negatur à Parochis, vel quando longè absunt?

22 Respond. Possunt vtrumque, Probatur Tum iure priuilegiorum, nam Sixtus IV. in suo Mari magno, apud Confector. pag. 65. id concessit, posse Regulares ministrare Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis Secularibus, quando eorum Rectores sine rationabili causa denegauerint, aut malitiosè distulerint, & pro probatione huius rei sufficit simplex assertio Confessorum. Idem concessit Leo X. Constit. *Dum intra*, apud Confect. pag. 129. illis verbis *Eucharistia vero, & extrema Vnctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta illis quorum etiam infirmorum, & decedentium Confessiones audierint, dicentibus proprium sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sibi illegitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publicè facta doceretur.* sufficit autem alterum horum, vel testimonium vicinorum, vel publica fides Notarij, cum Papa vtatur dictione disiunctiua. Adest etiam priuilegium Pauli III. concessum societati, in quo postquam Papa prohibuit Regularibus administrationem Communionis Paschalis, & Viaticæ, adiunxit exceptionem (*nisi necessitas vrgeret*) quæ censetur esse vrgens in casu nostro. Ratione suadetur, Tum quia ius naturæ dictat subueniendum esse proximo in eius necessitate maximè spirituali. Tum quia lex de non ministranda Sacra Communione Paschali, aut Viatica, nisi à proprio Sacerdote, non habet locum in his casibus, cum necessitas non sit subiecta legi, *cap. Quanto 4. de consuet, cap.2.de obseru.ieiun.* & necessitas facit licitum alias illicitum *Reg.64. in 6.* & necessitate factum non imputatur *cap. Ad limina 30.q.1.* ibi: *Inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit.* Tum quia in tali casu Ecclesia supplet potestatem negatam à Parocho. Quod Regulares possint Viaticum existentibus in articulo mortis ministrare in absentia Parochi, *docent Rodriq. tom.1. q.56.art.5. Angel. ver.Excomm.5. Mirand.tom.1. q.42.art.3.Compend res.127.n.5.*

Quæres 8. An hactenus dicta pro, vel contra Regulares valentes, vel non potentes ministrare Sacramentum Eucharistiæ procedant tam respectu obligationis Paschalis, quam per modum Viatici infirmis, & habeant etiam locum in Extrema Vnctione pro infirmis?

23 Respond. Habent locum non solum in Communione Paschali, aut Viatica, sed etiam in Extrema Vnctione, quia hæc duo Sacramenta in præcedentibus casibus æquiparantur, ergo idem iudicium de ipsis est faciendum. *Portell. ver. Sacram. admin. num. 12. & 13.*

Quæres 9. An Religiosi in propriis Ecclesiis possint ministrare Sacram Communionem quouis tempore Secularibus quibuscunque siue incolis, siue forensibus accedentibus deuotionis gratia?

24 Respond. Possunt, vt colligitur ex Bullis diuersorum Pontificum, Nicolai V. Constitut. *Sommus*, 5. Apr. 1458. Sixti V. Constitut. *Vestris*, 11. Iun. 1457. concessionibus factis Franciscanis, eiusdem Sixti facta Dominicanis, Constitut. *Sedis Apostolica*, 9. Inn, 1477. apud Confector. pag. 79. Pauli IV. Constit. *Ex clementi Sedis*, 1. Iul. 1555. Franciscanis, apud Confector. pag. 190. & ante Paulum Iulius II. Minimis in propriis Ecclesiis constructis, & construendis, Constitut. *Dudum ad Sacram*, apud Confect. pag. 119. Pij V. omnibus Mendicantibus in Constit. *Et si Mendicantium*, apud Archangelum Caraciam Dominicanum in suo opusculo pagin. 123. quod priuilegium in alia sua incip. *Ex superne*, extendit etiam ad non Mendicantes. Prædicti ergo Pontifices concedunt Regularibus omnibus facultatem ministrandi Sacram Communionem ex deuotione quibuscumque fidelibus, non obstante quauis prohibitione, vel repugnantia Episcoporum, aut aliorum Ordinariorum, seu Parochorum. *Ita docent omnes Cum Rodr. tom. 1. q. 56. art. 2. cum suo Compend. resol. 127. num. 2. Portell. vers. Sacram. admin.num. 8. Mirand. tom. 1. quæst.42.art.2. Compendium Sorbi ver. Communicare, Peregrinis eodem verbo.*

Quæres 10. An Religiosi in alienis Ecclesiis possint hoc Sacramentum ministrare, Parochis non contradicentibus, aut aliis patronis? Exempli gratia, Religiosus Capellanus in Ecclesia Parochiali, vel Oratorio Confraternitatis, an data occasione possit ibi Communionem ex deuotione petenti ministrare? Quod idem quæritur in Oratoriis priuatis Principum, & illustrium personarum?

25 Respond. Possunt, Tum quia quoties Parochi non contradicunt, censentur consentire, Tum quia in iure communi nulla est prohibitio, neque etiam in Clem. Religiosi, vt infra ostendam *quæst.13*. Tum quia in priuilegiis citatis præcedenti quæstione hæc facultas non restringitur in propriis Ecclesiis, ergo amplè interpretanda sunt, maximè cum nulli noceant in re hac, & multis prosint. Tum quia adest authenticum priuilegium confirmatum in Bullario Nouo *tom.2. Bulla 3.* concessum Theatinis ministrandi hoc Sacramentum in Ecclesiis etiam ad eorum Religionem non spectantibus, *vt refert Peregr. in suo Compend. ver. Communicare, §.2. Ita docet. etiam Rodriq. tom.1. q.60.art.7. §. Dixi in suis*, nisi adsit prohibitio.

Quæres 11. An simplex Sacerdos siue Regularis, siue Secularis administrando hoc Sacramentum fidelibus etiam ex deuotione, præter potestatem ordinis, indigeat aliqua facultate, seu priuilegio, & licentia, ita quod peccet mortaliter ministrando sine aliquo consensu saltem interpretatiuo, eorum ad quos ex officio spectat ministrare? Et an in Sacerdote Regulari requiratur approbatio in Confessarium?

26 Respond. Nullus simplex Sacerdos hoc Sacramentum ministrare potest, nisi habeat licentiam saltem tacitam, seu interpretatiuam ab eo, cui ex officio incumbit id munus, vel ex priuilegio, quod in idem recidit. Alia ratione non probatur nisi quia ex vi potestatis ordinis, necessitate exclusa, non habet simplex Sacerdos hanc facultatem ministrandi hoc Sacramentum, sed tantum consecrandi verum Christi Corpus, vnde ad hoc, & alia conferenda fidelibus debet Sacerdos esse Pastor, & curam animarum habere, aut ab illis eam facultatem saltem præsumptam habere, aut priuilegium, vt habent omnes Regulares, ex probatis *q.9.* Et de hac iurisdictione requisita docent omnes cum *S. Thoma p.3. q.82.art.3. Rodr.c.67. de Comm. & aliis cum Bonac. q.5.de ministro Euchar.p.1.n.4.Vector.ad cap.8. Append.3.Possevini de Offic. Cur. Mirand.tom.1. q.42.art.1. in fine.* Demum in Sacerdote Regulari non requiritur approbatio Episcopi ad audiendas confessiones, quia nullo iure, aut ratione probatur; & si enim nonnulli Pontifices in suis priuilegiis suprà citatis *q. 9.* mentionem faciant de Confessariis Regularibus, id tamen non facit difficultatem, quia illa qualitas Confessarij restringitur in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Quæres 12. An Regulares possint facere facultatem Sacerdotibus Secularibus, vel aliis Regularibus ministrandi hoc Sacramentum in suis Ecclesiis, vel Monialium sibi subditarum?

Respond.

27 Respond, Omnes Sacerdotes Regulares indifferenter in suis Ecclesiis possunt ministrare hoc Sacramentum fidelibus; & aliis Sacerdotibus extraneis tam Regularibus, quàm Secularibus concedere facultatem ministrandi in suis Ecclesiis. Hoc probatur, Tum priuilegio Iulij II. concesso Minimis, Constit. *Nos igitur.* apud Confect. pag. 119. illis verbis: *Et quod Fratres ipsi Minimi in eorum Ecclesiis constructis, & construendis, curialibus, mercatoribus, peregrinis, ac transeuntibus, & aliis quibusuis Eucharistiæ Sacramentum, quoties opus fuerit, ministrari facere, idest extraneis Sacerdotibus tam Regularibus, quàm Secularibus.* Tum ratione, quia Religiosi in hoc sunt delegati Principis, qui possunt subdelegare *ex cap. fin. de Offic. Deleg. cap. Cum causam, de appellat. Ita docent. Enriq. lib. 2. de Euchar. c. 5. dub. & conclus. 3. Medina lib. 1. instruct. Confess. cap. 11. §. 3. & ex eis citatis Mirand. tom. 1. quæst. 42. art. 4. Compen. resol. 127. num. 6. & 8.* qui docent Sacerdotes Seculares de licentia Prælatorum Regularium, aut Sacristæ, posse ministrare hoc Sacramentum in suis Ecclesiis, & etiam in Ecclesiis suarum Monialium de licentia Vicarij; Confessarij, aut Capellani, ex *Compend. cit. num. 8. imo & de licentia solius. Abbatissæ docet Mirand. cit. Rodr. tom. 2. quæst. 114. art. fin.* eo quod priuilegia concessa Regularibus viris intelliguntur communicata Monialibus, sed id patitur difficultatem, quia Moniales nullam habent spiritualem iurisdictionem, quam communicare possint dictis Sacerdotibus; tamen dici potest hanc facultatem non esse propriè iurisdictionem, sed simplicem concessionem ministrandi Sacramenta, quæ ad sui valorem non requirunt iurisdictionem.

Quæres 13. An Religiosi administrantes Sacramentum Eucharistiæ Secularibus, etiam propriis Ecclesiis, incurrant aliquam censuram?

28 Respond. Religiosi extra casus à iure expressos, vel sine priuilegiis a Sede Apostolica sibi concessis, Clericis, & Laicis præsumentes ministrare Sacramentum Eucharistiæ, Matrimonij, aut Extremæ Vnctionis, sine licentiâ speciali parochialis Presbyteri, sunt ipso iure excommunicati excommunicatione reseruata Papæ in Clem. Religiosi, de priuil.

Dixi I. *Religiosi*, quo nomine venit solum professus tria vota per professionem Religionis, etiam secuta, *docet Rodriq. tom. 1. q. 56. art. 3. cum suo Compend. resol. 127. num. 1.* Vnde Nouitij Confessarij, seu aliàs, & nulliter professi ministrantes Eucharistiam non comprehenduntur sub hac censura, quia in odiosis non veniunt sub nomine Religiosi. Est autem controuersum, an Religiosus translatus ad Parochialem incidat, affirmatiuè docent nonnulli *cum Angel. excomm. 5. casu 12. n. 1.* & vult Nouitios incurrere, *contra. Zabar. citatum in margine.*

Dixi II. *Extrà casus à Iure expressos.* Glos. ver. Expressis., refert cap. Monachi, & cap. Cum illorum, de sentent. excommun. Sed non facit hoc ad rem hic, neque quod ad absolutionem, quia in illis locis sermo est de Prælatis Regularibus, qui possunt absoluere suos ab iniectione manuum violentarũ in alios Religiosos, Nullus ergo requiritur casus expressus in iure ministrandi hoc Sacramentum nisi dicamus casum esse, quando Religiosis licet ministrare in casu necessitatis, vt quãdo Parochus iniustè negat hoc Sacramentum Paschale, aut Viaticum, iuxta quod dixi *q. 7.* vel quando abest Parochus, vt ibidem dixi, vel quando administratur aduenis, vt probaui *quæst. 3. §. 5.* vel quando ministratur Nouitiis, Tertiariis, & aliis commensalibus, vt dixi *qu. 3.* vel quando ministratur infirmis, & inseruientibus in propriis hospitalibus, vt dixi *q. 4.*

Dixi III. *Vel sine priuilegiis à Sede Apostolica sibi concessis.* Constat apud omnes Religosos omnes tam Mendicantes, quàm non mendicantes habere priuilegia ministrandi hoc Sacramentum extra tempus Paschale, & periculum mortis. vt priuilegia retuli *q. 9. & 10.*

Ita docet Compend. resol. 127. cum suo Doctore num. 2. Megal. lib. 4. de censur. cap. 6. num. 63. & alij communiter.

Dixi IV. *Clericis, & Laicis*, ergo ministrantes extraneis Religiosis, & eorum priuilegiis fruentibus, cuiusmodi sunt Nouitij, nulliter professi, Tertiariis, & aliis perpetuò commensalibus, vt dixi supra *quæst. 3.* & infirmi, cum inseruientibus in eorum hospitalibus, vt dixi *quæst. 4.* hanc censuram non incurrunt, quia non ministrant Clericis, neque Laicis; quibus terminis veniunt solum subiecti Parocho. Ita docent de extraneis Religiosis *Portell. ver. Sacram. admin. n. 3. vbi citat Sair. lib. 3. cap. 29 num. 28. alios multos Sanch. lib. 3. disput. 23. nu. 17. §. 3.*

Dixi V. *Præsumentes*, hæc vox expressa in legibus odiosis maximè continentibus censuram excommunicationis, quæ semper supponit peccatum mortale, excusat ab hac pœna bona fides, seu ignorãtia etiam culpabilis, modo non sit affectata, seu cum ingenti temeritate, ministrantes hoc Sacramentum, ratio est, quia verbum, *Præsumo*, importat dolum, & temeritatem, *vt docent Cardin. super hac Clem. q. 39. D. Anton part. 3. tit. 24. §. Quærit idem, Rosella ver. Absolutio num. 46. cum aliis citatis à Sanchez lib. 9. disput. 32. num. 38.* quæ non possunt stare cum bona fide, neque cum ignorantia etiam culpabili, quæ non sit lata, aut affectata, ergo isti non incurrunt. *Ita docent Angel. ver. Excomm. 5. casu 12. num. 15. Tabien. ver. excomm. 5. casu 11. num. 7. Armilla ver. excomm num. 49. Nauarr. cap. 27. num. 102. Compend. resol. 127. num. 9. Portell. ver. Sacram. admin. num. 13. cum Rodriq tom. 4. Summæ capit. 192. num. 2. Mirand. tom. 1. quæst. 42. artic. 7. Vnde Riccius part. 3. resol. 55. apud Bariolam ver. Eucharistia*, sic ministrantem Eucharistiam infirmo, & ignorans excommunicationem adnexam posse excusari in foro exteriori.

Dixi VI. *Ministrare*, hæc est actio, propter quam Religiosus incurrit hanc censuram, alia autem expositione non indiget.

Dixi VII. *Sine licentia speciali.* Multiplex est licentia, alia expressa, alia tacita, alia præsumpta ex ratihabitione, & hæc postrema sufficit secundum *Suar. tom. 5. disput. 72. sect. 2. §. Hinc. apud Portellum ver. Sacram. admin. n. 7.* Videtur hoc obstare verbis Clementinæ, quia nomine specialis licentiæ venit ea, in qua exprimitur facultas ministrandi hæc Sacramenta Secularibus concessa, à Parocho, hæc autem facultas alia non est, quam licentia expressa, speciale enim, & expressum coincidunt, specificare enim, & exprimere idẽ sunt. Sed fauore Religionis stemus dicto Suarez quia non intentio verbis, sed verba intentioni deseruire debent, intentio autem Papæ fuit, ne præiudicium, & iniuria inferretur Parocho; sed non infertur per licentiam præsumptam, cum censeatur consentus. Ratio in contrarium adducta eluditur, dicendo expressum non solum dici illud, quod verbis insinuatur, sed etiam illud, quod ex euidentibus signis colligitur, *Iason in l. Prætor ait, ff. de noui oper. nunt. num. 5. & ex eo Villalobos lit. E, num. 149.* amicitia autem, & familiaritas, quam habent quandoque Religiosi cum Curatis, quorum Parochianis interdum ministrarunt Sacramenta, ipsis conniuentibus per non resistentiam, & taciturnitatem, sunt euidentia signa exprimentia eorum licentiam. Dicitur autem licentia specialis, siue facultas committatur immediatè Sacerdoti Religioso, siue etiam Parochiano sumendi Sacramenta à quouis Sacerdote, quo nomine venit etiam Religiosus, cum ipse sit Sacerdos, sicuti Secularis, vt ita declarasse Eug. IV. *refert Mirad. tom. 1. q. 42. a. 1. §. Sed circa*, itaque specialitas potius refertur ad Sacramenta ministranda, quam ad Sacerdotem ministrantem. Creditur autem pœnitenti dicenti se habere licentiam à suo Parocho, quia nemo præsumitur, immemor propriæ conscientiæ, *Glos. vers. Non habita*, super dictam

Clem. per iura ibi allegata, *Tabiena num. 5. & alij.* sed cum crescat hominum malitia, & charitas refrigescat melius est quærere certam fidem, quam solius petentis Sacramentum, quia quandoque Angelus tenebrarum se fingit Angelum lucis.

Dixi VIII. *Parochialis presbyteri.* Quo nomine venit etiam nondum Sacerdos, ex Glos. ibidem *vers. Presbyteri*, item venit Vicarius eius, imò Episcopus. *Mirand. tom. 1. quæst. 42. art. 7. Rodriq. quæst. 56. art. 13. cum suo Compend. resol. 127. num. 9.* cum alijs tenent licentiam Parochi excommunicati denuntiati non tenere, ac proinde Religiosum incidere in pœnam. Sed dici potest hanc facultatem non esse propriè iurisdictionem, sed potius cessionem sui iuris alteri, ac proinde posse id fieri etiam ab excommunicato vitando, pro qua re faciunt, quæ habet *Sanchez lib. 3. disput. 21. num. 7. 9. Secundo.*

Dixi IX. *Excommunicatione reseruata.* A qua nihilominus possunt absoluere Prælati Regulares suos subditos, vt dixi.

Excusantur autem ab hac pœna illi Religiosi, qui ex immemorabili consuetudine ministrant hæc Sacramenta, quia in hoc æquipatantur Curatis, & præsumuntur habere curam animarum: *Docet Rodr. tom. 3. quæst. 51. art. 1. Nauarr. consil. 19. de priuil. Compend. resol. 127. num. 15.*

Quæres 14. An Religiosi teneantur ex præcepto seruare Corpus Christi in suis Ecclesiis pro suis infirmis, sicut obligantur Parochi pro suis subditis?

29 Respond. Tenentur, vt colligitur ex *c. Presbyter 92. dist. 2. de consecr.* vbi Concilium Guarmiacense ordinat presbyteris, vt semper paratam habeant Eucharistiam pro infirmis, ne sine Communione moriantur; & cum ibi sermo sit de presbyteris simpliciter, ideò æquè applicatur Secularibus, & Regularibus; & Doctores colligunt *ex c. Tribus 22. ead. ex Clemente Papa, & ex cap. Officium 3. de off. Archipresb.* Ratio eorum est, quia Ecclesiæ Regularium censentur Parochiales quo ad suos Religiosos, qui nisi intra Religionem, Sacramenta recipiunt. Non igitur ex priuilegio, quo nemo cogitur vti, sed ex debito officij sui Superiores locales procurare debent, vt seruetur hoc Sacramentum Viaticum pro infirmis, & alijs occurrentiis, quicquid videatur dicere *Genuens. in praxi Neapol. cap. 92.* extremis verbis asseruari solum ex priuilegio in Ecclesiis Regularium, cui videtur adhærere *Nald. ver. Eucharistia nu. 19.* dum dicit Regulares obtinuisse à Summo Pontifice pro suis Ecclesiis. Sed reuera hoc priuilegium non est respectu Ecclesiarum Regularium, in quibus residet Superior cum Religiosis sub se, cum in hoc casu dicantur Ecclesiæ Parochiales Religiosorum. Quare in suis Ecclesiis Conuentualibus Sacram Eucharistiam conseruare possunt pro suis infirmis, & etiam pro sanis communicandis ob deuotionem, & quandoque exponendam pro occurrentibus necessitatibus adorandam, & pro personis particularibus exponitur solum aperto ostiolo tabernaculi, vel in pixide velata cum luminibus, & assistentia, vt decreuit Sacra Congregatio die 7. *Septemb. 1598. apud Gauantum ver. Eucharistia num 54. & ibid. n. 53. declarauit 26. Febr.* 1628. non esse exponendam cum solemnitate à Regularibus sine licentia ordinarij; sed non practicatur, neque expedit, quia ordinarij cupiunt suas frequentari Ecclesias, ac proinde rarissimè id permitterent, quod cederet in dissidium non leue.

Quæres 15. An Regulares in suis Ecclesiis possint exponere Sanctissimum Sacramentum à Fidelibus adorandum?

30 Respond. Possunt ex mox dictis. Sacra autem Congregatio oppositum asserẽs loquitur de oratoriis Confraternitatum, in quibus neque retineri, neque exponi potest, sine speciali licentia Papæ, *vt docent Genuens. cit. cap. 92. & Nald. cit. num. 19.*

Quæres 16. An lampas debeat continuè diebus, & noctibus collucere ante Sanctissimum Sacramentum?

Respond. Superior negligens, aut cui ex officio incumbit, vt est Sacrista, qui semper non tenet lampadem accensam ante Sanctissimam Eucharistiam, multum hoc negligendo non excusatur à peccato mortali, quia id est signum magnæ irreuerentiæ, si rarò omittat eam accendere est solum veniale. Superior verò solum peccat negligendo admonere, vel corrigere Sacristam, vel non suppeditando ei necessaria, si apud se habeat. *Vide Naldum versic. Parochus num. 16.* 31

RESOLVTIO XXI.

De Ætate requisita ad quemcunque statum in Religione.

SVMMARIVM.

1 *Nouitiatus anno 14. ætatis impedit professionem.*
2 *Peragitur post annum 14. & non ante etiam in mea Religione, & num. 4.*
3 *Renuntiare non tenetur ratificare volens.*
5 *Anni 16. expleti ad profitendum.*
6 *Hoc apertè habetur in Tridentino.*
7 *Ante horam præcisè facta professio non tenet.*
8 *Ætas hæc communis est viris, & fœminis.*
9 *Iure antiquo sufficiebat cœpta pubertas.*
10 *Quod sublatum fuit per Tridentinum.*
11 *Professio emissa post 16. tenet etiam contra statutum.*
12 *Flandrenses Tertiarij in 18. profitentur, ante facta tenet.*
13 *Laicorum professio post 16. tenet.*
14 *Malitia non supplet ætatem.*
15 *Impuberes recipi possunt.*
16 *Et infantes.*
17 *Nisi obstet statutum speciale.*
18 *Quod non obstat apud Tertiarios.*
19 *Senes etiam centenarij possunt ingredi*
20 *Ordinibus præscribitur ætas.*
21 *Aetas ad ordines Sacros.*
22 *Priuilegia circa ætatem omnino sublata.*
23 *Generalis, & Prouincialis ætas.*
24 *Superiorum localium ætas.*
25 *Definitorum, & aliorum ætas.*
26 *In mea Religione debent esse Sacerdotes omnes officiales.*
27 *Quæ ætas ad vocem tam actiuam, quàm passiuam?*
28 *Subdiaconus defert vocem in capitulo Prouinciali.*
29 *Dispensatus in ætate ordinum, non electionis.*
30 *Vocem actiuam ius commune concedit constitutis in sacris.*
31 *Electio attentata ante ætatem nulla.*
32 *De Superioribus localibus,*
33 *De Officialibus non Superioribus.*
34 *De Prælatis maioribus.*
35 *Actas à die natiuitatis computatur.*
36 *Non à die Conceptionis.*
37 *Bissextilis quando computetur.*
38 *Ætas cœpta quando habeatur pro completa.*
39 *Regula aliqua assignantur.*
40 *Abbatissæ ætas.*
41 *Dispensare non possunt super ætate.*
42 *Neque facere statutum fauore ætatis.*
43 *Eligentes non habentem ætatem incurrunt pœnas.*
44 *In dubio ætatis abstinendum est.*
45 *Frangere potest ieiunium.*
46 *In dubio voti expectat finem anni.*
47 *Iuuenes & sexagenarij tenentur ad ieiunia anni.*
48 *Impuberes non excusantur à censuris.*

Iuuenes

IVuenis quidam anno magnæ Peſtilentiæ multis facultatibus ex hæreditate ſuorum maiorum locuples relictus, perſuaſu, & conſilio fratris ſui Religioſi petit recipi in Religionem, cuius petitioni Patres Conuentus annuendo conſulunt Superiorem, id celeriter efficiendum eſſe, ne iuuenis ex tali mota mutet conſilium, & propoſitum, & ſic Monaſterium illius felicis euentus iacturam faciat, vnde ſubito præhabitis requiſitis iuuenis vix ætatis ſuæ anno 13. perfecto, habitu probationis indutus à Superiore introducitur in locum nouitiatus extra ſuam patriam, & ibi in probatione manſit per annum integrum, poſtea deſiderans videre fratrem Religioſum in patria degentem, & quia iam finierat annum ſuæ probationis in loco deputato, de licentia Superiorum dimittitur ad Conuentum ſuæ patriæ, profeſſurus tempore à iure ſtatuto; cum igitur annum 16. perfeciſſet, poſtquam nouitius profiteri iure poteſt, obiicitur inter alia, quod nouitius non perfecerit legitimum nouitiatum, quia ætas 14. anni non eſt legitima pro anno nouitiatus, alij verò ex Conuentu Patres aſſerunt legitimum fuiſſe nouitiatum, quia in iure nulla ſtatuitur particularis ætas ad benè nouitiatum peragendum, quæ debeat eſſe maior, nam iure antiquo *cap.1.20. quæſt.1.* Maſculus poterat profiteri in anno 15. ergo poterat præmitti nouitiatus in anno 13. idem habetur *cap.1.*& aliis textibus de regulis, neque iure nouo Concilij *ſeſſ. 25. cap.15.* in quo deſignatur ætas 17. annorum cœpta ad profitendum, aliquid ſtatuitur circa annum probationis, vnde ad ſuaſionem horum Superior eius recepit profeſſionem, & incorporauit Religioni, non obſtante parte aduerſa quamplurium Religioſorum enixè contendentium, dictum iuuenem non poſſe recipi ad profeſſionem, niſi alterum nouitiatum præmittat. Contentio autem deciſa fuit per ſequentem reſponſionem.

Nouitius ille verè inualidè profeſſus fuit, quia nouitiatus non fuit legitimè peractus, qui in anno 15. peragi debet; nihilominus, quia dictus iuuenis per ſubſequentem ratificationem, quam etiam publicè de licentia Superioris fecit, reualidauit priorem profeſſionem, conſequenter non eſt opus noua probatione.

1 Primùm, quod profeſſio etiam in legitima ætate facta ex præmiſſo nouitiatu in anno 14. fuerit nulla; probatur, quia ex nouitiatu irrito, & nullo non poteſt ſequi valida profeſſio, *vt docet Sanchez lib.4. cap. 4. num.25. Quod confirmatur ex c.2.& 3.de regul.in 6.& c.15. ſeſſ.25.* in quibus locis nulla eſt profeſſio facta non præmiſſo probationis anno integro; ſed annus nouitiatus non legitimè præmiſſus reputatur, ac ſi non eſſet peractus, cum inutilis ſit ad profeſſionem, ergo inde ſecuta profeſſio nulla eſt.

2 Secundùm, quod annus probationis debeat peragi à nouitio in anno 15. & non ante, probatur ex fine quo introductus fuit iſte annus, nimirum, vt puer poſſit probare aſperitates Religionis, *cap. Ad Apoſtolicam, de regul.* inter quas principalem locum obtinet obſeruantia caſtitatis, cuius difficultatem vix impuberes experiri poſſunt; quare cum nouitius noſter annum probationis peregerit in impubertate, hoc eſt antè annum 15. nondum incœptum, in quo incipit pubertas, ac proinde pruritus libidinis, idcircò nullus fuit ab eo præmiſſus nouitiatus. Quod igitur ætas requiſita ad annum probationis incipiat poſt annum 14. hoc eſt, ab anno 15. *docent Silueſt.verſ.Religio 5.quæſt.1.Angelus verſ.Nouitius num.1. Armilla num.1.Tabiena n.2.quos ſequitur Sanch lib.5.c.4. n.22.alios ego citaui c.4.de Nouitiatu q.7.*qui omnes affirmant nouitiatum incipiendum eſſe in pubertate, hoc eſt, ab anno 15. neque malitia hoc in caſu ſupplet ætatem, vt præcitati docent.

Reuerà textus allati, & mox afferendi pro parte contraria, quod nimirum nouitiatus fieri poſſit ante pubertatem, hoc eſt in anno 14. non ſunt ſpernendi; cum id clarè videantur ſupponere, ex eo quod ſtatim in 15. incœpto quis iuribus citandis profiteri poterat, & tamen iure antiquo præmittebatur nouitiatus ex inſtitutis Sanctorum Patrum, nam annus præmittebatur *ex cap. Conſaldus 17. quæſt.2.* biennium *ex cap. Monaſteriis 19. quæſt.3.* triennium *cap. ſi quis incognitus 17.quæſt.2.* hanc temporis diuerſitatem expoſui *cap.4. de Nouitiatu q.3.* neque renunciari poterat à partibus inter Mendicantes *ex cap. 2. & 3. de regul. in 6.* ergo de iure dicendum eſt annum nouitiatum fieri poſſe ante pubertatem; neque Tridentinum differens profeſſionis ætatem poſt annum 16. nihil decreuit de anno nouitiatu, ſed illum reliquit ſub diſpoſitione iuris antiqui. Textus autem ſunt ſequentes pro maſculis *cap.1.20. quæſt.1. vbi gloſſa, cap.1. de regul.iuncta gloſſ.cap.2.gloſſ.verſ. Permaneant, cap. Ad noſtram, gloſſ.verſ.Minor, cap.Significatum, eodem, & cap.1. de regul. in 6. Clem. Eos, de regular.* in quibus locis expreſsè dicitur, quod nouitius profiteri poteſt ſtatim, ac peruenit ad pubertatem, hoc eſt, initio anni 15.ergo annus legitimus pro Nouitiatu eſt 14. præmittendus ex citatis iuribus profeſſioni. Nouitius verò poterat profiteri in anno 13. *cap. Puella 20. quæſt.2. cap. Cum virum, iuncta gloſſ. verſ. Diſcretionis*, ac proinde Nouitiatus præmittebatur in 12. anno; & nunc etiam præcedere poteſt, non obſtante opinione *Rodr.tom.3.quæſt.12.art.2. Azor.part.1.lib.12.cap.18.quæſt.55.& 56.Nald.verſ.Monialis num.5. Vecchij diſput.2.dub.6.num.16.quos citat ad cap.17.ſeſſ.25.Barboſa num.2.& Diana reſol.47. de regul.* aſſerentium, mentem Concilij loco citato eſſe, vt Nouitius recipi non poſſit ad probationem, niſi ſit maior 12. annis; nam Sacrum Concil. hoc non dicit, ſed ſupponit poſſe fieri Nouitiatum ante pubertatem, & in anno 12. iuxta iura antiqua, à quibus recedendum non eſt, niſi in quantum reperitur expreſſum in nouo, ex vulgatis iuribus, eo quod expediat iura iuribus concordare, *cap.Cum expediat 29.de elect.in 6.* iure autem nouo Trident. loco citato nihil exprimitur circa annum Nouitiatus, quod ſit diuerſum à iure antiquo, hæc enim verba habentur. *Libertati profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſpiciens Sancta Synodus, ſtatuit, atque decernit; vt, ſi puella, quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit, maior 12.annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quàm explorauerit Epiſcopus, &c.* Ecce ex his verbis clarè colligitur nil de nouo determinari de anno probationis, ſed directa intentio Patrum eſſe, vt Epiſcopus exploret voluntatem puellæ circa ingreſſum in Religionem, & hoc non faciat reſpectu cuiuſcumque puellæ, ſed tantùm poſt 12. ætatis ſuæ annum, hæc igitur ætas refertur ad examen, non ad probationem. Nec prodeſt inſtantia illius clauſulæ. *Non ante eum ſuſcipiat*, dicentium, *eum*, nempè habitum probationis non ſuſcipiat ante 13. annum: Quia negatio ſuſceptionis habitus probationis non refertur ad tempus illud, ſed ad examen Epiſcopi, vt conſtat legenti attentè verba textus, vnde ſupradicti Doctores decepti fuerunt, non attendentes conditionalem, *Si puella*, ibi expreſſam, quæ ſicut nihil ponit in eſſe, *l. ſi quis ſub conditione, ff.ſi quis omiſſa cauſa teſtam.leg. Cedere diem, ff. de verbor. ſignificat.* ita neque ius antiquum in caſu noſtro alterare poteſt. Itaque puella in anno 12. Nouitiatum peragere poteſt, vt docet *Mirand. diſput.8. de Monialibus art. 2.* citantur multi alij in hanc ſententiam, vt videre eſt *Barboſam ad hoc cap.17 num.3.& Dianam reſol. 47.de regul.& præcipuè Sanch.lib.4.cap.18.num.33.& 34.* vbi in fine ait, ex hoc quod nihil determinetur de anno probationis, non ſequi Nouitium antè pubertatem poſſe Nouitiatum peragere, cum non ſit tempus aptum, vt eum ipſe probaui ſuprà *§.2.lib.5.cap.4.num.22.* ſed tantùm recipi poſſe ſine probatione, in quo caſu dicitur imperfectè nouitia, gaudet tamen priuilegiis Religionis, vt notat *num. 24.*

Sequi volentes hanc opinionem, quæ mihi videtur conformis iuri locis citatis, reſpondere poſſunt, contrarium ſentientes deceptos eſſe ſumendo ætatem iure antiquo profeſſionis loco probationis, & Nouitiatus, quod expreſsè falſum eſt, vt patet in allegatis textibus,

ac proinde corruit ratio, quod ante pubertatem pueri non possint experiri incentiuum libidinis, quia si antiquitùs experiebantur, quare haud nunc? cum eadem hisce temporibus sit natura humana inclinata ad sensualitatem, sicut erat ante.

3 Tertiùm, stando in priori opinione, iste Nouitius ratificando, vt fecit, professionem attentatam nulliter, ad reiterandum Nouitiatum non tenetur; continet duo, vnum est, quod ratificare potuerit professionem, & in hoc nulla est difficultas, quia iure communi, quilibet Religiosus potest suam professionem nullam ratificare, & facere validam etiam per simplicem actum priuatum suæ voluntatis, vt omnes docent *in cap. 1. de iis, quæ vi cap. Significatum, cap. Cum virum de Regul.* & alibi, vt fusè docui *cap. 6.* de ratificanda professione. Et hoc verum est etiam statim post emissam priorem professionem nullam, nisi impediat defectus ætatis, vt probaui *resol. 8. q. 5.* Alterum est, ratificationem non prærequirere Nouitiatum, quia in citatis textibus nulla fit mentio de præmissione huius, consequenter hæc obligatio non est inducenda sine iure ad id obligante, aliud enim est prima professio, aliud eiusdem nullæ ratificatio, vt docent omnes, ac proinde non tenet illatio. *Vide c. 6. de profess. ratific. q. 12. & resol. 8. q. 14.*

4 In Religione mea de iure Regulæ *cap. 8.* quis non potest annum probationis peragere nisi in anno 15. & deinceps, id autem non colligitur ex Regulis Nicolai IV. & Leonis X. *cap. 2.* in quibus tantùm exprimitur, quod non recipiantur ad professionem, nisi post vnum integrum annum suæ probationis, non determinando annum Nouitiatus, igitur annus Nouitiatus incipiendus ex pubertate, & non ante, est de iure nostrorum statutorum. Et iste annus sine dubio obseruandus est, aliter præmissus Nouitiatus tempore impubertatis non est legitimus, ac validus, consequenter inde secuta professio nulla, subdit enim ibi Regula; *At si quis contra nostrum institutum inductus fuerit, antea exuatur, quam tempus prætereat probationis suæ*, ex quibus constat hunc annum decerni in ordine ad probationem. Verùm autem est, hinc non prohiberi, quin iuuenes impuberes recipi possint in Religionem etiam in loco Nouitiorum educationis causa, oblati à parentibus, vt ad vitam Religiosam alliciantur, & inducantur, interim tamen stante impubertatis ætate, hoc est, antequam egrediendo anno 14. non possunt admitti ad annum probationis ex nostra Regula, fauore quorum tempus incipit currere initio pubertatis, hoc est ab anno 15. incœpto, & non ante. Sed deueniamus ad quæsita.

Quæres autem 1. Quæ ætas requiratur ad validè profitendum in Religione tam pro viris, quam fœminis?

5 Respond. Iure nouo Sacri Concilij *sess. 25. cap. 15.* requiritur ingressus in annum 17. ita quod professio emissa ante id tempus, etiam per horam, sit nullius momenti, & roboris ad quemcumque effectum. Iure antiquo sufficiebat annus 15. incœptus in Religionibus non duris, & austerioribus, in duris autem requirebatur annus 18. saltem cœptus, nunc sublatis per prædictum ius nouum Tridentini. Statuta specialia Religionum requirentia minorem, vel maiorem ætatem non inficiunt valorem professionis emissæ iuxta tempus statutum in Tridentino. Nouitiis Conuersis quamuis statuatur excessus 21. anni, tamen professio ab ipsis emissa in minori ætate tenet iuxta tamen Decretum Tridentini. Nec malitia supplet ætatem.

6 Primùm, de ætate 17. anni incœpta, expressè constat illo capite per hæc verba: *In quacumque Religione, tam virorum, quàm mulierum professio non fiat ante 16. annum expletum, nec qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.* Hæc cum sit clara ratione, neque Doctorum authoritate egent.

Secundùm, quod professio etiam ante horam huiusmodi anni incœpti sit nulla, probatur, Tum quia dicitur facta ante 16. annum expletum contra prohibitionem Tridentini continentem Decretum irritans. Tum quia hoc tempus currit de momento ad momentum, cui nihil deesse debet. Et id verùm est stando in puncto iuris, hoc ipso quod Nouitius non potest profiteri intra annum 16. cum vltima hora ad hunc annum spectet; nihilominus alij placidius loquentes admittunt professionem in extremo anni 16. *vnde Campanilis in diuersorio iuris Canon. rubr. 7. cap. 6. num. 129. & rubr. 12. cap. 11. n. 1. apud Barbosam ad hoc cap. num. 13.* Sustinet tenere emissam vltimo die anni 16. *Galetus verò vers. Profiteri in fine, & Aloysius Riccius in praxi rer. Eccles. decis. 656. in 1. edit. aliàs resol.* 549. putant nullam professionem defectu postremi diei, imò iuxta nostrum dictum *Sellius in Select. Can. cap. 18. num. 3. apud dictum Barbosam num. 14. refert decisum sub die 21. Ianu.* 1617. nullum fuisse professionem emissam tribus locis ante completum annum probationis. Nostrum dictum, quod tempus debeat currere de momento ad momentum docent *Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 4 & lib. 2. disp. 24. num. 23. §. Similiter,* vbi addit in anno bissextili duplicem diem tanquam vnam reputari, & addendam esse, *& ex eo Compend. resolut. 101. num. 57. Portell. vers. Nouitius num. 49. ex Rota part. 1. decis. 175. num. 7. docet Vecchius disp. 11. dub. 4. n. 4. & expressius disp. 13. dub. 1. n. 1. vbi alios Doctores citat, dixi ego c. 4. de Nouit. quæst.* 10. 7

Hæc ætas habet locum tam in viris, quàm in fœminis, vt ibi dicitur expressis verbis, & docent omnes, & decisum refert *Armendar. apud Barbosam ad hoc cap. num.* 7. non autem in Militaribus non Hierosolymitanis, docent *Nauar. cons. 10. de regul. num. 10. Beja part. 4. casu 28. Sanch. lib. 7. disp. 44. num. 8. & lib. 5. cap. 4. num. 17. Vecchius disp. 11. dub. 2 num. 4. cum aliis citatis à Barbosa hic num. 2. contra Rodr. in sum. tom. 2. cap. 8. n. 2. concl. 1. & alios ab eodem Barbosa num.* 3. Neque habet locum quo ad Fratres Tertiarios non Religiosos, vt dixit Rota, & Riccius apud eundem *Barbosam num. 5. qui num. 6.* requirit hanc ætatem in Religiosis Hierosolymitanis ex eorum statuto, *Vecchius disputat. 11. dub. 1. num. 4.* Ratio potest esse, quia Concilium loquitur de claustralibus. 8

Tertiùm, quod iure antiquo sufficiebat cœpta pubertas ad profitendum, constat *ex cap. 1. 20. q. 1. cap. 1. de regul. etiam in 6 cap. 2. cap. Ad nostram, cap. Significatum, eod. Clem. Eos, eod.* pro masculis, in quibus pubertas incipit anno 15. loquendo in Religionibus non duris, nam in austeribus proficiebatur ab anno 18. & non ante, *ex cap. Quia 6. de regul. pro fœminis, cap. Puella 20. quæst. 2. cap. Cum virum, de regul.* & in his pubertas incipit ab anno 13. 9

Quartùm, quod mox dicta iura sublata sint per Concilium, constat ex eo, quod Papa concedens nouam constitutionem contrariam veteri, censetur derogare priori, quamuis de ea nullam mentionem faciat in posteriori, vt non facit hic, *cap. 1. de Constitut. in 6.* Ita docent omnes, *Vide Sanchez lib. 5. cap. 4. vsque ad num.* 8. 10

Quintùm, quod professio emissa iuxta ætatem petitam à Tridentino, quamuis aliqua statuta Religionum requirant maiorem, sit valida, probatur à me in *cap. 2. de profitente quæst. 49.* intellige nisi statutum expressè contineat Decretum irritans, siue factum sit ante Concilium, siue post, quia nullo modo infirmatur per subsequens Decretum Tridentini, cui neque posterius statutum aduersatur, quia Concilium præcisè prohibet ne professio fiat ante annum 17. nil disponendo de maiori ætate. 11

Nostri Flandrenses habent statutum, ne quis ad professionem admittatur, nisi habeat decem, & octo annos, vt colligitur ex Constit. *Personas vocantes.* Ioan. XXIII. in nostro Bullario pag. 18. puto desumptum ex *cap. Quia in insulis, de Regul.* vnde eundem intellectum habere debet, 12

debet, nempè illos posse profiteri statim post 17. annos; & si non habet Decretum irritans, (non enim illud præ manibus habere potuit) attentata professio sine dubio tenet.

13 Sextùm, quod professio conuersorum teneat emissa in 17. anno, probaui *cap.* 2. *de profitente quæst.* 49. §. *De statato*, quia Clem. VIII. non adiecit Decretum irritans.

14 Demùm, quod malitia Nouitij non suppleat ætatem, probaui loco cit. *quæst.* 48. Vide ibi, ne idem frustra repetam.

Quæres 2. An impuberes possint recipi in Religionem? Impubertas autem incipit à septennio, & desinit in masculo, in anno 14. inclusiuè, post quod tempus incipit emittere lanuginem circa verenda, & pubescere; in fœmina verò in 11. inclusiuè. Colligunt Doctores *super Instit. Quib. mod. tutella fin. cap. Puberes 3. de desponſ. impub. cap. 3. dist. 77. iuncta glossa 1. benè pancis Sanchez lib. 6. disput 38. num. 2. Vecchius disput. 2. de Nouitiis dubio* 6.

Respondeo. Pueri non solùm intra tempus impubertatis, sed etiam tempore infantiæ possunt recipi in Religionem, nisi obstet speciale statutum in Religione.

15 Primùm, de impubertate, constat ex *cap.* 1. de vtroque sexu, de sexu tantùm fœmineo *cap. Puella* 20. *quæst.* 2. *cap. Significatum vers. cap. Cum simus* 14. *de regul.* Ita docent omnes *cum Silu. vers. Religio* 2. *quæst.* 10. *Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 5 *cap.* 1. *num.* 13. *Sanch. lib* 4. *cap.* 18. *num.* 8. *& ex eis Vecchius disp.* 2. *dub.* 6. *n.* 6. *& ego cap.* 4. *de Nouitiatu quæst.* 8. *&* 9.

16 Secundùm, de infantibus, *cap. Addidistis* 2. 20. *quæst.* 1. *& cap.* 1. *eadem, quæst.* 2. vbi dicitur quod in qualibet minori ætate tradi possint, *& cap. oportet ead.* Sic docent præcitati, *& alij in cap. fin. de temp. ordin. iuncta gloss. vers. Intraret.*

17 Tertiùm, quando obstat Religionis statutum recipi non possunt, docent omnes; quia statutis Religionis Religiosi obedire debent, ne relaxetur disciplina Regularis.

Videtur obstare ingressui horum infantium, seu impuberum *cap.* 8. Regulæ mei ordinis, vbi prohibetur ne quis intra 14. ætatis suæ annum Religionis nostræ habi-
18 tu induatur. Sed reuerà ita non est, quia ibi sermo est de Nouitiis propriè acceptis, qui induuntur habitu probationis, non autem de impuberibus receptis, non vt probentur in ordine ad professionem, sed vt disponantur ad vitam Regularem, & cum de his Regula, aut Constitutiones nihil ordinent, id totum, relinquitur dispensationi iuris communis *argum. leg. commodissimè, ff. de liber. & posthum. Marius Anton. lib.* 2. *variar. resolut. vers.* 1. *num.* 16. *Sigismund. dubio* 17. *de elect. n.* 4. dicentes cum aliis casum omissum relinqui dispositioni iuris communis. Sed satis etiam dixi de hac re suprà initio resolutionis §. In Religione.

Quinque autem quæsita de his impuberibus Religioni oblatis resolui in meo Tractatu *de profess. regul. cap.* 4. *q.* 9. *Vide ibi, præterea Sanch. Suarez, & Vecchium citatos suprà* §. 1.

Quæres 3. An senes etiam centenarij possint recipi in Religionem? Videtur, quod non, Tum quia senio confecti non possunt promoueri *cap.* 1. *distinct.* 85. Tum quia viro coniugato Religionem ingresso, coniux relicta non tenetur ingredi, quando est senex, *cap. Cum sis* 4. *cap. Vxoratus* 8. *cap. Ad Apostolicam* 13. *de conuers. coniugat.* Senem autem vocant sexagenarium tam virum, quàm fœminam *Sotus in* 4. *distinct.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. *col.* 12. §. *præterea cum multis aliis citatis à Sanch. lib.* 7. *disp.* 32. *num.* 15. ergo senex non est capax Religionis. Demum senes contrahere non possunt matrimonium carnale, quia eorum semen inutile est, & non prolificum, vt docent quidam *apud Sanch. lib.* 7. *disp.* 92. *n.* 19. *&* 20. ergo neque matrimonium spirituale, cum ab illo ad hoc teneat argumentum deductum.

Resp. Possunt ingredi, & validè profiteri; probatur, 19
Tum quia id nullo iure prohibetur. Tum quia omni tempore, & in omni ætate benefaciendum est, & quis conuerti potest; ingressus autem in Religionem est conuersio, *cap. Monasterius* 6. *cap. Qui ingredientibus* 3. *cap. Perlatu* 8. 19. *q.* 3. Tum quia senex benè, imò melius, & facilius aliis potest seruare tria Religionis vota, & experientia patet; in abstinentiis autem, & cæteris austeritatibus, quæ multùm difficilia sunt senibus, dispensari possunt à Prælatis.

Ad obiecta respondetur ad primum esse latam disparitatem, nam quis promouetur ad exercendum ordinem, & officium ad quod promouetur, consequenter senio confectus cum non possit exercere, neque promouendus; in Religione verò quis seruare potest statum Regularem etiam per solam voluntatem circa vota promissa, vt docent *Rodr. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 13. *ex eo Sanchez lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 52. *quos citaui cap.* 3. *de admittentibus ad profess. quæst.* 24. vbi probaui impotentes posse recipi ad Religionem. Ad secundum dico in illis senibus non negari coniugatæ seni ingressum, sed posse remanere in seculo, si nulla est suspicio incontinentiæ. Ad tertium, verissima doctrina est senem esse capacem matrimonij, vt docet de communi Sanchez loco citato, ac proinde professionis.

Quæres 4. In quanam ætate Religiosi possint recipere primam tonsuram, cum ordinibus tum minoribus, tum maioribus?

Respond. Pro prima tonsura, & quatuor ordinibus 20
minoribus nullum tempus determinatur, imò iure antiquo *cap. Nullus fin. de temp. ordin. in* 6. volenti ingredi infanti Religionem poterat conferri prima tonsura, vt inde colligitur, & de quatuor ordinibus *cap.* 2. *dist.* 77. dicitur, quod conferri possunt post septennium. Iure autem nouo Sacri Concilij prima tonsura, & quatuor ordines minores debent conferri, illa quidem edocto rudimenta fidei, & scienti legere, & scribere, *cap.* 4. *sess.* 23 Minores verò non nisi iis, qui percipiunt linguam Latinam conferendi sunt, *cap.* 11. *ead. sess.*

Ætas ad ordines maiores requisita, ad Subdiacona- 21
tum est annus 22. inchoatus; ad Diaconatum annos 23. inchoatus; ad Sacerdotium 25. inchoatus, vt determinatur in *cap.* 12. *sess.* 23. vbi prohibetur promotio ante dicta tempora singulis ordinibus assignata, ergo post illa Religiosus statim potest promoueri. De hac inceptione omnes *cum Bonac. p.* 5. *de ordin n.* 12. *Mirand. tom.* 1. *q.* 39. *art.* 2. *Compend. resol.* 106. *num.* 6. *Tiberius Brixiensis Iesuita in suo Libello de instrument. pro ordin. q.* 58. §. *Quoad alios citat Barbosa ad hoc cap. num.* 2. Ætas autem huiusmodi numeranda est non à die conceptionis, sed à die Natiuitatis, non autem baptismi, docent *Sanchez lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 4. *Bonac. cit. n.* 6. *& Sellius in suis Selectis c.* 14. *num.* 8. *refert decisum* 4. *Decembr.* 1627. ætatem incipere à die Natiuitatis, non à die baptismi, ita illis citatis colligit *Barbosa num.* 4. In dubio autem de expleta ætate abstinendum est à promotione cum præceptum de legitima ætate sit in possessione, *Tiberius cit.* §. *In dubio.*

Priuilegia Regularium, quibus poterant promoueri 22
ad Sacerdotium post annum 22. omninò sublata sunt per hanc efficacissimam clausulam: *Priuilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.* Eodem *cap.* 12. *sess.* 23. Neque postea reualidata fuerunt à Summis Pontificibus, qui deinceps post Concilium confirmarunt priuilegia non contraria Decretis Tridentini; nec obstat, quod in foro conscientiæ confirmata fuerint etiam aduersantia Concilio, viuæ vocis oraculo, quia id non constat, & si constaret, id nunc nullius esset roboris, cum viuæ vocis oracula sublata fuerint, prout dixi *resolut.* 31. *Ita docent Rodr. tom.* 3. *q.* 23. *art.* 6. *&* 8. *Comp. resol.* 106. *n.* 8. *Portell. vers. Ordines Sacri n.* 1. *Mirand. q* 39. *art.* 1. *& alij citati à Barb. hic n.* 12. *Tiber. cit. q.* 58. §. *Petes.*

Quæres 5. Quot annos debeat habere eligendus in Generalem, vel Prouincialem?

Respond.

23 Respond. Iure communi nulla ætas istis determinatur vltra 25. annum suæ ætatis, itaque vnusquisque consulat statuta, & constitutiones suæ Religionis. In mea Religione nil statuitur circa ætatem huiusmodi Prælatorum. Æquom autem est, & conueniens, vt sit maturæ ætatis, nempe quod excedat 30. annum, & hoc non de iure, cum nullibi, vt dixi hæc ætas determinetur, sed tantùm ex honestate; quod suadetur. Tum ex huiusmodi ætate requisita in Episcopo *cap. Quicumque 3. iuncta gloss. vers. Exinde, cap. Episcopus 6. dist. 77. cap. Cum in cunctis 7. de elect. iuncta gloss. vers. Exegerit*, vbi requirit eos expletos, *vt dixit etiam gloss. vers. Ante consumationem, cap. Ad nostram, de regul. alia iura, & constitutiones citat Laurius tit. 4. de elect. cap. 16. num. 2.* Præfati enim Superiores maiorem qooad potestatem iurisdictionis æquiparantur Episcopis, & dignitatem quasi Episcopalem habere dicuntur, *Gloss. vers. propry Clem. 1. de rebus Eccl. non alien. Suar. tom. 4. disput. 55. sect. 3. Rodr. in summ. part. 1. cap. 29. & alibi Corduba vers. Absol. ordin. quoad Fratres, Homobon. part. 4. Respons.* 88. ergo honestum est, vt eligendus in Prælatum maiorem sit constitutus in dicta ætate. Tum quia maior prudentia, & doctrina requiritur in his, quam in aliis, cum grauiora negotia illis referuentur; hæ autem qualitates maximè percipiuntur in illis, qui sunt constituti in maiori, & perfecta ætate, cuiusmodi est excessus 30. annorum, *vt habetur ex citato cap. Episcopus dist. 77.* nam Christus in ea ætate prædicabat, & baptizabat, *vt docent Hostiensis in Summ. §. Quis eligendus, apud citatum Laur. num. 2.* & ætas matura multum facit ad eruditionem, *cap. Hoc sit positum 26. quæst. 7.* Tum inconueniens est illum, qui debet dici Pater omnium Religiosorum, esse iuniorem, & quasi aliorum filium. Quod dicta ætas de rigore iuris non requiratur in Prælatis maioribus docent *Sigism. dub. 62. n. 1. §. At hanc, Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 3. n. 7. & ex eis Laurius tit. 4. cap. 16. num. 6. contra Mirand. tom. 2. q. 3. art. 1. concl. 2. & Azor. p. 2. lib. 6. c. 5. q. 2.* qui non sunt audiendi, si loquantur de rigore iuris, quia ius odiosum, cuiusmodi est hoc, non est extendendum vltra proprietatem verborum, sub propria autem significatione Episcopi nequaquam venit Generalis, aut Prouincialis.

Quæres 6. In quanam ætate debeant esse constituti eligendi in Superiores locales, aut similes, quibus ex officio suo incumbit cura animarum?

24 Resp. Debent attingere viginti quinque annos eligendi ad curam animarum cuiusmodi sunt Abbates, Priores, & similes Superiores locales, apertè habetur *cap. Cum in cunctis 7. §. Inferiora, de elect. cap. Licet canon. eod. in 6.* Dicitur nulla electio electi ante 25. annum, & licèt hoc caput non habeat locum in collegiatis *ex cap. Statutum, eod. in 6.* quod citat *gloss. vers. Parochialis Ecclesiæ, & gloss. vers. Istos, Clem. Ne in agro, §. Ceterum, de statu Mon.* habet tamen locum in Regularibus, *vt docet citat gloss. vers. Istos*, & de Prioribus Monachorum expressè in dicta Clementina; & id colligitur ex Constitut. *Superna dispositionis.* Leonis X. reducens ad Sacros Canones omnes electiones tam Secularium, quàm Regularium. Concilium Trident. *sess. 24. cap. 12.* vbi licèt videatur loqui de solis Cathedralibus, ex eo quod illos tantùm exprimit, nihilominus loquitur etiam de Ecclesiis Regularibus, vt colligitur ex initio capitis. *Cum dignitates in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, &c.* vbi nota dictionem, *præsertim*, quæ accipitur pro, *maximè*, *facit gloss. vers. præsertim cap. 54. de senten. excomm. cap. 69. de Appell.* & sic est dictio implicatiua casus etiam non expressi *l. Sunt quid. l. Cum ex causa ff. de re iud. apud Megal. t. 2. lib. 2. cap. 23. in fine num. 2.* imò etiam magis dubium complectat, *Couar. lib. 2. Var. cap. 7. num. 5. Sanchez lib. 6. disputat. 14. num. 21.* Ita docent *Rodr. tom. 1. q. 15. art. 2. cum suo Compend. resolut. 58. num. 28. Mirand. tom. 2. qu. 3. art. & concl. 1. quos & alios citat Sigismund. dub. 62. num. 3.*

Quæres 7. Quæ ætas requiratur in promouendis ad Definitoratum, Custodiatum, Discretatum, & similia officia, quæ curam animarum, seu Superioritatem non habent adiunctam: *Vide Sigismund. dub. 92. per totum.*

25 Respond. Iure communi, huiusmodi officia conferri non possunt minoribus viginti duobus annis, quod Doctores colligunt ex *cap. 12. sess. 24.* illis verbis. *Ad cæteras autem dignitates, & personatus, quibus animarum cura nulla subest Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores adsciscantur.* Ex quibus verbis clarum est requiri ingressu in annum 23. vt respondit Sacra Congregatio, cuius verba refert *Sigismund. dub. 62. num. 3.* vt etiam docent *Nauar. consil. 4. de ætate, Mandosius in tract. de ætate min. cap. 5. num. 10. Less. lib. 2. de instit. cap. 34. num. 108. cum aliis citatis a Barbosa super dictum cap. num. 14.* Prænumeratas autem officia sunt dignitates, seu personatus in Religione; vt probat *Sigismund. dub. 62. num. 4. & 5.* & Concilium de dignitatibus, & personatibus loquens non tantùm comprehendit easdem in Cathedralibus, sed etiam in Regularibus vt docui *præced. quæst. 6.* Ita docent *Rodr. tom. 1. quæst. 15. art. 2. Mirand. tom. 2. q. 3. art. 1. conclus. 3. Sigism. cit. num. 3. Laur. tit. 4. de elect. c. 16. num 7.*

Dixi, *Iure communi*, quia ex specialibus statutis singularum Religionum nullus eligi potest ad prædicta officia, qui non sit in ordine Sacerdotali constitutus.

26 In mea Religione *cap. 1.* Regulæ ad finem omnia officia non possunt conferri nisi Sacerdotibus, excepto Discretatu Conuentuali, quod conferri potest constituto etiam in ordine Subdiaconatus; neque requiritur vt is compleuerit 22. annum iuxta Concil. *cit. c. 12. sess. 24.* sed sufficit ille ordo Sacerdos, quia Concilium loquitur de dignitatibus, & personatibus, cuius generis non est Discretatus Conuentualis, *vt docent Rodr. tom. 1. q. 13. art. 19. Mirand. tom. 2. q. 22. art. 5. concl. 2.* quare prædictis non obstat inchoata ætas.

Quæres 8. Quænam ætas requiratur ad habendum vocem actiuam in electionibus, & aliis negotiis, quæ voce, & suffragiis expediuntur?

27 Respondeo. Iure communi, solùm Subdiaconi habent vocem in capitulis, *vt dicitur Clem. 2. de ætate, & cap. 4. sess. 22.* in quibus locis dicitur, ne quis possit habere vocem in Capitulo Cathedralium, vel Collegiatarum, tam Secularium, quam Regularium nisi sit in Subdiaconatus ordine constitutus, etiamsi hoc ab aliis sibi liberè concedatur. Ergo excluduntur Clerici in minoribus constituti, & conuersi, qui ordinum sunt incapaces.

Dixi, *Iure communi*, quia iure speciali consuetudine, aut priuilegio, Clerici in minoribus, & conuersi in multis Religionibus habent vocem præcipuè in Capitulis Localibus, seu Conuentualibus, non obstantibus allegatis iuribus, *vt docent Angel. vers. Electio num. 7. Siluest. quæst. 3. Tabien. num. 7. Rodrig. tom 2 quæst. 52. art. 4. & 5. cum suo Compend. resol. 58. num. 4. ipse Rodr. tom. 1. quæst. 8. art. 6. quem citat Sigismund. in addit. ad dub. 91. docet*, Decretum præallegatum Tridentini non derogasse specialibus statutis, aut consuetudinibus, seu priuilegiis non constitutorum in ordine Sacro suffragandi in electionibus, quia nulla fit expressa mentio de derogatione, sicut fit in quibusdam aliis Decretis, vnde in duplici sunt differentia Decreta Sacri Concilij contraria priuilegiis, & statutis Regularium, alia sunt, in quibus exprimitur eorum derogatio, de quibus intelligendi sunt Summi Pontifices confirmantes priuilegia Regularium, sub illa clausula, *Dummodo non aduersentur Decretis Tridentini*, in numero quorum non est præsens Decretum, cum sit de secundo genere, nempè eorum, in quibus nulla fit mentio, de derogatione priuilegiorum Regularium. Contra *Mirand. tomo 2. quæst. 23. articulo, & conclus. 5.*

28 In mea Religione de iure Regulæ *cap. 1.* Clericus in Subdiaconatu saltem constitutus potest ferre suffragium in Capitulo Prouinciali; nullibi autem statuitur,

vt

vt Clerici in minoribus,& conuerſi vocem habeant,nihilominus ea probata conſuetudine vocem tribuunt in Capitulis Conuentualibus ad eligendum Diſcretum Conuentoalem mittendum ad Capitulum Prouinciale, & meritò, quia accedit nomine, & fauore omnium non ſolùm ad eligendum officiales, ſed etiam pro tractandis negotiis tam Monaſterij, quàm ſingulorum Fratrum, ſi neceſſe ſit pro ipſis agere in Capitulo. *Vide infrà qu. 35. reſol. 26.*

Quætes 9. An Religioſus diſpenſatus in ætate reſpectu ordinum, vt eaempli gratia, in anno 20. poſſit fieri Subdiaconus, vel Sacerdos in 23. cenſeatur etiam diſpenſatus quoad electionem, itavt poſſit eligi in Superiorem licèt non attingat viginti quinque annos; aut ad aliud officium requitens eligendum eſſe conſtitutum in ordine Sacro? Videtur autem,quod ſic, quia Sacri Canones præſcriptam ætatē præſertim viginti quinque annorum requirunt, vt ſi electus nondum eſt Sacerdos, infrà annum, ſeu ſtatim poſſit promoueri ad Sacerdotium, quo ſuis ſubditis Sacramenta miniſtrare valeat; ſed in caſu hoc electus ante eam ætatem iam ex diſpenſatione eſt Sacerdos; ergo defectus ætatis hic conſiderandus oon eſt, cum exiſtat finis, propter quem requiritur dicta ætas; impedimento enim ſublato ætatis per diſpenſationem, fieri poteſt, quod antea fieri non poterat, *gloſſ.verſ. Tranſire in cap.fin.33. quæſt.2.* ergo cum ſublatum ſit impedimentum ætatis per diſpenſationem, & ſic proximè potens ad exercendam animarum curam, eligi poteſt.

29 Reſpond. Diſpenſatus in ætate reſpectu ordinum, non cenſetur diſpenſatus quoad electionem, ac proinde Sacerdos initiatus ante legitimam ætatem ex Apoſtolica diſpenſatione, eo magis à fortiori ſine diſpenſatione ordinatus non poteſt promoueri ad Prioratum, vel aliud officium requirens determinatam ætatem, aliter electio eſt nulla, vt hoc poſtremum probatur infrà *quæſt.*10. Probatur igitur reſponſio. Tum quia ſecundum omnes diſpenſatio eſt ſtricti iuris, vt docui *reſol.*10. *q.*4. *cum Sanch. lib.*8. *diſputat.*1. *per totam.* Tum quia quæ à iure communi exorbitant non ſunt trahenda in conſequentiam, *Reg.*28. *in 6.* Tum quia habilitatus ad vnum, non eſt habilitatus ad aliud, *vt notant Doctores in capit. Cum nuntius, de teſtibus. Ita docet Graff. part.*2. *libro* 1. *cap.*11. *num.*15. diſpenſatum ante ætatem ad Presbyteratum, non eſſe diſpenſatum ad beneficium curatum, *Nauar.conſil.*21. *de celebrat. Miſſ.num.*3. *licèt ibi citet textus in cap.*2. *Clem. de ætate,* quæ non loquitur de eligendis, ſed de habentibus vocem in Capitulo, *ex allatis præced. quæſt.* 8.

30 Circa actiuam vocem de eo, cum Clem.2. de ætate, & Trident. *cap.*4. *ſeſſ.*22. ferè vtens eiſdem verbis, præciſè requirunt, quod Clericus ſit conſtitutus in ordine Sacro Subdiaconatus, nulla facta mentione de ætate, puto hunc poſſe ſuffragari, quia iura ſolùm requirunt ordinem legitimè ſuſceptum, non ætatem; nec obſtat gloſſ. verſ. Conſtitutus, & habens ætatem, Clem. cit. quaſi præter ordinem requirat etiam ætatem ad habendum vocem in Capitulo; quia ibi gloſſa requirit ætatem, vt dicatur legitimè ordinatus, non autem, vt poſſit ſuffragari, quia id non exprimitur in Clem. Verum quidem eſt, *quod Rodr.tom.*3. *qu.*23. *art.*12. *cum ſuo Compend. reſol.*15. *num.*24 *apud Barboſa ad hoc c.*4. *ſeſſ.*22. *num.*19. dicunt ordinatum ante legitimam ætatem ſine diſpenſatione, non poſſe obtinere præbendam, ne videatur ex ſuo delicto reportare commodum; quod idem dicendum eſt de ordinato ante tempus propter eandem rationem, quamquam poſſet defendi oppoſitum, quia in danda voce inſpicitur præciſè ordo, in recipienda verò etiam ætas.

Ad obiectionem in oppoſitum dico, dictam ætatem præciſè non requiri, vt ſtatim poſſit fieri Sacerdos, ſed vt ſcientia, & moribus commendandus exiſta vt colligitur *ex cap. Cum in cunctis de elect. & cap. Licèt Canon, eod. in 6.* præterquam quod textus illi formaliter requirunt ætatem, quæ ſufficit, vt quis eligi poſſit, licet nondum ſit effectus Sacerdos.

Quætes 10. An defectus ætatis requiſitæ, in promotione ad aliquod officium irritet attentatam electionem?

31 Reſpond. Electio attentata de Superioribus localibus non attingentibus 25. annum ex dictis *quæſt.* 6. de aliis officialibus non Superioribus non attingentibus 23. ex dictis *quæſt.*7. nulla ipſo iure eſt; Prælatorum, verò maiorum, hoc eſt, Generalis, vel Prouincialis electio ante 30. completum electio tenet.

32 Primùm, de Superioribus localibus, expreſsè habetur in *cap. Cum in cunctis, & in cap. Licèt Canon, de elect. in 6. Ita docet Sigiſmund. dub.*62. *num.*6. etiam in foro conſcientiæ, vt apud ipſum dicit *Ledeſm. in ſumm. part.*2. *tract.*7. *cap.* 2. *concluſ.*7. *diff.*17. Neque vnus dies deeſſe debet, *vt ex Sanch.lib.*1. *diſput.*16. *num.*4. *habet idem Sigiſm.* nam quæ à iure determinata ſunt non licèt arbitrari, cum arbitrium cadat ſuper dubia, & indeterminata, aut ſuper diuerſa, prædictos citat, *& ſequitur Lauorius tit.*4. *de elect.cap.*16. *num.*8.

33 Secundùm, de officialibus non Superioribus, probatur eadem authoritate Doctorum nunc citatorum, præcipuè in terminis noſtris docet Sigiſmund.

34 Tertiùm, de Prælatis maioribus, quod eorum electiones valeant celebratæ ante expletum 30. probatur, quia nullum ius in ſpecie præſcribit illis ætatem 30. annorum, ſed à ſimili ex honeſtate deducitur ea ætate requiſita ad Epiſcopum, vt dixi *quæſt.*5. vnde conſequens eſt, vt lex de ætate requiſita in Epiſcopis non extendatur ad dictos Prælatos quoad diſpoſitionem vindicatiuam, ſi non extenditur de rigore iuris quo ad vim directiuam, & pœna priuationis, ſeu nullitatis aſſerendo non eſt, niſi in caſibus in iure expreſſis, *Clarus in* 4. *Sentent. verſic. Feudum quæſt.*49. *num.*7. *& ex eo Megal. part.*3. *lib.*2. *cap.*3. *num.*29. ſed in iure communi ne dum exprimitur pœna nullitatis, ſed neque lex ipſa reperitur dictam ætatem requirens in promouendis ad Prælaturas maiores. *Ita docet Sigiſmund. dub.* 62. *num.* 1. *§. Ab hanc.*

Quod ſi in Religionibus determinetur ætas pro promouendis ad dignitates huiuſmodi, ſtatutum de hac re ſeruandum eſt, aliter declarari poteſt nulla electio, quamuis talis non ſit de iure ſpeciali, niſi ſtatutum contineat Decretum irritans, multa enim prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent vnde Doctores aſſerentes nullam eſſe electionem defectu ætatis requiſitæ intelligendi ſunt, quando ætas eſt requiſita iure communi, aut ſpeciali continente Decretum irritans.

Quætes 11. A quonam die numeranda ſit ætas? Tripla autem dies aſſignatur, Conceptionis, Natiuitatis, & Baptiſmi.

35 Reſp. A die Natiuitatis, aut die Baptiſmi, ſi ille ignoretur, non autem à die Conceptionis.

Primùm à die Natiuitatis docent *Conar.epit.*4. *Decretal.part.*2. *cap.*8. *§.*2 *num.*3. *Molina tomo* 2. *diſputat.*573. *num.*2. *apud Lauor. tit.*4. *cap.*16. *num.*9. *Aldan.in Compend. reſol. Canon. lib.*1. *tit.*20. *num.*15. *refert deciſum ſub die* 4. *Decembr.* 1627. *apud Barboſam ad cap.*12. *ſeſſ.*24. *n.*3. *Sigiſmund.dub.*62. *num.*7. *de electione,* priores prætereà loquuntur etiam de ordine, & de profeſſione. *Bonac.q.*2. *de clauſ.p.*10. *diff.*2. *§.*3. *num.*4.

36 Secundùm; non à die conceptionis, habent præfati Doctores, quia iura hominem nondum natum, non iudicant hominem in ordine ad aliquem ſtatum, quamuis quoad aliqua iura, & legitimationem computent Doctores dies conceptionis, vnde proles ſuſcepta ex ſolutis inter quos poterat eſſe matrimonium tempore conceptionis, licèt non tempore natiuitatis, legitimatur per ſubſequens matrimonium, *vt Doctoribus citatis docui reſol.*12. *quæſt* 4.

Quætes 12. An in prædictis ætatibus dies biſſextilis vno quoque quadriennio accreſcens vltima die Februarij faciat numerum cum aliis diebus, an coniungatur

eum

cum præcedenti, cum quo constituat vnum tantùm diem? seu vt alij quærunt, an dies bissextus computetur in legitima ætate? Pro qua re notandum est, omnes ferè Doctores *cum Abbate in cap. Quæsiuit, de verb. significat.* distinguere, nam lex, seu præceptum tempus determinare potest duobus modis, primo per dies tantùm; vt, si dicatur suspendo te per quadraginta dies ab hac die inclusiuè e.g. decima Februarij bissextilis, in hoc casu suspensio durat ab hac die, vsque ad 20. inclusiuè Martij, si verò non esset bissextilis duraret vsque ad 21. Martij, hoc igitur modo dies 29. Februarij facit numerum cum alijs, & computatur per se tam in fauorabilibus, quàm in odiosis. Secundo ætas, seu tempus mensurari potest per annos, seu per menses, & tunc bissextus in fauorabilibus computatur pro duobus, in odiosis pro vno, vnde suspensus per annum, finito illo tempore dierum 365. celebrare poterit, quia cum id sit odiosum dies crescens non commutatur, *Gloss. super cap. Quæsiuit, de verb. signif.* Itaque in fauorabilibus annus est ex diebus 366. in odiosis ex 365. vt clarius loquar.

37 Respond. In ætate requisita ad professionem ad ordines, ad electionem, dies bissextilis computatur, & cum altero facit duos dies, Ratio est, quia tempus in prædictis statibus currere debet de momento ad momentum, ac proinde addendus est etiam dies bissexti, consequenter annus debet esse dierum 366. Præterea tempus a iure præfixus fuit fauore volentium ingredi illos status, vt spatium habeant cogitandi de possessione suæ libertatis, sed in fauorabilibus illi duo dies computantur pro duobus, non pro vno, vt dixi in quæsito, ergo dies crescens numerandus est seorsim ab antecedenti. Deinde isti sunt status Ecclesiastici, ergo ætas requisita ad illos Ecclesiasticè numeranda est, nempè per singulos dies, nullo excluso, aut duobus pro vno computato numericè, vt bene obseruat *Bonac. part.* 5. de ordine *num.* 14. *§. sed,* De anno probationis, & professionis *tenent Rodr. tomo 3. quæst. 15. art. 5. Riccius in praxi fori Eccl. decis. 656. num. 5. ex eis Lauor. tit. 1. de Comitiis cap. 6. num. 15. Sanchez lib. 2. disput. 24. num. 22. §. Similiter, vbi citat Molinam tomo 2. disput. 573. §. Itaque, Bonac. part. 5. de ordine num. 14. §. Sed contrarium, & quæst. 2. de clauf. part. 10. differ. 2. §. 3. num. 3. Graff. tom. 1. consil. 6. de regul. num. 2. Vecchius disput. 21. dub. 4. num. 5. Mirand. tomo 1. quæst. 12. art. 3. concl.* 2. De ætate pro ordinibus *Lauorius titul. 4. de elect. cap. 16. num. 10. per dicta à se loco citato tit. 1. de comitiis cap. 6. num. 15. Bonac. cit. Fornarius de ordine cap. 3. num. 5. qui duo citantur contra se à Barbosa ad cap. 12. sess. 23. num. 3. vbi pro se citat Henr. & Riccium.*

Quæres 13. An ætas cœpta habeatur pro completa in his statibus? Seu in quibus casibus habeatur pro completa?

38 Respond. Ætas cœpta habetur pro completa in ordinibus maioribus, quia ætas præscribitur cum præpositione, *Ante*, quæ denotat inceptionem anni expressi, vt obseruat *Portell. vers. Annus num. 5. & Doctores citati suprà quæst. 4. §. Ætas.* Pro Superioribus, & alijs habentibus curam animarum assignatur ætas 25. annorum inchoata, adest enim verbum, *Attigerit*, quod inchoationem indicat, & dixi *quæst.* 6. Non habetur verò pro completa, sed naturaliter excipitur completa in Episcopo, qui eligi non potest, nisi finito anno ætatis suæ 30. nam verbum, *Exegerit*, denotat tempus expressum debere esse finitum. Item annus antequam non potest fieri professio, hoc est, 16. debet esse completus, & sequens inchoatus, non obstante, quod particula, ante, denotet anni expressi inchoationem, vt suprà dixi, quia Trident. *sess. 25. cap. 15.* se explicat, ibi. *Professio non fiat ante 16. annum expletum*, & dixi de hoc anno completo, *quæst. 1. §. 2.* Ætas completa 22. annorum requiritur ad dignitates, & personatus sine cura, quia hæc clausula, 22. *annis non minores*, requirit tempus expressum completum, vt docet *Lessius lib. 2. cap. 34. n. 108.* Si enim alicui in minori ætate existenti conferri non possunt ergo requiritur maior ætas, quæ est 23. annorum inceptorum, & dixi *quæst.* 7.

Quando autem ex verbis legis non constat, an ætas incœpta sufficiat, an completa exigatur, attendendæ sunt sequentes Regulæ. I. Inchoata censetur sufficere in fauorabilibus, *l. Ad Rempublicam ff. de muner. & honor. ex gloss. vers. Exigerit, cap. Cum in cunctis 7. de elect.* in odiosis requiritur completo. II. Quando tempus exprimitur cum præpositione, *In*, ablatiuo *Clement. 3. de ætate*, vbi alias Clerici promouebantur ad Subdiaconatum in anno 18. *gloss. vers.* 18. *Portell. vers. Annus num.* 1. 39
III. Quando profertur cum præpositione, *Ante*, adduxi exemplum suprà in resp. onf. intellige vt ibi, nisi exprimatur complementum, vt in anno professionis. Vide *Graff. part. 2. lib. 1. cap. 11. num. 13. Portell. num.* 5. IV. Quando exprimit tempus cum præpositione, *Ad*, sufficit tempus incœptum, *Bart. l. si quis ff. de legat. Portell. vers. Annus num.* 3. V. Quando exprimitur per præpositionem, *Per*, requiritur tempus completum, *l. Non putabam, l. si annos ff. de condit. & demonst. Portell. num.* 4. vnde Nouitius per annum integrum debet manere in probatione, neque vnus dies remanere debet extra probationis annum, quia Concil. ea *sess. 25. cap. 15.* vtitur. *Per annum*, & faciunt dicta *quæst. 1. §. 2.* VI. Quando tempus exprimitur per genitiuum, ne quid fiat ab aliquo nisi sit decem annorum, exigitur completum, *Portell. vers. Annus num.* 2.

Quæres 14. Quænam ætas requiratur in Moniali promouenda in Abbatissam, aut Priorissam, & Superiorissam Monasterij?

Respond. Monialis eligenda in Abbatissam, seu Superiorissam debet habere 40. annos ætatis, & octo professionis expressè, vt decreuit Trident. *cap. 7. sess. 25.* illis verbis. *Abbatissa, & Priorissa, & quocumque alio nomine præfecta, vel præposita appellatur, eligatur non minor annis 40. & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit.* De hac re vide *Mirand. quæst. 6. de Monial. art. 4. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 24. initio*, quamplures Doctores alios citat Barbosa ad hoc caput. Difficultas remanet soluenda, an prædictum tempus tam ætatis, quàm professionis sufficiat inchoatum, an exigatur completum? Respondendum est exigi completum, iuxta dicta in responsione quæst. præced. de simili clausula expressa in *cap. 12. sess. 24.* de non eligendis ad dignitatem minoribus 22. annis; & sic completos requirit Garcias contra Nouarium apud Barbosam ad hoc *cap. 7. sess. 25. num. 10.* & contra *Portell. part. 1. casu* 13. asserentem posse eligi 40. iam incœptis, & *num.* 2. concludit electionem bona fide actam ante id tempus tenere, cum non adsit clausula irritans, nec ætas hæc sit de substantia electionis. Vide suprà *quæst.* 10. 40

Confirmatur, quia non est maior ratio cur exigatur completum tempus octo annorum, vt clarè ibi habetur illis verbis. *Et quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit.* Pro qua re faciunt dicta à *Portell. vers. Annus num. 4. §. Quæris*, de particula, *Post*, denotante tempus completum, & non 40. pro ætate, cum sub eodem contextu verborum disponatur vtrumque tempus; adde quod in defectum quadragenariæ monialis assumi potest vna ex illis, quæ excesserint 30. annos, ergo si exigitur tempus completum in hoc casu, etiam in illo.

Quæres 15. An Prælati Regulares possint dispensare super defectum ætatis in assequendis his statibus?

Resp. Non possunt, quia nullum super hoc habent priuilegium, sine quo à nullo inferiore datur dispensatio, & relaxatio iuris communis, vt docent omnes. *Ita asserunt Rodr. tom. 1. q. 23. art. 10. Mirand. tom. 2. q. 3. art. & concl. 1. Sigism. dub. 62. de elect. n. 6. loquentes de Prælatis Regularib. & de Episcopis etiam Graff. lib. 2. c. 97. num. 41. Azor. Riccius, cum alijs citatis à Barb. super cap. 7. sess. 25. n. 10.* loquentes de ætate Abbatissarum, *Gauant. vers. Abbatissa n. 6. decisum refert ex Armendar.* 41

Quæres

Quæres 16. Au Superiores ſaltem io Capitulo Generali poſſint facere ſtatutum, vt quis eligi poſſit in minori ætate exiſtens?

42 Respond. Non, quia nullus Papa inferior poteſt condere ſtatutum contra Sacros Canones, *cap. Quod ſuper his, de maior. cap. Ne Romani, Clem. de elect.* Ita docent *Rodr.quæſt.15.art.2.Mirand.tom.2. quæſt.3.art.& concl. 1.*

Quæres 17. Eligentes nondum habentem legitimam ætatem an incurrant pœnas?

43 Respond. Scienter eligentes non habentem ætatem, adde ſcientiam, & mores, ſunt ipſo iure priuati pro ea vice poteſtate eligendi, quando electio eſt de officio, cui adnexa eſt cura animarum, & præterea per triennium ſunt ſuſpenſi ab Eccleſiaſticis beneficiis, ſed cum apud Regulares non ſint beneficia, ideò hæc pœna in illis locum non habet. Habentur hæc *ex cap. Cum in cunctis 7.de elect. §. Clerici ſanè, & docet Sigiſmund.dub. 61.per totum.* Conſequenter electio pro futuro Superiore, cum prior non tenuerit deuoluitur ad maiorem Superiorem, vt colligitur ex eodem *cap. Cum in cunctis, de elect. in fine.*

Quæres 18. In dubio an ætas requiſita ad electionem ſit terminata, poſſit quis promoueri? Procedit difficultas tam in dubio iuris, nimirum; quando dubitatur, an ætas legitima debeat eſſe completa, an ſufficiat inchoata? quam facti, an ſcilicèt promouendus adeptus ſit legitimam ætatem? Et quæſtio extenditur etiam ad alia.

44 Respond. In vtroque dubio abſtinendum eſt à promotione, ſeu quauis alia actione exigente talem ætatem à lege præſcriptam. De dubio iuris probatur, quia poſſeſſio ſtat pro lege, de qua clarum eſt extare, & dubium verſatur circa eius circumſtantiam inchoationis, vel completionis, ergo fauore legis inferendum eſt, tempus debere eſſe completum, eo maximè cum apponatur in gratiam eorum, quos tale tempus tangit, vnde in pluribus locis citatis ſuprà *ſub quæſt.* 13. tempus expletum præſcribitur, & hæc concorda cum ibi dictis, & magis id confirmatur ex probandis de dubio facti. Quod probatur, Tum quia tempus aſſignatum pro minori ætate debet expleri de momento ad momentum fauore minoris ætatis, vt minus grauetur, & potius prorogari, & ampliari, quam reſtringi debet, *vt colligitur ex leg. §. Minorem, ff. de minor. Gloſſ.verſ. Momentum,* dicens id eſſe fauore minoris ætatis, Doctoribus citatis *à Sanchez lib.4. cap.35. num.* 3. ſed ætas requiſita in præfatis ſtatibus eſt pro minoribus ad illos promouendis, ergo fauore illorum differendum eſt, ſeu potius expectandum tempus; neque dicas, eſſe magnum fauorem minoris, ſi initio anni, aut quamprimum ordines recipiat, aut profeſſionem emittat, &c. quia lex non reſpicit fauorem huius, vel illius in particulari, ſed in genere ad bonum publicum reſpiciendo eorum libertatem, & minus grauamen. Tum quia huiuſmodi tempora aſſignantur, vt promouendus habeat ſpatium cogitandi expediat necne ſibi aſſumptio ſtatus ſibi propoſiti, & vt maturius ſe agat in eius electione, conſequenter tempus potius ampliandum eſt, quam reſtringendum, ac proinde in dubio iuris de inchoatione, an completione, ſumendum eſt tempus completum de iure; & in dubio facti potius cenſendum eſt, tempus nondum eſſe completum, ſed expectandum. *Vnde Sanch.lib.2.diſp.41.num.38.* aſſerit dubitantem de legitima ætate ad ordines, ad beneficia, vel ad alium actum, non poſſe promoueri, quia poſſeſſio ſtat pro præcepto.

45 Dubitans an expleuerit annum 21. infrà quod tempus iuuenis non obligatur præcepto ieiunij, de communi Doctorum, non tenetur ieiunare, quia poſſeſſio eſt pro libertate dubitantis, & non pro præcepto, quod obligat ſolùm poſt annum vigeſimum primum expletum, & hoc fauore minoris ætatis, vt minus grauetur, *& ita docet Sanchez lib.2.diſput.41.num.38. qui libro eod. diſp.24.num.23. & ex eo Nald. verſ. Ætas num.3.* aſſerit, illum, qui media die ingreditur annum 22. ſi comedit ante, non teneri ieiunare reliquum temporis, quia iam fractum fuit ieiunium.

46 Qui dubitat, an ſe voto obligauerit initio anni 25. an eo expleto, recipere Sacerdotium, poteſt expectare finem anni, quia dubia obligatio voti interpretanda eſt, vt minus grauet vouentem. *Sanch. lib.4.c.14 num.23.fine ex cap.13.num.17.*

Quæres 19. An ætas infrà annum 21. excuſet iuuenes Religioſos à ieiuniis quibuſcumque?

47 Reſp. Iuuenes, & ſexagenarij tenentur ad ieiunia Religionis. *Vide reſol. 18.q.3 vbi de hac re.*

Quæres 20. An ætas infrà pubertatem excuſet impuberes à cenſuris, & reſeruatione caſuum?

48 Respond. Non excuſat, Tum quia nullum ius illos excuſat. Tum quia cum hoc tempore non careant vſu rationis ſufficiente ad peccatum mortale, poſſunt peccare mortaliter, ac proinde incurrere cenſuras, & reſeruationem, quæ contingere non poſſunt ſine peccato mortali. Tum quia de cenſura excommunicationis clarum eſt, quod eam incurrunt pueri infrà pubertatem *ex cap.1.cap. Quamuis, cap.fin.de ſentent. excommunic.* & ab hac cenſura ad alias identitatis argumentum tenet, & pari paſſu currunt, *Gloſſ.verſ. Obſeruari cap.1.de ſentent. excommunicat. in 6 & verſic. Excommunicationis, cap. Licèt, eod.* Ita aliis citatis docet *Bonacin.diſputat.1. de cenſuris in genere quæſt.1. par.4. num.7.* contra Vgolinum, & Sairum à ſe citatum de caſibus reſeruatis docuit *Floronius part.1. cap.3. num.34. §. Quod autem, Lazar. quæſt.8.de Blaſphem.num.41.Graff. in praxi lib. 2. cap. 5. de allocut.cum Mon. num.18. qui tamen ibidem, & lib.1. cap.11. num.30. & cap.13. num.28.* docet id non procedere in peccatis luxuriæ, quia peccata, quæ perpetrantur genitalibus, lex maſculis non tribuit niſi poſt 14. annum, *ex cap.1. de delict. puer.* ſiquidem infrà dictum tempus, regulariter loquendo, nequeunt ſeminare, & ſi quando ſemen emittant, non ideò in caſum incidunt reſeruatum, quia reſeruatio inſtar aliarum legum non aptatur ad ea, quæ rarò accidunt, *l.Nam ad ea ff. de leg.* & hoc procedit etiam, quando impubes patitur à pubere, qui licèt ligetur reſeruatione, non tamen impubes, quia ex eo, quod miſcetur cum pubere non amittit impubertatem, ratione cuius excuſatur à reſeruatione, non obſtante, quod agens, & patiens pari pœna debeant puniri, quia id procedit, quando lex vtrumque punire intendit, quod non accidit in caſu noſtro; & Graffium quoad peccatum luxuriæ, Sodomiæ, & inceſtus docet nouiſſimè *P. Ignatius Lupus Strictioris Obſeru.p.1.de caſibus Bergom. diſt.4.diff.2. num.6.* alios citando cum *Diana p.2.tract.1. Miſcell.reſol.14.* quorum opinio mihi videtur multùm probabilis; quorum tamen rationi poteſt reſponderi, actum luxuriæ non dici completum quoad generationem, vtique verò quoad peccatum, ac proinde quoad reſeruationem.

RESOLVTIO XXII.

De Armis Regularibus vetitis.

SVMMARIVM.

1 *Decretum de Armis prohibitis.*
2 *Habet vim legis perpetuæ.*
3 *Prohibet arma retinere cuiuſcumque.*
4 *Per duos dies non incurrit.*
5 *Retinens hoſpitio aduenam cum ſuis armis excluditur.*
6 *Quænam Arma prohibeantur?*
7 *Armorum nomine quæ veniant?*
8 *Cultellus Genuenſis excluditur.*
9 *Omnibus Clericis prohibetur.*
20 *Quibus locis prohibeantur retineri.*

11 *Quæ pœna contra retinentes.*
12 *Excommunicatio contra Monachos tantùm Nigros.*
13 *Pœnas in Decreto contentas incurrunt.*
14 *A quibus excusat bona fides, & ignorantia.*
15 *An vnica excommunicatio Clementinæ, & Decreti.*
16 *Absoluunt Prælati ab his pœnis.*
17 *Facultas deferendi arma sublata fuit.*
18 *Superiores non subduntur Decreto.*
19 *Itinerantes excluduntur.*
20 *Sicut & de foris venientes.*
21 *Decretum non afficit extra statum Mediolani.*
22 *Quæ loca includantur in illo statu.*
23 *Aduenæ non subiiciuntur Decreto.*
24 *Licentia ferendi arma requiritur obtenta.*
25 *Tenentes apud alium non incurrunt.*
26 *Tertiarij arma neque tangere possunt.*

1 SAcra Congregatio de mandato Pauli V. Pontificis Maximi in pace quiescentis Decretum de non retinendis armis Clem. V. registratum in eius Clem. 1. §. Quia verò, de Statu Monach. contra Monachos nigros, quod non seruabatur, renouauit, & extendit ad quoscumque Regulares degentes in statu Mediolanensi per suum Decretum, eius, qui sequitur, tenoris.

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, iustis, & grauibus de causis id exigentibus, ac de Sanctissimi D.N. Pauli Papæ V. speciali mandato, viua vocis oraculo desuper habito, ad cauenda scandala, atque delicta, quæ in statu Mediolani contra Ecclesiasticam Regularemque disciplinam magno cum animarum detrimento interdum committi solent, ex eo, quod salutare Decretum, olim à Clem. V. Rom. Pontif. editum de armis sub pœna excommunicationis intra septa Monasteriorum non tenendis, ea, qua par est, diligentia non seruatur, idem Decretum innouat, sublata quauis facultate Superioribus Regularibus ea permittendi: Ac insuper iubet, & præcipit omnibus Regularibus quorumuis ordinum etiam Mendicantium, aut Congregationis quouis nomine nuncupentur in eodem statu degentibus, ne quis eorum arma cuiusuis generis prohibita, præsertim verò Sclopos rotatos tam longiores, quàm breuiores, intra Ecclesias, loca Sacra, siue septa Monasteriorum, aut in aliis domibus suis tenere audeat, vel præsumat, sub eadem excommunicationis pœna in dicto Decreto imposita; ac insuper priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, & inhabilitatis ad quæcumque officia in posterum obtinenda, ipso facto, absque vlla alia declaratione incurrenda, super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo possit impertiri. Sanctitas enim sua, quatenus opus sit, facultates omnes, priuilegia, atque indulta, & concessiones ipsas, si quæ habentur, reuocat, atque irritat, & nullas deinceps esse declarat, non obstantibus quibuscumque, &c. Monet autem Episcopos omnes eiusdem Status, vt edicta ab ipsis iam contra Ecclesiasticas personas Seculares super armorum prohibitione publicata, sub pœnis in eis contentis omninò obseruari faciant. Datum Romæ die 30. Aprilis 1614.

Hoc Decretum eodem anno fuit impressum Romæ in Typographia Apostolica, & postea Mediolani apud Franciscum Paganellum. Id refert ex parte *Nald. vers. Religiosus num. 50.* Nonnulla autem emergunt dubia, ex quorum resolutione explicandum venit huiusmodi Decretum.

Quæritur igitur 1. An hoc Decretum habeat vim perpetuæ legis, an sit simplex ordinario, & præceptum, quod durauerit solùm viuente Paulo Summo Pontifice illius conditore?

2 Respond. Hoc Decretum seu lex est seruanda in hoc statu Mediolanensi etiam post mortem illius conditoris. Probatur, Tum ex vsu ipsius vocabuli, nam Decretum Gratiani quatenus continet Bullas, & responsiones Pontificias, & Decretales quinque librorum, & sexti, dictas à Decretis à diuersis Summis Pontificibus conditis, sunt leges & perpetuò durant, vt apud omnes palam est, ergo & hoc Decretum, cum dicatur epistola Decretalis, sicut tales dicuntur omnes leges in corpore iuris. Tum ex differentia inter Decretum, & edictum, aut præceptum, quod Decretum dictum respectu legis Papalis, statutum respectu legis specialis Episcopi, vel alterius inferioris Legislatoris, idem significat quod lex à Papa condita de Consilio Cardinalium perpetuò durans, *Gloss. vers. Omnes, in dist. 3. & vers. Ignorantibus, cap. proposuisti 2. dist. 82. cap. Si Decreta 2. dist. 20.* edictum verò, seu præceptum sunt ordinationes factæ à Superiore non vt Legislator præcisè, sed vt ab homine, quæ simul cum vita ordinatoris extinguuntur. Ita de edicto, & Statuto quod illud spiret cum edicente, non autem hoc cum statuente docent Catholicon, & Lexicon vers. Edictum. Sed huiusmodi ordinatio de armis non retinendis intra septa Conuentuum est Decretum, vt satis clarum est, ergo perpetuò durat. Tum quia innouat Clementinam de statu Monach. sed illa est lex perpetuò durans, cum lex semper loquatur, *leg. Arsani ff. de hæres.* ergo & hoc Decretum illam renouans, ridiculum enim esset, Sacram Congregationem innouasse illam legem ad vitam solius Pauli V. & non perpetuò, cum lex quatenus lex perpetuam recipiat innouationem. Tum quia facit illa Regula. Relatum est in referente cum omnibus suis requisitis. *Auth. Constitutio, quæ innouat, §. Vnde vers. In illis, l. Ait prætor §. 2. ff. de re iud. Barbosa Vaz locat lit. R, num. 13. iuribus aliis, & Doctoribus citatis,* Clementina autem dicitur relatam hoc Decreto, ergo in eo refertur quatenus lex est perpetuò durans, & non vt præceptum, seu edictum durans ad vitam edicentis, ac proinde Decretum hoc lex est perpetuò durans; & in hoc nullam puto esse difficultatem apud virtute, & pietate præditos.

Quæres 2. An loquatur de armis solummodò Secularium depositis intra septa Monasteriorum? An etiam de armis propriis Religiosorum retentis intra claustra? Nam vulgus Religiosorum putat Decretum afficere Religiosos respectu armorum Secularium, ea ductus ratione, quod Gubernator quidam Mediolani petiit à Sede Apostolica huiusmodi Decretum, vt obuiaret diuersis homicidiis, & aliis facinoribus, quæ Seculares committebant in hoc statu armis prohibitis, quæ reponebant apud Religiosos, vt facilius ea præ manibus habere possent, eludendo sic iustitiam, ne possent capi cum armis prohibitis à ministris iustitiæ. Nihilominus.

Respond. Decretum prohibet retentionem armorum, cuiuscumque sint, siue ipsorum Religiosorum, 3
siue aliorum extraneorum tam Ecclesiasticorum, quam Secularium. Probatur, Tum ex verbis ipsiusmet Decreti ibi; *Nequis eorum arma cuiusuis generis prohibita,* vbi nulla fit distinctio armorum Religiosorum retinentium, aut aliorum reponentium in claustris; ergo neque nos distinguere debemus, ex vulgaris iuribus. Tum ex fine, quo motus fuit Paulus V. ad condendum hoc Decretum, ibi: *Ad cauenda scandala, atque delicta.* Hæc enim perpetrare possunt non tantùm Seculares, verum & Religiosi, ergo vt Summus Pontifex prædictis occurreret, arma prohibuit vtrisque: siquidem causa finalis declarat, ampliat, aut restringit legem, *l. Cum pater §. Dulcissimis, ff. de legat. 3. Sanchez lib. 2. disputat. 37. num. 3. Nauarr. tom. 3. de datis num. 7. & consil. 8. de filiis Presbyter.*

Quæres 3. Quorum tempus requiratur, vt quis dicatur tenere arma ad effectum incurrendi pœnas in Decreto inflictas? *Peyrinus tom. 3. de priuileg. ad Constitut. Clement. VIII. cap. 9. num. 77.* loquendo de hoc Decreto pro Statu Mediolanensi, refert opinionem *Riccij part. 1. suæ praxis decis. 691. num. 4.* putantis, illum, qui per momentum temporis ab alio arma conseruanda accepit, incurrere pœnas; ipse autem Peyrinus contrarium existimat, quando quis bona fide ad modicum tempus, seu pro faciendo aliquo opere charitatis, ne

scilicet

scilicet venientes satellites carcerent portantem arma, cum illius grauissimo damno, vel quando inconsideratè illa suscipit, nam modica non sunt in consideratione, & pro se citat Baiardum ad practicam *Clari lib. 5. §. fin. quæst. 82. num. 74.* Sed respondere ad rem mihi non videtur, nam etiam qui per longum tempus tenet arma bona fide, seu inconsideratè, sine dubio excusatur ab illis pœnis, quæ feruntur tantùm in præsumentes; neque semper est opus charitatis conseruare, & occoltare arma reo, ne cum illis capiatur à ministris iustitiæ, qui habent ius illum capiendi etiam cum armis, cum sit legis transgressor, imò id vt plurimum est participare alienum peccatum, & fouere scandala, & delicta, à quibus omnes, ne dum Religiosi se debent abstinere. *Bonacin. rigorosè loquendo part. 7. de legibus, §. 4. num. 17. & 18.* asserit delationem armorum per horam inducere pœnas contra ferentes arma latas.

4 Respond. Tenens apud se per vnum, vel alterum diem arma non incurrit pœnas. Probatur, Tum ex vi vocabuli, nam tenere denotat diuturnitatem temporis, & eius continuationem, *Graff. lib. 4. cap. 21. num. 22.* diuturnitas autem temporis non dicit vnum, neque alterum diem, sed plures, ergo sic retinens non incurrit. Tum quia retinens apud se per vnum, vel alterum diem librum hæreticum non incurrit pœnam excommunicationis Bullæ Cœnæ, vt docet *Sanchez libro 2. cap. 10. num. 55. citando Sair. lib. 3. cap. 5. num. 16.* ergo idem dicendum est de retentibus arma, & hoc à fortiori, quia longè periculosior est retentio libri, quam armorum.

Quæres 4. An Religiosus hospitio, vel alio modo recipiens in Monasterio consanguineum, amicum, aut suspensum, qui secum habent arma, incurrat has pœnas?

5 Resp. Non incidit, quia non dicitur retinere arma, cum illa non dicantur reposita, nec conseruari à Religioso, qui hospitio præcisè personam recipit, & sicut potuit recipere personam, indirectè etiam, & secundariò permittit etiam arma retenta apud Secularem, non apud se. Confirmatur, quia pœnæ huius Decreti incurruntur solùm per directam actionem retentionis, sed Religiosus directè receptauit personam, & non arma, quæ sunt in consequentiam personæ, quæ dicitur retinere sua arma, & non Religiosus. Procedit hoc siue arma sint concessa, siue prohibita, quia concessio, siue prohibitio non inducunt excommunicationem, sed retentio quorumcumque armorum.

Quæres 5. Quænam arma prohibeantur in his duobus Decretis?

6 Respond. In Clementina prohibentur simpliciter arma per propositionem indefinitam, in Decreto autem habentur hæc verba; *Ne quis eorum arma cuiusuis generis prohibita, præsertim verò sclopos rotatos tam longiores, quàm breuiores.* Itaque propositio hic est vniuersalis, & particula *præsertim*, non sumitur restrictiuè, pro, *tantum*, seu idest, vt habet *gloss. vers. eodem cap. Petrus 17. de homicid. cap. Inter alias 31 de senten. excommun.* sed accipitur ampliatiuè idem importans, quod dictio, *maximè*, facit *gloss. vers. eod. extr. commun. de dolo, & contumac. gloss. in cap. Significante 69. de appellat. cap. Accessit. 5. de despons. impub.* & eius naturæ est, vt secundum proprium significatum importet idem in casu contrario, *Euer. in loco à natura dict. implicat. Gutier. libro 1. quæst. Canon. cap. 20. numero 5. & cum eo Sanchez libro 2. disputatione 39. numero 6.* quare in hoc Decreto non solùm prohibetur retentio sclopnrum rotatorum, sed etiam non rotatorum prohibitorum, sed etiam non rotatorum prohibitorum, illos igitur expressit, cum sint maioris periculi, & damni, & rationi consonum fuit, quia maiorem vim expressum habet, quam tacitum, *leg. Non nunquam ff. de condit. & demonstr.*

7 Armorum nomine puto venire solùm offensiua, vt sunt sclopi cuiuslibet generis, enses, pugiones, &c. non autem defensiua, vt sunt cassides, loricæ, galeæ, scuta, clipei, &c. Nam quamuis nomine Armorum veniant quæcumque arma *l. Armorum, ff. de verborum significatione*, tam defensiua, quàm offensiua, imò tela, lapides, fustes, ferrum, & omne quod manu, & actu mittitur, *vt docet Bartol. in cap. Sicut dignum, de homicid. Nauarr. cap. 27. numero 63. super 8. excommunicat. Bullæ. Megal. libro 3. de censur. capite 6. quæstione 1.* super eandem excommunicationem, & alij communiter super eandem, & loquendo in specie respectu Religiosorum *Gloss. in cap. Clerici 23. quæst. 8.* vbi includit etiam ligna, & lapides, per citatam legem, *Gloss. verò super Clement.* putat Papam sic latissime non sumpsisse nomen armorum, vnde ferè omnes super dictam Clementinam excludunt lapides, fustes, & baculos, vt videre est *apud Nauarr. cap. 27. num. 139. Graff. part. 1. lib. 4. cap. 21. num. 21. Megal. lib. 4. de censur. cap. 6. num. 75. §. Quæ autem*, vbi includit baculos, & lapides arte aliqua confectos ad bellum, intellige tu quando ensis absconditur in baculo, vel ferrum oblongum. *Siluest. vers. Excommun. 9. num. 75. §. 2. Tabiena versic. Excommunic. 5. casu 47. Armill. n. 55. Angel. casu 38. num. 4.* Nam quamuis, replico, nomine armorum veniant tam defensiua, quam offensiua, non tamen hoc significatum accipiendum est respectu cuiuscumque dispositionis, & legis, sed quantumuis generale restringendum quandoque est, & interdum relinquendum sub sua generalitate, vnde in excommunicatione lata contra ferentes arma infidelibus, nomen armorum sumitur in latissima significatione, ex fine, propter quem Papa motus fuit ad condendam illam legem, nimirum ne infideles fortiores fiant, ad persequendus Christianos, quos insectari possunt, quouis genere armorum, & metallorum; loquendo verò de nostro Decreto, ratio non videtur dictare, vt nomen Armorum ita generaliter sumatur, sed esse restringendum ad arma tantùm offensiua, considerato fine, propter quem Sanctissimus innouauit per suum Decretum Clementinam, nimirum vt obuiaret scandalis, & delictis, quæ passim accidebant in statu Mediolanensi; modò scandala, & delicta committuntur per arma offensiua, non autem defensiua, quis enim se defendendo scandalum, neque delictum perpetrare dicitur, licèt quandoque, & ex accidenti sequantur, eo quod per arma defensiua quis animosior fiat, non tamen hinc infertur mentem Legislatoris fuisse comprehendere etiam defensiua, quia Legislator ea quæ sunt per se, & non quæ accidunt, & rarò, considerat, *lege Nam ad ea ff. de legibus.* Confirmatur, Tum quia dispositio quamuis generalis restringitur ex ratione particulari, *leg. Cum Pater, §. Dulcissimus ff. de legat. 2. leg. Si de certa re. Cod. de transact. Gironda de priuileg. num. 277.* Sed ratio mox adducta restringitur solùm ad arma offensiua, ergo & Decretum ipsum. Tum quia Decretum loquitur de armis prohibitis, ibi: *Ne quis eorum arma cuiusuis generis prohibita.* Arma autem defensiua non dicuntur prohibita, cum ex conditione sua non sint instituta ad offensionem. Tum quia lex pœnalis restringenda est, *cap. Statutum 22. de elect. in 6. Reg. 15. in 6. cap. In pœnis ff. de regul. iur.* Tum quia Bajardus ad practicam *Clari libro 5. §. fin. quæst. 82 num. 66.* asserit statutum prohibens portare, aut retinere arma intelligendum esse de offensiuis, non autem defensiuis, vt ex ipso refert *Peyrin. tomo tertio, priuileg. capite nono, numero septuagesimo septimo*, loquendo de nostro Decreto Pauli Quinti ergo concludendum est, prohiberi solùm arma offensiua.

Neque puto sub hac prohibitione venire cultellum non solùm ad vsum panis, vel culinæ, sed neque grandiusculum, quem vocant Genuensem, quia nulli Religioso fit scrupulus de huiusmodi cultellis, & passim Religiosi illos ferunt, & retinent in suis cellis, neque Superiores prohibent, cum videant suos subditos illis vti. 8

9 Quæres 6. An omnibus Ecclesiasticis prohibeatur vsus armorum.

Respood. Prohibetur, vt videre est *cap. Clerici* 4. 23. *quæst.* 8. *cap. Clerici* 2. *de vit. & honest. Cler* vbi mandantur excommunicari portantes arma, & gloss. ibi, eos à peccato mortali noo excusat ad pœnam excommunicationis, quæ solùm pro peccato mortali fertur, excusantur tamen ibidem, quando iustam habent causam ferendi, & ob inimicitiam, vel incursionem, & periculum latrooum. In Clem. autem prohibentur Monachi solùm nigri, vt dicam infrà *quæst.* 8. & in hoc decreto omnes Regulares degentes in statu Mediolanensi. Quod iure communi prohibeantur arma Clericis, patet ex citatis iuribus, in quibus licèt non fiat mentio de Religiosis, comprehenduntur tameo à fortiori, cum eorum statum magis hoc deceat, quam Clericorum, cum illorum arma lacrimæ debeant esse, & orationes, *cap. Conuenior* 23. *quæst.* 8. *tradunt Mascard. versic. Arma conclus.* 128. *Tusch. vers. Armorum vsus concl.* 515. *Vgel. de offic. Episc. part.* 1. *cap.* 13. §. 12. *& ex eis Homob. part.* 4. *Suar. consult. respons.* 67.

Quæres 7. In quibusnam locis prohibeantur retineri arma Religiosis tam in Clement. quam in Decreto.

10 Respond. In Clementina prohibentur teneri *infrà septa Monasteriorum*; in Decreto his verbis. *Infrà Ecclesias loca Sacra, siue septa Monasteriorum, aut in aliis domibus suis.* Gloss. vers. Septa, super dictam Clem. §. Statuimus, intelligit nomine Septæ, clausuram, de claustro autem fit mentio, *cap. placuit* 8. 16. *quæst.* 1. *& cap. Quanto* 7. *de offic. Ordin. & alibi, benè Remigius de Gonni in suo tractat. de Immun. vers. Claustrum*; est autem clausura, seu claustrum locus, vnde exire non licèt sine licentia Superioris, *Cardinal. in hac Clement. Nauarr. cap.* 27. *num.* 139. §. 2. *Telet. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 8. *Megal. lib.* 4. *de cens. cap.* 6. *num.* 75. §. *Nomine.* Et sicut nomine clausuræ respectu Monialium continentur omnia loca interiora, ad quæ non patet aditus secularibus, & extra quæ Moniales exire nequeunt, ita nomine claustri, seu septi Monasterij virorum veniunt omnia loca, ex quibus exire nequeunt Religiosi sine licentia, neque illuc patet aditus fœminis, id quod colligitur ex Constitut. *Deo Sacris virginibus*, Gregor. XIII. ex *Sanchez. lib.* 6. *c.* 15. *num.* 6. *& Bonac. quæst. part. & num.* 1. *de clausura.* Vnde ex hoc capite excluduntur Ecclesia, Sacristia, cœmeterium, & domus adhærentes claustro, loquendo respectu Clementinæ. Si verò sermo sit de Decreto pro statu Mediolanensi comprehenduntur dicta loca, vt clarum est ex verbis ipsis suprà relatis, & illa particula, *In aliis domibus suis*, refertur ad loca adhærentia claustro, quæ Religiosi habent pro vsibus non tantùm propriis, sed etiam secularium, colonum, peregrinorum, & similium, ad quæ loca patet aditus etiam fœminis, non verò veniunt grangiæ, & domus, quas habent in villis pro se, & suis colonis, cum hæc loca non pertineant proximè ad clausuram, & corpus Monasterij, vnde arma intra hæc loca retineri possunt de licentia Superioris, etiam in statu Mediolanensi.

Quæres 8. Quænam sint pœnæ inflictæ tam in Clementina, quam in Decreto contra tenentes arma intra claustra? & quinam Religiosi illas incurrant? vel ab illis excusentur?

11 Respond. Io Clementina infligitur solùm pœna excommunicationis nulli reseruatæ contra Monachos tantùm nigros arma tenentes intra septa Monasterij sine licentia Abbatis. In decreto autem præter dictam excommunicationem imponitur etiam pœna priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, & inhabilitatis ad quæcumque officia imposterum obtinenda ipso facto, absque vlla alia declaratione incurrenda, & Papa sibi reseruat habilitationem, dispensationem, & absolutionem à prædictis. A dictis autem pœnis excusant iusta causa, bona fides, inaduertentia, & etiam ignorantia quæ noo sit crassa cum ingenti temeritate coniuncta, aut affectata; noo autem licentia Superioris.

12 Primùm, de excommunicatione Clementinæ afficiente solos Monachos nigros etiam conuersos docent *Graff. parte* 1. *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 19. §. *Nota, Gloss. vers. Monachos, super dictam Clementinam Nauarr. cap.* 27. *num.* 139. §. *Declaratio* 1. *Megal. lib.* 4. *de censur. cap.* 6. *num.* 75. §. *Qua censura, Angel. versic. Excommun. casu* 38. *num.* 4. *in fine*, contra Armillam *versic. Excommunic.* 55. *Tabien. versic. Excommunic. casu* 47. *Silvest. versic. Excommunic.* 9. *num.* 73. §. 38. includentes etiam Canonicos Regulares, seu Monachos albos; sed probabilius est non comprehendi, quia in toto contextu capitis de illis fit expressa mentio io aliquibus dispositionibus, & non in aliis, vt in casu nostro, vbi solùm Monachi exprimuntur, ergo excluduntur Canonici Regulares, pœnæ enim sunt restringendæ ex vulgaris iuribus; & cum hæc tota Clementina sit de Monachis nigris, & albis, sine dubio à dicta pœna excluduntur cæteri Regulares tam noo Mendicantes, quàm Mendicantes.

13 Secundùm, de aliis pœnis impositis contra quoscumque Religiosos tam Mendicantes, quam non Mendicantes in statu Mediolanensi degentes, constat ex claris verbis ipsius decreti.

14 Tertiùm, quod bona fides, ignorantia, inaduertentia, & iusta causa excusent, docent præcitati mox Doctores, & hoc maximè procedit in decreto, in quo pœnæ infliguntur per hæc verba; *Tenere audeat, vel præsumat*, quæ denotant dolum, & temeritatem, iuxta quod alibi sæpè dixi.

Quæres 9. An vnica sit pœna excommunicationis vtriusque decreti, cum ea differentia, quod in Clementina non reseruetur, sed tantùm io decreto; an verò duæ sint distinctæ?

15 Resp. Est vnica pœna renouata in decreto cum adiectione reseruationis, & constat ex verb. decreti, in quo eadem met in indiuiduo innouatur, ibi: *Sub eadem excommunicationis pœna in dicto Decreto*, i. in Clementina, *imposita.* Et ratio id suadet, quia Papa intendit solùm innouare Decretum Clementis V. eo quod oon seruabatur, consequenter renouat solùm pœnam in eo contentam, & non aliam ab ea diuersam imponit.

Quæres 10. An nunc Prælati Regulares possint suos Religiosos incursos io dictas pœnas, habilitare, dispensare, & absoluere, non obstante reseruatione, & derogatione priuilegiorum, quæ antea habebant?

16 Resp. Possunt, quia Gregorius XV. in sua Constit. *In Apostolica Sedis.* Dat. 16. Oct. 1621. quæcumque priuilegia suorum prædecessorum etiam reuocata, de nouo concessit Religioni Theatinorum, in quorum priuilegiis aliæ Religiones communicant. Et ad hoc faciunt relata *resol.* 3. *q.* 11. §. *Sed quæres.*

Quæres 11. An Prælati Regulares possint concedere licentiam suis Religiosis tenendi arma?

17 Respond. Ante Decretum Pauli V. virtute Clementinæ, io qua id exprimitur poterant Superiores etiam locales dare licentiam suis tenendi arma intra septa Monasteriorum siue propria, siue aliena, nunc autem ablata fuit illis hæc facultas in Decreto, ibi: *Sublata quauis facultate Superioribus Regularibus ea permittendi.* Quod si vrgeat aliquod periculum, potest illa permittere, quatenus imminet periculum inimicitiæ, vel latronum, & oon alias.

Quæres 12. An Superiores possint arma apud se retinere sine incursione harum pœnarum?

18 Resp. Superiores possunt in suis Monasteriis tenere arma pro occurrentiis, quia sicut noo includuntur in Clementina, ita neque in hoc Decreto, quod præcisè illam innouat, extendendo ad quoscumque Religiosos omnium ordinum, nulla facta mentione Superiorum, sed solùm Religiosorum, ibi: *Præcipit omnibus Regularibus, quorumuis ordinum etiam Mendicantium, aut Congregationum, quouis nomine nuncupentur.* Nec obstat, quod infli-

gatur

gunt pœna priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, quia hæc pœna refertur ad quoscumque officiales siue Prælatoria, aut Superioritate, cuiusmodi sunt Definitores, Discreti, Procuratores, Cellerarij, Sindici, Curati, &c.

Quæres 13. An itinerantes possint secum ferre arma quædam honesta ea occultando; & possint Superiores eam facultatem indulgere etiam in statu Mediolanensi?

19 Respond. Possunt, quia Decretum, & Clementina prohibent præcisè retentionem intra claustra, non autem eorum delationem, vt elatum est; & sublata licentia refertur ad retentionem, non autem ad delationem extra Monasterium.

Quæres 14. An Religiosus de foris veniens, vt Procurator, vel alius, qui tempore præsertim æstatis morantur in suis locis ad fructus colligendos, ad Monasterium, possit intra claustrum arma secum ferre, & ibi retinere, donec egrediatur?

20 Resp. Potest de licentia Superioris, quia in hoc casu censetur potius viator, quam habitator in Conuentu, ideò neque dicitur tenere, sed secum ferre pro suis occurrentiis. Ita docent *Siluest. vers. excomm. n. 72. §. 5.* quia id non est tenere cum effectu, quod significat continuationem *Graff. p. 1. l. b 4 c. 21. n. 22. vbi citat Cajet. casu 63. & Zabar. super Clem.* Rationes autem istæ probant etiam respectu Decreti Pauli V.

Quæres 15. An extra statum Mediolanensem quicumque Religiosi possint tenere arma cum licentia Superiorum suorum absque periculo incurrendi aliquam pœnam de iure communi?

21 Resp. Possunt, quia hoc Decretum ligat solum degentes in statu, vltra quem nullam vim habet, lex enim non plus obligat, quam verbis exprimat, *ex c. Indemnitatibus 3. de elect. in 6.* iuxta illud Lucæ *c. 3. Nihil amplius, quam constitutum est vobis faciatis. Lazar. sect. 2. de monit. q. 1. n. 20.* Verba autem Decreti ligant solùm degentes in statu Mediolanensi, ergo degentes extra non tenentur huic legi; Loquendo autem de Clementina ea comprehendit solùm Monachos nigros, ex probatis *q. 8. §. 1.* ergo quicumque alij Religiosi tenentes, aut ferentes arma immunes sunt ab illis pœnis.

Quæres 16. Quæ loca comprehendantur sub statu Mediolanensi?

22 Respond. Sequentes ciuitates cum suis continentiis, & locis, nempè Mediolanum, Comum, Papia, Nouaria, Alexandria, Vigleuanum, Lauda, Cremona, Libarna, seu Indin, hoc est, Robium, Apua, seu Pontremulum, &c. In his ergo vrbibus, & locis adhærentibus status Mediolani Religiosi degentes arma intra Monasteria retinere non possunt.

Quæres 17. An Aduenæ hospitantes in Monasteriis suæ Religionis possint sine violatione huius Decreti secum tenere sua arma, donec reuertantur ad suos Conuentus extra statum?

23 Respond. Possunt tenere, quia Decretum afficit degentes, hoc est, habentes ibi domicilium, seu degentes de familia, vel alias habitationem habentes; sed aduenæ non dicuntur habere domicilium, cum non sint de familia constituti; nec dicuntur habitare, sed tantùm hospitari, nam habitatio acquiritur per consistentiam in loco maiori parte anni, *Tiraq. de retr. lignag. §. 9. Gloss. 2. num. 26. & ex eo Sanch. lib. 3. disp. 23. n. 12. §. 4.* sed aduenæ, vt suppono non habitant maiori parte anni, sed per decem dies, vel per mensem vnum, vel alterum: Confirmatur, quia probabilior ferè omnium opinio est, quam pro se refert *Sanch. lib. 1. cap. 12. num. 38.* peregrinum breui reuersurum ad suam patriam, vel domicilium non ligari legibus, & statutis loci ad quem diuertit. Nec obstat idemmet *Sanch. cit. dum num. 39.* asserit suum dictum non habere locum in legibus iuris communis, quæ licèt non seruentur in suo domicilio, tamen obligatur in loco, ad quem vadit, si ibi sint in viridi obseruantia; quia in casu nostro hoc Decretum non est lex iuris communis, sed speciale Decretum pro statu Mediolanensi, vnde quatenus tale neque etiam Monachos nigros ligat, si vt peregrini teneant arma intra Monasterium, vbi hospitantur, quia isti censentur de foris venire, iuxta quod diximus *quæst.* 14.

Dixi in quæsito, *secum tenere sua arma*, quia loquendo de armis apud eosdem repositis a Secularibus, puto, hus incidere in pœnas Decreti, quia licèt aduena non dicatur degere quoad verba Decreti, dicitur tamen degere, ac proinde facere contra Decretum, in quantum potest esse causa scandali, & delicti, armorum Secularium conseruatione, siquidem certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem, *fin. de regul. iur. in 6.* Confirmatur ex doctrina quam tradunt multi, cum quibus est *Megal lib. 1. de censur. cap. 3. num.* 48. quia statutum fert principaliter in vtilitatem, & bonum territorij, consequenter quoscumque ibi repertos transgressores siue subditos, siue peregrinos afficit, quod maximè videtur procedere in casu nostro, quia, vt omnes fatentur, huiusmodi Decretum impetratum fuit pro conseruatione status Mediolanensis, & sic in hoc casu peregrinus censetur de mente Pontificis degere, & non tantùm hospitari.

Quæres 18. An ad tenendum, vel gestandum arma iuxta Clementinam requiratur licentia ab Abbate obtenta? Et videtur quod sufficiat petere licentiam, cum ibi non fiat mentio de impetratione, nam dicitur ibi: *Præfata quoque sententia Monachos infrà septa Monasteriorum sine licentia Abbatum suorum arma tenentes decernimus subiacere.* Confirmatur, quia ad transeundum ad secunda vota sufficit petitio licentiæ, licèt non obtineatur, *cap. Licèt 18. de Regul.* ergo idem dicendum in casu nostro, imò à fortiori, quia in casu præsenti nulla fit personæ alienatio, sicut in casu transitus.

Respond. Requiritur obtentio licentiæ, aliter non 24
suffragatur sola petitio, & quia Monachus contra voluntatem Abbatis arma tenere non potest, cum alias sit proprietarius, & quia in verbis Clementinæ non fit mentio expresè de petitione, & impetratione licentiæ, sed simpliciter de licentia, ergo extenditur ad vtrumque. Nec obstat confirmatio ex *cap. Licèt*, nam ibi Papa se declarat sufficere petitionem, præterquam quod lata est differentia, nam Religiosus petit aliquid quod sibi multum vtile est, quod ei Prælatus negare non potest, cum in hoc Religiosus non subdatur Superiori, sed eo etiam repugnante potest transire ad meliorem frugem; quo autem ad retentionem, vel delationem armorum Religiosus, dicitur omninò subiectus volontati rationabili sui Superioris, neque per hoc dicitur proficere in retentione armorum, sed potius deficere. Licentiam obtentam requirunt *Angel. verb. Excommun. casu 38. n. 2. Tabien. vers. excommun. 5. casu 47. Silu. vers. Excomm. §. 38. num.* 73.

Quæres 19. An tenentes propria, vel aliena arma in alieno Monasterio apud amicum incurrant pœnam Clementinæ?

Respond. Monachi nigri tenentes arma apud ami- 25
cum Religiosum in proprio, vel alieno Monasterio non incurrunt eam pœnam; quia tenere est apud se arma habere; sed retinens in aliena cella, vel Monasterio, non dicitur apud se tenere, ergo eam pœnam non incurrit. De retinentibus in alio Monasterio, *Graff. part. 1. lib. 4. cap. 21. num 23. Silu. vers. excomm. 9. num. 73. §. 4. Tabien. versic. excommun. 5. casu 47. Angel. versic. Excomm. casu 38. num. 4.* vnde isti videntur asserere tenentem apud alium Monachum, & non in propria cella, incurrere pœnam, quia textus dicit, *Tenentes intra septa Monasteriorum*, sed subaudi, apud se, seu in sua cella, nam tenere est apud se habere, & aliud est tenere, aliud facere ab altero tenere.

Quæres 20. An Religiosi Tertij Ordinis habeant specialem prohibitionem non tenendi, neque vtendi armis?

26 Resp. Habent, nam in eorum Regula *cap.* 12. habentur hæc verba; *Arma nullo modo tangant, aut deferant.* Et si non possunt ea tangere, neque proinde apud se retinere, nullam tamen pœnam incurrunt transgressores extra statum Mediolanensem.

RESOLVTIO XXIII.

De Reclamatione professionis nullæ.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Trident. de Reclamatione.*
2 *Habens locum in impedimentis tantùm ibi expressis ex Peyrino.*
3 *Reuerà disponitur de omni impedimento non perpetuo.*
4 *Derogatum ne censeatur Concilium per clausulam generalem.*
5 *Expulsio inualidè professi sine culpa tenet.*
6 *Religio reclamat contra nulliter professum virtute Concilij.*
7 *Breue Sanct. super professionibus nullis ratificandis.*
8 *Reclamatio ex parte Religionis spectat ad eosdem, ad quos ex parte professi.*
9 *Exire volens habet remedium, vt non expellatur.*
10 *Post quinquennium Religio reclamare non potest.*

1 CONcil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. in hæc verba: *Quicumque Regularis se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si ante habitum spontè dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim verò nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.* Dat facultatem Superiori Religiosi volentis reclamare ob nullitatem professionis, vna cum Ordinario dimittendi illum sic reclamantem infrà quinquennium à die professionis. Circa quam dispositionem reclamandi hîc assignatam.

Dubitatur aliqui, an dictum caput habeat locum non solùm in impedimentis ibidem expressis, quæ sunt metus, & defectus ætatis, & quid simile, quæ vocantur impedimenta intrinseca, & ordinaria, cuiusmodi in primis est etiam defectus consensus, seu ficta promissio, sed etiam in impedimentis extrinsecis; vt est defectus consensus Monasterij, integritatis anni probationis, & aliis post Concilium additis ab aliis Pontificibus, vt omissio informationum iuxta quod dixi in meo *tract. de profess. regul. cap.* 1. *quæst.* 65. inhabilium nempè, defectus loci designati, iuxta Constitutionem Clem. VIII. incipientem: *Sanctissimus in Christo.* Dat. 20. Iun. 1599. in Bullario nouo sub eiusdem Constitutione 83. citatam, & innouatam ab Vrbano VIII. in suo Breui, Dat. 2. Aprilis 1631. incip. *Religiosos viros.*

2 *Peyrinus tom.* 1. *Religiosus quæst.* 1. *cap.* 25. §. 4. *seipsum citans tom.* 3. *priuileg. cap.* 12. ad dictum Breue Vrbani, not. 5. negat habere locum in postremis impedimentis, & extraordinariis, loqui autem solùm de impedimentis ordinariis, & in iure expressis, quod probatur. Tum quia Concilium refert in exemplum impedimenta intrinseca profiteri volentis, vt sunt metus, & ætas non matura, cuiusmodi non sunt extranea impedimenta defectus integri anni Nouitiatus, seu locus non designatus, aut omissio informationum. Tum quia Concilium loquitur de impedimentis, quæ erant eo tempore, quo conditum fuit Tridentinum, hæc autem extraordinaria non erant eo tempore, vt luce clariùs est de impedimentis defectuum informationum à Sixto V. & loci designati à Clement. VIII. qui ambo fuerunt post Concilium. Tum quia ita videtur Collegi ex alio Decreto infrà *sub quæst.* 2. extenso, in quo Papa nulliter professos defectu loci designati decreuit, vt iura sua coram Sacra Congregatione deducant, si volunt exire infrà quinquennium, extra quod tempus omninò illis negat audientiam in eo casu præcisè, ergo signum est, hoc impedimentum non subiici dispositioni Tridentini, alias Papa fecisset mentionem de ipso illud in hoc derogando. His tamen non obstantibus.

Respond. In illo capite disponitur de reclamatione 3
non solùm in ordine ad impedimenta ibi expressa, seu ordinaria, & intrinseca, sed etiam de aliis quibuscumque non perpetuis, vt probaui *cap.* 7. *de profess. regular. quæst.* 16. & 17. & *cap.* 6. *quæst.* 19. vbi plura de hoc impedimento loci. Probatur, Tum quia illa ponuntur exempli gratia, non autem ad excludenda alia, cum exempla Regulam non restringant *l. Damni infecti ff. de damn. inf.* Tum quia hoc indicat illa particula, *Aut quid simile.* Item. *Quacumque de causa* in supradicto capite expressa; aliter essent superfluæ in eo capite, quod dicere magnum absurdum est, in iure enim neque vna syllaba superfluere debet, gloss. versic. Tanquam, cap. Solitæ de maior. Sanchez iuribus, & Doctoribus citatis *libro* 3. *disputatione* 26. *numero* 6. Tum quia terminus *Quicumque*; propter eius generalitatem comprehendit casus etiam dissimiles, *vt habet gloss. versicul. Quamuis initio Clement.* 1. *de sentent. & re iudic. vbi Imola num.* 8. *Couarr. alios citat quæstionum pract. cap.* 25. *num.* 3. & *ex eis Sanchez lib.* 7. *disputat.* 37. *num.* 31. infertur ergo ex probatis huiusmodi impedimenti contineri sub dispositione dicti capitis Tridentini.

Quam responsionem colligo *ex Sanchez lib.* 7. *disputat.* 37. *quæst.* 4. *num.* 35. præcipuè ad primum argumentum, dum ait illam particulam, positam fuisse maioris declarationis gratia, vt clarius perciperetur mentem Concilij fuisse loqui de quocumque impedimento ad tempus professionem irritante *Rodr. tomo* 3. *quæst.* & *art.* 17. *in fine, cum Beja parte* 4. *casu* 18. §. *Sed vtrum,* sub dispositione huius capitis ponit defectus omissionis informationum ex Sixto V. qui sine dubio constituit post Tridentinum, *Mirand. tom.* 1. *q.* 30. *art.* 2. vbi concludit inualidè professum defectu integritatis anni probationis reclamare infrà quinquennium posse, iuxta Concilij dispositionem, & *art.* 4. idem affirmat de inualidè professo ob impedimentum descendentiæ ex genere Iudæorum, Saracenorum, aut Hæreticorum statutum pro Ordine Minorum ex motu proprio Pauli IV. & aliorum Pontificum, post Tridentinum, de quorum constitutionibus vide supradictum *Mirand ibid.* & *q.* 19. *art.* 7. *Bon. p.* 10. *de clausura difficult.* 2. per totam, vbi agit de diuersis impedimentis etiam in Concilio non expressis respectu illorum, qui possunt reclamare infrà quinquennium.

Ad argumenta respondetur ad primum, ex eo, quod exemplificat in impedimentis intrinsecis, non ideò excluduntur reliqua, quæ sunt extrinseca, cum illa expressit, exempli gratia, & vt notiora erant. Ad secundum, quamuis exprimat impedimenta vetera, non ideò excludit posteriora, & noua post Concilium addita, vt probaui suprà, & quia lex semper loquitur *l. Ariani, C. de hæret.* lex enim indefinite loquens quoad tempus, ad omne tempus extenditur, vt in simili casu dixi *resol.* 35. de habitu Regulari *quæst.* 10. vbi probaui, illud decretum prohibens sub excommunicatione latæ sententiæ dimissionem habitus, non solùm comprehendere Regulares illarum Religionum, quæ tunc extabant, sed etiam quæ postea institutæ fuerunt. Ad tertium dico, Sanctissimum in eo decreto non abstulisse audientiam Superiori volentis reclamare, & Ordinario, sed solùm statuit, prætendentes exire vt prius deducerent sua iura coram Sacra Congregatione, quibus visis, & ab ea benè perspectis, ex speciali Sanctitatis suæ facultate postea determinabit quid agendum sit à dictis iudicibus; & hoc fuit necessarium, experientia enim compertum

fuit

fuit multos forſan etiam validè profeſſos partim dimiſſos fuiſſe, iuribus ſuis parum firmiter ſubſiſtentibus quandoque fictis, atque falſis probationibus adhibitis, & interdum coram ſolo Ordinario, imò, & incompetente, ac proinde via exitus multum facilis reddebatur, cui malo vt Sanctiſſimus occurreret, ſtatuit ne quis inualidè profeſſus exiret, aut Religio illum eiiceret, niſi prius à Sacra Congregatione cauſa huiuſmodi cognoſceretur.

4 Illud autem axioma, quod non intelligatur derogatum alicui Concilio Generali, niſi de eo fiat expreſſa mentio *cap. Eam te, de ætate, cap. Ex parte, de capell. Mon. cap. Nonnulli de reſer. Sanch. lib.3. diſp. 26. nu.7. quos, & alios citat Lanor. tit.4. de elect. cap. 19. num.16.* imò Sanchez loco citato pro derogatione Tridentini requirit indiuiduam eius mentionem, fallit in illis Conciliis, in quibus expreſsè reſeruatur authoritas Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, *Mareſcotus libro.2. Var.reſolut. cap. 38.num. 41. Rota in Vixbon. decimarum 27. Nouemb. 1572. coram Robuſterio, & in Oriol. decimarum ſub die 8. Febr. 1588. coram Orano quos pro ſe citat Lanor. cit. numero 26.* ſufficit ergo clauſola generalis ad derogandum Concilio generali, quando in eo reſeruatur authoritas Sedis Apoſtolicæ, quæ in Tridentino reſeruatur *cap. 21 ſeſſ.25.*

Quod ſi dicas, in eo Decreto neque adeſſe clauſulam generalem, ac proinde hoc ſignum eſt, in Concilio nihil omnino diſponi de hoc impedimento loci non deſignati, præterquam quod tota reſponſio ad dictum argumentum videtur impertinens, quia derogatio alicuius iuris refertur ad aliquam gratiam conceſſam contra ipſummet ius derogatum, ſed per dictum Decretum nihil conceditur, ſed potius aliquid aufertur., & modificatur facultas illis iudicibus conceſſa in Tridentino, iam reſpondi illud Decretum non aduerſari Tridentino, ſed tantum modificare facultatem ibi conceſſam illis iudicibus, ad quod non eſt neceſſe aliqua clauſula derogatoria neque generalis, neque ſpecialis, quia axioma intelligitur reſpectu alicuius conceſſionis, non autem modificationis, aut rei odioſæ, quia ipſamet diſpoſitio contraria de ſe, & directè derogat, cum ſit ipſamet derogatio, aliter inane eſſet diſponere aliquid contra ius, & non habere ſuum effectum. Neque dicta circa illud axioma impertinentia ſunt, cùm locum non habeant hic, quia licet directè ad rem non faciat illius explicatio in ordine ad hoc Decretum Vrbani VIII. facit tamen incidenter, & reſpectu obiectionis, vt illa penitus ſubuerteretur.

Quæres autem 1. An Religio poſſit ſine peccato bonum, & honeſtum Religioſum, ſed inualidè profeſſum, ſine propria culpa, ſed aliorum ex parte Religionis, vt ſi illum receperunt ad habitum, & profeſſionem extra locum deſignatum, vel quia maior pars carebat voce, vel fecerunt profiteri infra annum, vel ante ætatem, &c. reclamando contra ipſum expellere præciſè intuitu profeſſionis nullæ? (in ſequentibus enim probabo Religionem poſſe reclamare contra ipſum.) Videtur quod poſſit, quia cum Religio, & Religioſus ſint correlatiua ad inuicem, non debent iudicari ad imparia, ſed Religioſus poteſt exire ſine peccato, ergo & Religio illum expellere.

5 Reſpond. Expulſio tenet, peccant tamen, illud ſuadetur. Tum quia nullum ius irritat talem expulſionem. Tum quia poteſt expelli incorrigibilis qui iam profeſſus eſt, & incorporatus Religioni, ergo eo magis nondum incorporatus. Sed reuerà peccant contra charitatem, quia deiiciunt illum à ſtatu perfecto ſibi multum profuturo, neque ipſe dederit cauſam huic expulſioni; nec ratio in contrarium adducta vrget, quia & Nouitius exiens peccat, *vt probaui.4. de profeſſ. Regul. q. 55.* ergo eo magis iam ſic profeſſos, faciunt dicta in fine ſequentis quæſiti.

Quæres 2. An Religio poſſit reclamare contra nulliter profeſſum virtute dicti *cap. 16. ſeſſ. 25.* ſicut ipſe Religioſus nulliter profeſſus reclamare poteſt contra Religionem? Ratio dubitandi, quia de Religione reclamante nulla fit mentio in eo capite, ſed ſolum de inualidè profeſſo. De hac reclamatione ad plenum Doctores refert Barboſa in ſuis Collectaneis ſuper Concilium ad dictum caput, & ego quamplura in meo tractatu de profeſſione Regulari capite finali.

Reſpond Poteſt, Tum quia correlatiua non iudicantur ad imparia, & diſpoſitum in vno cenſetur diſpoſitum in altero, *l. fin. ff. de accept. l. final. C. de indic. iud. toll. l. Si quis ſeruo, Cod. de fart. aliis iuribus, & Doctoribus citatis à Barboſa litt. C, de locis commun. num. 76.* niſi lex alio modo diſponat de vno, & altero, *Domin. in c. 1. de temp ordin. Felin. in proœm. Gregor. num. 12. cum Nau. conſil. 5. de empt. num. 5.* ſed in caſu noſtro Religio, & Religioſus ſunt correlatiua, ſe enim habent, vt mater; & filiis, quæ correlatiua ſunt, & nulla lex inuenitur, quæ aliter diſponat; ergo non debent iudicari ad imparia, ſed quod diſponitur pro Religioſo in materia reclamationis, debet ſubintelligi diſpoſitum etiam pro Religione. Tum quia Religio non debet eſſe deterioris conditionis, & Religioſus melioris; eſſet autem, ſi Religio ex parte ſua, profeſſionis nullitate probata, non poſſet nulliter profeſſum eiicere, poſſet verò Religioſus exire, ſi vellet, neque enim conueniens eſt, vt publicum bonum, quale eſt Religionis in ſimilibus caſibus ſuccumbat bono priuato, *contra cap. 3. de poſtul. Prælat. cap. Licèt, de Regul.* Tum quia licèt ex vna parte illud caput reſpiciat fauorem nulliter profeſſi, cuius libertate conſulitur, hoc ipſo, quod poteſt exire à Religione, ex alia tamen, in quantum huiuſmodi reclamatio reſtringitur ad quinquennium dicitur eſſe in commune bonum Religionis, vt ab inualidè profeſſo perpetuò non moleſtetur, *vt cum Sanchez, & aliis docet Portell. part. 3. caſu 42. num. 2. & in ſuis dubiis regul. ver. Profeſſionis num. 48.* ergo quo iure inualidè profeſſus poteſt reclamare contra Religionem, & eadem Religio contra ipſum, aliter quod fauore Religionis introductum fuit, retorqueretur in eius diſpendium, contra vulgata iura. Tum quia difficiliùs eſt excludere incorrigibilem verè profeſſum, cum ſit membrum Religionis eius verus ſpiritualis filius, tamen quia per ſua facinora efficitur membrum putridum, & ſeipſum ab aliis quodammodò præſcindit, ideò eiicitur; nulliter autem profeſſus nunquam fuit verum Religionis membrum, ſed putatiuum, & apparens, ideò pauco negotio videtur eiici poſſe. Tum ratione naturali, nam vt refert D. Auguſt. *tract. 36. in Ioan.* Aquilæ pulli ſintne legitimi, an adulterini ſic probantur, nam radiis ſolis opponuntur, quos ſi firmè cõtemplati fuerint, filij agnoſcuntur, & vt tales retinentur, ſi verò acie palpitauerint, tanquam adulterini ab vngue dimittuntur, ergo pari ratione Religio filios ſuos adulterinos, qui ſunt inualidè profeſſi, dimittere poteſt. Denium id apertè colligitur ex ſequenti Decreto Sacræ Congregationis, quod ad manus meas peruenit, dum hæc ſcriberem, eſt autem tenoris ſequentis.

7 *Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus diuina prouidentia Papa VIII. ad occurrendum motibus, qui poſſent in Religionibus oriri occaſione receptionis Nouitiorum, & profeſſionis per eos emiſſæ in Conuentibus non deſignatis, contra formam decretorum Sanctæ mem. Clem. VIII. de Nouitiis ad habitum Regularem, & profeſſionem non admittendis, niſi in Conuentibus deſignatis; audita ſuper hoc ſententia S. C. Concilij declarauit, & decreuit huiuſmodi receptos, & profeſſos contra formam dictorum decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis, & profeſſionis non poſſe ſub huiuſmodi nullitate poſt lapſum quinquennij quoquomodo audiri. Quod ſi aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti, & profeſſi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam reſpectiuè illos eiicere, voluerint, eadem Sanctitas ſua declarauit, vt tam ipſi profeſſi, quam Superiores reſpectiuè teneantur in-*

ra quæ sibi fauere visa fuerint.prius deducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ ex speciali etiam suæ Sanctitatis facultate super hoc concessa prouidebit. Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus iurisdictionem exercentibus, ac quibuscumque iudicibus Ordinariis, & delegatis, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & S.R.E.Cardinalibus etiam de Latere Legatis, Sedisq; Apostolicæ Nuntiis, ne imposterum in hoc quoquo modo se ingerant absque speciali eiusdem Sanctitatis commissione sub pœna ipso facto incurrenda, quoad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates Interdicti ab ingressu Ecclesiæ; quoad Abbates, inferiores, & alios iudices prædictos excommunicationis latæ sententiæ; quoad Nuntios, & S.R.E.Cardinales etiam de Latere Legatos, indignationis suæ Sanctitatis, & pœnarum arbitrio eiusdem imponendarum. Si verò, vt suprà recepti, & professi, iuribus suis minimè deductis coram S.C.Concilij, & sine illius expressa licentia e Religione exire, vel Superiores eos eiicere ausi fuerint, ipsi recepti, & professi tanquam apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur, necnon eosdem iuxta formam decreti de Regul. Apost. & eiect. eiusdem Sanctitatis suæ iussu ab eadem S.C sub die 21.Septembris 1624. editi procedatur: & Superiores, qui eiecerint, pœnam suspensionis à diuinis, necnon priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea imposterum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, ipso facto, absque alia declaratione incurrant. Datum Romæ 5.Ianuarij 1636. Extendit Peyrinus in suo Formul. lit.P, cap.20.

Constat igitur ex hoc decreto Religionem posse reclamare contra inualidè professum, eodem modo, & iure, quibus potest viceuersà professus nulliter reclamare contra Religionem. Aduertant tamen superiores, ne præcisè nullitate professionis spectata, qui volunt manere perseuerando in Dei seruitio, professione denuò emissa expellant, sed meminerint maternæ pietatis, quam in huiusmodi inualidè professos ad veram professionem eiiciendam exercere debent, cæteris enim paribus meliùs est illos retinere, quam eiicere, si manere velint; quod si præter nullitatem professionis, quibusdam vitiis, quibus veri Religiosi infici possunt, laborare comperti fuerint, & eorum perseuerantia Religioni sit obfutura, omninò eiiciantur de habitationibus Religiosis, vti vsurpatores iniqui.

Quæres 3. Ad quos Iudices spectat huiusmodi reclamatio ex parte Monasterij contra Religiosum nulliter professum? Et quid si solus Superior nouit nullitatem.

8 Respond. ad primum, spectat ad eosdem iudices, ad quos spectat eadem reclamatio ex parte nulliter professi cupientis exire. Probaui autem in meo tractatu *cap.7. quæst.29.* spectare ad Superiorem localem Conuentus, vbi nouitius profecit, & ad Ordinarium eiusdem loci, ergo idem dicendum est de expulsione ex parte Religionis.

Respond. Ad secundum. Prior, qui solus nouit nullitatem professionis, quam exteriùs probare non potest, nisi suo iuramento, non potest in hoc casu, simul cum ordinario fungi officio Iudicis, & testis, consequenter impeditur expulsio, aut dimissio, quia simul ageret vices testis, & Iudicis, quod esse non potest, *per cap. Nullus 4.quæst.4.* ergo non potest expelli, aut dimitti defectu probationis; neque in hoc casu sufficit solus Ordinarius loci agens iudicem, sine Priore coniudice, agente solum vices testis, vt excludatur, quia vterque necessariò, vt iudex concurrere debet, aliter sententia non tenet, vt probaui *cit. cap.7.quæst.24.*

Quæres 4. An professus nulliter, exire nolens, habeat aliquod remedium ad impediendum hanc expulsionem, quam Religio intendit in illum inuitum exercere? Vide *resol.8. quæst.5.* vbi ad statim possit ratificari professio nulla.

9 Respond. Habet, nam potest suam professionem publicè, & coram testibus, etiam Superiore inscio, ratificare, cuius virtute postea à Religione eiici non potest, neque ipse egredi reclamando. Probatur, quia validè professo siue per primam promissionem, siue per subsequentem eius ratificationem, de communi Doctorum, non datur ius reclamationis, neque ex parte nulliter aliàs professi, neque ex parte Religionis, de illo probaui *cap.7 quæst.30.* & contra Religionem faciunt dicta *ibidem quæst.36. & hic §.Transacto*, vterque enim ageret contra conscientiam, & mentem Ecclesiæ, quæ non vult, vt qui professionem ratificauerunt eiiciantur, neque egrediantur, cum sint verè professi, vnde in rescriptis à Summo Pontifice concessis volentibus exire ponitur hæc clausula, *dummodo Professionem non ratificauerit*, quam clausulam purificant coniudices mediante iuramento volentis exire. Neque hic locum habet vulgata iura, Fraus nemini debet patrocinari, Ex sua iniquitate nemo debet reportare commodum, quia hæc actio, & de se bona est, & ex fine prudens, excludendo periculum expulsionis imminentis, quæ semper in deterius sonat; & aliquale ius videtur habere, vt retineatur, maximè quando professio ex sua culpa non fuit inualida. Et dicta faciunt etiam pro eo, qui contra Religionem incœpit reclamare, sed pœnitentia, vel alio fine ductus cessit iuri suo, cupiendo remanere, in religione, quæ illum reiicere non potest, supposita ratificatione testibus probata; si enim Deus peccatorem, qui seipsum ab eius facie reiecit, pœnitentia ductum recipit, quare & superiores, qui Christum imitari debent, nulliter professum, qui tentauit exire, pœnitentem facti, admittere nolunt? si professus se male egit, puniatur ideò, non autem eiiciatur, cum eiectio sit perniciosa, non pœna, quæ medecinalis esse debet.

Quæres 5. An transacto quinquennio sicut nulliter professus reclamare non potest, vt apertè dicitur illo *capit. 19. sess. 25.* quia post illud tempus iudices ibidem assignati non habent amplius facultatem à Papa ea ducto præsumptione, quia censet inualidè professum ratificasse professionem, & huius in oppositum lex denegat probationem, ita neque Religio possit contra ipsum reclamare, expellere, aut dimittere, si petat?

Respond. Non potest, probatur. Tum quia non 10
debent iudicari in hac materia reclamationis ad imparia, vt superius dixi. Tum quia à nullo iure hæc facultas conceditur; & hoc probaui *in meo tract. de profes. regul. cap. 7. q.36. contra Peyrinum de subditoq; et de obed. c. 25. §.4. & Ioannem Baptistam Lezanam Carmelitam in sua summa quæst. regul. c. 2 n. 7.* ea motos ratione, quia illud quinquennium pro reclamatione professorum tantum determinari videtur à Tridentino, quod tamen falsum est, siquidem non est maior ratio pro vno, & non pro alio, quibus limitatur reclamatio intra quinquennium, professo quidem, quia præsumitur post illud tempus ratificasse professionem, religioni, quia non ampliùs habet ius contra illum, & ne peccet expellendo, vel dimittendo illum, quem Ecclesia præsumit ratificasse professionem, & pro tali religio illum habere debet, quamuis aliàs talis non esset.

RESOLVTIO XXIV.

De Superiore iubente Nouitiis in Refectorio.

SVMMARIVM.

1 *Subprior iubet Nouitiis in Refectorio.*
2 *Quomodo potestas Magistri dicatur ampla, & absoluta.*

3 Prior

3 *Prior, & Subprior amplam habent potestatem super Nouitios extra nouitiatum.*
4 *Potestas Magistri vocatur educationis, non iurisdictionis.*

QVæstio est, an Subprior, siue quilibet alius Pater ex officio deputatus in Refectorio, dum actu abest Prior ab eo loco, licèt etiam sit in conuentu habeat ius super Nouitios, exempli gratia dandi eis signum, vt legant, vel desistant à lectione mensæ, item vt inferant cibos, vel auferant de mensa, &c.

1 Respond. Habet, Probatur primò, quia sub nomine Prioris venit etiam eius Vicarius, vel Subprior, seu quiuis alius gerens eius vices. *l. 1. ff. de off. eius, qui vicar.* & potest ea, quæ ad eius officium pertinent ex dicta lege, *& cap. fin. dist. 93 iuncta glosa vers. Tunc, & cap. 1. dist. 94. iuncta glosa vers. Representetur*, vbi dicitur, quod ea, quæ facit delegatus, videtur facere ipse delegans per *cap. Sane 11. de off. deleg.* Sed Prior habet supradictam facultatem in Nouitios, ergo & eius Subprior II. subrogatus sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur. *l. si eum. §. qui iniuriarum ff. si quis caut. vbi Bart. Bald. & aly citati cum Barbosa lit. S. num. 16.* ergo Superior, cum subrogetur in locum Prioris, debet sapere eius naturam, hoc est, habere eamdem facultatem, quam tenet Prior super Nouitios III. Nouitij commuoem vitam cum professis degunt in Ecclesia, Choro, Processionibus, & Cœnaculo, in quibus locis possunt cum professis morari statutis horis, *vt dicitur in Instit. Clem. VIII. super educat. Nouit. §. Non liceat*; sed dignum est, vt qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem quoque sentiant in legibus disciplinam *c. 3. med. de statu monachi.* ergo sicut professi in omnibus subduntur Vicario Prioris, ita & Nouitij.

2 Quod si dicas Magistrum, habere amplam potestatem super Nouitios, vt dicitur in dictis Constitutionibus his verbis. *Habeat etiam Magister plenam, et absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini, Visitatoribus, ac Superioribus Maioribus, vel etiam Localibus exceptis, quouis colore se ingerere liceat.* Sed in quo consistit hæc plena, & absoluta potestas? si in refectorio gubernare Nouitios spectat ad Subpriorem, & non ad Magistrum?

Respond. Eam potestatem dici plenam, & absolutam non respectiuè ad superiores, quasi excludantur, quod est falsum, vt patet ex verbis ipsis mox relatis, sed in ordine ad alios officiales conuentus, qui non possunt se ingerere in Nouitios, neque in regimine Nouitiatus, vt ibidem dicitur illis verbis & sequentibus. *Ad huiusmodi locum Nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Conuentus, & Monasterij officials vllo vnquam tempore, sub quouis prætextu aditus pateat, præterquam Magistro, eiusque Socio, ac etiam Monasterij, aut Conuentus superiori si quandocumque ingrediendum sibi necessariò existimauerit, quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat*, Officiales ergo nullum ius habeot. Vicarius autem, seu Subprior licet Prælatus non sit, venit tamen sub nomine Prioris, aut superioris, quouis nomine appelletur, vt indicat nominis etymologia, is enim dicitur superior, qui super alios est in præcipiendo, ex quo Summus Pontifex ne Vicarios Prælatorum excluderet, vsus fuit vocabulo superioris communis Prælatis, & eorum vices gerentibus.

3 Habent ergo Prælati, & eorum Vices gerentes potestatem super Nouitios, vt ex hactenùs probatis manifestum est, maxime extra locum Nouitiatus præcipiendi conuenientia & licita, & in hoc nulla difficultas, præcipuè in iis, quæ concernunt professis, & Nouitiis, vt quando simul esse possunt, vt in sequentibus habetur verbis. *Non liceat eis durante Nouitiatu, & probationis tempore vnà cum professis nisi in Choro, in Ecclesia tempore Officiorum, in Processionibus, aut in Cœnaculo causa refectionis commorati, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari.* Intellige nisi subsit aliqua causa, vt cum Magister ægrotatur, vel alio detinetur impedimento, & necesse sit Nouitio exire, tunc Superior localis debet ei assignare Patrem pro exitu. Peyrin. *tom. 3. cap. 1. num. 7.*

Potestas autem plena, & absoluta, quam ex supra relatis Clem. VIII. concedit Magistro Nouitiorum, non est propriè iurisdictionis vt docet *Rodr. tom. 1. q. 13. art. 20.* quam super illos ideò soli habent Superiores sed educationis, per quam Magister, cui soli hæc competit, potest, & debet instruere Nouitios in disciplina regulari, eos regendo, & castigando, sicut pater suos filios, de qua dixi plura in Tractatu *de profess. regul. cap. 4. quæst. 62.* 4

RESOLVTIO XXV.

De Celebratione Missarum.

SVMMARIVM.

1 *Officium dicitur vbi defunctus est sepultus.*
2 *Prouincialis celebrat in quouis Altari priuilegiato suæ prouinciæ.*
3 *Sacra Congreg. responsio.*
4 *Dianæ opinio de iam obligato ad celebrandum.*
5 *Obligatio celebrandi, sed non applicandi.*
6 *Responsio ad obiecta.*
7 *Missam currentem dicentes satisfaciunt.*
8 *Non obstante speciali promissione.*
9 *Applicatio missarum subiicitur voluntati superioris.*
10 *Aliter facta nulla est, si adsit decretum irritans.*
11 *Suarez opinio.*
12 *Intentio semel applicata valet pro pluribus futuris.*
13 *Opinio, qua vnica missa satisfit pluribus oneribus an reprobata.*
14 *Vnica missa pluribus satisfit de consensu dantis.*
15 *Sacerdos propriam partem aliis applicat sine peccato.*
16 *Opera bona facta in mortali an prosint?*
17 *Missa vna pro pluribus satisfit applicatione indulgentia.*
18 *Vnica an simul satisfiat, & impetretur simul.*
19 *Priuilegia satisfaciendi vnica pluribus sublata.*
20 *Concilio non fuit derogatum respectu obligationum ante ipsum.*
21 *Reductio Missarum quomodo facienda.*
22 *Bona fide qui celebrauit vna pluribus non tenetur.*
23 *Generalis in Canone non est nominandus loco Episcopi.*
24 *Missa propria alicuius Religionis ab extraneis non dicitur.*
25 *Duæ Missæ in Ecclesiis Regularibus cantandæ non sunt.*
26 *Sacerdos satisfacit licèt peccet, non celebrando in altari deputato.*
27 *Non peccat mortaliter celebrando per tertium, retinendo sibi partem.*
28 *Pluribus id probatur.*
29 *Pœnæ in Decretis quænam sint.*
30 *Minuere non potest superior numerum Missarum propter expensas.*
31 *Capitali inculpabiliter destructo cessat obligatio.*
32 *Obligatus clarè ad celebrandum tantum, & non applicandum, aliam stipem accipit.*
33 *Priuilegio Episcopi pro reductione vtuntur etiam Regulares.*
34 *Pecunia pro missis quomodo inuestienda?*
35 *Peyrini opinio.*
36 *Onera ad tempus recipiens excluditur à pœnis.*
37 *Missæ minui possunt ad rationem fructuum.*
38 *Reductio spectatur dupliciter.*
39 *Legatum quid sit?*

40 *Legatum relinquitur aliquando sine præscripto re salarij.*
41 *Legatum in testamento est simplex.*
42 *Etiam quando salarium reputatur omissum à testatore.*
43 *Legatum donatione relictum est simplex.*
44 *Legatum simplex, & conuentionale quid?*
45 *Legatum oretenus factum non dicitur instrumentale ex conuentione.*
46 *Legatum relictum cum prædio tradendo legatariis non fit conuentionale.*
47 *Stipendium cum præscripto de consensu partium legato iam facto non facit illud conuentionale.*
48 *Organum datum cum obligatione celebrandi est legatum ex conuentione.*
49 *Legatum est reducibile siue res incorporata sit Ecclesiæ, siue non.*
50 *In reductione detrahuntur expensæ Sacristiæ.*

AN quidam Prior cuiusdam Fraternitatis erectæ in Ecclesia Regulari, cui à certo testatore commissum fuit, vt pro anima sua tot Missas, & officia post suam mortem celebrare faceret, pro suo arbitrio quamlibet Ecclesiam eligere possit, cùm testator nullam in specie, neque in genere nominauerit? An verò teneatur ea celebrare facere in Ecclesia Parochiali, aut vbi sepultus fuit?

1 Respond. Si in eodem testamento fecit mentionem sepulturæ, & officiorum, executor tenetur ea officia celebrari facere in Ecclesia vbi sepultus est. Tum quia communis vsus habet, vt huiusmodi legata persoluantur, vbi corpus testatoris quiescit. Tum quia suffragia dicta, vbi est sepultura defuncti, magis prosunt, quam alibi *Zerola part.2. vers. Missa, apud Portellum part.2. casu 19. num.2. vbi num.1.* ait magis prodesse præsentibus, quam absentibus; Tum quia testator præsumitur habuisse maiorem affectum ad eam Ecclesiam, in qua se fecit sepelire, *ex Mantica in simili de coniect. vltim. volunt. lib.8. tit.9. num.2. per l. si quis ad declinandam §. vbi autem.* Sic docet *Portell. loco citato, & vers. Missa num.13. vbi pro se citat. Rodriq. tom.4. Summa cap.51. n.3. & ex eis Compend. Rodriq. resol. 25. num.21.* Quod si in testamento non elegit sepulturam, sed simpliciter expressit Missas, & officia sine determinatione Ecclesiæ, pro suo arbitrio quamlibet Ecclesiam eligere potest, quia Ecclesiam prætereundo, executorem reliquit in libertate, quod idem procedit, si onus impositum fuit etiam oretenùs, vel alias extra testamentum, licet melius ageret, si in Ecclesia defuncti onus sibi impositum exequeretur, ob adductas rationes.

Quæres autem 1. An pater Prouincialis gaudeat priuilegio celebrandi in quouis altari priuilegiato cuiuslibet Ecclesiæ suæ prouinciæ licet non sit actu de familia in eo conuentu, vbi vult celebrare in altari priuilegiato solum pro sacerdotibus ibi de familia, vt aiunt, moram trahentibus.

2 Respond. Gaudet quia pater Prouincialis habet domicilium in quouis Conuentu suæ prouinciæ, saltem potestate, & habitu, licet actu, & signatè in certo sibi commodiori, & prouinciæ ordinariæ moram trahat, neque id est de iure inconueniens, cum quis in pluribus locis possit habere domicilium, vt doctoribus allegatis *docui sequenti Resol. q. 34. quibus adde Megal. part. 3. lib 1. de censur. cap.3. nu.14. Nald. vers. Domicilium num. 7.* ergo in quouis conuentu suæ prouinciæ potest vti priuilegio altaris.

Quæres 2. Episcopus N. Regularibus quibusdam die 3. Aprilis 1610. concessit inceptam Ecclesiam in honorem B.M.V. cum onere eisdem imposito celebrandi, seu faciendi celebrare vnam Missam continuam singula quaque die, etiam diebus festiuis in Ecclesia concessa, nulla facta mentione de applicatione, neque aliquo pro ea salario designato. Difficultas est an teneantur prædictam Missam applicare iuxta concessionem ab Episcopo saltem pro illis, qui dederunt eleæmosinas consumptas in fundatione Ecclesiæ, itavt per dictam non possint satisfacere nouis operibus superuenientibus. Nam Sacra Congregatio super Decreta de celebratione Missarũ, super quarto interrogata his 3 verbis. *Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij possint etiam manualem eleemosinam pro Missis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico Missæ Sacrificio vtrique oneri satisfacere.* Respondit in hæc verba: *Ad quartum. Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosinas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.* Quæ refert Diana *tract. 14. de celebr. Miss. resol. 80.* concludendo, per dictam responsionem, Sacerdotem, qui se obligauit ad celebrandum in aliqua Ecclesia sine sacrificij applicatione, *con la sola presenza*, vt vulgò dicitur, non posse aliud stipendium pro illa missa accipere, & alteri applicare, *cum Gauante ad Rubr. Missal. tom.1. part.3. tit.12. n.2.* 4 dicit enim Diana eam responsionem loqui absolutè, & sic habere locum in quouis casu, & rationem affert, quia stipendium non datur pro sacrificio ipso, & fructu spirituali, nam hoc esset simonia, sed exhibetur pro labore extrinseco, qui est pretio æstimabilis, ergo vnica Missa vnicum meretur stipendium; Deinde huiusmodi onus celebrandi quotidie censetur impositum in fundatione, Sacerdos autem obtinens Capellaniam, & census de obligatione celebrandi quotidie, vt in casu nostro, & licet de applicatione sacrificij sibi non constet, adhuc tenetur applicare pro patrono Capellæ; *vt cum Siluest. ver. Missa num. 13. de communi Bariola consil. 14. Bonac. p.7. de Sacram. Euchar. §.2. nu.13. Fraxinel. sect. 4. concl. 4. §. 8. num. 2.* quia præsumendum est fundatorem sibi voluisse consulere omni meliori modo, sic in casu nostro Episcopus impositione huiusmodi missæ non solum voluit obligare ad celebrandum, sed etiam applicandum pro fundatoribus huiusmodi Ecclesiæ. His tamen non obstantibus.

Resp. Nulla est obligatio applicandi huiusmodi missam quotidianam ex vi præfatæ impositionis ab Episcopo, quare per eamdem satisfieri potest aliis obligationibus, quod probatur. 5 Tum quia nulla fit expressio applicationis in dicto instrumento ab Episcopo, ergo signum est eum obligasse Religiosos tantum ad celebrandum, & non applicandum, id enim expressisset si voluisset. Tum quia regulare est imponentes onera missarum, exprimere obligationem applicandi, ergo in casu nostro præterita præsumetur non adesse. Tum quia nemo imponit huiusmodi onera celebrandi maximè cum applicatione absque assignatione salarij, & stipendij. quod hic non assignatur, ergo neque intenditur applicatio, quæ regulariter supponit salarium. Tum quia diuersa sunt celebrare, & applicare, ita quod prius stare potest sine suo posteriori. Demum huiusmodi onus celebrandi fuit impositum ob cultum, & venerationem B.M.V. ad commoditatem populi illuc concurrentis causa deuotionis. Confirmantur supradicta, quia in dubio nullus præsumitur obligatus, cum in obscuris quid minimum sit sequendum *reg. 30. in 6.* & in obligatione introducenda strictior interpretatio est facienda *l. quicquid ad astringenda, ff. de verb. obligat.*

Responsio autem Sacræ Congregationis nihil contra nostram resolutionem, nam ea loquitur de beneficiatis, capellis, legatis priuatorum, & de salariatis 6 extra, quæ est noster casus, vt satis clarum est, præterea loquitur in casu, in quo interuenit stipendium, & eleæmosina, quæ hic non inueniuntur; consequenter patet etiam responsio ad dictum Dianæ, nam eius opinio habet locum vbi dubitatur de applicatione, tunc enim celebrandum pro eo, qui salarium dedit; aliter si constet de obligatione præcisè celebrandi, & non applicandi, poterit recipi nouum stipendium

pendium

pendium pro applicatione, non obstante ratione Dianæ, quia stipendiũ nõ solũ accipitur pro labore, sed etiã pro noua illa obligatione, & pro sustẽtatione celebrantis. Demum est dispar ratio de fũdatore, & in casu nostro, nam æquum est vt celebratio applicetur pro eo, quia de ipsius bonis aliter celebrãs, & missam instituens videtur sibi meliori modo consuluisse; quæ non contingunt in casu nostro, in quo Episcopus nihil de suo, vel alterius in specie tribuit, sed quod illi Ecclesiæ, erat proprium, neque ex re concessa Religiosi aluntur, cum sit simplex Ecclesia materialis, & fabrica vix cœpta sine illis redditibus.

Quando constat Missam institutam, fuisse solum pro veneratione, & cultu alicuius Ecclesiæ, seu Altaris, aut ad populi commodum, eo casu Sacerdos potest aliud stipendium accipere, *vt docent Homobon. de exam. Eccles. tom. 1. tract. 4. quæst. 121. Alphons. de Leone de offic. & potest. Confess. temp. Iubil. part. 3. num. 32. §. Limitatur tertio, quos pro se refert Fraxinell. sect. 4. conclus. 4. §. 8.*

Quæres 3. An Regularis, seu quilibet alius Sacerdos, quibus ex testamento, aut alia occasione relictum fuit onus celebrandi missas aut de Requiem, aut de tali Sancto satisfaciat suæ obligationi, dicendo missam currentem aut aliam diuersam à designatis?

7 Respond. Satisfacit. Probatur, Tum quia id colligitur ex cap. Significatum, de præbend. vbi Papa noluit institutionem missæ quotidianæ de S. Maria confirmare, sed Sacerdoti simpliciter iniunxit, vt celebraret missarum solemnia, hoc est, missas currentes secundum temporis congruentiam. Tum ex cap Quidam, de celebrat. Miss. vbi decernitur, vt missæ audiantur de eadem die pro salute viuorum, & etiam defunctorum, ad tollendos abusus laicorum, qui speciales missas pro suo arbitrio petebant. Tum quia quæcunque missa, & maximè, quæ singulis diebus assignatur ita prodest æquè Defunctis, ac si pro illis diceretur missa de Requiem, vt colligitur ex citato c. Quidam, cap. Cum creatura, de celebrat miss. ex intercessione enim Sancti, affectu, & deuotione ad festum currens suppletur directa intentio petentis missam de Requiem, docens *Rodriquez tomo 1. quæstione 42. articulo octauo, & ex eo Compendiat. resolutione 25. num. 6. Silu. ver. Missa 1. num. 8. §. Quintum ait.* quod quidam non irrationabiliter dicunt, nullam missam esse defunctis salubriorem, quam propriam diei currentis, id quod etiam asserit *Nald. ver. Missa. num. 21.* Et hæc est opinio communissima, & vera inquit *Fraxinell. sect. 4. conclus. 4. §. 4. num. 22.* vbi plusquam quinquaginta Doctores citat, *& num. 13.* ait non esse necesse addere specialem orationem de missa petita, quia applicatio sacrificij non consistit in collectis, & orationibus, sed in Memento.

8 Prædicta procedunt, licet Sacerdos promiserit, seu dixerit se celebraturum Missam de Requiem, aut de tali Sancto, Tum quia promissor fidem datam frangere non dicitur, à pari de eo, qui votum suum in æqualem seu melius mutando non dicitur infringere, sed fidem datam Deo seruare argum. *cap. Peruenit, de iureiur. cap. Scriptura, de voto*; sed quandoque magis prodest missa de festo currente, quam de Requiem, iuxta illud: *Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini*; de Sanctis autem non fit commemoratio in missis Defunctorum, & præterea patet supra, missam currentem esse salubriorem, quam defunctorum, ergo Sacerdos celebrando missam currentem, cum magis prosit defuncto, quam celebrando de Requiem, non infringit datam, sed in melius commutat. Tum quia huiusmodi promissio quandoque seruari non potest sine peccato, ergo tunc non obligat; Antecedens suadetur, quia ex Rubricis Missalis, missæ defunctorum, & aliæ votiuæ nõ possũt celebrari in illis diebus, in quibus occurrit duplex, aut Dominica, vnde Pius V. in Bulla confirmationis Missalis, mandat non solum Prælatis, sed quibusuis Sacerdotibus in virtute S. Obedientiæ, vt iuxta formam, ritum, & modum eiusdem Missalis celebrent, vt insinuat Fraxin. cit. num. 14. & 15. quare illis diebus alia missa sine peccato saltem veniali celebrari non potest, dixi (saltem veniali) quia non peccare mortaliter tenent multi cum *Diana tract. 14. de celebr. Miss. resol. 30.* Amplia etiam in promissione iurata; Tum quia iuramentum habet Regulari secundum naturam actus, super quem cadit, *cap. Quemadmodum 25. de iureiur. l. fin. C. de non num. pec.* sed promissio non obligat ex mox probatis, ergo neque adiectum iuramentum. Tum quia iuramentum, quod sine peccato seruari non potest, non obligat, *cap. Debitores, cap. Si vero. cap. Verum, de iureiur.* Intellige, vbi agitur de iuramento, quando missa currens celebranda est de die Dominico, vel festo duplici, aut infra octauas Epiphaniæ, Paschæ, aut Pentecostes, infra quas nulla votiuæ celebrantur. Amplia in Missa ad Altare Priuilegiatum, nam Sacerdos dicendo Missam currentem satisfacit, nisi Papa in Priuilegio petat specificè talem Missam defunctorum, *Nau. consil. 57. de pœnit. & remiss. & ex eo Nald. ver. Missa num. 12. Homobon. p. 1. Respons. 52.*

Diana, aliis citatis, docet hanc nostram responsionem tract. 14. cit. resol. 31. vbi cum illis restringit ad eos dies, in quibus incidit solemnitas alicuius Sancti, & Sacerdos afficitur maiori deuotione in missa de illo Sancto; adducit præterea *Villalob. tom. 1. sum. tract. 8. diff. 91. n. 9. Ioan. de Cruce. in suo direct. conscient. p. 2. de sacrif. Missæ q. 4. dub. 2 concl. 2.* qui de hac re loquuntur absolutè, quibus ego adhæreo quo ad simplicem promissionem, non autem si interueniat iuramentum, quia hoc seruandum est quoties sine dispendio animæ seruari potest, vt dixi superius.

Dices 1. Ex parte orationum, & præcationum plus prodesse Missam de mortuis, quia habet peculiares orationes ab Ecclesia institutas pro subleuandis defunctorum miseriis; ergo ea petita dicenda est, & non currens, vnde *Nauar. cons. 9. de celebr. dicit*, quod applicatio sacrificij per collectas est optimus modus suffragandi defunctis. Resp. Iam fuit, quod si dicatur missa currens tantum prodest, quantum si diceretur missa petita, quia orationes missæ currentis supplẽt eam vtilitatem, & fructum quem petens perciperet ex missis designatis, si dicerentur, *vt testatur Beia part. 1. casu 23. & supracitati*, vnde eadem applicatio sequitur ex collectis missæ currentis, quæ ex orationibus missæ petitæ, si diceretur, tam enim est ordinata pro salute mortuorum collecta de Sancto, quàm oratio pro mortuis.

Dices 2. Non licet soluere Officium pro officio, quia saltem est peccatum veniale, secundum minus probabilem opinionem imò mortale, & non satisfacit suæ obligationi recitando officium aliud à designato in Calendario, *apud Bonac. q. 3. de hor. canon. p. 1. nu. 17. &* hoc expressis verbis dixit Sacra Congreg. quodam Decreto de hac re dat. 8. Apr. 1628. ergo neque sacerdos satisfacit dicendo vnam missam pro alia. Respond. est differentia, quia obligatio recitandi diuinum Officium prouenit ex lege Rubricarum, & Constit. Pij V. initio Breuiarij, atque præfato Sacræ Congreg. decreto, quam obligationem imponere non potest petens talem missam, maximè quando est petitio contra Rubricas Missalis; præterquam quod petet ex supra adductis rationibus, Missas omnes habere æqualem effectum quo ad satisfaciendum, consequenter parum referre celebrationem vnius pro alia, quo ad mentem petentis, quia quando satisfit principali intentioni, nihil refert quid ex æquipollentibus fiat secundum vulgata iura; in recitatione autem officij non tantum intenditur substantia eius, quam modus recitandi nempe de tali sancto, vel Dominica, vel Feria, sine quibus non satisfit obligationi recitandi Diuinum Officium.

Dices 3. Cui præcipitur, vel petitur, vt aliquid faciat cum certa qualitate, absque illa satisfacere non potest, iuxta glosam solemnem, & receptam *in cap.*

signifi-

significasti, 3. *quæst.* 5. *& cap. licet causa, de probat.* ergo qui dicit Missam aliam ab ea, quam alter petit, non satisfacit. Confirmatur, quia vbi requiritur actus cum aliqua qualitate, non sufficit actus sine ea qualitate, *ex cap. Ab eo*, 31. *de elect. in* 6 Respond. Non satisfacere quando qualitas omissa inducit variationẽ in substantia rei, *vt notant Bald. & Ang. apud. Euer. in loco ab Æquipol. infra num.* 18. in casu autem nostro, qualitas adiecta à petente, & abiecta à sacerdote non vitiat substantiam, & effectum missæ, quæ qualiscumque dicatur, prodest eodem modo, vt ex hactenus dictis patet.

Quæres 4. An sit in potestate Prælati, & superioris præcipiendi sacerdotib. sibi subiectis circa celebrationem Missarum quo ad applicationem sacrificij, ita quod in eius potestate sit applicatio sacrificiorum, vnde si sacerdos applicet Missam contra voluntatem superioris, nulla sit huiusmodi applicatio?

9 Respond Superior potest præcipere suis subditis circa celebrationem missarum prohibendo ne applicent ad suum libitum, sed iuxta suam intentionem pro obligationibus monasterij, & si sacerdos aliter applicet, irrita est applicatio, & in eius locum succedit applicatio Prælati.

Primum de potestate probatur, Tum quia religiosus non habet velle, neque nolle, maxime in actibus externis, & etiam internis ab eis essentialiter pendentibus, *cap. Non dicatis* 22. *q.* 1. *cap. si religiosus. de elect. in* 6. *cap. fin. de sepult.* sed subditur voluntati, & præcepto sui superioris, ergo etiam subditur quo ad celebrationem missarum, quod est actus externus. Tum quia præcipere potest, quæ spectant ad bonam gubernationem sui monasterij, cuiusmodi est celebratio diuinorum Officiorum, & satisfacere oneribus missarum.

10 Secundum, quod applicatio facta contra ordinationem & voluntatem superioris sit nulla, & irrita, si tamen superior eam irritauit ante celebrationem, probatur, Tum quia aliàs nulla esset potestas superioris circa celebrationem, contra mox probata. Tum quia potest irritare eorum vota non solum facta, sed etiam facienda; vt communiter tradunt Doctores, *teste Sanch. lib.* 4. *c.* 24. *&* 25. ergo potest etiam irritare applicationem faciendam à sacerdote contra eius præceptum, non enim maior ratio est de vno, quam de altero, ita enim præiudicat authoritati superioris applicatio missæ facta contra superioris præceptum, quam votum contra eiusdem voluntatem emissum; imò magis applicatio, quam votum, nam id soli prælato præiudicet, ea vero etiam aliis, quibus satisfaciendum est ex obligationibus Missarum. Tum quia tam est sub perfecto dominio prælati Missæ applicatio, quam voti emissio, cum respectu vtriusque religiosus æqualiter velle, & nolle careat, & in eis pendeat à voluntate superioris, ergo inefficacem reddere potest talem applicationem factam contra suam voluntatem. Ita tenent *Fraxin. sect.* 7. §. 7. *vbi citat Cordubam lib.* 1. *q.* 3. *not* 5. *Confectum tit.* 19. *cap.* 3. §. *Aduertendum*, vbi tamen nullam mentionem facit de irritatione, *Barbosam de off. & potest. episc. part.* 2. *allegat.* 24. *num.* 28. *Rodr. part.* 1. *cap.* 251. *concl.* 10. *Diana tract.* 14. *de celebr. missarum resol.* 72. eam notat probabilem, & pro ea præter citat. *Fraxin. & Gamannum part.* 3. *tit.* 12. *num.* 28. Ille ergo religiosus, qui contrafacit ordinationi sui superioris peccat mortaliter contrá iustitiam, quia in re graui delinquit, & tenetur ad restitutionem pecuniæ acceptæ, quia missam applicare non potuit pro accepta eleemosyna, quam debebat applicare pro oneribus monasterij, quibus sine dubio tenetur.

11 Suarez *in part.* 3. *disp.* 79. *sect.* 9. apud præcitatos tenet oppositum cum aliis, quos citat Diana, ea ductus ratione, quia applicationis actus ita proprius est celebrantis, sicut ipsa consecratio; sed hanc superior annullare non potest in subdito, ergo neque illam. Reiicitur, negando applicationem ita esse propriam sacerdotis, sicut consecratio, vt ab eo auferri non possit, ex iusta causa; differunt enim, siquidem consecratio ex eo, quod est essentialis sacrificio ab alio poni non potest, quam ab ipso celebrante; potest vero sacrificium Missæ consistere absque applicatione, vt notum est, hinc fit quod applicatio est sub potestate superioris, non autem consecratio. Quod autem applicatio ab alio, quam à celebrante possit præstari, apertè colligitur ex verbis Canonis Missæ ibi. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt sacrificium laudis pro se, suisq; omnibus, &c.* ex quibus verbis constat sacrificium non solum à sacerdote, sed etiam à circumstantibus, & aliis etiam non sacerdotibus offerri idest applicari posse.

Aduerte autem, quod Prælatus, post actam celebrationem, non potest irritare sacrificium iam applicatum à sacerdote subdito, quia sicut Sacramentum solum nondum conficitur operatur suum effectum, ita quod suspendi non potest secundum aliquos effectus; sed si statim non applicatur, remanet in thesauro Ecclesiæ, ita & sacrificium missæ applicatur, dum celebratur, vel ante celebrationem, & non post actam missam, cum non maneat in suspenso, imò vbi iam applicatum, alteri offerri non potest, vnde dicit Rodriq. cit. Prælatum debere Sacerdotis celebratori intentionem applicationis irritare, antequam celebret contra suam intentionem.

Quæres 5. An sufficiat vnica actualis intentio applicatiua futurorum sacrificiorum exempli gratia: Sacerdos quotidie obstrictus celebrare, ita suam voluntatem exprimit. *Ego singulis diebus, quibus celebrare teneor nunc pro tunc intendo celebrare, seu sacrificium applicare pro illis, pro quibus teneor Missam offerre, &c.* Huiusmodi autem Sacerdos quotidie prosequitur celebrare, & rarò recordatur obligationis, ita quod actualem, neque virtualem habet intentionem applicandi. An prædicta intentio sufficiat, ita quod celebrans satisfecerit suæ obligationi? Quod idem quæritur de Superiore applicante Missas suorum subditorum in futurum celebrandas per aliquod Decretum, & ordinationem.

Respond. Dictæ Missæ, in quibus nulla fuit facta 12
actualis memoria, aut virtualis intentio erga obligationem, intelliguntur applicatæ illis, quibus debebantur modo celebrans eam priorem intentionem non reuocauerit, & posito, quod dicta intentio fuerit absoluta, & non simplex desiderium, & propositum applicandi, quia hæc applicatio non fuit. Probatur. Tum quia intentio, qua offertur, seu applicatur sacrificium non est productiua sacrificij, ergo nihil refert si sit actu, vel virtute dum sacrum peragitur, aut ante præcesserit, ad differentiam intentionis conficiendi ipsum sacrificium, cuius cum sit effectiua, ideo simul cum eo actu, vel virtute debet esse; sufficit ergo quod præcesserit siue paulo ante, siue multo tempore parum refert, quia non est maior ratio de vno, quam pluribus diebus, hoc ipso quod non est de essentia, neque causa productiua sacrificij. Tum quia talis actus ita circumstantionatus, & formatus est, vt dicatur continuò perseuerare non tantum habitualiter, imò etiam virtualiter ex vigore præfatæ intentionis continentis in se huiusmodi perseuerantiam applicationis per ipsam celebrationem. Tum quia sicut Superior per vnicum actum suæ voluntatis recipiendo benefactorem ad Communionem bonorum operum, quæ in Religione fiunt, eidem applicat orationes, quas sui Religiosi facturi sunt, vt colligitur ex iis, quæ tradit *Rodriquez tomo* 1. *quæst.* 33. *articulo præsertim secundo*, *Confect. titulo* 22. ita item dicendum est de applicatione sacrificij Missæ.

Hanc responsionem tenent *Suar. in parte tertia, tomo* 3. *disputatione* 13. *sect.* 3. *conclusione secunda*, *Bonacina de Sacrament. disputatione* 1. *quæstione* 3. *punct.*

punct. 2. §. 3. *numero* 11. *Molfeſius tomo* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *numero* 13. *quos citat Diana tract.* 14. *de celebrat. Miſſ. reſolut.* 47. & ſequitur cum diſtinctione; quæ coincidit cum dictis in noſtra reſponſione.

Quæres 6. An per Decretum de Celebratione Miſſarum, incip. *Cum ſæpe contingat, &c.* Dat. 21. Iun. 1625. extenſum apud Fraxinell. *ſect.* 5. reprobata ſit opinio tenens vnica Miſſa poſſe ſatisfieri pluribus obligationibus, quam probabilem, & conſequenter excuſantem à peccato, & reſtitutione tuentur *Caiet. par.* 3. *quæſtione* 79. *articulo* 5. *Silu. Miſſa* 1. *quæſtione nona, Angel. quæſtione* 20. *P. Soto lect.* 7. *de Euchar. P. Nau.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *num.* 268. *Bria part.* 1. *caſu* 12. *Aragon. de inſtit. quæſt.* 85. *art.* 3. *Vaſq. tom.* 3. *in part.* 3. *diſput.* 230. *cap.* 3. *quos, & alios refert Bonac. diſput.* 4. *de Sacram. quæſt.* 8. *p.* 7. §. 2. *num.* 1. *& Fraxinell. ſect.* 3. *Pranot.* 4. §. 1. *& Diana (quos tamen non ſequuntur) tract.* 14. *de celebrat. miſſar. reſolut.* 8. *& eamdem probabilem reputat Beianus de Sacrific. Miſſa quæſt.* 17. his rationibus. Tum quia ſi fieri poſſet, vt plures homines tenerent eamdem hoſtiam conſecratam, ſinguli perciperent tantum fructum Sacramentalem ex opere operato, quantum ſi vnus ſolus perciperet. Tum quia vnica aſperſio aquæ baptiſmalis ita prodeſt multis, ac ſi applicaretur. Tum quia ſi vna anima informaret plura corpora, non minus conferret ſingulis, quam vni tantum. Tum quia multi de eodem igne candelæ accipiunt, & vnus alteri non præiudicat.

13 Reſpond. Ex vna parte non videtur reprobata. Tum quia Papa opinionem non reprobat, niſi de ea faciat mentionem, argum. capit. Literas 13. de Reſtitut. ſpoliat. ibi. *Nos ad præſens nullam de prædictis ſententiis reprobamus, &c.* Tum quia ad reprobationem alicuius opinionis requiritur, quod Eccleſia faciat caſum diſcutere à Theologis, & Iuriſperitis, & poſtea vero illorum habitu, per ſuum Decretum, eam expreſsè reprobet, & damnet, vt id colligi poteſt ex aliis opinionibus reprobatis; exempli gratia ex modo, qui ſeruatus fuit in reprobanda opinione de Confeſſione Sacramentali facienda abſenti, quam modo prædicto Clemens VIII. per ſuum Decretum extenſum apud Quar. ver. Confeſſio Sacramentalis, damnauit. In caſu autem noſtro nullum prædictorum fuit factum, quia in Decreto ne verbum quidem de hac reprobatione, ergo adhuc remanet opinio in ſuo robore.

Ex altera verò parte, licet eiuſmodi opinio formaliter, & expreſsè damnata non videatur; virtualiter tamen tamquam falſa reprobata cenſeri poteſt. Tum quia Sacra Congregatio expreſsè prohibuit vnica Miſſa pluribus ſtipendiis, quantumlibet incongruis, ſatisfieri poſſe, & hoc ſub graui peccato, & obligatione reſtitutionis. Tum quia ratio condendi hoc Decretum fuit, ex eo, quod huiuſmodi celebratione animæ defunctorum debitis priuabantur ſuffragiis, quod eſt ſignum, omninò eſſe falſum, vnica Miſſa pluribus obligationibus ſatisfieri poſſe.

Diceret fortaſſe quiſpiam, eam nihilominus non fuiſſe reprobatam, eo quod vtraque obiectio, (quæ ſunt rationes expreſſæ in eo Decreto) intelligenda ſit in ordine ad eos, qui ſubſtinent, vnica Miſſa non poſſe ſatisfieri pluribus obligationibus; nam celebrans, ſi ſit opinionis negatiuæ, ſine dubio tot Miſſas dicere tenetur, quot ſunt ſtipendia quantumuis incongrua, aliter defunctorum animæ debitis priuantur ſuffragiis, & ſic celebrans peccat grauiter, & tenetur ad reſtitutionem. Quomodocumque tamen iſthæc pro parte negatiua ſpeculatiuè quidem diſputentur: Ego ſic exiſtimo, vt practicè ſaltem nullatenus impoſterum liceat pro eadem Miſſa accipere plura ſtipendia; & hoc attenta ea portione valoris ſacrificij, quæ communiter aliis applicatur.

Quæres 7. An accedente conſenſu offerentis eleemoſynam, celebrans vnica Miſſa ſatisfacere poſſit pluribus obligationibus, ordinariæ nimirum, & aduentitiæ ex accepto manuali ſtipendio, præfato non obſtante Decreto.

Reſpond. Poteſt, modo offerens non ſit legati, aut 14
alienæ voluntatis executor. Probatur, Tum quia volenti, & conſentienti non ſit iniuria. Tum quia ceſſant omnes illi fines, quibus Sacra Congregatio mota fuit ad concedendum illud decretum; nam anima defuncti ſuo ſuffragio non defraudatur, cum tantum ſit, quantum vult liberè offerens, cuius mens non fraudatur, aut retrahitur à ſimilibus charitatis oneribus, ergo Decretum hóc non obſtat. *Bonac. quæſt. vltim de Euchar. p.* 7. §. 2. *num.* 4. *& p.* 8. *nu.* 3. *in fine, Fraxin. ſect.* 6. *arg.* 17.

Quæres 8. An non obſtante eodem decreto, poſſit celebrans ſuam portionem ſacrificij tam ex parte operis operantis, quàm operati aliis applicare; ac proinde ſatisfacere duobus ſemel obligationibus?

Reſpond. Poteſt. Probatur, Tum quia de hac re 5
nulla extat prohibitio. Tum quia maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis. Tum quia id non præiudicat benefactori, cum fructus ſpecialis celebrantis non ſit minor fructu offerentis ſtipendium debitum, vt docet *Henr. lib.* 9. *cap.* 21. *nu.* 7. *apud. Dianam, reſol.* 14. *de celebr. Miſſ.* cum in ſua portione non debeat eſſe deterioris, immo melioris conditionis, quàm ſint cæteri ſtipem conferentes. Tum quia quilibet ſua bona opera alteri applicare poteſt, ex communi Teologorum in materia de ſuffragiis, ergo & opus ſacrificij, non enim eſt maior ratio de vno, quàm de altero, vtrumque enim licet ſit opus perſonale, nihil tamen prohibet, quin proximo communicari poſſit; & id tam reſpectu operis operantis, quàm operati, vt docet *P. Nau. libro* 2. *capitulo* 2. *numero* 256. *Sic tenent Mirand. tom.* 1. *diſput.* 42. *artic.* 4. *concl.* 1. *& art.* 17. *concluſ.* 1. qui cum Suar. videtur tenere hoc procedere reſpectu operis tantum operantis, *Molfeſius tomo* 1. *tract.* 3. *capitulo* 15. *numero* 40. *Bartolom. ab Angelo Dialogo* 5. §. 507. *quos citat Diana ex reſolut.* 14. *Nugnus quæſt.* 83. *artic.* 1. *Henr. cum aliis citatis a Bonac. p.* 8. *de ſacrificio Miſſa numero* 16. *quos tamen non ſequitur, Nauar. capitulo* 25. *numero* 92. *&* 111 dicens poſſe alteri ſuam partem applicare, quod idem tenet *Filiuc. tomo* 1. *tract.* 5. *capitulo* 6. *numero* 181. dicendo valorem tertium Miſſarum proprij ſacerdoti ſufficere pro vna Miſſa, quæ toto alteri dicenda eſſet, & citat pro ſe Nau. *conſilio* 18. *de celebr. Miſſ.* qui in eo codice id non habet. Sed teneas tu vnica Miſſa poſſe ſatisfieri, quia portio celebrantis non eſt minoris valoris, immo maioris, vt dixit quam ſit alterius eleemoſinam dantis.

Prædicta ante Decretum de celebratione Miſſarum procedebant ſine vlla difficultate, & à multis complectebantur, nunc vero videtur grauis difficultas, attenta prohibitione Sacræ Congregationis, quæ omnino interdicit, ne quis ſacerdos vnica Miſſa ſatisfacere poſſit pluribus obligationibus, ex acceptis ſtipendiis, quantumlibet incongruis; & hanc difficultatem mouet citatus Diana *reſolut.* 8. quam tamen non reſoluit, ſed ſub dubio relinquit ab aliis reſoluendam. Ego autem dicerem probabiliter, hanc opinionem ſine dubio adhuc locum habere; neque vlla eſt ratio dubitandi, nec oppoſitum ſentiendi, quia ex reſponſione intelligitur, quod per eandem Miſſam non poſſit ſatisfieri vtrique obligationi ex parte fructus medij, non autem aplicando propitium fructum, reſpectiuè ad aliud ſtipendium; & Nald. qui refert ibidem in fine Decretum Sacræ Congreg. noſtram reſponſionem non reprobat, ſed ſequitur licet ſibi contrarius. Hanc reiecci *deciſ.* 104.

Fraxinellus *ſect.* 3. *Pranot.* 3. §. 2. *num.* 4. refert eam opinionem, quam in ſequentibus reprobat, *& numero* 8. quamplures Doctores in contrarium refert, *& numero* 9. ait huic opinioni in quantum ex ea ſequitur,

duobus stipendiis pro duabus Missis posse sacerdotem satisfacere applicando per vnicam Missam fructum medium, & specialem, obstare Decretum Sacræ Congreg. sed iam superiùs dixi Decretum in eo casu locum non habere.

Dices cum eodem Fraxin. à simili in effectibus Sacramentorum ex opere operato exempli gratia in Baptismo datur gratia, & totius pœnæ remissio, & tamen non est in potestate baptizati, vt se ea gratia, & remissione priuet, nec quo ad aliquam partem, vt alteri applicet. Similiter in satisfactione Sacramenti pœnitentiæ remittitur pœna pœnitenti, quod tamen alteri applicari non potest. Item, ille, cui conceditur indulgentia, non potest illius fructum alteri applicare; ergo idem dicendum est de fructu Missæ speciali sacerdotis. 2. sacerdos certò non scit se esse in gratia, & consequenter an sit capax fructus huiusmodi specialis, ergo non potest valorem proprium, & incertum alteri applicare, qui dedit certum stipendium. 3. sequitur ex ea responsione ex aliis datis in quæsitis 6. & 7. præfatum decretum esse frustratorium, ad quid enim in eo præcipere, vt tot dicantur Missæ distinctæ, quot eleemosynæ, si in prædictis tribus casibus vnica Missa pluribus satisfieri potest.

Respond. ad 1. esse disparem rationem, nam sacramenta præcisè instituta sunt pro ipso recipiente, qui vt gratiam, & remissionem peccatorum consequatur debet illis cooperari, se ad ea disponendo; ad consequendum verò fructum Missæ, sufficit recepturo si sit in gratia, ita quod ex parte sua nil debet cooperari, immo eidem ignoranti confertur fructus Missæ siue sit medius, siue specialis. Præterea Sacrificium ex conditione sua quatenus est satisfactorium institutum est vt prosit non tantum celebranti, quam aliis; Sacramentum verò soli recipienti, & non aliis. Deinde confessarij nonnulli iniungunt pro pœnitentia, vt recitetur officium defunctorum pro mortuis, & est opinio probabilis amplexata à Turriano apud Dianam *tract. quarto, de Sacram. resolut.* 54. de indulgentia dico, cum tantum valeat quantum sonat, eam tertio applicari non posse, nisi Papa à quo id totum pendet, id exprimat, vt aliis citatis docet Bossius *sect. quarta de Iubileo casu* 8. *ad finem*; applicatio autem sacrificij est in potestate, & voluntate celebrãtis, ideò applicare potest, cui vult, proprium fructum, cum illius sit dominus, & sicut potest illum respuere, ita & alteri aplicare. Ad 2. dico ex ignorantia sui non tolli nec minui eius fructum, sed reponi in thesauro Ecclesiæ, nisi illum alteri applicet, non obstante quod est in peccato mortali celebrans, ex quo oritur magna difficultas.

16 An opera bona facta in peccato mortali prosint agenti, vel aliis, pro quibus fiunt? nam opinio Thomistarum est nihil prodesse facienti, neque aliis quo ad satisfactionem, exceptis indulgentiis, & Missa, quam ab existenti in mortali applicatæ defunctis prosunt. Alia opinio tenet suffragia ab existente in mortali facta prodesse non solum sibi, sed etiam aliis, non solum quo ad bona temporalia, seu ad dispositionem, sed etiam ad satisfactionem, nulla autem ratione ad merendam vitam æternam. *Ita tenet Scotus in 4. dist.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 4. §. *De quarto dicitur. Maior quæst.* 1. *Gabriel dist.* 16. *quæst.* 2. *artic.* 3. *dub.* 3. *Medina tract.* 3. *quæst.* 5. *dub. fin. Nau. tom.* 3. *in cap.* 1. *dist.* 6. *de pœnit. num.* 46. *& in Manuali capitulo* 3. *numero* 6. *quos citat, & sequitur Faber de Pœnit. disput.* 35. *numero* 112. *& disput.* 37. *capitulo* 3. vbi magis ad propositum nostrum. D. Thom. August. Triumphus à Nau. cit. tenent suffragia facta ab existente in mortali prodesse defunctis, glos. in cap. quod quidam, de pœnit. vt habentur hi quo versus. *Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ Corsaciunt, humile, minuunt tormenta gehennæ*, qui reperiuntur cap. quæras, §. quod autem dist. 3. de pœnit. D. Aug. idem tenet relatus *in c. si quis autẽ, cit. dist.* 3. explicãs Apostoli hæc verba. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ait nihil prodesse ad regnum cælorum obtinendum, non ad extremi iudicij tolerabilius supplicium subeundum.

Probatur ergo nostra responsio. Tum ex citatis Doctoribus. Tum quia existens in peccato mortali potest pro se satisfacere respectu pœnæ culparum iam remissarum, ergo & pro aliis, maxime defunctis. Consequentia tenet, quia in vtroque est par ratio. Antecedens suadetur, tum quia pœna, cui satisfaciendum est, cum temporalis sit, & finita compensari potest sine gratia iustificante, & dignitate personæ, aliud est enim meritum, aliud satisfactio, illud enim præsupponit gratiam in merente, hæc vero solum remissionem culpæ eorum peccatorum, quorum pœnæ satisfaciendum est. Tum quia debitor siue amicus, siue inimicus, suo creditori soluendo satisfacit, ergo idem dicendum respectu spiritualis satisfactionis. Tum quia Principi mandanti propter acceptam iniuriam quempiam mori satisfacit delinquens; quamuis eidem reconciliatus, non fuerit pro eo delicto. Tum quia prosunt non solum ad bona temporalia, verùm etiam disponunt ad impetrandam conuersionem, & remissionem peccatorum, vt omnes tradunt, ergo prosunt etiam ad satisfactionem, est enim id quid minus, vt patet. Tum quia ex opposita sententia sequuntur multa absurda. Nam quis obligatus ad dicendum Coronam Virginis pro defunctis teneretur confiteri, quoties esset in peccato mortali, vt suæ obligationi posset satisfacere, quod tamen nullus asserit. 2. sacerdos obligatus ad dicendum aliquod suffragium, posset illud omittere, ad quid enim frustra laborare? & ad inutile nemo tenetur. 3. fideles ex hoc multum retraherentur ab exercitio bonorum operum, tam pro se, quàm pro aliis.

Colligitur ergo ex his sacerdotem partem sui fructus sibi contingentis ex Missa posse alteri applicare, & ei prodesse tam ex parte operis operantis (siue nomine proprio, siue nomine Ecclesiæ) quam parte operis operati, licet sit in peccato mortali celebrans, non enim benè operans nomine alterius respicitur, sed persona, quæ bonum opus mandauit, vel ea, pro qua fit, & si defuncta est, iam censetur in gratia, cum sit in Purgatorio.

Ad tertiam obiectionem dico illud Decretum, posita resolutione præcedentium difficultatum, non esse frustratorium, quia non est necesse vt lex locum habeat in omnibus casibus, sicut enim omnis regula patitur exceptionem, *glos. in Rubr. de reg. iur. in* 6. ita & in legibus excipiuntur aliqui casus, lex enim humana admittit exceptionem causæ rationabilis, *cap. si quando, de rescr.* & restringitur, seu ampliatur secundum rationem in proœmio expressam *l. cum pater*, §. *Dulcissimis ff. de legat.* 2. *capit. suggestum, cap. Meminimus, de appellat. ex Nau. de celebrat. consil.* 2. *num,* 2a licet verba id non patiantur, *Panor. in c. in insulis, de regul. n.* 3. *Megal. consil.* 31. *num.* 8.

Dices bona opera facta ab existente in peccato mortali nihil prodesse facienti, neq; alteri quod ad satisfactionem idest quia opera bona satisfactoria non sunt, nisi ex gratia Christi, quæ cum operibus existentia in peccato mortali coniungi non potest, gratia enim, & peccatum mortale simul in eodem esse nequeunt, ergo neque huiusmodi opera satisfactoria esse possunt; & id colligitur *ex sess.* 14. *c.* 8. illis verbis. *In quo, i. in* Christo, *satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre.* Sed opera peccatoria ex Christo vim habere non possunt. 2. satisfactio includit reconciliationem cum Deo, cui existens in mortali reconciliari non potest. 3. Huiusmodi opera dicuntur mortua, cum careant vita spirituali, quæ est gratia, ergo nihil operari possunt. 4. Non constat Deum nobis remittere pœnas, nisi de condigno, quod supponit gratiam, ergo sine hac remissio earum non potest haberi.

Respond.

Respond. ad 1. falsum esse requiri ad satisfaciendum coniunctionem gratiæ sanctificantis, cum bonis operibus, sufficit enim gratia auxilians, sine qua nemo spiritualiter operari potest, & ita intelligenda sunt verba Concilij, ibi .11. sermo est contra hæreticos negantes fidelem indigere Dei auxilio ad satisfaciendum. Ad 2. dico reconciliationem ex se non comungi cum satisfactione, sed quandoq; satisfactionem esse sine illa, & tunc vocatur imperfecta, quia non habet tantam vim, quantam haberet, si cum gratia esset coniuncta, vnde cum Prouerb. 15. dicitur. *Victimæ impiorum abominabiles sunt*; & alibi. *Deus non exaudit peccatores*; intelligenda sunt de satisfactione perfecta, quod est dono gratiæ formata, vel quod Deus non exaudit peccatores ad vitam æternam, vel respectu peccatorum nondum remissorum. Ad tertium dico esse mortua in ordine ad meritum, & vitam æternam, non in ordine ad satisfactionem. Ad. 4. ten irrere de condigno respectu præteritæ gratiæ. Demum vnico dic verbo, prædictas obiectiones non obstare præcise casui nostro, quia non habent locum vbi agitur de satisfactione præstanda ei, qui est in gratia, cuiusmodi sunt animæ in Purgatorio existentes.

Quæres 9. An, non obstante eodem Decreto, possit sacerdos quotidie obligatos eadem Missa satisfacere aduentitiæ obligationi ex nouo stipendio, mediante indulgentia, aut altari priuilegiato, quibus liberantur animæ a pænis Purgatorij?

17 Rep. Potest. Probatur. Tum quia virtute fructus medij ex Missa celebtata satisfacit obligationi ordinariæ, & mediante indulgentia satisfit alteri obligationi, nam liberatur anima è Purgatorio ex vi illius indulgentiæ, vnde in quibusdam concessionibus dicitur, quod celebrans siue ex deuotione, siue ex obligatione adhibito grano benedicto, liberat animam e purgatorio, ergo obligationi vtrique vnica Missa, consequenter cessant omnia inconuenientia, quib. factum fuit illud Decretum ad ea extermionanda. Tum quia potest quis consequi indulgentiam siue pro se, siue pro mortuis adimplendo semel illud opus bonum, quamuis aliàs ad illud teneatur, designatum pro ea obtinenda, ita quod indulgentiam lucratur, & satisfacit præterea obligationi, ad quem antea tenebatur, siue ex præcepto naturali, siue diuino, aut Ecclesiastico, vel ex voto, vel ex iustitia, docet *Bossius de Iubilæo sect. 4. casu 9. vbi pro se citat Cordubam de indulg. q. 1. propos. 3. Henriq. lib. 7. cap. 10. num. 5. & 6. Comitolum lib. 1. resp. moral. q. 38. Rodr. in Bullam Cruc. §. 7. Vegam tom. 2. cap. 7. casu 24. & 25. Laymanum lib. 5. trac. 7. c. 8. nu. 13. Benz. lib. 1. dub. 13. Hieron. Gratiam. p. 2. de Iubil. c. 12. in fine, Anton. Fernand. part. 3. examin. c. 7. §. 10. nu. 2. Sentkar. c. 4. dub. 10. c. 7. dub. 1. Polachum de Iubil. sect. 42. & alios.* Tum quia potest quis eadem oratione semel recitata consequi diuersas indulgentias e. g. tot annos, si concedantur à diuersis Pontificibus recitantibus .e. g. vnum Miserere, &c, *ita Cord. q. 35. de indulg. Graff. lib. 1. Append. cap. 5. nu. 55. vbi citat* Astensem, & ex eo Hostiensem, vbi probat exemplo recitantis semel officium Diuinum ex diuersis obligationibus, quibus satisfacit vnica recitatione; & sacerdotis vnica absolutionis prolatione remittentis plura peccata. Quare ergo & à simili per vnicam Missam non potest sacerdos satisfacere diuersis obligationibus? Scio, aduersarios respondere prædicta habere locum, vbi non interuenit obligatio iustitiæ vt in casu nostro: sed hæc responsio nullius est momenti, Tum quia eorum responsio bene currit in rebus temporalibus non spiritualibus: Tum quia in casu nostro ex parte obligationis duo spectari possunt satisfactio, & stipendium, hoc autem sequitur conditionem illius, vnde si satisfactum sit animæ existenti in Purgatorio æquè benè, ac si præcisè tota Missa & totaliter (vt ita loquar) dicta esset integraliter pro illo defuncto, pro quo petita fuit, consequens est vt mereatur sacerdos illud stipendium, vt in casu nostro censetur satisfecisse, quia licet Missa sit medium perfectissimum ad consequendum fructum satisfactorium, tamen etiam indulgentia est optimum remedium ad liberandum animas à Purgatorio, de quo nullus dubitat; neque refert si non sit satisfactum intentioni materiali (vt ita loquar) petentis Missam, quia satisfactum est principali intento, quod est finis, & effectus præcise à petente intentus, nempe remissio pænarum, Missa verò petita est medium, & instrumentum ad eam consequendam, sicut est etiam ipsa indulgentia Plenaria: Dum ergo quis consequitur effectum ab alio sibi demandato, non est curandum quo medio ad illum perueniat. Demum citatus Bossius absolutè loquitur etiamsi interueniat debitum ex iustitia. Intellige, de consensu offerentium, vt dictum suprà.

. An autem eadem Missa satisfieri possit duobus obligationibus ex duplici stipendio, per modum satisfactionis vni, & per modum impetrationis alteri? est enim triplex effectus Missæ, vnus est conferre gratiam, & remittere peccata, & dicitur ex eo Sacrificium propitiatorium, de fide *sess. 22. cap. 2.* secundus est satisfacere pro pœnis peccatorum iam remissorum, vnde dicitur satisfactorium. Tertius est impetrare aliquod bonum hominibus petentibus ex quo vocatur impetratorium; & secundum hunc effectum Missa est infiniti valoris, quatenus Deus eius intuitu potest plura, & plura bona concedere non tam vni, quàm pluribus, quia impetratio respicit meram Dei liberalitatem, & eius misericordiam, de qua infinitate cum Doctoribus citatis agunt *Bonac. disput. 4. de Sacram. quæst. fin. p. 6. num. 6. §. Dixi in 3. propo sit. Fraxin. sect. 3. prænot. 4. §. 6. Bizozerus de Sacram. Euchar. cap. 10. num. 7. in fine.* Ex his benè inferunt nonnulli apud ipsos, in quos inclinat Bonac. posse Sacerdotem vnica Missa satisfacere duabus prouenientibus siue ex impetratione, vt si plures petant Missam, ad impetrandam sanitatem, &c. vel in honorem talis Sancti ob deuotionem ad illum, vel vnus petat pro gratia obtinenda, & alter pro defunctis, vtrique vnica satisfit. Intellige de consensu offerentium, vt suprà. 18

Quæres 10. An illa priuilegia, quæ indulgent Regularibus posse vnica Missa pluribus satisfacere, sublata sint tantum respectu obligationum receptarum post publicationem Decreti, an etiam respectu obligationum ante illud contractum.

Resp. Sublata sunt tantum respectu obligationum 19
post Decretum receptarum, vt apertè colligitur ex verbis ipsius Decreti, quæ talia sunt. *Id verò, vt deinceps obseruetur exactius Sacra Congregatio eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia,* & paulò infra: *Quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.* Ita docet Fraxin. *sect. 7. §. 9.* ibi initio, *& num. 7.* Sed posteà Sacra Congreg. super 6. dubio eiusdem Decreti, declarauit oppositum, nempè, illa verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda esse de oneribus suscipiendis, & susceptis post concessionem priuilegij.

Quæres 11. An facultate Sacri Concilij, de qua *sess. 25. c. 4.* possint adhuc Episcopi, & Generales Religionum in suis capitulis generalibus reducere onera Missarum, non obstante eo Decreto?

Respond. Possunt reducere onera concessa ante 20
ipsum Concilium, non autem post, neque quæ sunt in limine fundationis, vt expressis verbis dicitur in eo Decreto *sub §. Ac primò districtè.* Ita expresè tenet post dictum Decretum *Dian. tract. de celebrat. Missarum, resolut. 2.*

Quæres 12. Quid obseruandum sit in reductione Missarum iuxta facultatem in Concilio datam?

Respond. Generalis tria obseruare debet in reductio- 21
ne Missarum. Præmittendo, quod non potest quæcum-

que onera reducere, non enim potest moderari Missas in ipsa fundatione beneficij, seu capellæ relictas, vt docent communiter *cum Diana resolut. 1. de celebrat. miss. Nald. ver. Missa num. 8. Barbosa hic num. 7. Fraxin. sect. 7. §. 5. à num. 5. ad 8.* neque missas votiuas vel pro defunctis fine confessu facieutium eas in dies celebrare, *Nau. conf. 9. num. 9. & conf. 11. num. 1. de celebr. Missar. Barb. num. 9.* reliqua ergo quæcumque pro defunctis officia, & Missas, seu anniuersaria legata, seu relicta etiam causa donationis inter viuos, aliove quouis modo docet Moneta, & ex eo Barbosa *hic ad cap. hoc num. 3.* modo sint imposita ante Concilium, nam super impositis postea non potest, quod expresse prohibetur in Decreto. Primò igitur eam reductionem facere non potest nisi in capitulo Generali, hoc est, cum consilio, & consensu Patrum *Rodr. tom. 1. q. 43. art. 13. Mirand. tom. 1. q. 41. art. 24. & ex eis Diana resol. 4.* & expresse habetur in Sacro Concil. Secundò, requiritur iusta causa, qualis censetur, tum stipendij, seu salarij recepti diminutio, aut distractio, tum augmenti stipendij currentis, tum minor numerus Sacerdotum, tum extenuatio redditum Monasterij, tum maiores expensæ ad victum, & vestitum, habito semper respectu ad vires legati; vnde diligenter inuestigandum est, quo tempore onus fundatum sit, quibus modis, quotum stipendium, quot Missis seu Officiis, debent autem antiquiora præferri aliis. Tertiò, eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ad pios vsus reliquerunt, vbi dicitur, in fine capitis, & refert Barbosa *num. 14.* quæ commemoratio ex declaratione Sacræ Congreg. apud Fraxin. *sect. 7. §. 5. num. 17.* fieri potest in secundo Memento, & per collectas, subdit etiam idem Fraxinell. ex Vgol. quod Prælatus præcipere potest, vt semel in hebdomada Missa celebretur pro illis defunctis, aut cantetur vnum Nocturnum defunctorum, vel quid simile. Demum, fides huius reductionis debet fieri in forma authentica exprimendo modum, & ordinem seruandum in executione huiusmodi actæ reductionis, ad hoc vt Superiores locales cum suis Sacristis scire possint, quomodo agendum sit illis in huiusmodi celebrationibus, & oneribus reductis.

Quæres 13. An qui bona fide, vel stante opinione sibi probabili satisfecit vnica pluribus Missis, postquam deuenit in malà fidem, vt mutando opinionem, vel cognoscendo, se amplius non posse ex prohibitione Decreti, sic celebrare, aut vidé do se non potuisse acceptare exemptionem, vt aiunt, alibi celebrando, teneatur reficere Missas, aut accepta stipendia restituere.

22 Resp. Non tenetur. Probatur, Tum quia obligatio restituendi oritur ex formali læsione iustitiæ, vt omnes docent; sed hic nulla est huius generis læsio, ergo ad nihil tenetur. Minor suadetur, quia sic celebrans bona fide, vel ex opinione intendit satisfacere, & prudenter credit, cum agat ex opinione, ergo quantum est ex parte sua non peccauit, consequenter ad nihil tenetur, quia obligatio restitutionis supponit culpam saltem venialem, immo quidam requirunt mortiferam cum *Sanchez libro 2. cap. 23. num. 160.* quatum vtraque eum abist dicendum est, non adesse obligationem restituendi. Tum quia vbi non est culpa, vt in casu nostro, cum egerit bona fide, & ex opinione probabili, quæ excusant à mortali, *Nau. conf. 4. de V/ur. num. 4. per cap. Capellanus, de feriis*; neque adest pœna, qua cogatur ad restitutionem. Tum quia stante dicta opinione satisfecit, ergo ad nihil tenetur. Tum quia ad hoc vt quis teneatur ad restitutionem, necesse est, vt adsit formalis violatio iustitiæ idest vt sciat se lædere tertium, *Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 31. numero 31.* ergo cum hic ignorauerit huiusmodi læsionem, ad restitutionem non tenetur. Verum quidem est, quod charitas eum cogit ad orandum pro iis, à quibus stipendia recepit. Neque dicas, possessorem bonæ fidei teneri de eo, quo factus fuit ditior; postquam deuenit in malam fidem; quia iste Sacerdos in nullo fuit factus ditior, siquidem illa stipendia respondent labori, & occupationi in celebrando; præterquamquod illa regula non habet locum in onerosis, neque Sacerdos censetur factus ditior, ita quod ea regula hic nulla ratione locum habet.

Quæres 14. An in canone Missæ Sacerdos Regularis possit nominare suum Generalem, an teneatur orare pro Episcopo, in cuius Diœcesi commoratur de familia.

Respond. Debet ponere nomen Episcopi loci, vbi celebrat, & non potest nomen superioris Generalis poni sub peccato mortali, vt respondit Sacra Congregat. apud Gauant. in expositione Canonis Missæ, vbi expresse dicitur nominandum esse Episcopum, quod idem refert *Portel. num. 14. ex Rodr. tom. 4. summa cap. 52. num. 13. & ex illis Compend. resolut. 25. n. 24.* vbi putat hoc non esse peccatum mortale, quia sibi authentica non est, nec promulgata Sacræ Congreg. declaratio. Reuera non ita facile inducenda sunt peccata mortalia, videant enim iudices, peccatum mortale priuare gratia Dei, quo maius bonum inueniri non potest, quare non nisi pro transgressione rei magni momenti peccatum mortale videtur inducendum, neque enim res magni momenti arbitratur oratio scienter facta pro suo Generali quandoque cum exclusione Episcopi contra Rubricam, cum maior sit obligatio erga suum Patrem Principalem, quam erga Episcopum, quæ fere nulla est, *Prædictos Doctores refert etiam Diana tract. 14. de celebrat. Miss. resol. 40.* 23

Quærea 15. An Missa certis Regularibus concessa, possit dici in ipsorum Ecclesiis ab aliis Sacerdotibus?

Respond.: Non potest. Ratio est, quia gratia solum concessa fuit illis Regularibus, ergo sicut ipsi seculares ante concessionem eam Missam celebrare non poterant, ita neque post concessionem alij, quibus non fuit concessa gratia, se enim habent ac Regulares ante concessionem priuilegij, Præterea hoc est priuilegium, quod non debet excedere personas, quibus concessum est, vt habent vulgata iura. Et ita fertur declaratum fuisse à Sacra Congregatione 19. Nouembr. 1622. *Diana tract. 14. de celebr. Miss. resolut. 74. & Gauant. in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 16. de qua re agit etiam dictus Diana tract. 1. Miscell. resol. 55.* Puto autem id potius procedere respectu quorumdam Beatorum, quorum Missæ celebrantur tantum à certis sacerdotibus tali die, non autem respectu Sanctorum regularium, qui habent propria officia in vna quaque religione, vt sunt sanctus Didacus, S. Raimundus, &c. Ita Fraxin. *sect. 4. concl. 4. §. 23.* Declarauit S. C. Capellanos Monialium seculares posse celebrare sed cum Missali Romano, 20. Nou. 1628. 24

Quæres 16. An in Ecclesiis Regularium cantandæ sint duæ Missæ, vna de festo post Tertiam, altera de Feria, seu Ieiunio post Nonam, vt dicitur in Missali, & hoc sub peccato mortali, vt respondit Sacra Congregatio, cuius verba refert *Diana resol. 76. de celebrat. Missar.*

Respond. Non, quia Ecclesiæ regularium licet in materia fauorabili veniant sub nomine Collegiatæ *ex glos. & Abbas in cap. cum creatura, de celebrat. Missar. Rodr. tom. 3. q. 6. art. 7.* vocat eorum monasteria collegia, & ex eo cap. probat esse quotidie in eis celebrandum non solum officia sed etiam Missas, vel saltem vnam Missam sub mortali, vt docent *Layman. lib. 6. tract. 5. cap. 3. num. 5. Filliuc. tom 1. tract. 5. capit. 4. num. 104. Villoria vero in sum. num. 94.* negat peccare mortaliter, aliquo die Missa intermittatur, apud Dianam loco citato; quod dictum Victoriæ admitterem in Ecclesiis, vbi non est numerus sacerdotum neque obligatio aliundè celebrandi. Quod autem regulares non teneantur ad has duas Missas cantandas docet *Rodriquez tomo primo, quæst. 43. artic.* 25

artic. 12. atque ita declaratum fuit in quodam suo capitulo, Ecclesiam Regularium in onerosis non venire nomine collegiatæ, & præterea refert quoddam priuilegium Mart.5. pro Ordine S. Hieronymi, cuius religiosis indulgetur Missa de feria cum commem. festi occur. non duplicis, sed cum illud fuerit viuæ vocis Oraculum non tenet amplius, cum hæc sint reuocata ex Vrbano VIII. & cum eo eius *Compend. resol.* 25. *nu.* 10. *vbi citat Villalobos to.* 1. *tract.* 8. *diff.* 19. *nu.* 4. *quem etiam citat, & sequitur Diana loco. citato.* Ex verbis autem dictæ declarationis constat ibi sermonem esse de Cathedralibus, & aliis Collegiatis, vbi sunt canonici, &c.

Quæres 17. An quando sacerdos satisfacit animæ defuncti, sed peccat, vt quia directè non satisfacit voluntati petentis Missam, exempli gratia, non dicendo Missam ad altare determinatum, vel non ad altare priuilegiatum, sed eius loco applicauit indulgentiam iuxta dicta superius *q.* 9. vel quando vni applicauit Missam, alteri indulgentiam &c. teneatur ad restitutionem?

26 Respond. Licèt iste peccet etiam grauiter, eo quod in re graui defraudat mentem petentis Missam, non seruando illi datum promissum, consequenter peccat contra virtutem fidelitatis, non tamen contra iustitiam, cum iam satisfecerit principali intento, quod est remissio pœnarum, quas defunctus patitur in Purgatorio, vt in supradictis quæstionibus probaui, & hoc tenet respectu loci non seruati in celebrando *Bonac. disput.* 4. *de Sacram. Euchar. q. fin. p.* 7. §. 4. *num.* 5. §. *Mihi*, quia non priuauit fundatorem fructu sacrificij, addo ego vel indulgentiæ eodem æquiualentis, vt docet *Alfonsus de Leone, de potest. confess. tempore Iubilæi part.* 3. *nu.* 29. *apud. Fraxin. sect.* 4. *concl.* 4. §. 9. *num.* 2. vbi Altare Priuilegiatum ab indulgentia distinguit per hoc, quod illum vniuersale est pro ibi celebrantibus, hæc verò particularis, & personalis, ita quod quo ad effectum remissionis non differunt, citat autem *Bonac. pro se dictum Fraxinellum, Azorium, & Posseuinum cap.* 2. *num.* 25. subdit tamen Bonacina in fine, quod magis prodest Missa in Altari priuilegiato, quam prosit aliqua breuis oratio priuilegio calculi benedicti recitata, ex Nau. Azor. & Fraxin. sed esto Missa sit medium efficacissimum & inter alia principale, nihilominus etiam Indulgentia est medium certissimum non minus potens ad liberandum animam defuncti à purgatorio, quia Indulgentiæ satisfactoriæ pro peccatis de iustitia, eo quod in Ecclesia sit communio Sanctorum, ex cuius decreto Deus tenetur eas satisfactiones acceptare, *vt cum Scoto, & aliis docet Faber de Pœnit. disput.* 38. *num.* 148. *ad* 254.

Quæres 18. An Sacerdos ex eleemosina pinguiore, vel etiam minori taxata lege, aut consuetudine, possit satisfacere Missis per tertium, minori parte sibi retenta, & quo ad peccatum, & restitutionem, ita vt non peccèt, neq; teneatur ad restitutionem.

27 Respond. Hoc prohibetur in Decretis *de celebrat. Miss.* §. *Ac similiter*, illis verbis: *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam susceperit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eleemosyna sibi retenta, celebrandam committat.* Ex hoc Decreto prohibetur vsus illius opinionis, quæ tenet posse Sacerdotem per tertium satisfacere, retenta sibi parte eleemosynæ, & tradito illi tertio stipendio iuxta taxam, vel consuetudinem, quæ opinio est communis, & erat licita ante dictum Decretum, prout est videre apud *Bonac. de Missa p.* 8. *num.* 18. *Dianam resol.* 10. *de celebrat. Miss. Fraxin sect.* 4. *prænot.* 5. §. 4. Probant, Tum quia nulli facit iniuriam, cum tradat stipendium taxatum. Tum quia est dominus illius pecuniæ, modo satisfaciat per se, vel per tertium, ergo satisfaciendo per tertium, retinet partem quæ propria est. Nullum ergo peccatum facere celebrare per tertium retenta sibi parte stipendij, & data eleemosyna taxata illi tertio, cum hac limitatione, modo qui habuit Missas non erat simplex dispensator, quia in eo casu totum acceptum tradere debet. Punctus ergo difficultatis est, an post decretum mox relatum, sit peccatum mortale, an solum veniale, nam esse peccatum indubitatum est, quia Sacra Congregatio illud expressè prohibet, vt damnabile lucrum in Ecclesia non tolerandum.

Ego dico, tradentem stipendium taxatum, retenta sibi parte minori, aut etiam maiori non peccare mortaliter, neque teneri ad restitutionem. Probatur primum de minori parte. Tum quia decretum non damnat recitatam opinionem, sed eius vsum tantum, cum in decreto, non constet de huiusmodi reprobatione, & ad hoc fauere videntur dicta superius sub *quæst.* 6. ergo ex hac prohibitione contra rem aliàs licitam non videtur inferendum peccatum mortale. Tum quia decretum vtitur simplici verbo, *Prohibet*, quod ex se non magis inducit vnum, quàm alterum peccatum; ergo aliunde deducendum est peccatum mortale, nempe ex grauitate Legislatoris obligandi ad mortale; vt de communiori docet Sanch. *lib.* 6. *cap.* 4. *à num.* 20. sed in casu nostro neutrum repetitur; non intentio obligandi ad mortale, quia ista ibi non exprimitur, neque sufficit vt tale propositum habuerit Papa, quia propositum in mente retentum nihil operatur; neque id colligitur ex contextu aliorum decretorum, ex quibus simul collatis potius colligitur oppositum, nam in Decreto, §. *Deinde*, intendit obligare sub mortali cum obligatione restitutionis, vt tot celebrentur Missæ, quot sunt stipendia etiam congrua, ibi. *Sub obtestatione Diuini iudicij mandat, ac præcipit*, & infra subdit, *Suæ obligationi non satisfaciant, quinimmo grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Ecce quot verbis vrgentibus vtitur, & geminatis, quæ magnum mysterium indicant peccati mortalis cum restitutione, & ne quis dubitaret de his, expressit suam intentionem Sacra Congregatio; ergo si hoc idem voluisset in nostro præsenti casu, expressisset, *arg. lib. Vnic. §. Sin autem, C. de caduc. toll. lib. Si seruus, §. Prætor ait, ver. Non dixit, ff. de aquir. hæred. Barbosa lit. I. num.* 32. Neque pars stipendij est notabilis quantitas, vt in casu supponitur; immo tradita etiam minori parte, & retenta maiori non videtur peccare mortaliter, quod est secundum, probandum, quia hic non desumitur quantitas notabilis, seu grauitas materiæ, neque ex sacrificio, neque ex notabilitate respectiuè ad furtum, quod sit peccatum mortale ex notabili quantitate; suadetur illud primum, quia stipendiū attenditur ratione laboris, seu potius oneris, & obligationis ciuilis, quam contrahit Sacerdos ad celebrandum, ergo ex hoc capite non fit contra grauem materiam; suadetur etiam secundum, quia notabilis quantitas ea censetur, in qua infertur graue damnum proximo, vt de communi tradit hanc Regulam *Bonac. disp.* 2. *de restit. q.* 8. *p.* 1. *num.* 7. Sed in casu nostro nulli infertur damnum neque leue, non defuncto, cum illi æque satisfiat, non Sacerdoti, cum voluntariè non inuitus receperit illam stipem congruentem secundum taxam. Deinde quando amicus tradit stipem duplam, vel maiorem Sacerdoti amico, censetur potiùs donare excessum, quàm dare pro stipendio, quia solum amici solent hoc liberalitatis signum monstrare, & magni virisuam vrbanitatem, quam non intendunt computare in stipendium taxatum. Vide aliquid *apud. Dianam cit. resol.* 11. *&* 12. *de celebr. Miss.* Itaque ille Sacerdos, qui pinguiùs stipendium supra taxam accepit sibi liberaliter oblatum, & non per vim, potest per tertium satisfacere, tradendo illi iustam stipem, reliquo sibi retento, sine peccato mortali, siue pars retenta sit minor, siue etiam maior, quia nulli infertur damnum, neque iniuria, sed solum fit contra simplicem prohibitionem, quod non potest esse nisi peccatum veniale. 28

Quod si dicas notabilis excessus quantitatis videtur

plicationem sacrificij liberam relinquere, possit aliud stipendium pro applicatione aliorum recipere? Videtur respondendum negatiuè ex verbis Sacræ Congregationis, nam ad quartum quæsitum propositum illis verbis: *Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votiuis, aut Defunctorum recipere, & vnico Missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere?* Respondet in hæc verba; *Ad quartum Sacerdotes, quibus diebus tenentur celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.* Ita expresse in casu nostro tenet de mente Sacr. Congreg. *Gauantus tom. 1. part. 3. tit. 12. num. 5. & ex eo citato Diana resol. fin. de celebrat. Missar. Ante Decretum opinio affirmatiua fuit Alphonsi de Leone part. 3. de Iubilæo quæst. 10. num 27. Homob. part. 1. Exam. tract. 4. cap. 13. quæst. 121. Fraxinellus sect. 4 concl. 4. 5. 8.* Alij post eam responsionem sunt contrariæ opinionis. *Vide quæ dixi sub quæst. 1. quæ faciunt pro istis.*

Quæres 23. An priuilegium si concedatur Episcopo alicui reducendi onera Missarum suæ Diœcesis, extendatur, vel intelligatur etiam respectu Regularium, ita quod Episcopus possit reducere onera Missarum Regularium?

33 Respond. Potest Episcopus virtute illius priuilegij reducere etiam onera Missarum Regularium, modo verba non restringant priuilegium ad onera solùm Clericorum Secularium. Probatur; quia etiam onera huiusmodi spiritualia commissa Religiosis ex propria vocabuli significatione dicuntur onera Diœcesis Episcopi habentis priuilegium, ergo illud extenditur etiam ad Religiosos. Quod confirmatur, quia Episcopus ex debito sui officij de iure communi potest exequi, & disponere de vltimis voluntatibus testatorum, tam ciuili *C. de Episcop. & Cler.* tam Canonico *cap. Nos quidem 3. cap. Tua nobis 17.* vbi sermo est etiam de Religiosis, de testam. Clem. de testam. vbi ordinarius loci rationem exigit à Religiosis etiam exemptis de executionibus testamentorum, ergo cum Religiosi in hoc, quod odiosum reputatur, Episcopo subiiciantur, eo magis in hoc fauore, vt possint ab eo procurare reductionem Missarum. Faciunt dicta *resol. 27. quæst. 27.* de alio priuilegio alienandi concesso Episcopo, quod commune est etiam Religiosis.

Quæres 24. An pecunia relicta cum onere perpetuò celebrandi Missam implicari possit super bona Monasterij exempta à simili onere? quod accidere potest; vel assignando talem fundum Monasterij, quod subster illi oneri; vel fabricando e. g. partem Monasterij, vel domum colono, vel quid simile, ex quibus actu nullus colligitur fructus. *Peyrinus in suo Formulario littera A, cap. 11. num. 2.* proponit ferè eundem casum quærendo, An Regulares mille scuta implicanda in annuos redditus pro Missa celebranda insumere possint in reficienda domo sui coloni combusta à Gallis tempore belli, ne cogantur singulis annis eam conducere à vicino pro habitatione sui coloni, maximè cum Monasterium alias pecunias non habeat ad fabricandum. Respond. Posse. Tum quia illa domus est de sui natura fructifera, & si actu non fructificat, est per accidens, licèt dicatur etiam fructificare æquiualenter, eo quod liberat à solutione domus conductæ. Tum quia ex ea pecunia possunt domum emere, ergo & fabricare. Tum quia pecunia est versa in vtilitatem perpetuam Monasterij. Tum quia possunt per illum annuum censum extinguere, vt ex viris doctis retulit Tamnarchus, & ita videtur sentire *Matta in sua decis. voto 243. num. 3. & 5.* Idem dicit, si Conuentus, vel Ecclesia minaretur ruinam, nec aliundè posset reparari, ea ductus ratione, quia Ecclesiam, vel Conuentum sub ea obligatione Missæ quotidianæ recipere possunt, ergo & reparare ex pecuniis illis.

34 Respond. Emenda est noua proprietas, quæ actu fructificet per accretionem prouentuum Monasterij. Probatur, Tum ex natura implicationis, quæ importat acquisitionem nouorum fructuum ex re frugifera ab alio empta, quæ alias propria non erat emptoris, aut saltem sit propria ratione fructuum, vt si domus locanda reædificetur iam combusta; si quidem implicatio accrescit nouos fructus implicanti, quos antea non percipiebat; aliter implicatio produceret contrarium effectum, nimirum onus, sine commodo, & vtili, si non adiungeret prouentus implicanti. Tum ex Decreto Sacræ Congregat. *de celebrat. Missar.* ibi: *Decreuit, vt pecunia, ac bona mobilia.* Infrà *in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuò Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ipso facto, incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illi annexum reperitur.* Pecunia ergo inuestienda est in bonis immobilibus frugiferis, quod fieri non potest nisi ex implicatione acquiratur ius lucrandi nouos fructus, qui non acquiruntur in dictis casibus, neque etiam ex restauratione, seu refectione domus collapsæ, vel combustæ, aut ædificatione Ecclesiæ, vel Monasterij, cum huiusmodi ædificia non locentur extraneis, qui annuos redditus præbeant.

35 Ad rationes Peyrini dico ad primam, requiri actualem fructificationem, ex qua Sacerdos celebraturus sustentari possit, vt denotat verbum illud, *Fructiferis*, verba enim cum effectu intelligenda sunt, ex vulgatis iuribus; vnde neque sufficit æquiualentia, cum hæc non releuet indigentiam Sacerdotis, qui actu non æquiualenter sustentandus est. Ad Secundum dico eâ pecuniâ posse non solùm emi domum, sed etiam propriam destructam refici, dummodò ex eius locatione percipiantur annui fructus, quod non euenit in casu Peyrini. Ad tertiam dico, aliud esse verti in commodum, aliud in vtilitatem fructuosam, hoc secundum non accidit in casu Peyrini, cum Conuentus nullos fructus annuatim percipiat, debet ergo pecunia verti in vtilitatem qualificatam. Ad quartum nego id fieri posse in casu nostro, quia extinctio census non est implicatio, sed æris alieni solutio, in qua non potest exprimi huiusmodi onus celebrationis. Ad vltimam dico esse disparem rationem, nam in concessione Ecclesiæ, seu Monasterij datur proprietas simul cum onere, in casu autem præsenti datur pecunia, vel mobile transferendum in stabile frugiferum.

Quæres 25. An recipiens onus celebrandi Missam quotidianam, aut hebdomadalem, seu mensualem per 40. annos, seu etiam per centum annos, sine implicatione pecuniæ, & sine licentia Superiorum, sit transgressor horum Decretorum, & pœnas in eis contentas, de quibus suprà sub q. 19. incurrat?

36 Resp. Non est transgressor, neque proinde reus pœnarum, quod clarè constat ex verbis Decretorum, in quibus pœnæ infliguntur contra eos tantùm, qui recipiunt onera perpetua; in supradictis autem casibus onus non est perpetuum, sed ad tempus. Neque obstat, quod perpetuum dicatur etiam tempus infrà centum annos, & multò magis spatium centum annorum, vt ex aliis citatis tradit *Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 9. n. 5.* quia nomen perpetui in dictis acceptionibus sumitur latè, & in fauorabilibus; in casu nostro sumendum est strictè, & propriè pro tempore certum finem non habente argum. *l. Iuris peritos ff. de excusat. tut.*

Quæres 26. An habens onus celebrandi Missam quotidianam, vel tot Missas singulis annis cum assignatione certi stipendij; aut æquiualentis, vti fructuum domus, agri, &c. tunc correspondentis eleemosynæ currenti tempore impositionis oneris, si augeatur stipendium, aut decrescant fructus domus, agri, census, &c. possit

ille Sacerdos, qui onus celebrandi suscepit, dicere tot Missas, quot sunt fructus, quos percipit singulis annis, correspondentes salario statuto, vel consuetudine aucto, cum diminutione Missarum etiam citra medietatem?

Videtur, quod non possint minui Missæ ad rationem aucti salarij, quod suadetur. I. Quia huiusmodi diminutio est quædam reductio, quam solus Papa facit. II. Quia qui semel acceptauit Capellaniam quotidianam, singulis diebus tenetur celebrare, donec à Papa fiat reductio. III. Quia hoc est mutare voluntatem testatoris, quod solius est Papæ. IV. Quia talis est mens testatoris expressa, & adest promissio ex parte Sacerdotis acceptantis obligationem celebrandi tot Missas, ergo his standum est sine aliqua mutatione, & diminutione. Has rationes adduxi suprà *quæst.20.* Quibus additur declaratio Sacræ Congregationis petentibus per hæc verba: *Quid si legatum sit ita tenue, vt non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs?* Respondentis. *Et si legatum sit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, vt supra, impositi, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque vlla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse iudicauerit.* Et facit, ad aliud dubium per hæc verba. *An cum ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?* Respondens. *Ad tertium, teneri.* Pro qua opinione sunt Doctores *cum Bonacina p.7. de Sacrific. Missæ §.2. num.8. in terminis M. Anton. Genuensis de Ecclesia Triecen.6.q.179.* afferendo hæredem teneri adiungere stipendium conueniens data capacitate hæreditatis, prout refert *Fraxinell. sect.4. conclus.4.§.24.* ea ratione, quia testator interrogatus ita respondisset.

37 Resp. Tot Missas dicere posse, quot fructus colliguntur habito respectu ad incrementum salarij, quando aliàs stipendium ab initio assignatum non excedebat taxam eleemosynæ consuetæ.

Probatur. Tum quia stipendia Missarum ab initio assignantur à testatoribus, vel de eorum commissione ab hæredibus non ad placitum proprium, sed habito respectu ad eleemosynam, quæ staturo, vel vsu fuit introducta tunc temporis; ergo signum est voluntatem testantium in impositione huiusmodi onerum esse, vt quantitas Missarum commensuretur quantitati stipendij currentis, ergo aucto stipendio cursu temporis, minuendus est numerus Missarum. Nec obstat dictum Genuens. supracitati asserentis, nequaquam minuendum esse numerum Missarum; sed eo casu augendum esse pretium ab hæredibus, ducti ea Regula, quod si testator cogitasset, aut fuisset interrogatus de hac re, ita verò similiter deposuisset, consequenter si præuidisset hoc non diminuisset numerum Missarum, sed potius stipendium auxisset: Quia, vt ait Fraxinell. cit. potius seruatur oppositum, testatores enim intendunt minus grauare hæredes; prætereaquam quod augmentum huiusmodi ab hæredibus exigendum, est fomentum discordiarum, & litium, ita quod stipendium pro Missis necesse esset expendere in litibus, quæ hisce temporibus insiciuntur iniquitate, & odijs, auditate, & auaritia Notariorum, Procuratorum, & Iudicum. Deinde hac tempestate hæredes conueniunt cum Sacerdotibus de stipendio currente tempore conuentionis, consequenter vigore huiusmodi pacti Sacerdotes nullum ius videntur habere ad augmentum salarij; alij verò assignant rationabilem proprietatem, vnde dicta Regula his cautionibus destruitur.

Tum quia contra Regulam Genuens. testator interrogatus de hac re sine dubio respondisset, suam intentionem esse, vt numerus Missarum variaretur mutatione stipendij; quod verùm esse suadetur tum ex parte hæredum, quos grauare non intendit vltra expressum, tum ex parte Sacerdotum, quos non intendit gratis celebrare, sed ex conuenienti stipendio.

Deinde huiusmodi assumpta obligatio celebrandi habet rationem contractus inter Sacerdotem, & dantem stipendium, nam ex hoc nascitur vtrinque obligatio, siquidem Sacerdos tenetur ex iustitia celebrare, & alter promissum salarium persoluere; de communi Doctorum, quos citat *Fraxinell. testatur sect.3. prænot.1.* sed in aliis contractibus debitor seruatur indemnis, vt patet de conductore, qui integram pensionem soluere non tenetur, quando ob grandines, depopulationem hostium, aquarum inundationem, & similes casus fortuitos prædia conducta remanent sterilia, *cap. propter sterilitatem, de locato, l. si quis fundum ff. locat.* in his locator tenetur facere restaurum, vt aiunt, hoc est, remissionem pro rata damni accepti, ergo pari ratione idem dicendum in casu nostro, Sacerdos enim quasi conducit, & quodammodò excolit spiritualem agrum animæ proximi, ex eundicto stipendio fundato in censu, agro, vel domo deterioratis, quod ad fructus, vnde & consequenter Missarum numerum minui necesse est.

Præterea, quia eiusdem naturæ est pars, cuius est totum, *l. si grege legato ff. de legat. 1.* sed destructo toto stipendio, fundo, domu, &c. in quibus consistit totum stipendium, Sacerdos absoluitur ab obligatione celebrandi, quando casus accidit sine eius culpa, per notata suprà *quæst.21.* ergo & pro parte, quando pars deperit, seu minuitur sui salarium auctione stipendij, aut alia ratione.

Demum tota difficultas minuendi Missas consistit in tenuitate stipendij, quod esse causam sufficientem non celebrandi tot Missas, quot præscriptæ fuerunt, tenent probabiliter *Corduba lib.1. quæst.4. & Azor. part.3. lib. 12. cap.6. quæst.3. cum aliis apud Bonac. part.7. de Sacrific. Missæ §.2. num.8.* quos tamen non sequitur, cum illis cit. *Nald. verb. Miss. num.1. Mirand. tomo 1. quæst.41. art.23. conclus.3.* quamuis pro se citet Bonacina falsò de more suo; ergo & in casu nostro, qui ab hac opinione in nullo differt.

Primæ obiectioni respondeo, Missarum reductionem spectari dupliciter, vno modo, quatenus numerus Missarum diminuitur authoritatiuè, & per dispensationem, in quo sensu loquitur obiectio, & sic solus Papa dispensat; altero quatenus numerus Missarum diminuitur ex æquitate, & iustitia quæ non patitur vt Sacerdos celebret gratis, quod stipendio promisit, & in hoc non est necessaria Papæ facultas: Quod suadetur à simili de relaxatione voti per dispensationem, quæ solius est Superioris; & commutationem propria authoritate, posita rationabili causa. 38

Secundæ dico esse disparem rationem de tenui stipendio, de quo in obiectione, respectu cuius, cum Capellanus ab initio fuerit contentus, ratio dictat, vt in futurum id sibi non displiceat, stando promissis, ex vulgatis enim Iuribus; Quod semel placuit, amplius displicere non debet. Et de stipendio congruenti, de quo in casu nostro, & non de primo; vnde promissio iuxuta stipendij congrui regulanda est ex congruitate stipendij, consequenter sicut variatur mutatione temporis, ita variari debet numerus Missarum, quod accidere non potest in casu obiectionis, in quo Capellanus promisit stare tali stipendio tenui vt sic.

Tertiam resoluendo dico, id non esse mutare mentem testatoris, sed secundum eius mentem facere, qui non intendit Sacerdotem gratis, aut cum tenui stipendio obligare ad celebrandum, quam cum ab initio congruentem eleemosynam designauerit, aliàs voluntas esset incongrua, & iniusta, quæ seruanda non est, *Gloss. verb. Voluntatem, cap. Tua nobis, de testam.*

Quartæ dico, expressam quidem esse mentem testatoris respiciendo præcisè numerum Missarum, esse verò implicitam, & dubiam, si inspiciamus mutationem stipendij, in quo casu ex suprà allatis rationibus benè colligi

ligi potest, mentem testatoris esse, vt Sacerdos seruetur indemnis, quod alia ratione contingere non potest nisi diminutione Missarum.

Ad responsiones Sacræ Congregationis facilis est resolutio sicut ad secundam obiectionem, ponunt enim casum diuersum à nostro, nimirum de tenui stipendio, cui stare debet Sacerdos, cum onus per huiusmodi tenuè salarium scienter acceptauerit; in casu autem nostro supponitur ab initio iustum stipendium, factum postea tractu temporis iniustum augmento eleemosynæ, aut deteriorationе fructuum assignatorum.

Dixi in responsione quæstionis. *Quando aliàs stipendium ab initio assignatum non excedebat taxam eleemosynæ consuetæ.* Quia eo in casu, in quo stipendium assignatum fuit minus taxæ currentis, qui promisit celebrare pro illo exiguo stipendio, stare debet promissis, nisi adsit circumstantia datam promissionem varians, quæ apud Regulares sine dubio reperitur; Isti enim ante Decretum de celebratione Missarum, poterant promittere de exiguo, & tenui stipendio, quia habebant priuilegia concedentia facultatem vnica Missa cum pluribus collectis satisfaciendi pluribus obligationibus, & sic poterant stare promissis; post autem Decretum, cum ea priuilegia sublata fuerint, Religiosi paterentur graue damnum, si deberent pro tenui stipendio, aut quasi gratis celebrare, & cum huius mentis non censeantur fuisse testatores ab initio, neque nunc, ideò promissio nostra hac tempestate non tenet, sed regulanda est iuxta taxatum stipendium cursu temporis; quæ omnia fundantur in illa Regula. Promissio non tenet, statu rei mutato *Gloss. ver. Furens argum. cap. Ne quis 14. 22. quæst. 2. per l. Cum quis ff. de solut. cap. Quemadmodum 25. iuncta Gloss. vers. Conditio, de iureiur.* quia promissio intelligitur, rebus sic stantibus.

Quæres 27. Quænam legata dicuntur simplicia, super quibus Sacra Congregatio solet concedere reductionem, & quæ ex conuentione instrumentali, super quibus negat reductionem ordinariam.

40 Notandum pro responsione, quod legatum definitur donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda, *Instit. lib. 2. de legat. tit. 20.* Ita quod iuxta datam definitionem, legatum fieri non potest, nisi in testamento; in quo sensu nomen Legati strictissimè accipitur. Ego autem prout ad præsens negotium spectat, accipio nomen Legati pro quolibet relicto cum onere celebrandi pro salute animarum, quovis deinde titulo, aut genere contractus aliquod relinquatur, siue per testamentum, siue per donationem, aut aliovis contractu; e.g. si relinquatur pecunia, prædium, domus, organum, turibulum, &c. cum onere celebrationis Missæ annuæ, menstrualis, &c. Igitur hic duo spectantur; res relicta pretio æstimabilis; & onus celebrandi, quæ duo ad inuicem se habent proportionaliter, sicut beneficium, & officium; nam sicut datur beneficium Ecclesiasticum propter officium Diuinum, *cap. fin. de rescr. in 6.* ita propter celebrationem, quæ & ipsa venit sub nomine officij, iuxta scriptores Ecclesiasticos *tit. de off. Diuin. apud Fraxinell. sect. 4. concl. 4. §. 4. §. 23. n. 1.* datur, & relinquitur legatum, quod per quandam similitudinem potest dici beneficium, lato modo, cum sit salarium, & merces assumptæ obligationis temporariæ, & laboris, ita ratione dictante, qui enim Altari seruit, de Altari viuere debet, & qui ad onus eligitur à mercede repelli non debet, *cap. cum secundum 16. de prebend.*

41 Duobus autem modis legatum relinqui potest; vno, specificando simul salarium cum onere, e. g. Lego censum, domum, &c. cum onere celebrandi tot Missas. Altero, exprimendo solùm onus celebrationis sine assignatione salarij, & mercedis; vt si quis instituendo hæredem suum filium obliget ad celebrari faciendum Missam quotidianam, vbi sibi placuerit, vel in tali Ecclesia, non determinando salarium dandum Sacerdoti celebraturo.

42 Difficultas tota in eo videtur esse posita, in quo consistat conuentio, qua legatum denominatur conuentionale, est autem conuentio actio, seu vnio, per quam plures veniunt in eundem consensum circa aliquid; certum est autem legatum relictum in testamento dicendum esse simplex, & non conuentionale, quia in eo condendo non conuenit Legatarius cum testatore; Regulariter enim testamenta fiunt sine interuentu Legatarij, ac proinde legata in his relicta sine dubio sunt simplicia; quod si quandoque interueniret in illis Legatarius, promittendo de satisfactione legati, id esset per accidens, ex quo legatum non fieret conuentionale, quia testator, & legatarius in eo casu, non intenderent formaliter efficere nouum contractum, sed incidenter iam factum corroborare per eam interuentionem, & cum id non sit de essentia testamenti, neque legati, & rarò accidat non est habendum in considerationem argum. *l. Nam ad ea ff. de legib.* Neque legatum dicitur, aut fit conuentionale, quando post mortem testatoris Legatarius conuenit cum hæredibus acceptando legatum cum promissione satisfaciendi, quia huiusmodi acceptatio, & promissio sunt naturaliter, & per se consequentia legatum, & ideò si ante erat simplex, adhuc tale remanet non obstantibus acceptione, & promissione superuenientibus, vt quæ corroborant, & complent legatum in ordine ad illius exequutionem. Quod si hæredes, aut exequutores conuenirent cum legatario alterando, & minuendo salarium iam constitutum à testatore, in eo casu, meo iudicio, & verò quidem legatum de simplici transiret in conuentionale, quia ambæ partes tunc dicuntur conuenire in aliquid suprà mentem, & dispositionem testatoris; & aliquid de nouo additur legato respectu cuius meritò dicendum est conuentionale.

Maior potest esse difficultas, quando testator reliquit onus celebrandi sine determinatione salarij, in 43
quo casu, partes videntur conuenire in determinatione salarij, ac proinde facere legatum aliàs simplex conuentionale, cum ambæ partes conueniant, & vniantur in idem stipendium per vnanimem consensum; sed meo iudicio ita non est, sed legatum adhuc simplex remanet, quod suadetur. Tum quia præscriptio salarij, quæ de iure spectat ad ordinarium, qui illud iuxta morem ciuitatis, vel Prouinciæ determinare debet, vt respondit ad quintum quæsitum S. C. super Decretis de celebrat. Miss. conuentionem non importat, cum id sit munus ordinarij tantùm, aut aliàs hæredum, seu exequutorum. Tum quia in eius præscriptione ordinarius, aut quiuis alius repræsentat personam defuncti testatoris; ergo sicut testator si illud præscripsisset, legatum ideò non effecisset conuentionale, ita neque ordinarius illius vices supplendo.

Tum quia supplens vices alterius eius mentem non dicitur alterare, sed id, quod deest ponere *cap. 1. de sponsal. l. quia actionum ff. de signif. verbor.* ergo legatum de mente testatoris simplex non alteratur in conuentionale supplendo, quod deest. Tum quia ex persona hæredis non mutatur conditio obligationis *l. 2. §. Ex his, ff. de verb. obligat.* Tum quia determinatione salarij nil de nouo additur, quod antea non comprehenderetur tacitè, & virtualiter in eodem legato, sed solùm quod implicitè includebatur exterius, & explicitè manifestatur, & cum taciti, & expressi eadem sit virtus, ex vulgatis iuribus, idem remanet legatum posterius, quod erat prius, ac proinde simplex.

Concluditur itaque ex his legatum in testamento relictum siue cum præscriptione salarij à testatore, siue non, semper dici simplex, quia legatum sic factum suum effectum habet primarium independenter à conuentione inter legatorem, & legatarium; excepto eo casu, in quo salarium mutatur, & minuitur de conuentione partium.

Neque legatum dicitur conuentionale, quando legatarius instituitur hæres etiam vniuersalis, quia institutio satis, & perfectè completur sine interuentu hæredis, qui nullo

nullo modo concurrere habet ad perfectionem, & complementum testamenti, qui à solo testatore conditur, & eiusdem mente perficitur, & confirmatur secundum Apostolum, & veritatem.

44 Legatum in donatione relictum, non est conuentionale. Tum quia aliàs omne legatum esset conuentionale, cum omne legatum dicatur donatio ex Institut. de Legatis. Tum quia acceptatio ex parte donatarij donationem perficiens conuentio non est, cum esse possit sine consensu donatoris, vt notum est. Tum quia acceptatio fieri potest post mortem donatoris, *Mol. lib. 4. de primog. c. 2. n. 77. & cum eo Sanch. lib. 1. disp. 6. n. 5. §. Verius*; Tum quia acceptatio refertur formaliter ad donationem non ad legatum.

Cum igitur ex testamento, aut donatione non videatur posse dari legatum conuentionale, nisi in casu, quo salarium primo præscriptum alteratur, & minuitur de conuentione, & consensu legatarij, & hæredum, sequitur legatum solùm dici conuentionale, eo casu excepto, quando extra testamentum, aut donationem partes primo conueniunt in creatione legati, & constitutione salarij, vt contingit, quando quis aliàs non obligatus, sed liberè alteri offert onus celebrandi, & alter illud acceptat, ambo disponentes, & conuenientes super salario, iuxta exigentiam oneris assumpti ad celebrandum super hac re instrumento confecto. Ex his deducitur ad quæsitum.

45 Respondeo. Legatum simplex est illud, quod testamento, aut donatione relinquitur sine diminutione salarij primo constituti à legatore, aut ordinario, seu alio vices supplente legatoris, qui non præscripsit salarium. Legatum verò conuentionale est illud, quod iam præfixum alteratur, aut minuitur; aut quod extra nulla supposita obligatione, constituitur conuentione partium facta super onere, & salario correspondente, instrumento super illo confecto. Id totum constat ex notatis, & præmissis.

46 Quid si legatum fieret ore tenus inter partes nullo super illo confecto instrumento, an dicendum esset legatum conuentionale? & videtur sic, cum sit plurium consensus in vnum *l. 1. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicit.* Tamen dubitari rationabiliter potest, quia huiusmodi conuentio instrumento non perficitur in terminis rescriptorum S. C. ad effectum reductionis; & cum rescripta sint stricti iuris, & non extendantur ad res non expressas, *Gloss. vers. Omninò, cap. Edoceri 21. de rescript. per cap. Sedes, eod. & cap. cum olim, de off. deleg.* huiusmodi rescriptum concedens facultatem reducendi onera Missarum excludet præcisè moderationem Missarum ex conuentione instrumentali.

47 Ex iis patet solutio illius quæsiti, an legatum relictum à testatore sub ea conditione, quod si hæredes non satisfaciant, prædium assignatum in testamento eidem hæredi, transeat immediatè ad legatarios, de simplici fiat conuentionale, si hæredes illud prædium medio instrumento spontè, vel coactè tradant legatariis? Resp. Enim adhuc remanere legatum simplex, non obstante eo instrumento, quia partes non conueniunt super aliquo legato, sed mentem testatoris de plano exequuntur, id exterius instrumentaliter manifestando ad æternam hominum memoriam.

48 Colligitur 2. Legatum relictum à quodam cum obligatione celebrandi Missam quotidianam in Ecclesia Sanctæ Mariæ Q. sine præscriptione salarij, deinde de consensu partium stipendio præscripto, non euadere conuentionale, instrumento etiam confecto super illo; quia supplent id quod testator omisit, & consequenter idem est, ac si ipse testator præscripsisset, ratione cuius præscriptionis legatum non reddidisset conuentionale, ex suprà probatis.

49 Tertio autem illud legatum dicitur conuentionale, in quo N. dedit organum Ecclesiæ cum onere duarum Missarum singulis hebdomadibus, & illius Sacerdotes acceperunt pro salario tale organum se obligantes ad celebrandum dictas Missas, quia in hoc contractu adest formalis conuentio primo dans esse legato. Quod si organum legaretur testamento, aut donatione, legatum diceretur simplex, non obstante conuentione, seu potius acceptatione organi cum obligatione celebrandi, quia acceptatio non dat esse legato, quod suum esse recepit ex testamento, aut donatione.

Quæres 28. An rescripta obtenta pro reductione Missarum comprehendant non solùm legata, quæ iam quo ad bona, & proprietatem tunc incorporata Ecclesiæ bobis; verùm etiam illa, quæ adhuc sunt in bonis hæredum quoad proprietatem?

Respond. Legata, quorum bona sunt incorporata siue non, veniunt sub tenore Rescripti de reductione Missa- 50
rum, quia proprietas, ex qua deducuntur fructus salarij siue sit Ecclesiæ incorporata, siue adhuc apud hæredes, vel alibi, non mutat naturam legati, ac proinde remanet reducibile.

Quæres 29. An in reductione Missarum ad proportionatam redditùum quantitatem, ex assignatis redditibus detrahi possit aliquid pro manutentione sacristiæ, & ex reliquis fieri reductionem?

Respond. Fieri potest detractio pro manutentione 51
Sacristiæ, quando redditus proprios non habet S. C. ad septimum ex quæsitis super Decretis de celebrat. Missar. Vnde Rescriptum concedens reductionem Missarum ad rationem e. g. quinquaginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet quotidiana, intelligendum ita est, vt deductis expensis pro manutentione Sacristiæ ad rationem reliquorum prouentuum fiat reductio Missarum.

RESOLVTIO XXVI.

De Electionibus celebratis inter Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Quandoque aperiri possunt Schedulæ.*
2 *Quod probatur.*
3 *Neque contrariatur iuri.*
4 *Vocalis dolosus eiicitur.*
5 *An teneat electio facta ab aliis.*
6 *Scrutinium contingit tribus modis.*
7 *Generalis, & Prouincialis eligitur per scrutinium nominationis.*
8 *Scrutatores tres tantùm, & de Collegio.*
9 *Superior nouus ostendit literas sui officii.*
10 *Statutum, vt vetus pater gubernet vsque ad aduentum Superioris.*
11 *Duo officia idem simul habere non potest.*
12 *Officialis electus ad aliud perdit prius.*
13 *Officium vnum habens adhuc est eligibilis ad aliud.*
14 *Definitor pretendens Prioratum renuntiat prius officium.*
15 *Definitor, Discretus, Custos, & Prior simul esse non possunt.*
16 *Pluritatem officiorum solus Papa dispensat.*
17 *Definitor Generalis non potest suffragari in Congregatione.*
18 *An verus Prior sit de nouo eligendus pro secundo anno?*
19 *Reiectus nullum ius habet ad restitutionem.*
20 *Prioratus in Tertio Ordine sunt annales.*
21 *Generalis solus durat per sexennium.*
22 *Querelatus non promouetur, si fuerit probatum.*
23 *Non potest impedire capitulum, vt se purget?*
24 *Suasio non omnis est subornatio.*
25 *Consuetudo est proponendi tantum duos.*
26 *Electio ex duobus propositis nulla est.*
27 *Præambula ad electionem.*

28 *Iurandum pro electione meliorum.*
29 *Praambulorum omissio non vitiat electionem.*
30 *Legenda Bulla de S. Inquisitione.*
31 *In Capitulis & Conuentibus.*
32 *Inaduertentia lectionis earum excusat.*
33 *Electio simoniaca non est irrita.*
34 *Neque inducit excommunicationem.*
35 *Annus in electionibus attenditur ciuiliter.*
36 *Extranei electio non est facienda, tenet tamen.*
37 *De electoribus in Tertio Ordine.*
38 *Prouincia tantùm quatuor eius Ordinis anno 1549.*
39 *Bulla de electione in Tertio Ordine.*
40 *Difficultates 11. super ea proponuntur.*
41 *Quinam accedebant ad Capitulum Generale ante Bullam.*
42 *Nullus Generalis antiquus accedit ad Capitulum.*
43 *Generalis in quovis negotio totius Religionis habet vocem.*
44 *Antonius de Sillis refellitur.*
45 *Prouincialis habet votum in tota Prouincia, & non extra.*
46 *Procurator suffragatur in omnibus Capitulis Prouincialibus.*
47 *Definitor item Generalis.*
48 *Vota scribenda sunt in schedula ab ipsomet vocali.*
49 *Combustio non facta schedularum non irritat electionem.*
50 *Publicatio votorum causa futura electionis irritat.*
51 *Electio attentata contra formam in Bulla est nulla.*
52 *Electio nulla declaranda talis est, antequam deueniatur ad aliam.*
53 *Electio solum secreto per schedulas facienda est.*
54 *Ignorans scribere non est incapax electionis.*
55 *De diuturnitate officiorum, & reditu ad eadem in meo Ordine.*
56 *Quot numero vocales ad eligendum, Discretum localem.*
57 *Plurium officiorum etiam diuersorum simul facta electio tenet.*
58 *Indigni cassata electio ad quos spectet?*
59 *Absens non potest votum dare per literas.*
60 *Sed benè per Procuratorem?*
61 *Discretus localis necessario eligendus.*
62 *Familia contra Priorem pro eius electione reclamat.*
63 *Illegitimi electio nulla.*
64 *Illegitimus filius eligitur vbi est pater.*
65 *Prælati maiores habent votum in omnibus actis legitimis.*
66 *Generales, qui fuerunt, carent voce.*
67 *Antonius de Sillis refellitur.*
68 *Prior, qui nunquam potuit residere, immediatè resumitur.*
67 *Præsidens præmortui habet votum.*
70 *Nihil de eo in meo Ordine.*
71 *Eligi potest in Discretum localem.*
72 *Præsidens Capituli non potest seipsum postulare.*
73 *Vtique in meo Ordine.*
74 *Discretus fit ex tribus vocalibus.*
75 *Electio non potest fieri per modum compromissi.*
76 *Sententiatus non potest eligi.*
77 *Fornicarij sunt infames.*
78 *Ordinatio Prælati cessat eo amota.*
79 *Prouincialis cum aliis eligit omnes discretos locales.*
80 *Professione secuta omnes habent vocem.*
81 *Laicus peragat Nouitiatum in loco deputato.*
82 *Numerus senarius est de forma pro Nouitiis.*
83 *Statim ac quis est de familia habet vocem.*
84 *Percutiens suum Priorem est priuatus voce.*
85 *Habitus dimissio in eligendo non vitiat, neque peruersio Ordinis.*
86 *Electio non publicata nulla.*
87 *Forma publicandi electionem.*
88 *In meo Ordine explicatur.*
89 *Siculi aliàs erant segregati ab Italis.*
90 *F. Iacobus de Augubio restaurator Siculorum.*
91 *Consuetudine quis non acquirit vocem contra Decretum irritans.*
92 *Consuetudo contra Decretum irritans non valet.*
93 *Generalis non confirmatur ab obseruantibus.*
94 *Coarctatio electionis arguitur ex limitatione eligendorum.*
95 *Ætas 25 annorum ad curam animarum.*
96 *Prior dicitur Parochus suorum Religiosorum.*
97 *Dispensatus super ætate ad Ordines, non est ad officia dispensatus.*
98 *Metus vitiat electionem.*
99 *Subornatio vitiat electionem.*
100 *Electio, quæ constat ex suis substantialibus, valet.*
101 *Præceptum odiosum restringitur ad primum actum.* 105.
102 *Testis consanguineo pro alio non creditur.*
103 *Propositio duorum non tollit libertatem electionis.*
104 *Electio est voluntaria assumptio vnius ex pluribus.*
105 *Præceptum factum super prima nominatione non extenditur ad secundam.*
106 *Propositio duorum eligendorum antiquissima.*
107 *Quæ approbatur à multis.*
108 Cap. cum terra 14. de elect. *declaratur.*

IN Religione N. vocales Congregati in Capitulo ad eligendum vnum Patrem Prouincialem bis deuenerunt ad conscribenda suffragia, in quibus semper fuit fraus ex parte suffragiorum, nam inter schedulas vna modò erat alba, modò altera superaddebatur, & consequenter impediebatur electio. Quare quidam in eam conuenerunt opinionem, vt schedulæ aperirentur ad tollendum dolum; alij resistebant dicentes ex earum apertione sequi publicationem electorum, quod est contra iura, præsertim Tridentin. *sess. 25. cap. 6. de Regul.* prohibens ne vnquam nomina eligentium publicentur. Quibus tamen non obstantibus Præsidens Capituli mandauit Scrutatoribus, vt aperirentur schedulæ, quibus explicatis, innotuit dolosus vocalis, vnde è Capitulo eiectus fuit. Difficultas est, an potuerit explicare schedulas, & repertum delinquentem è Capitulo eiicere?

Respond. Potuit licitè Præsidens committere scrutatoribus apertionem schedularum, & eiicere postea dolosum vocalem. Vnum autem aduerto, antequam probem, quod respondi. Si scrutinium, in quo erat schedula alba, potuit habere effectum electionis, ea exclusa, tenuit electio, quia ea schedula pro non adiecta, & in numero non computatur, ille enim, qui eam dedit, reputatur ac si esset absens, de quo non habetur consideratio vti alieno, *arg. cap. cum nobis 19. de elect.* & de hoc casu de schedula alba sic tenent *Nauarr. consil. 7. de electRodr. tom. 2. quæst. 51. art. 13. cum suo Compend. resol. 57. num. 13. Mirand. tom. 2. quæst. 23. art. 20. Sigisia. dub. 29. n. 3. Lauerius tit. 4. de elect. cap. 19. num. 64. & 65.* Consequenter Superior non potuit schedulas aperire, quia principalis finis apertionis schedulæ est, vt exclusis dolosè suffragantibus, sine litigio, & fraudibus possit ex nouo scrutinio sequi vera electio, quæ cum de facto, & de iure sit secuta, frustra schedulæ apertæ fuerunt, frustra enim expectatur, euentus eius, cuius nullus sequitur effectus: Addo quod potuit aperiri illa sola, si habebat nomen non eligentis sigillatum. In secundo item scrutinio, si in aliqua schedularum erat expressum votum inutile, quod triplicis generis recensetur *cap. In electionibus 1. de election. in 6.* incertum vnum, vt eligo, quem Petrus eliget; Conditionatum alterum; vt, eligo Petrum, si consenserit, si placuerit tali; Alternatiuum tertij generis, vt, eligo Petrum, vel Paulum: Adde quarti generis votum, scilicèt, prohibitum, vt eligo in Priorem Regem Francorum, Patrem Generalem, vel quemlibet alium prohibitum eligi, &c. Hæc & similia vota non augent, neque minuunt numerum suffragiorum, cum

sint

fint inutilia, vnde illis exclusis, si scrutinium, ex aliis schedulis ad inuicem collatis potuit habere effectum electionis, pari ratione supradicta, ille Superior malefecit aperiendo schedulas, quas simpliciter debebat reiicere, sicut & illam albam. Quod si electio excessu cædularum legitimarum quoad votum, ex illo scrutinio non potuit habere effectum, debebat Superior admonere vocales, vt legitimè procederent ad electionem, protestando, quod si in sequenti scrutinio schedulæ non fuissent legitimæ quod ad numerum, & votum, tunc eas aperuisset, ad excludendum fraudem. Et sic procedit nostra responsio.

2 Quam, quoad primum, nempè, quod potuerit schedulas aperire, probo. Tum quia Præses, & Iudex Capituli habet ius super acta Capituli, ita quod ad eum spectat prouidere, vt omnia legitimè fiant, & sequatur debita electio in bonum commune totius Prouinciæ, *ex cap. Quamuis, ad finem, de elect. in 6. Nauar. cons. 2. de electione num. 2.* aliis iuribus citatis. Non videtur autem posse sequi, nisi tollatur fraus apertione schedularum. Tum quia iudex efficere debet, ne iudicium reddatur nullum, *cap. Iudicantem 11. in fine 30. quæst. 5. cap. Causam 9. de iudic.* Tum quia viam malitiis præcludendum est in materia electionis, *cap. Vt circa 4. de elect. in 6.* malignantium siquidem fraudibus, & subterfugiis in electionibus obuiandum est, *cap. Cupientes initio, 16. eodem*, ergo schedulæ, quarum apertione id præstatur, licitè explicantur, fraudem enim non facit fraudem excludens, *l. Cum pater, §. Titio, in fine ff. de legat. 3. Gloss. ver. Malignantium, cit. cap. 16.*

3 Neque schedularum apertione contrariatur menti Sacrorum Canonum præsertim Sacri Concil. Trident. *sess. 25. cap. 6.* vbi mandat, vt singulorum eligentium nomina nunquam, publicentur. Quia prohibitio hæc locum habet, quando publicatio est dolosa, vel est causa realis, aut saltem præsumptiua futuræ electionis huius potius, quam alterius personæ, *Nauarr. cons. 9. de elect. num. 3. & 4. Rodr. part. 1. cap. 102. num. 4. Castell. cap. 4. n. 3. quos refert Barbosa ad locum Trident. idem Rodr. tomo 2. q. 51. art. 9. Mirand. tom. 2. q. 23. art. 19. & ex eis Compend. resol. 58. n. 8. Vide infrà q. 13. §. 9.*

4 Quod ad secundum, de iusta eiectione dolosi vocalis, probatur, quia in eo quis debet puniri, in quo deliquit, *cap. Quanto 3. de translat. Episcop. cap. An sit 42. de appellat.* ergo merito iste eiicitur à Capitulo, cum deliquerit in materia electionis. Confirmatur ex cit. *cap. In electionibus 2. eodem in 6.* vbi huiusmodi vota reprobantur, voce illorum, qui non purè consentiunt ea vice in alios residente; & licèt ibi sermo sit de electione pro ea vice si scrutinium ex aliis habuit effectum electionis, aliter non, ita quod si elector impertinens in futura de nouo electione, vtiliter suffragetur, non dicitur excludi, quia ex secura electione ex aliorum scrutiniis, ea vice tantùm priuatur, quatenus non connumeratur inter alios sit impertinenter suffragans; nihilominus is textus aliqua ratione facit ad rem nostram, quatenus iudex à iure edoctus simili pœna in hunc electorem dolosum animaduertere potest, vt neque ad hanc electionem nondum perfectam, accedere possit. *Vide Sigismund. dub. 29. de elect. supradictum cap. In electionibus explicantem.*

5 Excluso autem vocali doloso, deuenerunt tertiò ad alia suffragia, ex quibus sequuta fuit electio cuiusdam tertij, quem quidam ægrè ferentes, dicere ceperunt, ex priori scrutinio, in quo maior pars consentit N. Schedula alba non computata, sequutam fuisse veram electionem, & ideò hanc postremam non tenere, quia certi iuris est, quod nulla est secunda electio, priore subsistente, & non cassata *c. Inter dilectos, de excessib. Prał. cap. Considerauimus 10. iuncta gloss. ver. Irritanda, cap. Auditis 29 de elect. Sigism. dub. 100. de elect.* nec putant præiudicasse sibi, eo quod deuenerunt ad aliud scrutinium consentiendo in hunc tertium, quia putabant ex ignorantia inuincibili schedulam albam viciare electionem: Alij ex altera parte, qui volebant tertij electionem subsistere, dicebant, ex consuetudine approbata in anteactis Capitulis, semper fuisse seruatum, vt electio vitiaretur ex adulterinis votis, & subsequens teneret, quare si legitimè præscripta, constat huiusmodi consuetudo, standum erit huic postremæ electioni.

Scrutinium in electione contingere potest tribus modis, I. per vota viuæ vocis accedendo singuli vocales seorsim ad scrutatores, quibus secreto notificant suum votum, & desiderium, vt à se nominati sequatur electio. II. Per schedulas proprio nomine vocalis conscriptas, & sigillatas ex parte sui nominis, expresso nomine eius, quem desiderat eligi, quæ omnes eiusdem quantitatis, & figuræ esse debent complicatæ, in vase ad hoc præparato correpositæ, vt inde omnes simul extractæ à scrutatoribus diligenter exquirantur. III. Per globulos, seu fabas repositas in pixide electoria, quod est vas ligneum duplum habens duos loculos, vnum, in quo ponitur globus approbationis, & alterum, vbi mittitur globus reprobationis, & is vsus seruatur ferè communiter apud Seculares in electionibus suorum officiorum, & eligendi dicuntur Imballotari, globulati, &c. Est autem differentia inter hos tres modos, nam primus est minus secretus aliis, & infert aliquem timorem votantium apud scrutatores, vnde neque est plenæ libertatis, vt reliqui duo. Secundum autem, hunc modum debent scrutatores prius aliis se inuicem scrutari, nempè duo semper tertium, vt docent *Innocent. Compostell. Hostiens. Abbas, Butr. quos citat Lauorius tit. 4. de election. cap. 19. num. 66. 67. & 68. vbi cum Sigismund. dubio 22.* dicit esse modum scrutandi magis communem, & approbatum, vbi cit. *Sigismund. num. 6.* ait forè nullam electionem, si seipsos prius non scrutentur, quia si seipsos vltimo scrutarentur, ab illis dependeret effectus electionis, & non ab aliis, vt ergo electio sequatur ex omnibus indifferenter, & non ex scrutatoribus præcisè, primo exquirenda sunt vota scrutatorum, vt suprà. Hunc ordinem scrutandi prius inter ipsos scrutatores, volunt communiter Doctores citati seruandum esse etiam, quando electio fit per schedulas; sed non video necessitatem seruandi hunc ordinem, & qua ratione Doctores communiter hunc suadeant, vt scrutatores teneantur prius seipsos scrutari ante alios electores, cum omnes schedulæ à singulis seorsim scriptæ deferantur in vnum vas ad hoc præparatum, vt inde simul extractæ siue scrutatorum, siue aliorum electorum diligenter examinentur, & vota in scriptis à scrutatoribus redigantur, vt benè mea Religio seruat, & id est conformè Constitutioni Gregor. XV. de electione Romani Pontificis, vt videre est in Bullario Nouo, & apud Lauorium tomo 1. suarum Lucubrat. pagina *mihi* 536. in qua Constitutione, & adnexa Vrbani VIII. de hac re cum Ceremoniali nulla fit mentio de scrutinio prius faciendo de ipsis scrutatoribus. Est igitur voluntarius iste præordo respectiuè ad alios, imò & inutilis, cum omnes schedulæ commisceantur in vrna, seu vase. Secundus autem iste modus per schedulas est magis secretus priore, cum in primo vnusquisque electorum votum exprimat voce scrutatoribus, quod non contingit per schedulas; est tamen is modus minus secretus tertio, cum in eo scrutatores possint venire in cognitionem nominum electorum per manum scribentis à se cognitam; vnde Gregor. XV. in præuidens, in dicta Constitutione de electione Romani Pontificis §. *Suffragiorum*, dicit, quod nomen electi, quantum fieri poterit, charactere alterato scribatur, ita vt cognosci non possit. Tertius ergo modus per globulos, seu sphærulas ligneas, seu, vt aiunt, per imballotationem perfectissimus est, quoad secretudinem, cum omnis humanus timor ab eo excludatur, & periculum publicandi nomina eligentium.

Hi autem tres modi non aduersantur, sed potius sunt conformes *cap. Quia propter, de elect.* vt colligitur illis verbis. *Assumantur tres de Collegio fide digni,*

qui

qui secre è, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant. & in scriptis redacta, mox publicent re communi. Ex quibus verbis habetur electionen factam vno ex illis modis non discrepare à præscriptis in eo capite, si enim electio fiat, siue voce viua, & oretenus, siue globulis, aut schedulis, patet tres scrutatores secretè, & singillatim singulorum vota, illis modis non obstantibus exquirere posse, immo & debere singula fideliter redigendo in scriptis. Neque aliquis horum modorum reprobatur, aut aduersatur Tridentin. cit. Sess. 25. capit. 6. quia nihil de dicto cap. Quia propter, innouauit, sed solum prohibuit, ne eligentium nomina vnquam publicarentur, vt *docent Rodriquez in summ. cap.* 102. *numero secundo, Mirand. quæstione septima de Monial. articulo tertio, conclusione prima, Siln. Electio* 2. *numero tertio, & quarto, & ex eis Lauor. cit. titulo* 4. *de elect. capit* 19. *num.* 54. *portel. part.* 1. *casu* 14. *num.* 1.

In mea Religione cap. 1. præscribitur, electionem
7 præsertim Generalis, & Prouincialis faciendam esse per scrutinium nominationis idest primo modo, quantum colligi potest ex vtroque capite, seu secretam electionem fabarum id est tertio modo, & ibi obseruatur cit. c. 1. Quod is modus eligendi per fabas est melius, & securius. Tamen Clem. VIII. Constitut. *Decet Romanum* 33. in Bullar. nouo, mandauit electionem omnium Superiorum, & aliorum fieri per schedulas conscriptas sub pœna nullitatis electionis, præcipiendo vt post electionem statim comburantur, si tamen non sequatur combustio, non ideo nulla est electio, quia pœna nullitatis adiecta respicit præcise non seruatam eligendi formam, combustio autem schedularum non spectat ad formam electionis, cum sit post perfectam electionem, vnde neque illam inficere potest crematio schedularum; tamen *Rodr. apud Lauor. cit. c.* 19. *n.* 95. *refert.* oppositum declarasse Pium V. vide ipsum.

Quæres autem 1. Quot, & quales debeant esse scrutatores pro valore electionis?

8 Respond. Tres non pauciores, neque plures, & singuli de collegio, & in eo vocem habentes, aliter nulla electio, & hoc colligitur ex cap. Quia propter de elect. Quod tres præcisè asserit *Silu. ver. Electio* 2. *numero* 12. *Azor. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *quæst.* 11. *Suar. de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 10. *Sigism. dub.* 20. *num.* 1. quos pro se citat *Lauor. tit.* 4. *de elect. cap.* 19. *n.* 46. *& cap.* 21. *num.* 125. vbi ait esse communem, & indubitatam sententiam, quod debeant esse de Collegio; asserit *Tab. Electio* 1. *num.* 20. *Angel. num.* 26. *Lauor. num.* 47. *& c.* 21. *n.* 126. Quod debeant habere ibi vocem, aliis citatis tradit *Sigism. dub.* 20. *Lauor. c.* 19. *n.* 46. Et prædicta præcipiuntur obseruari in mea Regula *cap.* 1. vnde falsum est, quod ibidem Annor. 2. dicit Pater de Syliis, quod deputentur tres, aut quatuor Patres Disquisitores, idest, scrutatores, non enim debent excedere numerum ternarium, aliter electio est nulla.

Quæres 2. An Superior electus debeat exhibere literas testimoniales sui Prioratus Fratribus eius Conuentus, cui præfectus fuit?

9 Respond. Debet, probatur. Tum quia nulli credendum est, se habere mandatum Principis, nisi ostenderit, *l. Vnc. Cod. de mand. princip.* ergo neque tali Religioso credendum est. Tum quia Superior, de cuius iurisdictione non constat, tenetur illam probare, *cap. Cum contingat, de rescript. cap. Cum in iure, de offic. deleg.* sed non constabat illum esse Priorem, quia ante non erat in prædicamento talis Prælaturæ, imò & si fuisset neque ideò illi credendum esset, quia vt plurimum huiusmodi spes est incerta, cum de futuris contingentibus non detur determinata veritas, & voces populi vanæ non sint audiendæ, *l. Decurionum, Cod. de pœnis, argum. cap. Osius de elect. cap. Nonnos* 25. *quæstione* 5. Tum quia in foro contentioso, vt est casus noster, nulli credendum est sine probatione, *argum. cap. Ex parte, de offic. ordin. cap. sicut de sentent. excommun. & docet Graff. tomo* 1. *consil.* 1. *de offic. Vicar. num.* 22. sed dictus Prior non probat neque per testes, neque per literas suum officium, ergo audiendus non est. Tum quia quicquid agitur, propter finem fit, finis autem, quo fiunt electis Prioribus literæ testimoniales suorum officiorum, est vt eas exhibeant suis subditis, præsertim iustè, & licitè petentibus, vnde in ea Religione vbi casus accidit mandatur Prælatis, vt Officialibus electis dentur literæ testimoniales sui officij *cap.* 1. *Regulæ.*

Est autem in ea Religione statutum, vt pater anti- 10
quior gubernet vsque ad aduentum noui Superioris, accidit autem, quod ille pater fecit in carcerem constringere nouum Priorem, qui nolebat exhibere literas testimoniales sui officij, de cuius carcerationis iustitia dubitatum fuit. Sed consequenter ad supradicta dico fuisse iustam. Tum quia, vt dixi, vetus Prior, seu Pater antiquior gubernat vsque ad aduentum noui Superioris, quid simile dicit *Nald. ver. Superior num.* 14. ergo habuit ius carcerandi illum, quem non agnouit Priorem sibi insultantem, & perturbantem propriam iurisdictionem, quod est graue delictum, & ideò dignum carceratione, qua compescuit eius audaciam alio medio non soprendam pro tunc. Tum quia qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, *leg. Iulianus, §. Offerri, ff. de empt. est simile ad Coloss.* 3. Debebat autem ostendere suas literas, quod quia non fecit, ideò non recepit, quod oportebat, sed meritò carceratus fuit.

Dices 1. videtur illi fecisse iniuriam, debebat enim illum vti Priorem, sicut talis erat recognoscere, cedendo illi locum, quia ipse non amplius regebat. 2. consuetudo in hac Religione est non ostendere literas testimoniales, imò neque dantur. 3. exhibitio literarum requiritur solùm in officio delegationis, non electionis, quia delegatio fit per actum priuatum, & electio per publicum in Capitulis.

Respond. Ad primum negatiuè, quia vtens iure suo nulli facit iniuriam, ideò, iniuriatum, §. 1. *ff. de iniur. cap. Cum Ecclesia, §. quia, de elect.* & in dubio præsumitur quis suum tueri ius, non iniuriam committere, *leg. Proculus, ff. de damn. infect. Barbosa lit. I, num.* 49. modò Prior vetus adhuc erat Prior, licèt nouus esset verè Prior ex parte rei, talis tamen legitimè non ostendebatur, quia non apparere idem est ac non esse, *l. Duo sunt Titij, ff. de testam. tutel* & ideò vt subditus castigatus fuit. Ad secundum dico esse eius Ordinis abusum contra iura suprà citata, ex quo sequuntur diuersa inconuenientia. Ad tertium requiri in vtroque casu, quia licèt electio sit per actum publicum in Capitulo, tamen extra ignoratur in aliis Conuentibus, quibus solùm nota est celebratio Capituli, ignota verò electio huius vel illius ad hæc, vel illa officia.

Quæres 3. An idem duo officia simul habere possit, vt esse simul Prior, & Definitor non solùm in eadem Prouincia, sed etiam in diuersis? Et casus accidit in quadam Religione, in qua Religiosus electus fuit, dicitur, in Prouincia Romana, vbi actu degebat, & anno sequenti electus fuit Prior cuiusdam Conuentus sub Prouincia Mediolanensi, à qua abfuit per biennium, & initio tertij anni cœpit personalem residentiam, quam tamen sæpius interpellauit, manendo in alio Conuentu eiusdem Prouinciæ.

Resp. Duo officia simul idem habere non potest, con- 11
sequenter in supradicto casu non potuit esse simul Prior, & Definitor siue in eadem, siue in diuersa Prouincia, ita quod per electionem Prioris de iure statim cessat dignitas præcedens definitoratus, aut cuiuslibet alterius personatus, aut dignitatis.

Quod duo officia quis habere non possit. Probatur, Tum iure communi, *capite* 1. *distinctione* 89. *capite Quia, cap. Referente, capite proterea*, vbi dicitur, quod quis non potest habere plures dignitates, aut personatus in eadem, vel diuersis Ecclesiis, dic tu in eadem Prouincia, vel diuersis, *cap. Cum non ignoret, capite*

De multa, vbi dicitur, quod quia non potest habere plures dignitates etiam sine cura, *Titul. de prebend.* ergo eo magis si sit cum cura, vt in casu nostro, *capite Cum singula*, *eodem in 6.* vbi in specie de Regularibus sermo est, *cap. Quia nonnulli, de Clericis non residend. cap. Cum Ecclesiasticus session.* 24. *cap.* 17. vbi citantur præallegati textus, quos Concilium vult includere etiam Regulares; & in Regula meæ Religionis, vbi casus accidit, id prohibetur *cap. 1. prope finem*, vbi dicitur quod quis diuersa officia successiuè habere potest, ergo non simul. Tum rationibus ea præcitatis textibus, quia vnus vnum officium via implere potest *cap. Presbyteros 16. quæst. 1. cap. cit. Quia nonnulli, de Cler. non resid. cap. 1. de consuetud. in 6. extr. Ioan. 22. de prabend.* Insuper non licèt Religioso habere locum in diuersis Monasteriis, *cap. fin. de Relig. dom. cap. cit. Cum singula, de prebend. in 6.* eo magis in diuersis prouinciis; neque idem potest esse Abbas diuersorum locorum, *cap. Monachum 20. quæst. 4. cap. fin. cit. de Relig. dom.* Deinde essent capita duo eiusdem corporis, quod est quid inconueniens, & monstruosum, *cap. Quoniam in plerisque de offic. ordin. extr. com. cap. 1. de Maior. Tum authoritate Rodr tom. 1. quæst. 23. art. 9. Mirand. tom. 2. q. 3. art. 3.*

12 Alterum, quod per electionem ad secundum officium, statim ipso iure electus sit priuatus priori officio, personatu, aut dignitate, apertè probatur per *cap. De multa*, *de prabend.* & licèt ibi loquendo de pluribus dignitatibus limitet ad eandem Ecclesiam, loquendo autem de cura animarum extendat ad diuersas Ecclesias; in Clement. tamen. 3. eodem loquitur indefinitè, & in extr. Execrabilis, Ioann. 22. eodem, magis se explicat, siue sint in eadem Ecclesia, siue in diuersis eiusdem vicinis, aut longè distantibus, decernendo, vt per adeptionem posterioris, ipso iure cesset prior; ex quo cessant alia iura *cap. Referente*, *cap. preterea*, in quibus dabatur optio alterum relinquendi. Quare non est audiendus *Nauar. consil. 13. de prabend.* asserens prius officium non vacare ipso iure per acquisitionem secundi, quia inquit id nullo iure exprimitur, nisi in *cap. De multa*, *de beneficio vniformi sub eodem tit.* sed id non obstat, quia alia iura superius citata clarè, & distinctè loquuntur siue sub eodem tecto, siue sub diuersis.

13 Ex quibus constat, quod licèt quis simul habere non possit plures dignitates, & officia sine cura siue non, tamen habens de facto vnam dignitatem, seu officium, aut etiam plura sine cura, non ideò est inelligibilis, *cap. Dudum, de elect. docent Cardin. in Clementin. Cum iam dudum*, *de prabend. oppos. 3. & Anchar. consil. 59. quos sequendo citat Rodriq. tom. 2. quæst. 53. artic. 7.* In
14 Religione Tertij Ordinis, quando vnus Definitor intendit Prioratum, ante eius electionem renuntiat definitoratum, & sic validè sine dubio eligitur, quia eligendus ex tunc nullum habet Officium; quamquam similis renuntiatio patiatur difficultatem, nam arguit ambitionem, & continuationem in officiis, & dignitatibus, præterquam quod electio non videtur libera, cum electores ex supposita renuntiatione cogantur illum eligere.

15 Infertur Definitorem, Discretum, Custodem, seu quemque alium officialem non posse eligi simul in priorem, aut Guardianum, sed statim amittere priorem personatum ex hactenus probatis, quod confirmatur, quia Superior localis æquiparatur Parocho *Rodr. tom. 3. q. 31. art. 2.* quia habet ipse curam animarum, & sunt incompatibilia, vt videtur *Nau. cons. 13. de prebend. num. 5.* non tantùm propter residentiam in eadem prouincia, & loco prioratus, quàm propter vitium ambitionis, à quo Religiosi, qui humiles esse debent, & mundum contemnere, abhorrere debent.

16 Ius commune ita abhorret pluralitatem officiorum, vt in eis solus Papa dispenset, vt dicitur in *cap. cit. De multa*, vbi dispensare se dicit ad beneficia incompatibilia solùm cum sublimibus, & literatis. Quare nescio, quo iure in Constitutionibus generalibus Tertij Ordinis decernatur, quid in paruis prouinciis quis possit esse simul Definitor, & Prior, item Custos, & Prior, cum id expresè sit contra ius commune ex citatis textibus, contra quod statuere non potest inferior per iura, & Doctores citatos in Resolutione 4. præterquam quod est contra primum caput Regulæ eorum ex suprà dictis; nec vrget paucitas patrum, quasi ad huiusmodi munera apti non sint, cum non deligantur sed passim, & indifferenter eligantur. Neque iuuat priuilegium, quo ea authoritate Apostolica in Ordine Minorum Generalis Minister, legitima subsistente causa dispensat, vt testatur *Rodriq. tom. 1. quæst. 23. art. 9. Mirand. tom. 2. quæst. 3. art. 3. & quæst. 7. art fin.* huic Religioni communicatum, quia aliud est dispensare, de quo nousit mentio in dictis constitutionibus, aliud condere statutum, ad quod peragendum nullum habetur priuilegium neque iure Pontificio, neque ea constitutione huius Religionis. Quare sine dubio concludendum est nullam esse huiusmodi electionem de duplici officio, aut saltem non posse sustineri priorem.

Quæres 4. An Pater Definitor Generalis possit suffragari, & eligere in Congregatione celebranda die 6. April. 1636. Mediolani in Conuentu Parad? Nam adducit I. se aliàs non solùm in hac Prouincia, in qua residet, sed etiam in aliis committendo Reu. Patrem Generalem in quibusvis Capitulis, & Congregationibus vocem præbuisse. II. Præterea allegabat *cap. 1.* Regulæ vbi dicitur, quod Pater Generalis cum suis quatuor Definitoribus præfert Ministros idest Priores Cœnobiis, quod prius statuerat Nicol. V. Constitut. *Pastoralis Officij.* Dat. 20. Iul. 1447. in nostro Bullario pagin. 34. III. Se id præstare ea officio, cum sit Definitor pro bono communi totius Religionis, consequenter omnium Prouinciarum, & singulorum Conuentuum, inter quæ bona præcipuè est materia de electione, ergo potest suffragium dare. IV. citando *Mirand. qui tomo 2. quæst. 12. art. 2. conclus. 2.* ait Patres Definitores vocandos esse ad quodcumque negotium totum Ordinem concernens, ergo & ad electionem. V. Me ipsum in meo *tractat. de profess. Regul. capit. 3. quæstione 47. in fine*, vbi dico, quod suffragium dare potest Nouitio ad profitendum, ergo & ad eligendum, argumentando à minori ad maius. Quibus tamen non obstantibus.

Respond. Dictus Pater, (Dominus meus, & Patro- 17
nus) nequaquam suffragari potest in dicta Congregatione, seu Capitulu intermedio, & ideò se abstinuit de iure, & de facto. Alia ratione non probatur, nisi quia ita colligitur ex *cap. 2.* Regulæ illis verbis. *Quibus cum ipse prouincia Discretum, & Cænobiorum Ministros eligat*, Idest Prouincialis cum quatuor Definitoribus Prouincialibus eligat Priores; quod clarius præcepit Clem. VIII. Constit. *Decet Romanum.* Dat. 29. Iul. 1595. in nostro Bullar. pag. 93. addendo particulam. *Tantùm.* Quæ limitat, impedit, & excludit extensionem, & continet negationem, quoad omnes casus, seu personas non expressas, *l. ob as. C. de predus min. cap. cum Ecclesia Sutrina, de causa possess. Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 19. in fine. Sigism. de elect. prelat. dub. 51. num. 9.*

Obiectis reliquum est respondere, ad I. benè suffragium tulisse, vt suprà, sed in Capitulis Prouincialibus, quæ solent fieri singulo triennio, non in quauis tamen electione, sed dumtaxat Prouincialis, Custodis, & Definitorum Prouincialium, nequaquam autem Priorum, siue in Capitulo triennali, seu intermedio, aut Congregatione, ita quod nullo modò vocem habet in electione Priorum, vt expresè habetur in citata Constit. Clem. VIII. quod si de facto suffragatus fuit siue in propria, siue in aliena Prouincia, nulla de iure fuit electio, in qua ipse interuenit, nam Papa annullat electiones aliter factas contra suam constitutionem. Ad II. de Regula nostra *cap. 1.* de Constitut. Nicol. V. dico sublatas fuisse per dictam

dictam Constitutionem Clem. VIII. vt patet ex clausula derogatoria constitutionum Apostolicarum, & statutorum Ordinis, apposita in fine. Nec caput primum Regul. concedens huiusmodi electionem Definitoribus Generalibus, aduersatur capiti secundo eiusdem Regulæ, vbi excluduntur, vt dixi; nam hic excluduntur in Capitulis intermediis tantùm, ibi verò includuntur in Capitulis triennalibus. Ad III. eius officium propriè non est eligere, sed decidere & definire cum patre Generali ea quæ spectant ad commune bonum Religionis; aliud enim est eligere, aliud definire, & cum ex diuersis non fiat illatio, secundum vulgata iura, ex vno non infertur aliud. Ad IV. dico Mirand. cit. loqui in suo ordine Minorum de obseru. vbi in Capitulis Generali, seu intermedio item Generali habent vocem in electione Ministri Generalis, & Commissarij Generalis, & *Sigism. dub.* 11 t. *num.* 8. intelligendus est de Definitoribus Prouincialibus dum dicit, Definitores habere votum electiuum in electione Guardianorum, vt colligitur ex citato ibi statuto illius Religionis. Et cum duo sint genera Definitorum, alij enim dicuntur Generales, quia Patrem Generalem sequuntur in suis negotiis, alij Prouinciales, quia cum Prouinciali procedunt in suis negotiis, & ordo confundatur, si vnicuique propria iurisdictio, & facultas non seruatur, *cap. peruenit 36. in fine* 11. *quæst.* 1. ideò cum agente Prouinciali debent concurrere sui Definitores, sicut cum Generali eius proprij, & non Prouinciales. Ad V. dico loco citato me non fuisse locutum assertiuè, sed sub conditione, quando. s. votum electiuum habent in aliis electionibus, constat autem non habere; præterquam quod dico non valere illationem ex diuersis, neque argumentum à minori ad maius, neque è contra in iurisdictionalibus, vel quasi, *Archid. in cap. Nullus dist.* 79. *& ibi Turrecrem. Alberic. de Rosate de sum. Trinit. Manfred. decis.* 259. *n.* 386. *Azor. Silu. ver. Electio* §. 2. *n.* 4. *& ex eis Lauorius tit.* 3. *de conclaui c.* 3. *n.* 12. Prædicta procedunt etiam in Procuratore Generali, qui solùm procedit ad electionem Prouincialis, Custodis, & Definitorum Prouincialium in Capitulis Prouincialibus, & ad nullas alias, & in hoc est minor difficultas, quia de eo nulla fit mentio in Regula, aut aliis ordinationibus in ordine ad electionem, sed solùm in dicta Constitutione Clementis VIII. Quare dictus Pater Definitor Generalis cum de iure, neque de probata consuetudine habeat ius eligendi in his Congregationibus, debet acquiescere.

Quæres 5. An sit restituendus vetus prior iterum promotus, sed non electus. Casus est talis.

18 In Religione Tertij Ordinis de iure *Reg. cap.* 2. Priores singulis annis eliguntur, siue veteres, siue noui proponantur, modò vltra triennium idem non perseueret in Prioratu: Probata tamen consuetudo habet, vt electi primo anno, deinde pro secundo, & tertio anno singulis vicibus propriè, & formaliter reeligantur, quamuis de hac re nil in Regula. Accidit casus, quod quidam Prior secundo anno non fuit electus, licèt nominatus, & propositus fuerit etiam primo loco. Dubium est, an ius habeat faciendi se restituere in pristinum statum, procurando, vt cassetur electio de secundo loco nominato, quod videtur sic; Tum quia per hoc asserebat se cassatum fuisse, & remotum à Prioratu intuitu cuiusdam querelæ in scriptis redactæ, & probatæ insufficienter per testes; & cum processus terminatus non fuerit, quia ipse non fuit examinatus, neque condemnatus, ideò contra omnia iura asserit iniustè fuisse deiectum à Prioratu. Tum quia licèt ex quadam scriptura appareat in definitione reputatum fuisse indignum promotione, & electione intuitu præfatæ querelæ, tamen postea per exhibitum consilium fuit iudicatus dignus promotione, & consequenter electione, sicut alij. Tum quia omnes alij veteres Priores confirmati fuerunt, ergo illi iniuria facta fuit. Tum quia, vt dicit *Reu. Pater de Sillis Annot.* 6. *super dictum cap.* 2. *Reg.* qui primo anno electus fuit, debet confirmari, quia habet ius ad id quodammodò acquisitum. Demum Pater Prouincialis pluribus in locis dixerat, se velle illum cassare, vel nolle, vt deinceps non esset prior, ergo si non successit in Priorem, hoc illi fuit in pœnam, quam iudex infligere non potest inaudita parte *cap.* 1. *de causa possess.* neque enim debet is pœnam sustinere, in cuius damnatione non est Canonica prolata sententia, quare cum non fuerit perfectus processus, neque lata sententia, fuit iniqua pœna. Quibus tamen non obstantibus.

Resp. Nullum habet ius faciendi se restituere in pristinum statum, & electio de secundo Patre in Prioratum fuit legitima, & Canonica.

Probatur. Tum quia in electione duo spectantur 19
quoad propositum nostrum, Promotio, & Suffragium. Tunc autem quis dicitur promoueri ad electionem, cum à Superiore proponitur, & nominatur dignus, vt possit eligi, Superior enim in Capitulo electionis Priorum in Religione nostra duos saltem Patres dignos nominat, & proponit electoribus, eos admonendo, vt ex illis propositis suffragentur digniori, seu aptiori pro gubernatione, prout in Domino expedire iudicabunt. In ferendo autem suffragio, liberum est vnicuique suffragari, & eligere vnum ex duobus propositis, libertas enim est de substantia suffragiorum, & electionis, ita quod libertate sublata nulla sit electio, *cap. cum terra* 14. *de elect. Rodr. tom.* 2. *quæst.* 51. *art.* 10. siquidem electio est ex pluribus dignis vnius assumptio, eligere enim est vnum ex pluribus voluntariè capere, *Gemin. in cap. cum expectas, de elect. in* 6. *Franc. in cap. si quis iusto* §. *porro, de elect. num.* 2. *Abbas in cap. Abbate, de verbor. significat. quos sequendo citat Lauor. tit.* 4. *de elect. canon. cap.* 21. *num.* 12. sed Electores iudicarunt aptiorem secundum, quem consequenter elegerunt, & meritò, quia electus nullam querelam habebat, & erat & est vir bonæ famæ, alias etiam expertus in tali officio, ergo cum is iuridicè fuerit electus, ille nullum ius habet faciendi se restituere in pristinum statum. Tum quia si debebat eligi ille pater Maurus, & quodammodò restitui in pristinum, electio debuisset restringi ad ipsum, quod est omninò absurdum, & attentata electio, sub ea necessitate, fuisset nulla, quia electionis restrictio ad vnam personam, nunquam fieri potest, *secundum Butrium in cap. cum in iure, de elect. n.* 30. *Abbas in cap. licet, eod. num.* 7. *& ex eis Lauor. cit. num.* 11. Tum quia aliquis dicitur habere ius ad pristinum statum, quando ab illo statu adhuc durante, iniustè deiectus fuit; sed ille pater neque iustè, neque iniustè deiectus fuit, cum tempus iam finitum fuerit de iure, & de consuetudine, quia Priores non durant vltra annum, vnde si habent vltra durare, de nouo veniunt formaliter eligendi, aliter nullum ius retinent. Confirmatur autem nostra responsio ex confutatione obiectorum.

Primum obiectum in se efficax est, sed non facit ad propositum, quia verè non fuit cassatus, ex eo quod iam terminauerat de se tempus, neque de iure tenuisset cassatio, inaudita parte. Secundum obiectum solùm probat per illud consilium exhibitum in Congregatione acquisiuisse ius ad promotionem, & nominationem in ordine ad electionem, quod ius amiserat ex vnanimi consensu electorum stante querela, vnde & promotus fuit, & habuit duo suffragia insufficientia tamen ad electionem, ad quam nullum ius acquisiuit per illam promotionem, seu nominationem, *cap. quod sicut* 28. *de elect. Lauor. tit.* 4. *de elect. canon. cap.* 13. *num.* 20. Quartum nil vrget, quia ideò alij probati fuerunt, & non ipse, tum quia erant digni sine vlla exceptione, tum quia sic prudenter placuit electoribus. Quintum non probat intentum, quia ille Reu. Pater asserit sub conditione si sit dignus, quamquam aliàs non subsistit eius dictum, quia prorogatio priorum vltra annum non fit per confirmationem, sed per realem, & formalem electionem, ad quam nullus habet ius, ita quod electores teneantur illum eligere, & non alium dignum, quem sibi placuerit, hoc enim esset destruere substantiã electionis, intellige

ergo dictum Patris, quod habeat vetus prior dignus, deinceps ius ad promotionem, non ad electionem, & suffragia sibi tantùm danda. Vltimum nullam facit difficultatem, quia multa dicuntur, quæ tamen postea non fiunt *l. sciendum ff. de edil. edict. Lauor. tit. 4. de elect. can. c. 6. n. 51.* & constat de facto illum non deiecisse à Prioratu, imò id erat impossibile, quia iam tempus terminauerat; neque pœna fuit, si electus non est, sed ideò accidit ex libertate, & prudentia electorum secundum aptiorem indicantium.

Sed iste non vult acquiescere dicendo, iniuriam sibi illatam fuisse ab electoribus, quia Prioratus sunt triennales, maximè quando præsidens Capituli non se declarat, protestando esse annales secundum Regulam.

Quæres ideò 6. An in hac Religione Prioratus sint semper annales. Casus est talis.

Pater Prouincialis, cuius est simul cum suis quatuor Definitoribus eligere Priores pro singulis Conuentibus suæ Prouinciæ, peracta electione, more aliorum Prouincialium, qui ante ipsum fuerunt, non fuit protestatus, neque declarauit, huiusmodi à se celebratas electiones esse annales. Accidit casus, quod secundo anno. Quidam Prior vetus non fuit reelectus, contra vsum, & morem aliorum, qui omnes per nouam electionem fuerunt confirmati, vnde conquestus fuit, asserendo sibi iniuriam fuisse illatam, quia electiones celebratæ in præterito Capitulo, in quo fuerat electus Prior, erant triennales, eo quod Pater Prouincialis non se declarauit circa durationem electionis.

20 Resp. Non obstante omissa protestatione electiones illæ erant ad annum, & ideò si secundo anno non fuit reelectus, nulla de iure fuit affectus iniuria.

Probatur. Tum quia de iure Regulæ *cap. 2.* Prioratus sunt annales. Tum quia ad hoc nihil conducit protestatio, seu declaratio siue fiat, siue omittatur, ea enim, quæ intrinsecè insunt, parum refert, siue exprimuntur, siue non, *cap. ex part. 2. de rescript. cap. significasti 4. de elect.* & eorum expressio, quæ tacitè insunt, nihil operatur, *l. 3. ff. de legat. 3.* modò duratio vnius anni in Prioratu intrinsecè, & tacitè inest, licèt non exprimatur, vt disertis verbis dicitur in citato capite. Tum quia proposita noua electione, vt de iure, & de facto celebrata fuit respectu omnium de nouo nominatorum, & propositorum in ea Congregatione, erat in libertate electorum suffragari non magis vni, quàm alteri, quare electores vocem dantes potius secundo, quàm priori, qui æquè dignus erat, Canonicè se egerunt, consequenter nulli fecerunt iniuriam, per vulgata iura, quæ habent, quod quando quis vtitur iure suo nulli facit iniuriam. Et faciunt dicta in præcedente resolut. Ad confirmationem horum.

Obserua, quod officia, quæ per electionem in ea Religione conferuntur, non possunt durare vltra triennium, etiam Generalatus, vt expressè dicitur *cap. 1.* Regulæ, desumpto ex Constitut. Eugen. IV. *Iniunctum nobis.* Dat. 6. Febr. 1442. pro degentibus in Regnis Hispaniarum; & pro Italis ex Nicolao V. Constitut. *Pastoralis Officij.* Dat. 20. Iul. 1447. imò in Diœcesi Leodiensi, vbi Patres nostri sibi Generalem constituunt, singulis annis eligunt, vt videre est in Constitut. eiusdem Nicolai V. *Apostolicæ Sedis.* Dat. 23. April. 1450. Pro nostris autem Sixtus V. Constitut. *Romani Pontificis.* Dat. 29. Martij 1586. Generalem, quem Pius V. sua Constitut. *Ea est Officij.* Dat. 3. Iul. 1568 extinxerat, restituit, & præterea indulsit, quod transacto triennio primo sui Generalatus, in subsequenti immediatè Generali Capitulo triennali posset liberè confirmari pro sequenti triennio; quare Generalis durare potest per sexennium, & non vltra, in secundo autem triennio propriè, & formaliter reeligitur, sicut reeliguntur Priores, & solebat reeligi, & confirmari Prouincialis Visitator tempore Pij V. vt videre est in eius citata Constitutione §. In ipsis autem, vnde si alius eligeretur, illi non fieret iniuria, quia in potestate est eligentium eligere quem sibi in Domino expedire videbitur; aliter si cogerentur illum vnicum eligere, nulla esset electio, neque nomen electionis mereretur, cum electio sit vnius ex pluribus libera vocatio, ex iuribus, & Doctoribus citatis præcedente quæst. Ad hanc autem Generalatus Prælaturam idem redire non potest, nisi post sexennium, vt statutum super hac re factum confirmauit Paulus III. Constit. *Pastoralis Officij.* Dat. 12. April. 1549. Quod idem statuit Pius V. cit. §. In ipsis autem, vbi ordinat, quod omnes, siue sint Prouinciales, siue Priores, & Officiales per electionem constituti, non redeant ad eadem officia, nisi post sexennium. Alij officiales, qui sunt Prouincialis, Definitores, & Discretus eius, & Priores, sunt tantùm annales ex *cap. secundo* Regulæ, Paulo III. cit. vbi mentionem facit de Prouinciali, Discreto, & Definitoribus eligendis singulis annis, & de omnibus ex Pio V. cit. §. In ipsis autem. Possunt tamen protrahi vsque ad triennium per nouam electionem celebrandam 2. & 3. vice, non solùm de probata consuetudine, sed etiam de iure Regulæ *cap. 1.* circa finem, vbi insinuatur illis verbis. *Nec quisquam vltra triennium eodem fungatur officio.* De Prouinciali expressè in citato §. Pius V. imò in Regula, *c. 2.* dicitur, quod potest præfici per triennium, & sic per vnicam electionem, quod idem seruatur nunc de Discreto, & Definitoribus per vnicam electionem, & de Custode, de quo nulla mentio, neque in Regula, neque apud præcitatos Pontifices, de illo enim solus Clem. VIII. mentionem facit Constitut. *Decet Romanum.* Dat. 29. Iul. 1595. quem mandat eligi in Capitulo Prouinciali à præterito Prouinciali, à suo Discreto, à Prioribus cum suis Discretis, à Definitoribus Generalibus, & à Procuratore Generali, & non aliis.

Deducitur ergo ex his, quod solus Generalis potest prorogari ad sexennium; cæteri verò omnes durare possunt in suis officiis per electionem obtentis per triennium, & ad eadem redire non possunt nisi post sexennium ex citatis Constitutionibus Pontificiis.

Difficultas autem non leuis oritur, quia ex *cap. 1.* 21
Regulæ habemus oppositum expressis verbis. *Nec quisquam vltra triennium eodem fungatur officio, nisi vno minimum anno ab eodem vacauerit.* Ecce expressè hoc statutum aduersatur Pontificiis constitutionibus, transacto igitur anno quisque potest per nouam electionem redire ad idem officium, & de facto vidi redire multos, quo iure nescio. Compertum enim est, inferiorem nil statuere posse contra legem Superioris, *cap. Cum inferior, de maior. Clem. Ne Romani, de elect. aliis iuribus, & Doctoribus locatis à Barbosa iuniore lit. I, num. 21. Nauarr.* in specie de Religiosis non valentibus facere statutum contra ius Canonicum, aut aliquam constitutionem Pontificiam, *consil. 3. de elect. & consil. 26. de Regular. num. 4. Rodriq. tom. 1. quæst. 10. artic. 3. & tom. 3. quæst. 11. artic. 1. Mirand. tomo 1. quæst. 19. art. 7.* Ergo de iure præcitatum statutum, quo indulgetur, vt quis post annum redire possit ad idem officium, cum sit contra Constitutiones præfatas Pauli III. & Pij V. nullum est, & subsistere non potest, præsertim attenta Constitutione allegata Pij V. per quam approbat Regulam, in quantum non aduersatur suæ constitutioni, vt videre est §. Ipsarum verò. Et licèt dici possit Bullam Pauli III. non ampliùs habere locum, sed cessare, quia in ea præcipuè statuitur de alternatiua Generalatus, & Commissariatus, item aliorum officialium inter Venetos ex vna parte, & alios Patres cœterorum Italiæ locorum, quæ officialium dispositio sublata fuit consequenter à Pio V. dum extinxit Generalem, quem restituendo postea Sixtus V. noluit, vt eligeretur Generalis Commissarius, vt fiebat tempore Pauli III. Sublatis ergo Generali, & Commissario, in quibus cõsistebat principaliter constitutio Pontificia, dicendum est consequenter cessasse reliqua accessoria; non ideò tamen sublata fuit Bulla Pij V. per dictum Sixtum restituendo Generalem, cum, quoad hoc, eam reliquerit in suo vigore nihil

dispo

disponendo de reditu ad eadem officia, ergo standum est Bullæ Pij V. quod ad illud sexennium *argum. l. præcipimus Cod. de appellat. Nauar. consil. 1. de testam. num. 4.* ab antiquo siquidem iure recedendum non est, nisi quatenus in nouo est expressum; & procedit quoad omnes officiales, excepto Generali, contra quem datur illud sexennium solum à Paulo III. cuius Bulla cum sublata iam sit, ea probatis, non amplius illum ligat, sicut facit constitutio Pij V. respectu aliorum officialium, respectu quorum remanet postremo resoluendo difficultas, ad quam.

Dico nunc seruari citatum caput Regulæ, non quia de se subsistat de iure speciali, & statuti, cum sit contra Bullam Pij V. in hoc non sublatam, sed de consuetudine, dicam legitimè introducta, & vsu tanti temporis ritè præscripta, ex rationabili causa, cum plerumque non inueniantur homines Religiosi ad hæc officia apti, si stetur huic Decreto de sexennio. De his iterum infià *quæst.* 16.

Quæritur 7. An querela probata saltem per vnicum testem, possit querelatus promoueri ad electionem? & an impedire tempus præfixum electioni, si velit se purgare? & de subornatione aliquid. Casus autem fuit talis.

Quærelatus fuit N. de quibusdam delictis, sed quia depositio sufficienter non fuit probata, Superior eum admisit ad concursum Prioratus, eum proponendo liberè eligendum electoribus. Quia autem quærelans nolebat eum euadere Priorem, secreto electores subornauit, ne vota in eius fauorem dirigerent, allegando ad hoc rationabiles causas, cum esse indignum electione præsertim ob ea delicta, quæ licèt ea probare non potuerit, tamen vera sunt, & ita fecit se benè gerere, vt obtinuerit intentum. Quæruntur hic tria. Primum, Quæ probatio requiratur, vt quis possit repelli à promotione electionis? Secundum, An quærelatus ad se purgandum, & ostendendum se innocentem possit prorogare præfixum tempus, aut diem Capituli? Tertium, An dicta suasio fuerit subornatio?

22 Primo respondetur. Quærela probata saltem per vnicum testem idoneum non potest quærelatus promoueri ad electionem. Probatur expressè *per cap. Omnipotens 4. de accusat. vbi Gloss. citat cap. Laici dist. 33. cap. tantis, dist. 81. cap. fin. de testib. l. Reus delatus, ff. de mun. & hon.* Ratio id suadet, quia electus Superior ex officio suo cum debeat subditorum excessus corrigere *cap. 3. 11. quæst. 3. cap. 1. de off. ordin. cap. licet 31. de Simon.* quomodò id præstare poterit, si eisdem laboret vitiis? poterit enim argui. Medicè cura te ipsum. Quod verò ad probandum quærelam ne quis promoueri possit, docet *Nau. cons. 22. de heret. num. 6.* quod ad impediendam electionem videtur sufficere semiplena probatio, & per consequens depositio vnius testis integræ famæ, inquit *Lauor. tit. 4. de elect. cap. 19. num. 121.* Duo igitur requiruntur, vnus saltem testis, & qui sit integræ famæ, seu omni exceptione maior, is enim semiplenè probat. De vnitate testis probatur *arg. cap. super eo 22. de testib. & cap. præterea 12. de sponsal.* in quibus locis per dictum vnius quis impeditur à matrimonio contrahendo, *& cap. super eo 2. de consanguin.* repellitur per solam famam, ergo idem dicendum est in ordine ad electionem, quæ est spirituale matrimonium, *cap. inter corporalia 2. de translat. Episcop.* valet siquidem argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, *Euer. in eo loco, Barbosa in suis locis commun. lit. A, num.* 188. Testis autem semiplenè probare valens debet esse omni exceptione maior, qui & idoneus, seu integer, & vir bonæ famæ dicitur, cui nihil obiici possit, per quod à testimonio repellatur, *Ghislerius de iudice Regular. cap. 17. num. 85. Mirand. de ordine iudic. quæst. 17. art. 1. conclus. 2. vide Sanchez lib. 1. disput. 71. per totam*, vbi ponit conditiones requisitas ad hunc testem in causa Matrimonij, quæ etiam procedunt in causa electionis.

23 Secundo respondetur. Quærelatus ad se purgandum non potest impedire diem præfixum Capituli. Tum quia mora in electionibus est valde suspecta, imò sæpè damnosa, *cap. cum inter 18. de elect.* Tum quia Capituli non est Superior, neque est de numero vocalium, ergo nullum ius habet faciendi prorogare diem præfixum, est enim persona priuata in republica nullum ius habens. Demum sibi imputet, si non fuit diligens in purgando se debito tempore.

24 Tertio respondetur illa suasio non est propriè subornatio, sed bonum consilium, cum iustè, & ex officio charitatis monuerit electores, ne illum tanquam indignum eligant. Bona enim subornatio, quæ est prudens suasio, vt indigni, & defectuosi non promoueantur, neque eligantur ad dignitates, præcipitur omni lege, non prohibetur, sed solum mala, & iniqua, per quam indigni, seu etiam digni viis illicitis quodammodò electores cogendo, ad Prælaturas perueniunt. Præterea in casu nostro subornatio non refertur ad electionem præstandam, sed ad illius simpliciter impeditionem; iura autem prohibent subornationem in ordine ad futuram electionem, non ad illius electionem præcisè. De materia subornationis dixi aliqua *conf. 8. vide Nau. cons. 1. & 4. de elect. Rodr. tom. 2. q. 56. cum suo Comp. resol. 48. n. 48. Portel. ver. eod. Sigism. dub. 55. & 56. Lauor. tit. 4. de elect. can. c. 21. n. 19. ad 23.* vbi prius tractat hanc rem.

Quæres 8. An ex duobus tantùm propositis, aliis exclusis, possit sequi valida electio. Casus verò est talis.

25 Solent Prouinciales in suis Capitulis pro electione Guardianorum, seu Priorum proponere duos tantùm Patres ad concursum per electionem celebrandum, aliis exclusis. Difficultas est, an teneat electio inde secuta, & videtur quod sic argum. *cap. 1. Actorum*, vbi ex duobus propositis Iosepho, & Matthia, sors electionis cecidit super Matthiam. Ratio potest esse; quia electio est vnum ex pluribus capere, vt dictum fuit præced. *q. 5.* & pluralitas est contenta numero duorum *Reg. 40. in 6.* Nihilominus.

26 Resp. Electio non tenet. Probatur expressè per *cap. cum terra 14. de elect.* vbi huiusmodi consuetudo reprobatur proposita in casu nostro. Ratio est, quia restringitur libertas eligentium, quæ in eis debet esse ampla, sine qua electio consistere non potest, *cap. vbi periculum, §. cæterum, de elect. in 6.* Estque communis opinio, quam sequuntur *Sigism. dub. 52. num. 4. & 5. imò Rodr. tom. 2. q. 51. art. 11. Mirand. tom. 2. q. 25. art. 22. concl. 3. & cum eis Compend. resol. 58. num. 10. & citatus Sigism. in Addit. ad illud dub. 52.* refert decisum à Sacra Congreg. in hæc verba. *An stante libertate electionis, liceat Prælato Superiori proponere duos, vel tres, ex quibus necessariò vnus eligatur? Resp. censuit non licere.* Similem refert *Lauor. tit. 4. cap. 21. n. 16. qui num. 11.* posuerat nostram responsionem, *vbi Castellin. qui in suo tract. de elect. c. 3. n. 7.* dicit, quod quando electores præstiterunt causam restrictionis, tunc potest Superior restringere electionem ad tres, vel quatuor, facit *c. 46. de appell.* Dicas tu, valere electionem, quando electores contenti sunt illo numero, quia tunc dicuntur remanere in libertate, nisi fiat præiudicium aliis æquè bonis, & idoneis, sicut nominati, qui nulla ratione debent excludi, imò si iudicentur magis idonei præteriti, illa nominatio vitiosa est, & secuta electio, quæ de indignis subsistere non potest, imò neque de dignis si adsint digniores, vel quando non adsunt de illa patria alij idonei, tunc enim de iure debent vnum ex illis eligere, vt de communi tenent Doctores, referente *Sigism. cit. n. 5.* vel quando licèt duo solùm proponantur, Superior se tamen declarat nolle alios excludere, sed illos sibi videri idoneos præ aliis. His limitationibus potest saluari huiusmodi consuetudo in nostra Religione, quæ non obstat citato *cap. cum terra*, quæ reprobatur, quatenus cogit electores ad vnum ex duobus propositis, aliis exclusis contra voluntatem eligentium, & sic solutæ manent obiectiones. Quamquam magis expediret Religionibus electoribus relinquere amplam libertatem in celebrandis huiusmodi electionibus.

27 Quæres 9. De quibusdam præambulis, quæ ferè seruantur apud Regulares, antequam procedant ad electionem per suffragiorum conscriptionem in schedulis. Primo namque celebranda est Missa de Spiritu Sancto eodem die quo fit Capitulum, cui interesse debent cum Superiore omnes vocales, & cum sit pro re graui, siue fiat in Capitulo Generali, siue Prouinciali dicitur cum vnica Oratione, Gloria, & Credo, etiam si sit Dominica, ex Thesauro Sacrorum rituum, & eius omissio, & non interesse est graue illorum peccatum; non est tamen de essentia electionis, *Tabiena ver. Electio. 1. num. 20. Anchar. Panor. Butr. quos citat Sigismund. dub. 19. num. 5. & ex eo Lauor. tit. 4. cap. 19. num. 43.* secundo in loco electionis inuocatur ab omnibus simul Congregatis Spiritus Sanctus, *ex cap. cum terra 14. de election.* dicendo, *Veni Creator Spiritus.* Tertio leguntur constitutiones de qualitate, & requisitis elegendorum ex Decreto 36. Clem. VIII. de reformat. vnde in mea Religione desumuntur ex *cap. 1. & 2. Regulæ*, & legi etiam debet Constit. *Decet Romanum*, dat. 29. Iul. 1595. de modo
28 procedendi in electione. Quarto electores iurare debent, se electuros probiores, & magis idoneos, ex eodem Decr. 36. sed hoc iuramentum, cum alio iure non præcipiatur, quam per dictum Decretum, seruandum est, quatenus Constitutiones Clem. VIII. receptæ fuerunt, nam ante Vrbanum VIII. videbantur non esse vsu receptæ, vt insinuat *Sigism. dub. 26. num. 4.* post verò dicit debere recipi *dub. 56.* innouatas cum *Lauor. tit. 4. cap. 19. num. 50. & dixi consil. 8. §.* Respond, me. Alio autem iure non vidi præscriptum illud iuramentum electioni præmittendum, nisi in Concilio Basiliensi, quod non est generale, sed speciale, imò reuocatum in Concilio Later. sub Leone X. sess. 11. prout refert *Sigismund. in Addit. ad dictum dubium 19.* vnde quandoque minus malum est illius omissio, quam eiusdem delatio ex parte recipientium, via enim seruatur, & quandoque bonum esset, si saltem digni eligerentur. Neque præcipiendum est in virtute Sanctæ obedientiæ electoribus, cum hoc præceptum nullibi reperiatur expressum iure communi; *vnde Mirand. tom. 2. q. 23. art. 29. §. 7. & cum eo Sigism. dub. cit. 26 n. 3 reprehendunt Rodr. qui tom. 2. q. 51. art. 3.* requirit hoc præceptum ex cap. quia propter, sed reuerà neque inde id colligi potest.

29 Obserua autem, quod omissio vnius, vel singulorum, aut omnium præambulorum non vitiat electionem; tum quia sunt actus præuij; tum quia sunt eius accidentia; tum quia nullum adest decretum irritans, ergo eorum omissio non potest vitiare electionem.

30 Nouissimè Vrbanus VIII. per suum decretum in Congregatione Generali Sanctæ Inquisitionis habita 14. Apr. 1633. publicatum die 7. Iun. præcepit, vt Superiores Regulares singulis annis feria 6. post octauam Assumptionis B. M. V. in publica mensa, vel alio loco ad hoc deputato, vel in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, quocumque nomine appellentur, suos subditos commonerent de iniuncta omnibus obseruantia, & executione Apostolicarum constitutionum, & decretorum ad Sanctum Officium Inquisitionis pertinentium, sub pœna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ, ipso iure, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis. Sufficit autem legere per se, vel per alium summarium singularum Bullarum contentum in præcitato decreto. Hoc munus in singulis Conuentibus spectat ad immediatum Superiorem loci, ita quod si ibi resideat Generalis, aut Prouincialis, & omittatur huiusmodi lectio, seu commonitio, non enim est necesse verbaliter legere illud summarium, aut singulas Bullas, sed sufficit eos admonere de obligatione, quam habent circa tale, &c. cadit super locales Superiores pœna. In Capitulis autem Generali, & Prouinciali, eorum Prælati & Superiores, siue ante, siue post electionem, parum refert, quia ibi non leguntur vt quid connexum cum electione, sed incidenter, & ratione præfixi temporis.

Potest autem dubitari, an sufficiat vnica lectio in singulis Conuentibus, ita quod omitti possit tempore Capituli, & videtur responsio affirmatiua, quia adest disiunctiua, *vel*, quæ denotat sufficere alterutram lectionem; sed tutius est superaddere lectionem etiam in dictis Capitulis, quia ea dictio quandoque copulatiuè accipitur. Nomine autem Capitulorum veniunt Generale, & Prouinciale etiam intermedium, non verò locale, nisi Religio careat illis. 31

An autem ex inaduertentia, vel ex negligentia omittens prædictam commonitionem, seu lectionem incurrat dictas pœnas, & possit accusari? Resp. non incurrisse, si negligentia fuit leuis, non ingens, & temeraria, quia non peccauit mortaliter; Imò in foro externo excusari potest, & ignorantia probari inculpabilis ex sequentibus causis; vt si postea quamprimum fecit legere; si erat ægrotus; si aberat à refectorio ex legitima causa; si admisit conuiuium benefactorum, vel alia simili causa fuit impeditus. *Vide Homob part. 2. Resp. 104. Peyrinum tom. 3. priuileg. cap. 12. ad dictum decretum de celebratione Missar. num. 4.* vbi ait non incurri dictas pœnas, si non legantur præfixo die, modò subsequenter legantur, quia tempus præfigitur potius ad rememorandam obligationem, quam hanc annectendam huic diei præfixo; ex eo *Trimarchus de solicit. disput. 1. sect. 5. num. 16.* 32

Quæres 10. An electio Simoniaca, seu quæuis alia prouisio ad officia, & dignitates in Religione sit ipso iure nulla, & ex ea inducatur excommunicatio.

Resp. Electio simoniaca non est irrita, sed tenet, licèt irritanda, neque electus per hoc incurrit excommunicationem, de iure communi.

Primùm, quod non sit irrita, suadetur, quia in iure non reperitur huiusmodi decretum irritans, *vt docet Sigism. dub. 58. num. 7. §. Hanc §. Dico. Bonac. de Simon. q. 7. p. 2. num. 24.* vbi asserit officia spiritualia Religiosorum, vt Abbatis, Prioris, Generalis, & Prouincialis, & similium validè obtineri, etiamsi per simoniam consequantur, & hoc dicit ex opinione *Nau. cap. 23. num. 111. §. 7. Lessij lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 137. Azor part. 3. lib. 12. cap. 21. quæst. 6. §. quæres, à quibus non videntur discrepare Ang. ver. Simonia 6. num. 9. Siln. q. 12. Tabiena q. 73.* dum asserunt excommunicationem non incurri, nisi ob simoniam in ordine, & beneficio intellige seculari ex infrà dicendis. 33

Oppositum quod nulla sit electio, & excommunicatio ex ea inducatur, tenent expressè *Cajet. c. 72. Armil. ver. excomm. 59. Sorbus ver. Simonia §. 2. notandum, Rodr. tom. 1. quæst. 20. art. 13. & alij apud Bonac. quæst. 7. de Simon. part. 2. num. 24. per extr. comm. cum detestabile, de Simon.* & Constit. *Cum primum.* 5. Pij V. quam refert quar. ver. Simonia, ex quibus locis constat quamcumque electionem ex Simonia procedentem etiam in Monasteriis esse ipso iure nullam, & irritam. Sed reuerà prior opinio excludens ab illis iuribus electiones Regulares verior est, quod probatur. Tum quia officia Regularia non sunt propriè beneficia *Rodr. tom. 2. quæst. 26. art. 2.* quia beneficia sunt perpetua, officia Regularia ad tempus, & facilè reuocabilia. Tum quia vtraque constitutio loquitur de beneficiis, dignitatibus, & aliis officiis frugiferis illis verbis. *Nec inde faciat aliquis fructus suos sed ad illorum omnium, quæ recepit restitutionem, sub animæ suæ periculo sit adstrictus.* Quæ verba ita sunt clara, & referuntur ad Clericos Seculares, vt nullus relinquatur dubitandi locus, quia Regularia nullos habent adiunctos fructus, neque electi possunt facere fructus suos, aut restituere, paupertatis voto repugnante. Tum quia verba intelligenda sunt secundum vulgatum loquendi modum, vt iuribus citatis refertur *à Barb. lit. V. num. 7.* sed inter Regulares, & Seculares inusitatus est is modus loquendi, quod eorum Prælati dicantur habere beneficia. Nec vrget ver. *Monasteriis*, quia Clerici Seculares eligi possunt ad beneficia adnexa Monasteriis, de qua re vide *Nau. cons. 6. de vi rep.* & multa Monasteria

gubernan

gubernantur per clericos relicta à regularibus, *cap. inter quatuor. de relig. domib.*

Dices prædictis obstare Constitutiones Clem. VIII. *de reformatione regularium, num 35.* vbi dicitur. *Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur.* Quas confirmauit Paulus V. & postea Vrbanus VIII. anno 1624. die 21. Septembris in eiectis, & fugitiuis §. *Ac primo easdem innouando cum suis pœnis, & censuris,* vt refert Sigism. *dub. 56. num. 1. & 2.* & idem Clem. VIII. *in Constit. de largit. mun. §. 26.* pœnas ampliauit contra eosdem simoniacos.

Respond. me loquutum fuisse de iure communi, nam allegatæ constitutiones sunt de iure speciali religionum, inter quas religio Tertij Ordinis pro Italis nullam habet ex huiusmodi constutionibus pœnam infligentibus contra Simoniacos, & malè subornantes in electionibus, & ideo nulli pœnæ, aut irritationi subiacet in hac religione electio simoniaca, nisi in Hispania, & Portugallia ex Clem. VII. constit. *Ad vberes,* pag. 76. illis verbis. *Qui ve promissione, minis, vel alia quauis via illicita publicè, vel occultè quouis modo per se, vel alium in visitatorem, præsidentem, seu definitorem, vel Ministrum, vel alium officialem eligi procurauerit eo ipso quocumque officio obtento sit priuatus, & per decennium ex tunc inhabilis existat ad quæcunque officia, & actus legitimos tam actiuè, quàm passiuè.* Quod si prætetea cuilibet religioni in communi ibidem statuatur pœna priuationis officiorum ex subornatione, seu simoniacè obtentorum, cum perpetua inhabilitate ad quæcunque, hoc procedit pro foro externo, non enim vsu receptum est, vt refert *Sigism. dub. 58. numero. 7. §. Hanc,* & fusius *Sanch. lib. 9. disp.* 30. vt huiusmodi pœnæ priuationis officiorum etiam ipso iure inflictæ incurrantur ante sententiam, sed electiones vis validæ sustinentur. Insuper dici potest dictas constitutiones non fuisse à regularibus acceptatas, vt de Bulla circa largitiones munerum testauit *Megal. consil. 33. num. 19. & multi alij cum Diana resol. 1. de paupert. relig.* & non est mirum, cum hisce temporibus humana ingluuies multum delectetur muneribus.

34 Secundum, quod ex simonica electione non incurratur excommunicatio de iure communi dictæ extr. de simon. iam supra patet ibidem sermonem esse in ordine ad beneficia secularia, vt aliis citatis expressè docet *Bonac. q. 7. de simon. p. 1. §. 11. num. 4. §. Ego vero.* Dixi iure communi, quia in quibusdam religionibus illam incurrunt subornantes in electionibus, quas vide apud *Sigismund. dub. 56. num. 8. qui num 9.* pœnas statutas contra regulares vnius religionis in electionibus non extendi ad religiosos alterius ordinis, contra quos nihil statutum fuit, quia odiosa non extendantur, & regulares communicant in priuilegiis sibi gratiosis, non autem in onerosis, & odiosis, vt in aliis etiam casibus docent *Rodr. tom. 1. q. 55. art. 17. ad finem, Mirand. tom. 2. q. 46. art. 6.*

Quæres 11. An pater Prouincialis in proximo capitulo intermedio, infra sex, aut octo menses celebrando, possit proponere, & propositum eligere cum suo definitorio, si placebit, quemdam patrem dignum, & benemeritum in Priorem sui conuentus in quo iam terminauerat hoc idem officium in proximo capitulo prouinciali prætetito? Ratio dubitandi, cur non possit, est duplex, vna quod de præsenti est custos, vnde cum vnus vix vnum possit implere officium, *cap. Presbyteros dist. 59. c. fi. de cler. non resid. c. 1. de consuet. in 6.* videtur illi sufficere custodiatus. Altera est, quod huic electioni obstat regula huius Ordinis capit. prope finem his verbis. *Ne quisquam vltra triennium eodem fungatur officio, nisi vno minimum anno ab eodem vacauerit.* Cum autem nondum octo Menses fuerint transacti, nulli dubium videtur, non posse eligi in Priorem.

Respond. Potest Pater Prouincialis sine dubio cum suis definitoribus procedere ad eius electionem, obiectis non obstantibus, quia annale spatium interponendum, non est intelligendum de anno naturali dierum 365. sed de anno ciuili, hoc est, de spatio inter vnum, & alterum capitulum interiecto, quouis tempore celebrentur, quod; 35

Primò probatur, quia in honoribus annus ceptus habetur pro completo, *leg. ad Rempublicam. ff. de mun. & honor & concordat glos. ver. Exegerit, cap. Cum in cunctis de elect,* vbi licet hoc reijciat quo ad electionem Episcopi, non tamen excludit quo ad electionem inferiorum, cuiusmodi est electio prioris, & quamuis ibi sermo sit de ætate, tamen etiam ad tempus extenditur, & eo magis cum tempus ætatis sit plus considerandum, quam vacationis ab vno ad aliud officium; ergo si tempus ciuiliter attenditur quo ad ætatem, multo magis quo ad vacationem.

Secundò verba ciuili modo sunt intelligenda, *l. pœn. ff. ad exhibend.* etiam in materia temporis, & occasione electionis, *glos. ver. Idem tempus c. Cupientes de elect. in 6.* Prædicti autem statuti verba intelliguntur, legali, seu ciuili modo, si annus accipiatur ab vno ad aliud capitulum, verba enim formaliter accipienda sunt *Nauar. cons 3. de Cler. non ordin. §. Contrariam,* siquidem verborum substantia, & sensus, non sonus attendendus est, *cap. Propterea 8. cap. Ita iis, 15. ad finem, de verb. signific. l. Insulam. ff. præscript.*

Tertiò, in statutis huius Religionis tempus electionis non computatur naturaliter secundum Solis cursum, sed legaliter, secundum computum Festorum Mobilium, nam Capitulum Generale celebratur vnoquoque triennio de statuo Regulæ capit. post tertiam Dominicam Paschæ, de consuetudine verò approbata, quæ nunc seruatur in vigilia Pentecostes. Capitula verò Prouincialia singulis annis, nullo à Regula statuto tempore, de consuetudine, seu potius iure exemplari post tertiã Dominicam Paschæ, iuxta quod antiquitus ante Sixtum V. celebrantur Capitula Generalia, ergo & idem dicendum est de hoc tempore annali vacationis ab officio, non enim est maior ratio cur triennium Capituli Generalis, & Capitula annualia computentur legaliter, seu ecclesiasticè, & non hoc annuale vacationis.

Quartò, absurdus intellectus ab omni dispositione remouendus est, l. *Nam absurdum ff. de bonis liber, cap Cum inter, de except. cap. Dudam, de prabead. in 6.* & ad illum euitandum omnis interpretatio est admittenda, asserit *Anton. Monachus Lucens. dec. 64. nu. 30. & ex eo Barb. de locis commun. lit. A. num. 5.* Sed posito intellectu illo, de quo in ratione dubitandi sequitur absurdum, nempè Priorem finito suo officio post annum naturalem, non posse, vt plurimum, eligi iterum in Priorem, contra dictum Regulæ statutum, nam tempus quo ad creationem officialium singulis annis variatur, ita quod annus modo restringitur, & ampliatur, & nunquam in eodem statu permanet, ergo vt vitetur absurdum, annus accipiendus est legaliter ab vno ad aliud capitulum. Deinde eo anno, quo celebratur Capitulum Generale, Prouinciale fit post Mensem, & quando post plures à die Pentecostes, ita quod Prior, qui finiuit suum Prioratum in eo capitulo, non potest iterum eligi in subsequenti intermedio, quod semper fit ante Pentecostem; sed id aduersatur præcitato Regulæ statuto, ergo, ne sequatur hoc inconueniens annus vacationis ab eodem officio computandus est à cap. ad cap.

Quintò, ratio, quæ canoni, & legi æquiualet *cap. Consuetudo dist. 5. & æquitas, quæ* rigori præfertur, *l. Placuit C. de iudic. cap. fin. de transact.* id suadent,

nam iste Pater est benemeritus de illo Monasterio, cum triginta ab hinc annis illud intrepide cum summa prouidentia gubernauerit, & auxerit diuitiis; ergo ratio, & æquitas suadent, hunc esse eligendum iterum in Priorem, vt possit alacriori animo prosequi beneficum Monasterij, & alium non esse interijciendum, ne frustretur bona voluntas tam spectati viri.

Ab hac responsione non multum distat Rodr. imò hoc idem pœnitus videtur asserere *tomo 2.q.52. art.12. cui assentitur Pater Bobadilla eiusdem Ordinis Minor. de Obseruantia apud Mirand.tom.2. quæst.56 art.6. & ex nostris Antonius de Sillis ad citatum caput, Annot.1.§.Non est tamen.*

Demum non obstat prima ratio, quia illi textus locum habent, quando duo officia sunt incompossibilia, cuiusmodi non sunt Custodiatus, & Prioratus, vnde ex ordinationibus huius Ordinis Tertij editis anno 1601. Custodes possunt esse Priores. Ad secundam rationem patet ex hactenus dictis illum annum accipiendum esse ciuili modo ab vno ad aliud capitulum. Sed immorandum non est in hac difficultate, quia vt audio, bello grassante inter Gallos, & Hispanos in maximam perniciem fere irreparabilem Ducatuum Mediolani, & Farnesiorum, forsitan differetur etiam post annum naturalem, vt postea de facto accidit,& sine ea difficultate dictus Pater electus fuit in Priorem hoc anno 1636. die 6. Aprilis.

Quæres 12. An Prior eligendus sit de gremio eiusdem Conuentus? & alij officiales totius Prouinciæ ex eadem Prouincia.

36 Respond. Sunt eligendi, si tamen extranei eligantur, tenet electio, nisi adsit in contrarium Decretum irritans, vel consuetudo, vt *probaui resol. 10. quæst. 15. §. An teneatur.*

Quæres 13. Quid statuatur in Religione Tertij Ordinis tam iure Pontifico, quam speciali seruandum circa electionem canonicam officialium Religionis? Nimirum quinam Religiosi possint procedere ad electionem?

37 Resp. Ioannes XXIII. Constit. *Personas vacantes*, Dat.26.Aug.1414. pag.19. factum in Religione statutum, quod omnes Fratres de Conuentu procedant ad electionem sui Ministri, seu Prioris sui Conuentus, confirmat; nil de aliis Superioribus, quia tunc illis carebant Flandrenses. Deinde Eugen.IV. Constit.*Immensum*, Dat.6. Febr. 1442. concessit pag. 34. Hispanis Generalem ex proprio Ordine, ad cuius electionem procedunt ex singulis Conuentibus superior localis dictus Minister, & alter D. Discretus Conuentualis electus ab ipso Conuentu; isti Patres vocales eligunt etiam quatuor Definitores,& Notarium, seu Scribam ipsius Generalis, quæ omnia, licèt ita non exprimantur in dicta Bulla Eugenij, claré tamen habentur in Constitut. *Ad vberes*, Dat. 15. Martij 1526. Clem.VII. pag.77. vbi dicitur etiam, quod Generalis non censetur electus nisi concurrat maior pars Ministrorum, & Discretorum. Subinde Nicol.V. Constit.*Pastoralis officij*. Dat.20.Iulij 1447. pag.35. Italis concedit, quod congregent capitulum Generale, in quo eligatur Generalis ab omnibus accedentibus cum suis quatuor Definitoribus, & licèt loquatur vniuersaliter per dictionem, *Omnes*, non tamen huiusmodi generalitas extendenda est ad quosuis religiosos, sed ad accedentes vti vocales, qui nimirum sunt Prior, & Discretus Conuentuales, nam verba quantumuis generalia restringuntur ad suam formalem significationem, nimirum ad omnes vocem habentes in capitulo. Ibidem etiam ordinatur, quod Ministri locales, seu Priores in singulis Conuentibus eligantur à Generali cum suis quatuor Definitoribus. Ita etiam claré ordinantur in Regula nostra cap. 1. Et hæc forma electionis hic in Italia seruata fuit vsque ad Clementem VIII. qui in subiecta constitutione alium modum decreuit. Idem Nicolaus, V. pro Leodiensibus constit. *Apostolicæ Sedis*. ordinat, quod omnes, & singuli Fratres conueniant ad capitulum Generale pro electione Generalis, intellige omnes vocem habentes, nimirum Ministros, & Discretos Conuentuales. Iulius II. constitut. *Decet Romanum*, Datum 9. Ianuarij 1508. dicit, quod in capitolis Generalibus procedatur ad electionem Visitatoris Generalis secundum morem, & ordinationes Fratrum Minorum, & sermo est de Italis pag. 56. Leo X. in Regula cap. 5. pag. 86. dicit, quod Priores Ministri eligantur per suos Conuentus, vel instituantur per suos Prouinciales, seu Visitatorem Generalem. Paulus III. constit. *Pastoralis officij*, Datum 12. April. 1549. statuit, quod apud Italos eligantur duo patres vnus in Visitatorem Generalem, & alter in Commissarium pariter Generalem, hoc ordine, quod quando eligitur vnus ex dominio Venetorum in Generalem, alter ex dominio reliquarum partium Italiæ eligatur in Commissarium, & hoc de triennio in triennium alternatiuè. Deinde ordinatum fuit, quod duo Vicarij,& discreti Prouinciales, ac Definitores ex ambabus partibus æquales numero pro qualibet parte eligerentur de anno in annum duraturi, & si quis eorum in officio decederet, alter posset à Visitatore substitui ex parte mortui, ita quod quælibet pars posset suos Definitores eligere. Pius V. constitut. *Ea est officij*. Dat. 3. Iulij 1568. extinguendo Generalem, vbi pag. 86. mandauit, vt Prouincialium, quos ibi vocat Prouinciales Visitatores, electio fieret de idoneis Fratribus per secreta suffragia. Sixtus V. constit. *Romani Pontificis*. Dat.29. Iulij 1595. pag.91. restituendo Generalem, non autem Commissarium, iuxta Bullam Pauli III. indulsit, vt in singulo triennio Congregarent capitulum Generalem,& in eo eligerent Generalem,& alios Ministros, & officiales eisdem modo, & forma, quibus antequam literæ Pij V. emanassent consueuerant eligere; hoc est, suffragantibus in capitulo pro electione Generalis omnibus Prioribus,& Discretis Conuentuum. Quia autem quamplures erunt Conuentus, ac proinde multitudo vocalium procedebat ad hoc capitulum cum graui, & importabili dispendio totius Religionis, fuit supplicatum Sanctitati Clem.VIII. qui hunc numerum vocalium restrinxit ad tres tantum in qualibet Prouincia, præcipiendo, vt electio Prouincialium, Ministrorum, & aliorum, fieret in singulis Prouinciis; vnde nunc seruatur huiusmodi forma relictis omnibus aliis suprà relatis; Bullam mox referam.

Colligo hinc tempore Pauli III. anno 1549. extitisse quatuor tantum Prouincias, ratione accepta à numero Prouincialium, qui quatuor tantum eligebantur, & non plores; quod etiam obseruat Pater noster de Sillis *super primum caput Regulæ pag. 40.* Subiicitur autem Bulla Clementis VIII. Dat.19. Iulij 1595. pag.91. his verbis. 38

Decet Romanum Pontificem, in his authoritatis suæ partes libenter interponere, per quæ Religiosorum statui, eorumque prospero regimini opportunè consulitur. Sanè pro parte dilectorum filiorum Visitatoris Generalis, & aliorum Superiorum, ac Fratrum Tertij Ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia, nobis fuit expositum, quod cum aliàs prædictus Ordo non ita propagatus esset, statutum fuit, dilectos filios Priores, & Discretos Conuentuum, ac Domorum dicti Ordinis Capitulis Generalibus, quæ quolibet triennio pro electione noui Visitatoris Generalis, & quatuor Definitorum Generalium fieri solent, interesse, & vota cum cæteris in eo habere debere. Cùm autem dictus Ordo in varias Prouincias, benedicente Domino, diffusus, & auctus ad præsens existat, valdeq; molestum sit, & dispendiosum tot Fratres ad Capitula Generalia conuocare, quinimò confusio ob ingentem numerum multoties inde prouenire soleat. Nos cupientes his, & aliis incommodis opportuna ratione occurrere, dicti Visitatoris Generalis supplicationibus inclinati authoritate Apostolica

lica

dica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus in electione noui Visitatoris Generalis, ac etiam Definitorum Generalium in ipsis Capitulis Generalis, ac etiam Definitorum Generalium in ipsis Capitulis Generalibus facienda Visitator Generalis præteritus, necnon ex qualibet Prouincia vnus Prouincialis, ac Discretus, & Custos similiter Prouinciales, & non alij, Generalibus Capitulis interesse, & votum habere possint. In electione verò nouorum Prouincialium, Custodum, & Definitorum Prouincialium in Capitulis Prouincialibus facienda Prouinciales, Priores, & Discreti Conuentuum, necnon Definitores Generales actuales, ac demum Procurator Generalis tunc existens vota habeant. Ad Priorum verò, & Discreti Prouincialis electionem Prouincialis, & quatuor Definitores Prouinciales tantum procedant.

Mandamusq; vt electiones omnium, ac quorumcumque supradictorum per vota secreta in schedulis conscripta fiant, & statim facta electione schedulæ comburantur, ita vt eligentium vota nunquam publicari possint.

Ac prohibemus, vt nullo pacto in Capitulis Generalibus electiones Prouincialium, ac Priorum fiant, sed tantum in qualibet Prouincia suus Prouincialis, Discretus Prouincialis, & Priores creentur.

Decernentes, omnes, & singulos Visitatoris Generalis, Prouincialium, ac Discretorum, & Custodum etiam Prouincialium, necnon Priorum, & Definitorum prædictorum, seu quorumuis eorum electiones, quas contra his traditam formam fieri pro tempore contigerit, eo ipso nullas, & nullius momenti esse, ac fore, illisque non obstantibus, ad alias electiones, iuxta huiusmodi formam procedi posse, ac debere.

Necnon irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon prædicti ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alias roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die 29. Iulij. 1505. Pontificatus nostri, anno 4.

40 Difficultates nonnullæ emergunt ex intelligētia huius præscriptæ constitutionis. Prima est. An præter Priores, Discretos Conuentuales alij accederent ante dictam Bullam ad capitulum Generale, quod affirmatiuè videtur colligi ex illis verbis; *Et vota cum cæteris habere debere.* Secunda est, An sub illis verbis. *Visitator Generalis præteritus*, veniant omnes præteriti Generales, non solum immediatè præteritus? Tertia est, An Generalis actualis præsens in capitulis Prouincialibus, seu intermediis, aut Congregationibus habeat votum pro eligendis Prouincialibus, Custodibus, & Definitoribus, ac etiam Prioribus, non obstante particula, *Tantum*, & quod non exprimatur inter vocales? Quarta est, An Prouinciales habeant votum respectu cuiuslibet Prouinciæ in capitulis Prouincialibus, seu Congregationibus, ita quod Prouincialis e. g. Brixiensis possit suffragari in capitulo Mediolanensis Prouinciæ, quod videtur colligi ex illis verbis. *Prouinciales præteriti*, cum loquatur in plurali, & cum pro qualibet Prouincia sit vnicus Prouincialis, vtendo Summus Pontifex numero multitudinis, videtur voluisse Prouinciales in quauis Prouincia, & non tantum in propria votum habere. Quinta est, An Procurator Generalis in quauis Prouincia possit suffragari, quamuis ibi casu, vel consulto reperiatur ad suffragandum, an vero solum, vbi actu est de familia? quod ita videtur ex illis verbis. *Ac demum Procurator Generalis tunc existens*, adde de familia. Sexta est, An Definitor Generalis possit suffragari in quouis capitulo Prouinciali, seu Congregatione? quod videtur, quia Definitor Prouincialis suffragatur in sua Prouincia ad electionem Priorum, & Discreti Prouincialis, ergo & Generalis Definitor, cum non sit deterioris conditionis, immo potioris. Septima est, An votari possint sine schedulis, quod contingere potest duobus modis, voce nimirum viua, quando suffragatores accedunt ad scrutatores, & Notarium, illis oretenus iudicant secreto suum votum, aut voce mortua per fabas vel quid simile immissum in pixide nuncupato, *Bossolo*, vulgari idiomate. Et videtur quod sic, quia in Regula hi duo præscribuntur modi seruandi, vt videre est cap. 1. Octaua, An si schedulæ non comburantur, vitietur electio? & videtur quod sic ex illis verbis. *Electiones, quas contra hic traditam formam fieri pro tempore contigerit eo ipso nullas.* Nona, An publicatio alicuius voti suffragantium vitiet electionem? & videtur quod sic ex allatis verbis, præterquam quod præcipitur, vt nunquam publicentur. Decima est, electiones præfatæ contra formam ibidem factæ sint ipso iure nullæ? Vndecima est, An si fiat secunda electio sine declaratione, & cassatione prioris attentatæ contra hanc formam, posterior celebrata secundum formam hanc teneat?

Respond. Primò, præter Priores, & Discretos Conuentuales ad capitulum Generale accedebant Commissarius Generalis, Prouinciales, & eorum Discreti, vt expressis verbis dicitur cap. 1. Regulæ, in supracitatis Constitutionibus fit tantum mentio de localibus Superioribus, & Discretis, non autem de Commissario, neque Prouincialibus, aut eorum Discretis, quia nondum erant, nisi à tempore Pauli III. cit. Constit. *Pastoralis Officij*. Dat. 12. Apr. 1549. 41

Secundò nullus Generalis præteritus, excepto immediatè præterito, habet vocem in capitulo Generali, neque in aliis capitulis, siue sit mediatus, siue immediatus, cui soli competit votum in Generali capitulo, & hoc satis indicant verba allata, Visitator Generalis præteritus, in numero singulari, sermonem esse de eo, qui postremo finiuit suum officium 42

Tertiò, Generalis in quibusuis capitulis siue suis Generalibus, siue Prouincialibus, vel intermediis, aut etiam in quouis alio negotio habet suum votum efficacius, & potentius præ aliis suffragatoribus quoad authoritatem, & excellentiam, non quoad excessum, cum eius vox vnicum sit suffragium, ac aliorum vocalium; nisi expressè prohibeatur in terminis a Sede Apostolica, vel aliquo ordinis capituli Generalis statuto, 43

Primum, quod voceat in omnibus, suadetur, Tum authoritate Summorum Pontificum, tum ratione. Authoritas est primo Eugen. IV. Const. *Iniunctum nobis*, pag. 31. illis verbis. *Ac etiam per seipsum duntaxat capitulum Generale huiusmodi congregare, illique præesse, ac idoneos ex dictis Fratribus ad officia domorum, & locorum prædictorum, quoties illa cessare, seu expirare contigerit deputare, & instituere.* Est pro Hispanis Nicolaus V. Constitut. *Pastoralis Officij*, pro Italis pagina 34. Ita disponit, *Nec non in singulis domibus, Oratoriis, Capellis, & aliis eorum locis, & Hospitalibus singulos ministros idoneos deputandi, & eligendi.* Quod idem exprimitur in Regula cap. 1. vbi loquitur de capitulo Generali trienali, in quo Pater Generalis olim cum suis quatuor Definitoribus eligebat Prouinciales cum suis Discretis pro singulis Prouinciis, & Priores pro singulis Conuentibus. Et cap. 2. vbi agitur de capitulis Prouincialibus annualibus habentur hæc verba. *Nouus Vicarius per nominationis scrutinium, vel per secretam electionem fabarum eligatur, aut vetus confirmetur. Hunc à maiori capituli parte electum principalis Minister comprobare debeat, & teneatur; si verò indignum elegissent, tunc Principalis Minister cum definitoribus eligendis alium præponere, ac eligere possit, & debeat.* Neque dicas, huiusmodi authoritates hisce nostris temporibus euacuasse habito respectu ad suprà positam constitutionem Clementis VIII. in qua Generali actuali nulla conceditur facultas; sed solum immediatè præterito tribuitur facultas suffragandi pro electione noui Generalis, & quatuor Definitorum Generalium, actualis

lis enim Generalis neque ad hoc nominatur. Quia licet non eaprimatur, neque nominetur in ordine ad votum habendum, nihilominus neque eacluditur per dictionem taxatiuam, nam particula, *tantum*, respicit duo, vnum capitulum tantum Prouinciale, in quo Priores eligendi sunt, eacludendo capitulum Generale, in quo amplius eligi non possunt, alterum vocales ibi eapressos, excludendo Definitores generales, per inclusionem Definitorum Prouincialium, aliàs illi viderentur æquales in suffragando Generali, si in omnibus electionibus, & vbique possent suffragari. Et Pater Generalis cum sit Principalis in religione & speciali nota dignus, non intelligitur eaclusus à suffragiis quibuscumque nisi eapressè excludatur, in locutione enim generali non veniunt illi, qui habent nomen speciale, & elegans, *ex cap. de multa de præbend. ex cap. Sedes Apostolica, de rescr. ex cap. fin. de off. deleg. in 6. cap. Ne aliqui, de priuil. in 6. Gutier. lib. 3. practic. quæst. 16. num. 51. & ex illis Trimarchius de solicitat. in confess. disput. 8. num.* 43. Ratio est, quia omnis facultas ad quæcumque negotia dispersa in inferioribus officialibus subiectis suo Generali, perfectiori modo reperitur collecta in ipsomet capite, a quo descendit in omnes inferiores subditos vti eiusdem capitis membra. Deinde non est minor potestas in Generali, immo maior, quam sit in Definitoribus Generalibus, & Procuratori; sed isti suffragantur in electione Prouincialium, Definitorum eorum, & Custodum, vt patet clara in Bulla Clementis, ergo & Generalis, quamuis ibi non nominetur.

Secundum, nisi id eapresse illi prohibeatur in terminis, suadetur ex mox dictis, quia Generali non præiudicatur per prohibitionem eapressam verbis ordinariis, seu communibus non facientibus mentionem de ipso, cum sit speciali nota dignus, & in religione suadicatur Principalis Superior, & Minister, quo nomine sæpius vocatur in Bullis Pontificiis supra citatis initio quæstionis.

Tertium, nisi prohibeatur aliqua speciali lege aut statuto, quia tunc certum est, non posse suffragari, vel tractare negotium sibi prohibitum, vnde in Regula *capit.* 28. illi prohibetur constructio nouorum Conuentuum sine consilio, & assensu Capituli saltem illius Prouinciæ, in qua constituendum est.

44 Antonius de Syllis *super capit. 2. Regulæ Annot. 2.* asserit, quod Pater Generalis ea consuetudine immemorabili votum præbet in omnibus capitulis, congregationibus, & definitoriis Generalibus Prouincialibus, & Conuentualibus, item & Vicarius Prouincialis in omnibus capitulis conuentualibus suæ Prouinciæ. Placet assertum, eaercitium, sed displicet ratio, in qua fundatur, nimirum in consuetudine, quia hanc potestatem non habent ex consuetudine, quæ nulla est, cum sit reprobata saltem post Bullam Clementis, vt mox probabo, siquidem dicti Patres suffragantur de iure sui officij, vt probant authoritates, & rationes, superius adductæ. Quod autem huiusmodi consuetudo quantumuis immemorabilis nulla sit constat, tum ex verbis expressis in Bulla dicti Clementis, ibi. *Non obstantibus quibuscumque, & consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Ergo si Pater Generalis ex vi huius Bullæ excluditur à suffragiis in Capitulis inferioribus Generali dandis, non potest suffragari titulo consuetudinis, cui Papa derogauit eapressè, neque potuit de nouo induci consuetudo contra hanc specialem legem, eo quod non possit esse rationabilis, neque proinde præscribi argument. eorum quæ habet *gloss. ver. Rationabilis capit. final. de consuetud.* Præterquam quod consuetudo contra Decretum irritans quale reperitur expressum in nostra Bulla, non valet, *cap. Quod super his, de consang. cap. Super eo, de cognat. Spirit. Conarr. parte 4. cap. 6. §. 10. num. 35.* & ex eis *Lauorius tit. 4. de elect. cap. 21. num. 132.* vbi *num. 133,* reddit rationem, quia lex irritans facit personam incapacem, quem defectum tollere non potest consuetudo reddendo personam habilem *Suar. de legibus lib. 7. cap. 19. num 13.* tradit etiam aliis citatis *Sigism. de elect. dub. 3. num. 9.* Quare solidiori ratione fundatur nostrum assertum præscindendo à Bulla hac, quæ nil pro, aut contra Superiorem Generalem quoad suffragium disponit, ergo sicut antequam emanasset, poterat, imò habebat vocem in omnibus, & per omnia, ita & postea retinuit idem ius, cum à nullo Summo Pontifice, aut Capitulo Generali sublatum hactenus fuerit.

45 Quartò, vnusquisque Prouincialis pro eligendis officialibus suæ Prouinciæ, & non extra in aliis, votum habet, quia nullus debet eacedere virtutem suæ sphæræ, & quilibet dicitur Prouincialis pro, & in sua Prouincia, extra quam censetur persona priuata, neque illa pluralis locutio. *Prouinciales præteriti*, veaare habet intellectum, quia sumitur distributiuè, id est, vnusquisque in propria Prouincia, & cum plures sint Prouinciæ pluralis locutio ad eas refertur, non ad pluralitatem votorum pro aliis Prouinciis.

46 Quintò, Procurator Generalis in quauis Prouincia potest suffragari in electione Prouincialis, Custodis, & quatuor Definitorum prouinciæ, quia est Officialis totius Religionis, & hoc officium cum eo est deambulatorium, ergo vbique potest vocem habere. Nec vrget illa particula, *Tunc existens*, quia non determinat locum, sed refertur ad eum, qui actu habet eiusmodi officium.

47 Sextò, Definitor Generalis vbique suffragatur ad illa tria genera officiorum, Prouincialatus, Custodiatus, & Definitoratus Prouinciæ, eo quod illi non limitatur aliqua Prouinciæ, in qua debeat habere vocem. Non tamen suffragatur in electionibus Priorum, quia ad has solum Definitores Prouinciales cum Prouinciali procedūt, vt expresse dicitur in Bulla: neque generalitas conuincit specialitatem, cum generi per speciem derogetur, & sic possunt procedere Definitores Prouinciales, non Generales. Et id specialiter probaui *quæst.* 4. hic.

48 Septimò, Vota conscribenda sunt ab ipsomet vocali in schedulis, vt expresse dicitur in Bulla, vnde excluduntur alij duo modi suffragandi assignati in Regula, quamuis sint boni, maximè per Ballorationem, seu fabas, vt aiunt, quos modos suffragandi clarè eaposui supra initio huius resolut. §. *Scrutinium.* Aliter ergo datum votum infringit electionem, vt eapresse ibidem dicitur, & notaui §. *In mea.*

49 Octauo, ex omissa combustione schedularum non irritatur electio iam facta, & publicata, quia quod semel suum valorem habuit non dicitur postea de iure irritum esse, sed irritari, & cassari facto iudicis; electio autem habuit omnia sibi requisita essentialia, ergo tenuit, & valida fuit. Confirmatur, quia omissio combustionis schedularum est quid posterius ad esse electionis, consequenter essentialia electionis cum debeant esse simul cum electione, huiusmodi combustio non potest spectare ad essentiam electionis, & sic illam infirmare non potest, neque eius valorem impedire. Neque obstat clausula illa. *Contra hic traditam formam*, quia ibi sermo est de forma essentiali electionis, vt nimirum eligant habentes tantum vocem; & votum conscribatur in schedula, & fiant electiones vnaquæque in suis capitulis, &c. combustio autem cum sit quid posterius non potest esse forma, nisi accidentalis, & complementum eatrinsecum. *Lauorius tit. 4. de elect. cap. 19. num. 94.* dicit electionem esse irritam schedulis statim non combustis, probando id, referendo *n. 95.* declarationem Summi Pontificis Pij V. eapositam per Cardinalem Cribellum, & registratum à Rodriq. in suo Bullario, ibi. *Declarauit ad mentem Concilij cap. 6. sess. 25. vt omnes electiones fiant per vota secreta mediis schedulis, & nunquam publicentur eligentium nomina, vt peracto scrutinio eorum, qui plura habent suffragia vltra medietatem, habeantur electi. Quo facto coram capitulo*

crementur

crementur schedula. Et irritat electiones, quæ non seruauerint prædictum modum. Hæc responsio mihi non videtur legitimè relata, eo quod Concilium non restringit electionem por schedulas, sed sufficit quouis modo tamen secreto fiat, vt ipsemet *Lauor. citat. num.* 54. *asserit cum aliis, quos citaui supra initio resolut. §. Hi autem.* Vnde illa irritatio ibi expressa potius refertur, ad formam secretudinis, quàm combustionis, siue deinde electio fiat per schedulas, vel alio modo. modo. Puto præterea combustionem censeri factam; quando schedulæ dilacerantur, & conteruntur, itaut nullum appareat vestigium scripturæ, hac enim ratione adimpletur mens legislatoris, quæ in eo consistit, vt nomina eligentium numquam publicentur.

50 Nonò, publicatio votorum, quæ potest esse causa futuræ electionis, vitiat, & irritat attentatam electionem, quia in Tridentino potissimum prohibetur hæc, quæ est malitiosa irritando electionem *c.6.sess.25. vt cum Nau. cons. 9. de elect. alios Doctores citaui initio resol. §. Neque*, qui dicit, electionem non infringi, si vnus alteri suum votum monstret, siue casu, aut etiam ex malitia, modo hæc monstratio non sit causa electionis, *Lauor tit. 4. de elect. c. 19. num. 15.* vbi dicit volentem publicè dare suum votum infringere electionem, immo hunc repellendum esse pro ea vice ab electione. Publicatio autem facta votorum post stabilitam electionem, non potest firmam electionem infirmare, quia secretudo requisita ad valorem electionis consistit in ipso actu electionis, & non postquam stabilita, & publicata est, & particula, *Nunquam*, in Tridentino, expressa sumitur in eo sensu, vt nunquam liceat eorum manifestatio.

51 Decimò, Electiones attentatæ contra formam ibi expressam, sine dubio sunt nullæ. vt expressis verbis dicitur in Bulla, §. *Decernentes.* Forma autem ex cuius omissione sequitur nulla electio consistit in quatuor. I. Quod tot vocales procedant ad electionem, & non alij. II. Quod vota conscribant in Schedulis. III. Quod huiusmodi suffragia sint secreta. IV. Quod electio fiat in capitulis designatis. Exemplum sit in electione prioris, qui si eligatur extra capitulum Prouinciale triennium, aut intermedium, etiam in capitulo Generali, nulliter assumitur, quia omittitur forma substantialis, vt vnusquisque officialis eligatur in capitulo designato.

52 Vndecimò, quando prior electio nulla fuit, antequam deueniatur ad posteriorem ea declaranda est nulla, aliter non tenet sequens electio, *cap. Inter dilectos, de excess. Prælat. Sigism. dub.* 100. *de elect. cap. Considerauimus, de elect. Lauor. tit. 4. cap. 19. num.* 132. *Nald. ver. Electio.* 21. Neque obstant Bullæ ea verba. *Illisque non obstantibus ad alias electiones iuxta huiusmodi formam procedi posse.* Quia licet non fiat mentio de cassatione prioris, hoc tamen subintelligitur, iuxta vulgatam Regulam. Expedit iura iuribus concordare. Procedunt, quando non ita apertè constat de nullitate, nam si notoria sit, potest deueniri ad secundum siue cassatione prioris, fit enim irritatio, vt constet de nullitate electionis attentatæ, de qua cum constet, non est opus declaratione, Sigism. dub. 100.

Quæres 14. An in Tertio Ordine electio superiorum, & aliorum officialium oretenus facta, vel per fabas iuxta cap. 1. Regulæ, sit nulla, & irrita stante Bulla Clementis VIII. præcipientis fieri per vota secreta in schedulis.

53 Resp. Electio alio modo fieri non potest, nisi per vota secreta in schedulis, aliter facta ipso iure nulla est, vt expresè dicitur in Bulla, *& notaui initio huius resol. §. In mea, & q. praeced.* 13. §. 7. Nec obstat citatum caput, quia illi derogatum fuit per hanc Bullam. Responsio procedit in electionibus Generalis, Prouincialium, Definitorum, Priorum, Custodum, & Discretorum prouincialium, & non aliis, vt in electione discreti Conuentus, Magistri Nouitiorum, & aliorũ qui possunt eligi alio modo, quàm per schedulas, quam Clemens VIII. in sua Bulla nihil disponat de modo, & forma seruanda in electione horum.

Quæres 15. An ignorans scribere sit incapax vocis, quando pro celebranda electione requiruntur schedulæ?

Respond. Non est incapax, nisi quando in forma electionis mandantur schedulæ conscribendæ ab ipsomer vocale, in hoc enim casu ignarus scriptionis suffragari non potest; quod si id non exprimatur, cum per tertium possit scribere suum votum in schedula; seruat formam suffragandi per schedulam, & sic est capax voti actiui; neque id obstat secretudini votorum, quia secretum dicitur non solum quod scitur ab vno, sed etiam ab altero, ex iis, quæ habet *Nau. cons. 9. de elect. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 19. num. 5.* isti tamen vti rudes, & indigni non sunt admittendi in Capitulis maioribus, cum cæteris virtute præditis non parum præiudicetur. 54

Quæres 16. De diuturnitate officiorum, & reditu ad eadem? Nimirum quoto tempore perdurare possit electus in officio? & finito tempore, an statim possit redire ad idem?

Respond. Vnusquisque consulat statuta suæ religionis. In meo ordine sequentia inuenio. In Regul. Nicol. IV. cap. 15. pag. 13. limitatur quidem tempus Ministris, seu Prioribus, sed non determinatur. Idem limitatur in Regula Leonis X. cap. 5. pag. 68. Eugenius IV. Constit. *Iniunctum nobis.* pro Hispanis pag. 31. concessit Generalem duraturum per triennium dumtaxat, & de Italo id supponit Paulus III. Constit. *Pastoralis officij.* pag. 83. ad quod officium negat posse redire nisi post sexennium à finito triennio computandum Sixtus V. Constit. *Romani Pontificis,* concessit pag 91. quod eligeretur Generalis per triennium, & eo finito posset iterum confirmari per nouam electionem in aliud triennium futurum. Regula nostra cap. 1. ante Sixtum concedebat, vnicum triennium. Quòd dictum est de electione Generalis habet locum in Definitoribus Generalibus durantibus solum per triennium, & non vltra, licèt confirmetur vetus Generalis, nisi confirmatio sit Papalis, quia tunc prorogatur etiam officium Definitorum, cum non detur Generalis sine suis Definitoribus; quod si daretur hoc inconueniens electionis noui Generalis, nulla facta mentione Definitorum, censerentur perdurare veteres. Cæteri officiales, vti prouincialis, Discretus, Definitores eius, & priores sunt annales, vt habetur in cap. 2. Regulæ, cui conformatur Paulus III. cit. pag. 83. & Pius V. Constit. *En est officij nostri.* pag. 86. ibi tamen concedit, quod per nouam electionem possunt perdurare vsque ad triennium, factam singulis annis, subdendo, quod ad illa non possint redire nisi post sexennium. Clemens VIII. nil disposuit circa hæc tempora durationis, & reditionis, vnde seruanda sunt decreta Regulæ, iuxta quam cap. 2. Prouinciales nunc durant ad triennium, cum suis Definitoribus, & Discretis. Priores etiam per triennium regulariter durant, eo quod solent singulis annis per nouam electionem confirmari, nisi obstet aliquid, & de his dixi supra *quæst.* 6. 55

Quæres 17. Quot numero vocales requirantur ad eligendum Discretum Conuentualem mittendum ad capitulum Prouinciale in Tertio Ordine Sancti Francisci, & aliarum religionum?

Resp. Inspiciendæ sunt constitutiones vniuscuiusque religionis, & secundum eas celebranda est electio. In mea religione requiruntur ad minus quinque voces; vt decreuit. Pater Ioannes Baptista Prouenzanus anno primo suæ electionis 1601. in constitutionibus Generalibus Romanis editis de consilio, & assensu suorum quatuor Definitorum Generalium, confirmatis ab Emmentissimo protectore Cardinali Mattheio die Sabati 23. Iunij 1601. illis verbis. *I Frati Laici habbiano la voce attiua tantum, e siano almeno* 56

cinque

cinque voci nell' elettione de Discriti locali: & i Frati d'vn conuento piciolo si possino vnire colli Frati d'altri Conuenti più vicini per far vn sol Discreto. Dubitari potest tum de valore huius constitutionis, tum de eius necessitate; loquendo circa primum, non videtur nunc habere vim hæc constitutio, quia licet fuerit confirmata à Protectore, hoc tamen non sufficit vt incipiat habere vim obligandi perpetuo, nam Nicol. V. constit. *Apostolicæ Sedis.* pro Leodiensibus habentur hæc verba, pag. 43. *Et quicquid per deputatos huiusmodi vna cum Generali Ministro concorditer definitum, seu statutum fuerit, publicetur, & diligenter tum à Ministris, & Fratribus, quam aliis subditis primo anno obseruetur, secundo anno examinetur, & tertio anno approbetur, si ad approbandū videbitur, & si approbare contigerit, ex antea plenam habeat in omnibus conuentibus eorum firmitatem.* Dici potest habere locum, quando non accedit confirmatio Protectoris. Ista constitutio non fuit necessaria, quia facultas electionis etiam de persona eiusdem Conuentus, seu collegij potest conseruari in tribus, imò & in duobus, nam duo possunt eligere tertium, vel alter alterum admittendum ad capitulum Prouinciale, vt docet *Sigism. dub. 24. §. sed obycies,* vbi refert responsionem Sacræ Congregationis, ad dubitantes quomodo electio facta à duobus de tertio sustineri possit, cum debeat esse secreta, illis verbis. *Vbi sunt tres vocales, quorum vnus potest eligi in discretum, & per consequens necesse est, vt alter aliorum duorum, qui remanent, det alteri vocem suam, & ita electio non potest esse secreta, dubitatum fuit, an fieri possit electio Discreti, quæ non sit contra huius Decreti formam, sess. 25. cap. 6. de regul. Congregatio censuit, posse, si ita status religionis permittit.* Reddit rationem Sigism. quia lex non stringit, vbi de facto seruari non potest *cap. Erit autem lex, dist. 4. l. fin. ff. quæ sent. sine appos. rescind. l. ita autem, ff. de admin. tut.* qua eadem ratione probat defectu personarum non posse seruari formam scrutinij, quando ius eligendi remanet in duobus tantum. Cum igitur Sacra Congregatio Respondeat sub conditione, si ita status religionis permittit, seruanda erat Congregatio quinque vocalium etiam ex diuersis Conuentibus. Sed his obstare videntur statutæ confirmata ab Eugen. IV. in sua Constitutione *Iniunctum nobis,* pag. 13. prout refertur à Clemente VIII. Bulla. *Ad vberes,* pag. 73. illis verbis. *Ex qualibet domo Ordinis, & Regnorum, ac partium prædictorum vnus Minister, & alius per illius Fratres in procuratorem Discretum nuncupatum electus accedere, &c.* Ergo Fratres extranei, & non de familia, vt aiunt, non possunt concurrere ad electionem Discreti Conuentus, vbi non sunt de familia. Sed dici potest, hoc esse statutum Religionis, quod licet confirmatum à Papa immutari potest, vt hic immutatum fuit; vel illud locum habere vbi sunt plures Religiosi, nam cum in paucis id seruari non possit, ex impossibilitate lex locum non habet, & ad hoc facit quod supponit *Nau. consil. 6. de elect.* referendo quemdam Prouincialem deficientibus Fratribus misisse ad vnum Conuentum duos Fratres pro eligendo illius Priore de extraneis. Demum non placet quod dicit extraneos cum intraneis vnitos posse eligere vnicum discretum, quia is Discretus non poterit æque affectuosè tueri rationes extranei Conuentus, sicut proprij. Iterum infrà *q. 30.*

Quæres 18. An teneat electio plurium simul factæ siue ad idem officium, siue ad diuersa, publicata demum electione singulorum successiuè sine alio intermedio? Exempli gratia in quadam Religione eodem contextu conscribuntur schedulæ continentes Prouincialem cum suis quatuor Definitoribus, vel singulæ diuitæ scribuntur, posteà eodem etiam modo scrutantur, & demum fit publicatio electionis. Annimirum huiusmodi electio valida sit?

57 Respond. Valet, quia huiusmodi continuatio, vt ita dicam, simultanea, sine diuersione ad alia extraneæ non prohibetur iure communi, neque obstat formæ essentiali suffragiorum, quo ad scriptionem, collationem, & publicationem ex quibus fit electio, quia extraneum mediat, & consequenter electio dicitur facta statim sine interuallo post collationem votorum, eorumque publicationem. Quod enim dicitur cap Cum post 46. electionem post collatione votorum, ex interuallo postea celebratam non valere, in nostro casu non verificatur huiusmodi interuallum, quia non fit diuersio ad extranea, sed vniuscuiusque electio continuatur, & perficitur secundum omnia sua requisita.

Capite 2. Regulæ decernitur, quod Prouincialis eligatur, & confirmetur, & postea deueniatur ad electionem quatuor Definitorum. Itaque supradictus modus seruari non potest, impediente collatione votorum, publicatione electionis, & eiusdem confirmatione; nihilominus aliter facta electio valida est, quia non irritatur loco citato, nec alibi.

Quæres 19. An si superior casset Indignum electum, à quibus facienda sit electio alterius in eius succedentis locum?

Respond. Eligentes scientes indignum indignitate 58
ratione immaturæ ætatis, scientiæ literarum, & grauitatis morum pro ea vice sunt priuati iure eligendi alterum in locum reprobati à Superiore; An quam spectat prouidere, vel ad aliam partem, quæ vota sua non contulit in indignum de facto electum.

Primum, quod sermo sit de indigno vno ex illis tribus modis, colligunt Doctores *cum Ioan. Andr. in Regula. Odia, Panor. in cap. Cum in cunctis. inuisio, de elect.* vbi indicitur pœna illa indigno ex illis modis, *Suar. tom. 5. disput. 24. sect. 2. num. 22. cum aliis, quos citatos sequitur Sigism. dub. 61. num 11.*

Secundum, de pœna priuationis eligendi pro ea vice, habet dicto *cap. Cum in cunctis. §. Clerici sanè. 7. de elect.*

Tertium, quod prouisio deuoluatur ad Superiorem, colligitur ex eodē cap. vbi Episcopo deficiente ius electionis deuoluitur ad Metropolitanum, quando capitulum concordare non potest.

Quartum, quod pars, quæ indignum non conscorit, si apparet, possit prosequi electionem de digno à se iam electo, vel proposito, ratio dictat, quia non peccauerunt, ideo non priuandi sunt, nullus enim priuandus est iure suo, nisi subsit culpa, *cap. Discretionem 6. de ee, qui cogn. cap. Satis peruersum 6. dist. 56. Reg. 23. in 6.* & colligitur *ex cap. Bonæ memoriæ 23. de elect. Sigism. dub. 61. num. 8.*

In cap. 2. Regulæ, potestas eligentium indignum Prouincialem, deuoluitur ad Generalem, qui cum quatuor Definitoribus eligendis priùs, debet postea deuenire ad electionem alterius Prouincialis, exclusis quibuscumque vocalibus, qui in illum vota sua direxerunt, non obstante Bullæ Clem. VIII. in qua nihil disponitur de hoc casu, qui proinde relinquitur dispositioni iuris specialis citati in dicto *cap. Non placet,* quod ibi habet Antonius de Syllis *Annot. 4.* quod Generalis in tali casu debet præponere electoribus, vt alium eligant, si enim loquitur de electoribus Prioribus, qui indignum elegerant, iam id expressè constat esse contra Regulam.

Quæres 20. An absens possit suffragari in electionibus Canonicis? quod accidere potest duobus modis, vel per litteras mittendo suum votum expressum in schedula; vel per procuratorem ei mandando, vt suum votum dirigat in talem personam. Et loquendo in terminis Regulæ nostræ *cap. 2. ad finem,* videtur quod non illis verbis. *Declaramus præterea neminem ex Fratribus nostris in eligendo Generali Visitatore daturum, aut sibi data accepturum fore suffragia, qui comitiis interesse recusauerit, aut non potuerit, absentium enim in tali electione nulla erit consideratio.* Idem pariter habetur ex Tridentino *cap. 6. sess. 25.* illis verbis. *Nec in posterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares. ad effectum electionis faciendæ constituere,*

titnere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Vide ref. 61. q. 3.

59 Respond. Absens per literas nullo modo suffragari potest, neque etiam per schedulas tempore scrutinij aperiendas, quia electio debet esse facta per votum secretum datum tempore scrutinij à suffragante, *cap. Si quis iusto, de elect. Lauor. tit. 4. cap. 17. num. 53 Sigism. dub. 14. de elect.* contra *Portellum. part. 2. casu 1. num. 2. in fin. ex Azor.*

60 Procuratorem mittere potest non obstantibus prædictis, quæ nil disponunt de Procuratore, sed Tridentinum præcipuè intendit tollere quosdam abusus in Religionibus apud quosdam, qui vti præsidentes capituli committebant aliquibus, vt supplerent vota absentium, *vt docent Rodr. tom. 2. q. 52. art. 6. Mirand. quæst. 23. art. 6. & ex eis Lauor. tit. 4. cap. 17. num. 33.* Aliquæ conditiones requiruntur ex parte vtriusque ex parte Procuratoris, vt sit initiatus saltem Subdiaconatu extra Capitulum Generale, *ex Clement. Vt ij, de ætate Lauor. cit. 47. Ego resol. 21. quæst.* 8. Deinde, vt non habeat mandatum speciale de eligenda certa persona, vt respondit Sacra Congregatio, *teste Garzia, quem citat Barbosa ad hoc cap. 6 sess. 25. num. 13. & Lauor, num. 57.* vbi refert verba declarationis; neque necessariò debet esse de corpore Capituli nisi obstent alij, *ex Lauor. cit. num. 46.* Ex parte electoris necesse est, quod non sit præsens, quia tunc ipse eligat, cum censeatur electa eius industria, & requiritur quod sit legitimè impeditus, aliàs capitulum, si vult potest repellere Procuratorem. *Vide alia apud dictum Lauor. cap. 17. cit. à num. 33. ad 58. Sigismund. dub. 14.*

Quæres 21. An in nostra Religione Prior teneatur cum sua familia eligere Discretum conuentualem mittendum ad capitulum Prouinciale? Et si non eligatur, An aliqui de capitulo Vocales possint reclamare, vt suspendatur capitulum vsque ad aduentum Discreti eligendi? Nota autem quod de huiusmodi Discretis fit mentio c. 1. Regulæ, quibus cum cæteris vocalibus olim erat ius proficiscendi ad capitulum Generale, in quod eligebant Generalem, & eius Commissarius cum suis quatuor Definitoribus Generalibus. Ad hoc autem officium eligi possunt non solum Sacerdotes, aut Diaconi, seu etiam Subdiaconi ex eodem primo capite. Post vero Bullam Decet Romanum Clem. VIII. accedunt ad solum capitulum Prouinciale singulis triennis, in quo simul cum aliis, nomine suæ familiæ eligunt Prouincialem cum suis quatuor Definitoribus; quod ius etiam concedebatur per Regulam cap. 2. in capitulis intermediis, ad quæ dicta nūc Congregationes non amplius procedunt, quia Prouinciales, & Definitores sunt triennales, Alibi in Regula de his non fit mentio. Eorum officium à puncto electionis suæ durat vsque ad terminationem capituli Prouincialis. Hoc officiū aliud ius illis tribuere non videtur, nisi facultatem eligendi prædictos quinque, vt supra, ad hunc finem præcisè constituantur, neque à Regula, aut Constitutionibus alia iura non præscribantur. Horum electio non dat dignitatem, honorem, aut aliquod ius præcedentiæ, sed simplicem vsum eligendi in capitulo. His prænotatis. *Vide Mirand. tom. 2. quæst. 22. Sigismund. dub. 113.*

61 Respond. Prior cum sua familia tenetur eligere suum Discretum, aliter Vocales, quorum interest, in capitulo proclamare possunt, & interim suspendere capitulum.

Primum probatur. Tum quia ita colligitur ex citatis capitibus Regulæ, & ea Bulla Clem. VIII. quibus locis præcipitur accessus ad capitulum horum discretorum, ergo sicut necessarius est accessus ad eligendum, ita & necessaria est electio horum ad capitulum Prouinciale mittendorum, non enim mitti possunt, nisi prius eligantur. Tū quia qui mandat consequens, videtur necessario mandasse antecedens, sine quo cōsequens haberi non potest, *l. Illud, ff. de aquir. hæred. l. Ad rem, l. Legatum ff. de procur.* Sed electio demandatur his Discretis in capitulo Prouinciali, ergo necessario debet præcedere eorum electio, cum quis non possit eligere, nisi prius sit creatus Discretus. Tum quia non minus est necessarium votum Discretorum, quam Priorum, & alium Vocalium, sed alij Vocales instituendi sunt, & accedere debent ad capitulum, ergo & Discreti instituendi necessario sunt vt accedere possint ad capitulum. Tum quia id tendit in communem vtilitatem, & fauorem totius prouinciæ, cum agatur de electione Prouincialis, & Definitorum, ad quos spectant negotia totius prouinciæ, sed ex vulgaris iuribus nullus renuntiare potest vtilitati, & fauori publico, *cap. Si diligenti 12. de foro compet. ibi glos. ver. Pacto priuatorum,* ergo necessario eligendi sunt.

Secundum, quod alij Vocales, immo & familia contra Priorem reclamare possit, probatur. Tum quia Regula familiæ dat ius eligendi Discretum, ergo eo iure vti possunt, Priore contradicente. Tum quia familia agit iuxta Regulam; & exequitur eius præscriptum, ergo prohiberi non potest à Prælato, etiam Generali, qui omnes Regulæ subiecti sunt. Tum quia interest totius Conuentus huiusmodi electio, cum electus nomine totius Conuentus procedat ad electionem in capitulo prouinciali? ergo illis contradicere non potest Prælatus. Tum demum, quia interest etiam totius Prouinciæ, & præcipuè illorum, qui habent interesse in electionibus passiuis in capitulo agendis, ergo possunt reclamare, & suspendere capitulum donec eligatur Discretus. 62

Neque vlla causa Discreti electionis prætereundæ videtur assignabilis, nisi defectus eligendorum, vt quia nullus est dignus? aut omnes carent ordine sacro, aut alium exclusionis defectum patiuntur; aut eligentium, vt quia carent voce, vel non adest sufficiens numerus, de quo dixi *q. 17.* Legitima autem causa non est defectus Sacerdotum pro Missis celebrandis, quia aliunde satisfieri potest, vocatis Sacerdotibus extraneis.

Dixi *quæst.* 14. electionem Discreti Conuentualis non alligari schedulis scriptis, quia neque in Regula, neque in Bulla Clementis, neque in Tridentino *cap. 6. sess. 25.* vbi statuitur de electionibus tantum Superiorum, cuius generis non est Discretus Conuentualis.

Quæres 22. An electio illegitimorum ad officia Religionis sit ipso iure nulla? vti Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, Definitoratus, &c. de quibus satis dixi *resol. 12 q. 7.*

Respond. Nulla est electio illegitimi etiam occulti *cap. 1.* vbi prohibetur electio illegitimi ad Prælaturam, *cap. fin.* prohibentur promoueri ad dignitates, personatus, & alia beneficia curam animarum habentia, *de fil. Presbyt. & titul. eod. in 6.* Ita docent *Nauarr. tom. 2 com. 2. de Regul. num. 60. Rodr. tom. 1. quæst. 13. art. 5. Mirand. tom. 2 q. 2 art. 1. Sigismund. dub. 72. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 26.* vbi multos alios citat *Megal. consil. 91. Dixi cit. ref. 11. q. 6. & 7.* 63

Quæres 23. An filius illegitimus possit eligi in eodem Conuentu, vbi pater fuit antea Superior, dispensatione præmissa?

Resp. Potest eligi etiam simul cum patre. Probatur quia in iure non reperitur huiusmodi prohibitio, quæ solum est contra filios Seculares; vt expresè probatur *per cap. Ad abolendum 16. de filiis presbyt. iuncta glossa ver. In Secularibus,* vbi hoc tenet. Doctores nobiscum sententes citaui *resol. 12 q. 9. §. 7.* vbi respondi obiectis à contraria opinione. 64

Quæres 24. An Patres Generalis in tota Religione, & Prouincialis vnusquisque in sua prouincia possit in qualiber electione, & actu legitimo dare suum votum, siue ibi, vbi actus legitimus Capitulariter est absoluendus, siue alibi in alio Conuentu resideat?

Respond. Possunt, quòd in specie de Generali probaui suprà sub *quæstione 13. §. 1. §. Antonius.* Vbi 65

adductæ rationes faciunt proportionaliter pro Prouincialibus. Ita de vtrisque asserit *Antonius de Sillis Annot. 2. super cap. 2. Regula.* Et de Prouinciali, quod possit dare suffragium pro nouitia moniali recipienda ad professionem, *docet Portel. part. 1. casu 11.*

Quæres 25. An Generales veteres absoluti ab officio generalatus habeant vocem electiuam in capitulis Generalibus, Prouincialibus, & Conuentualibus?

66 Respond. Non possunt. Tum quia ius, quod habebant suffragandi in tota Religione pendebat de officio Generalatus, vt colligitur ex probatis in præced. *quæst.* 24. sed ab eo officio sunt iam absoluti, ergo & iure suffragandi, sublato enim fundamento, tollitur & id, quod super illud fundabatur, *cap. Cum Paulus 26. 1. q. 1. ex 1. Cor. capit 3. de presb. non bapt.* Tum quia si potest suffragari, maximè virtute dignitatis officij, quod finiuit; sed in illis non tantum cessauit officium, sed etiam dignitas, *ex Sanchez lib. 6. cap. 6. num.* 29. cum idem sit, quod Generalatus, ergo & facultas suffragandi. Tum quia in hoc æquiparantur aliis subditis, subiiciuntur enim Prælatis Religionis, vt affirmat ipsemet *Sanchez cit. num,* 28. *&* 29. ergo quo ad actus legitimos non habent plus iuris, quàm sit concessum aliis subditis, qui in electionibus suffragari non possunt nisi sint officiales, vel de corpore capituli actu. Tum quia Generalis in fine officij renunciat officio, & dignitati, vt dictum cap. 1. Regulæ, ergo censetur par cum aliis Religiosis, quo ad negotia communia. Tum quia Curatus à cura animarum absolutus statim caret facultate administrandi Sacramenta, nisi habeat aliam delegatam, *vt probaui resolut. 2. quæst. 3. allegatis Doctoribus*, ergo pari ratione idem dicendum de Generalibus præteritis. Tum demum, quia in Constit. *Decet Romanum*, vbi de forma in omnibus electionibus, supra extensa sub *quæst.* 13. vt in eius expositione obseruaui ibi §. *Secundo*, fit mentio de Generali præterito in singulari, nimirum de eo, qui immediatè renunciauit ante celebrationem capituli Generalis; & præterea additur alia clausula efficacior. *Et non alij Generalibus capitulis interesse*, ergo de iure carent suffragiis electiuis in capitulis.

67 Antonius de Sillis, *super cap. 3. Regula Annot. 2. §. Quorum Ministrorum*; asserit horum Generalium expleto officio, durare aliquam similitudinem, & figuram suæ authoritatis; sunt Patres totius Ordinis, vocandi ad quodcumque negotium totius Ordinis, & multa alia subinfert, quæ nequaquam subsistere possunt; & quod facit ad rem nostram, nullum habent ius suffragandi in capitulis, & similia præstandi nisi sint officiales actuales; neque consuetudo prodesse potest, quia consuetudo contra Decretum irritans, quale continet supradicta constitutio, nullius est roboris, neque induci potest *cap. Quod super his, in fine, de consang. cap. Super eo, initio, de cognat. spir. Couarr. part. 4. cap. 6. §. 10. num. 35. & ex eis Lanor. tit. 4. de elect. cap. 21. num.* 132. *&* 133. vbi reddit rationem, quia lex irritans facit personam inhabilem, & hunc defectum tollere non potest consuetudo, *Dec. in cap. Nouit. de iud. num. 84. Suar. lib. 7. de legib. cap. 19. num. 13.*

Quæres 26. An electus Prior, qui ob pestem superuenientem neque potuit accedere ad locum sui Prioratus ad residendum, vnde nullam habuit administrationem super dictum Conuentum, in quo fuerat electus Prior, transacto dicto triennio, iterum eligi possit in Priorem eiusdem, vel alterius Monasterij, non obstante in contrarium Decreto Regulæ ca. 1. vbi decernitur, ne quis eligatur nisi vno minimum anno elapso à vacatione eiusdem officij?

68 Respond. Potest eligi immediatè, quia prior electio fuit nulla, ergo non potest præstare impedimentum secundæ, & sic eligi poterit ea vice secunda. Antecedens suadetur, quia nulla ratione valens illo triennio residere, & administrare in suo officio idem est, ac si esset pro tunc incapax electionis, sed electio incapacis est ipso iure nulla, electio enim debet fieri de persona idonea, *cap. Cum in cunctis, de elect.* ergo si fuit nulla, non potest præstare impedimentum secundæ, quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. *Reg. 52. in 6.*

Quæres 27. An Præsidens in locum præmortui, vel amoti ab officio, per modum prouisionis suffectus vsque ad tēpus capituli, in quo eligendus est Superior successoris, habeat vocem in capitulis, sicut haberet, si electus fuisset in Superiorem? Procedit maximè in Superioribus localibus, immo etiam in Prouincialibus, & Generalibus suffectis in locum præmortui, vel amoti ab officio.

Respond. Suffectus à Superiore per modum prouisionis in locum superioritatis vacantis habebat eā omnem facultatem, quam habebat prædecessor, ac si in eius locum per formalem electionem substitutus fuisset, nisi à Superiore prouidente limitetur, aut per statuta sit limitata, quod fieri potest. 69

Probatur I. ex illa communi regula. Subrogatus sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur *l. Si eum §. Qui iniuriarum ff. Si quis caut. l. 1. §. Hac actio ff. Si quis testam. lib. Cap. Ecclesia 3. Vt lite pend. ibi glos. ver. Successerunt*; quod maxime habet locum in casu nostro, nam subrogatio propriè fit quando à Superiore quis præficitur in locum præmortui, *Sigis. dub. 77. Port. ver. Prouincialis num. 5. Addit.* Sed natura, & conditio Prioris est suffragium ferre in capitulis, ergo & Præsidentis. II. ex Reg. 46. Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille vti debet, sed Prior vti debet iure suffragandi in capitulis, ergo & Præsidens III. Successor reputatur vna persona cum prædecessore, *Glos. ver. Vineret. in fine, cap. Significauit 36. de rescr. & ver. Contra cap. Dilecti 17. de foro compet.* quouis modo succedat siue per prouisionem, siue per electionem; ergo Præsidens cum succedat, & reputetur vnica persona cum illo, suffragari potest, eo etiam quia successor fungi debet omnibus partibus eius, in cuius locum succedit, *Glos. ver. Succedat, cap. Pastoralis 11. de off. ordin. per l. Mortuo iudice ff. de iudic. l. quadam §. Nil interest ff. de edend.* IV. Huiusmodi Præsidentes, dicti etiam Vicarij, gaudent omnibus priuilegiis Prioribus, & Guardianis concessis, *vt probat Rodr. tom. 3. q. 76. art. 1. Mirand. tom. 2. q. 20. art. 1. concl. 2.* ergo possunt ferre suffragium.

In mea Religione nil statuitur circa facultatem horū Præsidentium, consequenter poterunt suffragari in capitulis. 70

Quæres 28. An in illis Religionibus, in quibus negatorum huiusmodi Præsidentibus ratione officij, possint saltem eligi in Discretos Conuentuales mittendi ad Capitulum Prouinciale.

Respond. Possunt iuxta dicenda in fine sequentis quæstionis. Tum quia per hoc, quod sunt superiores non fiunt inhabiles ad huiusmodi electionem, nisi expresse illis interdicatur, quod in mea Religione interdictum non est. Tum quia ex eo quod sunt Præsidentes non adimitur libertas subditis, qui adhuc liberè possunt illum eligere, quia cum vota secretè præstent, libertatis arbitrium habent suffragandi, cui maluerint, præterquā quod ibi sunt in fine officij; cum Discretus eligatur, vt procedat ad capitulum, in quo noui Superiores eliguntur. Apud Minores de Obseruantia adest statutum ne huiusmodi eligantur, de qua re *Rodr. tom. 2. q. 52. art. fin. cum suo Compend. resolut. 58. num. 27. Mirand. tom. 2. q. 22. art. 7.* qui probant hos non posse eligi, quia restringitur libertas suffragantium, quod vti falsum reieci. 71

Quæres 29. An qui ex commissione Generalis deputatus fuit Præsidens in capitulo pro electione Prouincialis, possit postulare electionem de se faciendam?

Resp. Non potest. Tum quia sicut patronus clericus etiam idoneus non potest se ipsum præsenta- 72

re

re ad personatum Ecclesiæ vacantiis, cuius est patronus, *ex cap. Per nostras, de iurepatr.* ita neque Præsidens capitulo tanquam illius patrunus, & caput potest se præsentare, & proponere in Prouincialem eligendum, licèt aliàs idoneus sit. Tum quia proprium officium quandoque damnosum est, ne quis possit vlterius ascendere, ad quod facit *gloss. in cap. Constitutam 22.7.q.1.* vbi dicit, quod habens curam in electione, prohibetur eligi, ne possit malignari, & alia exempla adducit, quæ multum faciunt ad nostrum propositum. Tum quia talis electio præsumitur potiùs coacta, quam libera, nemo enim negabit, metum, & timorem reuerentialem, absque interesse impellere electores ad eum eligendum, quem non eligerent, si elector simplex esset, & non Præsidens capituli; sed huiusmodi electio est nulla, *per tradita à Nauar. citato à Rodr. tom. 2. q. 51. art. 10.* Tum quia nemo potest seipsum postulare, & præsentare ad aliquam dignitatem, *cap. Cum ad nostram, de institut.* sed iste Præses ipsum postulat ad hoc officium: Præsidis enim est postulare, & proponere eligendum in Prouincialem. Tum quia nemo in propriam electionem exercendam consentire potest, cum id sit nota ambitionis, & inordinata electio, *cap. Cum post petitam, de elect.* Tum quia sicut qui non potest alienare, neque etiam aliquem actum, per quem ad alienationem deuenitur, facere valet, *ex gloss. in l. Item quia ff. de pactis*; ita neque valens eligere seipsum, potest efficere aliquem actum, per quem perueniatur ad eius electionem, ergo non potest postulare, seu proponere seipsum eligendum, cum per postulationem perueniatur ad electionem, *Glos. ver. Priuare cap. 1. de Postul.* Tum quia in iure reprobatur pluralitas officiorum *c. 1. dist. 89.* quia vnum officium vir vnus implere potest *cap. Presbiteros 59. dist. cap. 1 de consuet. in 6. & probaui q. 3.* isti autem simul essent Præses, & Prouincialis, quia illud officium durat toto tempore capituli, etiam post electum Prouincialem. Demum in quibusdam Religionibus adest huiusmodi prohibitio, vt in aliquibus prouinciis Minorum de Obseruantia, ne fiat electio præsidentium localium, vt obseruaui in præcedenti quæstione, pro qua re faciunt adductæ rationes: vnde responsio ibi data habet locum, quando adest maior superior promouens electionem, tunc enim demitur omnis difficultas metus, & timoris respectu electionis.

73 Nota, quod electiones huiusmodi de præsidentibus se ipsos promouentibus in illis Religionibus, in quibus non adest statutum prohibitiuum, sustineri possunt, donec impugnentur, vt in mea Religione, in qua tale statutum non est, & de facto contra dictum non fuit cuidam electioni celebratæ fauore Præsidentis electi in Capitulo Prouinciali nostræ Religionis Papiæ in Conuentu Sanctorum Geruasij, & Protasij anno 1632. in quo electus fuit P. Frater Magister Columbanus Maiocus, qui item erat Capituli Præsidens, ibique incipit patria Papiensium.

Quæres 30. An in Conuentu, vbi morantur tantum tres aut quatuor de familia cum Priore, possit fieri electio Discreti mittendi ad capitulum prouinciale? In mea Religione habetur ordinario, vt ad minus sint quinque iuxta quod dixi *quæst. 17.*

74 Respond. Quando cum Priore simul sunt tantum duo, aut tres, tunc non potest fieri electio, vt probatur ex definitione electionis, quæ est canonica vocatio vnius ex pluribus? sed quando sunt tantum duo, aut tres, nullus horum potest vocari ex pluribus, cum semper debeat excludi Prior, & sic in casu duorum, remanet solum vnus vocandus, in casu verò trium, & si duo remanent vocandi, tamen qui debent vocare, seu eligere non habent electionem vnius ex pluribus, quia in tali casu alter alterum vocaret necessariò; talis tamen electio ex parte posset sustineri ex duplici ratione, & quia est assumptio vnius, ex pluribus ex parte Prioris; & quia maior pars idest duo concurrunt in tertium. Quando sunt quatuor, tunc potest cadere electio, quia fit vocatio vnius ex pluribus, nam ex tribus assumitur vnus. Igitur ad perfectam electionem Discreti de iure requiruntur ad minus tres capaces electionis passiuæ, & præterea superior, qui negotium promoueat. Quod si adsint tantum tres subditi sine superiore locali, de illis electio fieri potest per Prouincialem, aut eius delegatum, seu Generalem Et hæc de iure, abstrahendo ab aliquo peculiari statuto requirent plures Vocales.

Quæres 31. An possint fieri electiones in nostra Religione per modum compromissi? Electio per compromissum fieri potest duobus modis, vno modo illimitatè dando facultatem compromissariis eligendi, quem sibi placuerit; altero modo, limitatè quando electores committunt compromissariis, vt eligant talem personam. *Vide Doctores super cap. Quia propter, de elect. Sigism. dub. 2. Mirand. tom. 2. q. 23. art. 34. ad 42.*

Respond. Electiones, quæ faciendæ sunt per Scrutinium, & schedulas, cuiusmodi sunt electiones Generalis, Prouincialium, Priorum, Definitorum, Discretorum non Conuentualium, & Custodum, de quibus dixi *q. 14.* non possunt fieri per inspirationem, neque per compromissum, vt declarauit Sacra Congregatio, *teste Garzia de benef. part. 5 cap. 4. num. 204. apud Sigism. dub. cit. n. 7.* Ratio potest esse, quia Tridentinum, & constitutio Clem. VIII. quam registraui sub q. 13. & Regula cap. 1. & 2. præscribunt electionem celebrandam per Scrutinium, ergo reliquas volunt excludi. 75

Quæres 32. An Priotatu, vel alio officio priuatus per sententiam iudicis, ob crimen fornicationis, seu dilapidationis bonorum monasterij, vel ob aliud graue crimen, possit iterum sine alia dispensatione eligi ad illud, vel aliud, officium?

Respond. Huius generis nullo modo possunt eligi; vt expressè habetur *cap. illi, cap. Infames 6. q. 1. cap. Infamibus de reg. iur. Sigism. dub. 86. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 99.* quia eligendi fama, in nullo debet vacillare *cap. Laici dist. 33. cap. Omnipotens, de accusat.* vbi dicitur, quod accusatus interim promoueri non potest, multo minus sententia infectus. Et attentata electio est nulla, *vt docent omnes cum Garzia part. 7. cap. 8. num. 4. Suar. tom. 5. disp. 48. sect. 1. apud citatum Lauor. num. 100.* Sed sententiati sunt infames vt in specie de Religiosis docet Anuers. *cap. 23. num. 13. apud Berium tom. 4. Rodr. titul. 2. cap. 13 num. 23.* 76

Dispensare autem possunt super infamia Prælati maiores, quod probaui *resolut. 11. q. 11.* cum Doctoribus ibi citatis, quibus adde Berrium citatum *num. 27.*

Fornicarij autem sunt infames, vt colligitur *ex cap. 4. §. Dei adulteris, de iudic. & cap. 6. de bigamis*, in quibus locis id supponitur, cum dicatur posse Episcopum dispensare, quod præstare etiam potest Prælatus regularis maior, argum. deducto à potestate Episcopi, iuxta quæ dixi *resol. 10. q. 6.* Vnde neque eligi possunt iam condemnati adulteri, Lauor. *tit. 4. cap. 16. num. 113.* 77

Quæres 33. An præceptum, seu ordinatio diuturna facta a Priore duret toto triennio sui officij, an finiatur primo anno in illis Religionibus, in quibus Prioratus sunt annales, & iidem prima vice electus, solet reeligi secunda, & tertia per formalem electionem? Et casus accidere potest in nostra Religione, in qua Priores sunt annales ex probatis *q. 6.*

Respon. Ordinatio facta spirat statim anno sui Prioratus finito, qui censetur finire à puncto secundæ electionis. Probatur ex illa communi Regula, quod acta ab homine durant donec finitur eius officium, quod multis iuribus, & Doctoribus probaui *resol. 6. q. 24.* 78

Quæres 34. Resolutionem, quinque difficultatum propositarum ab admodum Reu. Patre Prouinciali Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, quarum prima est. An Prouincialis ad arbitrium suæ voluntatis in quibuscum

buscumque Coooentibus suæ prouinciæ sibi subiectis habeat vocem respecto cuiuscumque negotij etiam electionis,& in specie, Au possit concurrere suo voto ad electionem Discreti conuentualis mittendi ad capitulum Prouinciale? Reliquæ quatuor proponentur infra.

79 Respond. Affirmatiuè, quod probatur Primo, quia omnis facultas ad quæcumque negotia dispersa in inferioribus subiectis Prouinciali, perfectiori modo reperitur collecta in ipso Prouinciali capite singulorum de sua Prouincia, a quo descendit in omnes inferiores subditos, vti eius capitis membra; turpis enim ea pars est, quæ non congruit suo toti, cap. 2.*dist*.8. *cap. fin. de sponsa duor.*§. *Nec verè*; neque membra à capite discedere licet, *cap*.5.*dist*.12. neque discrepare, aut aliter se gerere *cap. Celebritatem* 21. *dist*.3. *de consecr.c. Cum stare liceat* 12. *de præsumpt.* Sed Prouincialis est caput omnium Religiosorum sibi subditorum argum. eorum, quæ habet *Glos. in cap. Cum ab Ecclesiarum,de off. ordin.* ergo quicquid possunt inferiores, perfectiori modo potest Prouincialis; sed inferiores eligere possunt Discretum Conuentualem,ergo & cum illis concurrere potest Prouincialis. Secundo, ius, quod habet Religiosus quilibet concurrendi simul cum Priore in omnibus negotiis, & electionibus proprij monasterij proximè oritur ex eo, quod est aggregatus, & connumeratus de familia in tali Conuentu, cuius dicitur esse pars, & membrum; sed Prouincialis est aggregatus de familia cuilibet Conuentui suæ Prouinciæ, vti caput aggregatum, & vnitum suis membris, aliquis enim in pluribus locis domicilium habere potest, docent communiter omnes *cum Innoc. in cap.Ex parte, de foro compet. & colligitur ex cap.*2.*de sepul.in* 6.ergo vti de familia potest cum aliis concurrere ad electionem Discreti Conuentualis. Tertio, Prouincialis nolentes eligere Discretum potest ad id cogere, quia eius est prouidere circa ea, quæ tanguot totam prouinciam, vt notum est, & constat ex cap. 2. Regulæ illis verbis. *Denique omnia, vel necessaria, vel opportuna Prouinciæ componat, & ordinet.* Ergo & concurrere ad electionem Discreti. Confirmatur ex illa Regula. Concesso vno intelliguntur concessa quæcumque faciunt ad eius perfectionem, & expeditionem, *cap. Præterea* 5.*in fine, cap. Prudentiam* 21. *de off. deleg. l. penul. ff. de vsufr.* Sed ad exquutionem Discreti localis facit electio, sine qua non datur officium, ergo Prouincialis potest concurrere ad electionem, si ad eam cogere potest. Quarto, Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, 1. de regul. iur. Sed Prouincialis potest dissoluere electionem factam de indigno, ad ipsum enim spectat corrigere, & emendare malefacta in sua prouincia ex cap.2. & 4. Reg. ergo & per ipsum nasci legitimus Discretus. Simili argumento Portellys part.1. suorum respons. casu 30. probat Prouincialem quendam potuisse incurrere ad electionem Abbatissæ, quia eam priuare potest suo officio, si causa subsit. Quinto, quod non est expresse prohibitum censetur concessum, *ex capit. Sunt nonnulli* 21. 16. *quæst*.1. *cap. Iam nunc* 7. 28. *quæst*.1. *ibi. Hoc non vetat Dominus, l. Mutus, ff. de Procur.* Quod procedit etiam in dubio, *Mascard.lib.* 3. *de probat. conclus.* 1237. *numero* 2. *Anchar. consil.* 344. Sed nullibi, non in Regula, neque Constitutionibus prohibetur, ergo habet ius eligendi. Vnde ad hoc facit, quod habet *Rodriq. tomo* 1. *quæst.* 17. *art*.6. Prælatos maiores habentes potestatem quasi Episcopalem, si non essent prohibiti in Religione posse, quicquid potest Papa in toto orbe; sed Papa concurrere potest ad quascumque electiones, imò, & per se creare omnes officiales in Religione, cum omnium sit Generalis, & Prior, *Sotus lib*.8.*de Iust. quæst*.5.*art*.1. *ex Rodr. tom.* 1.*q*.22.*art*.6. *Nau.consil*.3. *de statu Mon. num*.51. Quare cum Prouincialis non prohibeatur, poterit procedere ad eam electionem. Sextò ita practicatur in Prouinciis Lombardiæ, & asseritur à Reu. olim Generali de Sillis *super cap.* 2. *Regulæ Annot*.2. Pro secunda difficultate.

Quæres 35. An Clericus statim post emissam professionem habeat ius ad vtramque vocem respectu cuiuscumque negotij etiam electionis;

80 Respond. Habet ius ad vtramque vocem. Ad passiuam quidem si sit constitutus in ordine Subdiaconali pro Discretatu, ad alia officia si sit Sacerdos in legitima ætate constitutus, quod constat ex *cap.* 1. *Regulæ conforme cap*.12. *sess.* 24. *Vide Mirand. tom*.2. *quæst*. 3. *art*. 1.*Sigismund. dub.* 62. Habet etiam vocem actiuam, quod probatur. Tum quia Conuersi habent ex Constitut. Reu. olim Generalis Prouenzani, editis sub anno 1601. ergo potiori ratione Clerici, cum hæc illis sit via ad passiuam debito tempore, ad quam Conuersi nunquam peruenire possunt. Tum quia hoc ius illis nullibi prohibetur. Tum quia omnes Clerici professione emissa, statim sunt capaces vocis, cum huius principale fundamentum sit professio, & habetur *cap. Ex eo* 32. *de elect. in* 6. de masculis, de fæminis verò, *cap. Indemnitatibus* 43.*eod.* & docent *Nauarr.consil.*2 *de constit. Rodriq.tom*.2.*quæst*.51. *art*.13. *Suar.tom*.4.*de Relig.tract*.8.*lib*.2.*cap*.3.*num*.16.& cum eis *Lezana cap*.18.*num*.9.Ratio est,quia non maioris efficaciæ est professio veterani, quàm tyronis. Procedunt autem hæc de consuetudine, aut iure speciali Religionum, attento iure nouo *Clem*.2.*de ætate, & cap*.4.*sess*.24. interdicitur vox actiua nondum insignitis ordine sacro. Quibus tamen iuribus non fuit derogatum specialibus statutis, & consuetudinibus, vt probant Rodriq.& Sigismund. quos ego retuli *resol*.21. *quæst*. 8. Neque obstant Constitutiones Clement. VIII. *de Educat.Nouit.prope finem*, §. *Ad hoc tamen*; quia responderi potest, vel non fuisse qui ad hoc speciale, vsu receptos, vel congruentiùs ad verba textus, Papam loqui de illis Religionibus, quorum Nouitij iam professi ex consuetudine remanent adhuc cum aliis intra locum Nouitiatus, quod nostra non obseruat, consequenter nec illud caput exequi tenetur. Pro tertia difficultate. Vide *resol*.53.*q*.16.

Quæres 36. An Nouitius Laicus in quouis Conuentu, qui non sit deputatus ad Nouitiatum, probari, & proficere possit, stante quodam vsu Reu. olim Generalis Montesani probandi huiusmodi laicos indifferenter in quouis Conuentu, vbi manent sex de familia?

81 Respond. Certum est, Nouitiatum peractum etiam à Conuersis extra locum deputatum à Sede Apostolica iuxta Decreta Clem. esse nullum ipso iure, & inde secuta professio, quia non magis est Nouitius Clericus, quam Laicus, sed vterque æque sub nomine Nouitii comprehenditur. Neque suffragatur allegata consuetudo, quia hæc introducta contra legem, & Decretum irritans non tenet, neque vllam habet vim, *ex cap.Quod super his, de consang.cap.Super eo,de cognat. spir.Couarr.part*.4.*cap*.6.§.10.*num*.35. & ex eis *Lanor.in suis Lucubr.tit*.4. *de elect.cap*.21. *num*.132. *Doc.in cap. Nouit.de iudic.num* 84.*Suar.de leg.lib* 7.*cap*.19.*num*.13. ducti ea ratione, quia consuetudo non potest tollere incapacitatem, & inhabilitatem inductam à Decreto Clem. quod cum irritet, & inhabilitet Superiores, & Nouitios ad probationem, & professionem, nullius momenti potest esse huiusmodi consuetudo reprobata, & irrationabilis, maximè stante noua confirmatione ex Breui Vrbani VIII. Quod si ille Pater Generalis non ex vsu, sed ex priuilegio introduxit illud genus Nouitiatus, tenet probatio, & professio, cum Papa id possit indulgere contra suas leges, cui non censetur derogatum per nouam confirmationem Vrbani VIII. cum in eius Breui non fiat mentio de derogatione alicuius priuilegij respectiuè ad Confirmationem, quod esset necessarium, *ex cap. Veniens* 19. *de præscript.* & ibi, *Glossa vers. Nullam.*

Obserua

Obserua autem, quod priuilegium concedi potest per
Breue, aut Bullam, vel viuæ vocis oraculo sine scri-
ptura, & si priuilegium obtentum fuit viuæ vocis ora-
culum dubitari potest, quia huiusmodi derogatum
fuit per Gregor. XV. & Vrbanum VIII. sed nul-
la est difficultas, quia probaui *resolut. 31. qu. 3.* eos
Summos Pontifices non annullasse oracula viuæ vocis
merè fauorabilia, & nulli præiudicialia, quale est no-
strum de Nouitiis? Pro quarta difficultate.

Quæres 37. An iste numerus senarius Fratrum debeat
esse talis formaliter, an materialiter sufficiat, itavt si
aliqui adsint voce carentes, teneat Nouitiatus; & quid si
quinque tantum sint numero?

82 Resp. Debent esse omninò ita omnes habentes vocem
saltem tempore acceptationis, aliter nulla est pro-
batio, & inde secura professio. Probatur ea causa fi-
nali anni probationis, qui inuentus fuit, vt Nouitius
probaret asperitates Religionis, & Religio vice ver-
sa eius mores, vtrum sit idoneus ad onera Religionis,
cap. Ad Apostolicam 16. de Regul. sed ista probatio ha-
beri, & perfici non potest nisi per captessionem vo-
cis saltem eo tempore, quo debet fieri iudicium de
eius idoneitate, & sufficientia ad profitendum, sine illa
enim non potest ferri iudicium, cum vox sit fundamen-
tum iudicij ferendi, ergo omnes debent habere vo-
cem. Quod si casus interim accideret, quod aliquis eo
tempore careret voce, hæc culpa, & defectus non
debet nocere Nouitio, cum culpa carens non debeat
esse deterioris conditionis culpa infecto, *ex cap. Legi
epistolam 36. 16, q. 1.* Vel eo casu priuatus voce potest
restitui per Superiorem ad id potestatem habentem.
Demum iste numerus senarius omnino est necessarius
ad valorem Nouitiatus, & professionis; quia præ-
scribitur pro forma substantiali, cuius omissio etiam in
minimo vitiat actum, vt docent omnes, vnde de hoc du-
bitandum non est. Pro quinto dubio.

Quæres 38. De Religioso bimestrali de familia, an
possit eligere, vel eligi in Discretum eius Conuentus, vbi
de nouo est de familia constitutus?

83 Respond. Affirmatiuè, quia in hoc nullam inuenio
prohibitionem iuris communis, aut statuti Religionis,
ratio est, quia non minus est membrum, & pars Con-
uentus nouissimus de familia, quàm veteranus. Con-
firmatur, quia si plures Fratres diuersorum Conuen-
tuum pusillorum possunt simul vniri ad electionem
vnius Discreti, ex Constitut. Reu. olim Generalis Pro-
uenzani, sub anno 1601. quare nouissimus cum primis
non poterit concurrere? Pro vltima.

Quæres 39. De percutiente suum Priorem, an sit pri-
uatus vtraque voce?

84 Respond. Affirmatiuè, Per triennium, vt constat
ex Constitut. citati Reu. sub annis 1595. & 1601. illis
verbis. *Chi dara con pugni, bastone, ò coltello à Frati, o
à Secolari, sia punito di pena di carcere ad arbitrio de Su-
periori, & priuo di voce attiua, & passiua per tre anni.*
Sub ea dictione, *Frati*, continentur etiam Superio-
res, cum in fauorabilibus non excludantur ab ea voce,
& quia non debent esse deterioris conditionis sui
subditis. Et hæc pœna est ipso iure, quia Constitu-
tor vtitur præsenti modi imperatiui, *Sia priuo*, quod
indicat pœnam statim incurri, vt docent omnes Docto-
res, dum explicant modum cognoscendi censuram fe-
rendam à lata, & explicant dictionem illam *Anathema
sit*. Et cum huiusmodi pœna supponat censuram ex-
communicationis ob iniectionem manuum violenta-
rum contractæ, si percussor sit publicus non potest
neque licitè neque validè eligere, aut eligi, si occul-
tus non vitiatur electio, ad quam concurrit actiuè,
licet peccet, quia excommunicatus priuatur com-
munione fidelium, si verò concurrat passiuè nullius
est roboris electio de ipso excommunicato facta, vt
docent omnes in *cap. Constitutus de appellat. cap. Postu-
lasti, de Cler. excommun. min. apud Sigism. dub. 66. de
elect.*

Quæres 40. An electio habita inter Religiosos in
quodam Conuentu tempore æstatis, quo solent vige-
re vehementissimi calores, suis habitibus exutos, & or-
dine præcedentiæ non seruato in reponendis schedulis
in vase ad hoc deputato, vt quia prius laicus, vel cleri-
cus Sacerdote reposuit, sit nulla?

Respond. Valet, quia sicut habitus non facit Mona- 85
chum ex vulgatis iuribus; neque est necessarium ad
validam electionem, cum adhuc Religiosus dicatur de-
posito habitu. Neque obstat ordo ille, cum sit acciden-
talis, neque ideo ordinis peruersio vitiat actum *l. 1. C.
de appellat. Bartol ibi, & in l. Prolatam C. de sent. Abbas,
Imol. in cap. Exhibita, de iudic.*

Quæres 41. Scrutatores, singulorum schedulis ele-
ctorum ante se delatis, & ad inuicem collatis, scruti-
nium inde publicauerunt dicens vota eorum, talem N.
habuisse maiorem partem vocum, & consequenter
ipsum euasisse Superiorem ab ipsis Vocalibus electum,
& statim Præses capituli illum confirmauit; An teneat
huiusmodi electio, cum non videatur facta; neque
publicata canonica electio, prout de iure debebat fie-
ri?

Respond. Nulla fuit hæc electio, *cap. Sicut 21. ed.* 86
*in 6. cap. Cum ab vno, de rescud. in 6. Glos. ver. Variare
cap. Publicato 58. de elect. per cap. In Genesi 55. capit. Ec-
clesia 57. eodem, & in dicto capitulo* 58. distinguit Papa
publicationem scrutinij ab electione, à qua recedere
non possunt post publicationem scrutinij. Electio autem
hæc facienda est, & publicanda solemniter, vel à Præ-
side capituli, vel à digniori Vocali, aut ab alio deputa-
to, ex Suar. apud Lauor. *titul. 4. de elect. capitulo de-
cimo nono, numero nonagesimo tertio*, aliter electio nul-
la est, ex eodem *numero 97. Sigismund. dub. 39. numero
primo, Nauarr. consilio septimo, de elect. numero* 21.
Mirand. tom. 2. quæst. 23. art. 25. Ista autem electio
ab vno formaliter est facienda nomine suo, & alio-
rum publicè coram omnibus, aliter nulla est electio
*ex citatis Doctoribus, & ex eod. Miran. q. 29. §. Ter-
tiodecimo.*

In mea Religione præscribitur forma huius electio- 87
nis publicandæ pro Generali cap. 1. Regulæ his verbis.
*Ego N. nomine omnium vestrum, qui in ipsum consensistis
declaro Reuerendum Patrem Fratrem N. Generalem Vi-
sitatorem, & Principalem Ministrum Tertij Ordinis
D. Francisci per vniuersam Italiam à maiori parte no-
strum electum fuisse.* Quæ forma, vt ibi dicitur à
Tabellione publicatur, & seruanda est omnibus ele-
ctionibus aliorum Superiorum, ab eo enim mensuran-
dæ sunt electiones aliorum inferiorum. Si hæc publi-
catio fiat ab vno ex Vocalibus, addendum est. *Ego N.
nominibus meo, & vestrum eligentium eligo, declaro,* 88
& publico, &c. Sub eo nomine: *Vniuersam Italiam*,
veniunt etiam Insulæ Siculanæ, quia: *Insula Italiæ
pars Italiæ sunt*, dicitur in l. Insulæ ff. de iudic. Sed
quoniam in Bullis Pontificiis, Vniuersa Italia ab illis
insulis, vt quid diuersum capitur, ideò rectius
addendum est illi prædictæ formæ, *Et per Insulas Siciliæ,* 89
vt clarius explicetur ad quæ loca se extendat eius autho-
ritas. Forsan eo tempore Siculi non erant subiecti Ge-
nerali Italiæ, nam de anno 1538. in ciuitate Drepani e- 90
rat quidam Frater Iacobus de Augubio de Religione
Minorum Obseruantiæ, qui ordinem hunc ingressus
reformauit Siculos, quorum postea à Pio V. electus
fuit Generalis in illo Regno, quo Drepani fundauit
Conuentum Mattognæ, & tres alios feminarum infra
vrbem, *vt testatur Silu. Marulus, seu Maurolicus Abbas
S. Mariæ Roccamadoris Cistert. Ordinis in sua Historia
Sacra intitulata: Mare Oceano lib. 4. pagin.* 260. De
hoc F. Iacobo & Prouincia Siciliæ multa dixi in meo
Cronologio Ordinis *capit. 25. impresso Parmæ anno*
1658.

Quæres 42. An consuetudine introduci possit, vt
aliqui graues patres suffragentur in Capitulis, seu Con-
gregationibus pro electione officialium ad quorum

electionem aliter concurrere non possunt, quia præfixus est numerus vocalium e. g. in mea Religione in electione Generalis, & quatuor Definitorum Generalium concurrunt quatuor Generalis præteritus, Prouincialis, Discretus, & Custos. In electione Prouincialis, & quatuor Definitorum eius, & Custodis Prouincialis, Discretus, Priores, & Discreti Vocales, Definitor Generalis, & Procurator Generalis, & in electione Priorum, & Discreti Prouincialis concurrunt Prouincialis, & quatuor eius Definitores tantum, vt expressè dicitur in Bulla 33. Clement. VIII. in nouo Bullario. Quæstio igitur est, an consuetudine, seu etiam statuto, & constitutione admitti possint alij supra expressos Vocales?

91 Respond. Consuetudo neque statutum inducere potest, vt huiusmodi partes quantumuis graues procedant ad electionem, in qua iam præfixus est numerus Vocalium ex Bulla Pontificia habente Decretum irritans electiones aliter factas, quam præscribatur in illa, quod idem dicitur de statuto, si aliud in contrarium numerum præfigens constet Decreto irritante, nimirum consuetudine tolli non posse, vtique statuto opposito condito per eosdem, vel successores statuentes.

92 Probandum igitur remanet Bullam Pontificiam, aut Regulare statutum constanti Decreto irritante tolli non posse contraria consuetudine sic, quia consuetudo contra Decretum irritans non valet, quod est Regulare in omni lege, & canone habente Decretum irritans, *cap. Quod super his, in fine, de consang. cap. Super eo, de cognat. spir Couar. part. 4. cap. 6. §. 10. num. 35. & ex eis Lauor. tit. 4. de elect. cap. 21. num. 132. vbi num. 133.* reddit rationem, quia lex irritans facit personam incapacem, quem defectum non potest tollere consuetudo *Dec. in cap. Nouit. de iudic. num. 84.* Statutum ergo factum, aut consuetudo inducta contra eam Bullam, & similes nullius valoris est, nisi confirmetur à Papa formaliter cum derogatione Bullæ in terminis, cui aduersatur statutum, aut consuetudo; neque autem sufficit confirmatio in forma communi, sed in forma specifica requiritur cum expressione vtriusque oppositorum.

Quæres 43. An Confirmatio Generalis Tertij Ordinis spectet ad Ministrum Generalem Minorum de Obseruantia? Non videtur dubitandum, cum id expressè statuatur à Sixto V. Bull. 46. incip. Romani Pontificis, quod nempe confirmationem ab illo petat intra duos menses à die suæ electionis computandos, qua non obtenta, vel denegata, censetur confirmatus ex indulgentia Apostolica.

93 Respond. Nullus Generalis talem confirmationem petit, sed in capitulo Generali quouis præsidens Cardinalis Protector, vel alius Prælatus eius vice, seu Sanctissimi illum confirmat. Ita quod illa Bulla nunquam incipit habere effectum, neque Minister Obseruantiæ curat de hac facultate. Ex quo constat Tertiarios in omnibus & per omnia esse exemptos à Minoribus siue Conuentualibus, seu Obseruantibus, etiam quoad visitationem ibidem præscriptam.

Quæres 44. An electio vnius ex duobus propositis sit valida? Pro negatiua faciunt sequentia.

Ex informatione data super actibus electionis P. Magistri F. Andreæ de Cecijs in Priorem Conuentus S. Mariæ die 19. mensis Iulij 1657. celebratæ in Congregatione Prouinciali eiusdem Prouinciæ, resultat, præfatam electionem non esse validam, nec Canonicam, & legitimam ex triplici capite, coarctationis nimirum, metus, & subornationis, ac proinde eam non esse tolerandam, sed nullam declarandam, & dictum patrem esse remouendum à regimine dicti conuentus tanquam occupatorem, & iniquum detentorem eius regiminis, & administrationis.

Nam quantum spectat ad coarctationem Patres Definitores in ea Congregatione Vocales vnanimiter, & concorditer deponunt, Patrem Prouincialem eis proposuisse in concursu dicti Prioratus duos tantum Sacerdotes, quorum alter erat Sacerdos iuuenis dispensatus super ætate, vnde cum Vocales cum non agnoscerent aptum ad huiusmodi munus Prioratus, noluerunt eum promouere ad electionem, non obstante, quòd Prouincialis eisdem præceperit in virtute S. Obedientiæ, quod eligerent vnum ex propositis, & quia resistebant, mutauit sententiam, loco iuuenis proponendo dictum Magistrum, qui tandem electus fuit in Priorem à maiori parte.

Ex hac autem limitatione aligendorum colligitur 94
coarctatio libertatis Vocalium in eligendo, ac proinde secuta electio est inualida, nam de ratione formali electionis est assumptio vnius ex pluribus, quæ cum libertate fieri debet, *cap. Cum terra 14. de elect. & in cap. Vbi periculum, §. Cæterum, de elect. in 6.* ibi: *Cessat electio, dum libertas adimitur eligendi.* Et quod coarctatio irritet electionem, declarauit S. Congregatio, dum respondit huic quæsito: *An stante libertate electionis liceat Prælato Superiori proponere duos, vel tres, ex quibus necessariò vnus eligatur. Sacra Congregatio respondit, non licere.* Ita referunt *Sigism. in Addit. ad dubium 52. num. 5. Lauor. tit. 4. cap. 21. num. 11. & 16. Peyrin. in Addit. ad Constitut. Clem. VIII. cap. 11. num. 31. ex illis Donatus Ordinis Prædicat. tom. 2. de Rebus Regul. tract. 1. quæst. 10. num. 7.* Et in terminis talem coarctatam electionem etiam ad tres, aut quatuor esse inualidam, præter citatos, docuerunt etiam *Rodriq. tom. 2. q. 56 art. 1. Castellin. de elect. cap. 3. num. 7. ex illis Barbosa de iure Eccl. lib. 1. cap. 19. num. 233.* Quod à fortiori procedet in casu nostro, in quo expressè electio coarctata fuit ad duos tantum.

Et augetur difficultas, quia vnus eorum non attigerat annum 25. suæ ætatis, super quo fuerat à Pontifice dispensatus, vt posset promoueri ad Sacerdotium, non verò ad dignitatem Prioratus contra ius commune, quod petit, vt 25. annum attingat assumendus ad dignitates, officia, & iurata beneficia citra Episcopatum, *cap. Cum in cunctis 7. §. Assumendus, de elect.* Quod Tridentinum confirmauit *sess. 24. cap. 12.* Et ætas hic præscripta habet locum etiam in Superioribus localibus Regularium *ex Rodriq. tom. 1. quæst. 13. art. 2. Miranda tom. 2. quæst. 3. art. 1. concl. 1. Lessio lib. 2. cap. 34. num. 107. cum aliis Sigism. de elect. dub. 62. num. 2.* Et licèt in dicto *cap. Cum in cunctis,* nulla fiat mentio de Regularibus, tamen ex identitate rationis comprehenduntur, cum Priores dicantur habere regimen animarum sibi subiectarum, nam vocantur Sacerdotes proprij suorum subditorum, non 96
secus ac Parochi suorum parochianorum, iuxta *cap. Omnis 12. de Pœnit. ex Fabro Fauentino disp. 25. de Pœnit. num. 89.* Vnde assimilatur Curatis *Rodriq. tom. 1. quæst. 17. art. 3. Miranda tom. 2. quæst. 19. art. 3. Peyrin. tom. 5. priuileg. ad Constitut. 7. Pauli V. num. 56.* Quare cum Prouincialis ex duobus propositis, quorum vnus tantum habebat ætatem requisitam, coëgerit vocales ad vnum eorum eligendum, & non potuerint de iure eligere iuuenem coarctabantur nimis, nempè ex vno eundem eligere, quod est formaliter destruere naturam, & essentiam electionis, quæ ex communi omnium sententia est voluntaria assumptio vnius ex pluribus dignis.

Nec suffragatur responsio dicentium, eum iuuenem eo ipso, quod fuit dispensatus super ætate ad recipiendum ordinem Presbyteratus, habilem factum fuisse, vt assumeretur ad Prioratum, constitutus enim in Sacerdotio potest præstare ea omnia munera præsertim spiritualia in subditos sibi commissos, ac si attingeret 25. annos, quia potestas regendi subditos præsertim spiritualiter non dependet ab ætate, sed ab ordine, quo ille iuuenis est insignitus, licèt careat prædicta ætate.

Non suffragatur, inquam, quia dispensatio sit intra 97
communis

communis voluntatis, strictè interpretanda est, & præcisè restringenda ad eum casum, pro quo petita fuit, de communi omnes *cum Sanch. lib. 8. disput. 1. num. 5.* vbi de hac materia latè agit. Compertum autem est, obtentam à iuuene dispensationem esse expressè super ætate ad Sacerdotium recipiendum, non autem vt promoueatur ad officia, & dignitates, quæ connexionem non habent cum Sacerdotio, licèt illud vt plurimum sic ponant. Et in terminis nostris, quod Religiosus dispensatus super ætate ad Presbyteratum, non sit dispensatus ad officia Ordinis, docet *Donatus tom. 2. tract. 5. q. 8. num. 4.* Et hæc satis quoad coarctationem numeri personarum.

98 Quoad secundum de metu incurso in dicta electione probatur duobus modis, nam Prouincialis videns vocalium repugnantiam, qui nolebant vota dirigere in vnum ex illis duobus primo loco propositis, præcepit eisdem in virtute S. Obedientiæ, vt vnum ex illis eligerent; & vni ex Vocalibus dixit, nisi dederis votum vni ex nominatis, habeo in mandatis à Reuerendissimo Generali remouere te à Conuentu, in quo nunc habitas, metu igitur reuerentiali vota dederunt, quod non fecissent, si sine præcepto, & comminatione mutationis domicilij, propositi fuissent eligendos. Quod autem metus irritet electionem patet ex eo, quod tollit libertatem, quæ est de ratione electio. *cit. cap. 4. de elect. in 6. ibi cessat electio, cum libertas adimitur eligendi, Gloss. 1. Metuebant in cap. Bona memoria il 1. de elect. vbi Panor. num. 11. Miranda tom. 2. quæst. 23. art. 3. Peyrin. de subdito quæst. 1. de obedientia cap. 31. §. 8. concl. 8. Cartellin. cap. 4. de elect. num. 56. Tambur. tom. 3. disput. 5. quæst. 22. n. 7. & 8. cum illis Barbosa lib. 1. de iure Ecclesi. cap. 19. num. 232.* Vnde Peyrinus præcitatus §. Et nota, ait, quod non obstante tali præcepto, possunt electores alium eligere, & Generalis tenetur illum confirmare, *Mirand. tom. 2. q. 23. art. 22. Pasqualig. q. 125. num. 6.*

99 Quoad tertium de subornatione patet, quia vocalis Barbantus deponit: *Io tengo per certo, che gli voti fossero subornati primo dal Padre Prouinciale, stante che il Padre Cruciano habbria detto à diversi Padri della Prouincia, che il Padre Prouinciale gli haueua detto, che dasse il voto à chi volena, altrimento l'haurebbe leuato di stanza d'Assisi, è che per questo timore detto Padre Cruciano diede il voto.* Dictus Crucianus affirmat ita esse, & tractatum factum à Prouinciali cum aliis Vocalibus amicis vocat Conuenticulum, & accendium inter ipsos de eligenda tali persona, excludendo P. Dionisium Actorem in hac causa. Manifestum autem est electiones subornatas nullius esse momenti, quia subornatio maximè facta à Superioribus adimit libertatem Vocalibus, ex allegatis iuribus, & Doctoribus *per Sanctorum de Melfi in cap. 8. statut. 56. fol. mihi 630. Sigism. de elect. dub. 55. Lauer. tit. 4. de elect. cap. 21. num. 19.*

Ex quibus patet, P. Dionisium, qui debebat proponi, & eligi pro secundo anno, iure meritò institisse, & instare, vt electio præfata declaretur nulla, & præfatus Magister Cecius tanquam iniustus detentor remoueatur ab administratione. Super qua electione ipso die celebrationis institit, & protestatus fuit de nullitate vnus ex Vocalibus Pater Barbantus prætendendo dictum Patrem Dionisium eius nepotem esse læsum, & iniuria affectum, eo quod non fuit propositus, & electus pro secundo anno.

Ex alia parte faciunt sequentia pro validitate præfatæ electionis in persona M. Cecij nunc existentis in possessione Prioratus Sancti Antonij de Padua Conuentus Assisij.

100 Primò, quia in hac promotione non desunt substantialia ipsius electionis, cum vnus ex duobus propositis liberè fuerit assumptus à Vocalibus, qui est dictus Magister, cui nihil opponitur. Et quod omnes vocales, præter vnum, qui suum votum direxit in P. Vincentium Felicium, liberè consenserint in dictum Cecium, probatur clarè, nam Prouincialis bis proposuit binos Sacerdotes eligendos, prima vice dictum Felicium, & Carolum Iosephum Octauianum iuuenem, de quo in præcedentibus dictum fuit, quod primus Vocalis Pater Petrus Barbantus nolebat eius propositionem, eo quod est iuuenis carens ætate 25. annorum, & non decet iuuenem inexpertum regnare super senes, quibus auditis P. Prouincialis, secundæ vice loco dicti iuuenis proposuit dictum Mag. Cecium, qua propositione facta, statim sine repugnantia deuenerunt ad scrutinia, vt testantur Vocales Valentinus, Crucianus, & Polidorus Scriba, & electus fuit M. Cecius, vno eorum tanto votum Felicio, contra Cecium, qui tamen obtinuit, quiam habuit maiorem partem vocum, *cap. 1. de iis, quæ fiunt à maiori par. & ibi omnes Canonistæ.* Factum enim à maiori parte censetur ab omnibus expeditum.

Neque illud præceptum dicitur ademptisse libertatem Vocalibus.

Quia intelligitur restrictum ad primam nominationem, super qua nullum factum fuit scrutinium; repugnante, & resistente eidem dicto Barbanto, qui volebat Priorem dictum Dionisium suum nepotem, excludendo Octauianum iuuenem, vt deponit ipse Barbantus, & Prouincialis volendo reprimere contradictionem Barbanti, præcepit in virtute S. Obedientiæ, vt duntaxat ad electionem vnius ex propositis primo loco, imò Valentinus deponit, dictum præceptum factum fuisse solùm dicto Barbanto, quod est verisimilius, quia ex informatione constat, solùm Barbantum contradixisse propter interesse nepotis, quem volebat secundo anno Priorem, alij verò Vocales in tantù in non producentem sua vota, in quantum inter ipsos prius votum dare debebat dictus Barbantus. Et quamuis præceptum obedientiæ non fuerit à Prouinciali positiuè reuocatum in secunda propositione eligendorum, in qua exiuit Prior dictus M. Cecius, tamen cum factum fuerit occasione repugnantiæ cessauit, sublata repugnantia per remotionem iuuenis, reponendo in eius loco alterum eligendum nempè dictum Cecium. Et ita testatur Valentinus Vocalis, ibi: *Nella quale non po precetto, ne repugnanza,* præceptum enim fit resistentibus, non verò sponte se applicantibus ad opus. Quidquid dicant alij tres testes Barbantus, Crucianus, & Polidorus, dum dicunt, Prouincialem non reuocasse præceptum, nam non erat necessaria huiusmodi expressa, & posita ita in terminis reuocatio, dum ex natura rei præceptum referebatur ad eam repugnantiam, quæ cum cessauerit in secunda propositione eligendorum, censetur præceptum expiralle, dum sponte, & sine contradictione accesserunt ad electionem. Deinde ex informatione constat, præceptum factum fuisse in resistentia primæ propositionis eligendorum ex Valentino, Crucano, & Polidoro, & non in secunda propositione contra depositionem Barbanti, qui asserit præceptum fuisse factum in secunda propositione eligendorum. Concludenter ergo probatur per tres testes contestes præceptum factum fuisse in prima propositione, non in secunda, in qua duo posteriores dicunt non fuisse illud sublatum; sed id parum refert, quia ad testes non spectat iudicare, sed tantum testificari. Et his credendum est, non illi vti soli, consanguineo, & interesse habenti, *cap. Accusatores 12. 3 quæst. 5. Consanguinei aduersus extraneos testimonium non dicant, quia propinquitatis affectio, veritatem impedire solet.*

Ex his ergo deducitur electionem huiusmodi non fuisse coactam, nec coarctatam, coactam quidem, quia, vt probatum fuit, præceptum relatum fuit solùm super repugnantiam, quæ non extitit respectu secundæ propositionis eligendorum, neque proinde inficere potuit electionem. Neque coarctatam, & quia sola repugnantia dedit occasionem Prouinciali præcipiendi, vt vnus ex illis eligeretur, & præceptum fuit licitum fundatum in ea repugnantia, habebant enim debitum eligendi, & non desistendi ab electione. 102

Secundò, ille mihi videtur sufficienter procedere 103

Canonicè in electione, qui more Apostolorum duos tantùm proponit eligendos, ita enim fecit S. Petrus, dum loco Iudæ præuaricatoris proposuit duos tantùm *Act. Apost. cap. 1. ibi num. 23. Statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barnabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum.* Ibi ergo supponitur libertas, vbi datur optio eligendi vnum ex duobus propositis, dum non cogitur eligere determinatum vnum, alio reiecto, & excluso.

104 Nam optimè saluatur essentia, & ratio formalis electionis, quæ est vnum ex pluribus voluntariè capere, *Gemin. in cap. cum expediat, de elect. in 6. Franc. in cap. Si quis iuste §. Porrò, num. 2. eod. in 6. Abbas in cap. Abbate, de verb. signif. ex illis Lauor. tit. 4. cap. 21. num. 12.* Si quidem duobus tantùm propositis, adhuc est in potestate, & libertate Vocalium, eligere quem sibi libuerit, non solùm ex illis duobus, sed etiam alium nonnominatum, nec propositum, quia propositio non coarctat cum fiat sine expressa exclusione aliorum. Et ita videtur intelligenda responsio S. Congreg. quæ etiam eum diuersimodè referatur *à Sigism. loco citato, & à Lauor. tit. 4. cap. 21. n. 16.* patitur in suo sensu difficultatem; imò, vt refert *Diana part. 11. tract. 8. resol. 53.* huiusmodi responsis productis in iudicio fides adhibenda non est, nisi producantur in forma probante. Nec responsum asserit electionem taliter celebratam esse nullam, sed illicitam, ex quo non infertur inualiditas, quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, *cap. ad Apostolicam de Regul.*

Quod autem non adimatur libertas Vocalibus ex propositione duorum tantùm, docet *Megal. part. 2. sui Promptuarij 11. Electio num. 3.* qui enim vnum ex duobus eligit, verè eligit; vnde *Albertus Magnus cap. 21. Topicor.* dicit: *Quod eligere est duorum, vel plurium, quæ sunt proposita, alterum, vel alterum præoptare* Et D. Thom. 1. 2. *quæst. 3. art. 3.* in corpore ait: *Quod in his, quæ sunt penitus determinata ad vnum electio locum non habet.* Apud Donatum *tom. 2. part. 3. tract. 1. quæst. 1. num. 1.* Nunquam tamen restrictio facienda est ad vnum, *Butr. in cap. cum in iure, de elect. num. 30. ex eo Lauor. tit. 4. de elect. cap. 21. num. 11.* quia est contra significationem vocis *electio*, quæ, vt suprà dixi, est vnum ex pluribus capere; pluralitas verò saluatur etiam in duobus, quia numero duorum contenta est, *l. libertas 17. ff. de manum. testa. l. vbi numerus ff. de testib. Reg. 40. in 6.* Saluatur ergo libertas etiam in electione ex propositione duorum. Nec his obstat *Rodr. tom. 2. q. 51. art. 11.* quia est statutum Generale sui Ordinis, in Tertio autem Ordine non adest tale statutum, sed praxis, & consuetudo legitima, vt mox probatur.

105 Voluntaria quoque fuit electio, non obstante præcepto illo, quia vt probatum fuit, referebatur ad primam propositionem eligendorum. Nec reuerà constat de subornatione, & de comminata mutatione domicilij Cruciani, qui id non probat. Quo etiam admisso, metus iste non dicitur cadere in constantem virum, qui metus petitur ad irritam electionem, *Sigismund. dub. 54. Lauor. cap. 21. num. 4. ex illis Barb. dub. 1. cap. 19. de iure Eccl. num. 232.* imò remotio tempore Capituli est licita, & in potestate Superioris ex *cap. 20.* Regulæ, non ergo ille metus erat victus ex parte subditi, licèt ex fine, & causa non esset licitus, sed quia non probatur in informatione idcircò non obstat validitati electionis.

106 Tertio est antiquissima consuetudo, cuius initij memoria non habetur, legitimè præscripta, vt probatur fidibus autenticis, qua Generalis, & in eius absentia singuli Prouinciales in suis Capitulis, & Congregationibus pro expediendis electionibus proponunt in concurrentia eligendorum solùm duos Sacerdotes habiles, & dignus ad officia Prioratuum; & hactenus horum electiones nemo dixit irritas, nec irritandas, aut non esse liberè factas, ergo nec in hac causa præsenti electio Cæcij habenda est pro irrita, sed pro valida. Confirmatur, quia consuetudo, quæ non repugnat essentiæ, & substantiæ electionis, in ea locum habere potest, *Card. in cap. quia propter, de elect. q. 12. specul. de elect. §. 1. n. 12. Soer. ad Mandagot. de elect. cap. 23. lit. R. vers. Adde Lauor. tit. 4. cap. 21. num. 131.*

Hanc autem consuetudinem non reprobant *Lezana* 107
part. 1 cap. 15. num. 21. ibi: *Cum tamen videam apud aliquos hanc esse consuetudinem, illam reprobare non audeo, maximè si Superiores facientes talem coarctationem nominent solùm digniores. Quia cum electio solùm de illis fieri debeat secundum ius, & rationem, si ipsi soli nominentur aliis exclusis, nec istis fiet iniuria, nec electio debita libertate priuabitur.* quam approbat Douarus *part. 3. tract. 1. quæst. 10. num 16.* dicens huic consuetudini non nocere responsum S. Congregationis, quod explicat, loqui de coarctatione facta ad libitum Superioris, non autem de ea, quæ potest esse, ex necessitate, ex rationabili causa, ex constitutione Ordinis, vel ex consuetudinis, prout Tertio Ordine S. Francisci probatur hæc consuetudo. Et hac ratione tollitur potissimum argumentum contrariæ partis.

Nec obstat huic consuetudini *cap. Cum terra 14. de* 108
elect. vbi ferè similis casui nostro refertur de duobus propositis, quorum electio vnius reprobata fuit tanquam coarctata, & sine libertate facta. Nam ibi reprobatur quædam prima consuetudo, his verbis: *Quidam in electionibus praua consuetudinis morbus irrepsit, vt cum alicuius Prælati electio debet celebrari, Conuentus, ad quem pertinere dignoscitur, duas personas nominet latenter auribus Pa[...]cha, vel Principis exprimendas, vt sic alterius eligenda, vel totius electionis pœnitus irritanda, idem Patriarcha, vel Princeps plenariam habeat facultatem.* Posita ergo nominatione, Princeps alterum præficiebat, aut vtrumque repellebat, & in hoc consistebat praua consuetudo, quam Papa aboleuit, præcipiendo, vt electores in vnum locum conuenientes celebrarent electionem, quibus antea concessum non erat, cum solùm nominarent duos eligendos, super quos postmodum Princeps habebat plenariam facultatem aut illos repellendi, aut vnum ex illis præficere sine vlla electione. Reprobatur ergo consuetudo ex parte Principis, non verò ex parte nominationis illorum duorum.

Quarto in eadem Congregatione P. Prouincialis eodem modo processit, proponendo duos Sacerdotes pro aliis Conuentibus, & expeditæ fuerunt electiones ex vno ex duobus propositis, nulla existente repugnantia, nec contradictione, quia non agebatur de interesse sanguinis. Quare ergo electio M. Cecij prætenditur nulla, & non aliæ, cum eodem modo in singulis processum fuerit?

Demum nulla iniuria facta fuit P. Dionisio, si secundo anno non fuit electus, eo quod Priores sunt annales, adeò quod nullum ius habent vt eligantur secundo anno, aliter Vocales cogerentur illum eligere, & sic electio esset nulla coarctata ad vnum.

RESOLVTIO XXVII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis.

SVMMARIVM.

1 *Prior non potuit alienare prædium quinquaginta aureorum.*
2 *Ager parui momenti potest alienari 19. 38.*
3 *Alienari potest peruentum ad Monasterium cum tali onere.*
4 *Hipotecatio an sit prohibita volenti alienare?*
5 *Commune Ecclesiæ, & Laico alienabile est.*
6 *In quo casu nulla pœna incurruntur.*

7 *Probi*

QVidam Prior Prouincialis propria authoritate à suo Conuentu agrum 50. aureorum alienauit transferendo in aliud Monasterium sibi subiectum, prætendendo, se id posse facere, adducendo *Gloss. in cap. Ecclesiæ 16. quæst. 1.* vbi Episcopus bene aufert de iure vnius, & dat alteri, modò prior Ecclesia enormiter non lædatur, & probat *per cap. Bona rei 12. quæst. 2. cap. Sicut vnire, de excessibus Prælat. cap. Ad audientiam, de Eccl. ædif. cap. Cum Apostolica, de iis, quæ fiunt à Prælat.* ergo idem dicendum in casu hoc, Episcopus enim & Prouincialis quoad ad iurisdictionem comparantur, *Panor. in Clem. 1. de rebus Eccles. tom. 1. quæst. 27. artic. 6. Mirand. alios citans tom. 2. quæst. 7. artic. 1.* Neque enim Ecclesia dicitur lædi, quia finis, propter quem prohibetur alienatio est, ne bona Ecclesiastica deteriorentur, aut distrahantur, quod non sequitur, quando transferuntur ab vna ad aliam Ecclesiam, sed ab Ecclesia ad Laicos, tunc enim Ecclesia deterioratur; & enormiter læditur, & confirmatur *per l. Voluntas C. de fideiuss.* vbi frater dando sorori non dicitur alienare, ergo neque is Superior ex sorore dando alteri sorori. Quibus tamen non obstantibus.

Resp. Non potuit, nec proinde tenuit alienatio, probatur. Tum quia id expressè prohibetur *cap. 1. de reb. Eccles.* vbi dicitur, quod non licet Episcopo, vel Abbati terram vnius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamuis ambæ sint in eius potestate. Tum quia per *Clem. de suppl. negl. Prælat.* prohibetur, ne propriis mensis applicent ea, quæ spectant ad vacantes Ecclesias, quas conferre debent sibi subiectis Regularibus, neque eas pensionibus aggrauent, ergo signum est quod super suas Ecclesias non habent ius alienandi ab vna ad aliam. Tum quia nulla est alienatio facta sine consensu Capituli; *cap. placuit 50. cap. sine exceptione num. 12. quæst. 2. vbi per totam de hac materia alienationis, c. 1. cap. Tua nuper 8. cap. pastoralis 9. de iis, quæ fiunt à Prælat.* Tum quia in iure generaliter prohibetur quæuis alienatio, ergo nullam debemus excipere. Et quod non possit fieri alienatio ab vna ad aliam Ecclesiam tenent *Quaran. ver. Alienatio num. 15. aliis citatis, & Bonac. de alienat. p. 2. num. 14. vbi citat Riccium decis. 38. & 74.* non requirentem assensum Apostolicum. Et in re nostra tenuit *Peyrin. tom. 2. ad Constit. Iul. 2. n. 76.* oppositum asserens *tom. 3. cap. 3. num. 20.* accedente consensu Capituli.

Ad rationes dubitandi dico ad illos textus, in illis locis sermonem esse præsertim de vnione Ecclesiarum, quæ contingit absque præiudicio possidentium beneficia, sed ea vacantia vnire potest *per dicta iura, & alia Sacri Concil. sess. 21. c. 5. sess. 23. c. 18 sess. 24. cap. 13. & 15.* in casu autem nostro semper fit præiudicium Conuentui, cum nunquam vacet. Præterea alienationem peregit sine consensu sui Capituli, in quo Prælatus ille damnatur, & enormiter læsit illud Monasterium, cum rem magni momenti alienauerit.

Quæres 1. Quid si ager fuisset parui momenti, vt viginti, aut viginti quinque aureorum, an potuisset alienare?

Resp. Potuisset, cum consensu illius Monasterij, cuius est res alienanda, quod probatur per *cap. Terrulas 52.* illis verbis: *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ* 2

minus

minus vtiles, aut longè positas, Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat facultatem 12. *quæst.*2. Ex quibus verbis habes huiusmodi rem debere esse exiguam, & potius inutilem, & requiri necessitatem, & licèt Episcopus in hoc casu non requirat consensum Capituli, quia Ecclesiæ, neque illis præiudicat, Prælatus tamen Regularis cum præiudicet Fratribus illius Conuentus, ideò sine illorum consensu alienare non potest; & impedire possunt, quia Superioris est construere, & non destruere bona suorum Monasteriorum, aliter Superior non est, sed mercenarius. Res autem parua dicitur valens 25. aureos, vt infrà à cessero ex Sacra Congregatione *q.*5.*§. Sed casum*, vbi ampliùs explico dictum caput, & deinde *q.*10.

Quæres 2. An quidam Prouincialis habito tractatu, & consensu sui Capituli sine licentia in scriptis nunc obtinenda à Sacra Congregatione, vt patet ex Decreto eiusdem. Dat.7. Sept.1624. de quo infrà dicam *quæst.*4. potuerit alienare fundum suo Monasterio relictum ex testamento, iam eidem incorporatum, quem fundum testator antea contraxerat obligatione permutandi cum alio, vnde parte instante executa fuit alienatio, seu permutatio?

3 Respond. Potuit licitè, & validè contrahere dictam permutationem, ac proinde absque periculo incurrendi, pœnas contra malè alienantes bona Ecclesiæ statutas in *extr. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non al.* & in suprà allegato Decreto, quod probatur. Tum quia in illis prohibetur alienatio voluntaria, non autem necessaria, vt probatur *per l.*1.*ff.de fund.dot.l.Alienationes ff.famil. Ercisc. l. Diuus ff. de petenda hæred.* Ex his enim textibus colligitur, quod quando lex loquitur de alienatione non celebranda, debet intelligi de voluntaria, non autem de necessaria, *teste Megal.*2.2. *lib.*2.*cap.*91. *num.*92. in casu autem præsenti alienatio huius fundi est necessaria ex debito iustitiæ, vt mox probatur, cogitur enim Prælatus cum suo Conuentu ad exequendum contractum, ad quem testator antea se obligauerat argumento *cap.Quia Ioannes* 12.*q.*5.*cap.Illud* 16.*q.*6.*cap. Literis de rescript.* Ex quibus locis colligitur successorem non tantùm in iurisdictione, sed etiam in quauis alia re debere stare contractui sui antecessoris, seu alterius cuiuscomque cum Ecclesia negotium habentis. Tum quia res transit cum suo onere *l.si conuenerit §.si fundus, ff.de pignor. l.Pomponius §.*1.*de acquir.possess cap.Ex literis, de pignor. Barbosa lit.R, num.*17.*plerisque iuribus, & Doctoribus locatis*; quod procedit etiam in casu nostro, quando res transit ad Ecclesiam, *Craneta consil.*217.*num.*5.*Duennas reg.*100.*n.*106. *quos sequendo citat Belletus in disquisit. Cleric. de Clerico debitore §. & num.*8. ergo dictus Prælatus licitè potuit permutare, quia ad Religionem cum tali onere peruenit ille fundus. Tum quia ex persona hæredis, seu legatarij conditio obligationis non mutatur *leg.*2.*§. Ex his, ff.de verb.signif.* sed adhuc perseuerat, & transit ad successorem, qui succedit in onera testatoris, & tenetur adimplere cootractus io quos testator se obligauit, quia ex contractu nascitur obligatio realis, quæ transmittitur ad hæredes ex communi Doctorum *per l. Necessario, §. Quod si pendente, ff. de perse. & com. rei vend.* & docent *Molina disp.*332.*num.*5.*Less lib.*2.*c.*20. *Med.q.*4. *de vsur.* nec vis facienda est inter hæredem, & legatarium, quia etiam legatarius est quidam hæres si non vniuersalis, saltem particularis, & incerta re, *l.Quoties, Cod.de Hæred.* Tum quia sicut non potest alienari fundus relictus à testatore interdictus alienari, *l.Filiusfamilias, §.Diuus, ff.de Leg.*1. ita à contrario sensu potest alienari fundus habens adnexum contractum alienationis. Tum quia is contractus alienationis propriè non est, sed initi contractus à testatore executio perfecta à legatario, sicut enim legati repudiatio non est alienatio, sed eius remissio *l.Alienationis, ff.de verb.sign.* ita neque hæc permutatio, quæ præcisè est executio obligationis testatoris, vnde sicut repudians legatum non facit contra dictas leges, vt tenent *Lapus Allegat.*25. *Feder.de Senis cons.*9. *cum multi alijs à Quar.citatis num.*23.*& à Bonac.quos sequitur p.*4.*de Feudo, & Emphit.num.*38.*§.Sed mihi*, i.a neque alienans fundum habens adnexum huiusmodi onus. Tum quia coactus vendere ad soluenda debita adnexa ei; quæ peruenit ad Ecclesiam, non tenetur seruare præfatas leges, vt docet *Redoan.q.*51.*cap* 8.*num.*18. quem citat, & sequitur *Quar.num.*36.*iuxta ibi dicta*: ergo neque quando res habet adnexam aliam obligationem magis coniunctam cum re, quam debitum sit. Tum quia leges pœnales restringendæ sunt, cuiusmodi sont præfatæ de rebus Ecclesiæ non alienandis, in quibus non fit mentio de permutatione, alijs omnibus enumeratis contractibus, ergo signum est eam non contineri sub illis, præsertim cum ex ea non sequatur rei Ecclesiasticæ distractio, principalis finis ob quem Summi Pontifices moti fuerunt ad prohibendum rerum Ecclesiasticarum alienationem: & licèt in *cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien.* sub nomine alienationis veniat permutatio, id non est ex natura, & conditione vocabuli *Alienationis*, quod propriè sonat distractionem, sed quia ibi sumpsit terminum. *Alienationis*, latè, & impropriè, vt colligitur ex Gloss. ibidem, vnde in dictis Extr. & Decreto eam prætermisit exprimendo diuersos contractus, non exempli gratia, sed vt eos tantùm includeret, ex quibus sequitur de facto, vel sequi potest distractio. Concluditur ergo ex hactenus dictis cum leges Canonicæ prohibeant ex vna parte alienationes voluntarias, & ex alia colligatur ex citatis legibus, & Doctoribus non prohibere necessarias, inter quas præsens permutatio numeratur, & expediat iura iuribus concordare, *cap. Cum expedias, de elect.* præfatum Prouincialem celebrando dictam permutationem sine licentia Sedis Apostolicæ nullam incurrisse pœnam ex suprà enumeratis.

4 An autem hypotheca sit prohibita, quando adijcitur contractui celebrato à Prælato non contento sub dispositione dictæ Extr. & Decreti? Videtur enim affirmatiuè respondendum, quia ibi enumeratur. Sed potest dici, sermonem ibi esse de hypotheca nullo supponente contractu ex parte hypothecantis per Reg. 42. Accessorium congruit sequi naturam principalis; modò permutatio, quæ est principalis contractus non prohibetur, ergo neque accessoria hypotheca; quamquam id patiatur aliquam difficultatem, cum non sit eadem ratio, quia in permutatione non est distractio sicut potest esse in hypothecatione. Id sequuntur *Conar. lib.* 2. *Resol. cap.*16.*num.*7. *& alij citati à Quar.quos non sequitur num.*17. eorum ratio est, quia in cap. Nulli fit mentio solùm de hypotheca speciali, non autem generali, quæ est obligatio omnium bonorum, nec obstat quod extr. simpliciter loquatur, quia restringitur per citatum caput.

Quæres 3. An quando quis reliquit domum, exempli gratia Ecclesiæ, & particulari Laico in communi, & indiuisim, si Laicus velit vendere, & domus non est apta, & commoda diuisioni, possit Monasterium consentire venditioni, non seruata forma, & solemnitate dictorum iurium?

5 Respond. Potest, probatur. Tum quia huiusmodi venditio ex consequenti censetur necessaria alienatio, posito quod Laicus velit vendere, & non possit diuidi domus, ergo non continetur sub dispositione dictorum iurium, quia per illa prohibetur solùm alienatio voluntaria non necessaria, vt patet ex dictis præcedenti quæsito. Tum quia si est aliqua difficultas, maximè quia Laïcus vendendo præiudicat Ecclesiæ, cui prohibetur alienatio, ac proinde indirectè eidem Laico, quod tamen verum non est, quia prohibitio non est contra eum, qui iure suo vtitur, licèt præiudicium afferat tertio, *l. Cum eo ff. de seru. vrb.præd. Megal.*2.2.*lib.*2.*cap.*3.*n.*11. quamquam potest, & debet pecuniam implicare, & sic tollitur præiudicium. Tum quia non obstat Reg.56. In re communi potior conditio prohibentis, quia habet locum in prohibitione priuata, seu ab homine, non in legali, vt in casu nostro.

Quæres

Quæres 4. De alienatione fundi, extirpatione vineæ, & alna in sequenti casu. Paulus emit ab Antonio fundum cum pacto retrouendendi infrà præfixum tempus redimendum adiecta conditione, quod si Antonius non redemerit infrà statutum tempus, non possit amplius redimere, sed statim cedat Paulo, qui transacto tempore adiit possessionem dicti fundi, ex quo Antonius, qui tenebatur redimere infrà præfixum tempus, mouit litem super possessione vti inualida, & cum tunc pestilentia grassaretur de anno 1630. Paulus testamentum condidit in eo dictum fundum legando RR. PP. SS Geruasij, & Protasij Papiæ, quod legatum acceptarunt, & prosequuti fueruot litem, ad quam tandem se dandam transegerunt partes titulo permutationis, nam Superior Conuentus cum sui Capituli consensu iniit eum contractum restituendo fundum, & eius loco recipiendo alium, & sic finem imposuerunt litibus, sequendo illud D. Gregor. in Registro. *Contentiones*, inquientis, *de terrenis diu habere, Religiosis indignum est.*

Difficultas est. An dictus Prælatus (est enim Prouincialis ibi cum suo Conuentu moram trahens) sic transigens, inconsulta Congreg. Sacra contra eiusdem Decretum. Dat. sub die 7. Sept. 1624. incurrerit pœnas in eo inflictas, quæ sunt priuationis omnium officiorum obtentorum, vocis actiuæ, & passiuæ cum perpetua inhabilitate ad illa imposterum; & aliàs *in extr. comm. Ambitiosæ, de reb. Eccl. non alien. Pauli* 2. quæ sunt excommunicatio nulli reseruata, & priuatio ipso facto Prælaturæ eius Ecclesiæ, cuius bona alienantur? Præterea an in dicta transactione potuerit obligare bona Monasterij? Demum, an euellere, & extirpare vineam?

Videtur respondendum, nullum ex prædictis actibus potuisse fieri, & consequenter incidisse in pœnas, quod apertè colligitur ex citatis extr. & Decr. iisdem clausulis, & terminis constantibus in hæc verba. *Omnium rerum, & bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium alienationem, omnéque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur.* Ecce ex his verbis prohiberi permutationem, per quam sine dubio transfertur dominium, & vera est alienatio præsè accepta, de qua fit mentio in *cap. Nulli, de reb. Eccl. non alien.* quod idem dicitur de incisione vineæ, est enim actus dominij ex *l. Diuortio §. Fundum ff. solut. matr.* & de hypotheca fit expressa mentio paucis interiectis, quare non videtur relictus dubitandi locus. Nihilominus

6 Respond. Ad primum. Dictus Superior nullas incurrit pœnas, quia præfatæ alienationes non continentur sub dispositione dictarum legum, quod multis probatur,

7 Primò. Quoties in aliquo iure prohibetur alienatio alicuius rei, non venit necessaria, sed tantùm voluntaria *l. 1. ff. de fund. dot. l. Alienationis, ff. famil. Ercisc. l. Diuus, ff. de pet. hered. & concordat tex. in cap. Nulli cit. ait Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 5. num. 196. limit. 2. & cons. 4. n. 5.* Sed præfata alienatio non fuit voluntaria, sed necessaria, quia pendebat necessitas ex contractu retrouenditionis inducente obligationem, quæ necessitatem infert in contrahente *arg. cap. 1. 17. quæst. 1.* ergo de hac nihil disponunt dictæ leges.

8 Secundò. Retrouenditio non est propriè alienatio, neque nouus contractus, neque diuersus à Priori, cum illius sit præcisè rescissio, vt aiunt Iurisperiti, quæ sicut non erat prohibita Paulo, imò ex pacto necessaria, ita neque est prohibita Ecclesiæ, quæ in eius locum successit; emptio enim cum pacto retrouendendi transit ad hæredes, & Legatarios cum iisdem conditionibus, quibus antea erat apud legantem, docent *Gomez lib. 2. Var. cap. 2. num. 27. Megal. cit. cap. 6. num. 217. Molin. disp. 376. num. 8. Boër. decis. 181.* Ratio est, quia res quælibet transit cum onere suo, quod procedit etiam, cum peruenit ad Ecclesiam. *Crau. cons. 217. Duenas Regul. 100. quos sequendo citat Bellet. in disquis. cler. de cler. debit. § 8. num. 8. & Barbosa ht. R. num. 17.* & in specie de hoc contractu retrouenditionis non prohibito sub dictis legibus docet *Redoan. q. 66. num. 9.* cum aliis, quod non improbabile putat *Bonac. T. V. p. 2. de Alienat. num. 16.* & confirmatur, Tum quia quælibet res facilè ex natura sua reuertitur ad suum principium, & dominum, *cap. 2. dist. 35. l. si vnus §. pactus ne peteret, ff. de pact.* Tum quia non est alienatio præcisè, & in terminis, sed tam initi contractus à Paulo testatore perfecta executio à legatario; sicut enim legati repudiatio non est alienatio, sed eius remissio *l. Alienationis ff de verb. sign.* ita neque hæc permutatio, quæ solùm est executio obligationis testatoris, vnde sicut repudians legatum non facit contra Canones, vt tenent *Lap. alleg. 25. Feder. de Senis cons. 9. cum aliis multis à Quar. citatis n. 23. & à Bonac. quos sequitur p. 4. de hac re num. 38. §. Sed mihi.* Ita neque alienans, sed potius restituens fundum habentem nexum huiusmodi onus contra facit dictis legibus.

Tertiò. Alienatio rei litigiosæ in iure non reprobatur, sed tantùm præcipitur substitutio alterius in eius locum, vt expressè habetur *cap. 3. & 4. Vt lite pend.* Sed in casu nostro fuit alterata, seu potius reddita res litigiosa, & in eius locum alia substituta, ergo iste Superior egit iuxta sacros Canones, consequenter nullas incurrit pœnas, non enim pœnam meretur legitimè factum *l. Gracchus, Cod. de Adult. cap. 2. de Const. Nau. consil. 16. de statu Mon.* Neque licèt dicere, obstare extr. & dictum Decretum id prohibentia etiam in litigiosis; tum quia non licèt recedere à iure antiquo nisi quatenus reperitur expressum in nouo, *cap. 2. de Transl. l. præcipimus, de Appellat.* de re autem litigiosa nil disponitur in dictis locis, ergo manet sub dispositione iuris antiqui, casus enim non expressus habetur pro omisso *leg. Quidquid astringenda ff. de verb. signific.* & is relinquitur dispositioni iuris communis *l. Si cum dotem ff. solut. matr.* Tum quia expedit iura iuribus concordare *c. 29. de elect. in 6.* legum enim vitandæ sunt correctiones quantum fieri potest, ex iuribus citatis *à Gloss. ver. Iuri communi, in c. 8. de consuet.* 9

Quartò licita est transactio etiam super rebus Ecclesiasticis ex *Gloss. cap. Quia res 11. q. 1. & colligitur ex c. 2. iuncta Gloss. Literas, & 4. de Transact. & docent Rebuff. in Comp. huius materiæ n. 2. Roland. cons. 15. Alber. & Feder. in Auth. Hoc ius solemnizata à Sacris Canonib. can. 3. 10. q. 2. Apud Rosellam ver. Alienatio num. 11.* 10

Quintò. In dictis extr. & Decr. prohibetur alienatio earum rerum, quæ ab Ecclesia possidentur, alienatio enim supponit rei acquisitionem, & alienantem habere ius non solùm ad rem, sed etiam in re, & consequenter pacificam possessionem, quomodò enim potest quis alienare rem, cuius dominium non habet? cum alienatio sit dominij translatio, ex citatis iuribus. Res autem litigiosa non videtur esse sub dominio alicuius, cum de ea vertatur inter petitorem, & possessorem *Auth. de litig.* Et confirmatur idex *cap. Cum Apostolica*, ibi. *Cum aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur.* De iis, quæ fiunt à Prælat. Res autem litigiosa non dicitur possidentis, *arg. cap. Quoniam*, ibi. *Verus constituetur possessor, §. In aliis*, Vt lite non cont. Quare cum dictus Prælatus non alienarit rem à Monasterio perfectè possessam contra dictum Decretum non venit, consequenter neque eius pœnas incurrit. 11

Sextò. Dicta extr. & Decr. excludunt casus à iure expressos, in quibus conceditur liberè alienatio iusta subsistente causa inconsulto Pontifice Romano, vt docet *Redoan. q. 36. & alij, quos cito q 7.* ibi tamen corrigo, quod hic dico: sed casus noster est de exceptis ex duplici titulo, nempè ex necessitate contractus perficiendi, & terminandi, & ex incommoditate expensarum, quas consequuntur lites, de quibus casibus incommoditatis tangit *Gloss. Summæ 12. q. 2. & in cap. Nulli, de reb. Eccl. non alien. conr. q. 25. Rosella Alienatio n. 4.* 12

Septimò. Tum quia cessante fine legis, cessat ipsa lex, ex vulgatis iuribus; finis autem extr. & Decr. est conseruatio bonorum Ecclesiasticorum, ne per iniquam alienationem 13

minus vtiles, aut longè positas, Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat facultatem 12. quæst.2. Ex quibus verbis habes huiusmodi rem debere esse exiguam, & potius inutilem, & requiri necessitatem, & licèt Episcopus in hoc casu non requirat consensum Capituli, quia Ecclesiæ, neque illis præiudicat, Prælatus tamen Regularis eum præiudicet Fratribus illius Conuentus, ideò sine illorum consensu alienare non potest; & impedire possunt, quia Superioris est construere, & non destruere bona suorum Monasteriorum, aliter Superior non est, sed mercenarius. Res autem parua dicitur valens 25. aureos, vt infrà refero ex Sacra Congregatione *q.5. §. Sed casum,* vbi ampliùs explico dictum caput, & deinde *q.10.*

Quæres 2. An quidam Prouincialis habito tractatu, & consensu sui Capituli sine licentia in scriptis nunc obtinenda à Sacra Congregatione, vt patet ex Decreto eiusdem. Dat.7. Sept. 1624. de quo infrà dicam *quæst.4.* potuerit alienare fundum suo Monasterio relictum ex testamento, iam eidem incorporatum, quem fundum testator antea contraxerat obligatione permutandi cum alio, vnde parte instante executa fuit alienatio, seu permutatio?

3 Respond. Potuit licitè, & validè contrahere dictam permutationem, ac proinde absque periculo incurrendi pœnas contra malè alienantes bona Ecclesiæ statutas in *extr. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non al.* & in suprà allegato Decreto, quod probatur. Tum quia in illis prohibetur alienatio voluntaria, non autem necessaria, vt probatur *per l.1. ff. de fund. dot. l. Alienationes ff. famil. Ercisc. l. Duns ff. de petenda hered.* Ex his enim textibus colligitur, quod quando lex loquitur de alienatione non celebranda, debet intelligi de voluntaria, non autem de necessaria, *teste Megal. 2.2. lib.2. cap.91. num.92.* in casu autem præsenti alienatio huius fundi est necessaria ex debito iustitiæ, vt mox probatur, cogitur enim Prælatus cum suo Conuentu ad exequendum contractum, ad quem testator antea se obligauerat argumento *cap. Quia Ioannes 12. q.5. cap. Illud 16. q.6. cap. Literis de rescript.* Ex quibus locis colligitur successorem non tantùm in iurisdictione, sed etiam in quauis alia re debere stare contractui sui antecessoris, seu alterius cuiuscumque cum Ecclesia negotium habentis. Tum quia res transit cum suo onere *l. si conuenerit §. si fundus, ff. de pignor. l. Pomponius §.1. de acquir. possess. cap. Ex literis, de pignor. Barbosa lit. R, num. 17. plerisque iuribus, & Doctoribus locatis,* quod procedit etiam in casu nostro, quando res transit ad Ecclesiam, *Craneta consil. 217. num.5. Duennas reg. 100. n.100. quos sequendo citat Belletus in disquisit. Cleric. de Clerico debitore §. & num. 8.* ergo dictus Prælatus licitè potuit permutare, quia ad Religionem cum tali onere peruenit ille fundus. Tum quia ex persona hæredis, seu legatarij conditio obligationis non mutatur *leg.2. §. Ex his, ff. de verb. signif.* sed adhuc perseuerat, & transit ad successorem, qui succedit in onera testatoris, & tenetur adimplere contractus in quos testator se obligauit, quia ex contractu nascitur obligatio realis, quæ transmittitur ad hæredes ex communi Doctorum *per l. Necessario, §. Quod si pendente, ff. de peric. & com. rei vend.* & docent *Molina disp. 332. num.5. Less. lib.2. c.20. Med. q.4. de vsur.* nec vis facienda est inter hæredem, & legatarium, quia etiam legatarius est quidam hæres si non vniuersalis, saltem particularis, & in certa re, *l. Quoties, Cod. de Hæred.* Tum quia sicut non potest alienari fundus relictus à testatore interdictus alienari, *l. Filiusfamilias, §. Diui, ff. de Leg. 1.* ita à contrario sensu potest alienari fundus habens adnexum contractum alienationis. Tum quia is contractus alienationis propriè non est, sed initi contractus à testatore executio perfecta à legatario, sicut enim legati repudiatio non est alienatio, sed eius remissio *l. Alienationis, ff. de verb. sign.* ita neque hæc permutatio, quæ præcisè est executio obligationis testatoris, vnde sicut repudians legatum non facit contra dictas leges, vt tenent *Lapus Allegat. 25. Feder. de Senis cons. 9. cum multi alijs à Quar. citatis num. 23. & à Bonac. quos sequitur p.4. de Feudo, & Emphit. num. 38. §. Sed mihi,* ita neque alienans fundum habens adnexum huiusmodi onus. Tum quia coactus vendere ad soluenda debita adnexa rei; quæ peruenit ad Ecclesiam, non tenetur seruare præfatas leges, vt docet *Redoan. q.51. cap 8. num* 18. quem citat, & sequitur *Quar. num. 36. iuxta ibi dicta*: ergo neque quando res habet adnexam aliam obligationem magis coniunctam cum re, quam debitum sit. Tum quia leges pœnales restringendæ sunt, cuiusmodi sunt præfatæ de rebus Ecclesiæ non alienandis, in quibus non fit mentio de permutatione, alijs omnibus enumeratis contractibus, ergo signum est eam non contineri sub illis, præsertim cum ex ea non sequatur rei Ecclesiasticæ distractio, principalis finis ob quem Summi Pontifices moti fuerunt ad prohibendum rerum Ecclesiasticarum alienationem: & licèt in *cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien.* sub nomine alienationis veniat permutatio id non est ex natura, & conditione vocabuli *Alienationis,* quod propriè sonat distractionem, sed quia ibi sumpsit terminum. *Alienationis,* latè, & impropriè, vt colligitur ex Gloss. ibidem, vnde in dictis Extr. & Decreto eam prætermisit exprimendo diuersos contractus, non exempli gratia, sed vt eos tantùm includeret, ex quibus sequitur de facto, vel sequi potest distractio. Concluditur ergo ex hactenus dictis cum leges Canunicæ prohibeant ex vna parte alienationes voluntarias, & ex alia colligatur ex citatis legibus, & Doctoribus non prohibere necessarias, inter quas præsens permutatio numeratur, & expediat iura iuribus concordare, *cap. Cum expediat, de elect.* præfatum Prouincialem celebrando dictam permutationem sine licentia Sedis Apostolicæ nullam incurrisse pœnam ex suprà enumeratis.

An autem hypotheca sit prohibita, quando adijcitur contractui celebrato à Prælato non contento sub dispositione dictæ Extr. & Decreti? Videtur enim affirmatiuè respondendum, quia ibi enumeratur. Sed potest dici, sermonem ibi esse de hypotheca nullo supponente contractu ex parte hypothecantis per Reg. 42. Accessorium congruit sequi naturam principalis; modò permutatio, quæ est principalis contractus non prohibetur, ergo neque accessoria hypotheca; quamquam id patiatur aliquam difficultatem, cum non sit eadem ratio, quia in permutatione non est distractio sicut potest esse in hypothecatione. Id sequuntur *Conar. lib. 2. Resol. cap. 16. num. 7. & alij citati à Quar. quos non sequitur num. 17.* eorum ratio est, quia in cap. Nulli fit mentio solùm de hypotheca speciali, non autem generali, quæ est obligatio omnium bonorum, nec obstat quod extr. simpliciter loquatur, quia restringitur per citatum caput. 4

Quæres 3. An quando quis reliquit domum, exempli gratia Ecclesiæ, & particulari Laico in communi, & indiuisim, si Laicus velit vendere, & domus non est apta, & commoda diuisioni, possit Monasterium consentire venditioni, non seruata forma, & solemnitate dictorum iurium?

Respond. Potest, probatur. Tum quia huiusmodi venditio ex consequenti censetur necessaria alienatio, posito quod Laicus velit vendere, & non possit diuidi domus, ergo non continetur sub dispositione dictorum iurium, quia per illa prohibetur solùm alienatio voluntaria non necessaria, vt patet ex dictis præcedenti quæsito. Tum quia si est aliqua difficultas, maximè quia Laïcus vendendo præiudicat Ecclesiæ, cui prohibetur alienatio, ac proinde indirectè eidem Laico, quod tamen verum non est, quia prohibitio non est contra eum, qui iure suo vtitur, licèt præiudicium afferat tertio, *l. Cum eo ff. de seru. vrb. præd. Megal. 2.2. lib.2. cap.3. n.11.* quamquam potest, & debet pecuniam implicare, & sic tollitur præiudicium. Tum quia non obstat Reg. 56. In re communi potior conditio prohibentis, quia habet locum in prohibitione priuata, seu ab homine, non in legali, vt in casu nostro. 5

Quæres

Quæres 4. De alienatione fundi, extirpatione vineæ, & aliis in sequenti casu. Paulus emit ab Antonio fundum cum pacto retrouendendi infrà præfixum tempus redimendum adiecta conditione, quod si Antonius non redemerit infrà statutum tempus, non possit amplius redimere, sed statim cedat Paulo, qui transacto tempore adiit possessionem dicti fundi, ex quo Antonius, qui tenebatur redimere infrà præfixum tempus, mouit litem super possessione vti inualida, & cum tunc pestilentia grassaretur de anno 1630. Paulus testamentum condidit in eo dictum fundum legando RR.PP. SS Geruasij, & Protasij Papiæ, quod legatum acceptarunt, & prosequuti fuerunt litem, ad quam tandem se dandam transegerunt partes titulo permutationis, nam Superior Conuentus cum sui Capituli consensu iniit eum contractum restituendo fundum, & eius loco recipiendo alium, & sic finem imposuerunt litibus, sequendo illud D.Gregor. in Registro. *Contentiones*, inquientis, *de terrenis diu habere, Religiosis indignum est.*

Difficultas est. An dictus Prælatus (est enim Prouincialis ibi cum suo Conuentu moram trahens) sic transigens, inconsulta Congreg. Sacra contra eiusdem Decretum. Dat. sub die 7. Sept. 1624. incurrerit pœnas in eo inflictas, quæ sunt priuationis omnium officiorum obtentorum, vocis actiuæ, & passiuæ cum perpetua inhabilitate ad illa imposterum; & aliàs *in extr. comm. Ambitiosa, de reb. Eccl. non alien. Pauli* 2. quæ sunt excommunicatio nulli reseruata, & priuatio ipso facto Prælaturæ eius Ecclesiæ, cuius bona alienarunt? Præterea an in dicta transactione potuerit obligare bona Monasterij? Demum, an euellere, & extirpare vineam?

Videtur respondendum, nullum ex prædictis actibus potuisse fieri, & consequenter incidisse in pœnas, quod apertè colligitur ex citatis extr. & Decr. iisdem clausulis, & terminis constantibus in hæc verba. *Omnium rerum, & bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium alienationem, omnéque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur.* Ecce ex his verbis prohiberi permutationem, per quam sine dubio transfertur dominium, & vera est alienatio præcisè accepta, de qua fit mentio in *cap. Nulli, de reb. Eccl. non alien.* quod idem dicitur de incisione vineæ, est enim actus dominij ex *l. Diuortio §. Fundum ff. solut. matr.* & de hypotheca fit expressa mentio paucis interiectis, quare non videtur relictus dubitandi locus. Nihilominus

6 Respond. Ad primum. Dictus Superior nullas incurrit pœnas, quia præfatæ alienationes non continentur sub dispositione dictarum legum, quod multis probatur,

7 Primò. Quoties in aliquo iure prohibetur alienatio alicuius rei, non venit necessaria, sed tantùm voluntaria *l. 1. ff. de fund. dot. l. Alienationis, ff. famil. Ercisc. l. Diuus, ff. de pet. hered. & concordat tex. in cap. Nulli cit. ait Megal. a. a. lib. a. cap. 5. num. 196. limit. a. & cons. 4. n. 5.* Sed præfata alienatio non fuit voluntaria, sed necessaria, quia pendebat necessitas ex contractu retrouenditionis inducente obligationem, quæ necessitatem infert in contrahente *arg. cap. 1. 17. quæst. 1.* ergo de hac nihil disponunt dictæ leges.

8 Secundò. Retrouenditio non est propriè alienatio, neque nouus contractus, neque diuersus à Priori, cum illius sit præcisè rescissio, vt aiunt Iurisperiti, quæ sicut non erat prohibita Paulo, imò ex pacto necessaria, ita neque est prohibita Ecclesiæ, quæ in eius locum successit; emptio enim cum pacto retrouendendi transit ad hæredes, & Legatarios cum iisdem conditionibus, quibus antea erat apud legantem, docent *Gomez lib. a. Var. cap. 2. num. 27. Megal. cit. cap. 6. num. 217. Molin disp. 376. num. 8. Boër. decis.* 181. Ratio est, quia res quælibet transit cum onere suo, quod procedit etiam, cum peruenit ad Ecclesiam. *Cran. cons. 217. Duenas Regul. 100. quos sequendo citat Bellet. in disquis. cler. de cler. debit. § 8. num. 8. & Barbosa lit. R. num. 17.* & in specie de hoc contractu retrouenditionis non prohibito sub dictis legibus docet *Redoan. q. 66. num. 9.* cum aliis, quod non improbabile putat *Bonac. T. V. p. a. de Alienat. num. 16.* & confirmatur, Tum quia quælibet res facilè ex natura sua reuertitur ad suum principium, & dominum, *cap. 2. dist. 35. l. si vnus §. pactus ne peteret, ff. de pact.* Tum quia non est alienatio præcisè, & in terminis, sed iam initi contractus à Paulo testatore perfecta executio à legatario; sicut enim legati repudiatio non est alienatio, sed eius remissio *l. Alienationis ff de verb. sign.* ita neque hæc permutatio, quæ solùm est executio obligationis testatoris, vnde sicut repudians legatum non facit contra Canones, vt tenent *I. ap. alleg. a5 Feder. de Senis cons. 9. cum aliis multis à Quar. citatis n. 231. & à Bonac. quos sequitur p. 4. de hac re num. 38. §. Sed mihi.* Ita neque alienans, sed potius restituens fundum habentem nexum huiusmodi onus contra facit dictis legibus.

9 Tertiò. Alienatio rei litigiosæ in iure non reprobatur, sed tantùm præcipitur substitutio alterius in eius locum, vt expressè habetur *cap. 3. & 4. Vt lite pend.* Sed in casu nostro fuit alterata, seu potius reddita res litigiosa, & in eius locum alia substituta, ergo iste Superior egit iuxta sacros Canones, consequenter nullas incurrit pœnas, non enim pœnam meretur legitimè fictum *l. Gracchus, Cod. de Adult. cap. 2. de Const. Nau. consil. 16. de statu Mon.* Neque licèt dicere, obstare extr. & dictum Decretum id prohibentia etiam in litigiosis; tum quia non licèt recedere à iure antiquo nisi quatenus reperitur expressum in nouo, *cap. 1. de Transl. l. præcipimus, de Appellat.* de re autem litigiosa nil disponitur in dictis locis, ergo manet sub dispositione iuris antiqui, casus enim non expressus habetur pro omisso *leg. Quidquid astringenda ff. de verb. signific.* & is relinquitur dispositioni iuris communis *l. Si enim dotem ff. solut. matr.* Tum quia expedit iura iuribus concordare *c. 29. de elect. in 6.* legum enim vitandæ sunt correctiones quantum fieri potest, ex iuribus citatis *a Gloss. ver. Iuris communi, in c. 8. de consuet.*

10 Quartò licita est transactio etiam super rebus Ecclesiasticis ex *Gloss. cap. Quia res 11. q. 1. & colligitur ex c. 2. 3. iuncta Gloss. Literas, & 4. de Transact. & docent Rebuff. in Compendium materiam 2. Roland. cons. 15. Alber. & Feder. in Auth. Hoc ius solemnizata à Sacris Canonib. can. 3. 10. q. 2. Apud Rosellam ver. Alienatio num. 11.*

11 Quintò. In dictis extr. & Decr. prohibetur alienatio earum rerum, quæ ab Ecclesia possidentur, alienatio enim supponit rei acquisitionem, & alienantem habere ius non solùm ad rem, sed etiam in re, & consequenter pacificam possessionem, quomodò enim potest quis alienare rem, cuius dominium non habet? cum alienatio sit dominij translatio, ex citatis iuribus. Res autem litigiosa non videtur esse sub dominio alicuius, cum de ea vertatur inter petitorem, & possessorem *Auth. de litig.* Et confirmatur id ex *cap. Cum Apostolica*, ibi. *Cum aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur.* De iis, quæ fiunt à Prælat. Res autem litigiosa non dicitur possidenti, *arg. cap. Quoniam*, ibi. *Verus constituetur possessor, §. Ia aliis*, Vt lite non cont. Quare cum dictus Prælatus non alienarit rem à Monasterio perfectè possessam contra dictum Decretum non venit, consequenter neque eius pœnas incurrit.

12 Sextò. Dicta extr. & Decr. excludunt casus à iure expressos, in quibus conceditur liberè alienatio iusta subsistente causa inconsulto Pontifice Romano, vt docet *Redoan. q. 36. & alij, quos cito q. 7.* ibi tamen corrigo, quod hic dico: sed casus noster est de exceptis ex duplici titulo, nempè ex necessitate contractus perficiendi, & terminandi, & ex incommoditate expensarum, quas consequuntur lites, de quibus casibus incommoditatis tangit *Gloss. Summa 12. q. 2. & in cap. Nulli, de reb. Eccl. non alien. conr. q. 25. Rosella Alienatio n. 4.*

13 Septimò. Tum quia cessante fine legis, cessat ipsa lex, ex vulgatis iuribus; finis autem extr. & Decr. est conseruatio bonorum Ecclesiasticorum, ne per iniquam alienationem

tionem distrahantur *Nau. tom. 2. Comm. de Alienat.*
num.14.§.2. & satis expressè vtrobique initio insinua-
tur; Sed in casu nostro cessat finis legis, quia inde
nulla sequitur distractio rei, sed Superior vtiliter gerit
negotium Ecclesiæ suæ, cum ex illa transactione Mona-
sterium fiat verus Dominus, & pacificus possessor simi-
lis fundi æquè boni, ergo & cessare debet ipsa lex, in
quantum posset aliquid disponere circa huiusmodi
transactionem.

13. Ad secundum. Potuit iustè obligare bona Muna-
sterij in genere. Tum quia dictæ dispositiones loquun-
tur de hypotheca nullo supponente contractu licito
ex parte hypothecantis, non autem, quando contra-
hens suo contractui adiicit huiusmodi obligationem,
quia tunc sequitur naturam contractus, cui apponi-
tur, per Reg.42. Accessorium sequi congruit naturam
sui principalis; modo transactio, seu permutatio ex
retrouentione non prohibetur, vt sufficienter probatum
fuit, ergo nec accessoria hypotheca. Tum quia vno
concesso, intelliguntur concessa ea omnia, sine quibus
illud vnum expleri non potest, *cap.5. ad finem, de off.*
deleg.cap.21.§.6. in fine, eod. licèt aliàs actus expediri
posset, sed non ita commodè *l.penult.ff.de Vsufruct.ex*
Nau.consil.12.de elect.num.3. Megal. consil.10. num.6.
Et ita tenet *Couarr.lib.2.Var. cap.16.num.7. Redoan.*
q.2.cap.6. & quæst.51.cap.29. Molin.disput.466.num.2.
qui dicunt Extr. procedere tantum in hypotheca spe-
ciali, quia in *cap.Nulli*, specificatur, ad quod restrin-
gi, & intelligi debent extr. & Decr. ne iura videantur
discrepare, illi Doctores citantur à Quar. quos tamen
non sequitur *num.17.*

14 Ad tertium dico, Vineæ incisionem non esse aliena-
tionem. Suadetur. Tum quia per eius extirpationem
nulla fit translatio dominij, ergo nulla alienatio. Tum
quia vinea spectari potest vel vt hærens solo, vel vt
ab eo præcisa; illo modo non est alienata, neque isto
quia in Conuentu comburitur, & non transfertur in
alterum. Tum quia non est res pretiosa, quæ seruando
seruari possit, cum penitus inutilis sit, & debile ignis
pabulum, vnde D.Aug. Tract.81. in Ioan. dicit, quod
nullis vsibus, aut operibus fabrilibus deputatur. Tum
quia in eius cultura plus expendebatur, quàm fructus
perciperentur, & plus incommodi, quàm vtilitatis;
huiusmodi inutilia non subiiciuntur præfatæ prohibi-
tioni, vt colligitur ex *cap.Sine exceptione, cap.Terrulas*
12.q.2.Graff.part.1.lib.2 cap.100.num.14.Nau.Comm.cit.
de Alienat.num.3. & de arboribus præcisis expressè
tenent *Nauarr. cons.6. eod. Rodriq.tom.2. quæst.27.art.4.*
adhæret Quar. Panorm. Riccius, apud Bonac. *p.4.de*
Alien. num.19. quos tamen non sequitur, ex eo quod
vult esse res pretiosas, quod esse falsum ostendi in casu
nostro; neque ex eo, quòd incisio est actus dominij
l.Diuortio,§.Fundum.ff.solut.matr. benè infert translatio-
nem dominij, quia res incisa adhuc remanet apud
priorem dominum, præterquam quod multi inue-
niuntur actus dominij absque translatione, sine qua
non subsistit alienatio, cum in plus se habeat genus,
quàm species. De incisione arborum, infrà *res.27.*

Ex his patet responsio ad rationem dubitandi, pro-
batum enim fuit in dictis extr. & Decr. sermonem esse
de alienatione voluntaria, non necessaria, qualis est in
casu præsenti, in quo probauimus retrouenditionem,
per contractum permutationis non esse præcisè alie-
nationem, sed prioris contractus rescissionem; & no-
mine hypothecæ, de qua ibidem venire solum specia-
lem, aut & generalem non tamen accessorium contra-
ctui.

Demum ex suprà allatis saltem redderet dubia hu-
iusmodi alienatio sine contra dictas leges, nec ne, in
quo casu & in foro externo, dictus Superior, debet iu-
dicari immunis à dictis pœnis, quòd probatur. Tum
quia illæ non incurruntur absque præsumptione quòd
denotat dolum, & temeritatem, per iura citata à *Graff.*
tom.1.consil.22. de sent. excomm. num.13. & à Quar.nu.9.
& 50. Nau.consil.19. de reb.Eccl.non alien. num.3. & in
tom.de Alien.num.16. Sed in eo Prælato, & toto suo ca-
pitulo, qui in hunc contractum consenserunt, præsu-
mendus non est dolus, neque temeritas, vt ex toto ra-
tionibus suprà adductis colligi potest, ergo excusantur
à dictis pœnis. Tum quia simplicitas, bona fides, &
ignorantia probabilis excusant à peccato præsertim
mortali, vt tenent omnes, & consequenter à incurren-
dis eis pœnis, quàm supponunt peccatum mortale. *Nau.*
cit.com.de Alien.num.10. & 16. Quar.num.50. Tum quia
quando sunt diuersæ opiniones, & ideò ius est dubita-
bile agens excusatur à peccato, & à pœnis incurren-
dis, *Quar.num.50.* de hac re, vbi citat *Felinum in cap.1.*
de sent. & re iud.num.15. Nau. com.cit. num.16. & alibi.
Megal.consil.32. ex professo defendit à prædictis pœnis
Superiorem quendam in casu Ecclesiæ alienatæ.

Decretum autem Sacræ Congregationis Concilij S.D.N.
Urbani Papæ VIII. iussu editum, de rebus regularium non
alienandis, est tenoris sequentis.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini 15
interpretum rerum experimento edocta, quantum Reli-
giones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, &
pretiosarum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt
Regulares Apostolicis priuilegiis innixi, ac proinde opera
pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione com-
pescere speciali Sanctissimi D. N. Iussu, Generalibus,
& Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abba-
tibus, Generalibus, & quibuscumque aliis Superioribus cu-
iusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel instituti, in-
tra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum
immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, om-
néque pactum per quod ipsorum dominium transfertur,
census perpetuos, seu vitalitios, hypotecam, locationem, &
conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, &
emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis fieri
perpetuò prohibet, atque interdicit, absque ipsius Congre-
gationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis
concedenda sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ
tunc obtinebunt, vocisq; actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ in-
habilitatis ad illa imposterum obtinenda, quam ipso facto
absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Ge-
nerali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi fa-
cultate; pœnis nihilominus Apostolicarum Constitutionum,
præsertim fel. record. Pauli II. quæ incipit, Ambitiosæ, *in*
suo robore permansuris. Alienationes verò, pacta, census,
hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quas-
cumque contra huiusmodi prohibitionem faciendas Sancti-
tatis suæ authoritate ipso iure nullas, atque irritas decer-
nit. Non obstantibus, &c. Datum Romæ die 7. Septem-
bris 1624.

In hoc Decreto nihil alteratur Constitutio Pauli II.
solùm additur expressè contractus census perpetuus,
seu vitalitius, qui includebatur in illis verbis. *Omnium*
rerum, & bonorum Ecclesiasticorum, sed solum prohibet,
& perpetuò interdicit illorum alienationes absque Sa-
cræ Congregationis expressa licentia in scriptis obti-
nendâ, aliàs Capitula Generalia, seu Prouincialia, Ge-
nerales & alij Superiores, quocumque nomine vocen-
tur, præter pœnas Apostolicarum Constitutionum, præ-
sertim Pauli II. quas vult in suo robore permanere, in-
currunt ipso iure prædictas pœnas.

Obserua autem duo, vnum in eo Decreto perpetuò 16
prohiberi alienationem rerum Ecclesiasticarum iuxta
Bullam Pauli II. quare quoad hoc parum refert siue
sit in vsu, siue non; Imò id apud regulares quærere
est inutile, cum constet ante hoc Decretum contra
illos fuisse nullius roboris modo adhuc viget, & reuixit
quoad pœnas.

Alterum est ex vi huius Decreti prædictas pœnas 17
incurrere solum Capitula Generalia, aut Prouincialia,
& Superiores, non autem alij Religiosi priuati non
Superiores, imò neque habentes administrationem,
cùm de his nulla mentio fiat; ex tenore verò Paulinæ
etiam administrationem habentes incurrunt pœnas in
ea

ea inflictas, non autem reliqui Regulares non Superiores, neque administrationem habentes, quia non dicuntur alienare sed solùm præstare consensum in alienationem, *& sic docent de Paulina Zabar. Clem. 1. de reb. Eccl. non alien. q. 21. num. 28. Sopranus apud Fillιuc. tract. 44. cap. 6. q. 4. num. 4. quos citat, & sequitur Bonac p. 3. de alienato num. 1.*

Quæres 5. De incidente nemus an inciderit in pœnas dictorum Extrauagantis, & Decreti?

18 Respondeo. Non, quod probatur. I. Quia prædictis iuribus prohibetur alienatio immobilium, & mobilium pretiosorum, & non aliorum; sed ille Religiosus alienauit arbores excisas, quæ sine dubio non sunt immobiles, cum loco moueantur, neque mobiles pretiosæ, cum non sint deputatæ ad cultum Diuinum, neque ex eis capitur vsus, aut vtilitas nisi ex venditione, vnde possunt æquiparari pecuniæ repositæ, ad nihil stabile emendum, quæ non computantur inter prohibita alienari *Tabien. num. 2. Ang. num. 6. Arm. num. 7. Genuens. cap. 60. num. 8. & vtrumque dicit Nau. consil. 6. de rebus Eccles.* Ita neque ligna incisa, &c. II. Sylua duplex est, nam alia est frugifera, vt castanetum, oliuetum, &c. alia infrugifera ex arboribus sterilibus, *vide Graff prax. lib. 2. cap. 6. num. 4. & 5.* referentem leges huius distinctionis, quam ibi explicat. In dicta autem Extr. non prohibetur alienatio huiusmodi arborum infrugiferarum, quod suadetur. Tum quia finis eius est, ne bona Ecclesiastica deteriorentur, & distrahantur, vt apertius dicitur in Decreto, sed fundus Syluæ non deterioratur, neque distrahitur cum inde aliæ arbores pullulare possint. Tum quia illæ arbores ibi inutiliter manebant, cum nullos fructos referrent, ergo melius fuit ex illis præcisis percipere aliquod emolumentum, quàm vt ibi terram occuparent, & sicut lex non debet continere verba superflua, ex vulgaris iuribus, ita neque disponere de inutilibus. Tum quia sicut distractio, & alienatio fructuum arborum frugiferarum nõ prohibetur, quia vsusfructuum, & eorum venditio est in vtilitatem Ecclesiasticorum, aliter si non possent vendere, essent vt plurimum inutiles, ita neque incisio arborum infructiferarum, quia earum vsus est incisio, vnde dixit *Quar. ver. Alienatio num. 33.* quod huiusmodi arbores per incisionem sunt in fructu; fructus autem non prohibentur alienari, ergo neque istæ arbores. Et adhoc facit exemplum Domini, qui præcepit, vt ficus sterilis succideretur, quia terram occupabat. III. Res pretiosa ideò dicitur, quia ex ea magnum pretium percipi potest; sed ex arboribus infrugiferis solo adhærentibus, & non præcisis nullo modò pretium percipi potest, ergo præcidens arborem solo adhærentem non dicitur cædere rem pretiosam. IV. Neque ex eo, quod arbores præcisas vendidit, dicitur alienare contra dicta iura, quia arbores præcisè ampliùs, non dicuntur sed simpliciter ligna, *l. Ligni, ff. de legat. 3.* quæ nulla lege prohibentur alienari, cum non sint res pretiosæ, nec seruari possint vtiliter, illud enim seruando seruari potest, quod si seruatur, fructus producere potest, dixit *Angel. ver. Alienatio num. 7. argum. l. 1. §. Fuit quæsitum ff. ad Trebell.* V. In casu necessitatis non prohibetur alienatio, iura enim prohibent alienationem voluntariam, non necessariam vt probatur, *per l. 1. ff. de fundo dot. l. Alienationes, ff. famil. Ercisc. l. Diuus ff. de pet. hered.* ex his enim textibus colligitur, quod quando lex loquitur de alienatione non facienda, debet intelligi de voluntaria, non autem de necessaria, *teste Megal. a. 2. lib. 2. cap. 9. num. 92. & consil. 4. num. 5.* In casu autem præsenti, alienatio est necessaria, stante indigentia illius Conuentus ob grauamina fere importabilia bellorum, de qua re, cum multis huius Prouinciæ Patribus experientia manifestissimum sit, disputandum non est. VI. Fere omnes præteriti Superiores illius Conuentus nemus illud reformauerunt, vt ita loquar, & cum id notorium antea semper fuerit omnibus etiam Superioribus illac transeuntibus temporibus suarum visitationum, etiam post innouatam Extrau. per nouissimum Decretum citatum, qui cum nihil dixerint; & tamen propriis oculis viderint incisionem, præsumendum est, fuisse huius opinionis, vt illarum arborum, præcisio non subiiciatur iuribus citatis, neque enim conuenit dicere, Superiores errasse in suis visitationibus in re tam notissima, quare & eiusdem sententiæ fore adm. Reu. Patrem Prouincialem rationes hactenus allatæ suadent, & ex promotione sequuta fuit electio.

Neque his obstant dicta à *Nauar. consil. 7.* vbi dicit alienantes arborea frugiferas, & infrugiferas in magna quantitate incidere in pœnas prædictas, *& Bonacin. de contract. q. 8. part. 4. n. 20. §. Ego, & Tract. Var. p. 2. de alienat. n. 7.* vbi dicit prohiberi alienationem arborum etiam infructiferarum, exceptis cæduis. Tum quia cedunt solo, & inter pretiosa computantur. Tum quia incisio est actus dominij, *l. Diuortium, §. Si fundum, ff solut. matr.* Qui tamen ibidem respondet non incurrere pœnas Extrau. quia incisio arborum non est alienatio, sed vult incidere in aliam Censuram Concilij *sess. 22. c. 11.* quæ tamen non facit ad rem nostram, vnde patet ex supradictis non obstare, neque etiam Nau. qui consuluit de casu ex arboribus permixtis vtriusque generis.

19 Sed casum ponamus, quod Superior nolit stare huic responsioni, an alia ratione possit defendi, dicendo modicum quid fuisse, quod alienauit, consequenter non incidisse, *arg. cap. Terrulas 53. 12. q. 2.* modicum autem, seu exiguum dicitur, quod non excedit valorem viginti solidorum, vt dicitur *cap. 52. & 55. ead.* & nomine solidi venit aureus, vt in simili dixit post *Gloss. ver. Solidos, cap. 1. 10. q. 3. per l. 2. ff. de sport. & Instit. de pœn. temer. litig. in fine, & in re nostra Archid. in cit. cap. Si quos, Genuens. in praxi Neapol. cap. 60. num. 3.* dicit hoc relinqui arbitrio iudicis, qui attendere debet consuetudinem terræ, facultatem rei datæ, & venditæ, per iura ab eo citata; nihilominus S. Congr. rescribens Episcopo Fauentino anno 1601. censuit, quod quantitas valoris terrularum Ecclesiarum, quæ sine debita solemnitate alienari prohibentur, debet esse 25. aureorum; sic referente *Nald. ver. Quantitas num. 6.* Pretium autem, quod ex cæsis arboribus deduxit fuit inferioris numeri, vt retulerunt, ergo non incidit.

20 Quid verò dicendum si excessisset per vnum, vel alterum aureum? an in eo casu, potuissent expensæ factæ in præcisione arborum, non deduci item & summa pecuniæ respondens pretio ramorum arborum? Resp. sic, Tum quia expensæ, & rami non sunt subiecta præfatæ prohibitioni. Tum quia pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt, *cap. Pœna 18. de pœnit. dist. 1.* Tum quia singula diuisa, quæ non nocent, nec simul iuncta præiudicant, *vt notat Iason in l. Patre furioso ff. de iis, qui sunt sui, vel alien. iur. num. 44. & ex eo Megal. a. 2. lib. 2. cap. 6. num. 206.*

Quæres 6. Quot conditiones requirantur ad validam alienationem faciendam à Regularibus de rebus suarum Ecclesiarum?

21 Respond. Requiruntur sex, I. Iusta causa. II. Authoritas Prælati. III. Tractatus. IV. Consensus Capitoli. V. Subscriptio singulorum saltem per Notarium, & hæ quinque iure antiquiore sufficiebant, post verò Extrau. Ambitiosæ. VI. est licentia Romani Pontificis, & nunc post Decretum licentiam sufficit obtinere à Sacra Congregatione Deficiente ergo vna ex præallatis conditionibus alienatio est nulla, vt tenent omnes Canonistæ super dictam Extrauag. & iura inferius citanda. Reducunt autem Doctores dictas conditiones ad duo capita ad iustam causam, & ad formam, seu legitimam solemnitatem.

22 Iusta autem causa est quadruplex, Necessitas, Pietas, Vtilitas, & Incommoditas, de quibus *gloss. in summa 12. q. 2.* vbi per totam sermo est de alienatione, *Siluest. ver. Alienatio n. 2. Quarant. n. 3. Bonac. de alien. p. 3. Nau. tom. 2. com. de alienat. num. 4. & alij communiter Rodr. tom. 1. q. 27. art. 2.*

23 Necessitas alienandi licitè est, quando Ecclesia grauatur debitis, quæ alio modo solui non possunt, nisi per alienationem, si non adsint fructus ipsius Ecclesiæ, & Monasterij, vel quando fundus, vel Monasterium ruinam minans necessario est restaurandum. De necessitate in genere fit mentio *cap. Non habenti* 49. 12. *q.* 2. *cap. Placuit* 50. *eadem Clem.* 1. *de reb. Eccl. non alien. De debitis, cap. Hoc ius* 10 *q.* 2. *sub initium. De restauratione c. sicut* 16. 12. *q.* 2. *Ita Doctores citati.*

24 Pietas alienationem licitam faciens consistit in tribus, primo in alendis pauperibus, *cap. Aurum* 12. *q.* 2. Secundo in redimendis captiuis, *cap. Apostolicos* 13. *cap. Et Sacrorum* 14. *cap. Sacrorum* 15. *cap. cit. Aurum* 68. 12. *quæst.* 2. Tertio in propaganda Religione Christiana, *cap. si Episcopus* 71. *cap. Bona* 72. *cap. Religiosam* 73. 12. *quæst.* 2. Intellige hanc causam cum præcedenti, licere alienationem, quando nullo alio medio potest Pietas, & Necessitas suum sortiri effectum; hæc autem secunda causa hisce nostris temporibus raro aut ferè nunquam locum habet.

25 Vtilitas euidens dat licitam alienationem in casu, quo Monasterium fit locupletius, *cap. sine exceptione* 51. 12. *quæst.* 2. *cap.* 1. *eodem in* 6. *Clem.* 1. *de rebus Eccl. non alien.* Hæc autem vtilitas attenditur tempore celebrati contractus, secundum *Genuens. cap.* 86. *num.* 3. *& ex eo Bonac. cum aliis part.* 3. *num.* 2. Hoc autem tempus debet esse Regulare, vnde tempus pestis, belli, & famis non spectatur, quia calamitas illius temporis non attenditur, cum parum soleat durare, *Caualcan. part.* 1. *decis.* 45. *num.* 13. *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *casu* 172. *& ex eis Bonac. p.* 3. *num.* 2. & hæc vtilitas euidenter probanda est per testes ab illis, quibus per Romanum Pontificem datur commissio, *Quar. num.* 12. *Bonac. n.* 4. & sic practicatur, nam Episcopi Sedem legitimè informant de huiusmodi vtilitate.

26 Incommoditas, seu inutilitas, & damnum, quod sequitur ex retenta re Ecclesiastica est sufficiens causa alienationis, *ex cit. cap. sine exceptione* 51. 12. *q.* 2. *cap. Terrulas, ead.*

27 Vnaquæque harum quatuor causarum sufficit ad validè alienandum rem Ecclesiæ, & dicuntur casus à iure permissi pro facienda alienatione, nam nullo alio modo, qui non reducatur ad vnam ex his causis potest fieri alienatio, sed omninò prohibetur, & Summus Pontifex licentiam non concedit, neque præsumitur concedere, aliàs concederet illicitam alienationem, quod omninò dicere absurdum est. Quod dicantur casus à iure permissi dicit *Gloss. in summa* 12 *q.* 2. *cap.* 2. *de reb. Eccles. non alien. Quar. num.* 3.

28 Auctoritas Prælati est secunda conditio; ad validè alienandum necessaria est licentia Prouincialis, seu Generalis cum suo decreto inserendo in instrumento, iuxta vniuscuiusque Religionis constitutiones, & Summorum Pontificum Bullas, de quibus *Rodriquez tomo* 1. *qu.* 27. *artic.* 3. *cum suo Compend. resolut.* 7. *num.* 6. *Portell. ver. Alienare num.* 4. *Compend. Priuileg. ver. Alienare, Confess. tit.* 9. *cap.* 2. §. 4. *Nauar. consil.* 6. *&* 7. *eodem, Angel. ver. eodem, num.* 13. *Tabien. num.* 19. Quando igitur Superior localis vult alienare debet petere licentiam à Prouinciali, vel Generali, & ille ab hoc, benè inquit *Bonac. in tract. de alienat. part.* 4. *num.* 4. Difficultas potest esse; An hæc conditio sit de iure communi respectu Regularium exemptorum, quia in iure nihil expresse dicitur, quod Superior localis debeat petere authoritatem sui Prælati, nisi quod *in Clem.* 5. *eod.* exigitur hæc authoritas, quando Prioratus caret Conuentu, ergo quando habet Conuentum, hoc est plures Religiosos sub se, ipse potest se solus cum illis alienare; *& cap. Abbatibus* 40. 12. *quæst.* 2. *& cap. In venditionibus* 17. *quæst.* 4. requirentia authoritatem Episcopi, præter consensum sui Capituli, loquuntur de Monasteriis subiectis Episcopis, *vt notat Gloss. ver. proprij, cit. Clem. & ex ea Nau. tom.* 2. *Com. de alien. num.* 7. quare de hoc nil expressum habemus in iure, neque in Extr. aut Decreto Sacræ Congregat. quod extendit hîc sub *q.* 4. §. *Sacra.* Quare id erit de iure speciali singularum Religionum, & ex Constit. diuersorum Pontificum, Leo X. pag. 551. Clem. VII. pag. 172. & Greg. XIII. pag. 244. apud Confect. in quibus locis Papa concedit facultatem alienandi cum licentia Prouincialis, aut Generalis; & in mea Religione licèt *cap.* 27. Regulæ fiat mentio de solo Generali, non ideò excluditur Prouincialis, quia ibi dicitur, quod Prouincialis potest punire transgressores, ergo & ab eo videtur posse peti licentiam.

Tractatus, tertia conditio requisita, in eo consistit, vt Superior localis volens alienare cum suo Capitulo discutiat, vtrum expediat alienatio, adsitne euidens vtilitas Monasterij, & sufficit vnus tractatus publicè, & collegialiter factus, *cap sine exceptione* 12. *quæst.* 2 *cap. Tua nuper* 8. *de iis, quæ fiunt à Prælat. cap.* 1. *de reb. Eccles. non alien. in* 6. in quibus locis Papa loquitur in singulari, vt aduertit *Bon. p.* 4. *n.* 1. §. *Quod, citans Clem. loco c.* 1. *eod. in* 6. Ita aliis citatis, *Comp. resol.* 7. *n.* 16. 29

Consensus præstandus est à Capitulo Superiori volenti alienare, si conclusum fuit, alienationem expedire, & esse licitam Monasterio. An autem requiritur consensus omnium Religiosorum, videtur sic, *ex cap. Sine exceptione* 51. 12. *quæst.* 2. ibi, *Et cum totius Clerici tractatu, atque consensu id eligat.* Sed non obstat, quia *cap. Tua nuper* 8. *de iis, quæ fiunt à Prælatis,* exponit de consensu maioris partis, quod colligitur etiam ex *cap. Vt super* 8. §. *Possessiones, de rebus Eccles. non alien.* Ratio est, quia factum à maiori parte, censetur actum ab omnibus, *l. Nam quod liquide, ff. de pen. legat. Lauor. tit.* 4. *de elect. cap.* 6. *num.* 8. *& facit cap.* 1. *distinct.* 65. & in mea Religione id expressè dicitur *cap.* 27. *Regula. Gloss. ver. Tractatus cap.* 1. *de rebus Eccles. non alien. in* 6. ait sufficere consensum singulariter non in communi præstitum, quando præcessit tractatus, quam sequuntur *Siluest. num.* 5. *in fine, Conrad. pag.* 2. *quæst.* 25. *Bonacin. part.* 4. *n.* 2. contra opinionem quamplurimorum, quam iudico probabiliorem, quia consensus taliter præstitus non dicitur Capituli, sed singulorum; & non placet illorum limitatio, quia non potest dari consensus, nisi præcesserit tractatus, sine quo alienatio subsistere non potest, & videtur irrationabile præstari consensum in rem, de qua non fuit disquisitum, liceret ne consentire, an dissentire, & in Religionibus practicatur, quod tractatus, & discussio negotiorum simul cum subsequenti consensu, seu reprobatione fiant, vt vidi obseruari in mea Religione. Quando facienda est alienatio rei modici momenti non est necessarius consensus Capituli secularis Ecclesiastici, neque proinde antecedens tractatus, qui est via ad consensum, expressè *cap. Terrulas,* 12. *q.* 2. *Gloss. cap. Abbatibus, ead. Quar. cum Bonac. cit. n.* 3. modicum quod dicatur *vide q.* 5. §. *Sed casum.* Consensus autem siue sit Capituli, siue licentia Prælati debet præcedere instrumentum, seu conclusionem alienationis, quia cum sit de forma essentiali huius contractus, debet præcedere vt illi dat esse, *Abbas in cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien. Afflict. decis.* 355. *& ex eis aliis citatis Quar. n.* 8. *& ver. Graff. tom.* 2. *cons.* 1. *diff.* 3. *de reb. Eccl. non alien.* Apud Regulares tamen necessarius est tractatus, & consensus Capituli, vt dixi *q.* 1. 30

Subscriptio necessaria est singulorum de Capitolo ad alienandum rem Ecclesiæ, *vt dicitur cap. sine exceptione* 12. *quæst.* 2. *& repetitur cap. Tua nuper, de iis, quæ fiunt à Prælat.* Hæc autem subscriptio modo fit à Notario inferendo nomina Religiosorum in instrumento alienationis *ita Armill. n.* 6. *Less. lib.* 2 *cap.* 24. *dub.* 10. *Conr. p.* 3. *q.* 25. *referens ipsamet verba Armillæ, Bonac. p.* 4. *num.* 3. §. *Obseruant.* 31

Licentia Demum Romani Pontificis est necessaria ad alienandum res Ecclesiæ in casib. licitis post Extr. Ambitiosæ Nam ante, Prælati de iure antiquiore poterant alienare inconsulto Pontifice Romano, quando alienatio erat licita, iuxta quatuor causas, quas superiùs recensui hîc §. 1. *Iusta,* & nullomodo nulla subsistente causa, sicut 32

neque

neque postea, neque talem licentiam alienandi in præiudicium Ecclesiæ dat Summus Pontifex, iuxta ergo subsistente causa, & in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & non aliàs Papa dat licentiam alienandi, nam Paulus II. cuius est dicta Extr. volens consulere indemnitati Ecclesiarum, quæ magnum patiebantur detrimentum ex alienatione suorum bonorum à Prælatis, & Rectoribus earum facta, prohibuit quascumque alienationes inconsulto Romano Pontifice, qui sibi reseruauit cognitionem iustæ causæ in alienationibus requisitæ. Regulares deinde impetrarunt diuersa priuilegia faciendi alienationes, sine licentia Sedis Apostolicæ, quæ Superioribus Regularibus indulsit, vt possent alienationes facere in euidentem tamen vtilitatem Ecclesiæ cum sola licentia suorum Superiorum maiorum, Prouincialis, aut Generalis, de consensu sui Conuentus; huiusmodi autem priuilegia refert Confect. in suo Bullario, pro Dominicanis Clem. VII. Constitut. 3. *Exponi nobis* pag. 172. & ante illum Leo X. 14. *Pro pastoralis*, pag. 151. pro Eremitis S. Augustini Gregor. XIII. Constit. 6. *Dum ad vberes*. pag. 244. *Vide Rodr. tom. 1. quæst. 27. art. 3.* Sed quia Sacra Congregatio experta fuit, quantum detrimentum Religiones patiantur ex alienationibus bonorum factis virtute priuilegiorum, ideò omnibus priuilegiis, de hac re sublatis, de mandato Sanctissimi Vrbani VIII. Decretum fecit, quod suprà extendi sub *q. 4.* ne quis Superior Regularis deinceps alienaret bona immobilia, & pretiosa mobilia Religionis intra fines Europæ sine licentia in scriptis obtinenda ab eadem Sacra Congregatione, sub pœnis in eo contentis. Certum igitur est Prælatos Regulares deinceps non posse alienare etiam in euidentem vtilitatem suæ Religionis sine expressa licentia Sacræ Congregationis, vt mox probabo. Circa hanc conditionem vltimam sunt nonnullæ difficultates examinandæ in sequentibus quæsitis, vt distinctius procedatur.

Quæres igitur 7. An quando adest euidens vtilitas adhuc sit petenda licentia Apostolica? *Redoanus q. 36. & 42.* dicit, quod si seruentur solemnitates, & conditiones illæ quinque, quas suprà retuli, non esse necessariam licentiam Romani Pontificis, quia per Paulinam permittitur alienatio in casibus à iure permissis, nempe, iusta de causa, & seruata forma iuris, idest, seruatis quinque conditionibus à me explicatis; & illum sequitur *Nauar. cap. 27. num. 157. §. 14. & tom. 2. com. de alienat. num. 2. & clarius num. 17. §. 2. quos contra se citat Quar. num. 5. in fine, quibus videtur adhærere Rodr. tom. 1. q. 27. art. 9. cum suo Compend. resol. 7. num. 9. & 10.* dum dicunt alienationem factam in vtilitatem Monasterij tenere, omissa iuris solemnitate, sub qua continetur consensus Apostolicus, & alij quamplures citati à *Bonac. contr. q. 4. n. 14.* Hæc autem quæstio potest habere duplicem sensum, Primus est, An omisso consensu Apostolico, aut alia iuris forma ex recitatis contractus sit nullus? Secundus est, An possit omitti licentia sine incursione pœnarum tam Extrauagantis, quàm Decreti Sacræ Congregationis?

Respond. Quamuis data euidenti vtilitate, adhuc Prælati
33 tenentur petere licentiam à Sede Apostolica iuxta Extr. & Decretum, aliàs incurrunt pœnas, & nullitatem contractus. Quod teneantur petere licentiam, licèt adsit euidens vtilitas, probatur. Tum quia finis, propter quem Extrau. & Decretum prohibent alienationem inconsulto Pontifice Romano, vel Sacra Congregatione, quod in re recidunt in idem, est, vt obuietur detrimento, & damno, quod Ecclesiæ patiuntur ex alienationibus, quæ vt plurimum damnosæ sunt, licèt appareant vtiles Ecclesiis, ergo Papa dum requirit in suis legibus licentiam suam pro alienandis rebus Ecclesiæ, intendit dare illam pro licita alienatione, quæ sit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & non in præiudicium, absurdum est enim dicere Papam consulere illicitas alienationes de facto, quas per suam Extrauagantem, & Decretum Sacræ Congregationis intendit pœnitus interdicere. Tum quia licèt tam in Extr. quàm in Decreto referantur hæc verba. *Præterquam in casibus à iure permissis.* Quæ videntur excipere alienationem ex iusta causa, quam quadruplicem assignaui præcedenti quæsito §. 1. Iusta, quasi non sit subiecta licentiæ Sedis, eo quod iusta causa sint casus in iure permissi ad alienandum inconsulto Romano Pontifice, vt dixi hic *quæst. 6. §. Vnusquisque.* Non tamen ita est, sed referuntur illa verba ad quasdam alienationes, quæ fieri possunt sine Papali licentia, non autem ad iustam causam. Dicam de illis infrà *quæst. 11.* Igitur in alienatione ex euidenti vtilitate requiritur licentia Maiorum. Ita tenent *Quarant. num. 5. dixerat enim num. 2.* quod duo copulatiuè requiruntur ad alienationem per hanc Extr. iusta causa, quo venit nomine euidens vtilitas & solemnitas, quo nomine continetur Papalis licentia ex *citat. num. 5. & clarius num. 44. §. 14. Bonacin. part. 4. num. 6. §. Dixi, vbi testatur de communi,* contra Redoanum *suprà citatum in quæsito, Graff. tom. 2. consil. 1. differ. 3. num. 5. Genuens. expressè cap. 69. num. 2. & cap. 88. num. 2. & 3.* nam in rescriptis semper adest clausula, *Si in euidentem vtilitatem, &c.*

Quod Prælati sine licentia Sedis alienantes; licèt 34
cedat alienatio in euidentem vtilitatem, incurrant pœnas, constat ex eo, quod formaliter sunt transgressores Extr. & Decreti, eo ipso, quod non consulunt Summum Pontificem, neque licentiam à Sacra Congregatione obtinent, *Bonac. p. 1. de alien. num. 8.* vbi de pœnis Decreti contra Regulares, & quos afficiat dixi *quæst. 4. §. Alterum.*

Nullus demum est contractus sine illa licentia, quia 35
nulla res, nullus contractus subsistere potest sine sua forma, & solemnitate essentiali, & ita expressè dicitur in Extrau. & in Decreto. Et pro foro exter. nulla est difficultas, quia in dictis iuribus exprimitur nullitas. In foro conscientiæ valere quamplures docent *cum Nau. tom. 2. com. de alienat. num. 17. §. 2. Angelum num. 14. Fallinc. Mascardo,* quos contra se citat *Bonacin. part. 4. num. 14. & alios quos pro se citat Quar. num. 34. & sequitur Rodr. tom. 1. quæst. 27. artic. 9.* quod valde probabile dicit *tom. 3. quæst. 54. art. 6. in respons. ad argum. primum,* Ita quod Ecclesia non tenetur rescindere contractum altero etiam instante in foro externo, neque cogi potest, vtique verò alterum cogere potest, vt ex Doctoribus citatis docent plures cum *Quar. citat. num. 54. & Bonac. part. 4. num. 14. §. Existimo.* Ratio est, quia tenet contractus omissa solemnitate præscripta à lege fundata in præsumptione, cum hoc in casu lex non obliget, ac proinde contractum annullare non dicitur, quando abest deceptio, & fraus, vt desunt in casu nostro, de quo axiomate *cap. Tuanos 26. cap. 55. qui fidem 30. de spons. Nauarr. cap. 23. num. 62. §. 10. Rodr. tom 3. quæst 54. art. 6. Megal. consil. 6 num. 11. & 63. num. 2. & 66. num. 3. Becan. quæst. 9. de lege hum. 5. §. Dices. Bonac. de contr. in gen. part. 3. §. Respondeo, Sanchez lib. 4. cap. 15. num. 37.* vbi explicans eam rationem, ait quod lex fundata in præsumptione duplex est, quædam enim est qua Legislator in quouis casu particulari aliquid præsumit, ratione cuius aliquid constituit, & hæc non obligat in illis omnibus casibus, in quibus præsumptio est falsa; altera est, in qua Legislator non præsumit fraudes in singulis casibus, sed in genere prudenter iudicat solere accedere in ea aliqua, præsertim in contractibus, ac proinde vt illis occurrat statuit legem, licèt fundatam in præsumptione, obligantem tamen omnes, siue committant fraudem, siue non; sic procedunt Extrauagans & Decretum, quæ fundantur in præsumptione fraudis, & læsionis Ecclesiasticorum bonorum, non in omnibus singularibus alienationibus, sed in genere, cum in negotiis, & contractibus soleat vt interponi fraudes, & deceptiones, consequenter licèt quandoque cesset præsumptio, non tamen desinit lex huiusmodi, quia non fundatur in singulis casibus, sed in ipsa alienatione vt sic, in quantum potest accidere cum detrimento Ecclesiæ. Vnde contrariam opinionem,

quod nullo modò teneat inconsulto Papa docent quamplures cum *Bonac.p.4.num.*14. per rationem hic initio adductam, & per responsionem ad dictum axioma, & confirmat *Graff. tom. 2. consil.*1. *differ.*3. *num.*6. quia agitur hîc de conseruatione boni publici, cui proinde renuntiari non potest, alienando sine debitis solemnitatibus.

Quæres 8. An quando Papa, seu Sacra Congregatio concedit licentiam alienandi, requirantur prætereà vltra euidenter vtilitatem, etiam aliæ conditiones, nempè licentia Prælati maioris, tractatus, & consensus Capituli?

36 Respond. Adbuc requiruntur, quia per adiunctionem huius conditionis consulendi Romanum Pontificem, seu obtinendi licentiam à Sacra Congregatione non infringuntur aliæ conditiones, quasi non sint necessariæ, sed magis confirmantur. Quamuis enim in licentia à Sede Apostolica obtenta contineatur, vel saltem supponatur contineri iusta causa, sine qua non subsistit, ac proinde ad hoc tractatus factus à Capitulo, cum cæteris requisitis, tamen non continentur formaliter vel prouenientia à Sede Apostolica, sed supponuntur ab alio originem habuisse, nempè à Prælato, & Conuentu volentibus alienare, isti enim debent informare Ordinarium, seu Episcopum, ad quem Regulariter committitur cognitio huius causæ, an scilicèt expediat alienatio, & sit in euidentem vtilitatem Ecclesiæ; hanc autem informationem dare non possunt, nisi prius inter se de re disquisierint, liceat nec ne alienatio, adductis pro vtraque parte rationibus, & ista tractare non possunt sine licentia maioris Superioris, cum sint res magni momenti, ergo præter licentiam Papæ requiritur etiam tractatus, & licentia maioris Superioris. Deinde Religiones omnes licentiam alienandi petunt à maioribus Superioribus per statuta propria singularum, hic suprà *q.* 6. §. 6. Licentia, Illis autem Papa, multò minus Sacra Congregatio censetur derogare, nisi id expressè dicant, cum duæ licentiæ circa idem à diuersis non pugnent ad inuicem, neque vna concessio alteri argum. à fortiori *cap.*1. *de constit. in* 6. vbi constitutio posterior Pontificia non derogat statutis specialibus etiam contrariis, nisi de illis fiat expressa mentio in illa. *Est contra Abbatem part.*1. *consil.*41. *Decium consil.* 142. *Rebuffum in Compend. de hac mater. num.* 15. *& aliis pro se citatis à Quar. num.*7. quibus videtur adhærere *Bonac. part.*4. *num.*6. §. *dixi*, dum dicit, quod sufficere potest consensus Papæ sine alia solemnitate, in qua, cum pendeat à iure Canonico, Papa dispensare potest, cuius arbitrio bona Ecclesiastica sunt supposita; & quod possit id facere nulli est dubium, non intelligitur facere, neque supplere tractatum, & licentiam Prælati, nisi id exprimat in sua licentia; & ibidem *num.*7. *cum Quar. eodem num.*7. dicit Papam per suum consensum non supplere defectum iustæ causæ, quia licentia conceditur sub ea conditione, *Si cedat in euidentem vtilitatem*; & Quar. ibidem non supplere consensum Capituli, sine quorum consensu consistere non potest contractus. *Genuens. cap.* 88. *num.*6. Restat igitur, quod possit supplere alios defectus præter iustam causam, non tamen præsumitur supplere, nisi expressè id dicat.

Quæres 9. An Regulares de facto alienantes præmissis supradictis conditionibus explicatis *quæst.* 6. præter sextam de licentia petenda à Sacra Congregatione, cum clausula, *Salua Sacra Congregationis licentia*, quam petere quamprimum, se obligant per publicum instrumentum, aliter alienationis contractus sit nullus, transgrediantur extrauagantem, & Decretum, ac proinde pœnas in illis inflictas, incurrant? Quod idem quæsitum procedit, quando inferior alienat, saluo assensu Superioris.

37 Respond. Non, si contractus celebratus fuit solo instrumento, sine executione, & traditione rei venditæ, probatur Tum quia huiusmodi clausula facit contractum manere in suspenso *Graff. tom.* 2. *consil.*1. *diff.*4. *de reb. Eccl. non alien. num.*2. ac proinde nondum censetur perfectus, ergo sic alienantes nullas pœnas incurrunt, quia nulla lex punit actum attentatum, seu inceptum, & nondum completum, vt omnes dicunt, nisi lex declaret, se velle punire actum etiam attentatum, quod non expressit nostra Extrauagans, neque Decretum. Tum quia ex hoc contractu sic celebrato nulla sequitur alienatio, est enim conditionatus, & conditio nihil ponit in esse, nisi sequuto conditionis effectu, ergo sic alienantes non sunt transgressores, ac proinde nullas incurrunt pœnas. *Ita sentit Nau. cons.*1. *de reb. Eccl. non alien. Genuens. c.*44. vbi refert decisionem Clem. VIII. quemdam incidisse in Paulinam eo quod alienauerat, & tradiderat possessionem rei alienatæ, saluo assensu Apostolico, *in cap. verò* 88. *nu* 4. dicit valere contractum sub ea clausula factum, vnde videtur sibi contrarius, dicit *Bonac. p.*4. *n.*5. sed dic in hoc secundo loco loqui de celebratione contractus sine traditione rei, *Quar. num* 9. *&* 10. Contrarium tenet *Ricciu in sua praxi var. resol. resolut.* 372. *apud Nald. ver. Clausula* 9. *Saluo assensu*, modo in instrumento adsint clausulæ, *Et non aliàs, nec aliter, aut alio modo, &c.* si enim desint non præseruaret traditionem subsecutam rei, *docet Barbosa claus.*80. *& Tuschus conclus.*310. *num.*5. *ex eodem Naldo. Vide Dianam resol.*77. *de contract.* asserentem cum aliis teneri contractum, & nullam incurri pœnam, etiam facta rei traditione, quando fuit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.

Quæres 10. An in rebus modicis, petenda est licentia Apostolica, iuxta Extrauagantem, & Decretum?

Respond. Non est petenda, quia non comprehenditur modica res sub dictis legibus; nam in generali prohibitione alienationis non venit modicum, *Abbas in cap. Vt super, de rebus Eccles. non alien.* & de modicis non curat Prætor, *l. Scio, ff. de restit. in integr.* & lex generaliter loquens non concipit modica, *vt ex Socino Fallent.* 229. *docet in hac re Genuens. cap.*60. *num.* 3. *loquendo de Extrauaganti Nald. ad dictam Extr.* loquendo de Decreto, quod non comprehendat res modicas. Alienatio autem huiusmodi ad libitum facienda non est, sed solùm quando plus vtilitatis percipitur ex eius alienatione conuertendo pecuniam in aliud vtilius, quàm ex eius retentione, aliàs alienatio esset perniciosa Ecclesiæ, quæ omninò interdicitur. Requiritur autem consensus Conuentus, vt probaui *quæst.*1. Et quæ res dicatur modica, colligitur ex eius valore, qui non debet excedere viginti quinque aureos, vt dixi sub *q.*5. §. *Sed cæsum.* Puto autem hoc procedere in stabilibus, non autem in pretiosis mobilibus cum hæc expressè prohibeantur, de quibus infrà *q.*24. 38

Quæres 11. An alij sint casus, in quibus fieri possit alienatio sine licentia Apostolica, non obstantibus Extrauaganti, & Decreto?

Respond. Tres, seu verius quatuor assignantur casus 39
in illis legibus iure antiquiore permissi. Primus est locationis ad triennium tantùm, & non vltra. Dubitant hic aliqui an locatio facta vltra ad tempus e. g. ad sex vel nouem annos, teneat saltem quoad triennium, infrà quod licita est? Dico nullam esse, vt colligitur ex Extrau. in qua annullatur locatio vltra triennium, non solùm vnica locatione, sed etiam triplicata; quasi sint distinctæ locationes, licèt obligatio sit vnica ad nouem annos, ac proinde cum sit in fraudem Extrauagantis nulla est. *Ita Bonac. aliis citatis p.*2. *num.*24. *qui* §. *Hoc tamen*, dicit Mediolani esse consuetudinem locandi ad nouem annos triplici locationis contractu; Regulares tamen ea extante non possunt sine periculo culpæ, & pœnarum Decreti facere in hac vrbe locationes ad nouem annos triplici contractu, obstante Decreto, licèt sit multum vtile, nam conductor adhuc meliorem frugem agros conducit, quam si solùm per triennium illos conduceret. *Genuens. cap.* 60. *num.*10. dicit valere pro primo triennio, & cum eo *Quar. num.* 18. non verò quando facta fuit vnico contractu. Qui omnes obseruant cum *Bonac. citat.*

§. *Ad*

§. *Aduertendum*, posse fieri locationem ad sex, vel nouem annos, quando res non fructificat singulis annis, quia tunc duo, aut tres anni pro eodem reputantur, quod procedit etiam apud Regulares Decreto non obstante, cum sit de natura rei.

40 Secundus casus est infeudationis, nam Prælatus Feudum antiquum ad Religionem reuersum per mortem Feudatarij, potest de nouo concedere alteri vasallo ex *cap.* 2. de feudis. Quem casum intellige iuxta mox dicenda de emphiteusi, cum qua vnicum faciunt casum Doctores, *cum Cajet. cap.* 75. *Quar. num.* 5. *Sair. lib.* 3. *c.* 32. *num.* 22.

41 Tertius est emphiteusis, quæ mortuo emphiteuta potest iterum concedi alteri, Inconsulto Romano Pontifice, vt in Extr. quæ ad hoc ponit tres conditiones. Prima, quod res solita esset concedi ab antiquo in emphiteusim; dicitur autem solita, quando reperiuntur duæ saltem concessiones factæ cum cursu quadraginta annorum, *Gennens. cap.* 60. *num.* 5. *Quarant. num.* 40. testantur de communi. Secunda, vt fiat, in casibus à iure permissis. Tertia, vt fiat cum euidenti vtilitate Ecclesiæ. Res ergo solita tradi in Feudum, vel Emphiteusim potest sine solemnitate iuris iterum concedi tribus concurrentibus: Vtilitas euidens Ecclesiæ; modo tradatur antequam sit incorporata Ecclesiæ vsibus, vel Monasterij, *Archid. in cap. Vt super de reb. Eccles. non alien. & ex eo Gennens. cap.* 60. *num.* 6. *Quar. num.* 39. *Megal. de contr. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 108. Dicitur autem incorporata Monasterio, quoties Superior id expressè declarat, eam describendo inter bona Monasterij, vel tacitè, colligendo fructus, sicut solet de aliis iam incorporatis, & hanc esse communem opinionem docet *ex Curtio, Claro, & aliis Gennens. cap.* 60. *num.* 6. *Bonac. de contractibus Feud. & Emphit. part.* 4. *num.* 30. *Compend. resol.* 7. *num.* 20. Tertia conditio est, vt non debeat alterari solitum, idest, si primo concessa fuit pro masculis, non potest concedi pro fœminis, si concessa fuit pro tribus generationibus, non potest extendi in perpetuum, ita quod eodem modo, & pacto debet tradi in subsequenti concessione, quo tradita fuit in præcedente, semper tamen cum euidenti vtilitate Ecclesiæ, nec sufficit quod euidens vtilitas fuerit in prima concessione, *Ita Gennens. cap.* 60. *n.* 6. *Quar. num.* 39. *Bonac. cit. Compend. Bull. schol.* 2. *ad hanc extrauag. S. Pauli II. plura vide apud Quar. num.* 39. *& Gennens. cap.* 60. *num.* 6. Ratio autem cur Feudum, & Emphiteusis sine solemnitate fieri possint, est, quia non est noua alienatio, sed continuatio prioris contractus, *vt dixit Iulius Clarus §. Emphit. quæst.* 6. *num.* 2. *Couar.* 2. *Var. cap.* 17. *num.* 4. *& alij cum Bonac. cit. de contr. p.* 4. *num.* 30. *§. Ratio.*

42 Quartus casus est alienatio fructuum, & aliorum bonorum, quæ seruando seruari non possunt, Ita omnes cum *Cajet. cap.* 75. *Quar. num.* 5. *Sair. lib.* 3. *c.* 32. *num.* 22. qui illos tres casus expressos in Extr. & Decreto referunt. Nomine autem fructuum veniunt præcisè fructus præscindendo à re frugifera, quæ sine dubio alienari prohibetur, vnde locatio fructuum vltra triennium non est licita, sed contra Extr. siquidem talis locatio non est præcisè locatio fructuum, sed rei frugiferæ, ex qua colliguntur fructus, quod prohibetur in Extr. & Decreto, *Ita Armilla ver. Locatio num.* 5. *Sil. ver. Conductio num.* 5. *quos & alios pro se citat Bonac. p.* 2. *de alienat. num.* 25. contra quamplures asserentes apud illum, posse eam locationem fructuum licitè.

Dantur etiam alij casus, in quibus potest fieri alienatio non seruata iuris solemnitate.

43 Primus fit de rebus relictis Religioni, quæ nihil in communi retinere, neque possidere potest, nam tunc potest vendere, & pretium conuertere in vsum Monasterij, *vt docent Socinus Reg.* 110. *num.* 3. *Decius in cap. In præsentia, de probat. num.* 27. *& ex illis Quarant. num.* 41. §. 6. Ita alienant Theatini, contra quos non est decretum, vt dicit *Pereg. in suo Compend. ver. Alienat. in schol.* §. 1.

44 Secundus fit, quando res, seu prædium peruenit ad Religionem ea conditione reali, vt reuertatur ad alium recepto pretio à Religione, vt contingit in contractu retrouenditionis, iuxta casum, quem resolui hic *quæst.* 2. res enim semper transit ad quemcumque cum suo onere, & reali obligatione. Quod si res relinquatur ab aliquo Religioni cum pacto, quod Monasterium possit illam alienare ad suum libitum sine solemnitate; poterunt illam alienare, vt probatur infrà *n.* 69.

45 Tertius est, quando res relicta est communis indiuisibiliter cum Laico, qui si velit vendere, potest Superior consentire sine solemnitate, vt probaui hic *q.* 3. pretium autem debet conuertere in rem frugiferam, nisi sit parui valoris.

Vide Quaranta à num. 38. vbi in sequentibus quamplures casus, præter allatos refert, qui tamen possunt reduci ad præcitatos, vel continentur in sequentibus quæsitis.

Quæres 12. An repudiatio legati prohibeatur in dictis Extrauag. & Decreto, ita vt alienari non possit sine solemnitate? Quæstio autem fieri potest de hæreditate, & de legatis relictis tam Ecclesiæ immediatè, quàm alicui particulari Religioso? Nam *Molina disput.* 368. *n.* 11. *Lambertinus de iure patr. lib.* 3. *quæst.* 9. *art.* 1. *num.* 31. *cum aliis à Bonac. contrà se citatus p.* 4. *de contr. Feudi, & Emphit. num.* 38. *& de Alienat. p.* 2. *num.* 33. respondent affirmatiuè, quia licèt Ecclesia non acquirat dominium rei relictæ ante acceptationem, habet tamen ius ad rem, cui renuntiare non potest. Et circa legatum Ecclesiæ relictum faciunt maiorem difficultatem per *l. Magis puto §. Si pupillus, vers. Fundum ff. de rebus eorum,* illis verbis. *Fundum autem legatum pupillus repudiare, sine Prætoris authoritate non potest.* Ergo neque Superior; Ecclesia enim in iis, quæ sibi præiudicium afferre possunt æquiparatur pupillo, & minori, vnde hanc opinionem tenent præter citatos *Angel. ver. Alienatio num.* 16. *Alex. Rom. Panellus, quos contra se citat Sanch. lib.* 6. *disp.* 4. *n.* 12. *cum eis Comp. resol* 7. *n.* 21. *Vide Compend. Pereg. conciliantem opiniones in schol. dub.* 8.

46 Resp. Superior solus sine solemnitate de iure communi, nisi obstet statutum suæ Religionis, potest repudiare, relictum titulo Legati, vel hæreditatis præcisè suæ Ecclesiæ, aut Monasterio, sit nondum illud acceptauit; non autem relictum alicui Religioso.

47 Primum de relicto præcisè Monasterio, probatur. Tum quia in Extr. & Decreto prohibetur alienatio rei Ecclesiæ; Sed hoc relictum repudiatum ante acceptationem non est res Ecclesiæ, ergo nihil Ecclesiæ alienatur. Tum quia aliud est alienare, aliud nolle acquirere Monasterio, nam alienare est iam acquisitum in alium ire; sed in casu nostro relictum nondum fuit acquisitum, ergo neque alienatum. Neque obstant in contrarium adducta, nam illud ius ad rem est quid in spe, & imperfectum ius, quod in dictis legibus non prohibetur; & illa lex benè procedit in pupillo, cui prohibetur non solùm alienatio, vt fit Prælato, sed etiam omissio lucri, ratione cuius repudiatio in pupillo dici potest quædam alienatio impropria, *vt dicit Gomez tom.* 2. *Var. cap. & num.* 14. *apud Sanchez qui l.* 6. *disputat.* 4. *num.* 12. *§. Sed contrarium,* tenet nostrum responsum, *cum Rosella ver. Alienatio num.* 10. *Tabien. quæst.* 10. *Silu. quæst.* 19. *& aliis, Bonac. cit. Vide Quar. num.* 43. Relictum igitur Ecclesiæ potest solus Superior repudiare duobus concurrentibus, & quod nondum acceptatum sit, & incorporatum Monasterio; & quod in Religione non extet statutum in contrarium. In mea Religione non exstat, cum nullibi reperiatur, neque in Constitutionibus, neque in Regulâ, in qua debet poni *cap.* 27. vbi de cautione bonorum Monasterij. Ad hæc dicit *Gloss. cap. fin.* 16. *quæst.* 6. *ver. Meliorem & ver. Non debet, cap.* 2. *de donat.* quod solus Prælatus potest in acquirendis nocere Ecclesiæ, & conditionem eius facere deteriorem, non autem in acquisitis. Quare sic repudians non incurrit pœnas Extrauagantis, neque Decreti, quia non comprehendunt huiusmodi

renuntiationem, *vt cum Tabien.quæst.20. decit Sanchez lib.9. disput.4. num.14. & 15.* ait hunc præter peccatum mortale contra iustitiam, si non habuit rationabilem causam, teneri ex officio resarcire damnum, quod passus fuit Conuentus ex amissione lucri ex *cap. Quicumque 12. quæst.4.* & in eo casu posse Ecclesiam vti beneficio restitutionis in integrum Doctoribus citatis, quos sequitur *Bonac. cit. & Compend. resolut.7. num.22.* quo tamen vti non potest, si res iam incorporata sit alteri Ecclesiæ, *vt ex Bernan. Diaz. & alij docet Sanchez num.55. §. Si autem, num. autem 17.* ait hunc Superiorem sic repudiantem non posse illud cedere in fauorem alterius, qui aliàs non succedebat, quia huiusmodi cessio est donatio, ac proinde alienatio prohibita, & cum eo *Bonacin. part. 2. de alien. num. 34.* Sed ego dicerem, quod sicut legatum non acquiritur Monasterio per actum repudiationis simplicis, quod est principale, ita neque per adiectam donationem, cum hæc potius dependeat ab illo, ad quem aliàs deberetur, quam ab ipso repudiante, qui solùm interponit affectum, quem habet, vt donetur extraneo, quod nullo modo est alienare, sed solùm rogare, vt relictum fiat alterius, procederet ergo dictum Sanch. si Superior ipse propria authoritate donaret, non autem si alter eius rogatu donaret.

48 Alterum, de relicto quoad vsumfructum Religioso particulari, & quoad proprietatem Monasterio, quod non possit repudiari à Superiore. Probatur. Tum quia Religiosus immediatè acquirit sibi relictum, ita quod non potest Monasterium adire hæreditatem Religiosi, sine eius facto, vt docet communis opinio apud *Sanchem lib.7 cap.12. num.39.* quamuis ipse *num.40.* teneat probabilius oppositum cum multis aliis, ergo illo resistente non poterit Superior repudiare. Tum quia vsus licitus iam obtinuit in Religionibus non reformatis, vt licitè acquirantur huiusmodi legata, & hæreditates, ergo Superiores non possunt præiudicare per cessionem. Tum quia Religiosus sine licentia Abbatis sui potest acceptare legatum sibi factum, *vt ex Collectario docet Nauar. tom.2.com.2.de Regul.num.65. in fine, & ex eis Sanchez citat.37.* ergo ex acceptatione cum dicatur Ecclesiæ incorporatum non ampliùs est locus repudiationi. Nec per hoc dicitur obstare obedientiæ sui Superioris, aut voto paupertatis, quia in hoc casu obedientia non tenet cum sit illicita, hoc ipso, quod Ecclesiæ, & Monacho præiudicat; nec sequitur hinc proprietas, quia aliud est vti relicto contra voluntatem Superioris, quod non accidit hic, aliud impedire repudiationem, quod cuilibet licitum est fauore Ecclesiæ. Oppositum multis citatis tenet *Sanch. lib.7.cap.12.num.42.* dicentem, integrum esse Superiori repudiare hæreditatem Monacho delatam ipso inuito, ea ratione sicut in adeundo non pendet à voluntate Monachi, ita nec in repudiando.

49 Econtrario Religiosus non potest repudiare hæreditatem, aut legatum sine licentia sui Superioris. Tum quia non habet velle, neque nolle. Tum quia non potest contrahere, neque alia ratione agere in præiudicium Monasterij, nam contractus Monasterio vtilis ratificatur per Superiorem, si absque eius licentia factus fuit, non autem si fuit nociuus, *vt docet Abbas cap. Quanto, de off. ordin. num.5. & cum eo Nau. tom.2. com.2. de Regul. num.65. & cum eis Sanch. lib.7. cap.12. num.37. qui alios citatis tenet hoc.*

Quæres 13. An Superior remittens caducitate suo libellario faciat contra leges de rebus Ecclesiæ non alienandis?

50 Respond. In eius potestate id remittere absque periculo incidendi in transgressionem iurium de rebus Ecclesiæ non alien. Ratio est. Tum quia non habet obligationem illum expellendi, ergo potest licitè sinere illum perseuerare in possessione rei Emphiteuticæ, vt colligitur ex cap. Potuit, de locato, per illa verba. *Iustè potuisset expelli.* Tum quia remissio caducitatis non est alienatio alicuius iuris acquisiti, sed tantùm nolle acquirere ius, quod posset acquiri. Procedit hoc, quandiu res per caducitatem nondum est incorporata Monasterio, fit autem incorporatio, quando declaratur emphiteutam à iure suo cecidisse. Ita docent communiter *Sanchez lib.6.disp.4 num.13. §. Similiter, Quarant. n.44. Tabien. n.15. Bonac. p.4. de contractu feud. & emphit. n.39.* Ad hanc autem remissionem faciendam requiritur consensus Capituli Superioris remittentis, *gloss. ver. Expelli cap. potuit, de locato. Megal. de contract. lib.2.c.9.n.127. Homob. part.4. Respons.42.*

Quæres 14. An magna summa pecuniæ reposita pro emendis stabilibus, vel pretiosis, alienari, & distrahi possit in emendis mobilibus necessariis pro Monasterio? *Vide Peregr. in suo Compend. ver. Alienatio in Schol. §. Dubia. Vide resol. 126.*

51 Respond. Potest. Probatur. Tum quia in dictis Extrauaganti, & Decreto prohibetur alienatio immobilium, & mobilium pretiosorum; sed dicta pecunia non est de immobilibus, vt de se constat, neque de pretiosis, siquidem illa res dicitur pretiosa, quæ seruando seruari potest cum fructu, & vsu absque sui distractione, pretiosum enim, in re nostra, magis dicitur ex fructu, & vtilitate, quam Ecclesia consequitur ex eius persistentia, quàm ex magno pretio, quod valere potest, ita colligo *ex Panor. in cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien. Silu. ver. Alienatio num.7 Armill. num.5. Conrad. part.2.q.25.* Sed pecunia licèt seruabilis sit, & non corrumpatur, neque vltra triennium sed perpetuò duret, tamen fructum, nec vsum habet persistens apud dominum, sed eius fructus, & vsus est consumptio, & alienatio, vnde D. Chrysost. relatus à *Palea cap. Ejiciens dist.*88. inquit. *Ex pecunia reposita nullum vsum capit,* quod obseruat *Paulus in cit. cap. Nulli, & Gloss. in l. Cum plures ff. de admin. tut.* Tum quia huiusmodi pecuniæ summa in tantùm videtur hic prohibita alienari, in quantum refertur ad emptionem stabilium, ad quæ si non esset deputata, sine dubio posset distrahi, ac proinde ideò prohibeatur alienari, quia ex eius distractione Ecclesia desinat acquirere illud stabile, ac si in dictis iuribus prohiberetur non solùm alienatio acquisitorum; sed etiam impeditio acquirendorum; sed in dictis Extrauaganti, & Decreto prohibentur solùm acquisita, vt constat, & ex probatis *quæst.12.* de repudiatione legati, & de remissione caducitatis ob non solutum Canonem à Libellario *quæst.13.* & ex fine prohibitionis, ne scilicèt bona Ecclesiastica alienentur in detrimentum Ecclesiarum, sed magis conseruentur, & meliorentur, nemo autem patitur detrimentum ex distractione eius, quod non habet, neque illud conseruare, aut meliorare potest, cum non existentis nulli sint effectus, & passiones. Ita videtur tenere *Silu. num.7. §. Dico,* quando Superior, vel Capitulum, non se obligauit voto, vel iuramento, aliter tenetur emere præscriptum pecunia reposita, quam ideò non potest distrahere. Sed aliud est quod non possit ea pecunia distrahi ob illam præcedentem obligationem, sicut neque pecunia reposita pro dote Monialis, vel pro perpetua obligatione Missarum, & quod non possit alienari ex *tit. de rebus Eccles. non alien.* nam hoc est falsum, vt absolutè probant adductæ rationes. Oppositum sentiunt *Armilla num.4. Conrad. part.2.q.25. Quar. num.25. Homob. part.4. Resp.44. alios pro se allegans, cum Barbosa p.3. de Episcopo alleg.95.n.40. & testatur de communi Bonac. p.2. de alien. n.5* probantes, & à simili, quia pecunia pupilli sic destinata ad emendum prædia distrahi non potest, *Ioseph. Lud. decis.48. Menoch. cons.114.n.22. Tusch. ver. pecunia concl.220. quos refert Homob.* & quia alienatione prohibita, omnes actus antecedentes, per quos peruenitur ad illam censentur interdicti, *vt ex Gloss. quadam docet Nau. cons.4. de rapt. §.3.* Sed hæc non obstant, primum ob differentiam allatam *q.12. §.1.* Secundum non facit ad rem, quia per distractionem pecuniæ nihil alienatur prohibitum in dictis iuribus, in quibus interdicitur alienatio acquisitorum, non acquirendorum, potius non acquisitio, quam alienatio.

Quæres

Quæres 15. An pecunia consignata in Bancho Sancto Ambrosio Mediolani, siue à Conuentu, siue à particulari Religioso, possit inde extracta distrahi, non obstante Extrauaganti, & Decreto? Videtur quod non, quia æquiparatur censui, qui sine solemnitate alienari non potest, præterea huic pecuniæ bene quadrat definitio rei pretiosæ allata initio præcedentis responsionis.

52 Resp. Potest alienari. Probatur. Tum quia pecunia exposita negotiationi per contractum societatis, & finito negotio, seu tempore præfixo restituta, potest distrahi, cum huiusmodi pecunia sic exposita non habeat perpetuitatem in fructificando, vnde vna ex conditionibus est, vt non possit fieri pactum Saluo capitali ex Sixto V. Const. 45. *Detestabilis*, quam extendit Nald. ver. Societas. Sed Banchum dictum sic negotiatur per contractum Societatis, ergo huiusmodi pecunia distrahi potest, sicut si daretur particulari personæ, & eo magis, cum possit repeti ad arbitrium reponentis, & sic patet multum discrepare à censu, cuius pecunia repeti non potest, sed tantum accipi, quando offertur ab eo, qui censum vendidit, & in censu adest perpetuitas, quæ non in Bancho. Tum quia sicut voluntariè exposita fuit lucro, ita illo expoliari potest per repetitionem, quod Banchum negare non potest, ac proinde tunc amittit rationem rei pretiosæ, cum non amplius dicatur frugifera ex conditione ipsius contractus, & sic nulla est secunda ratio in contrarium adducta. Nec dicas, pecunia, censu extincto, non amplius dicitur frugifera, ac proinde, neque pretiosa, ergo alienari poterit, quia respondeo, pecuniam exponi per contractum census, vt perpetuo sit frugifera, cum non possit repeti ab exponente, vtique vero pecuniæ Banchi, quod signum est perpetuo non exponi lucro; deinde per pecuniam census emptor emit tale ius, quod computatur inter immobilia, cum fundetur in re stabili, & frugifera. *Clem. Exiui, de verb. signif. & ibi Gl. ver. Cumque anni*, ius autem quod competit danti pecuniam ad Banchum non est quid immobile, sed mobile, & reuocabile ad nutum dantis. *Contra Bonac. & alios à se citatos p. 2 de alien. n. 5. §. Secus.*

53 Occasione huius Banchi, quidam dubitarunt de eius iustitia, eo quod dicebant, ibi pecuniam reponi ad custodiam, & sic esse depositum, ratione cuius nihil debetur deponenti, imò è contra deponens obligatur aliquid dare depositario pro custodia, neque depositarius sine licentia deponentis potest vti re deposita; in hoc autem Bancho deponens aliquid tribuit, & depositarij negotiantur pecuniam, nulla à deponente petita licentia, quæ videntur inconuenientia vsuram palliantia; vnde alij dixerunt esse contractum societatis, in quo deponens tribuit pecuniam, & Banchum illis negotiatur, sed in hoc etiam casu videtur iniustitia, nam in societate ponens pecuniam ad nutum suum non potest illam repetere, sed ad tempus præfixum, aut finito negotio, *l. Actione 6. Item si alicuius ff. pro socio*, in hoc autem Bancho repetitur ad libitum; in societate non fit pactum, saluo capitali, quod tamen saluatur in Bancho, in societate lucrum non est certum, sed modo maius, modo minus sine vlla determinatione, in Bancho lucrum semper est certum, ergo erit contractus vsurarius, cum non conueniat cum deposito, neque cum societate, neque alius licitus est assignabilis.

54 Sed iustificatur alio contractu adiecto, qui est assecurationis, quo Banchum se obligat saluare capitale, obligando se ad illud compensandum, si pereat, & cum hæc obligatio, & periculum, quibus se subijcit, sint pretio æstimabilia, ideò licitè sibi aliquid retinere potest, diuidendo postea lucrum, extracto obligationis, & periculi pretio, & hinc est, quod deponens non tantum lucratur ex Bancho, quantum si cum priuato, vel alio Bancho, quod nollet subire periculum saluandi capitale, acquirere posset, & illa repetitio ad libitum minuit & ipsa lucrum nec facit difficultatem certum lucrum quia in societate ponens pecuniam potest paciscì cum socio, vt sibi tradatur certum lucrum, in quo casu socius adijcit alium contractum assecurationis fructus, vt multis citatis *docet Bonac. p. 3. de societ. num. 8.* Itaque in Bancho Societati adiunguntur duo contractus assecurationis, vnus, quo Banchum se obligat saluare capitale deponentis, alter, quo illum assecurat de certo lucro, deinde finit capitale arbitrio deponentis, vnde cum in tribus sit deterioris conditionis, æquum est, vt releuetur ad æqualitatem consocij cum maiori emolumento supra socium. Et hæc obiter dicta sint.

Quæres 16. An census extincti ex parte venditoris, quorum pecunia peruenit, & redit ad Ecclesiam, possint distrahi à Superioribus, siue sint instituti ab ipso Monasterio, siue à particularibus Religiosis, aut alijs? & sermo est tam de perpetuis, quàm vitalitijs.

Respond. Non possunt alienari, sed eadem omnino pecunia inuestienda est iterum per eundem contractum census, vel in emptione aliorum stabilium. Probatur, quia annui redditus, cuiusmodi sunt census, computantur inter immobilia, vt dixi præcedenti quæsito in resp. *Ita Quar. nu. 26. & alijs citatis Bonac. p. 4. de contr. feud. & emphit. nu. 29.* 55

Videtur facere difficultatem constitutio census vitalitij, quando emitur ex parte Religionis, nam Superior, seu Religiosus subditus de licentia sui Superioris emendo censum vitalitium, sine dubio pro futuro tempore post mortem suam Religio amittit capitale, & ius exigendi fructus, ergo cum creatio huiusmodi census contineat futuram alienationem rei immobilis, non potest fieri absque solemnitate, cum sit actus alienationis saltem inductiuus. Confirmatur, quia ideo res immobilis non potest hypothecari, neque pretiosa pignorari, quia licet in his non alienentur res sic obligatæ, tamen in tali ponuntur periculo, vt ex his contractibus possit facilè sequi alienatio; sed ex censu vitalitio non tantum facilè sequi potest, immo necessariò sequitur alienatio, ergo si prohibetur hypothecatio, à fortiori constitutio census vitalitij Et facit illud vulgatum. Prohibita alienatione, censentur interdicta illa omnia, per quæ potest perueniri ad illam, quod retuli in fine *quæst.* 14. sed per huiusmodi censum peruenitur ad alienationem pecuniæ, & fructus, vt de se constat, ergo censetur prohibita constitutio census vitalitij.

Dico nihilominus, posse creari censum vitalitium, quod probo. Tum quia in huius creatione fit emptio iuris exigendi fructus super re frugifera alterius; emptio autem non prohibetur, cum non sit alienatio, sed aquisitio rei alienæ. Tum quia illa pecunia non prohibetur alienari neque hoc modo, neque alio cum de se non sit res stabilis, neque frugifera, ac proinde neque pretiosa, quæ duo solum in nostris iuribus prohibentur alienari. Tum quia licet totum extinguatur morte constituentis, ac proinde sequatur Religioni detrimentum, non ideo sequitur prohiberi huiusmodi sensus constitutionem, quia euidens vtilitas attenditur tempore contractus celebrati, vt Doctoribus citatis dixi *quæst 6. § Vtilitas de qua re vide glos. ver. Tunc, cap. Ad aures, de reb. Eccl. non alien.* vbi de hac vtilitate attendenda tempore contractus *cum Quar. cap. 89. per totum*, & sic patet responsio ad primam, & tertiam rationem; Nec obstant ea, quæ refert *Grilenz. cons. 80. à num. 24.* probans vtilitatem considerandam esse non solum secundum tempus præsens contractus, sed etiam futurum, Doctoribus citatis, & fundatur in *cap. Sine exceptione, 12 quæst. 2* illis verbis, *Vt meliora prospiciat*, & alijs subiectis, *Quod sit dubium profuturum.* Quia respondeo in casu nostro adesse præsentem, & futuram vtilitatem ex conditione ipsius contractus, cum reddat eosdem fructus in fine quos in principio; & extincto contractu ex suis naturalibus per mortem con- 56

stituentis, non amplius spectatur contractus, quia quod non est, nullos potest producere effectus. Deinde alteri potest non solum prohiberi alienationem, sed etiam eum actum, per quem perueniri potest ad illam respectu eius rei, quæ actu habetur, & possidetur ab Ecclesia; In casu autem nostro creatio census vitalitij, qui est actus, per quem in futurum peruenitur ad alienationem, non est talis actus cum per illum non perueniatur ad alienationem rei iam habitæ, sed è contra aliquid tunc aquiritur Ecclesiæ, ergo nulla ratione obstat nostræ responsioni. Tum quia medium argumentum de hypotheca non potest subsistere, præter quam quod ea expresse prohibetur in iuribus, non sic creatio census, de quo nulla fit mentio in Extrauaganti, sed solum in Decreto in ordine ad eius extinctionem, quod non possint alienari; ergo non prohibetur institui, quia hypothecatio est quædam species alienationis *ex cap. Nulli, de rebus Eccl. non alien.* creatio autem census ex apposito eius est aquisitio rei stabilis, quod sine dubio nullo iure prohibetur.

Quæres 17. An emptio cum pacto retrouendendi possit fieri apud Religiosos, tempore statuto retrouendendo absque solemnitate, & sine violatione iurium de rebus Eccles. non alien. de venditione verò cum pacto redimendi constat, non posse fieri, quia est formalis, & expressa alienatio.

57 Resp. Potest fieri retrouenditio ex antecedente emptione, quia non est proprie alienatio, sed prioris contractus rescissio; neq; nouus contractus, sed restitutio rei alias acquisitæ per priorem contractum. *Ita Rodoan. quæst. 66. nu. 9. cum aliis apud Bonac. p. 2. de alienat. nu. 16. qui in eam multum inclinat §. Contrarium. Dixi iterum q. 4. §. 2.*

Quæres 18. An Regulares possint in pignus res pretiosas, & in hypothecam dare stabilia sine solemnitate,

58 Resp. Vtique generali obligatione, non autem specialiter, vt probaui *q. 4. §. Ad Secundum.*

Quæres 19. An Superiores Regulares possint transigere super re litigiosa, aut si sit magni dispendij possint eam relinquere?

59 Respond. Possunt sine solemnitate transigere, ob rationes, & Doctorum authoritates, quos attuli *q. 4. §. 4.* Ratio est, quia res litigiosa non dicitur Religioni adhuc incorporata, Consequenter possunt illi, cedere posito detrimenti periculo, aliàs non, sed saltem fieri debet transactio, si lis vinci non potest, vide dicta loco citato §. 3. Quicquid dicat *Quar. num. 20* Vide Peregr. *in Schol. §. 6.*

Quæres 20. An ille Superior, qui demolitus fuit fabricam antiquam Monasterij, vbi amplius non habitabat Conuentus Fratrum, & ex materia vendita pecuniam non inuestiuit in res frugiferas, sed dissipauit, fuerit transgressor Paulinæ, & Decreti?

60 Resp. Fuit. Probatur. Tum quia demolitio, & destructio rei immobilis sine dubio est alienatio, fit enim destructum alia res transiens sub dominio alterius. Tum quia ille destructor vendidit materiam rei destructæ, ac proinde immobile redactũ in suas partes mobiles. Tum quia nulla actio peior, & deterior inueniri potest in materia alienationis, quàm destructio, & demolitio cuius Ecclesia læsa restitui nunquam potest in integrum, & pristinum statum.

Quæres 21. An Ecclesia donari possit, vel permutari cum alia sine solemnitate?

61 Respond. Quouis modo alienetur Ecclesia siue vniendo vnam alteri, siue permutando, siue donando extra Religionem, non requiritur dicta solemnitas, quia iura, & Decretum prohibentia alienationem loquuntur de alienatione rerum, & bonorum Ecclesiæ, non autem de alienatione ipsarum Ecclesiarum, non enim Ecclesia detrimentum patitur, neque dicitur distrahi, si ab vno patrono transeat sub alio. *Ita tenet Megal. consil. 32.* vbi limitat, modo non transeat ad profanos vsus, *contra Quarant. numero 35. & Bonac. p. 4. de contron. feud. & Emphyt. num. 14. & p. 2. de alien. num. 14. De vnione Ecclesiarum*, vide quæ tetigi initio huius Resolutionis, de qua re alibi. Alienari nemo autem Ecclesiæ certum est fieri non posse in extraneum, neque in alienam Prouinciam sine consensu Generalis, & Prouinciæ, vt dicam alibi.

Quæres 22. An reliquiæ possint alienari ab vno Conuentu ad alium, vel ad extraneum sine transgressione iurium de reb. Eccles. non alien.

Respond. Possunt. Probatur. Tum quia in iure prohibetur alienatio rerum pecunia æstimabilium sub quo pretio non veniunt reliquiæ. Tum quia neque sunt pretiosæ quo ad magnum pretium, quod respicit lex prohibens alienationem, licet sint pretiosæ quo ad suam excellentiam, & venerabilitatem, Hinc probabile putat *Bonac. p. 2. de alienat. num. 31. §. Probabile*, oppositum ipse tenet hic, *& de contr. p. 4. num. 17. cum Riccio, qui decis. 63. num. 6*, testatur hunc esse stylum Curiæ Romanæ; quem non cogimur sequi, cum non legem, sed opinionem faciat, vt dixi aliis allegatis alia occasione *Dian. tom. 1. tract. 5. resol. 1. in fine, & tract. 10. de legib. in fine resol. 8. Vide nobiscum Compend. Peregr. ver. Alienatio in Schol. §. 5.* 62

Quæres 23. An res, quæ peruenit ad Ecclesiam, cui iam incorporata fuit, possit sine solemnitate alienari ob æs alienum, ante aquisitionem, obligat a creditore instante?

Respond. Quando alia via non potest satisfieri, instante parte per iudicem, potest vendi, vel consignari aquisitum creditori pro tanta parte, qua possit illi satisfieri. Probatur. Tum quia Ecclesia non acquisiuit perfectum, ac stabile ius super illud relictum obligatum alteri ex debito, quia debitor non potest alteri donare, vel relinquere, quod est debitum, *Paris. vol. 4. consil. 70. num. 31. & ex eo Grolenn. consil. 161. num. 26.* Tum quia prohibita alienatione, non præsumitur prohibita alienatio ex causa necessaria, qualis est causa ob æs alienum *l. Alienationes ff. famil. ercisc. Ita Quar. nu. 36.* Quare Superior sponte alienare non potest, vt soluat debita annexa rei aquisitæ, sed solum, quando creditor vrget, vt ibidem docet cum *Mascard. de probat. conclus. 1237.* 63

Quæres 24. An possint alienari, donando, vendendo, vel impignorando ornamenta Ecclesiæ, vt calices, lampades, candelabra, vestes sacerdotales, & huiusmodi?

Resp. Non possunt, quia hæc sunt bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt prohibita expresse in Extrauaganti, & Decreto, ergo alienari non possunt. *Ita Quar. num. 23. & ex eo Bonac. p. 2. de alien. num. 30. cum Rodoan. quæst. 13. num. 8. Riccius ab eo citatus §. Contrarium*, tenet posse alienari, conuerso enim pretio in fabricam necessariam Ecclesiæ, quia per hoc nullum dominium transfertur in extraneum, sed ibidem respondet dominium transire in ementem, & bene, quia hac ratione possent quæcumque alia alienari titulo necessitatis, vel fabricæ, vel victus, quia id redundat in vtilitatem Ecclesiæ, cuius bona venduntur, quod tamen est falsum, & eluderetur mens legis: Pretiosa autem dicuntur etiam, quæ non excedunt valorem 25. aureorum, vt censuit S. C. *apud Peregr. in suo Comp. ver. Alienatio in Schol. §. Ad quam, & §. Dico.* 64

Quæres 25. Quænam sint pœnæ contra Regulares inflictæ alienantes sine debita solemnitate? A quibus Regularibus incurrantur? An quandoque excusentur?

Respond. ad primum. Quatuor pœnæ infliguntur in Extrauaganti, Prima est nullitas contractus de qua supra *q. 7. §. Nullus*. Secunda est excommunicatio non reseruata tam contra alienantes, quàm contra recipientes quoscumque. Tertia est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quo ad Pontifices, & Abbates, & post sex 65

mense

menses ipso iure suspensio à regimine, & administratione. Quarta est quod ad inferiores Prælatos, & alios Rectores, vel administrationem habentes est ipso iure absque alia declaratione priuatio Prælaturæ, seu officij illius Ecclesiæ, cuius bona alienatur, vltra excommunicationem. Prima, & secunda pœna est contra omnes participantes in alienatione. Tertia solùm contra Pontifices, & Abbates siue Seculares, siue Regulares, & sic excluduntur Mendicantes, qui Abbatibus non viuunt. In quarta igitur includuntur Generales, Prouinciales, & Superiores locales, & alij officiales administrationem habentes, qui priuantur suis Prælaturis, & officiis, non quibuscumque, sed tantum illis, à quibus potest dependere alienatio, vnde ille Religiosus, qui est simul Prior, Magister, & Definitor, malè alienans priuatur solum Prioratu, non reliquis, quia per hus non influit in alienationem, sicut per Prioratum. Quamuis dicatur incurri eam priuationem ipso iure, absque alia declaratione, tamen ante sententiam declatoriam facti criminis non incurritur, quia ea verba referuntur ad pœnam, ad quam incurrendam non est necessaria sententia condemnatoria ad illam. Ita docet multis citatis *Quar. p. 49. de his pœnis. Vide etiam Bonac. q. 4. de contr. feud. & emphyt. nu. 14. Megal. consil. 32. initio.*

66 Secundò, dictæ pœnæ incurruntur tantum à Superioribus, & administratoribus, non autem à reliquis Religiosis, qui non dicuntur alienare, sed tantum in alienationem consentire; vt dixi *q. 4. §. Alterum* vbi à pœnis Decreti, de quibus mox exclusi etiam habentes administrationem, de quibus non fit mentio. *Vide Bonacin. puncl. 5. de alien. num.*

67 Decreti ergo pœnæ contra Superiores Regulares solum sunt. Priuatio ipso iure absque alia declaratione omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, & vocis actiuæ, & passiuæ cum perpetua inhabilitate ad illa imposterum obtinenda, sublata facultate Generali, & Protectori illam relaxandi; pœnis Apostolicarum constitutionum, præsertim Paulinæ in suo robore permanentibus, cum nullitate alienationis factæ. *Vide illud supra extensum sub q. 4. §. Sacra.*

68 Excusat ab hic pœnis. Bona fides, nam in Extrau. adest verbum. *Præsumpserit*, quod non potest stare cum bona fide. Ita *Nau. cons. 19. num. 3. de rebus Ecclef. non alien. Megal. cit. consil. 32. num. 2. Quar. num. 50. Bonac. p. 5. de alien. num. 1.* ac proinde excusat etiam ignorantia tam iuris, quàm facti, modo ignorantia non sit iuncta cum ingenti temeritate *Bonac. cit. Quar. Nau. & faciunt dicta hic q. 4. §. Demũ.* II. excusat opinio saltem alicuius probati Doctoris, qualis est ille, qui suum dictum benè probat. *Nau. cons. 2. de prescr. & num. 2. com. de alien, nu. 16.* quem citat Quar. *num. 50.* Excusat III. reuocatio facta ante traditionem rei *Nau. cons. 18. de reb. Eccles. Quar. num. 50.* requiritur enim, vt res sit tradita parti recipienti alienatum, quicquid dicat *Bonac. p. 5. de alien. n. 2.* incurri statim ac perfectus est contractus. licet res nondum sit tradita, quia multi contractus perficiuntur solo mutuo consensu antequam res tradatur; cuius ratio non obstat, qua contractus intelligitur perfectus, quatenus partes non possunt ab eo resilire, non autem quo ad eorum suum complementum, quo perficitur traditione rei. Vide Peregr. in Schol.

Quæres 26. An sit prohibita alienatio sequentis fundi è Nouitio relicti in suo testamento Monasterio, in quo intendit profiteri peracto probationis anno, sub ea conditione in sequenti clausula contenta. *Volo autem, vt huiusmodi mea bona post professionem meam validè emissam, & non aliter, transeant ad supradictum Conuentum, cum ex obligatione, vt Superior, qui pro tempore erit ibi, prædicta bona loci N. statim vendat, & ex illorum pretio emat alium fundum prope stabilita sub Monasterij, quod si occasio non se obtulerit ita in pretium implicandi, reponatur pecunia in Bancho Sancti Ambrosij Mediolani, & inde non auferatur, nisi ob causam huiusmodi implicationis aliorum bonorum prope bona Monasterij.* Et videtur quod Religio non possit alienare, aduertiante Bulla, *Ambitiosæ*, de rebus Eccles. non alien. & Decreta Sacræ Congregationis supra extenso sub *q. 4. §. Sacra*, quibus locis prohibetur Regularibus alienatio rerum Ecclesiasticarum sine licentia expressa Sacræ Congregationis. I. quia testator per suum testamentum hanc facultatem non potest dare Regularibus. II. qui priuata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem legis, aut canonis immutare, *cap. Requisisti 15. de testam.* nemo enim facere potest, quod in testamento suo leges locum habere non possint, l. Nemo potest ff. de pactis inter debit. III. quia conditio turpis, aut impossibilis habetur pro non adiecta non solum in contractu matrimonij, cap. fin. de condit. appos. verum etiam in testamento, prout *Glos. super dictum cap. fin. ver. Impossibiles*, asserit, citando *l. Quedam ff. de condit. instit.* cum aliis Iuribus; sed quod Superior obligetur alienare, conditio impossibilis est, quæ enim à iure prohibentur, vocantur impossibilia, *l. Conditiones quæ contra ff. de condit. instit.* ergo cum pro non adiecta habeatur, sed reiiciatur, censetur hæreditas transire sine illo onere. Verùm istæ rationes videntur rem non solum persuadere, verùm demonstrare. Tamen

Respond. Potest fieri huiusmodi alienatio, cum hæc non subiiciatur alienationi ab Ecclesia prohibitæ, 69
quod probatur. Tum quia in re sua quisque est moderator, & arbiter, *l. Sed & si. §. Consuluit, ff. de pet. hered. l. In re mandata, C. Mandati*, ergo testator iste potuit sic moderari suas res, vt alienarentur, & ex aliarum pretio alibi emeretur fundus. Nec obstat explicatio super hac regula, dicentium procedere, quando lex non resistit, vt in casu nostro de alienatione, cui lex citata Pontificia resistit; quod axioma ita explicat Thomasel. cum aliis Regula 247. vbi exemplificat in testamento, & vltimis voluntatibus, Quia huiusmodi prohibitio alienandi afficit res Ecclesiasticas, non autem Seculares, res autẽ de qua ista testator disponit est merè Secularis, ergo talẽ obligationẽ, & ius adiicere rei suæ potest, cum legi ciuili non interdicatur, neque sacris canonibus ipse subiiciatur quod ad hoc, quæ sola Ecclesiastica prohibent alienari, consequenter tale onus testator apponere potest, Religio illud exequi potest, immo tenetur. Et sic patet responsio ad omnes obiectiones, quæ supponunt testatorem esse subiectum huic legi Ecclesiasticæ, quod falsum est, quia cum nihil Ecclesiæ possideat, nil contra huiusmodi legem disponere dicitur. Tum quia necessaria alienatio non venit sub prohibitione alienationis, vt probaui suprà hic quæstione secunda, hæc autem est necessaria; quia voluntas testatoris omnibus modis seruanda est, *cap. Vltima 4. 13. quæstione 3. capit. Tum nobis 27. de testam.* & pro lege habenda est §. *Disponat, Auth. de nupt.* Tum quia hæres, & defunctus vna persona reputantur, §. 1. *Auth. de iureiur. l. fin. C. de impub.* repræsentat siquidem hæres personam defuncti testatoris, & succedit in eius iura, *leg. Nihil autem ff. de regul. iuris. §. Necessarius; Instit. de hered. qualit. & differ.* sed defunctus poterat rem suam alienare, & distrahere, ergo eadem qualitate potest afficere suum hæredem, vt rem, in qua institutus fuit, alienare possit. Tum quia quamuis Religiosi prohibeantur alienare res Ecclesiæ sibi relictas, de quo nullus dubitat, tamen hoc verum non est vniuersaliter, sed eget exceptione, quam quælibet, lex humana admittere potest, *cap. Si quando de rescript.* nimirum non habere locum nisi in illis, quæ simpliciter transeunt sine aliqua speciali obligatione testatoris. Tum quia ex persona & qualitate hæredis non mutatur conditio obligationis. *l. 2. §. Ex his, ff. de verb. oblig. Megal. 2. 2. q. lib. 2. cap. 7. num. 313.* ergo qualitas prohibitiua in Religioso ne alienet, non habet mutare dispositionem testatoris,

conse

consequenter, cum efficax sit, Religio poterit propria authoritate facere alienationem, ac si non esset persona Ecclesiastica, neque ageret de re Ecclesiastica. Demum faciunt omnia argumenta superius adducta sub *q.2.* cum similis huic sit. Ita tenet *Socin sen.cons.48. num.4.& consil.53.num.16.vol.1.* dum dicit, non requiri aliquam solemnitatem, quando testator dedit facultatem alienandi, apud M. Anton. *lib 3.resol 99.num.5.* quod & ipse tenet *resol.fin.casu 44.tribus rationibus*, vbi etiam ad hoc citat Redoan.

Quæres 27. An Episcopi priuilegium alienandi res Ecclesiasticas, suæ Diœcesis à Sede Apostolica concessum, sit commune tam Regularibus, quàm Secularibus Ecclesiasticis? Ita quod Religiosi in hoc se subiicientes Episcopo priuilegiato, de eius consilio, & consensu possint alienare sine licentia speciali Sacræ Congregationis, non obstante eiusdem Decreto, de quo supra extenso sub *q. 4.* de non alienando sine licentia in scriptis obtenta à Sacra Congregatione.

70 Respond. Priuilegium hoc commune est omnibus Ecclesiasticis habentibus bona Ecclesiastica sub eius Diœcesi. Suadetur. Tum quia alia priuilegia Episcopi faciunt, etiam pro Religiosis exemptis, *vt de pluribus dixi ref.26.q.2.§.Tertium ergo*, & hoc de rebus Ecclesiæ alienandis. Tum quia si Religiosi non possunt gaudere eo priuilegio, maximè quia exempti sunt à iurisdictione Episcopi, sed hoc non obstat, quia exemptio intelligitur in iis, quæ eisdem sunt præiudicialia, hoc ipso, quod exemptio est à subiectione, quæ ex sui conditione præse fert præiudicium, sed alienatio, quæ cedit in commodum, & vtile euidens, nullum affert præiudicium, ergo fieri potest virtute priuilegij. Tum quia Religiosi dicuntur exempti à potestate ordinaria Episcopi, non autem à delegata Papali, cuiusmodi est, quam habet ad alienandum, sicut enim in odiosis subiiciuntur huiusmodi delegationibus à Summo Principe, ita intelliguntur, participare in eisdem fauorabilibus. Tum quia etiam bona regularium dicuntur res Ecclesiasticæ Diœcesis, ergo sub eodem veniunt priuilegio.

Quæres 28. An proprietas aliqua rei immobilis, seu annuus redditus, aut vsus fructus alicui particulari Religioso relicta, vel à se antequam profiteretur, vel aliàs à parentibus, siue ab extraneis ante, vel post professionem, alienari possit absque solemnitate requisita in supradictis iuribus?

71 Respond. alienatio prædictorum, siue perpetuo remaneant in Religione, siue post vitam vtentis redeant fructus ad proprietarios Seculares, sine requisita solemnitate fieri non potest. Probatur. Tum quia huiusmodi computantur inter stabilia, vt expresse asseritur *in Clem. Exiui, §. Cumque annui redditus, de verb.signif.* Sed stabilia subiiciuntur Extrauaganti Ambitiosæ, & Decreto Sacræ Congregationis, vt ibidem expressis verbis habetur, ergo non possunt alienari sine debita solemnitate. Tum quia licèt vsusfructus, seu vtilitas, & commodum cedat in bonum Religiosi, adhuc tamen directum dominium, seu ius vtendi ea commoditate est apud Religionem, vnde cum sit res Ecclesiastica necessariò requirit ad sui alienationem requisita in dictis iuribus. Ita de annuis redditibus *docet Quaranta ver. Alienatio num. 26. Bonacina in Tractat. Var. p. 2. num. 19. §. Ex quo.* Quare Religiosi habentes annuos censûs, liuellos, pensiones; quauis ratione ad illos peruenerint, non possunt illa distrahere, vendere, sine solemnitate, & multo minus stabilia præsse accepta, vt prædium, domus, &c. quia licet relicta sint alicui speciali Religioso, adhuc tamen dicuntur bona Ecclesiastica, & incorporata cum cæteris bonis communitatis quo ad proprietatem, & ius illis vtendi.

Quæres 29. An Prior Sanctæ Mariæ Quarterij Parmæ cum suo capitulo, & sola licentia sui Superioris Prouincialis, sine licentia Sedis Apostolicæ, non obstante Decreto Sacræ Congregationis suprà relato sub q. 4. dirupatium quoddam annexum domui, quod vocatur Monasterium vetus, possit vendere Ecclesiæ Parochiali Sanctæ Mariæ Burgi Taschery contiguæ pro fabrica Chori, quo maxime indiget, qui in nulla alia parte eiusdem Ecclesiæ, quæ alios confinantes non habet nisi domum dictam, & publicam viam, construi potest? Et data venditione, an pecunia distrahi possit, an potius sit inuestienda in proprietatem idoneam, & fructiferam?

72 Respond. Potest, neque tenetur implicare. Primum probatur, Tum quia iura prohibentia alienationem sine licentia Sedis Apostolicæ, locum non habent in alienatione, & venditione necessaria, ex iuribus, & Doctoribus allegatis hic supra *q. 2.& 4.§.1.* huiusmodi autem alienatio est maximè necessaria, cum quælibet Ecclesia Parochialis, cuiusmodi est hæc indigeat Choro, qui in casu præsenti non potest fabricari nisi in aliqua parte huius domus, cum hæc sola cum strata publica, & cæmeterio conterminet cum Ecclesia. Tum quia huiusmodi venditio resultat in vtilitatem Monasterij magis, quam eiusdem negatio, siquidem huiusmodi pars vendenda in nullo vtilitatis deseruit Religioni, nec conductori, cum sit dirupatium; quo nemo vtitur, ex cuius venditione resultat commodum pecuniæ Religioni, & Ecclesiæ Dei honor, & cultus ministrorum erga Deum augetur. Tum quia propter cultum diuinum, & pietatem conceditur, quod aliàs prohibetur arg.c. 2. & 3. de Eccles. ædif. vbi etiam c. fi. non obstante iuramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, potest Episcopus propter indigentiam alienando nouam ædificare Ecclesiam, ergo idem dicendum in casu nostro, in quo Ecclesia Sanctæ Mariæ indiget fabrica noui Chori, quod resultat in pietatem, & cultum diuinum.

73 Sufficit autem sola licentia Prouincialis, si velimus stare constitutionibus Apostolicis, quos citaui supra sub *q.6. §. Authoritas*, non obstante Regula huius Ordinis *cap.27.* quæ soli Generali concedit hanc facultatem alienandi bona Ecclesiæ; tum quia huiusmodi restrictio habet locum in alienatione voluntaria, qualis non est hæc; tum quia Constitutiones Pontificiæ, quæ sunt Leonis X. & Clemen. VII. conditæ fuerunt post illud caput Regulæ, vnde illi benè potuit derogare.

74 Alterum, quod pretium non sit necessariò implicandum, suadetur ex eo, quòd nullum ius, aut Constitutio Apostolica, vel statutum ordinis id præcipit, & pecunia ex sua natura est distrahibilis, cùm cæteris mobilibus non pretiosis, quæ implicationi non subduntur. Confirmatur, quia probaui suprà hic *quæst. 14.* magnam pecuniæ summam pro stabilibus emendis repositam distrahi posse; *& quæst 15.* idem probaui, de pecuniis Banchi Sancti Ambrosij, ergo à fortiori pretium hoc distrahi potest pro indigentiis conuentus, cùm non sit dedicata ad fructificandum, sicut pecunia in dictis duobus casibus.

Quæres 30. An pecunia restituta in extinctione census necessariò sit implicanda sub aliò censu, an inuestiri possit in libellum, seu per illam emi domus, vel prædium? Nullum horum videtur posse fieri quia deterioratur conditio Ecclesiæ, siquidem inter hos tres contractus frugiferior est implicatio pecuniæ in alium censum, quàm liuellum, aut emptionem prædij, quod minus reddit cæteris, & liuellus minus quàm census; ergo pecunia huiusmodi iterum in alium censum inuestienda est. His tamen non obstantibus

75 Respon. Pecunia census extincti inuestiri potest emptione alicuius rei frugiferæ, probatur, Tum quia Religio per hunc contractum fit immediate domina, & patrona rei emptæ; in emptione autem census fit solum domina cuiusdam iuris exigendi certos fructus singulis annis. Tum quia census facile pereunt, fundo, super quo imponuntur, antea aliis obligato, non sic

ſic prædium emptum, & propter immediatum Dominium, & poſſeſſionem acquiſitam Religioni, & quia habet actu vſumfructum; quod non accidit in cenſu reſpectu cuius dans pecuniam non accepit in ſe proprietatem, neque poſſeſſionem fundi; neque fructus, quos ab extraneo accipit. Tum quia ex communi prouerbio cenſus incenditur, liuellus *linera* ideſt finitur prædium autem ſtat, eum dicatur fundus, quia boonm habet fundamentum. Ex his patet ad rationem oppoſitam, illa enim euidens vtilitas cum ſit magis in ſpe, & vt plurimum, propter incommoda maiora, & fructus apud tertium, per hoc non videtur excedere vtilitatem prædiorum, & domus.

76 Quæres 31. Quiſnam ex Prioribus ſibi ſuccedentibus incurrat pœnas contra alienantes inflictas in ſequenti Decreto Sacræ Congregationis ſequentis tenoris?

Die 5. Decembris 1648. Sacra Congregatio Emin. Card. Concilij Tridentini interpretum, auctoritate ſibi tributa, commiſit Epiſcopo Mutinenſi, quatenùs veris exiſtentibus narratis, pro ſuo arbitrio, & gratis concedat Oratoribus facultatem imponendi ſuper dictis bonis hæreditariis centum ducentorum ſcutorum moneta illarum partium, illoſque in ſatisfaciendo dicto legato Lampadis vnico contextu conuertendo; ita tamen, vt intra biennium dictus cenſus extinguatur, ad quem effectum ſingulo anno rata deponatur penes ædem Sacram; alioquin is, ad quem ſpectabit, pœnas in Decreto de rebus regul. non alien. appoſitas eo ipſo incurrat, quibus tamdiu ſubiaceat, quamdiu cenſus extinctus fuerit, & à Summo Pontifice abſolutionem obtinuerit.

Quærit primò nouus Prior de hoc anno 1659. (ſunt enim tranſacti decem anni, & illi ſucceſſerunt duo Priores, qui cenſum non extinxerunt) an ipſe teneatur illum extinguere. *Secundò* an ſufficiat, vt illum extinguat antequam finiat hoc triennium? *Tertiò*, à quo tempore incipiat illi currere hoc biennium? *Quartò*, an ſingulo anno deponere debeat centum ad euitandas pœnas? *Quintò*, an huiuſmodi pecunias debeat colligere ex fructibus hæreditatis, an ex aliis Conuentus bonis? *Sextò*, quænam ſint iſtæ pœnæ? *Septimò*, an illæ incurſæ ſint à præcedentibus duobus Prioribus, qui cenſum non extinxerunt? *Octauò*, an Prior præſens, cui ſunt ſubiecti eius prædeceſſores debeat eos tolerare in adminiſtratione tam paſſiua, quàm actiua Sacramentorum? *Nonò*, à quonam ſint abſoluendi? Singulis breuiter reſpondetur.

77 Primò, modernus Prior tenetur hunc cenſum extinguere, quia id expreſsè dicitur in prælibato Decreto, ibi: *Alioquin is ad quem ſpectabit.* Non ſpecificat officialem, an ſit Prior, an Procurator, ſed in genere obligatur ille, ad quem ſpectabit, ideſt ad eum qui habet adminiſtrationem Monaſterij; vnde ſi adminiſtratio eſſet apud Procuratorem, Prior ab hoc onere & pœnis eſſet exemptus, cùm autem Prior habeat adminiſtrationem, ad ipſum ſpectat cenſum extinguere, & præterea ratio eſt, quia cum ſuccedat ſui prædeceſſori, tenetur adimplere ea omnia, ad quæ ſe prædeceſſor obligauit, *l. Si ei, cui §. Si quis, ff. de euict. Riccius decis. 210. num. 4.* Non enim debet eſſe melioris conditionis, quàm ſit eius prædeceſſor, qui tenebatur cenſum extinguere, *l. In omnibus officiis, §. Non debet, & l. Aliud vt vendere, §. fin. ff. de reg. iur. allegatis à Paſqual. quæſt. 200. num. 9.* Vnde inquit *gloſſ. fin. cap. 1. de ſtolat.* per alia iura ibi allegata, quod ſucceſſor tenetur ad id, quòd prædeceſſor facere debuit.

78 Secundò, habet biennium ad extinguendum hunc cenſum, probatur, quia ſicut ſupra dictum eſt, quod ſucceſſor non debet eſſe melioris conditionis prædeceſſore, ita neque deterioris, ſed paris, & æqualis, maximè cum ambo reputentur eadem perſona, *Gloſſ. 1. Vineret, cap. Significauit 36. de reſcr.* cum purgatur eodem officio, quo ille, *Gloſſ. 1. Succedat cap. 11. de offic. Ordin.* ſed prædeceſſori aſſignatum fuit biennium, ergo & eius ſucceſſori intelligitur idem tempus præſcriptum.

79 Tertiò, biennium reſpectu primi Prioris, qui pecuniam recepit cœpit currere à die creationis cenſus, & receptæ pecuniæ, quia cum biennio ſit cenſus extinguendus, hoc tempus non poteſt numerari à data Decreti tunc ignota primo Priori, à qua neque potuit incipere creatio cenſus, ſequitur ergo quod biennium incipiat à receptione pecuniæ. Reſpectu verò aliorum à die ſcientiæ talis obligationis, quia ſucceſſor in ius alterius cenſetur iuſtam habere cauſam ignorantiæ *Reg. 14. in 6.* Si habet cognitionem antequam eligatur Superior, biennium incipit currere à die electionis, ſeu poſſeſſionis ſui Prioratus.

80 Quartò, puto Priorem euadere pœnas, ſi ſingulo anno cenſum non deponat, quia ſi antequam tranſeat biennium, cenſum extinxerit, nulli dubium eſt, ſatisfeciſſe adæquatè ſuo oneri, ac proinde nullas incurriſſe pœnas. Illa autem rata depoſitionis expreſſa fuit ad ſolicitandam extinctionem cenſus, vt commodiùs accidere poſſet.

81 Quintò, pecunia ad extinguendum cenſum colligenda eſt ex bonis hæreditariis tantum, quia ſicut occaſione illius hæreditatis contractum fuit hoc debitum ad ſatisfaciendum legato lampadis ſuper bonis hæreditatis, ita rationabile videtur, vt ex eius redditibus extinguatur cenſus, qui ſolùm ſuper bonis hæreditariis, & non Monaſterij impoſitus fuit. Confirmatur, quia in Decreto ſimpliciter dicitur, quod extinguatur cenſus intra biennium; & quod pro commodiori extinctione rata deponatur ſingulo anno, non exprimendo à quibus bonis extrahenda ſit hæc rata, ergo accipienda eſt ex redditibus bonorum hereditatis, de quibus antecedenter mentio facta fuit, & non de aliis bonis Monaſterii, ergo rata non ad hæc, ſed ad illa referenda eſt.

Nota hic, prout audio, quid ſi Conuentus nihil penitus habuit ex redditibus bonorum hereditatis; quia exempli gratia vſque adhuc ſoluit æs alienum; nec Priores præcedentes, nec præſens incurrit has pœnas, quia ratam nullam habet ex illis bonis hereditariis. Quod ſi primus Prior, ad quem peruenit hereditas, conſumpſit mobilia, per quorum pretium poterat cenſum extinguere, reus eſt pœnarum, alij verò non, cum nihil habeant de dicta hereditate.

82 Sextò, pœnæ Decreti ſunt hæc: *Pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque actiua, & paſſiua, ac perpetua inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quam ipſo facto, abſque alia declaratione, incurrant.* Quæ ſatis per ſe notæ ſunt. Nec incurruntur ante ſententiam, non obſtantibus clauſulis: *ipſo facto, abſque alia declaratione*, quæ non referuntur ad crimen, ſed 74
ad pœnam, quæ alia declaratione non indiget, cum lex illam ſatis declarauerit *Sanch. lib. 9. diſp. 30. num. 11. Leſſius lib. 2. cap. 29. num. 63. Theſaurus par. 1. cap. 5. Ampliat. 1.* Et quòd requiratur ſententia reſpectu officiorum, quæ nemo ab eis ſe ſpoliare tenetur, docent communiter omnes *cum D. Thom. 2. 2. quæſt. 62. art. 5. cum aliis Bonac. de legib. quæſt. 1. p. 7. §. 2. num. 16.* Pariter idem dicendum eſt de vtraque voce, *Rodriq. tom. 2. quæſt. 56. artic. 1. Peyrin. de Subd. quæſt. 2. cap. 2. §. 11. verſ. Dico tertio.*

Collige hinc, cùm primi duo Superiores ſint officio ſuo functi, & nunc careant officiis, ſed tantum ius habeant ad vocis exercitium, cum ſuper delictum hoc non fuerit à iudice Geoerali, vel Prouinciali, ad hos enim tantum ſpectat, quidquam iudicatum, ideò potius id cum ſilentio prætereundum eſſe, quàm cum ſtrepitu iudiciali tumultuandum.

Septimum patet ex mox dictis, cum ſupradicti prædeceſſores non ſunt rei dictarum pœnarum, cum ſuper dicto crimine negligentiæ extinguendi cenſum à nullo iudice fueri ſententiatum.

Octauò, cùm præfati duo prædeceſſores oondum inciderint

ciderint in pœnas, non est dubitandum, an sin tolerandi, maximè qui ad Sacramentorum administrationem, cum non sint excommunieati, nam sola Extraogant. *Ambitiosa* punit excommunicatione nulli reseruata alienantes sine licentia; hanc autem non incurrunt transgredientes hoc Decretum, quod non eatinguentes dictum censum supponit pœnis no huius Eattauagantis, sed Decreti S. Congregationis de rebus Regul. non alien. vt expressè ibi dicitur: Pœnas in Decreto de rebus Regul. non alien. in quo nulla fit mentio de excommunicatione.

Nonò respondetur, nulla indigere absolutione, quia cum nondum sint condemnati, non incursi dicuntur, ideò nec absolutione indigent, cùm non adsit materia, cui absolutio applicari possit.

84 Nec quemquam vrgeat verbum: *& à Summo Pontifice absolutionem obtinuerit*, in dicto Decreto expressum. Quia verbum *absolue* hic refertur ad ablationem harum pœnarum priuationis officiorum, & vocum, non ad excommunicationem. Et quòd verbum *absolue* referatur etiam ad alia, quàm ad peccata & censuras, notum est apud omnes per *l. Qui condemnare 3. ff. de re iud. l. Nemo qui 38. ff. de regul. iuris.* Iudices enim seculares condemnant reos, & innocentes probatos absoluunt ab impetitis, absolutio ergo dicit liberationem à quacunque, & non tantum à peccatis, & censuris.

RESOLVTIO XXVIII.

De iniectione manuum violentarum in Religiosos.

SVMMARIVM.

1 *Manus violentæ nomine quid veniat?*
2 *Iniectio manus temeraria exterius consummata esse debet.*
3 Suadente diabolo, *quid veniat?*
4 *Capiens, carcerans, &c. sunt excommunicati*
5 *Banniens item.*
6 *Torquens clericum.*
7 *Verberans ob correctionem non incurrit.*
8 *Insequens sine tactu non incidit.*
9 *Veneno necans incidit.*
10 *Abortiens monialis, vel procurans subiicitur.*
11 *Mandans, consulens, &c. incurrunt.*
12 *Monachi nomine qui veniant.*
13 *Monachorum nomine quando veniant Canonici.*
14 *Mendicantes Religiosi ceperunt tempore D. Francisci.*
15 *Conuersi gaudent priuilegio Canonis.*
16 *Oblati se, & sua offerentes Religioni.*
17 *Nouitij gaudent, &*
18 *Moniales.*
19 *Tertiarij collegialiter viuentes,*
20 *Priuilegiis Regularium gaudent.*
21 *Eremitæ gaudent.*
22 *Censurati gaudent.*
23 *Militares.*
24 *Professus inualide.*
25 *Professus sed nondum baptizatus.*
26 *Priuilegium hoc perdit in certis casibus.*
27 *Habitus derelictio post trinam monitionem facit amittere priuileg.*
28 *Repercutiens non est excommunicatus.*
29 *Si id faciat titulo defensionis.*
30 *Moderamen inculpatæ tutellæ in quo consistat.*
31 *Fuga quomodo sit in præcepto.*
32 *Fuga arripi non debet, omissa defensione tertij.*
33 *Defensio etiam cum aliquo excessu excusat.*
34 *Casus de Magistro nouitiorum.*
35 *Eripiens aliquid de manu incurrit.*
36 *Iniectio manus comprehendit etiam iniuriam.*
37 *Religiosus quomodo non habet velle, neque nolle.*
38 *Iniectiones quædam imperfectæ excusant.*
39 *Percussio triplex: leuis, mediocris, & enormis.*
40 *Quid sit?*
41 *Grauis qui sit?*
42 *Enormis.*
43 *Mediocris.*
44 *Leuis quomodo fiat grauis.*
45 *In dubio est superioris iudicium.*
46 *Absoluunt superiores de iure communi, si non sit grauis.*
47 *Claustrales diuersorum absoluuntur ab vtrisque.*
48 *Clericum secularem percutiens absoluitur à solo Papa.*
49 *Monialis absoluitur ab Episcopo.*
50 *Iure priuilegij absoluentur etiam ab enormi.*
51 *Decretum Clem. VIII. est in ordine ad pœnitentes seculares.*
52 *Moniales à suis prælatis regularibus.*
53 *Superiores absoluentes sunt etiam locales.*
54 *Prior in meo Ordine absoluit.*
55 *Absoluuntur etiam nouitij, & alij commensales.*
59 *Nouitij absoluti non reincidunt.*
57 *Absoluunt se inuicem excommunicati.*
58 *Seruanda quædam in absolutione.*
59 *Secularis percutiens Religiosum non potest absolui à regulari.*
60 *Percutiens clericum declaratur excommunicatus ab Episcopo.*

INnocentius II creatus de anno 1130. excommunicationem tulit in percussores Ecclesiasticorum *in cap. Si quis 22. 17. q. 4.* illis verbis. *Si quis suadente diabolo, huius sacrilegij vitium, vel crimen incurrerit, quod in clericum, vel monachos violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.* Pro intelligentia eius, quod vocatur priuilegium canonis.

Quæres I. Quid significent manus violentæ inducentes eam excommunicationem? 1

Respond. Manus violenta à potiori, & vsitatiori instrumento lædendi proximum, significat quamlibet actionem iniuriosam opere factam contra personam Ecclesiasticam, regulariter tangendo illam, vel sibi adhærentia, immediate, vel mediate aliquo instrumento, vel medio apto ad illam personaliter lædendam. Dixi. I. *actionem iniuriosam*, & non læsionem corporalem, propter *cap. Nuper 29. de sent. excom.* vbi eam pœnam incurrit carcere, vel domo includens sine manuum iniectione, ecce actio iniuriosa violenta sine corporali læsione, *Sair. lib. 3. cap. 16. num. 13. Megal. lib. 4. de cens. cap. 1 num. 5. ad finem*; neque dixi violentia, vt patet in eo, qui percutit clericum consentientem, *cap. Contingit 36. eod.* in his enim non spectatur præcise modus inferendi iniuriam, sed potius effectus ipsius iniuriæ, quæ fit statui Ecclesiastico, vt dicunt omnes super hunc textum, & *cap. Nuper.* Dixi II. *Opere factam.* quia non sufficit iniuriam verbo impingere, sed requiritur factum aliquod, & corporalis læsio, seu violentia saltem redundans in personam Religiosam, *Megal. lib. 4. cap. 1. num. 2. & alij.* Dixi III. *Regulariter tangendo illam*, quia non sufficit minari, aut proiicere lapidem, ensem, &c. *Megal. cit. num. 2. Bonac. q. 4. p. 1. num. 11. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 49. num. 16.* immo neque simpliciter tangere sine læsione aliqua, *Ang. Excom. 5. num. 29. Tabien. num. 41. ex Ioan. de Lignano, Ioan. Andr. in cap. Perpetua, elect. in 6.* verba enim sunt cum effectu intelligenda, & iniiciens manus debet peruenire ad consummationē actus maximè in odiosis, & pœnalibus, requiritur ergo contactus physicus regulariter, excepto casu carceris, vt supra dixi. Dixi IV. *Sibi adhærentia*, quia ad hanc

hanc pœnam sufficit tangere personæ adhærentia, cuiusmodi sunt non solum vestes, galerus, mantellum, & similia iodumenta, quibus est actu vestitus, verum etiam scabellum, vel alia res cui inhæret, vt equus & eius ornamenta, vt si remoueat scabellum vel aliud, & lædatur cadendo, vel si equum retineat per frænum, vel illud, aut cingulum frangat, aut feriat equum, vel laceret habitum, vel rapiat aliquod ex eius manibus, vel faciat cadere è Sede, vel iniciat puluerem, vel aquam, & quid simile cum læsione, in his & similibus iniuriosis actionibus incurritur excommunicatio. Dixi V. *Immediatè*, vt si fiat non solum manu, sed etiam dentibus, pede, brachiis, genu, aut per aliam quamuis partem corporis. Dixi VI. *mediatè*, vt si fiat iniciendo puluerem, aquam, lapidem, saliuam, vel quouis alio instrumento disiuncto, vt etiam veneno. Vide de his actibus *Sair. lib. 3. cap. 26. num. 14. Nau. cap. 27. num. 77. §. 5. Angel. ver. excomm. 5. num. 28. Tabien. num. 39. Armill. excomm. 1. num. 2. Megal. lib. 4. de cens. cap. 1. num. 5. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 49. num. 4. Confect. tit. 14. cap. 4. Silu. excomm. 6. num. 5. §. 6. Bonac. quæst. 4. part. 1. num. 12. Nald ver. Clericus à num. 20 ad 23.* Vide infrà *quæst.* 4. de aliis actionibus, quæ sunt capere, incarcerare, bannire, torquere, verberare, insequi, veneno necare, *& q.* 5. de mandante, consulente non obstante, & ratum habente.

Quæres 2. Quot conditiones requirantur, vt ea iniectione manuum violentarum quis incidat in hanc canonis censuram: *Silu. assignat tres ver. excom. 6. num.* 2. *Graff. vero part. 1. lib. 2 cap. 49. num. 4. de mente Abbatis refert in cap. 1. de sent. excom.* quatuor; ego ad duas reduco.

a Respond. Requiruntur duæ. Prima, quod iniectio hæc fiat ex temeritate, seu dolo. Secunda, quod exterius sit consummata in sua specie læsionis. Primum deducitur ex clausula, *Suadente diabolo*, significat actionem illam factam ex odio, mala voluntate, & peccaminosè, & ex cap. 1. de sent. excom. & obseruat *glos. fin. cap. Cum voluntate* 54. *eod.* Doctores de hac prima conditione mox referam in *q* 3. Secundum ducitur ex clausula, *manus violentas iniecerit*, quæ significat actionem cum effectu consummato, maximè vbi agitur de pœna hac, quæ est grauissima, qua nulla maior in Ecclesia, *cap. Corripiantur* 24. *q.* 3. cum sit damnatio æternæ mortis, *cap. Nemo* 11. *q.* 3. & cum infligatur ab Ecclesia, quæ non iudicat de occultis *c. Sicut tuis* 35. *in fine, & 34. Med. de simon. qua* neque proinde punit, *cap. Cogitationis* 14. *cap. cogitatio* 20. *dist.* 1. *de pen* sed secundum iudicium actionis externæ, quæ si iudicatur exterius peccaminosa mortaliter sine dubio inducit excommunicationem, aliter si solum venialis iudicetur percussio, non inducit, quamuis percutiens habuerit animum grauiter lædendi, imò, & occidendi, *Caiet. ver. excom. cap. 10. Nau. cap. 27. num. 85. in fine, Ang. excom num. 2. Megal. num. 3. Bonac. p. 1. num. 11. §. Verum.*

Quæres 3. Quid significet illa clausula, *Suadente diabolo?*

3 Respond. sine dubio sonat in malam partem, nempè iniectionem factam ex odio, mala voluntate, indignatione, inuidia *cap. 1. de sent. excom. Nau. cap. 27. num. 76. §. Secunda, Silu. excom. 6. num. 2. Megal. lib. 4. cap. 1. num. 14. Tabien. excom. 5. num. 3. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 49. num. 5. Armil. num. 6. Tolet. lib. 1. cap. 32. num. 6. Angel. ver. excom 5. num. 1. & 27.* dicunt significare dolum, & peccatum mortale, sine quo hæc excommunicatio non incurritur, *Panorm. & Decius in c. Cum non ab homine, de iud. & ex eis Nau. consil. 29. de sent. excom. num. 2. Sair. lib. 3. cap. 27. num. 20. de communi.*

Quæres 4. An capere, incarcerare, bannire, torquere, verberare insequi, venenum propinare, abortici veniant sub nomine manuum violentarum?

4 Respond. Prælatus faciens capere, seu incarcerare & ipsemet capiens, seu incarcerans, etiam laicus de mandato eius Religiosum subditum incorrigibilem, *cap. Vt fama 35. de sent. excom. vel corrigibilem cap. Si clericos 15. eod. in 6.* non sunt excommunicati, vt deciditur in dictis capitibus, ea ratione, quia huiusmodi actiones non fiunt dolosè, & suadente diabolo, sed ad corrigendum, & puniendum clericos, & de hoc nullus dubitat. Procedit etiamsi admisceatur aliquid odij, aut alterius mali finis, quia intentum principale est ipsamet punitio, odium verò se habet vt circumstantia, & modus incidens in ea actione, quæ non sunt in consideratione legis. Quod si nulla subsistente causa mandetur capi, tam mandans, quàm capiens, aut carcerans sine dubio incidunt, quia huiusmodi actio non potest contingere sine praua intentione, & suadente diabolo, Geneuens. *cap. 27. num. 3.*

Quicumque laicus capiens, seu faciens capere Religiosum, sine facultate Ecclesiastica, siue bono, siue malo fine, peccat mortaliter, de malo fine constat, probatur de bono fine, quia licet talis sit in se, ratione tamen circumstantiæ euadit malus, & non leuis iniuria fit statui Ecclesiastico; non tamen incurrit hanc excommunicationem, quæ supponit actionem non quouis modo malam, sed ex dolo, & mala intentione prouenientem, vt non accidit in capiente bono fine. Tres autem solent assignari huius actionis boni fines; primus, quando Religiosus capitur in fragranti crimine, vt deducatur ad suum Prælatum statim nulla interposita mora, vt de communi testatur, Felin. *in cap. Si vero de sent. excomm.* Secundus, quando capitur ad obuiandum delicto committendo, *Ioan. Andr. Abbas, Felin. Decius, & alij communiter in cap. Cum non ab homine de iudic. apud Farin. de Inquisitione q. 8. num. 1. quos refert Geneuens. in sua praxi Neapol. cap. 27. num. 8.* ex quo infert familiam iudicis secularis posse capere clericum de nocte incedentem cum armis, quia præsumitur velle delinquere. Tertius, quando post delictum commissum dubitatur de fuga, possunt satellites illum capere ne fugiat, ita Doctores citati, quos refert idem Geneuens. In his ergo & similibus casibus præfati Doctores asserunt Satellites iudicis secularis posse licitè capere Ecclesiasticum, ac proinde non incurrere hanc excommunicationem, quia non capiunt dolosè, & suadente diabolo, sed ex bono zelo deducendi illum ad suum Prælatum, præter citatos docent *Angel. ver. Excom. 5. num. 12. Sair. lib. 3. cap. 27. num. 28. & ex alij Megal. lib. 3. de cens. cap. 11. num. 7.*

Quamuis hoc certum sit ex eo capite, tamen non effugiunt satellites, & aliæ personæ publicæ mandantes capi, aut capientes, vel carcerantes Ecclesiasticos etiam illi bono fine excommunicationem decimamnonam, quod probatur. Tum quia huiusmodi actio ibi simpliciter prohibetur, vt satis apertè deducitur ex illa particula, *Quomodolibet*, quæ denotat, & distribuit quemlibet modum, vt dicit *Archid. citatus à glos. ver. eod. cap. Indemnitatibus 43. §. Si qua, de elect. in 6.* ergo siue bono fine, siue malo capiatur. Tum quia in hac actione supponitur aliqua approbatio, & tacitus consensus Prælati personæ captæ; sed is non sufficit, quia Papa in ea Bulla Cœnæ requirit specificam, & expressam licentiam suam, in ea tota criminali causa, ergo etiam respectu huius particularis actionis capiendi requiritur ex parte Prælati inferioris. Tum quia curia Ecclesiastica habet suos satellites, ergo ab illis capiendi sunt, Tum quia curia Ecclesiastica non potest capere seculares in delictis, quæ non pertinent ad forum Ecclesiæ, siue bono, siue malo fine, ergo neque satellites fori laici possunt capere clericum. Tum quia nullus textus in iure reperitur expressus hanc facultatem illis concedens, ergo forus laicalis non potest eam sibi vsurpare in graue præiudicium fori Ecclesiæ, non enim forus subiicitur aut corrigitur à potestate laica, sed necesse est, vt hæc illi subdatur,

est enim contra rationem quod filius velit dominari in patrem, & discipulus docere magistrum. Tum denique quia non vrget, quod aliqui dicunt in Bulla Cœnæ Domini eacommunicari solum eos Magistratus iudices, executores, &c. qui se interponuut in causis criminalibus tractando exprofesso huiusmodi causas contra clericos, quia reuera ibi sermo est de quauis actione tendente in causa criminali, cuiusmndi est etiam sola captura, licet capiens, vlterius procedere non intendat, & concessa captura iuridica, facilè sequautur pleriqne alij actus indiciales, & sic paulatim laica potestas sibi vsurparet hoc ius in graue dedecus status Ecclesiastici, cui Papa obuiare intendit per hanc censuram. ita in terminis tenet *Megal. lib. 3. de censur. cap. 11. num. 7. Marta de iurisd. part. 4. cent. 5. casu 42. num. 17. Sousa in Bulla cap. 16. disp. 82. num. 8.* quos contra se citat *Diana tract. 2 de immun. resol.* 10. vbi quamplures citans Doctores tenet oppositum cum quibus *Sair. cap. 27. à nu. 27. & resol.* 11. ait posse licitè capi clericum nocte ambulantem cum armis prohibitis, sed nulla interposita mora esse deducendum recto tramite ad Iudicem Ecclesiasticum. Sed dic vt suprà, nam huiusmodi iurisdictio est sicut hedera, quæ multum serpit, & ramusculos extendendo constringit, & demolitur comprimendo ius Ecclesiasticum, quod turpe est dicere, ne dum facere.

5 Banniens siue formaliter ex fabricato processu seu de repente & quasi priuata actione incurrit dictam excommunicationem Bullæ Cœnæ, ob rationes adductas. Non tamen incidit in eam ob iniectionem manuum violentarum, quia hic nulla adest exterior violentia manuum, sed solum cogitur exulare ex vi præcepti, licèt iniqui, *Caiet. excom. 10. §. 2. & ex eo Sair. lib. 3. c. 26. n. 16.*

6 Torqueri possunt ecclesiastici omnes etiam religiosi de mandato sui Prælati, seu, iudicis, per manus laicorum in hoc expertorum, quia consuetudo ita se habet, & ratio id suadet, ne delicta remaneant impunita contra bonum reipublicæ vnde in disuetudinem rationabiliter abiit *cap. Presbyt. 4. 5. q. 6.* vbi id prohibetur, *& ita docet Franc. Aretinus in sua praxi crimin. canon. in 3. substant. ca. 6. & alij communiter. Peyrin. com. 3. c. 3. n. 38. & 39. Megal. cit. nu.* 17. SI tamen iudex contra iura faceret torquere ex mala intentione, sine dubio incurreret hanc eacommunicationem, faceret enim hoc suadente diabolo.

7 Verberari modestè possunt religiosi correctionis gratia, non solum per manus superioris, sed etiam alterius religiosi, aut etiam laici, sed famuli monasterij, de mandato Superioris, quia ita consuetudo se habet, vt docent *Confess. tit. 14. cap. 8. §. Item, Rodriq. tom. 2. q. 19. art. 8. alios citat Homob. part. 4. Resp. 32. ita tenet etiam Nau. consil. 28. de sent. excom. Megal. lib. 4. de cens. cap. 1. num.* 17. absolutè dicit Superiorem verberantem per laicum etiam necessitate datà non eacusari ab hac eacommunicatione, quia id eapresè prohibetur *in cap. Vniuersitatis 24. de sent. excomm.* ita quod Superior nō potest verberare clericum suum causà correctionis, nisi per se, aut per religiosum, si necessitas vrget, non autem per laicum, aliter ambo incidunt, sed quæso stemus consuetudini. Nihil dico de priuilegiis Alex. VI. & Leon. X. in Compend. §. 15. & 17. quia cum sint oracula, iam eatincta sunt per Gregor. XV. & Vrbanum VIII.

8 Insequens aliquem religiosum, si illum non tangit, non incurrit, nisi ex fuga sequatur aliqua corporalis læsio, vt si ea fuga se præcipitem det, aut claudus fiat, aut ex alio casu corporaliter lædatur, quia huiusmodi corporalis læsio proximè prouenit ea illa fuga ab insequente per se, ita tenet *Ang. ver. Excommunicatio. 5. num. 30. Anton. cum aliis,* quos pro se citat *Sair. lib. 3. cap. 26. num. 15. contra Nau. cap. 27. numero 77. §. Quinta in fine, & ex eo Megal. lib. 4. cap. 1. numero 5. in fine, Silu. excommu. 6. numero 5. §. septimo, & reddit* rationem, quia illa læsio ea casu non fuit intenta in se ab insecutore, nec in sua causa, quæ est fuga, quia per accidens se habet ad illam; sed hæc ratio sustineri non potest, quia non est maior ratio, cur præcipitatio dicatur intendi in causa fugæ, & non læsio illa ea casu fugæ, nam insequens neutrum per se intendit, quamuis vtriusque sit causa ipsa fuga sic qualificata ex mala insequutione, est ergo insequens causa vtriusque læsionis, ac proinde in vtroque casu est eacommunicatus. Quod si insequens sit superior causa disciplinæ, si lædatur cadendo religiosus, non incurrit, cum non sit insecutio praua, Henricus Valle hic.

Veneno necans ecclesiasticum morte secuta, aut alia corporali læsione, vt Infirmitas, debilitatio sine dubio incurrit, quia suadente diabolo manus iniecit mediatè in religiosum, *Beia part. 5. casu 46. Megal. libro quinto de pœnis. capit. 54. numero 11 Bonac. nu. 13. Nald. ver. Clericus n. 20.* 9

Abortiens Monialis, vel ei potionem procurans, aut dans non incidit secundum *Caieta. ver. Excommun. ca. 10. not. 3. Iosephum Angles, quos sequitur Sair. libro tertio capit. 26. num.* 17. Tum quia fit violentia naturæ, non personæ; Tum quia læditur fœtus, non ipsa Monialis. Ego autem puto incidere extraneum dantem potionem, & secuto effectu, quia fœtus est par ventris, & viscerum matris, vt in simili de fœtu mortuo cum matre sepeliendo dixit *Lauor. tit. 3. de funer. 12. num.* 42. quod confirmatur, quia si tangens non solum vestimenta, quo clericus actu induitur, sed etiam equum, vel inhærentia equo, cui insidet, incidit, multo magis abortiens monialem, cum non adhærentia moniali, sed partem naturalem ipsius lædat, & sic non naturæ sed personæ religiosæ fit violentia, & corporalis læsio. 10

Quæres. 5. An mandans, consulens, non obstans, aut ratum habens percusionem clerici incidat in hunc canonem?

Resp. Est quidem eacommunicatus, sed non ex vi canonis, Si quis, vbi solum eacommunicatur iniiciens manus, non autem consulens, aut mandans, nisi eatensiuè per interpretationem aliorum iurium, quæ caput illud extenderet ad prædictas causas, nam cap. *Mulieres 6. cap. Vniuersitatis 24. cap. Vt fama 35. de sent. excom. c. Si clericus 15. eod. in 6.* colligitur canonem illum extendi ad mandantem, & consulentes; *ex cap. vero Quanta 47. eod.* extendi ad consentientem, & non obuiantem cum possit, si ex officio id ei incumbat, *ex cap. Cum quis 23 in 6.* dicitur ratam habentem percussionem sine eius mandato factam, sed tantum eius nomine esse eacommunicatum. *Vide Megal. lib. 4. cap. 1. num. 7. Bonac. qu. 4. de excomm. p. 3. per totum.* 11

Quæres 6. Quinam veniant sub nomine *Monachi* in textu capitulo?

Resp. Veniunt omnes religiosi non solum professi siue sint deputati ad Chorum, vt constituti in aliquo Ordine, vel prima tonsura, immo cum sola corona monachali, seu religiosa, siue conuersi, ac laici ad chorum non deputati, sed ad seruitia corporalia, & alia vilia eaercitia; verum etiam nondum professi, vt sunt nouitij, vel non profitentes vt sic, gestantes habitum religiosum, vel Ecclesiasticum, cuiusmodi sunt quidam oblati, item Tertiarij alij inseruientes cum habitu imperfecto, hoc est, tunica sine caputio. Item Moniales tam professæ, quàm nouitiæ, & aliæ seruitrices habitum religiosum deferentes. Hæc omnia constringunt *Sair. lib. 3. cap. 26. n. 5. Bonac. q. 4 de excom. p. 1. n. 6. Confess. tit. 14. c. 6 Megal. lib. 4. de cens. cap. 1. q 5. à n. 37. Nau. cap. 27. n. 79. §. 8. Silu. ver. Excom. 6. num. 3. Ang. excomm. n. 27.* 12

Licèt Monachorum nomine propriè non veniant Canonici regulares ea *cap. Quod Dei timorem, 5. de statu mon.* neque reliqui religiosi nuncupati Fratres, aut alio nomine, vt colligitur *ex cap. Cùm singula,* ibi. *Monachi, vel Religiosi,* & notat ibidem *Gemin. n. 3.* tamen in materia 13

materia huius canonis veniunt omnes, supra nominati Religiosi non solum presè, sed etiam latè accepto Religiosi vocabulo, vt colligitur ex citatis iuribus in præcedenti quæsito, & citandis infra §. *Conuerti*. & docet *gloss. pen. in cap. Non dubium 5. de sent. excom.* Dicerer Gabriel Penottus venire sub nomine Clerici ex iis, quæ habet *lib. 1. cap. 38. Hist. sua Relig. Canon. regular.* de contradistinctione harū vocum Clericus, & Monachus.

Nec mirum est, quod Innoc. II. visus fuerit eo vocabulo, quia illis temporibus alij Religiosi Ecclesiastici non erant nisi Canonici Regulares & Monachi, nulli enim tunc extabant.

14 Fratres Mendicantes, qui originem cœperunt temporibus Beatorum Dominici, & Francisci, non ante.

15 Conuersi gaudent eo priuilegio, vt non possint percuti absque incursu excommunicationis latæ in percussores, *vt habetur ex cap. Non dubium 5. cap. Parochianos 9. cap. Ex tenore 10. de sent. excom. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 49. num. 22. & par. 2 cap. 5. num. 23. Homeb. part. 4. Respond. 35. cum aliis supra citatis.*

16 Oblati se & sua Religioni offerentes gaudent *Graff. cit. num. 25. & 31. in illis capitibus Sayr. lib 3. cap. 26 num. 5. & alij supra citati.*

17 Nouitij pariter, vt expresse hoc dicitur *ca. Religioso 21. §. quamuis, de sent. excom. in 6. Megal cit. n. 40.*

18 Moniales eodem gaudent priuilegio tam deputatæ ad Chorum, quàm aliæ inseruientes, & nouitiæ *ex cap. De monialibus 33. de sent. excom. Bonac q. 4. de excommun. p. 1. num. 6.*

19 Tertiarij habitum imperfectum gestantes cum claustralibus viuentes, vel alibi sub eorum obedientia, cuiusmodi sunt inseruientes Monialibus ciuitatem mdiolani, vti Mediolani Munasteriis S. Praxedis Capuccinarum, Sancti Antonij de Padua, & c. gaudent etiam isti priuilegio Canonis, vt expressius dixit *Bonac. q 4. de excomm. p. 1. num. 9.* & de aliis cum claustralibus ibidem *num. 8.* vbi Doctores citat, quibus adde *Megal. cit. n. 40. §. Eodem.* Dixi, *Cum claustralibus viuentes, vel alibi sub eorum obedientia* quia de illis qui viuunt in propriis domibus est magna difficultas, sint ne personæ ecclesiasticæ, ac proinde gaudeant priuilegiis fori, & canonis, nam hoc affirmat, & multis probat *Rodr. tom. 2. qu 65. artic. 9. de qua re vide etiam eius Compend. resolut. 136. & Portel vers. Tertiarij & Busson ser. 17. sui Rotary*, quem transtulit Pater de Sillis in nostra Regula. Eadem difficultas fit de fœminis Tertiariis, sed iam Sacra Congregatio hoc totum decidit sub die 20. Decembr. 1616. his verbis *Verum quo ad sepulturam,*

20 *atque alia priuilegia Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes ita demum Ordinis, cuius Tertia Regula habentes assumpserunt priuilegiis potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter viuant, seu cum claustralibus habitent, & mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint: quemadmodum cauetur constitutione Concilij Lateranensis sub Leone X. que habetur sess. 11. in fine Ita decisum referunt Lanorius tit. 2. de funer. ca. 11. num. 103. Portel cit. n. 7. Compend. cit. n. 7. Nald. ver. Clausura n. 7. aliis citatis docet Diana resf. 86. de Im. n. 3. §. Sed quid.*

21 Eremitæ, qui viuunt sub obedientia superioris, gaudent eodem priuilegio, *vt docet gloss. vers. vero cap. Qui verè 16. q. 1. Nau. ca. 27. n. 79. §. Octaua, Megal. cit. n 40. ad finem. Bonac. qu. 4. de excomm. p. 1. n. 10.*

Quæres 7. An huiusmodi illo gaudentes priuilegio si sint excommunicati, vel alio genere censuræ ligati, depositi à suis ordinibus, aut degradati, & apostatæ, vel sine habitu incedentes, excludantur ab eodem priuilegio?

22 Resp. Nullus ex prædictis amittit priuilegium, quia huiusmodi priuatio, aut amissio non reperitur in iure, & non desinunt esse personæ ecclesiasticæ, & religiosi, exceptis degradatis, qui vtrumque priuilegium amittunt in fine *cap. Degradatio, de pœnis in 6. Summista ver. Degrada is non autem depositus, Megal. lib. 4 de cens. cap. 1 num. 35. & 36. Sayr. lib. 3. cap. 27. num. 30. Bonac. q. 4. de excom. p. n. 5.* Excommunicati ergo gaudent, vt *colligitur ex cap. Monachi, de viris, & cap. De monialibus, de sent. excom.* pro sanctimonialibus, in quibus locis fit mentio de mutua percussione inter regulares, *Bonac. cit. n. 4. Sayr. cap. 26. num. 8. alis citatis*, vbi de aliis censuratis; de apostatis *Graff. p. 2. lib. 5. c. 5. n. 19.* & consequenter de non gestantibus habitum, quia isti propter hos defectus non amittunt statum religiosum, iuxta dicenda *q. 12.* neque etiam si eiiciatur à religione vti incorrigibilis, quia adhuc remanet religiosus, vt docent omnes, atque debet incedere in habitu clericali sub obedientia Episcopi, & faciunt dicta *Conc. 35. de habitu regul. q. 7.*

Quæres 8. An Militares gaudeant hoc priuilegio canonis;

23 Resp. Militares professi non solum Ierosolimitani, sed reliqui aliarum militiarum gaudent eo priuilegio, quia, si non verè religiosi, & propriè, tamen tales censendi sunt quo ad hoc priuilegium, quamquam sunt verè religiosi, vt probant multi apud *Sanch. lib. 4. cap. 16. num. 11. Diana tract. 21. de immun. resol. 72.* vbi dicit gaudere vtroque priuilegio fori, & canonis, vt idem asserunt etiam *Corduba q. 148. Bonac. q. 4. p. 1 n. 6. & 7. Megal. n. 40.* vbi extendit ad eorum nouitios actu inseruientes, *& ego ca. de profess. regul. q. 10.*

Quæres 9. An inualidè professus nullum habens ordinem, neque tonsuram sed solum habitum gaudeat hoc priuilegio?

24 Resp. Gaudet, quia licèt professio faciat religiosum, & non habitus, tamen in ordine ad gaudendum hoc priuilegio sufficit solius habitus religiosi assumptio, vt constat in nouitio, qui ex sola habitus assumptione dicitur participare hoc priuilegium, ergo idem dicendum est de inualidè professo, nam in hoc æquiparatur nouitio, & id puto procedere, etiamsi ex propria culpa, & non tantum religionis sit nulliter professus, imò & si contra ista receptus sit, quia sic receptus non attenditur vt persona talis, sed vt aliquale membrum religionis, cui immediate hoc priuilegium conceditur, dum enim habitum gestat, intelligitur subesse Religioni, tam quo ad priuilegium fori, quàm canonis, aliter Religionis decus & exemptio periclitaretur, si quod ad vtrumque esset de foro laicorum, dimisso autem habitu rediens ad sæculum fit de illius foro, & non amplius gaudet eo priuilegio, cum non sit deinceps sub eo statu Religionis. Illuminatus Moronus *Resp. 80. n. 29.* dicit, hunc non esse excommunicatum, quia verè non percussit Monachum, sed Laicum. Errat in hoc, quia ille licèt nulliter professus gaudet priuilegiis ac si esset adhuc nouitius, quousque spolietur habitu.

Quæres 10. An nondum baptizatus professus, aut etiam Nouitius Religionis, seu alio titulo ferens Regularem habitum gaudeat hoc priuilegio?

25 Resp. Gaudet. Tum quia tota difficultas, quæ pendet ex nullitate professionis, iam sublata fuit in præcedenti quæsito. Tum quia licèt clarius nondum baptizatus excludatur ad hoc priuilegio, quia caret charactere ordinis in quo fundatur hoc priuilegium, non tamen eximitur Religiosus apparens, quia hoc priuilegium in ipso non fundatur in professione, aliàs non professi, vt Nouitius, & Tertiarij non haberent illud, sed in assumptione status per receptionem habitus.

Quæres 11. An in illis omnibus casibus in quibus Clericus non gaudet priuilegio canonis, aut alter eum percutiens excusatur ab hac excommunicatione, immunis etiam sit iniiciens manus violenter in Monachum, & Religiosum.

26 Primus autem casus habetur *cap. Si vero 3. de sent. excom.* vbi excusatur ille, qui incontinenti vim vi repellendo sibi illatam à Clerico percutit, de quo casu *vide Sayr. lib. 3. cap. 27. n. 17. Megal. lib. 4. cap. 1 num. 19.* &

& tangam aliquid infrà *quæst.13. Secundus in eodem capite*, ibi. *Nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire, qui in Clericum cum vxore, Matre, Sorore, vel Filia propria turpiter inuentum, manus iniecerit violentas. Sair. numero 23. Megal. numero 23. Tertius in cap. In audientia 25. & cap. contingit 45. eod.* vbi clericus vt laicus incidens, & tertio monitus non resipiscens, perdit priuilegium clericale, de quo *Megal.n. 31. Sair.num. 8. Quartus in cap. Cum non ab homine 14. cap. Perpendimus 23. eodem* vbi non sunt excommunicati percutientes Clericum, aut Presbiterum, qui deposuit habitum, & tyrannidi, atque enormitati se immiscuit, de quo *Megal. num. 30. Siuelst. Excommun.6. mun.6.§. Quarto Sair. num. 8. Quintus in cap. Vn.de vita, & hon. in 6.* priuantur omni priuilegio clericali se ioculatores, goliardos, aut bufones facientes, si per annum eam artem exercuerint, & etiam breuiori tempore, si tertio moniti, non resipuerint, de quo *Megal. num. 32. Sextus in Clem. 1. de vita, & honest.* vbi Clerici coniugati personaliter publicè exercentes officia macellarij, aut tabernarij, si nominatim tertiò moniti non desistant, licet deferant habitum clericalem, & tonsuram, statim amittunt clericale priuilegium, non coniugati vero illud nempe canonis non amittunt, nisi deposuerint habitum, *Megal. numero 34. Sair. numero nono, Septimus in capite secundo, de pœnitent. in 6. vbi* degradati perdunt vtrumque priuilegium, *Megal. num. 35. Sair. num. 30.*

Respond. In his, & similibus casibus etiam Monachum perdere priuilegium canonis, ita quod percutiens illum non incurrit hanc excommunicationem, ratio est, quia qui eodem priuilegio gaudent, non sunt diuerso iure censendi, cum non sit maior ratio in vno, quàm in alio, maxime cum supradicti casus vtrisque applicari possint, immo debeant æqualiter, & Megal.cit. casus illos proponit communes Clericis, & Monachis, vt videre est *nu.19.*

Quæres 12. An solius habitus derelictione perdatur hoc priuilegium; an præterea requiratur, vt Religiosus exerceat aliquod officium, vel artem infamem aut se immisceat in delictis enormibus?

27 Respond. Solius habitus depositio, seu potius derelictio, supposita tamen trina monitione facienda à suo Prælato, inducit amissionem huius canonis priuilegij, *vt habetur cap. Contingit 45. de sent. excom.* & docent de Clerico omnes citati à *Sair.lib.3. cap.27.n.7.* Quamquam ego puto illum Religosum, qui habitu abiecto, secessit in longinquas partes, ibique se exerceat vt laicus, siue bene, siue malè, amittere hoc priuilegium, quia æquiualenter censetur non ter, sed pluries admonitus de obligatione ferendi habitum, & redeundi ad Religionem, & huiusmodi Apostatæ solent excommunicari, seu potius sub censuris citari, vt reuertantur ad Religionem, & sic intelligenda sunt, quæ dixi supra *quæst.7.*

Quæ 13. An repercutiens Religiosum aggressorem sit excommunicatus. Casus est talis. Frater Petrus recumbens in Refectorio inter prandendum, videns Fratrem Franciscum pugno, & vini amphora alium Religiosum percussisse, à suo loco festinanter recedendo, simul cum aliis cucurrit ad sedandum rumorem, & dum conatur Franciscum retinere, ne vlterius alium Religiosum offendat, ab eo recepit non leuem alapam, & incontinenti sic inuasus vnico pugno repercussit inuasorem, quem postea ambabus manibus amplexum subito retinuit, ne dictum Religiosum, & seipsum deinceps læderet, ex cuius manibus se retrahendo, alteram vini amphoram arreptam violenter proiecit contra vtrumque. Punctus difficultatis in eo consistit, an Petrus ex illa repercussione, & amplexu inciderit in excommunicationem huius Canonis.

28 Respond. Non incidit. Probatur, quia repercussio incontinenti facta titulo defensionis, seruato moderamine inculpatæ tutelæ excusat ab excommunicatione ob percussionem Clerici, ita textus *in cap. Si verò 3. de sentent.excom.ibidem gloss.ver. Inferentem, cap. Ex tenore 10. eod.gloss cap. Significasti 18. de homicid. ver. Tutelæ*, licèt excedatur modus casualiter, non ex proposito; sic docent omnes *cum Sairo lib.3.cap.27.num.17. Armil.excomm. num.5. Sa num.2. Caiet. ver.excommun. cap.10.Notab.16. in casu 2. Angel. excomm. 5. num.13. Tolet. lib.1. cap.34. §.3. Megal. lib. 4. de censur. cap.1. num.19. Graff. part.1. lib.2. cap. 65. num. 14. & lib.3. part.2. cap.5 num.39. Bonac. punct.4. de excommunicat. part.4.num.1. Bizozer. in tractatu de excommunicat. Si quis suadente diabolo, §.Sextus casus, Nauarr.cap.27. num. 82. §. 17. Tabien. versic. excommunic. 5. num.10.* Ratio est, quia censura excommunicationis est pœna infinitè aggrauans, cum sit damnatio æternæ mortis, *cap. Nemo 11. quæst.3.* proinde debet ei correspondere culpa infinita, quæ est peccatum mortale; percussio autem titulo defensionis licita est, & contingit sine peccato saltem mortali, vt docent omnes *cum Silu.ver. Bellum. 2. numero sexto.* Defensor enim propriæ vitæ in nullo peccasse videtur, *Graff. prax. lib. 3. capitulo 7. numero quarto per text. in l.3. C. ad legem Corn.de Sicar.* si quidem neque repercutere dicitur, qui se defendendo alium percutit *l. Si quis percussorem, Cod. de Sicar.* quare cum ex repercussione facta animo se defendendi nullum sequatur peccatum mortale, neque inde deduci potest censura excommunicationis, quæ semper præsupponit peccatum mortale, *capitulo Nemo, capitulo, Nullus 11. quæst. 3.* Sed talis fuit repercussio fratris Petri in personam fratris Francisci, vt potest colligi ex verbis casus, & probatur mox, ergo frater Petrus immunis fuit ab excommunicatione. Duo autem, quæ continentur in minori propositione, vnum, quod repercussio fuerit causa defensionis, alterum, quod in ea seruatum sit moderamen inculpatæ tutelæ probanda sunt.

Primum, quod repercussio fuerit causa defensionis, 29
probatur. Tum quia repercussio in dubio præsumitur facta causa defensionis, hoc ipso, quod fit contra aggressorem, *ita Bart. & Bald. apud Graff. in Addit. ad partem primam lib.2. ad cap.65. num.13. apud M. Anton. Blanchum in sua praxi crimin. §. 3. pars defens. numero 8. per l.1. §. Cum arietes, ff. si quadr. paup. & alia iura*, & Doctores citatos ab eodem *Graff. numero 5. Genuens. cap. 23. numero 10. per Felin. in cap. Significasti, de homicid. Marsil. consil. 137. numero 8. Clarum §. fin. quæst. 60. numero 14.* & in specie *Cardin. consil 42.* vnde ibidem Genuens. dicit, quod si duo clerici se inuicem percutiunt, sed vnus prius incœpit, & prouocauit, non sunt ambo declarandi excommunicati, sed solum qui prouocauit, nisi alter excesserit modum in defendendo, quia prouocatus præsumitur repercutere causa defensionis. Tum quia quando fit aliquis actus, aliquo casu perinissus, & alio non, si fiat palam, non præsumitur dolosè factus, *Felin. in capitulo, Si autem, de rescript. fall. 3. per l. fin. de ritu nupt. l. Non intelligitur, §. Si quis palam, ff. de iure fisci.* Tum quia nullus præsumitur velle delinquere *capit.2. de reg. iur l. Merito, ff. pro socio*, & ita tenet etiam *gloss. vers. Tutelæ capitulo, Significasti 18. de homicid. per l. Si ex plagis, §.Tabernarius, ff. ad legem Aquil.* Nec obstat limitatio dictæ glossæ, procedere, quando aggressor procedit; tum quia insultans præsumitur habere animum iterum percutiendi, *vt dixit Bald. in l.1. C. Vnde vi, & in l.1. ff. de iure, & iust.* tum quia pater habuisse animum reinuadendi, cum de facto postea liber factus, proiecerit aliam amphoram.

Alterum, quod in ea seruatum sit moderamen inculpatæ tutelæ, probatur, nam ad hoc tria requiruntur. Primò, æqualitas armorum. Secundò, simultaneus conflictus. Tertiò, necessitas ineuitabilis, ita omnes *cum Henoch. part. 2. Respond. 128. §. Respondi. Silu.ver.Bellum 2. numero secundo Angel. ver. Defensio numero* 30

numero quarto. Nald. ver. eod. numero primo. Sed hæc tria concurrunt in casu præsenti; primum quidem, quia pugno prouocatus, pugno repercussit; secundum etiam verificatur, quia incontinenti, nulla interposita mora repercussit, tertium denique suadetur, quia alio modo non poterat euitare, prosecutionem aggressionis nisi pugno, & amplexu competendo iniquum eius impetum.

Quod si dicas deesse hoc tertium requisitum, quia aggressus poterat fugere, immo debebat, vt colligitur *ex glos. ver. Interimeretur, cap. Suscepimus* 10. *de homicid.* neque enim religiosis fuga est ignominiosa, quod tenent communiter Doctores *cum Silu. ver. excommun.6.num.6.§.Nono, in fine Nau. capit.* 17. *num.* 82. *& alij supra citati.*

31 Repondetur. 1. quod fuga non est in præcepto ad euitandum excommunicationem, sed tantum irregularitatem, & glos. prædicta cum textu habet locum præcise in materia irregularitatis, de qua ibi solum sermo est 2. esse communem opinionem neminem debere fugere, siue fuga sit ignominiosa, siue non, *Bart. in l.* 1. *C. Vnde vi, quem sequuntur Panorm. in cap. Olim causam, de restitut. spoliat. numero* 17. *Angel. ver. Excommu.* 5. *numero* 15. *apud Sair. lib.* 3. *capit.*27. *numero* 21. vbi tamen tenet oppositum, *Coriolanus, de casib. reseru. casu* 5. *de iudicio. regul. de defensionibus* §.7. *numero* 24 §. *Quod adeo, vbi citat Iasonem in l. Vt vim, ff. de. iust. & iure, Alex. libro primo consil.* 109. *numero quarto. Felin. in capit. Suscepimus, de homicid.* Neque enim ista glosa est tanti ponderis, vt sequenda sit, sed potius relinquenda, cum de hac re nullam afferat rationem, aut textum, nisi exemplum Christi Domini fugientis in Ægyptum, quod non facit ad rem nostram. 3. fuga est quædam iniuria. *lib. Item apud Labeonem ff. de iniur.* ad quam repellendam quis percutere licitè potest *Silu. ver. Bellum 2 num.quarto*, ergo in eo casu resistere nullum est peccatum. 4. Honor & existimatio cum sit bonum naturale non magis conseruandus est à seculari, quàm à persona Ecclesiastica, immo ab hac magis, cum sit in nobilissimo statu, consequenter etiam religioso fuga est ignominiosa, cum professione non amittat naturalia, neque honorem, sed magis in eo augeantur.

32 Præterea concedamus casum, quod posset fugere, quantum ad se, ex alio tamen capite non debebat fugere, quia erat in defensionem alterius Patris iam aggressi, ad quod tenebatur ex debito Charitatis, vt colligitur *ex capit. Non inferenda* 7. *capit. Qui potest* 8. 23. *qu.*3. negligens enim cum possit proximi iniuriam propulsare, videtur iniuriantem fouere, *capit. Dilecto* 6. *de sent. excommun. in* 6. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare *capit. Sicut dignum* 6. §. *Ille etiam, de homicid. vnde Graff. part. prima, libro secundo, cap.* 49. *numero* 20. in casu proposito, dicit, hunc, quamuis ex officio ei non incumbat, peccare mortaliter, & docet peccare *glos in capit. Quanta, de sent. excomm.* Neque per hoc, quod proximum defendit percutiendo clericum aggressorem incurrit excommunicationem, vt docent omnes præcitati *in* §. *Respond.*

Cum igitur aggressor primo percutiens præsumatur habere animum iterum percutiendi, & inuasus quicquid facit, præsumatur facere ad sui defensionem, imò in dubio adhuc ita præsumptio procedat, nec vt Bald. & alij dicunt, vulnera dentur ad mensuram, & hæc omnia in hoc casu præsupponantur, immo probata sint, ideo censeo hunc Fratrem non esse iudicandum incurrisse in eam excommunicationem.

Quæres 14. An in casu, quo licet percussio, vt quando fit titulo defensionis, vt in præcedenti casu, vel titulo correctionis, vel alio quouis modo, si excedatur, incurratur excommunicatio;

33 Respond. Excedens modum casu, & non voluntariè, ex proposito, odio, aut malignitate non incurrit, quia talis excessus non prouenit ex dolo, & diabolo suadente, sine quo non incurritur hæc censura, vt de casu correctioni, docet *glos. fin. cap. Cum voluntate* 54. *de sent. excom. Sair. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 16. *de communi.*, & de casu defensionis *glos. ver. Excessistis arg. cap. Olim* 12. *de restitut. spoliat. & ver. Tutellæ, cap. Significasti* 18. *de homicid. arg. c. Perpendimus* 23. *de sent. excommun. Sair. cit n.*20. *Bonac. q. & p.*4. *n.* 4. vbi dicit corrigens principaliter licet admisceatur peccatum mortale interni odij excusa ab hac censura.

Quæres 15. An incurrat ille Prior, qui violēter eripit cædulam de manu sui subditi.

Magister Nouitiorum coram superiore conquestus fuit, vt occurreret periculo, quod imminebat, ex nouitio sibi minitante, si illum subiecisset correctioni, sed quia Superior noluit illum audire, ne nouitio præiudicium afferret ad profitendum proximè, misit Patrem Seniorem ad Prælatum præfatum, vt dignaretur, per eum, audire querelam, & prouisionem super eam facere, à quo & ipse inauditus licentiatus fuit, demum eodem instante Magistro, Senior cum cædula querula tertio subscripta iterum adiit Prælatum, qui vt statim præuidit negotium, petiit, vt sibi scriptū consignaretur, Senior probabiliter dubitans de eo, quod postea euenit, noluit cædulam tradere, ideo hinc inde trahentes, & retrahentem cartam conciderunt. Difficultas est, an Prælatus violenter scindendo, & rapiendo partem cædulæ præcisæ è manibus Senioris inciderit in canonem, *Si quis* 22.17. *q.*4. 34

Pro Prælato facit. 1. quia non percussit, neque læsit Seniorem, cum eius intentio fuerit solum eripiendi scriptum de manibus Senioris, ergo manus non dicitur iniecisse in clericum. Facit. 2. quia religiosus non habet, velle neque nolle, *cap Non dicatis* 12. *qu.*1. *cap. Si religios* 27. *de elect. in* 6. *cap. fin. de testamen. & sepult.* vnde Prælatus licitè, & sine peccato sicut poterat cædulam petere, ita & rapere de manibus monachi nolentis consignare. Facit. 3. quia Prælatus vti iudex requisitus, habebat ius faciendi sibi consignare cædulam, vt de negotio inspecto posset postea ferre iudicium. ergo non rapuit suadente diabolo, sed iustitia id exigente; immo priuatus rem propriam de manu clerici resistentis rapere potest, sine violatione huius Canonis, *Angel. ver. excommun.* 5. *num.*18. *Tabien. eod. casu.*1. *num.* 39. *Regin. lib.*1. *numero* 206. *vbi citat dictum Ang. & Silu.* ergo id eo magis dicendum est de Prælato, cum petierit id, quod suum erat. Facit. 4. demum, quod superior omnia peregit ad bonum finem, nempe, ne impediretur ingressus ad professionem nouitio, ergo nullo modo peccauit, consequenter eam censuram non incurrit, quæ semper supponit peccatum mortale, *c. Nemo* 39. *cap. Nullus* 40. 11. *qu.*3. est enim excommunicatio mortis æternæ damnatio, *ex cit. cap.*19. His tamen non obstantibus.

Respond. Prælatus iste incurrit excommunicationem præallegati canonis. Ratio est, quia ad eam incurrendam requiritur violenta iniectio manuum, quæ sit peccatum mortale, quâ Physicè attingatur vel persona clerici, vel aliquid ei adhærens, vt omnes scribentes de hac materia fatentur, sed is Prior, tetigit, & fregit cædulam existentem in manibus Senioris cum magna violentia, & peccauit mortaliter, ergo incurrit excommunicationem. Singula clarè, & distinctè ostenduntur. Primo, quod cædulam fregerit, & extraxerit de manibus Senioris, non negatur, cum ex narratiua casus id supponatur. Secundo, quod factum fuerit cum violentia, satis probat excessus fractionis, & raptus, quæ sine violentia contingere non possunt *arg. l.* 2. *ff.* de eo quod motus causa, & eo etiam, quod factum fuit in inuitum, cum violentia propriè fiat in inuitum, *vt docet Caiet. ver. Excomm. c.* 30. *not.*3. *Graff. prax. lib.*1. *ca.*8. *n.*7. Tertio, quod huiusmodi actio fuerit peccatum mortale, probatur ex tribus, ex conditione personæ, ex modo auferendi, & ex qualitate negotij; ex conditione personæ, nam 35

de Prælatis dicitur *cap. Præcipue 3. 11. qu. 3. Deterius quippe in populis Prælati delinquunt, ac per hoc ipsi crudelius, quam cæteri puniuntur.* Ex modo auferendi, nempe per raptum, fractionem, & violentiam, continebat enim cedula rem grauis considerationis, vt impediretur futurum malum nouitij contra suum Magistrum, quæ omnia multum aggrauant factum Prioris. Ex qualitate negotij, quam tenebatur Prior prouidere negotio, & potius oppositum indicauit sic perdendó scripturam, vt nouitius remaneret impunitus, debet enim Prælatus inquirere de excessibus subditorum *cap. 1. de off. ordin. capit. 3. 11. quæst. 3.* ergo multo magis requisitus debet iustitiam facere, alitet illi imputatur culpa subditorum *capit. 1. dist. 86.* & in grauibus, vt est casus noster, taciturnitas, (vt prætendebat in casu hoc) est peccatum mortale, *glos. ver. Quippe, cap. Sancta quippe §. 2. quæst. 7. vnde capit. 1. dist. 86.* dicitur, quod inferiorum culpæ ordinum ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides, & negligentes rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem, dissimulant adhibere medicinam, is autem Prior nullam voluit neque leuem adhibere. Quare ex his omnibus manifestum est, peccasse mortaliter, & consequenter incurrisse eam censuram. Quarto demum, quod iniciens manus in rem adhærentem clerico subiicitur huic canoni, apertè habet *glos. ver. Manus* ibidem, *& glos. 1. in cap. Pulsatus 13. dist. 1. de pœnit.* vbi clarè loquitur in casu nostro illis verbis. *Qui mittit manum in vestem clerici, vel in rem ab eo detentam.* Ratio est, quia adhærentia Religiosis, sont Religiosa, & eorum priuilegiis gaudent, *l. Quæ Religiosis ff. de rei. vendit. cap. Si quis contumax 16. 17. q. 4. & omnes mox citandi.*

Resolutionem huius casus in terminis de rapina, seu fractione alicuius rei è manibus clerici, ducent *Caiet. ver. Excom. cap. 10. not. 1. Nauar. cap. 27. num. 77. §. Quinta, & ex illis Megal. part. 3. de censur. lib. 4. cap. 1. num. 4. Gordonus libr. 7. sua Theol. moralis quæst. 13. §. 2. ver. Porro. Tabien. excom. 5. casu 1. num. 39. Silu. excom. 6. num. 11. Angel. num. 18. Regin. lib. 1. numer. 206. Bonac. quæst. 4. num. 12. Armil. num. 1. Sair, lib. 3. de censur. cap. 26. num. 15. Tolet. lib. 1. cap. 32. num. 4. Confect. tit. 14. c. 4. D. Anton. p. 3. tit. 24. cap. 1. num. 3.* etiam si dominus auferat rem suam commodatario clerico, ante tamen finitum tempus ex dictis refert & Suarez citatus.

36 Respond. ad argumenta in contrarium. Ad primum dico iniectionem manuum violentarum non tantum importare percussionem, & læsionem corporalem, verum etiam quamlibet aliam iniuriam, & violentiam Clerico factam vel in persona, vel in rebus illi adhærentibus, quamuis inde nulla personæ percussio sequatur, potest enim alicui violentia inferri absque corporali læsione, vt docuit *Panor. in cap. Nuper de sent. excom. not. 3. & ex eo Megal. citat. numer. 5. vnde Grilenz. consil. 82.* quemdam, qui animo irato misit manum super dorsum Clerici, absque vlla læsione, damnauit excommunicationis.

37 Ad secundum, quod non habeat velle, neque nolle, dico non procedere vniuersaliter, nam in multis Monachus habet velle, & nolle independenter, immo contra voluntatem Superioris, iuxta Sanctum Thomam *2. 2. quæst. 105. art. 5.* ab omnibus receptum, *teste Nau. cap. 4. num. 6. qui tom. 2. com. 2. de regul. nu. 59.* ait Secundum Domin. in cap. Quorumdam extr. Ioan. XXII. de verb. signif. quod potest velle licitè multa præter voluntatem sui Superioris; *vnde Sanch. lib. 6. c. 2. num. 17. & 18.* affirmat, quod Religiosi suam voluntatem transtulerunt in Superiorem, solum quod ad ea, quæ ad regulam directè, vel indirectè pertinent. Quare in licitis resistere possunt voluntati illicitæ sui Superioris iniquè petentis, vt in casu præsenti, in quo Senior non caret propria voluntate, ex officio suo vti Senior tenetur causam non solum referre, sed etiam procurare, vt opportunum remedium malo applicetur.

Ad tertium dico in hoc casu Prælatum non habuisse intentionem faciendi iudicium, & iustitiam, sed potius iniquitatem & iniustitiam, semper simulando excessum nouitij, vt ex narratiua casûs clarè colligitur, consequenter in petitione cedulæ consignandæ non procedebat vt iudex, quia iudex non est ille, in quo non est iustitia, *cap. 1. 23. quæst. 2. & c. Forus 10. de verb. significat.* & quamuis non desinat propter hoc esse superior, desinit tamen esse iudex, in quantum importat actuale exercitium iudicij, & cum termini formaliter in iure, & de iure in quauis materia accipiendi sint *Nau. consil. 23. de sent. excom. num. 9. vbi adducit textum. in l. in delictis §. 1. ff. de Noxal. Megal. part. 3. cap. 1. num. 26. vbi citat Caiet. ver. Excommun. cap. 1. ad finem*; colligitur hinc argumentum nihil vrgere, cum fundetur in formali iudice, qualis non fuit dictus Prior in præsenti casu, immo potius sibi destruxit naturam, & conditionem iudicis, hoc ipso, quod simulat facere iustitiam, quam de facto negat.

Ad quartum dico, quod bonus finis non potest esse is, ex quo sequitur malum, neque enim malum iustificatur propter bonum cohærens, *cap. Neque enim 7. 14. quæst. 5.* Non enim sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, neque malum admittendum est sub specie boni, docet *Farinac. parte 4 prax. crim. consil. 30. num. 62.* nam malum omne nascens facile opprimitur, inueteratum fit plerumque robustius, inquit *Cicer. apud Campanilem in diuers. iur. Canon. Rubr. 12. c. & n. 8.* Ex quibus patet, eius finem fuisse iniquum protegendo excessus nouitij, potuisset enim ex vna parte corrigere nouitium, & ex alia adueniente tempore professionis tueri eius partes, si merita id expostulassent.

Quæres 16. iniectiones manuum in sequentibus casibus inducant excommunicationem, *l. Si quis Religiosum capiendo per capillos*, seu barbam, au caputium, dicat, si non esses Religiosus ego te percuterem, occiderem, eruerem oculum, de quo affirmant *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 49. num. 17. & tom. 2. consil. 2. de sent. excom. num. 8. & 13. Armilla num. 13.* de rustico, qui iure tetigit oculum Clerici, sed non percussit, & tamen iudicatur excommunicatus. *Grilenz. consil. 82. de* iniiciente manum ad collum Sacerdotis, altera manu super pugione, excommunicato. II. Cum quis exportat aliquem è sua sede, seu brachio inde trahit, is iudicatur excommunicatus à *Nauar. cons. 24. de sent. excom. quem citat Rodr. tom. 2. quæst. 61. art. 2. §. Pro.* III. Turbatus subito manu impellens Monachum.

Respond. In primo, & tertio casu non est excommunicatus. Probatur, Tum quia, vt dixi *quæst. 2.* ad incurrendam eam censuram, necesse est vt iniectio manuum exterius sit consummata in sua specie læsionis, & non tantum cœpta, per ibi probata, verba enim cum effectu sunt accipienda, *cap. Relatum, de cler. non resid. vnde Panor. in cap. Cùm in cunctis, §. Clerici, de elect.* dicit, quod vbi pœna imponitur, illa nunquam incurritur; nisi delictum inchoatum sit consummatum; *& Archid. in cap. Qui bona 17. quæst. 1. col. penult.* dicit, quod in pœnis spiritualibus, cuiusmodi est hæc, censuris imponendis consideratur effectus, & non affectus, & voluntas malè agendi. Tum quia præfatæ manuum iniectiones perpetratæ in laicum non censentur peccaminosæ mortaliter, cum sint imperfectæ, & non lædentes, ergo neque in his casibus ac proinde excommunicatio locum non habet in illis, percussio enim tam subita, & tam leuis, quæ laico illata non esset mortalis, excusat ab incursione censuræ, vt docent *Armil. num. 7. Caiet. cap. 10. Nauar. 27. num. 85.* & ex illis relatis *Bariola consil. 22. §. 1.* vbi nobiscum sentit de tertio casu supra dicto. Tum quia *vt dicit Megal. lib. 4. cap. 1. num. 8.* huiusmodi iniectio indicata leuis respectu externi actus tam secundum læsionem, quàm secundum iniuriam, quamuis fiat suadente diabolo, & cum peccato mortali, non inducit hanc pœnam, & talis est in casu nostro. Tum quia in rigore loquendo 38

illæ non sunt iniectiones manuum, neque percussiones, cum nulla sequatur læsio, sed solùm designationes, & declarationes velle iniicere manus, quæ sine dubio hanc pœnam non induunt, cum in se nullam speciem læsionis habeant, licèt alioquin iniuriosæ sint, non tamen in genere iniectionis, quæ consistit in læsione ad distinctionem iniuriæ verbalis, ad quam potius reducuntur illæ, quam ad iniectionem. Tum quia huiusmodi conditionales, & protestationes releuant protestantem, cum non sint contrariæ facto, per notata *in cap. Cum M. de constitut. gloss. sine præiudicio*, & blasphemans cum protestatione excusatur, quia per talia verba non intendit blasphemare, *Lazar. quæst. 3 de Blasphem. num. 32. Floron. casu 3. §. 1. à num. 4. alios citans*, ergo idem dicendum est in casu nostro, cum sic tangendo non percutiat, sed declaret animum suum esse, quod percuteret, si non esset Religiosus. *Ita tenet Angel. excommun 5. num. 26. & 29. Tabien. excommun. 5. num. 41.* vult incidere si faciat animo iniuriandi, sed id sustineri non potest, quia non punitur animus, sed factum ipsum, & in his imperfectis actionibus semper adest animus iniuriandi, requiritur præterea effectus ipsius animi, nobiscum apertè sentit Baiiola loco citato.

In casu intermedio sine dubio incurritur excommunicatio, quia illæ extractiones in suo genere læsionis sufficienter consummantur in genere iniectionis extractiuæ, quæ formaliter in se violentiam includunt.

Quæres 17. Quotuplex sit iniectio manuum, seu percussio?

39 Respond. Triplex, leuis, seu modica; media seu mediocris; grauis seu enormis, de quibus fit mentio in *cap. Si vero 3. cap. Peruenit 17. cap. Cum illorum 32. cap. Relatum 37. de sentent. excommun.* & eas benè explicat Ioan. XXII. in quadam sua Extrau. incip. Perlectis, quam per extensum referunt *Quar. ver. Absolutio, Megal. lib. 4. de censur. cap. 1. num. 10. Nau. cap. 27. num. 91. Sair. lib. 3. cap. 28. num. 8. & alij communiter Confect. constitut. 2. Ioan. XXII pag. 24. & tit. 14. c. 5. Bonac. quæst. 4. de hac excommun. part. 5. num. 2. Graff. tom. 2. consil. 8. de sentent. excommunicat. eam suspectam facit Diana cum Fillincio Miscell. 2. resolut. 23.* dum eam vocat incertam, sed nescio qua ratione, cum sit præter ea fundata in diuersis iuribus, quæ citat Graffius. Leuitas autem, & grauitas percussionis dignoscitur non tam ex parte læsionis, quam iniuriæ, percussio enim facta per pugnum dicitur leuis in se, & ex sua natura, si verò sit facta in personam Prælati ex circumstantia iniuriæ illatæ personæ publicæ dicitur grauis.

40 Leuis ergo dicta non quia excuset à mortali, sed in ordine ad mediocrem, & grauem, dicitur illa, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, lapide, quæ non causat liuorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem magnam capillarum, vel magnam effusionem sanguinis.

41 Grauis autem potest esse vnaquæque illarum ex duplici capite. Primo ratione loci, vt si fiat coram Prælato, Rege, vel Iudice, aut coram multis, seu in loco publico. Secundo ratione personæ, vt si percussus sit Prælatus, Magistratus, Iudex, Magister, Pater, Patruus, aut quilibet alius in dignitate, vel personatu constitutus, vt est Sacerdos, Doctor, vt dicit *Megal cit. in fine*, & hoc si percussio contra dictas personas publicans fiat ab inferiori, & hæc omnia colliguntur ex citata Extrauaganti. In prædictis casibus leuis ex se dicitur grauis extrinsecè ratione loci, seu personæ offensæ iuxta mox dicenda *§. Aduerte.*

42 Enormis autem seu grauis ex genere suo, & in se dicitur homicidium, mutilatio, vulnus lethale, grauis ictus, magna sanguinis effusio, cicatrix, debilitatio alicuius membri, *Sair. lib. 3. cap 28. num. 6. Bonac. p. 5. n. 2. §. Grauis.*

43 Mediocris autem percussio est illa, quæ mediat inter leuem, & grauem, vt dentis euulsio, capillorum extractio, effusio sanguinis è naribus, carnis sugillatio, pellis incisio, & similes percussiones, in quibus non apparet grauis læsio, neque magna iniuria. *Bonac. part. 5. num. 2. §. Mediocris, Sair. n. 7. Megal. n. 13. Nauar. c. 27. n. 92. Silu. ver. Absolutio 4. num. 1.*

Aduerte autem, quod ad hoc vt percussio leuis in se fiat grauis ex circumstantia loci, seu præsentia Superioris sui, non sufficere locum, neque personam materialiter spectata, sed necesse est, vt multitudo personarum, seu Prælati, coram quibus fit percussio, aduertant ad hanc actionem, quia coram aliquo dicitur aliquid fieri, quod fit eo sciente, & intelligente *leg. Coram, ff. de verb. signific. gloss. ver. Coram; cap. 4. de elect. in 6.* Præterea requiritur scandalum magnum, vt docent *Nauar. cap. 27. num. 92. Genuens. in sua praxi Neapolit. cap. 80. num. 3. per tex. in cap. Cum illorum 32. de sentent. excommunic. iunctis gloss. Mutilationem, & ver. promoueri.* Persona autem coram qua fit, debet esse Rex, Iudex, aut Prælatus ipsius percutientis, *vt ex Puteo lib. 1. decis. 303. tenet idem Genuens. in fine dicti capitis, vnde Riccius Collect. 824 part. 4. quem refert Nald. ver. Clericus num. 39. §. Pro,* dicit colaphum in publico impictum esse leuem percussionem si contingat sine scandalo. Præterea iudicatum non fuit graue colaphum datum Clerico ab alio Clerico inseruientibus coram Archiepiscopo, dum sacra perageret, eo quod ferò nullus aduertit; neque Episcopus, neque tumultus, aut rumor excitatus fuit, neque ad hunc specialem casum viget pertractatio rei sacræ, & Sacramentalis præsentia Christi, quia hæc præsentia vt sic potius se materialiter habet, cum inde scandalum non possit oriri, aliter quæuis percussio in Ecclesia nullis existentibus coram Sanctissimo Sacramento esset enormis, quod omnino est indicibile; & quod ait *Genuens. cap. 23. num. 7.* percussionem coram Sanctissimo Sacramento esse enormem, non obstat, quia fuit Archiepiscopo, & populo videntibus, ac proinde cum magno scandalo; vbi etiam dicit, quod in illa Curia iudicata fuit grauis percussio facta cum baculo quinque aut sex vicibus etiam sine vulnere, aut sugillatione carnis, & compressio Sacerdotis circa collum cum periculo suffocationis facta à consanguineo cuiusdam ægrotantis, cuius animam commendauerat Deo. 44

In dubio autem percussionis leuis an grauis iudicare spectat ad Prælatum habentem iurisdictionem absoluendi, & ad eum Prælatum, qui quærit an possit absoluere, & non est recurrendum ad Papam, *vt docet Gloss. Innoc. Abbas. & Panor. in cap. Cum illorum de sentent. excommun. Sair. lib. 3. cap. 28. num. 7. Graff. tom. 2. consil. 8. de sentent. excommun. num. 3.* Quod si iudicium ferri non possit, sed adhuc dubium remaneat, dicit Ioan. XXII. in dicta Extrau. Perlectis, Prælatum potius debere inclinare, percussionem fuisse grauem, quam leuem, ne iniuriantes de vicina absolutione confisi, de facili in atroces prorumpant percussiones. Sed hoc non vrget, quia ibi potius consilium est, quàm præceptum, idcircò Prælatus iudicare illam potest leuem, ne se priuet sua iurisdictione, quia in dubio nemo tenetur se spoliare, vnde dubitans an aliquis casus sit reseruatus, potest resoluere non esse reseruatum, vt de veriori sententia docet *Suar. tom. 5. disp. 4. sect. 6. num. 5. Sanch. lib. 1. cap. 10. n. 74. & ex illis Floren. p. 1. de casib. reseru. cap. 5. num. 30. & Sanch.* refert præsentem casum de percussione iudicanda leui ne Superior amittat suam iurisdictionem absoluendi. 45

Quæres 18. An Superiores Regulares possint suos subditos absoluere de iure communi ab hac excommunicatione? nam reseruatur Papæ, vt expressè dicitur in Canone citato initio huius resolutionis.

Respond. Possunt Superiores Regulares de iure communi absoluere suos ab hac excommunicatione, modò sit contracta ex leui vel mediocri percussione facta in se inuicem, *cap. Monachi 2. de sentent. excommun.* & licèt ibi non distinguatur de leui, & enormi, tamen *cap. Cum illorum 32. & cap. Canonica 50. eod.* etiam de intellectu 46

dicti capitis venit solùm leuis, ac mediocris & enormis reseruatur Papæ, qualis est mutilatio, effusio sanguinis, percussio Episcopi, vel Abbatis, vt expressè dicitur in dictis aliis duobus capitibus. Quamuis autem hæc facultas absoluendi à percussione leui tribuatur à iure Prælatis Regularibus, quando eorum subditi se inuicem in claustro percutiunt, nihilominus absolui possunt se inuicem percutientes etiam extra claustrum. Tum quia Papa expressit claustrum, quia ibi solent se percutere, vbi ordinariè manent, vnde respiciendo ad id, quod vt plurimum solet accidere, non restrinxit absolutionem ad percussionem claustralem. Tum quia in cap. Canonica nullum expressit locum, ergo videtur parum referre hoc. Quare possunt absoluere illos, licèt se percutiant extra Conuentum, & sic docuerunt *Rodriq. tom. 1. quæst. 20. art. 12. & ex eo Coriol. super casum 10. de reseruandis à Super. Regul. num. 15. Angel. ver. Excomm. n. 43. ex Panor.*

47 Claustralis verò percutiens Religiosum alterius claustri per Prælatum vtriusque absoluitur à leui seu mediocri percussione, *cap. Cum illorum* 32. Duo dubia hic sunt; vnum, quomodo absoluetur ab vtroque, si enim vnus absoluat, quid postea relaxabit alter? dic vnum absoluere de consensu alterius, nam percutiens non potest absolui à suo Prælato, nisi prius satisfactum sit parti læsæ, nempè Prælato qui censetur offensus in persona sui subditi percussi, habita ergo remissione ad hoc, absoluet Prælatus suum subditum percussorem, & non aliter, *Ang. ver. excommun. 5. num. 42. ex Panorm. Sair. lib. 3. cap. 28. num. 11.* Alterum est, an distinctio claustri referatur ad diuersos ordines tantùm, an etiam ad diuersos Conuentus eiusdem Ordinis? vt si Frater Paradisij percutiat Fratrem Gratasolij, qui Mediolani sunt duo Conuentus eiusdem Ordinis Tertij D. Francisci. Potest intelligi eiusdem Ordinis, quia iniuria fit Prælato offensi, vnde sine eius consensu non debet absolui percutiens, quod præcipuè procedit, quando absolutio datur à Superiore locali, non autem à Prouinciali, vel Generali, nisi sint diuersarum Prouinciarum, data tamen aliàs absolutio tenet.

48 Percutiens autem Clericum secularem siue leuiter, siue grauiter à solo Papa absoluitur, *cap. Cum illorum* 32. postea Bonifacius VIII. *cap. Religiosi* 21. *de sentent. excommun. in* 6. indulsit, vt posset Religiosus percussor de leui absolui ab Episcopo, & quod sit de leui colligitur ex verbis textus, & *glossa ver. Eo casu, Tolet. lib. 1. cap. 33. num. 8.* delegare autem potest Episcopus eam facultatem Prælato ipsius percutientis, *Ang. ver. excomm. 5. num. 44.*

49 Moniales absoluit Episcopus, *cap. De monialibus* 33. *eod.* etiam exemptas, *gloss. ver.* per Episcopum, quia absoluit vt delegatus Papæ, de communi docet *Angel. excommun. 5. num. 45.* & procedit etiam in enormi percussione *Silu. ver. Absolutio 4. num. 3. §. 3. est Homob. part. 4. Resp. 34.*

Quæres 19. An de iure priuilegij possint absoluere non solùm à leui percussione se inuicem percutientes, vel cum claustralibus alterius Ordinis, sed etiam percutientes Clericos Seculares non solùm leuiter, sed etiam enormiter, etiam homicidam?

50 Respond. Possunt iure priuilegij concessi Dominicanis à Bonif. XIV. Constit. *Sacra Religionis* 27. Apr. 1402. apud Confect. pag. 26. illis verbis. *Vel manus violentas in confratres, vel alios quoscumque Clericos etiam vsque ad sanguinis effusionem, & enormem læsionem iniecerint.* Excipit tamen ibi. *Dummodo læsio huiusmodi adeò enormis non existat, quod propterea foret meritò sedes prædicta* (idest Apostolica) *consulenda.* Homicidium autem, mutilatio, effossio oculi videntur tales læsiones, pro quibus sit consulenda Sedes, & verè ita est ex hoc priuilegio, & de iure communi *cap. Cum illorum* 32. *eod.* Quare ex hoc capite non est probata nostra responsio quoad huiusmodi percussiones tam enormes. Probatur tamen ex alio capite, nam Clem. VIII. in suo decreto de casibus reseruand. à Super. Regul. incip. *Sanctissimus.* Dat. 26. Maij 1593. extenso apud *Confect. tit. 17. cap. 8 Nald. ver. Religiosus num. 43. Coriol.* initio sui operis de his casibus. Quar. ver. Casus illis præscribit decimum casum reseruandum in hæc verba. *Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ.* Modò certum est, habentem facultatem reseruandi sibi casus, posse ab illis absoluere, quid est enim reseruare? nisi aliis non concedere facultatem, quam reseruans habet absoluendi à casibus reseruatis contra alios. Quare cum Superiores Regulares possint sibi reseruare quamlibet percussionem, etiam homicidium, & respectu cuiuscumque personæ, sine dubio poterunt absoluere homicidam etiam sacrilegum cuiuscumque personæ Ecclesiasticæ, extra casum Bullæ Cœnæ Domini. Non obstantibus iuribus citatis præcedenti quæsito, & priuilegio mox relato, quia singulis ibidem derogauit Papa Clemens VIII. quod in alio Decreto duplici emanato ab eodem Clem. annis 1601. & 1602. vno alterius declaratiuo, in quo Papa sibi reseruat excommunicationem ob percussionem Clerici iuxta Canonem nostrum. *Si quis* 17. *quæst. 4.* initio hîc extensum, iuxta iuris dispositionem. i. Quando percussio est enormis, derogando quibuscumque priuilegiis, & literis Apostolicis, consequenter etiam præfato Decreto. Quia illud est contra Confessarios Regulares, qui prætextu suorum priuilegiorum absoluebant ab omnibus reseruatis personas seculares, vnde nihil contra nos, qui loquimur de absolutione inter ipsos Regulares exercenda, nihil ergo disponit de Regularibus, vt respondit Sacra Congregatio *teste Naldo ver.* 51
Reseruatio, sic tenet etiam Vecchius de Nouitiis à spu. at. 9. dub. 7. in fine III. quod aliud sit reseruatio censuræ, aliud peccati, cum hæc inter se differant, *Nau. cap. 27. num. 261. §. 10.* ac proinde cum hic sermo sit de censura, & in eo Decreto de casibus reseruatis, seu peccatis, non benè infertur, ex eo quod illa peccata subiiciantur Superioribus Regularibus, intelligi etiam excommunicationem hanc subiectam, ita quod possint absoluere excommunicatum ob homicidium, vel percussionem Clerici. Quia in dicto Decreto comprehendi etiam censuras respondit Sacra Congregatio, vt per extensum refert. *Cokier part. 4. de exempt. quæst. 56. & ex eo Peyrinus tom. 3. cap. 12. num. 5. & meminit Diana resol. 49. de dubiis Regul.* & licèt censuræ, & peccata sint diuersa in se, & in ordine ad absolutionis concessionem, ita quod concedens absolutionem ab vno, non videtur concedere absolutionem ab altero, quod habet locum respectu diuersorum obiectorum, non autem respectu eiusdem, vt in casu nostro, in quo confunduntur censura, & percussio, recidunt tamen in idem respectu dispositionis reseruatiuæ, & ita intelligendi sunt Doctores quando diuersificant ista duo. Et hoc verum est, aliter sequeretur sublata à Summo Pontifice excommunicatione, adhuc remanere peccatum percussionis reseruatum ex facta reseruatione à Superiore contra communem opinionem asserentium, sublata Papali censura, peccatum tolli posse à quouis simplici Confessario *Nauar. cap. 27. num. 261. §. 9. Graff. Append. lib. 1. cap. 7. num. 53. Bellech. part. 1. de casibus reseru. quæst. 2. num. 48. Floren. alios citans part. 1. de reseru. cap. 2. num. 21.* in reseruatione ergo hac Decimi casus includitur tam censura, quàm peccatum. Demum Prælati Regulares suos subditos à quibuscumque reseruatis Sedi Apostolicæ absoluere possunt; vt probaui suo loco in hoc opere, *resol. 2. 19. & resol. 3.* per totam, etiam virtute *cap. Licèt 6. sess. 24.* vbi Episcopis conceditur facultas absoluendi ab omnibus reseruatis Sedi Apostolicæ, ac proinde à quauis percussione etiam graui, & enormi, vt de Episcopis asseruit *Graff. tom. 2. consil. 1. diff. 2. num. 3. de sentent. excommunic. Bonac. quæst. 4 de hac censur. part. 5. num. 4.* ergo & Prælatus Regularis, nam Prælati Regulares, & Episcopi quoad potestatem iurisdictionis comparantur, *Gloss. ver. Regularis cap. Ne pro defectu 41. de elect. per cap. si quis deinceps 16. quæst. fin. Rodr. quæst. 20. art. 10. Imò &*

maiorem

maiorem q.24.art.16.& q.62.art.fin. Homob.p.4.Resp.88. Postel.ver.Pralatus num.1.Lazar sect.4.de monit.quæst.14. num.15.

Quod ergo Prælati Regulares possint absoluere suos subditos ab hac excommunicatione etiam ex percussione enormi iure suorum priuilegiorum, docent *Sair.lib 3. cap.28.num.12. Rodr. tom.1.q.20.art.12.Coriol. super dictum casum Decimum,num.14.§.Ex quo.Confect.tit.14.c.9. Megal.lib.1.de censur.c.7.n.26.in fine*, qui duo exprimunt respectu cuiuscumque percussi, siue sit proprij claustri, siue alterius, siue Clericus secularis, & de hoc citat Doctores Bariola pag.243.

52 Moniales etiam à suis Prælatis iure priuilegiorum absolui possunt ab ea excommunicatione ob quamuis percussionem etiam grauem, *Confect. tit.14.cap.9.§.Regul.* Gaudent enim priuilegiis Religiosorum eiusdem ordinis ex Constitut. *Dudum per nos*, Leonis X.Dat.10. Decembr. 1519. & absolui possunt à quibuscumque reseruatis Sedi Apostolicæ, *vt docet Rodr. tom.1.quæst.20. art.22. de professis,art.23.de Nouitiis,art.24.de inseruientibus.*

Quæres 20. Quinam sint illi Superiores, seu Prælati, qui possunt absoluere ab hac percussione, tam de iure communi ex dictis *q.18.* quàm iure priuilegij *q.19.* Sunt autem in triplici differentia fere in omnibus Religionibus, Locales, Prouinciales, & Generales, qui duo vocantur maiores.

13 Respond. Iure communi, nomine Abbatis, seu Prælati, vt dicitur in dictis capitibus 32. & 50. venit etiam superior localis, dicitur enim Abbas, & Prælatus suorum religiosorum, quod nemo negat, & in terminis tradit *Bonac.quæst.4.de hac excomm.pun.5.num.1.§. Hinc sequitur. Armilla ver. Absolutio num.68. Regin.lib.1. quem citat pro se Homob.super dictum casum reseru.§.Quid circa absolutionem obseru.* Iure priuilegij absoluuntur illi Prælati qui in concessione exprimuntur, vnde in Ordine Minorum exprimuntur tantùm Maiores; Generalis nimirum, & Prouincialis in ordine ad huius excommunicationis absolutionem, quod intelligo prout est reseruata; nihilominus *Rodr. q.20. art.12.* vbi refert illud priuilegium, quod est Innoc.IV. per suum Breue authenticum, & ex eo *Coriol. super dictum casum 10.n.13. §. Et quia*, dicunt etiam Prælatos locales ab illa posse absoluere de iure priuilegij Clem.IV. indulgentis etiam localibus facultatem absoluendi à reseruatis Sedi Apostolicæ, vt ibidem, & *art.1.* docet.

54 Difficultas non leuis oritur an prædicta facultas concessa Prælatis Regularibus, tam de iure communi, quàm priuilegij, habeat locum in Prioribus nostræ Religionis, Tertiariorum. s. in qua *cap.14.* Regulæ inter casus reseruatos Prouincialibus, & Generali sunt hi duo. *Excommunicatio maior. Violentarum manuum in Clericos, vel Religiosos iniectio.* Ergo non videntur posse absoluere ab excommunicatione ob iniectionem manuum violentarum in Clericum, quod includitur in duobus illis casibus reseruatis.

Dico tamen non excludi Priorem à facultate absoluendi ab illis reseruatis vt sic. Tum quia dum aliis prohibetur absolutio, fit mentio solùm de Sacerdotibus his verbis. *Caueant igitur cæteri Sacerdotes, ne huiusmodi crimina confitentibus remittant, aut Confessos absoluant.* Quo nomine, *Sacerdotes*, non potest venire Prælatus, neque Prior Sacerdos, quia qualificata dispositio numquam venit sub simplici, *cap. Susceptum, de refer. in 6.* seu sub nomine simplici non venit qualificatum maximè in odiosis, *Nald. ver. qualitas num..8.* sicut nomine Monachorum, & Religiosorum non venit Abbas, & Prælatus in odiosis, *Nauar. consil.3.de statu mon.num.41. in fine*; Tum quia Prior ex vi priuilegiorum tantam facultatem habet, quam Prouincialis *Rodr.tom.1.quæst.17. art.4.* quam tamen illi Maiores limitare possunt, vt subdit *art. 5.* illi autem non limitauerunt in casu nostro, ergo possunt absoluere. Tum quia si excluderentur Superiores locales, hoc esset contra ius commune, qui in citatis *cap.8.32.& 50.* possunt suos subditos se inuicem percutientes, vel cum aliis Religiosis, absoluere, modò percussio non sit enormis, qualis est mors, mutilatio, effusio magna sanguinis, percussio sui Prælati, vt dicitur *cap. 32.* Statutum autem illud Regulæ à Papa confirmatum non fuit, sed à solo Protectore, qui non potuit derogare iuri communi in hoc; præterea neque Regula ipsa, neque protector de facto sustulerunt, aut limitauerunt supradicta priuilegia concessa etiam localibus absoluendi à quauis percussione, ergo non obstante Regula in eo *cap.14. de casib. reseru.* possunt Priores absoluere ab ea percussione reseruata. Præterea casus præfati cum aliis de Iure speciali Regulæ sublati fuerunt per prætatum decretum Clemen. VIII. vt dixi *resol.6. 31. & resolut. 37. 6.* vt colligo ex iis quæ habet Beja, qui interfuit, dum illud conderetur, nam *part. 3. casu 36.§ Extat*, dicit quod Clem.VIII. fecit à Generalibus, vel eorum Procuratoribus sibi in Schedulis præsentari casus omnes, qui in eorum Religionibus erant reseruati de iure, vel consuetudine, & expressos in dicto decreto voluit ab omnibus reseruari, quod ideò patet ex eo etiam, quod in fine dicti Decreti adest clausula derogatoria statutorum, Regularum, &c. Et faciunt quæ dicit *Graff.pr.lib.1.cap.4.num.37.* dum ait hoc ipso quod aliqui casus de nouo reseruantur ab homine, cæteri à iure, siu à consuetudine intelliguntur sublati, quod tamen Graffij dictum absolutè subsistere non videtur, vt dicam alibi, cum de casibus reseruatis.

Quæres 21. Quinam sint illi Religiosi, quos Superiores absoluere possunt ab iniectione manuum violentarum?

Resp. Sunt omnes illi, qui possunt illis confiteri sua peccata independenter ab approbatione Episcopi: & hi sunt Professi, Nouitij, & Tertiarij, aliique commensales perpetui, de quibus dixi *resol. 34. q.15.& 16. & resol. 36. q.19.* de Professis autem, & Nouitiis patet in citatis capitibus, præsertim *cap. Cum illorum vbi de ipsis Nouitiis*, siue percusserint ante ingressum, siue post, *Gloss. ver. Talibus ver. Mutilationem, Sair.lib.3.cap.28.num.14. Bonac. q.4.de hac excommun.p.5.n.1.§.Ceteri, in fine*, & alij communiter, nam in his maximè fauorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum. 55

Quæres 22. An Nouitij absoluti ab ea censura, aut à quauis alia, seu casu reseruatis regrediendo, reincidant?

Respond. Non reincidunt, quamuis non se præsentent ordinariis, quibus alias de iure erant subiecti quoad reseruationem. Quod procedit siue absoluantur virtute iuris *cap. Cum illorum*, siue iure priuilegiorum. Primum probatur, quia ibidem simpliciter datur hæc facultas nullo respectu habito ad perseuerantiam, aut retrocessionem; nec obstat *cap. Eos qui 22.de sentent.excommun. in 6.* quam pro se citant *Angel. Silu. Sair.* citati pro se à *Vecchio disput.9.dub 25.de hac re*, vbi dicit communiter tenere Doctores reincidere, quia dictum caput loquitur, quando quis absoluitur ab eo, qui non potest absoluere nisi in casu mortis, aut alterius legitimi impedimenti, vt ibidem expressis verbis dicitur; in casu autem nostro nullum est huiusmodi impedimentum, & de aliis impedimentis dicitur *cap. Quod de his 25. de sent.excomm.* cum ergo neutrobique Nouitiatus dicatur, neque sit ex huiusmodi impedimentis, cum neque simpliciter sit impedimentum, nostræ responsioni obstare non potest citatum caput. 56

Alterum quod neque iure priuilegiorum reincidant, probatur. Tum quia illis vtuntur more professorum, quibus sunt concessa simpliciter, & non sub conditione, si remanserint. Tum quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. Tum quia priuilegia, in quibus fit mentio de ipsis Nouitiis, non ponunt clausulam reincidentiæ, nisi priuilegium Clem.IV. relatum à *Rodriq.tom.1. q.10. art.21.* vbi ponit reincidentiam solùm, quando absolutus fuit ante ingressum, & receptionem habitus, & non intrauit Ordinem mox, quare stando in

rigore

rigore verborum iam habitu indutus absoluatur, vel si iam absolutus ingrediatur de facto, & ante professionem retrocedat, non reincidit, quia illa reincidentia ibidem spectatur ex fraudulentia eius, qui fingit se velle fieri Religiosum, vt præcisè absoluatur, fraus enim, & dolus nemini debent patrocinari. *Compend. resol.3.n.*1x. *dicit*, quod non reincidunt si absoluantur virtute priuilegij Clem. VII. concessi Prædicatoribus, vel Pauli III. Societati Iesu.

Quæres 23. An quando in Conuentu sunt solùm Prior, & alius Frater subditus, possint se inuicem absoluere?

57 Respond. Quando alter non sit valens absoluere, potest Superior facere facultatem subdito, vt seipsum absoluat, & vice versa potest Superior absolutus suum subditum absoluere, quia is censetur casus necessitatis, in quo lex seruari non potest; ac proinde neque peccatum participando in diuinis, neque irregularitatem incurrunt exercentes actum absolutionis in excommunicatione; illud de peccato patet ex illo versu. *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse*, ex vltima dictione, quæ non tantùm verificatur de communicante cum excommunicato, sed etiam de ipso excommunicato participante cum aliis. Alterum de irregularitate intelligendum est hoc modo, quod primo absoluens non debeat absoluere Sacramentaliter, hoc est, etiam à peccatis, sed tantùm extra Sacramentum, & ab excommunicatione præcisè, quia necessitas absoluendi refertur tantùm ad excommunicationem, qua sublata, debet deinde absolutus primum ab vtrisque absoluere, hoc est, à censura, & peccatis, hoc enim modo saluatur incursus irregularitatis, quæ ab excommunicato non incurritur nisi quando exercet actum Ordinis Sacri, non autem si exerceat actum iurisdictionis, vt in casu hoc absolutio à censuris extra Sacramentum, vt aliis citatis docet *Sair. lib.7. de cens. cap.9. num.* 10. Nostram responsionem docuerunt *Sorb. in sua Annot. ver. Absolutio ordinaria quoad Fratres §. Sed si succederet, Rodr. tom.1. quæst.20. art.12. ad finem.*

Quæres 24. Quæ seruanda sint in absolutione huius censuræ?

58 Respond. In foro externo tria seruanda sunt. I. Absoluendus debet iurare de parendo mandatis Ecclesiæ, hoc est, se non amplius transgressurum esse Canonem, vel decretum, seu legem, quam violauit, & habetur *cap. Ex tenore, cap. De cætero de sentent. excommun.* & hoc procedit in delictis grauibus. II. Debet parti læsæ satisfacere, *cap. Solet, de sentent. excommun.* hæc duo præstanda sunt ab excommunicato ante absolutionem. III. Demum à Superiore absoluente debet flagellari super humeros nudatos cum suis orationibus designatis in Rituali Romano. *Vide Nauar. cap. 26. num. 6. 7. & 8. Bonacin. in fine disput.1. de censuris. Megal. lib.1. de censur. cap.10. num* 12. In foro conscientiæ, seu occultè absoluens nihil petit nisi satisfactionem parti læsæ faciendam ante absolutionem. *Vide Vecchium disputat. 9. dub.* 12.

Quæres 25. An quando Secularis percutit Religiosum, possit absolui à Superiore Religiosi læsi?

59 Respond. Non potest, sed absolutio danda est ab eius Episcopo si sit leuis, si grauis à solo Summo Pontifice, vel etiam ab eius Episcopo, si percussio quantumuis enormis sit occulta vigore *cap.6. sess.*24. Nam Prælato Regulari nusquam conceditur huiusmodi facultas in iure, aut ex priuilegio, sed solùm dicitur *cap. Cum illorum* 32. *de sentent. excommun.* quod claustralis percutiens non enormiter Religiosum alterius claustri potest absolui per Prælatum vtriusque, & quod percutiens Religiosus Clericum Secularem absoluatur à solo Papa, vt ibidem dicitur, vel ab Episcopo *ex cap. Religioso* 21. *de sentent. excommun in 6. vt retuli sub q.*18. Licèt autem ex priuilegio Pauli III. Constitut. *Cum inter cunctas*, pag.184. Confessarij Regulares Societatis Iesu, & alij per communicationem possent aliàs absoluere à quibuscumque reseruatis Sedi Apostolicæ, exceptis casibus in Bulla Cœnæ Domini, ac proinde etiam ab excommunicatione ob percussionem Clerici, quoscumque Seculares, tamen postea ex Decreto Sacræ Congr. sublata fuerunt priuilegia quoad hoc, vt latiùs dixi *resol.5. quæst.* ... Quare nulla ratione modo absoluere possunt dictum Secularem percutientem Clericum Regularem; imò impedire potest ne absoluatur donec parti læsæ satisfecerit.

Quæres 26. An percutiens Clericum Secularem possit denuntiari excommunicatus ab Episcopo Clerici percussi? Videtur quod sic, quia Episcopus potest excommunicare Religiosos in illis omnibus casibus, in quibus potest illos punire, vt docent *Piasecius part. 2. prax. Episc. cap.3. num.52. §. Delinquentes, Genuens. in sua praxi cap.59. num.8. & Aldan. in suo Compend. Canon. resol. lib 2. tit.18. n.20.* refert decisum licere Episcopo pœnis, & censuris Ecclesiasticis in Decretis eidem specialiter commissis *sess.* 25. Regulares compellere ad eorum executionem, prout prædicta refert *Barbosa ad cap.*24. *sess.*25. sed Regulares extra claustra delinquentes, si à suo Superiore non puniantur, possunt corrigi ab Episcopo, *ex ead. sess.25. c.*14. & si possunt excommunicari, à fortiori declarari excommunicati.

Respond. Episcopus non potest denuntiare excommunicatum Religiosum, qui suum Clericum percussit etiam extra notoriè, & cum scandalo. Probatur; Tum quia Episcopus in hoc speciali casu delinquendi extra claustra non habet ius, nisi defectu Superioris negligentis punire suum subditum ex dicto *cap.*14. & in casu negligentiæ neque potest eum punire pœna declarationis ad effectum, vt ab aliis euitetur, quia de iure iam dicitur sufficienter declaratus ad hunc finem, vt euitari debeat à cæteris fidelibus in hoc enim casu sufficit, si percussor sit notorius quoad hunc excessum, ergo frustra adhiberur declaratio, quamquam in hoc casu negligentiæ Prælati non damnarem actum Episcopi ex vna parte, quia si non fuit satisfactum parti læsæ præsumi potest non fuisse absolutum. *Vide de hac re Graff. part. 1. lib.2 c.49. n.69. & 70. & ex eo Sorbum ver. Exemptio, § Sed an, Barbosam ad dictum c.14 sess.*25. asserentem huiusmodi delinquentes non posse puniri per censuras, & *num.*10. ait posse declarari excommunicatos. Hanc quæstionem fusiùs, & distinctiùs explicaui *resol.7. q.7.* vide ibi, & hæc corrige. 60

RESOLVTIO XXIX.

De Regularibus Transeuntibus.

SVMMARIVM.

1 *Decretum S.C. pro transeuntibus.*
2 *Non alterat aliud iuris communis.*
3 *Religio receptura facit fidem se esse paratam.*
4 *Receptio transeuntis spectat ad Conuentum immediatum.*
5 *Superior igitur cum suo Conuentu recipit Nouitium.*
6 *Sic apud Tertiarios recipientes Nouitium in filium.*
7 *Informationes de vita, & moribus à Superiore locali.*
8 *Probantur etiam extra Capitulum iure priuilegij.*
9 *Informationes sumuntur ab excedentibus annos 16.*
10 *A Superiore Locali cum suo Conuentu.*
11 *Quæ non recipiuntur à transeuntibus ad secunda vota.*
12 *Transiens ad laxiorem petit licentiam a Papa.*
13 *Ad parem obtinetur à Superioribus.*
14 *Cum consensu Conuentus.*
15 *Cuius est filius.*
16 *Ad strictiorem petitur à Superiore locali.*
17 *Et simul à Conuentu à quo.*

18 *Obtentio licentia non est necessaria.*
19 *Superiores transeuntes debent petere licentiam.*
20 *Perfectio maior, vel minor in Religionibus à quo sumatur?*
21 *Quandoque à fine extrinseco.*
22 *A fine intrinseco accipitur pro transeunte.*
23 *Mendicantes omnes ad Curtusianam.*
24 *Curati status non est perfectior Religionis.*
25 *Transitur à strictiori in obseru. ad laxiorem obseruantem.*
26 *Mendicantium Religiones quot sunt.*
27 *A Mendicantibus ad non Mendicantes prohibetur transitus.*
28 *Adest excommunicatio.*
29 *Religiones ferè omnes habent priuilegia prohibentia transitum.*
30 *Tertiarij non transeunt sub pœna excommunicationis.*
31 *Sub eadem pœna Minimi non recipiunt obseruantes.*
32 *Cartusiani transeunt ad Camaldulenses Eremitas.*
33 *Camaldulensibus prohibetur.*
34 *Cisterciensibus.*
35 *Carmelita discalciati ad solos Cartusianos.*
36 *Sicut & Discalciati S. Augustini.*
37 *Olmetani ad solos Cartusianos.*
38 *De mercede captiuorum prohibentur ad Mendicantes.*
39 *Barnabitæ sine licentia transeunt ad Cartusiam.*
40 *Jesuita ad quoscumque cum licentia Generalis.*
41 *Cassinensibus interdicitur etiam ad Cartusiam.*
42 *Canonici Regulares liberè transeunt.*
43 *Dominicanos recipientes Minores sunt excommun.*
44 *Transitus de vna ad aliam est de iure Pontificio.*
45 *Causa quatuor ad licitum transitum.*
46 *Et illicito transitu prima conditione quandoque sequitur nulla professio.*
47 *Secunda conditionis defectu boni finis sequitur.*
48 *Tertia conditionis defectum praeiudicij non irritat professionem.*
49 *Quarta defectus licentia irritat professionem.*
50 *Ingrediens animo transeundi post professionem peccat.*
51 *Omnibus licèt transitus ad strictiorem.*
52 *Etiam Superioribus.*
53 *Et subditis professis.*
54 *Item oblatus.*
55 *Causa transeundi ad laxiorem referantur.*
56 *Transiens ad laxiorem sine licentia non profitetur.*
57 *Reuersus quandoque reiicitur.*
58 *Rediens ex nullitate professionis non renouatiat.*
59 *Reuersus sedet vltimo loco.*
60 *Prior Religio non tenetur recipere validè professum in alia.*
61 *Quid si inualidè professum nolit recipere?*
62 *Transiens tenetur ad Nouitiatum, & professionem.*
63 *De professione probatur.*
64 *Translatus vt sit Superior solùm proficit.*
65 *Priuilegium habens transeundi illud insspiciat.*
66 *Episcopus quomodo transeat?*
67 *Parochi quomodo transeunt?*
68 *Votum non transeundi ad strictiorem nullum.*
69 *Quod de voto non transeundi ad laxiorem, vel parem?*
70 *Nouitius vouens non ingredi laxiorem validè vouet.*
71 *Probatur, & explicatur.*
72 *Vouens strictiorem validè profitetur in laxiore.*
73 *Irritare votum quid?*
74 *Dispensare similiter.*
75 *Irritare non possunt votum transeundi.*
76 *Sed tantùm dispensare.*
77 *Et commutare.*
78 *Obligationes Prioris Religionis cessant.*
79 *Conuentus totus potest transire.*
80 *Licentiam habens transeundi vagans punitur.*
81 *Officiis caret transiens ad non Mendicantes.*
82 *Non ad Cartusianos.*
83 *Concilij Decretum refertur.*
84 *Precedentia iura acquiruntur in professione.*
85 *Monialibus licèt transitus.*
86 *Claustrales non transeunt ad Militares.*
87 *Multiplicari potest transitus.*
88 *Vsusfructus transfertur.*
89 *Maximè relictus à parentibus.*
90 *Cui acquirat in secunda?*
91 *Scripta inutilia Priori secum fert.*
92 *Clericum transferunt ad statum Laicorum.*
93 *Et è contra.*
94 *Conuersus non vtitur corona.*
95 *Decretum de conuersis non transeuntibus ad statum Clericorum.*
96 *Transiens ad secunda vota, quos gradus secum transferat?*
97 *Prælatura non transferuntur.*
98 *Tituli non Prælaturæ transeunt.*
99 *Confessarius transit cum hoc gradu.*
100 *Professione secunda extinguuntur tituli.*
101 *Reuersi egent noua institutione titulorum.*
102 *Gradus extra acquisiti manent.*
103 *Gradus repugnantes secunda desinunt.*
104 *Doctoratus habet aliquid speciale.*
105 *Confertur intra, vel extra.*
106 *Continet duo dignitatem, & priuilegia.*
107 *Doctoratus est gradus perfectionis.*
108 *Inualidè Doctoratus defectu nulla professionis ratificatione solidatur.*
109 *Doctoratus est dignitas.*
110 *Duplex dignitas est.*
111 *Comitatur Doctorem vtique.*
112 *Suspenduntur eius priuilegia in reformatis.*
113 *In aliis non.*
114 *Lectores non omnes sunt Doctores.*
115 *Galli Tertiarij ad Italos Nouitiatum, & professionem emittunt.*
116 *Apostata inualidè profitetur in secunda.*

PEr *cap. Licèt* 18. *de Regul.* potest Religiosus à laxiore 1
Religione ad strictiorem transire post petitam à Prælato suo licentiam, licèt non obtentam, in hæc verba. *Talis ergo postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulauerit, ex lege priuata, quæ publica legi præiudicat, absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterua indiscreti contradictione Prælati.* Sacra Congregatio iussu Sanctissimi Vrbani VIII. in suo Decreto Dat. 21. Septembr. 1624. extenso apud *Vecchium disput. 11. de Nouit.* circa hunc transeundi modum ita decreuit. *Deinde, vt apostandi oportunitas Regularibus præripiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, eumque Regularis recta se transferat ad arctiorem; quod vt reipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.* Ex quibus verbis ibi, *Nullus permittatur*, inferri videtur cupientem transire, nullo modo posse, sine licentia non tantùm petita, sed etiam obtenta transire ad secunda vota, permittere enim transitum ex parte Superioris significat licentiam dare, ex parte transeuntis eandem obtinere.

Respond. Tamen, Illud caput in nullo alterari, sed 2
illi superaddi nouam formam transeundi ad secundam Religionem, quia illa clausula in ratione dubitandi adducta non refertur ad licentiam obtinendam, sed ad præscriptam formam, qua non exhibita nullo modò permitti potest transitus; benè enim stare potest, quod transiturus exhibeat fidem publicam probantem, secundam Religionem esse paratam illum recipere, & Superior resistat petitioni, nolitque licentiam dare, in quo casu

quod spectat ad Superiorem localem cum suo Conuentu, examinando, an habeat requisita ingrediendus, maximè vbi adest Filiatio, vt docet Gregor. XIV. Constitut. *Circumspecta.* Dat. 15. Martij 1590. extensa apud Quar. ver. Monasteria illis verbis. *Ideoque receptio Nouitiorum in vnoquoque Monasterio ad Superiorem Prælatum, & Capitulum eiusdem Monasterij tantum pertineat.*

Itaque tria hic spectantur. Receptio informationum, Approbatio earum, & receptio Nouitij ad Religionem, quæ de iure hoc modo procedere debent, nam primo informationes de vita, & moribus recipiendæ sunt à Superiore locali, qui intendit Nouitium introducere, neque enim in constitutione Sixti fit mentio de illis, qui habeor recipere, seu se informare de requisitis Nouitij, quare ratio dictat spectare potius ad Priorem, quam alium Superiorem, cum vt plurimum cognoscat volentem ingredi, & ambo morentur in eodem loco, ac proinde facilè recipi potest informatio de vita, & moribus illius, solent autem fieri per Notarios publicos in materia criminum, apud enim eorum acta constat sint necne criminosi, quod aduertit *Mirand. quæst.21. art.1. concl.1. Portel. ver. Nouitij num.3. §. Queres.* Et seruatur in nostra Religione. Informationes autem receptæ approbandæ sunt, vt suprà dixi, in Capitulo Generali, aut Prouinciali, vt docent etiam *Rodr. tom.3. quæst.10. art.3 Mirand. tom.1. quæst.21. art.4.* olim Nouitij probabantur etiam à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à propriis locorum Ordinariis, sed Sacra Congregatio id abstulit de iussu Vrbani VIII. in suo Decreto, de Apost. & eiect. suprà citato. Habitis ergo supradictis duobus Nouitius receptus ante, vel recipiendus statim habitu indui potest, cum nihil aliud præstandum supersit. Si tamen induatur habitu probationis, non præmissis informationibus non vitiatur Nouitiatus, sed recipi possunt ante professionem, de qua re vide *Vecchium disp.6. dub.4. Rodr. cit. qu.10. & Mirand. quæst.21.*

Scio præfatas informationes approbari posse extra Capitula Generale, aut Prouinciale, aut etiam intermedium, vt concesserunt idemmet Sixt. Constit. *Ad Romanum, §. Cum verò,* apud Quar. verb. Monasteria, indulgendo illis Religionib. quæ singulis annis non celebrant Capitolum, vt extra illud possint examinari, & approbari, ac indui habitu Nouitij à certis patribus ad præmissa deputatis, quæ concessio nobis non prodest, cum singulis annis celebretur Capitulum intermedium, quod & Congregatio nuncupatur. Gregorius XIV. in sua Constitut. *Circumspecta*, in Conuentibus vbi adest perpetua filiatio gratiam fecit, vt Nouitij, habita aliqua informatione vestiti possent, non tamen admitti ad professionem, nisi prius facta iam informatio examinetur, & approbetur in Capitulis etiam intermediis; & is modus facit ad propositum nostræ Religionis, in qua vsitatur filiatio, confirmatus à Sacra Congreg. 1619. die 5. Septembris, his verbis. *Sacra Congregatio Cardin. C.T. interpretum censuit, si quemadmodum proponitur, dicta Religionis Monasteria, ita sit instituta, vt in eis quedam perpetua filiatio constituatur, Nouitios ab eorundem Monasteriorum Superiore de sui Capituli consensu recipi posse, vt disertis verbis statuitur Constit. Sancta mem. Gregor. XIV. edita Idibus Martij Anno sui Pontificatus primo.* Et de eo modò loquitur *Rodr. tom.3. q.10. art.1. Mirand. tom.1. qu.21. art.1. qui cum Vecch. disp.6. dub 4. n.2.* dicunt non habere locum respectu Religionum, in quibus non adest filiatio, & ita est.

9 Nota aut Bullam Sixti V. quæ informationes recipi solùm à maioribus sexdecim annis mandat, non habere locum in minoribus ea ætate; imò nulla est ratio dubitandi, quin possint minores sexdecim annis recipi quouis tempore, cum de illis nullæ sint recipiendæ informationes, vt clarè colligitur ex ea constitutione, quæ expresè nominat tantùm maiores sexdecim annis, vt ad id aduerterunt etiam *Rodriq. tom.3. quæst.10. art.13. & quæst.54. art.6. §. Ex quibus, Sanch. libro 2. disput.37. n.30. in fin.* quos retuli *cap.2. de profess. regul. q.62. Vide resol.54. num.80.*

10 Transiturus ergo ad secunda vota, vt ex probatis hactenus infertur, de iure communi recipiendus est à Superiore locali cum consensu suorum subditorum annuentibus maioribus, quod & procedit in mea Religione illo *cap.8.* quisque consulat suæ Religionis, statuta. Et licèt supradicta videantur solùm procedere de ingredientibus simpliciter dictis Nouitiis, & non de Transeuntibus Religiosis ad secunda vota, tamen adhuc benè applicari possent nostro casui, quia non spectatur persona quatenus iam Religiosa est, sed quatenus transit, & efficitur nouitia, nam & seculares dicuntur transire à seculo ad Religionem, ergo more eorum recipiendus est transiens.

Quæres 3. An ab his transeuntibus recipiendæ sint informationes præscriptæ à Sixto V.

11 Resp. Non, quia Papa ibi loquitur expresè de Sæcularibus volentibus habitum Religionis accipere. *Ita docent Rodr. tom.3. quæst.10. art.13. Mirand. quæst.21. art.2. concl.6. & ex eis Vecch. disp.6. dub.6. & ego cap.2. de profess. regul. quæst.63.*

Quæres quarto. A quonam Transiturus debeat petere licentiam in Religione vbi reperitur ante transitum?

12 Respond. Quando transit ad laxiorem siue adsit causa, siue non, solus Papa dat hanc licentiam ex *sess. 25. cap. 19. Nemo regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem*, ea ratione, quia huiusmodi transitus non potest fieri sine commutatione prioris voti maioris in minus, ac proinde sine aliqua dispensatione, quæ cum sit circa votum solemne Religionis, ideò ad solum Papam spectat. Ita tenent Specul. *Abbas, Monach. Anchar. Imol. Roman. Henr. quos citat sed non sequitur Sanchez lib.6. cap.7. num.52. eam tenet Bonac. quæst.2. de claus. part.9. §.3. differ.1. num.13. §. Respondeo, Compend. resolut. 124. num. 91. vbi alios citat. Portel. ver. religionis transitus num.12.* Alij nostram Responsionem admittunt, quando nulla subsistit causa, spectare nimirum, ad solum Papam licentiare, *Gloss. ver. Canonicè, cap. Cum singula 32. de prebend. in 6. citantur à Sanchez lib. 2. cap.7. num.50. dub.5. num. 1. & tenet idem Sanchez num. 67. qui cum aliis omnibus, & Compend. resol. 123. num.65.* ait talem licentiam siue legitima causa datam non prodesse pro foro animæ, vtique pro foro externo, ergo signum est, quod ibi est aliqualis dispensatio, ac proinde solius Papæ, cum versetur circa votum solemne. Contra nostram responsionem tenent iuxta subsistente causa, posse Prælatos maiores, Generalem, seu Prouincialem cum assensu Conuentus, licèt pateat aditus ad Papam, *Nauar. consil.56. de regul. Azor. tomo 1. lib.12. cap.15. q.1. Lessius lib.1. de iust. cap.41. dub.13. num.103. & alij cum Sanch. lib.6. c.7. n.65. 66. & 68.*

13 Quando fit transitus ad parem, seu æqualem, tunc à Prælatis maioribus cum consensu Conuentus petenda est licentia, & obtinenda, de iure communi. De Prælato maiori Generali, aut Prouinciali, probatur, quia hæc est vna ex causis grauioribus, ergo illis est reseruata, maiores enim causæ maioribus referuntur, *cap. Vt debitus 59. de appell. cap.3. de baptis. in princ.* vbi est sermo de causis ad primam sedem referendis, quod tamen proportionaliter intelligitur etiam respectu aliorum Prælatorum inferiorum, *& ex gloss. magna propè finem extr. 1. comm. de pænitent.* 14 Quod requiratur consensus Conuentus probatur, & quia Conuentus simul cum Superiore acquisiuit ius super dictum Religiosum, ergo consentaneum est, vt ab vtrisque remittatur; & quia negotia grauia tractantur, & perficiuntur cum consilio, & consensu Fratrum *cap. Nouit. 4. cap. Quanto 5. cap. Ea noscitur 6. de iis, quæ fiunt à Prælatis;* & quia alienatio aliarum rerum non potest fieri sine consensu capituli *cap. placuit 50. c. sine exceptione 51. cap.*

Terrulas 52. 12. *quæst.* 2. ergo multo minus Religiosi, cum huius maior sit alienatio, quàm illarum, *gloss. ver. Capitulo cap. Cum olim, de maioris. per cap. præcipimus* 12. *quæst.* 1. Præterea is consensus requiritur in transitu ad strictiorem *cap. Statuimus* 19. *quæst.* 3. ergo eo magis in hoc casu. Quod licentia sit obtinenda probatur ex eo quod Conuentus iam habet ius super illum, vt non possit recedere, cui iuri potest renuntiare Prælatus cum Conuentu faciendo illi facultatem recedendi. Debet autem hæc facultas concedi ex iusta causa, quia Prælati sine illa non possunt religioni auferre ius, quod super religiosum acquisierat, vnde dicit *Angel. ver. religiosus num.* 34. *quem citat Bonac. quæst.* 2. *de claus. part.* 9. §. 3. *differ.* 1. *num.* 12. §. 3. quod sine causa solus Papa licentiat ad æqualem, quia magno iure in religionibus gaudet. Hanc responsionem quoad Prælatos maiores præsertim Generalem tenet Bonac. cit. & etiam quoad consensum Conuentus, *Gloss. Canonicè c. cum singula de prabend. in* 6. *Angel. ver. religiosus num.* 34. *Siluest. ver. religio* 4. *quæst.* 9. *Tabien. qu.* 23. *quos citat cum aliis Sanch. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 49. *Portell. ex Rodriq. num* 14. refert Sacram Congregationem declarasse, id fieri non posse nisi de licentia Capituli Generalis, cui putat esse standum, vbi subdit, quod si de ea dubitetur, poterit Generalis, aut Prouincialis eam licentiam concedere ex iusta causa, & ibidem aduertit in sua Religione Minorum non posse eam licentiam concedere dictos Prælatos, quia ex præcepto regulæ *cap.* 2. non possunt Fratres Minores exire, sed dic tu posse, quia ibi est sermo de exitu ad sæculum, vt colligitur ex dicto sacro. *Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro aptus est regno Dei.* Ibidem relato, non autem de transitu ab vna ad aliam religionem, qui fit sine retrospectione, & cum aptitudine regni Dei.

15 Nomine autem Conuentus, cuius consensum habere debet transiturus, venit illud Monasterium, cuius ille filius est, nam sicut in alienatione rerum Monasterij præstant consensum filij, seu alij de familia, vbi contingit alienatio, ita & Fratres eiusdem Conuentus, à quo recedit filius, consensum præbere debent, cum agatur de iure tangente consilios eiusdem Monasterij.

16 Cum verò fit transitus ad arctiorem sufficit petere licentiam, licèt non obtinere à Prælato immediato Conuentus, & simul à Fratribus eiusdem Monasterij, à quo transiturus est filius. Primum de Prælato immediato, probatur ex *cap. statuimus* 19. *quæst.* 3. ibi. *Districtioris Religionis obtentu ex eodem claustro audeat sine patris, & totius Congregationis permissione recedere.* Pater autem claustri est propriè Superior localis, Papa enim Vrbanus II. de anno 1088. creatus scribebat Abbati Sancti Rufini, & proinde Superiori locali, tunc enim temporis nondum erat institutio Superiorum maiorum; & ex *cap. Licet* 18. *de regul.* vbi dicitur, quod licentiam petere debet à suo Prælato, ne videatur contemnere bonum obedientiæ, quo nomine propriè, & præcipuè venit localis, qui dicitur suus, & obedientiam præstare quotidie, cum præ oculis illum continuè habeat, ita *Sanchez lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 59. *Bonac. quæst.* 2. *part.* 9. §. 3. *differ.* 1. *num.* 9. *Siluest. religio* 4. *quæst.* 3. *Mirand. tom.* 1. *quæst.* 31. *art.* 5. *conclus.* 1. *Nauarr. comm.* 4. *de regul. numero* 10. *quos & alios citat Vecchius disputat.* 15. *num.* 13. *Portel. num.* 4. Hæc procedunt de iure communi, nam in tota Religione Franciscana petitur à Maioribus, *Rodriq. tom.* 3. *quæst.* 52. *art.* 3. *Angel. ver. religiosus num.* 36. *quos sequitur Vecch. citatus*, & hoc est clarum in mea Religione *cap.* 9. *in fine*, & in Constit. *Decet Romanum.* Iulij II. in Bull. nostro pag. 56. petendam esse à Generali, aut Prouinciali.

17 Alterum de licentia etiam à Conuentu petenda, probatur ex citatis verbis *cap. statuimus*, vbi satis id expressum est, nec verum est quod dicit *Sanch. num.* 6. *caput Licèt*, loqui de solo Prælato, & si enim nulla fiat mentio de Conuentu, tamen non excluditur, aliter illi duo textus aduersarentur ad inuicem, quod est inconueniens, quia expedit iura iuribus concordare. Atque ratio est, & quia sicut se obligauit perpetuo Religioni, ita & vice versa Religio ipsi, quæ proinde super ipsum ius quoddam acquisiuit; Religio autem est Congregatio Religiosorum, ergo ad auferendum hoc ius præter Prælatum requiritur etiam Conuentus licentiam, & quia hoc negotium est commune toti Conuentui, ergo tam subditorum, quàm Prælati requiritur licentia, & quia est quædam alienatio, quam facere non potest Superior sine consensu Fratrum, ex adductis iuribus hîc §. Quando, & quia est res grauis, quam Prælatus non potest expedire sine consensu sui Capituli. Est opinio *Gloss. ver. Canonicè, cap. cum singula* 32. *de prabend. in* 6. *cap. si religiosus*, 27. *de elect. in* 6. *gloss. fine varia. Turrecrem. in citatum cap. statuimus*, & tutiorem putant *Innoc. Host. Ioan. Andr. Anton. quos refert Sanch. libro* 6. *cap.* 7. *num.* 40. *qui num.* 62. tenet non esse necessariam Conuentus licentiam, sed peti posse à solo Prælato, vt asserunt *Nauar. tom.* 2. *commeat.* 4. *de regul. num.* 10. *Rodriq. tom.* 3. *quæst.* 52. *art.* 3. *& alij, quos refert Sanch. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 41. *Bonac. cit. num.* 10. ex eo quod transitus illi competit iure naturali, intellige tu positis debitis requisitis. Hæc autem licentia petenda est ante transitum, *Angel. num.* 35. *Rosella religio* 4. *num.* 4. *Azor. libro* 12. *cap.* 4. *quæst.* 6. *Vecch. disputat.* 15. *dub.* 2. *num.* 6. Et eam non petens peccat grauiter *ex Nau. consil.* 52. *de regul. in fine, Sanch. num.* 33. dicit esse mortale, cum sit transgressio rei grauis nempè obedientiæ. Causam autem transitus suo Superiori exprimere debet, *vt docet Sanch. cit. num.* 36.

Quod non sit necessarium obtinere licentiam, ac proinde negata transire ad secundam Religionem strictiorem, expressè dicitur in cit. *cap. Licèt*, & valet transitus pro vtroque foro, vt docet *Rodr. quæst.* 52. *art.* 3. *& ex eo Portel. ver. religionis transitus num.* 5. Vt autem liceat necesse est, vt non fiat ex leuitate, neque cum detrimento prioris Religionis, vt colligitur ex citato capite, & notat *Portel. cit. num.* 6. & Prælatus negans licentiam sine legitima causa, peccat mortaliter inquit *Portel. num.* 11. §. *Hoc.* 18

Superiores autem transeuntes ad laxiorem, sicut & subditi, tenentur eam immediatè petere à Papa, iuxta dicta hîc primo loco, in hoc enim vocantur subditi, & potior ratio est in eis, qui ex officio suo deberent perseuerare in gubernatione suorum Conuentuum. Si verò transeant ad æqualem, vel strictiorem Locales petunt à suo Prouinciali, & is à Generali, iste demum à Summo Pontifice, qui illius est immediatus Superior. Sufficit autem petere, licèt non obtineatur, dum fit transitus ad arctiorem, si tamen Papa eam denegaret Generali, tunc non posset transire, quia ipse est super ius, & transeuntem reuocare potest, ita tenet *Sanchez libro* 6. *capitulo* 7. *numero* 8. *& ante ipsum Angel. numero* 34. *Siluest. ver. religio* 4. *numero* 3. *Rosella numero* 8. *Tab. quæst.* 24. *Bonac. quæst.* 2. *part.* 9. §. 2. *numero* 6. Præterea credo non sufficere licentiam petere à suo Superiore, sed præterea requiri etiam licentiam Conuentus, seu Capituli, nempè Prouincialis cum suo definitorio, quando Prior vult transire, & Generalis cum suis Definitoribus, quando Prouincialis transiturus est, quod probatur; & quia aliàs vertebatur in dubium an requireretur consensus Conuentus, quando quis transferebatur vt Prælatus ad aliam Religionem, quem non requiri statuitur *in cap. si religiosus* 26. *de elect. in* 6. sed sufficere licentiam sui Prælati, vt quis eligatur ad Ecclesiam extra ordinem, ergo multò magis casus dubitabilis est hic, cum duo spectentur, renuntiatio Prælaturæ, & transitus, & cum sit res magni momenti non potest tractari à Prælato sine consensu sui Capituli, vnde neque Papa renuntiare debet sine consilio, & assensu suorum Fratrum *cap.* 1. *de renunt. in* 6. & quia pro transitu simplicis Religiosi requiritur ex probans hîc §. Quando, ergo eo magis in casu nostro. 19

Quæres

20 Quæres 5. A quonam desumatur maior, vel minor perfectio Religionis, vt possit de iure fieri transitus à minus perfecta ad perfectiorem? Nota autem quod ex duplici capite, seu fine desumi potest huiusmodi perfectio. Primò, ex fine intrinseco, seu absolutè, & vtili Religioso, qui consistit in vnione animæ ad Deum per media aptiora ad huiusmodi finem obtinendam, & huius generis sunt obseruatio trium votorum; item exercitia spiritualia, vt sunt oratio, frequentatio Sacramentorum, silentium, solitudo, item corporales austeritates, vt abstinentia, ieiunium, cilicium, incessus sine calceis, tuditas habitus, vigiliæ noctis, dormire extra lectum, &c. Illa ergo Religio, quæ omnia vel plura præscribit seruanda est austerior, & asperior ea, quæ minora, vel pauciora trad. suis professoribus, ac proinde in hoc sensu perfectior. Similiter, quæ præter tria vota, obligat etiam ad omnia, vel plura ex prædictis exercitiis perfectior est alia, quæ ad pauciora, vel ad nulla obligat, sed præscribit obseruanda tantùm sub consilio.
21 Secundò, vna Religio dicitur perfectior alia ratione finis extrinseci & relatiui, qui consistit non solùm in vtilitate propria, sed etiam proximi, vt sunt Religiones, quæ respiciunt non solùm salutem sui professoris, sed etiam vtilitatem proximi, vt sunt prædicationes, administrationes Sacramentorum, redemptiones Captiuorum, seruitus infirmorum, instructio iuuenum, &c. Illa igitur Religio, quæ maiora charitatis opera exercet in proximum perfectior est alia, quæ pauciora, vel nulla præstat pietatis opera erga proximum. Sed quoniam hæc pietatis opera extrinseca sunt ad esse religionis, quæ perfectè sine illis consistere potest, idcircò ex illis religionis perfectio desumenda non est, sed aliundè, nimirum ex his mediis, quæ sunt accommodata ad perficiendum religiosum & vniendum cum Deo, tanquam vltimo, & propriissimo fine omnium religiosorum, qui ideò tales dicuntur, quia speciali modo præ cæteris Christianis seipsos Deo vouerunt, & dedicauerunt, cui se approximare intendunt per diuersa exercitia tam corporalia, quàm spiritualia, iungendo se illi per gratiam in via, & per gloriam sperantes se vniri in patria cælesti. Quibus notatis.

22 Respond. Maior, vel minor perfectio Religionum in ordine ad transitum desumitur non ex fine extrinseco respiciente vtilitatem proximi, sed ex intrinseco consistente in vtilitate professi cupientis transire. Probatur, Tum ex etymologia huius vocis, *Religio*, quæ denotat eius professorem denuo ligari, & obligari Deo per votum professionis, homo enim per susceptionem baptismi primo speciali modo se obligat Deo, deinde secundo per professionem in Religione antiquam obligationem magis corroborat, & specialius religat omnipotenti Deo; sed hæc respiciunt vtilitatem ipsius Religiosi, ergo quatenus Religiosus transit Deo se ligare magis intendit, ergo debet transire ad strictiorem, & perfectiorem quoad se, & non quoad salutem proximi. Tum quia iura loquentia de transitu, semper respiciunt vtilitatem transeuntis, non fructum, quem consequi posset fauore aliorum ex eo transitu, vnde illo *cap. Licet, de regul.* dicitur, quod lex priuata præualet legi publicæ. Tum quia lex charitatis est, vt & ordinata incipiat à se *cap. si non licet 23. q. 5.* ergo hunc charitatis actum transeundi debet Religiosus ordinare ad se, & consequenter transire ad perfectiorem ratione austeritatis, non ratione vtilitatis proximi. Tum quia iura semper faciunt mentionem de vita arctiori, quæ vtilis est transeunti. Tum quia transitus fit, vt consulatur animæ transeuntis, ergo ad asperiorem.

23 Tum quia ab omnibus mendicantibus fieri potest transitus ad Cartusianam, quæ tamen non est perfectior aliis ratione vtilitatis proximi, sed solùm ipsi transeunti, cui præ aliis est austerior. Tum quia si aliquando negatur in iure transitus ab vna minus austera ad asperiorem, id non accidit, quia perfectio desumatur ab illo fine extrinseco, sed quia fit ex leuitate quadam, & temeritate, qua ratione prohibetur transitus à Canonicis Regularibus ad Monachos *cap. 1. 2. & 3. 19. quæst. 3.* qui tamen inseruiunt Regulæ strictiori, *cap. Quod Dei timorem, de statu mon.*
Tum quia sequeretur statum Curati 24
esse perfectiorem statu Religiosi, ex eo quod ille incumbit saluti animarum proximi, & tamen hoc est falsum, cum in statu perfectiori sit Religiosus, vt docet *D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 8. & ex eo Nauar. consil. 19. de cler. non resid. num. 2.* ex eo probans, quod fit transitus à Clerico curato ad Religionem, *cap. Clerici 19. q. 1. & cap. Duæ q. 2.* Ita sentiunt *Rodr. tom. 3. quæst. 52. art. 4. vbi seipsum citat quæst. 48. art. 1.* vbi plura de perfectione Religionis in genere præscindendo a transitu, eius *Compend. resolut. 123. n. 58. Portel. ver. Religio n. 1. & 2. Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 21.* vbi alios citat, referens & reiiciens oppositam opinionem.

Quæres 6. An possit fieri transitus à Religione strictiori ad Religionem laxiorem, quando in strictiori non seruatur Regula, vtique vero in laxiori? sit exemplum in Franciscana primi Ordinis, in qua regula est austerior, & strictior, & dato quod ibi non seruatur regula, an aliquis illius regulæ possit transire ad religionem Seruitarum, vbi seruatur regula, quæ est laxior?

Respondeo. Potest licitè petita, licèt non obtenta, 25
quia in eo casu religio Seruitarum censetur strictior quoad transitum, ratione obseruationis regulæ, asperior enim religio desumitur non solùm ex regula, sed etiam ex constitutionibus, & præcipuè ex præsenti obseruantia, in qua formaliter consistit austeritas, & strictitudo religionis, vita enim religiosi consistit in exercitio vitæ spiritualis iuxta sibi præscripta in sua regula. Necesse est tamen, vt non sit alius Conuentus, qui seruet regulam, nec speret in pristinum reformationem, & reductionem religiosorum ad obseruationem regulæ, quàm professi sunt. *Ita Rodriq. tomo 3. quæst. 52. art. 5. Nauar. tomo 2. Comment. 4. de Regul. num. 3. Rosella ver. religio 4. num. 8. Angel. religiosus num. 34. Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 24. & 25. quamplures alios citat, Mirand. quæst. 31. art. 4. Compend. resol. 123. num. 59. vbi aly citantur.*

Quæres 7. Quænam sint illæ religiones, inter quas 26
ab vna ad aliam vel strictiorem potest fieri transitus de iure concessus? Nota quod inter religiones aliæ sunt Mendicantes, quæ principales sunt quatuor, ordo Sancti Dominici, Sancti Francisci, Sancti Augustini, & Carmelitarum ex Gregorij X. *in cap. Vn. de religiosis dom. in 6.* quibus adiecti fuerunt reliqui Ordines, nempè Seruorum, Minimorum, Iesuatorum, Iesuitarum, & aliorum apud *Rodriq. tom. 1 quæst. 2. & tom. 3. quæst. 49. art. 1. & ex eo Compend. resol. 123. num. 25. Sanch. li. 6. cap. 7. n. 117.* Non Mendicantes verò sunt Ordo Canonicorum Regularium, Monachorum Benedictinorum, ex quo exierunt Congregationes Montis Oliueti, Vallis Vmbrosæ, Cistersiensium, Cartusianorum, Cœlestinorum, Camaldulensium, & aliorum Monachorum apud præcitatos Doctores, quibus adde *Vecchium disp. 15. dub. 5. n. 14. & alios citandos.*

Respond. Nullus Mendicans potest transire à sua re- 27
ligione ad aliam non Mendicantem, excepta Cartusiana sub pœna excommunicationis latæ sententiæ tam contra ipsum transeuntem, quàm contra recipientes iostituta, & Papæ reseruata, vt expressè dicitur Extr. comm. Viam ambitiosæ, de regul. sic tenent omnes *cum Rodriq. tom. 3. quæst. 52. art. 15. cum suo Compend. resol. 123 num. 70. Mirand. tom. 1. quæst. 31. art. 8. Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 28. Vecch. disp. 15. dub. 5. num. 9. Bonac. quæst. 2. de claus. p. 9. §. 5. diff. 2. num. 12.*

Procedit hæc responsio, quod non fiat transitus, I. etiam cum licentia obtenta sui Superioris, & consensu etiā Monasterij, *Mir. cit. concl. 1. Vecch. cit. n. 9.* Procedit, II. in solis validè professis, vnde irãteūr Nouitij, & inualidè professi, Mirād. religioni enim illi non sunt obligati

Sanch. cit. num. 112. Procedit III. quando fit transitus prætextu cuiuscumque licentiæ, etiam indulti Apostolici, aut quorumcumque Legatorum, aut Nuntiorum Apostolicorum, vt ibi expresè dicitur, *Bonac. cit. n.* 53. *Sanch. cit. num.* 110. qui dicunt sine dicto prætextu non incurrere excommunicationem. Procedit IV. in omnibus mendicantibus etiam post eam Extr. institutis, quia lex semper loquitur, *l. Ariani, Cod. de heretic. Sanch. cit. n.* 117. *& ex eo Bonac. n.* 18.

28 Excommunicatio autem illa incurritur etiam per simplicem transitum, & receptionem, licèt nondum professionē emiserit, textus enim non distinguit inter receptionem ad probationem, vel professionem, sed vtrumque includit, vt apertè habetur in dicta Extr. Afficit autem solos Superiores recipientes, & non subditos consentientes receptioni, cum de subditis non fiat mentio, sed de solis Superioribus, *Bonac. n.* 17.

29 Omnes ferè Religiones etiam inter Mendicantes eiusdem quoque instituti obtinuerunt à Sede Apostolica indulta, & priuilegia ne sui Religiosi transirent ad aliam, etiam æquè strictam, aut etiam strictiorem; vnde in Franciscana Fratribus Reformatis prohibetur transitus ad Conuentuales sub pœna excommunicationis latæ sententiæ contra ipsos transeuntes, & Prælatos, ac subditos Conuentualium eosdem recipientes, vt videre est in Bulla Vnionis Leonis X. quàm citat *Sorbus ver. Conuentuales Fratres* §. 2. *& ex eo Bonac. q. 2. de clausp. p. 9. §. 5. diff. 2. num.* 1. Paulus III. Constit. *Romani*, & Iulius pariter III. Constit. *Officij*, interdixerunt Minoribus de Obseruantia transitum absque licentia suorum Superiorum Generalis, aut Prouincialis, in scriptis ad Fratres Capucinos, quas Constitutiones postea confirmauit Sixtus V. in sua Constitut. incipit *Pro ea quam* 20. in Bullario nouo, excommunicando Capucinos cum priuatione dignitatum, & officiorum recipientes Minores de obseruantia absque Pontificis licentia, *& ibi Compend. in Schol. citat Rodriq. tom. 3. quæst. 52. art. 22. Vide Vecch. disputat. 15. dub. 3. num. 5. Bonac. cit. num. 2. Sorbum ver. Recipere Filliuc. tract. 14. cap. 8. quæst. 10. num.* 150. Gregorius XIV. Constitut. *Beati Francisci* II. interdixit Capucinis transitum ad Reformatas Conuentualium, sed hi modò extincti sunt. Pius V. Constitut. *Sedis Apostolica* 45. prohibuit sub pœna suæ indignationis, ne Capucini transirent ad Minimos Sancti Francisci de Paula, & è contra ne isti ad illos transirent; pœna autem indignationis est pœna arbitraria Sanctitatis suæ, *& vt dixi Bald. in Auth. statuimus, Cod. de Episcop. & Cler. num.* 2. & hoc communiter recipi dicunt *Menoch. de arbit. casu 361. num. 3. & Farinac. quæst. 19. sub num. 32. quos citat Compend. ad dictam Bullam schol. 1. Vecchius disp. 15. dub. 3. n.* 6. Clemens VIII. Constit. *Nuper ad nos*, 46. interdixit Minoribus de Obseruant. transitum ad Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptoris Captiuorum, etiam prætextu quarti voti, quod emittunt, & Papa ibi dicit, alia ratione, quam quarti voti Regulam strictiorem esse iudicandam. Ad quos de Mercede neque Fratres Capucini transire possunt, vt interdicit Paulus V. Constitut. *Nuper ad nos* 50. Franciscani igitur sub prima Regula militantes non possunt transire ad se inuicem, nempè Zocolantes ad Capucinos, neque isti ad illos, vtique verò Conuentuales ad Zocolantes, & Capucinos, cum hoc non sit interdictum.

30 Tertij Ordinis Regulares Diui Francisci non possunt transire etiam ad Mendicantes alios sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, nulli tamen reseruatæ, nisi prius petita licentia à Visitatore Generali, seu eius Vicario Prouinciali, & ita decreuit Iul. II. Constit. *Decet Romanum*. Dat. 8. Ian. 1508. Sufficit autem licentiam petere licèt non obtineatur, sed negetur, cum sit transitus ad strictiorem, iuxta ius commune *cap. Licet 28. de regul.* cui non fuit derogatum per dictam constitutionem, quæ nullam facit mentionem de impetratione licentiæ, & ideò is casus relinquitur dispositioni iuris communis, ex vulgatis iuribus. Ita docet *Nau. consil.* 54. *de regul.* vbi dicit licitum esse transitum ab hac Religione ad Religionem S. Benedicti, quæ est strictior cum sola licentia Generalis, aut Prouincialis licèt non obtenta; sed non placet hoc, quod ab ea possit fieri transitus ad hanc cum sola licentia sui Superioris, cum de iure Extr. *Viam ambitiosæ* requiratur etiam Papalis licentia, cum fiat transitus à Mendicante ad non Mendicantem, interdictus omnibus mendicantibus ad Monasticos, siue laxiores, siue strictiores, & ibi expresè fit mentio de Ordine S. Benedicti. De iure speciali, aut communi nullam aliam habent prohibitione, vnde cum sola licentia dictorum Superiorum transire possunt ad arctiorem Regulam aliorum Mendicantium, adhibito Conuentus consensu, iuxta dicta sub *q.* 4.

Minimi S. Francisci de Paula prohibentur sub pœna excommunicationis latæ recipere sine licentia Papæ Minores de Obseruantia, vt statuit Iul. II. Constit. *Exponi, Bonac. quæst. 2. de claus. p. 9. §. 5. diff. 2. num. 3. vbi pro ea excommunicatione refert Vgald. & Filliuc. Vide Sorbum ver. Recipere Rodr. tom. 3. q. 52. art. 21. Portell. n.* 15. Fratres autem isti non transeunt ad Capucinos ex Constit. Pij V. vt suprà. 31

Cartusiani transeunt ad Camaldulenses Eremitas ex Constit. *Illa, quæ pro tranquillo*, Eugen. IV. in Bull. 8. Et, si enim Monachi vtriusque Ordinis solitariam degant vitam, tamen Camaldulenses dicuntur esse in maiori solitudine, vt ex Doctoribus refert Compend. ad dictam constitutionem. Ad Cartusianos omnium Religionum tam Mendicantium, quàm Monasticorum patet aditus de iure communi, exceptis Clericis infirmorum, qui non possunt transire ex Constit. 20. Pauli V. incip. *Romanum decet. Vide Mirand. tom. 1. q. 31. art. 10. &* 11. vbi negat id Franciscanis. 32

Camaldulensi Priori, & cæteris in Eremo famulantibus Gregor. XIII. Constit. *Ea est Eremi*, 99. præcipit, ne ad alium Ordinem, & Religionem, etiam quæ Montis coronæ vocatur eiusdem Ordinis sine expresso consensu in scriptis obtento Maioris dicti Eremi, transire audeat. Ad hos patet aditus omnibus Religiosis siue Mendicantibus siue Monachis, etiam Cartusianis, vt dixi, & ita constituit Greg. IX. Constit. Feruor, & integritas. 5. Sixt. V. Constit. *Ea est Congregationis*. 35. 33

Cistercienses prohibentur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ad Abbates eis licentiam concedentes, transire ad alium Ordinem, quàm Cartusianorum, ex Constit. 16. Eug. IV. incip. *Regularem vitam*. Alias ordinationes pro eisdem dictis de B. Maria Fuliensi vide Const. *Pastoralis nostri*, Clem. VIII. 12. & eiusdem 107. incip. *Pro nostro Pastorali*. 34

Carmelitæ Discalceati ad solos Cartusianos transeunt, Gregor. XIII. Constitut. 64. *Pia consideratione*. 35

Eremitæ S. Augustini Discalceati ad solos Cartusianos transeunt, Clem. VIII. Constit. 111. *Pastoralis Officij*. 36

Oliuetani Ordinis S. Benedicti ad solos Cartusianos transire possunt, ad alias verò Religiones cum licentia, & consensu Abbatis Generalis, aliter irritum & inane quicquid attentatum fuerit. Greg. XII. Const. *Specialis beneuolentiæ* relata per extensum à Compend. ad Bullam, 2. Clem. VI. 37

Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum non possunt transire ad Ordines Mendicantium, Const. *Super gregem* 3. Callisti III. & reddit rationem, quia iste Ordo respectu quarti voti peregrinationum transmarinarum pro redimendis captiuis ab infidelibus, & se excambiando pro Captiui redemptione censetur strictior illis: Recipere non possunt Minores de obseruantia, neque Capucinos, neque Minimos, vt suprà retuli. Et modo ad nullam omnino transire possunt excepta Cartusiana, *vt statuit Vrbanus VIII. Const. Commissi, apud Peyrin tom. 3. c.* 12. 38

Barnabitæ, qui dicuntur Congregationis S. Pauli Decollati absque licentia sui Generalis non possunt 39

transita

transire ad quemuis alium ordinem præter Cartusianum, vigore cuiuscumque indulti, ad Cartusianos infrà tres menses à die recessus, ad alios ordines infrà terminum à Generali præfigendum.

40 Iesuitæ transire possunt ad Cartusianos iuxta ius commune, & etiam ad quoscumque alios cum licentia sui Generalis, vt docet *Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 71.* ex concessione Pauli III. Pij IV. & V. & Gregor. XIII. Transeuntes autem, & recipientes non Cartusiani, sine dicta licentia incurrunt excommunicationem, quam tollere potest ipse Generalis, vt docet *Suar. & ex eo Sanch. cit. num. 18. Bonac. quæst. 2. de clauf. part. 9. §. 5. diff. 2. num. 5. §. Addo*, dicit requiri etiam licentiam obtentam ad ingressum in ordinem Cartusianorum, quia Iesuitæ gaudent priuilegiis Carmelitarum, ex priuilegio Pij V. Carmelitis autem concessum fuit priuilegium à Paulo V. die 3. April. 1610. ne ad Cartusiam transire valeant sub pœna excommunicationis latæ. Non placet. Tum quia Sanch. hoc non dicit, sed excipit semper Cartusianos ab hac licentia, vt exceperunt citati Pontifices. Tum quia hoc non benè deducitur ex communicatione priuilegiorum, quorum communicatio semper intelligitur quoad fauores, non quoad odiosa, & pœnas, vt docent *Rodr. tom. 2. quæst. 55. art. 17. ad finem, Mirand. tom. 2. quæst. 46. art. 6. Sigismund. dub. 56. num 10. & 11. Portell. ver. commun. priuileg. num. 10. Sorbus eod §. Notandum, contra eundem Portell hic num. 11.* in specie transitus ad secunda vota.

41 Cassinensibus interdicitur transitus ad Cartusiam iuxta ea, quæ refert *Miranda tom. 1. q. 31. art. 22. concl 1. Rodr. tom. 3. q. 52. art. 20.*

42 Canonici Regulares transire possunt ad quemcumque ordinem Mendicantium, & Monachalem vt ex D. Thoma, & Nau. probat *Mirand. cit. art. 9.*

43 Dominicanos recipientes Minores sine expressa licentia Papæ, vel suorum Superiorum incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam, & est etiam contra Eremitanos, de qua *D. Anton. part. 3. tit. 24. cap. 70. Suar. de cens. disputat. 22. sect. 5. num. 17. Armilla excommunic. 67. Fillluc. tract. 15. cap. 8. q. 7. num. 197. & ex eis Bonac. q. 2. de clauf. q. 9. §. 5. diff. 2. n. 6. vbi ait de mente Suar.* non esse reseruatam, quia in priuilegio Clem. nulla fit mentio reseruationis.

Quæres 8. Quo iure Regularibus competat transitus ad Religionem arctiorem, Diuinone, an Apostolico? Prius asserunt *Cajet. 2. 2. q. 88. art. 12.* quia in *cap. Licet*, nouum ius non statuitur, sed naturale diuinum declaratur, quod tamen reiicitur, cum id nulla ratione suadeat, nec subsistit, quod ipsum sequendo probat *Sanch. lib. 6. cap. 7. n. 3.* in hac commutatione voti per transitum spectari solùm Deum, propter quem solùm fit votum Prælato, & non propter Prælatum ipsum; esto hoc sit verum, adhuc non tollitur obligatio eius erga Religionem, à qua recedere non potest, sine licentia.

44 Respond. Transitus ad arctiorem Religionem competit professis iure Pontificio, non iure diuino naturali, *ex cap. Nullus, cap. Mandamus, cap. Statuimus 19. qu. 3.* vbi simpliciter prohibet hunc transitum Canonicis Regularibus ad Monachos, *& cap. Licet 16. de Regul.* vbi licentiam transeundi requirit petendam à Prælato, huiusmodi autem prohibitio non fieret, si iure naturali diuino competeret transitus, neque enim statui potest aliquid contra ius diuinum, & naturæ. Ratio est, Tum quia de iure diuino est, vt vnusquisque maneat in vocatione, qua eum Dominus vocauit, ergo de iure diuino non est, vt transeat ad aliam Religionem. Tum quia per primam professionem Religiosus se totum tradit, & obligat Priori Religioni, ergo nullum ius sibi retinuit transeundi, ergo si potest transire, id totum habet à iure humano. Tum quia licèt de iure naturæ quisque possit capere vitam perfectiorem, & proprium votum commutare in melius euidenter, hoc tamen fallit in Religiosis, qui per professionem hoc ius à se abdicarunt, & transtulerunt in Religionem, ergo si possunt transire, hoc posse habent à iure Pontificio. Tum quia illud naturæ ius sibi reseruare non possunt absque peccato mortali, dicit enim *Bonac. q. 2. p. 9. §. 1. num. 2.* Nouitium profitentem animo firmo aduolandi ad alium Ordinem etiam strictiorem peccare mortaliter, cum in re graui decipiat priorem Religionem. Ita sentire videntur *Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 17. quæst. 18. Sair. in Claui lib. 6. cap. 10. num. 9. quos contra se citat Sanch. supra reiectus cum Caietano.*

Quæres 9. Quot conditiones requirantur ad licitum transitum in arctiorem Religionem?

45 Respond. Requiruntur quatuor causæ. Prima, quod transitus non sit interdictus, cui standum est iuxta tenorem prohibitionis. Secunda, quod fiat bono fine, & zelo melioris vitæ non malo fine, leuitate, odio, aut interesse mundano. Tertia, quod fiat sine præiudicio Religionis à quo. Quarta, quod petatur licentia cum suis requisitis. Hæ conditiones colliguntur *ex cap. Nullus, cap. Mandamus, cap. statuimus 19. q. 3. cap. Non est, cap. sanè, cap. significatum, cap Licèt, de Regul. Sanch. lib. 6 c. 7. n. 2. qui q. 2. à n. 10. ad 19. explicat duas medias, Bonac. q. 2. p. 9. §. 3. Vecch. disp. fin. dub. 2. & ego cap. 2. de profess. regul. q. 72. §. 4.*

Quæres 10. Quandonam, & quomodo ex illicito transitu sequatur professio nulla?

Respond. Quæsitum distinctè resoluitur discurrendo per singulas conditiones in præcedenti quæstione recensitas.

46 Primæ conditionis defectu, cum nimirum transitus est interdictus, inde secuta professio est nulla, quando prohibitio continet Decretum irritans; tale autem Decretum continet Extr. *Viam ambitiosæ*, prohibens Mendicantibus transitum ad non Mendicantes, exceptis Cartusianis. Simile Decretum habent Iesuitæ, vt non possint transire, nisi prius petierint licentiam à suo Generali, exceptis Cartusianis, docet *Sanch. lib. 6. c. 7. n. 29. 32. & 88.* Pius V. Constit. 89. *Quæcumque sacrarum*, reuocat omnia priuilegia emanata præter iuris dispositionem, recipiendi Religiosos alterius Ordinis etiam laxioris, prohibetque Superioribus illorum receptionem ad habitum, & professionem, annullando admissiones, & receptiones aliter factas. Ibi ergo reuocantur priuilegia transeundi contra dispositionem iuris communis, vt docet *Nauar consil. 88. de Regul. num. 1. Rodr. tom 3. q 52. art. 8. Mirand. tom. 1. quæst. 31. art. 7. conclus. 1. & ex eis Vecch. disp. fin. dub. 1. num. 8. Sanch. lib. 6. cap. 7. n. 2* Quare ex hoc capite, quando prohibitio non continet Decretum irritans ex illicito transitu contra prohibitionem, non sequitur inualida professio, quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, vt ad rem dicitur *cap. Ad Apostolicam 16. de regul.* Quod procedit in mea Religione, in qua Iul. II. in sua Constit. de qua suprà *quæst. 7.* prohibuit Tertiariis transitum ad alias simpliciter sine Decreto Irritante Decretum autem irritans illud censetur, in quo mandatur reuocari transiens, quale est *cap. Mandamus 19. q. 3. cap. Non est 7. de regul. cap. Licet 18. in fine*, vbi prohibetur molestatio contra eos, qui bona fide transierunt, ergo conceditur contra eos, qui malo animo transierunt.

47 Secundæ conditionis defectu, nempè boni finis transiens cum licentia validè profitetur, tum quia malus finis, si non est contra substantiam professionis illam non irritat, vt probaui in meo *tract. de profess. regul. cap. 2. q. 36.* Tum quia ex leuitatis instinctu cum licentia Superioris transitus non negatur *cap. statuimus 3. 19. q. 3.* Leuitas ergo, seu vanitas non inficit transitum ad valorem professionis, nisi quando licentia petita non fuit, *vt docet Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 89. cum Abbate consil. 95. vol. 1. num. 2. & Rotella ver. Religio 4. num. 6. qui Sanchez num. 90. cum dicto Abb.* asserit esse nullam, etiam quando petita fuit, & non obtenta per *cap. Licet 18. de regul.* in quo conceditur transitus ex licentia petita licèt non obtenta, quando transitur zelo melioris finis, ergo defectu huius conditionis, & licentiæ obtentæ

nullus est transitus, & professio, quare quando quis transit ex leuitate, vanitate, vel alio fine non bono, licentia petita non potest validè profiteri, nisi prius licentiam petitam obtineat, quia in eo casu volens transire adhuc subiicitur suo Superiori, cui se totum subiecit, & consequenter alteri non potest se subiicere nisi de sui Superioris licentia.

Quamplures Doctores, quos pro se citat *Vecchius disp. 15. de Nouitiis dub. 2. nu. 4.* tenent validum esse transitum, & professionem eius qui sine licentia transiuit studio melioris vitæ ad arctiorem, & id videtur apertè colligi ex *cap. Sanè* 10. *de regul.* vbi Papa cuidam Episcopo scribit, vt Canonicum Regularem, qui fugerat à suo Monasterio, permittat remanere in secundo Monasterio Monachorum, si transiuit cum pura conscientia. Vtitur tamen Papa verbo *Permittat* quod importat quandam dispensationem *arg. cap. de ætat. in 6. Gloss. in cap. Literas, de fil. Presbyt.*

48 Tertiæ conditionis defectus, cum nimirum transitus præiudicat grauiter Priori Religioni, positis aliis requisitis, non irritat professionem, *vt docent Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 92. ex Canon. super cap. Licèt Bonac. quæst. 2. de clausur. part. 9. §. 3. diff. 1. num. 7. §. Idem dic, & ego in meo tract. de profess. cap. 2. quæst. 72. §. 3.* Quia transitus, & professio se habent per accidens ad damnum, nam damnum vel est temporale, quo casu spirituale bonum à transeunte in sensum illi prævalet, præterquam quod non potest dici damnum pati Prior Religio, quando de iure bona transeunt ad secundam Religionem, aut est spirituale concionum, Confessionum, quo casu cum hæc redundent in bonum commune fidelium indifferenter, vbique prodesse potest, & sic tollitur difficultas.

49 Quartæ conditionis defectus nimirum licentiæ irritat transitum, & professionem; Tum quia ita colligitur *ex cap. Mandamus 2. cap. Statuimus 3. 19. quæst. 3. cap. Ioannes 5. cap. Non est 6. cap. Licet 18. de regul. & ibi Gloss. ver. Licentiam*, addunt optimam rationem, quia professus inuito suo Prælato suam personam alienare non potest. Tum quia suum velle, & nolle subdidit Priori Superiori per professionem, ergo sine eius licentia non potest se tradere alteri. Tum quia seruus sine licentia domini inualidè profitetur, ex probatis à me *cap. 2. de profitente quæst. 50.* Tum quia licentia est de forma substantiali actus, cui præequiritur, & præscribitur *Felin. in cap. Ex parte, de constit.* Neque dicas licentiam petitam, & negatam pro non licentia haberi, quia licentia iustè petita licèt negata habetur pro licentia obtenta docent *Bossius sect. 3. de Iubil. casu 2. num. 31.* quod maximè procedit in casu nostro, vt in simili docet ille, & *Megal. lib. 1. de pænit. cap. 15. num. 6. in fine*, vnde Religiosus bono zelo transiens non obtenta à Superiore, dicitur eam obtinuisse legalem ex citato capite. Nec obstat nouissimum Decretum de Apost. & eiectis, dum statuit, vt nullus permittatur transire ad strictiorem, nisi prius constiterit Superiori, secundam Religionem esse paratam illum recipere, quia non continet quid plus quam ius commune.

Quæres 11. An ingrediens animo firmo, aut dubio transeundi ad strictiorem, peccet.

50 Respond. Iste peccat mortaliter, & tenetur mutare propositum, vel recedere ante professionem, probat *Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 17. & 18.* quia licèt habeat ius post professionem transeundi ad strictiorem, id tamen ei non competit ante professionem, quia nondum est Religiosus incommutabiliter, cui soli competit hoc ius transeundi ad strictiorem; exemplificat autem in eo, qui ingreditur Religionem laxiorem eo animo, vt literas addiscat ex commoditate habita in laxiori, vt postea vir effectus transeat ad strictiorem. Prauus est igitur huiusmodi animus ante professionem conceptus, post autem si hunc transitum intendat bono zelo verè Deum inseruiendi, non peccat transeundo ad arctiorem, qui ius commune nulli negat huiusmodi transitum professo. *Probat Bonac. q. 2. p. 9 §. 1 n. 2.* quia in re graui decipit Religionem.

Quæres 12. An omnibus professis siue Superioribus, siue subditis clericis, vel conuersis liceat transitus ad strictiorem, sicut & oblatis?

51 Resp. Licèt omnibus, quia ius nullos excipit volentes transire ad meliorem frugem. Præterquam quòd prædictis vnus non magis aliis obligatur Religioni Priori, ergo si vnus potest transire, & cæteri, cùm non sit maior ratio de vno, quàm aliis.

52 Superioribus licitus est transitus petita licentia iuxta ea quæ dixi suprà *sub q. 4. §. Superiores*, per Doctores ibi citatos, & colligitur *ex cap. Licèt*, vbi omnibus religiosis indistinctè conceditur facultas transeundi ad strictiorem petita licentia, licèt non obtenta, vbi excipiendo Episcopos, qui immediatè à Papa debent petere licentiam, censetur indulgere aliis Prælatis huiusmodi transitum. *Bon. p. 9. §. 1. n. 6.*

53 Professi clerici, aut conuersi sine dubio transire possunt ex *cap. Statuimus, 19. q. 3. & cap. Licèt 18. de regul.* in quibus locis sermo est de professis, nulla distinctione facta inter deputatos Choro, & Conuersos, cùm sint professi tam isti, quàm illi, & ita tenent *Rodr tom. 3. q. 52. art. 7. cum suo Compend. resol. 123. num 64. Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 8. contra Armillam ver. Monachus n. 1. Angel. num. 1. Tabien. num. 1.* asserentes conuersos non posse transire, quia religioni sunt magis obligati quàm clerici, pro qua re citant *gloss. ver. Professi cap. vt lex 27. q. 1.* sed hoc est falsum, quia religioni se obligant per professionem, quæ est eadem met omninò, quam clerici emittunt, ergo pari obligatione ambo religioni se subiiciunt.

54 Oblati pariter, quales sunt illi, qui se, & sua offerunt Monasterio, habitu non mutato, neque professione emissa, vt docent præcitati cum *Rodriq. tom 3. quæst. 21. art. 1. & 2.* transire possunt ad arctiorem *ex eodem Rodriq. cit. art. 2. & 7. q. 52. & Sanch. num. 8. Bonac. p. 9. §. 2. num 3. contra Armillam, Angelum, Tabienam, & alios*, obiecta ratione de conuersis, ibi resoluta addendo, quòd textus, & glossæ in contrarium loquuntur de oblato Ecclesiæ seculari.

Quæres 14. Quænam sunt legitimæ causæ, per quas Summus Pontifex potest moueri ad concedendum alicui professo religionis strictioris transitum ad laxiorem? Ad transitum ad strictiorem nulla requiritur causa, neque ad æqualem, vt docent *Silu. Religio 4. q. 2. Menoch. Azor. Mirand. q. 31. art 5. & 6. contra Vecch. disp. 15. dub. 6.* citantem pro se *Nau. Suar. Sanch.* requirentes aliquam causam saltem paruam, & iustam transeundi ad æqualem.

55 Respond. Sunt multæ, quas referunt *Rodriq. tom. 3. quæst. 52. art. 9. cum suo Compend. resol. 123. num. 64 Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 72. Bonac. quæst. 2. de claus. p. 9. §. 3. diff. 1. num. 13. Diana resol. 43. de dub. regul.* Prima est senectus inepta ad sufferendas austeritates, *Domin. & Franc. in cap. Cùm singula, de prabend. in 6.* Secunda quando in Priori Religione est aliquod impedimentum perfectionis, quod non est in secunda, *Tabiena ver. Religio q. 23.* Tertia, quando transiturus est odiosus cæteris, & ab eis malè tractatur, si tamen non dedit causam, aut si dedit, fuit emendatus, & tamen alij perseuerant contra ipsum *Rodr. cit. Bonac. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 14. q. 8. Sanch. cit.* Quarta, quando infamatus fuit ob graue crimen, & ibi manet semper cum graui pudore, & mæstitia, *Sanch. cit.* nisi ea euitare possit transeundo ad aliud Monasterium eiusdem Religionis. Quinta, magna difficultas differendi austeritates, vt si inconsultè professit non aduertendo ad austeritates, nisi difficultas hæc proueniat ex prauo habitu. *Rodriq. cit. Vecch. dub. 6.* Sexta, infirmitas, aut incommoda valetudo, quibus non potest ferrè austeritates Religionis *Azor. Sanchez qui citat Rodr. tom. 3. q. 52. art. 9.* dicentem hanc non esse causam sufficientem, quia in eo casu Superior potest dispensare; sed dic tu cù Sanch. sufficere, quia huiusmodi dispensatio

aliis

aliis est occasio relaxationis, præterea si ex sententia Rodr. non sufficit hæc sexta causa, neque quinta, ex eo quod in ea potest dispensare, quod tamen non dixi ipse Rodr. Septima, aeris intemperies, quando tamen non adest aliud monasterium extra locum intemperatum, Rodriqu. Sanch. Octaua, magna necessitas parentum, quando solum in laxiori illis prouidere potest. *Sanch. Rodr. Bonac. & alij.* Nona, quando propria religio est finienda. *Nau. consil. 54. de regul. in fine.*

Quæres 15. An transiens ad laxiorem sine licentia Papæ, (hanc enim requiri in transitu ad laxiorem, probaui supra hic *q. 4.*) aut cum licentia, sed legitima non subsistente causa, validè profiteatur in secunda religione.

56 Respond. in neutro casu tenet professio, non in primo, quia nullum ius concedit, aut permittit huiusmodi transitum, ergo attentando profiteri in secunda nihil facit, cum se totum iam obligauerit, & tradiderit priori religioni, à qua se eximere non potest, nisi per priuilegium Summi Pontificis, neque in secundo casu, quia illa licentia licet excuset in foro externo, non tamen in foro Dei, non enim Papa validè dispensat sine legitima causa in votis, cum in his obligatio sit de iure diuino naturali; quæ sine causa a Papa tolli, aut minui non potest, vt docent omnes in materia dispensationis. Quod huiusmodi professio sit irrita, asserit *Sanch. lib. 6. cap. 7. nu. 105. in fine*, & cum eo omnes illi, qui tenent huiusmodi licentiam sine legitima causa concessam non suffragari in foro conscientiæ, quod *retuli in cit. q. 4. & tradit Vecch. disp. 15. dub. 5. num. 1. & Nau. consil. 88. de regul. & Com. 4. de regul. num. 10.*

Quæres 16. An religiosus, qui transiuit ad secundam religionem, si redeat ad priorem, necessario sit admittendus?

57 Respond. Si reuertatur ante, vel post professionem sed inualidã in secunda religione prior religio tenetur illum admittere, absque noua probatione, aut professione, non tamen gaudet prioris præcedentiæ priuilegio. Peractà verò validà professione non tenetur illum recipere. Primum respectu inualidæ professionis, vel nondum admissæ probatur, quia transeundo animo profitendi non dicitur amittere ius, quod habet in priori religione, nisi peracta professione vera; ergo cum non professerit saltem verè adhuc retinet illud ius, vt admittatur, quod procedit non solum quando iustè transiuit cum licentia, sed etiam quando sine illa, & iniustè, quia non ideo illud ius amisit, sed solum dignus est castigatione, nam in hoc æquiparatur fugitiuo, qui requirendus est, ex cap. fin. de Regul. ergo multo magis iste admittendus est, qui vere non fugit, sed solum obedientiam Prælati contempsit, & ita omnes docent, quando transiuit iustè cum *Anton. par. 3. tit. 16. cap. 4. §. fin. Silu. ver. Religio 4. q. 5. Tabien. q. 24. in fine Mir. q. 31. art. 18. quos, & alios citat Sanhc. lib. 6. cap. 7. nu.* 104. quando verò iniustè Ant. & Abbas *in cap. Intelleximus*, de ætate dicunt non posse cogi priorem Conuentum ad illum recipiendum, sed idem *Abbas consil. 95. in 1. vol. cum Ioan. Andr. & Hostiensi dicunt cum Sanch. cit. num.* 105. habere ius se faciendi recipere à priori religione ob rationes adductas, quos sequitur *Mirand. qu. 31. art. 18. & ex eo Vecch. disp. 15. dub. 2. nu. 16. Bonac. p. 9. §. 4. diff. 1. nu. 3.*

58 Secundum, quod rediens ex nullitate professionis non teneatur renouitiare, neque reproficere, suadetur illud, quia illius mores iã noti, & experti sunt, vnde non est necessaria noua Probatio, modo reuertatur ad eundem conuentum, & vel prouinciam, vt probaui *cap. 2. de profess. regul. q. 72. §. 11.* & faciunt, quæ dixi *cap. 4. q. 36.* de dimisso reuertente, nam si velit redire ad diuersam prouinciam, vbi ignotus est, debet se subiicere probationi iuxta arbitrium superiorum, imò in hoc casu aliena prouincia, aut conuentus illum recipere non tenetur sed debet reuertere ad illum monasterium, in quo erat filius. Hoc verò patet ex eo, quod adhuc durat prior professio, cum sublata non fuerit per simplicem transitum, neque per inualidam professionem, cum non persistet impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, cum igitur teneat prior professio, reuertendo non tenetur reproficere. Quod si reuertatur ex professione valida in secunda, debet reproficere in priore, quia per posteriorem pœnitus extincta fuit prior, vt probaui *cap. 2. q. 72. cit. §. 11.*

Quæ dixi de nouitiatu non repetendo non procedunt, quando fit transitus à secunda professione valida ad priorem, in hoc enim casu, si magnum temporis spatium sit interpositum, possunt superiores petere nouitiatum, quia ex diuersitate temporum diuersificantur mores, vt pluribus probaui de dimisso ad seculum prætextu nullius professionis *cap. cit. 4. de profess. regul. q. 36.*

Tertium, quod non debeat concedi præcendentia, sed vltimo loco sedere, expresse dicitur *cap. Mandamus 19. q. 3.* illis verbis. *Præcipimus. vt redeat, & deinceps memorialem cucullam deferat, & vltimus in choro maneat*, vt dixi etiam *cap. 5. q. 54.* Procedunt tamen hic, & ibi dicta, quod iniustè transiuit, vt malo fine, vel sine licentia, seu ex leuitate; tempore tamen procedente potest illi suum ius solum in actu amissum restitui; si verò validè professus reuertatur nullatenus debet de iure gaudere priori præcedentia, quia per professionem in secunda Religione omne ius amisit, quod habebat ex vi professionis prioris, quæ omninò extincta fuit per posteriorem validam, vt loco citato dixi. 59

Quartum, quod prior Religio non teneatur recipere validè professum in secunda petentem admitti iterum in priori probatur. Tum quia amisit ius petendi admissionem iterum, ergo Religio non necessitatur ad id. Tum quia non cogitur recipere iustè expulsum, si emendatus petat admitti, quia ex iusta sententia perpetuo sunt expulsi; ex parte Religiosis, *vt docet Sanch. lib. 6. cap. 9. num. 32. citatis Azor. lib. 12. cap. 18. q. 2. Rodr. tom. 1. q. 30. art. 20. in fine*, ergo eo magis non cogitur recipere translatum, qui non amplius est Religiosus Prioris Religionis, sicut expulsus. 60

Sed quid dicendum, quando inualidè professum non vult recipere Prior Religio, an possit manere in secunda laxiore, ad quam sine licentia transiuit; *Azor. lib. 12. cap. 15. q. 2.* respondet indigere dispensatione, vt securè possit manere. *Sanchez vero lib. 6. cap. 7. num. 106.* affirmat, hunc repulsum perpetuò à Priore Religione, ad quam volebat redire, posse ingredi quamlibet etiam laxiorem, in eo casu solum eget ratificatione, si velit manere in secunda Religione, quod probat à simili de eiecto, qui potest eligere quamlibet etiam laxiorem. 61

Quæres 17. An transiens ad secunda vota teneatur ad nouitiatum, & professionem?

Respond. Tenetur ad vtrumque. Primum suadetur, quia annus probationis institutus est fauore vtriusque nempe Religionis, vt experiatur mores ingressi, & nouitij vt probet mores, & austeritatem Religionis *cap. Ad Apostolicam*; sed neuter expertus fuit, mores alterius, ergo debet peragere nouitiatum iuxta dictum *cap. & Sess. 25. cap. 16.* vbi nulla distinctio de venientibus à seculo, vel à Religione. *Ita tenent. Nau. concil. 61. num. 4. & 62. num. 5. de Regul. Rodr. tom. 3. q. 16. art. 11. cum suo Compend. resol. 101. num. 46. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 12. & alij quos citat Barbosa ad dictum cap. 5. sess. 25. num. 21. & Bonac. q. 2. de clausp. 9. §. 11. num. 10. Mirand. q. 31. art. 21.* quod procedit. licet fiat transitus ab arctiori ad laxiorem, imò respectu eiusdem Religionis, vt si Capucini transeant ad Zocolantes strictioris Obseruantiæ, imò & ad illos de Familia. Adde prædictis *Vecchium disp. 15. dub. 2. num. 18. seipsum citantem disp. 11. dub. 1.* Prælati 62

lari Ordinis Minorum olim ex priuilegio Leonis X. viuæ vocis oraculo, neq; authentico, vt videre est *in Compend priuil. ver. Nouitius num.* 27. poterant infra annum probationia huiusmodi Religiosos ad se transeuntes admittere ad professionem; quod neque fuisse sublatum per Sacrum Concilium putarunt *Sorbus ibid. §. Sed an requiratur, & Pallus cap. 2. art. 25. num. 65.* oppositum tamen senserunt citatus *Nau. Rodr. tom. 3. q. 15. art. 11. Mirand. q. 22. art 2. consil. 3. & alij cum Barbosa cit. num.*19. sed lis hæc iam sublata fuit per reuocationem oraculorum viuæ vocis à Greg. XV. & Vrb. VIII.

63 Alterum de professione probaui *cap. 2. q. 72. §. 2.* quia transeundo ad secundam debet in ea se obligare, quod non nisi per professioné contingit, & quia professio facit monachum, ergo si secundæ cupit esse Religiosus, debet in ea proficere. *Rodr. tom. 1. q. 30. art. fin. & tom. 3. q. 17. art. 9. Nau. q. 60. de regul.* Si autem religio ad quam transit vtatur eadem forma professionis non indiget professione transiens, quod decisum fuisse 13. Nouemb. 1627. *testatur Sellius in select. canon. cap.* 18. *num. 3. & ex eo Barb. ad dictum cap. 15. sess. 25. num.* 21. referendo Regulares Discalceatos Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem Calceatorum transeuntes habere annum probationis, non autem emittere professionem. Quare in Franciscana Religione inter Zocolantes de Familia, & reformatos, de nouo non emittenda est professio à transeuntibus, quia communem professionis formam habent, quod videtur insinuare Greg. XIII. constit. §. *Cum illis vicem.* anno 1579. Vbi mandat Fratribus de Obseruantia volentibus transire ad suos Fratres Reformatos, vt peragant Nouitiatum per annum integrum, & eo elapso habeantur pro professis, referente *Sorbo ver. Nouitius, tit. De nouit. Profess. Emissione §. At in nostris*, vti dicit in suis constitutionibus cap. 2. Ordinati, vt venientes ex partibus Conuentualibus, vel de Obseruantia ad suam Religionem, post annum probationis professionem emittant; quod de Conuentualibus mihi placet, quia isti non vtuntur eadem forma professionis, sed alteratam, & laxatam iuxta Apostolica priuilegia. Tertij autem Ordinis transeuntes ad prædictos tenentur reproficere, quia eorum forma professionis omnino est diuersa, & propriam habet regulam.

64 Dubium est de Religioso translato ad secundam Religionem, vt ibi sit Prælatus, An debeat renouitiare, & reproficere? Respond. Tenetur solum de nouo emittere professionem in secunda Religione antequam eligatur in superiorem, non autem præmitere nouitiatum. Illud probatur expresse *ca. Nullus* 28. *de elect. in in* 6. vbi dicitur quod nullus religiosus ad abbatiam, seu Prælaturam suæ vel alterius religionis de cætero eligi potest, nisi fuerit antea expresse professus; quod in specie de Monachis decernitur *cap. Cum singula* 32. *§. Prohibemus, & in Clem. Ne in §. Cæterum, in fine, de statu mon.* vbi statuitur, ne prioratus, aliquis, siue administratio committatur alicui, nisi expresse professus fuerit; quod de omnibus regularibus innouat *Sacrum Concil. sess. 14. capit. 10. & sess. 25. cap.* 21. De iure ergo certum est, translatum debere profiteri in ea religione, in qua præficiendus est prælatus, rationem huius Doctores citandi deducunt *ex cap. In noua 16. q.* 7. quia quilibet debet se accommodare vitæ, & moribus eorum, cum quibus viuit, & cap. Recolentes, de statu mon. vbi dicitur, quod qui cum aliis vitam similem suscipit, similem quoque disciplinam in legibus sentire debet, ac proinde emittere professionem. Sentiunt *Rodr. tom. 3. q. 52. art. 25. Nau. consil. 61. num. 2. & conf. 64. de regul. Mirand. q. 31. art. 22. contra Bonac. qu. 2. de clauf. p. 9. §. IV. diff. 1. in fine,* quia, ait, sic translatus non solet profiteri, cum prærequiratur nouitiatus, sed dicas Bonacinam non vidisse iura Pontificia superius allegata. Alterum de nouitiatu non præmittendo probatur, quia huiusmodi tranlatio supponit transeuntem habere cognitionem religionis ad quam transfertur, & illius religiosos bene nosce eius mores, præterquam quod hic est specialis casus, qui sub *cap. Ad Apostolicam de Regul. & cap. 15. sess.* 25. non continetur, & rationabilius, quia electiones ad prælaturas celeriter exequendæ sunt *arg. cap. Vbi periculum, de elect. in 6. &* quia ex earum dilatione timetur periculum, & Ecclesiæ remanent viduatæ cum graui periculo tum bonorum Ecclesiæ, tum religiosorum, qui sine pastore sunt oues errantes, præmissio autem nouitiatus esset occasio huiusmodi dilationis damnosæ, quare non est necessarius; præterquam quod si præficiendus est vt magister, vt docet, & alios corrigat, inconsentaneum est, vt transeat sicut discipulus sub aliorum diciplina, & correctione. Ex his patet sic translatum professione emissa remanere religiosum posterioris Monasterij, vt docent præcitati, quia per secundam professionem absolutus fuit à subiectione prioris.

Quæres 18. An habens licentiam legitimam transeundi ad alium religionem, possit transire ad quamcumque?

Respond. Habens licentiam transeundi ad determinatam religionem, non potest virtute eius licentiæ 65
transire ad aliam etiam strictiorem, quia causa limitata, cuiusmodi est talis licentia, limitatum producit effectum. *l. In agris, ff. de acquir. rerum dom. Sanch. lib. 3. disp. 5. n. 2. Ita ex Nau. sentit Mirand. q. 31. art.* 14. Si verò habeat licentiá transeundi ad quamcumque indifferenter, non potest transire nisi ad arctiorem, aut æqualem, non autem ad laxiorem, quod euidenter patet, quando licentia conceditur à quouis Prælato etiam Generali, quia isti licentiare possunt solum ad strictiorem, vel æqualem, nam ad laxiorem spectat ad solum Papam tradit *Nau. tom. 2. com. 4. de Regul. num. 10. & dixi supra. qu.* 4. satis probaui, & in hoc nulla difficultas. Quod si à Papa proueniat huiusmodi licentiam adhuc non potest transire ad laxiorem, sed tantum ad strictiorem vel æqualem, & quia licentiæ huiusmodi, & rescripta sunt stricti iuris *cap. P. & G. de off. deleg. Grilen consil. 43. nu. 8. & consil. 91. nu.* 8. & ita interpretandum est priuilegium vt aliquid operetur, & vltra non extendatur, cap. In iis, de priuil. & priuilegia præsumuntur concessa secundum ius commune, *Compend. resol. 50. in fine num.* 49. & ab eo recipiunt interpretationem *Modus §. Principijs placita dub.* a 12. *n.* 7. ius autem commune præscribit, vt licentia detur ad strictiorem, ergo ita erit intelligendum rescriptum Papale, aut licentia prælati. *Ita Nau. consil. 57. de regul. Rodr. tom. 3. qu. 53. art. 11. cum suo Compend. resol. 123. nu. 67. Mirand. qu. 31. art. 14. Sanch. lib. 6. cap. 7. num.* 74. Quando priuilegium est magis amplum, transeundi nimirum ad quamcumque religionem siue mendicantem, siue non mendicantem, non potest transire ad religionem militarem, nisi de hac fiat expressa mentio in licentia, satis enim est, si possit transire ad laxiorem, & ita declarauit Sacra Congreg. die 17. Nouemb. 1578. vt testatur *Sanch. nu. 75. & Addit. ad Nau. consil. 38. in fine.*

Quæres 19. de Episcopis regularibus quomodo transire possint ad religionem?

Respond. Episcopi regulares debent transire cum licentia Papæ licèt antea renuntiauerint Episcopatui, 66
aliter nullus est transitus, *ex cap. Nisi cum, de renunt. ex cap. Licèt de regul.* & probaui ego *cap. 2. de profess. regul. 9.* 66. De eo, qui iam renuntiauit potest esse aliqualis dubitatio, dico tantum nunc posse validè transire ad quamcumque etiam laxiorem, quod probatur, & quia licèt adhuc sit Religiosus Prioris Religionis, tamen cum illi non sit subiectus, nec redire teneatur, potest liberè ingredi quamcumque, & validè profiteri; & quia in hoc casu æquiparatur seculari: & quia censetur vti Prælatus maior habere ius eligendi eum statum, quem vult; & quia est absolutus ab obseruantiis regularibus

regularibus *cap.* 1. 10. *quæſt.* 1. D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. & ex eo *Rodr. tom* 2. *q.* 58. *art.* 3. & ſolùm tenetur tribus votis, ergo cum illis obſeruantiæ ſuæ prioris Religionis non teneatur, poteſt ſine aliqua diſpenſatione tranſire ad laxiorem, cum in hoc caſu non dicatur ſuum votum commutare in minus, ſed inæquale, imò in maius, quia per ſecundam profeſſionem ſe obligat ad Regularem obſeruantiam, à qua erat abſolutus ratione dignitatis Epiſcopalis: & quia cæteris paribus meliùs eſt ingredi aliquam Religionem, quàm ſic manere, vt ita dicam, otioſus. Hunc tranſitum ad laxiorem negat *Sanch. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 8. ex eo quod quamuis non teneatur redire ad ſuam Religionem, manet tamen illius verè Religioſus; ſed cum non ſit ſubiectus Prælato Regulari, ideo liber illi eſt tranſitus ac ſi eſſet ſecularis; & in hoc æquiparatur etiam Parocho qui ſine licentia Epiſcopi ſui poteſt tranſire ad Religionem *cap. fin.* 19. *q.* 2. *Innoc. Hoſt. Cardin. Abbas in cap. Licet* 18. *de regul. citati à Sanch. quos ſequitur lib.* 4. *cap.* 26. *n.* 48. *Bonac. p.* 9. §. 2. *n.* 9. quia in capite dicto fit mentio de ſolis Religioſis tranſeuntibus, qui à ſuo Prælato licentiam petere debent, ergo hoc idem eo magis dicendum de Epiſcopo, qui renuntiauit curæ animarum, ratione cuius officij videtur præciſe neceſſaria licentia tranſeundi ad Religionem. Nobiſcum ſentit Bonac. *cit. num.* 8. Demum quando Epiſcopus, qui renuntiauit Epiſcopatui, redit ad Religionem, ſe ſubiiciendo poteſtati Regularis Prælati, in eo caſu quo ad tranſitum ſubiectus eſt legibus de iure tranſeundi ad ſecunda vota, cum in hoc par ſit conditionis cum cæteris profeſſis, *ita docet Sanch. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 8.

Quæres 20. An Regularis Parochus, & alij religioſi tranſlati ad alias dignitates ex Religione dicantur ita exempti à Prælatis Regularibus, vt poſſint ad ſuum libitum tranſire ad quamcumque Religionem etiam laxiorem, & de ipſis procedant mox dicta de Epiſcopis.

67 Reſpond. Quando prænominati ſunt exempti à ſubiectione prælatorum Regularium à Summo Pontifice per aſſumptionem eorum ad Parochiale beneficium, aut ad aliquam dignitatem, quod fieri poteſt ex *cap. Monachos, cap. In Parochia* 16. *q.* 1. *ex gloſ. in cap* 2. *diſt.* 58. vbi referuntur de his alia iura, poſſunt beneficio renuntiato redire ad priorem, vel tranſire ad quamcumque Religionem etiam laxiorem, quod probatur, & quia ſimpliciter fuerunt abſoluti à priori ſubiectione, & à priori vita Regulari, iuxta mox dicta de tranſlato ad Epiſcopatum, vnde Parochus perpetuo inſtitutus in Eccleſia ſeculari ſubiicitur Epiſcopo, & continuo reſidere tenetur, *gloſſ. ver. Ad clauſtrum, Clem. Ne in agro Nau. conſil.* 70. *de Regul. vbi num.* 1. & 2. dicit hunc priuatum beneficio non teneri redire ad clauſtrum, *& ex eo Rodr. q.* 30. *art.* 21. & quia faciunt dicta de Epiſcopo præcedenti quæſtione. Quando autem remanet ſubiectus Prælato Regulari cum ea dignitate, vel beneficio, non poteſt tranſire ſine licentia, cum ſit paris conditionis cum cæteris profeſſis, neque dicatur tranſlatus, ſed permanens aſſumptus ad dignitatem.

Quæres 21. An votum etiam iuratum, ſeu iuramentum non tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem teneat, ita quod ad eam tranſire non poſſit ſine diſpenſatione?

68 Reſpond. Non tenet, ac proinde abſque vllo peccato, ſine diſpenſatione tranſire poteſt, quia huiuſmodi votum nullam in ſe honeſtatem, aut bonitatem continet, ſed eſt impeditiuum melioris boni, quod eſt tranſitus ad arctiorem religionem, ergo eſt inutile, & inualidum, cum non ſit materia bona. *Sanchez lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 3. Ita tenet de communi omnium de voto nulla ingrediendi religionem ſimpliciter, ac proinde neque de non ingrediendo ſtrictiorem. Quod idem dicitur de iuramento, non tenere, quia eſt de materia illicita, & peccatum veniale ita iurare ſecundum *Sanch. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 30. *Bonac. p.* 3. *de iuram. num.* 9. §. *Item quia p.* 4. *num.* 3. §. 2. huiuſmodi iuramenta contra Dei conſilia propria authoritate eſſe violanda etiam ſine diſpenſatione ea ſententia communi aliorum apud præcitatos. Sed valet argumentum à toto ad partem, iuribus, & Doctoribus citatis locat Barboſa *lit. A. num.* 234. ergo nec valet votum, ſed iuramentum non ingrediendi Religionem ſtrictiorem, eſt enim ſtrictior religio pars Religionis. Confirmatur, quia à quocumque remouetur genus, remouentur etiam eius ſpecies probat Euet. in ſuis locis Topicis in loco à genere ad ſpeciem; ſed Religio in genere remouetur ab huiuſmodi ratione voti, ergo & in ſpecie, vt eſt Religio arctior. *Sic tenent Rodr. to.* 3. *q.* 52. *art.* 24. *cum ſuè Compend. reſol.* 123. *n.* 80. *Nau. conſil.* 55. *de Regul. Merand. q.* 31. *art.* 16. *Portel. ver. Religioſus tranſ. num.* 18.

Sed quid dicendum de voto, vel iuramento non ingrediendi Religionem laxiorem, vel æqualem? Reſpond. Loquendo reſpectu ſecularis neutrum tenet, & propter rationes allatas mox; & quia huiuſmodi promiſſio non eſt de re bona, ſed de re mala, cum impediat ingreſſum in Religionem, quod eſt bonum; & quia valet votum ingrediendi laxiorem, vt de communi docet *Sanch. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 40. eſt enim meliùs eligere religionem licèt laxiorem, quàm manere in ſeculo, ergo eius oppoſitum nullum eſt. Quòd ſi profeſſus voueat eo modo tenet, & quia non eſt impeditiuum melioris boni, imò illius conſeruatiuum, quia per tale votum cogitur perſeuerare in religione perfectiore, & quia contrarium votum ingrediendi laxiorem eſt nullum, cum cogat remouere vouentem à meliori ſtatu ad ſtatum minus perfectum. Ex quo patet non obſtare illas duas iuris regulas, nam procedunt ex citatis Doctoribus, quando in ſpeciebus, ſeu partibus eſt eadem, & par ratio, modo conſtat votum non tranſeundi ad ſtrictiorem eſſe impeditiuum directè maioris boni, ac proindè non tenere quæ ratio reperitur etiam in voto non tranſeundi ad religionem in genere, non autem in hoc poſteriori caſu, & ideò illæ regulæ locum non habent. Quòd ſi habens hoc votum non ingrediendi religionem laxiorem petat diſpenſationem vti profeſſus in religione ſtrictiore ad ingrediendum laxiorem, non facta mentione huius voti non ingrediendi, licitè, & validè ingreditur, non obſtante taciturnitate huius voti, quia poſita diſpenſatione ceſſat illud votum, eo quod in tantum valet, in quantum non eſt impeditiuum melioris boni, ſed illius conſeruatiuum, modo poſt diſpenſationem non dicitur conſeruare illud meliùs bonum ſtrictioris religionis, quia ille ſtatus, & obligatio iam ſublata fuit, ac proinde illud, non impedit, cum ampliùs non ſit, conſequenter inutile reputatur votum nihil obſtans tranſitui ad laxiorem. 69

Dixi, *profeſſus*, quia nouitius vouens non ingredi laxiorem, inualidè vouet, quia ponit obſtaculum ſtatui meliori ſtatu nouitiatus, is enim eſt imperfectus, variabilis, & in libertate nouitij, qui poteſt & remanere, & recedere, *cap. Conſului* 20. *cap. Statuimus* 23. *de regul.* vnde nullam habet obligationem manendi, ſtatus verò Religionis etiam laxioris eſt perfectior, inuariabilis, neceſſitans religioſum ad manendum, & per illud votum nouitius ſe obligat ad illum ſtatum aſſumendum, per nouitiatum verò ad nihil ſe obligat. Si tamen volt manere in ſtrictiore, vbi peragit nouitiatum, profitendo in fine anni, benè facit, nec dicitur ponere obſtaculum executioni illius, ſed illud commutare in melius, quod Deo eſt gratius, quia omne votum ſimplex benè, & validè commutatur in votum profeſſionis, *cap. Scriptura* 4. *de voto, vt latiùs probo in ſequenti quæſtione.* 70

Itaque votum à ſeculari emiſſum ingrediendi Religionem laxiorem tenet, quia eſt de meliori bono, melius eſt enim ingredi Religionem largiorem, quàm manere in ſæculo; niſi ante fecerit votum ingrediendi ſtrictiorem, 71

strictiorem, quia tunc secundum superueniens cum remoueat vouentem à meliori bono tenet. E contra si vouit non ingredi laxiorem, inualidè promisit, quia hæc promissio impeditiua est melioris boni, quod est status religionis licèt laxioris perfectior statu seculari; nisi prius fecisset votum ingrediendi strictiorem, quia tunc subsequens votum non ingrediendi laxiorem benè tenet, eo quod hoc posterius sit determinatiuum, & conseruatiuum prioris, magis enim constringit vouentem ad exequendum votum prius; idem dic si vouit Religionem in genere, quia per secundum votum limitat prius ad Religionem strictiorem, & sic est declaratiuum anterioris. Dicta procedunt etiam in Nouitio, cum militet eadem ratio, status enim religionis semper est melior, quàm status nouitiatus, cum sit via ad illum. Professus verò religionis strictioris non validè vouet laxiorem, quia hoc votum illum remouet à statu perfectiori; vtique verò benè vouet non ingressum in laxiorem, quia sic se magis conseruat in priori statu perfectiori, & vouet tale bonum, quod non est impeditiuum melioris boni. In laxiore existens benè vouet ingressum in strictiorem, quia à bono perfecto proficiscitur ad perfectius, illicitè verò & inualidè vouendo non ingressum in strictiorem, quia est descensus à bono in malum simpliciter, seu saltem in rem imperfectam.

Quæres 22. An qui in sæculo vouit religionem strictiorem, & postea de facto profitetur in laxiore peccauerit, & teneatur ingredi strictiorem, ad quam se obligauit?

72 Respond. Non peccauit, neque proindè tenetur transire ad strictiorem, sed in ea, quàm professus fuit securè perseuerare potest. Probatur expressè per *cap. Qui post votum à se de certa religione intranda emissum, religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipsa, potest, (voto non obstante priori, cui tanquã simplici per secundum solemne noscitur derogatum) manere licitè in eadem.* Ratio est, & quia quisque suum votum in melius, & perfectius commutare potest, non enim votum infringit, qui illud in melius commutat *cap. Peruenit 3. de iureiur.* sed melius & perfectius est votum solemne religionis, quàm simplex eiusdem etiam strictioris, nam per simplex promittit se tradere religioni, per solemne autem se de facto tradit, perfectior siquidem est promissio, quæ de præsenti exequitur, quàm quæ in futurum, à simili de pecunia, quæ præsens magis valet, quàm absens; & quia minus semper continetur in eo, quòd plus est, *reg. 35. in 6.* consequenter votũ simplex religionis in voto solemni professionis, & quia magis trahit ad se, quod est minus, & in suã naturã côuertit, *c. vn. de consecr. Eccl. in 6.* Deinde possunt Superiores etiam locales huiusmodi ingredientes dispensare in hoc voto, quod illis non suffragatur si retrocedant, ex Constit. *Etsi quaslibet.* Eugen. IV. apud Confect. pag. 40. *Vide Sanch. lib. 4. cap. 16. à n. 16. ad* 26. vbi multa de hac re congerit, dicit peccare mortaliter, esse tamen liberum à priori voto.

Dices qui vouit religionem ingredi, si voto non completo fiat Episcopus, renuntiare debet, & votum implere *cap. Per tuas 10. de voto*, ergo idem dicendum de eo, qui vouit strictiorem, & eo non completo profitetur in laxiore, videtur enim, quod debeat ingredi strictiorem ad complendum suum votum; si enim status Episcopalis, qui est perfectior statu religionis *ex D. Tom. communiter recepto* 2. 2. *qu.* 184. *art.* 4. non valet imbibere illud votum, multo minus professio, quæ constituit professum in statu minus perfecto. Præterea sic transiens videtur peccare, quia in citato capite: Qui post votum, subiiciuntur hæc verba. *Pro voto tamen non completo, erit eidem penitentia imponenda.* ergo peccauit transeundo, non adimpleto prius votu, pœna siquidem supponit præcedentem culpam *ex D. Thom* 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 7. *&* 8. *&* 22. *qu.* 108. *art.* 4. *in solut.* & ex eo alios refert. *Barbosa lit. P. n.* 10.

Respond. esse disparem rationem, nam quis assumi potest ad statum Episcopalem sine aliquo voto, & ideo votum præmissum non dicitur imbibi, & commutari per assumptionem status Episcopalis, sed adhuc remanere eius obligationem, ac proinde teneri deposito Episcopatu ingredi Religionem, ad statum vero religionis nemo assumi potest nisi per solemne religionis votum, quod sine dubio ad se trahit illam priorem rem obligationem in se extinguendo, cum sit eiusdem materiæ in genere cum transitu à perfecto ad perfectius, & sicut simbola elementa facile Congregantur, & conuertuntur minus in maius transeundo, ita ista vota cum sint simbola, & eiusdem materiæ facile Congregantur, & minus transmutatur in maius. Ad aliud, quod peccauerit profitendo in laxiore, negatur, quia illa pœnitentia non imponitur propter transgressionem voti, cum illud non infregerit mutando in melius, sed propter scandalum, & malum exemplum, quod dedit vt insinuat ibi *glos. fin. per text. in cap. Vnde voto in fine, in 6.* prætterquam quod, pœna non semper arguit culpam, vt colligitur ex *reg. 23. in 6.* Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus, *Thc. 2. 2. q. 108. art. 4. & ex eo Sanch. lib. 6. cap. 4. num. 11.*

Quæres 23. An Prælati Regulares possint irritare, dispensare, aut commutare votum transeundi ad aliam
Religionem? Irritare autem votum est relaxare, & 73
annullare illud antequam perfecte obliget, sunt enim aliqui, qui non habent plenam potestatem vouendi, sed tantum dependenter ab illis, quorum dominino subduntur, cuiusmodi sunt filij respectu patris, vxores respectu maritorum, & Religiosi respectu suorum Prælatorum, quotiescumque enim isti vouent, subintelligitur hæc conditio in eorum votis, *si placuerit, si consentiens erit mens Superior.* Superior igitur Regularis habet hoc ius, & dominium super suum subditum, vt non possit vouere independenter à sua voluntate, non solum de materia sibi præiudicante, sed etiam de materia, quæ illi non præiudicat, atque & de materia, sibi alias præcepta, & necessaria, consequenter votum independenter ab eo factum irritare potest, vt omnes docent *cum Sanch. lib. 4. cap.* 24. *& 25. Rodr. tom. 1. q.* 25. *art.* 4. Iusta aut causa ad valorem irritationis non requiritur; sed sufficit sola voluntas *dominatiua ex Sanch. cit. c. 24. n. 7. & n. 13.* vbi ait Superiorem solum venialiter peccare irritando vota sine causa; & cum irritatio proueniat ea potestate dominatiua, quæ denotat dominium, & imperium, tunc est, quod superior potest irritare votum sui subditi etiam nolentis, & resistentis irritationi.

Dispensare verò est tollere obligationem voti per- 74
fectè obligantis, in fauorem alicuius particularis, remanente adhuc obligatione respectu aliorum dispensatorum. Commutare verò est materiam prioris, voti obligantis transferre in aliam sub eadem obligatione. In vtraque autem requiritur iusta causa aliter dispensatio, & commutatio est nulla, *Sanchez lib. 4. cap. 45. p. 1.* His præmissis.

Resp. Superiores Regulares non possunt irritare 75
vota suorum subditorum transeundi ad strictiorem Religionem, vtique vero in eis dispensare, & commutare.

Primum de irritatione tenent omnes cum *Sanch. lib. 4. c. 33. nu. 2. Rodr. tom. 1. q. 25. art. 4. cum suo Comp. resol. 123 n. 80. cum aliis citatis à Diana resol. 91. de dub. regul. Bonac. p. 7. de voto §. II. nu.* 27. Ratio est, quia irritare votum, est illud imperfecte obligans, & dependenter à voluntate Superioris relaxare etiam contra voluntatem vouentis cogendo illum, vt non exequatur; sed hoc votum in se perfecte obligat independenter à voluntate Superioris, qui non potest cogere subditum, vt ab eius impletione desistat cum iure communi *c. Licèt 18. de Regul.* omnibus professis detur facultas transeundi ad strictiorem, licet negetur

licentia

licentia petita, & in hoc non est difficultas; neque dicas ex consensu ipsius vouentis posse irritari, in quo casu hæc materia dicitur subiecta potestati dominatiuæ superioris, imò & potest vouere de consensu Superioris, & sic cum in omnibus materia huius voti pendeat à Superiore, poterit ab eo relaxari per irritationem. Quia hoc modo tollitur qualitas formalis irritationis, quæ consistit in cogendo subditum ne adimpleat votum suum, & hoc quatenus obnoxium est irritationi necessario dependere debet à voluntate Superioris vouentis, & non per accidens aut voluntariam dependentiam.

76 Dispensare verò potest in voto transeundi ad strictiorem Religionem, vt maneat in propria, iusta subsistente causa, quod probatur, quia ad dispensandum suppositâ legitima causa ex parte Superioris requiritur potestas spiritualis, & quod votum non sit reseruatum Papæ ex parte subditi; sed Prælatus Regularis potestatem habet spiritualem, & votum non est reseruatum, ergo in eo potest dispensare, de potestate constat ex eo, quod in vtroque foro debet potestatem ordinariam super suos subditos, vt de communi restatur *Sanch. lib. 4. disput. 39. num. 3. quod alibi probaui resol. 14.*

Quod votum strictioris Religionis non sit reseruatum Papæ, sed solum votum Religionis absolute docent communiter *cum Sanch. lib. 4. c. 40. n. 74. & lib. 8 disp. 9. n. 17. Bonac. p. 7. de voto §. IV. n. 21.* non enim est dispensatio voti Religionis, sed illius circumstantiæ; Quare cum nihil obstet, potest Superior dispensare; & licet Doctores citati loquantur de Episcopo respectu eius, qui nondum est ingressus Religionem strictiorem, cuius votum Episcopus potest dispensare, vel commutare, vt ingrediatur laxiorem, tamen hæc doctrina bene applicari potest nostro casui, *vt docet Sanch. lib. 4. c. 41. n. 2.* & potiori ratione, quia Religiosi magis sunt subditi suis Prælatis, quam Seculares Episcopis; & quo ad potestatem spiritualem sunt maiores Episcopis, vt dixi alibi; & quia laudabilius est, ac multum expedit manere in priori vocatione, vnde transiens ad secunda vota etiam strictiora, dicitur inconstans, & variabilis secundum Canonistas in *c. Licet 18. de Regul.*

77 Commutare demum potest huiusmodi votum, quod patet ex eo, quod id minus est, quàm dispensare, si ergo dispensare potest ex mox probatis, etiam commutare.

Quæres 24. An statim ac quis transiuit in secundam Religionem in anno Nouitiatus cessent obligationes, quas contraxit virtute professionis in priori Religione; exemplum sit in Fratre Minimo an in anno Nouitiatus possit comedere carnes inter Tertiarios, ad quos transiuit ex indulto Apostol.

78 Resp. Cessant, seu suspenduntur, & potest comedere carnes, & id latius probaui *in meo tract. de profess. regul. c. 2. q. 72. §. 3.*

Quæres 25. An omnes professi vnius Conuentus possint transire ad strictiorem?

79 Resp. Possunt, vt probaui loco citato §. Vndecimo, *& docet Sanch. lib. 6. c. 7. num. 7. Rodr. tom. 3. q. 52. art. 6. & ex eis Bonac. q. 2. de claus. p. 9. §. 2. num. 5. & eum, vt supra diximus q. 4.* non posse fieri is transitus sine licentia Prælati, & Conuentus, iudico hanc licentiam petendam esse à Generali simul cum patribus illius Prouinciæ in qua est Conuentus transeuntium, quia hoc est negotium grauissimum, ac proinde considerandum à grauissimo Superiore, qui est Generalis, & agitur de interesse totius Prouinciæ, ideo ab illius Patribus saltem Definitoribus, & aliis grauioribus, licentia petenda est, quæ si negetur, adhuc transire possunt, quia totus Conuentus non est inferioris conditionis vno, qui transire potest, licet non obtinuerit petitam licentiam. Habemus tamen exemplum de vno toto Monasterio S. Benedicti professo in Ordine Minorum in eodem Conuentu S. Benedicti, *part. 2. Cron. c. lib. 1. c. 65.*

Quæres 26. An qui cum licentia, aut sine illa transire decreuit ad aliam Religionem, ad quam dimissus fuit, sed interim antequam illius habitum suscipiat, vagatur, possit puniri à Superiore priori, an puniendus sit à Superiore ad quem?

Respond. Puniendus est Aquo. Probatur, & quia 80
sic vagans non censetur manumissus, neque licentiatus, nam licentia fuit ad transeundum, non ad vagandum, ergo adhuc est sub potestate Superioris Aquo, debet enim Religiosus licentiatus recto tramite transire absque mora; vnde iura ad id significandum vtuntur quandoque verbo transuolandi, & verbum transire denotat continuationem itineris ad locum destinatum. Tum quia priuilegium meretur amittere, qui sibi concessa abutitur potestate *cap. Vbi ista 7. dist. 74. cap. Licet 18. de regul. c. 11. de priuil. cap. fin. de pœnit. in 6.* Tum quia ita colligitur ex decreto Sacræ Cong. cuius verba ad hoc retuli initio huius resol. Puniendus autem est non vt apostata, quando petiit licentiam, sed solum vt fugitiuus, quia hoc ipso, quod petiit licentiam, non est præsumptio dicendi ipsum recessisse à Religione ea intentione, vt retrocederet, idest, vt non reuerteretur ad suam, neque ad aliam, cum constet licentiam habuisse ad aliam, ergo non est præsumendus apostata, si constat de licentia transeundi, *Nau. conf. 1. de Apost. num. 8. Coriolanus de casib. reseru. casu 2. nu. 7.* Dicitur ergo iste vagus, & fugitiuus, qui ex *c. 20.* regulæ nostræ debet carceraria pœna castigari. Quod autem discessit sine licentia petita præsumi potest apostata, vnde pœnis apostatarum plecti potest. *Vide Mirand. quæst. 31. art. 19. transcribentem verba Siluest. Sanch. lib. 6. cap. 7. n. 76. vbi seipsum citans eod. lib. cap. 8. nu. 68.* at hunc habitum prioris religionis dimittentem, vt transeat non incurrere excommunicationem, quia dimissio non fit intentione vagandi, sed transeundi ad secundam religionem, & ego probaui *resol. 35. q. 15.* *Potest*, modo non vagetur priori dimisso habitu, & posteriori non recepto legitimè, nam propria authoritate indutus vagando sine dubio incurrit, quia idem est, ac si incederet sine habitu, & in hoc æquiparatur seculari, qui casu seipsum induit regulari habitu, & non induitur à Superiore, hæc omnia est legitima habitus susceptio, & non quando se induit Superiore nil annuente, debet ergo sine mora aliqua dimisso veteri habitu indui à Superiore secundæ religionis.

Quæres 27. An transeuntes ad secunda vota prohibeantur habere officia in ea Religione, ad quam transeunt?

Respond. Clemens V. *cap. 1. de regul.* vt Mendicantes retardaret ab huiusmodi transitu ad non Mendicantes eisdem Mendicantibus etiam authoritate Apostolica ad non Mendicantes translatis, interdixit, ne possent obtinere prioratus, beneficia etiam curata, administrationes, aut quæcumque; alia officia, etiã tanquam Vicarij, seu ministri, & aliorum Locum tenentes, neque vocem, aut locum in capitulum habere, etiam si ab aliis hoc libere illis concedatur. Quidquid autem attentatum fuerit ibi, irritum dicitur. Nullum ergo officium habere possunt, vnde non possunt esse Priores, neque Procuratores, seu Syndici, aut administrare, neque curã animarum habere, neque Sacristæ œconomi Castaldi, Camerarij, neque Prædicatores, vt ibi dicit gl. vet. Officia, ex eo quod est officium Curati, vnde si non possunt esse Curati, neque Prædicatores. Ego non excluderem Prædicatores, Lectores, neque Confessarios, quia huiusmodi officia cum sint spiritualia, in quibus non est ambitio productiua discordiarum, sicut in aliis officiis non retrahant à spiritu deuotionis, quicquid dicant aliqui cum *Vecchio disput. 15. dub. 5. num. 15. & Sanch. lib. 6. cap. 7. à num. 127.* 81

Nomine Mendicantium veniunt validè professi, nam hi dicuntur persistere in vocatione, non autem Nouitij,

Nouitij, aut inualide profeſſi, qui recedere poſſunt, & permanentes non ſunt. Veniunt præterea illi ſoli Mendicantes, qui ex primæuo ſuæ regulæ inſtituto prohibentur poſſidere in communi ſtabilia, cuiuſmodi ſunt Franciſcani, Dominicani, Auguſtiniani, & Carmelitani, ibi gloſ. ver. quoslibet, licet poſtea inceperint poſſidere in communi ea priuilegiis Pontificus, & nunc omnes exceptis Franciſcanis de Obſeruantia, & Capucinis, poſſident ex conceſſione Tridentini *ſeſſ.25. cap.3. Sanch. aliis citatis lib.6. cap. 7. num. 113. ad 116. Rodriq. quæſt. 52. art. 28. cum ſuo Compend. reſol. 123. num. 83. Mirand. q. 31. art. 8. §. Sed, Vecch. diſp. 15. dub. 5 num. 14.* vbi extendi ad alios Mendicantes inſtitutos poſt, vt Minimi, Ieſuitæ &c. & ſic tenent *Rodr. cit. art. 15. §. Tertio, Azor. & Suar. ab. illo citatos.* Inter hos Mendicantes non continetur Ordo Tertiarius, quia ea priprimæuo ſui Ordinis inſtituto non prohibentur huius profeſſores poſſidere in communi, vt probatur à me in propria reſol. huius ordinis.

82 Si fiat tranſitus ad Carthuſianam ab iſtis poteſt acquiri quodcumque officium, & dignitas, quia ibi ſermo eſt de tranſeuntibus virtute alicuius priuilegij, qui autem tranſeunt ad Carthuſianos, non iure priuilegij, ſed de iure communi Extr. *Viam ambitioſa, tranſmeant,* ſic docent *Sanch. lib.6. cap.7. num.110.* & cum eo *Vecch. diſp.15. dub.5. num.13. contra Leſſium lib.2. cap.41. dub.13. num. 105. & Mirand. quæſt.31. art.8. §. Sed inter,* vnde *Armendar. in Addit. ad recop. Legum Nauarr. lib.1. tit.18. lib.7. de de relig. num.68.* refert deciſum, tranſeuntes cuiuſcumque Religionis ad Carthuſianos ibi in clauſtro poſſe eſſe Priores, & extra Procuratores, quod ex eo transfert *Barb. ad cap.11 ſeſſ.14.*

83 Concilium Tridentinum citata *Seſſ.14. cap.11.* decernit tranſeuntes exiſtere incapaces beneficiorum ſecularium, etiam curatorum, licèt tranſeuntes ſint Canonici regulares. Hæc autem incapacitas eſt etiam reſpectu non tranſeuntium, ſed manentium in prima vocatione, quicumque ſint illi regulares etiam Canonici, qui ſine diſpenſatione Apoſtolica non poſſunt recipere beneficia ſecularia, aut curam animarum etiam ad tempus, vt docent omnes *cum Quar. ver. Canonicus regal. Sanch. lib.7. cap.29. num.71. Mirand. q.32. art.5. Compend. reſol. 15. n.52. in fin.* quos & alios citat Barboſa ad dictam *ſeſſ. n.6. & 9. vide reſol.92.*

Quæres 28. Quomodo ſedebit in ſecunda religione.

84 Reſpond. In anno nouitiatus vt nouitius tractabitur, à puncto profeſſionis ſecundæ incipit habere ius ſuæ ſeſſionis in Choro, & in menſa, ratione enim prioris profeſſionis nullum ius dicitur acquirere in ſecunda, imò nec poteſt, cum vt non exiſtens nullum producere valeat effectum. In hoc non eſt diſcrepantia. *Ita Rodr. tom.3. quæſt.52. art.29. & 30. cum ſuo Compend. reſol.123. num.81. Mirand. quæſt.31. art.23. Sanchez lib.6. cap.7. num.86. cum Nauar. conſil.11. de maior.* vbi excipit tranſlatum in Prælatum, qui finito ſuo officio ſedet apud Priorem, niſi adſit alius maior dignitate.

Quæres 29. An non ſolùm viris Religioſis, ſed etiam Monialibus concedatur tranſitus ad ſtrictiorem ordinem?

85 Reſp. Conceditur *cap.1. 20. quæſt.4. ibi Gloſſ. & verſ. Perpetua cap. vn. de ſtatu Regul in 6. & ſupponit Gloſ. ver. Quoſlibet Clem.1. de Regul.* quam explicaui *preced. q.28.* quibus applicantur ibi, *vt docet Sanchez lib.6. cap.7. num.116.* Nec obſtat edictum de clauſura perpetua ex *cap. vn. de ſtatu Regul. in 6. ſeſſ.25. cap.5.* vbi prohibetur illis, ne exeant à clauſura quocumque prætextu, niſi ex legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, tranſitus autem ad ſtrictiorem ordinem ſine dubio eſt legitima cauſa, ergo concedendus eſt. Nec obſtant duæ Conſtit. Pij V. *Circa Paſtoralis* & *Decori, & honeſtati.* In quibus prohibetur exitus, exceptis tribus caſibus, inter quos non eſt noſter; ſed dicas illos referri in exemplum, quod regulam non reſtringit *l. Damni infecti, ff. de dam. inf.* poſſunt ergo exire in hoc, & aliis vrgentibus caſibus, vt ibi docet *Compend. Schol.1. ex Nau. com.4. de Regul. num.49. Sanchez lib.6. cap.15. num.37.* Licentiam autem tranſeundi debet Monialis petere non ab Abbatiſſa, quia hæc non dicitur Prælata iuxta *cap. Licèt 18. de Regul.* neque illi hoc iudicium cum ſit grauiſſimum eſt committendum, ſed Prælato ſiue Regulari, ſiue Epiſcopo, cui ſubiecta eſt. *Ita docet Rodr. tom.3. quæſt.52. art.6. Bonac. quæſt. 2. de clauſ. p.9. §. 2. num.4. Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 61.* Faciunt difficultatem circa licentiam exeundi è clauſura, nam Portell. dicit neceſſario petendum eſſe à Papa *ver. Religionis tranſitus num.8.* Ego autem cum *Rodr. cit. & ſuo Compend. reſol. 123. num. 61. Nau. tom. 2. com. 3. de Regul. num. 60. Sanch. lib. 6. c. 7. num. 6.* vbi ait ſufficere illam petere licet non obtineatur, dico requiri licentiam obtentam cum Rodr. quia in aliis cauſis iuſtis, & exceſſis requiritur, multo magis in hac.

Quæres 30. An Clauſtrales poſſint tranſire ad Militares?

Reſp. Non, niſi de expreſſa licentia Summi Pontificis, patet ex ſupra adductis *quæſt. 18.* 86

Quæres 31. An tranſitus fieri poſſit non ſolum ad 2. ſed etiam ad 3. & 4. Religionem?

Reſpond. De iure fieri poteſt, quia tranſitus non 87 reſtringitur ad ſecundam Religionem, ſed non eſt laudandus is tranſitus, quia nullum deuotionis ſpiritum arguit, ſed maximam animi inſtabilitatem, & inconſtantiam indicat, dignus non leui reprehenſione, ac proinde non exaudiendus, quia præſumitur minimè tranſire zelo arctioris vitæ.

Quæres 32. An tranſiens poſſit ſecum transferre aliquid in ſecunda Religione?

Reſp. Nihil poteſt, niſi ſolum vſumfructum intuitu 88 perſonæ conceſſum, cuius proprietas eſt extra Religionem, & ſcripta inutilia priori Religioni. Quod nihil poſſit transferre probatur *ex Auth. de Monachis § Si vero relinquens, & in Auth. Ingreſſi C. de Sacroſ. Eccl.* apertè dicitur omnia bona profitentis acquiri Monaſterio virtute profeſſionis. Ratio eſt, quia huiuſmodi tranſlatio eſt actus dominij, & proprietatis, quibus caret Religioſus. Omnia ergo bona acquiſita priori Religioni per profeſſionem, quouis titulo ſiue ante profeſſionem, ſiue poſt ex legato, donatione, contractu, aut alio quouis modo, ſiue ex induſtria ipſius profeſſi, aut ex eleemoſyna remanent priori Monaſterio, ita quòd ſecum nihil eorum transferre poteſt. Ita communior opinio cum *Nau. tom.2. com.4. de Regul. num.24. §. 11. & conſ.55. num.9. de Regul. Rodr. tom.2. q.79. art.2. & tom.3. quæſt.5. art.5. q.52. art.27. cum ſuo Comp. reſol.123. num.82. Bonac. q.2. de clauſ. p.9. §.4. diff.2. num.2. Mirand. q.32. art.24. Sanch. fuſius pro aliis lib.7. cap.32. num.8.* vbi citat, & refert oppoſitam aliorum opinionem aſſerentium omnia ſecum transferre, quia in conſequentiam perſonæ erant prioris Monaſterij, ergo cum ea tranſeunt ad ſecundum, ſed id non obſtat, quia licèt intuitu perſonæ tranſierint, effecta tamen fuerunt ſimpliciter, & abſolutè propria Religionis prioris. Procedit hoc, quando valida fuit profeſſio, nam inualidè profeſſus tranſiens ſecum defert relicta priori Conuentui intuitu ſuæ perſonæ, vt docent omnes, bona enim intelliguntur acquiſita ſub ea conditione. Dicta habent locum etiam in hæreditate delata ſolum, & nondum adita, ita quod remanet apud Monaſterium prius, quia hoc ipſo quod Religioſo ea delata eſt, Monaſterium acquiſiuit ius etiam adeũdi illam abſque facto Monachi, quod non eſt neceſſarium, vnde poſtquam profecit in ſecunda, prior Religio poteſt adire hæreditatem ſibi delatam. *Ita Sanchez aliis citatis nu. 18. Bonac. num. 6.* Habent quoque locum reſpectu vſus fructus eorum bonorum, quorum proprietas eſt Monaſterij prioris *Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 11.* contra Rodr. & alios volentes transferri alimenta, *apud eundem Sanch. num. 7. in fine.*

Vſusfructus, ſeu Liuelli, & penſiones relicti profeſſis 89 à pa

à parentibus, vel aliis transeunt ad secundum Monasterium, quia sic præsumuntur instituti, maximè cum eorum proprietas remaneat apud institutores, ad quos ordinariè redit vsus fructus post mortem professi, vsus fructus enim est seruitus personalis *l. 1. de vsufr.* De concesso ante professionem *tenent Rodr. cit. cum suo Compend. cit. q. 32. art. 27. Bonac. q. 2. p. 9. §. IV. diff. 2. n. 9. Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 63.* Et de concesso etiam post professionem tenent præcitati, excepto *Sanch. l. 7. cap. 32. num. 14.* vbi ait concessum sub ea conditione, ne Monasterium in illud se ingerat, transire in secundum, non autem quando absolutè concessum fuit. Sed dic tu concessum siue ante, siue post professionem ex bonis, quæ non sunt Monasterij intuitu professi ad subleuandam eius indigentiam transire cum eo ad secundum Monasterium ob allatam rationem. Si verò post professionem sibi constituit Liuellum, aut censum, vel quid simile, nihil horum secum transfert, quia id totum acquisiuit Monasteriū prius, ius nempe in proprietate, & vsufructu, & nō est simile de cōstituto ab alio extra Religionē, in quo casu proprietas remanet apud cōstituentē cum iure reditionis post mortē vsufructuarij, in cōstituto autem ab ipso Religioso omne ius remanet apud Religionem, & ideo religiosus nullum ius habet transferendi secum vsumfructum, ille ergo vsusfructus, cuius proprietas est Monasterij, ex quibusuis bonis, seu pecunijs proueniat, non transfertur, vt dixi suprà, Quare centum à Patre meo ex testamento mihi relicta ante aditionem si transibo, remanent, quinque verò singulis annis ab hæredibus mihi soluenda mecum transfero in Religionem capacem, alias remanent apud hæredes,

90 Sed quid dicendum, quando translatus acquirit aliquid, dum est Nouitius in secunda Religione, cuinam tunc aquirit Priori ne, an secundo Monasterio? *Nauar. tom. 2. comm. 4. de regul. num. 24. §. Vndecimo, Rodrique tom. 2. quæst. 79. art. 2. Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 9. & cum eis Bonac. quæst. 2. p. 9. §. IV. diff. 2. num. 2.* dicunt semper acquiri priori Monasterio vsque ad professionem in secundo, quia non est perfectè translatus, sed adhuc est verus religiosus prioris Monasterij toto anno nouitiatûs, Sed mihi magis placet sententia *Cardin. in Clem. 1. §. Quia vero de regul. quæst. 13. num. 14.* acquiri secundo Monasterio, quia quod non sit perfectè translatus, sed Religiosus prioris conuentus, hoc solum indicat, nondum professisse in secundo conuentu, vbi est nouitius, & magis dicitur esse de secundo conuentu, quàm de primo, sicut secularis effectus Nouitius magis dicitur esse de Religione, quam de sæculo, & ex eo quod non tenetur ad obseruantias prioris Regulæ, ex probatis hic *quæst. 24.* sed debet se conformare secundæ regulæ experiendo eius asperitates, & professorum mores. Præterea acquisita relinquuntur solemniter via testamenti, aut contractus, ac proinde exprimitur nomen Nouitij in tali conuentu talis Religionis, ergo præsumitur acquisitio proprietatis facta secundo conuentui, si ibi profecerit, aliter priori, si redibit improfessus.

91 Scripta inutilia priori religioni secum ferre potest, asserunt *Nauar. consil. 55. de regul. num. 10. ex eo Rodriq. tom. 2. quæst. 79. art. 2. in fine. Bonac. quæst. 2. de claus. p. 9. §. IV. diff. 2. nu. 3. Compend. Bull. 35. Sixti V.* Ego dicerem etiam vtilia, quia cum sint fœtus, & partus sui intellectus, videntur veri eius naturales filij, vt ita dicam, cum ipso transire, & pateretur magnum detrimentum, si suas lucubrationes, in quibus componendis, tantum insudauit, secum transferre non possit, in solatium animæ suæ.

Debet autem in secundam religionem incedere cum suis vestibus interioribus, & exteriori habitu prioris religionis, vt eo exuto immediatè à Superiore posterioris induatur nouo habitu, remittendo habitum suum priori religioni, aut retinendo vsque ad diem professionis remittendum, aut resumendum, si non possit proficere redeundo ad pristinam domum religiosam. Quod secum possit deferre habitum antiquum docent præcitati.

Quæres 33. An Superiores possint professum de statu clericali transferre ad statum conuersorum, siue ob imperitiam, siue ob aliquod graue crimen.

Respond. Possunt, quod probaui *resolut. 30. quæstione 18.* 92

Quæres 34. An è contra conuersum possint transferre ad statum clericalem, si habeat merita, & requisita?

Respond. Possunt, quod supponitur constitutione Leonis X. *apud Compend. ver. Laici Fratres §. 5. & Rodriq. tom. 1. quæst. 42. art. 19.* dum statuit, quod quando aliquis Frater Laicus ad clericatum ascenderit extra obedientiam Prælatorum Ordinis, etiamsi vsque ad Sacerdotium promotus fuerit, omni honore clericali priuetur, nec permittatur canonicum persoluere Officium, sed laicorum persoluere iubeatur. Vnde subdit Compendiat. ibidem, quod virtute dictæ constitutionis in capitulo Generali Lugdunensi renouatum fuit statutum ne Laici ad Clericatum ascendant sine consensu Generali Ministri, aut Capituli Generalis. In hoc ergo Ordine Minorum, quod est de Obseruantia potest Capitulum, aut Generale conuersum efficere Clericum. Aliæ Religiones attendant sua statuta. 93

In mea Religione *cap. 29.* Regulæ, seu statutorum, prohibetur, ne quispiam nostri Ordinis Laicorum ea ipsa Corona, seu tonsura ornari queat, & si enim hæc verba eum habeant sensum, vt conuersi non ferant coronam religiosam, per quam Clerici distinguuntur à Conuersis, audio enim antiquitus huiusmodi Laicos eam ferre consueuisse, illius vsus sublatus fuit anno 1494. vt ibidem dicitur; tamen bene iste textus prohibet etiam ascensum ad statum clericalem, quia apud regulares habentes coronam religiosam censentur deputati ad Chorum, & sic proximè idonei ad Ordines. Id autem munus clericandi conuersum spectabit ad Patrem Generalē, cum agatur de re maximè considerationis, & optimum illi erit abstinere se ab huiusmodi gratia, cùm vt plurimum istæ personæ ducantur potius ambitione dignitatum, quàm feruore maioris deuotionis, & altioris Diuini seruitij. 94

Prædictis videtur facere difficultatem Clem. VIII. *in Institut. super recept. & educat. nouit. §. Tempore.* illis verbis, *Sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.* Particula enim, *Etiam*, est implicatiua, & ampliatiua, etiam casuum magis dubitabilium, vt colligitur *ex cap. 7. de hæret. §. De quæstionibus Alex. libro secundo, consil. 127. Megal. part. 3. lib. 3. cap. 50. numero 17. Nauarr. tomo 3. de Iubilæo not. 26.* Non potest ergo Conuersus in anno probationis, neque post professionem transire ad statum clericorum. Sed tollitur difficultas respondendo aliud esse transire, quod respicit agere propria authoritate, aliud trásferre, quod indicat actum alterius potentis transferre. Itaque per illud statutum non aufertur potestas Superioris, sed subdito negatur transitus propria voluntate ad altiorem statum, ad quem nemo debet accedere, nisi prius vocetur. 95

Quæres 35. An transiens ad secunda vota perdat officia, gradus, & dignitates, quæ habebat in priori religione? Nota autem quod huiusmodi onera, seu tituli duplici via acquiri possunt in Religione, vel ab ipsa Religione tantum, quæ habet facultatem, seu priuilegium ea conferendi, cuiusmodi sunt Officia superioritatis, quæ à sola religione conferuntur, vt Prælaturæ, & cœteræ administrationes respicientes gubernationem, & administrationem in religione cuiusmodi sunt officia Electorum, Procuratorum, Definitorum, & cœtera, Item facultas audiendi confessiones intra religionem, item dignitas Doctoratus, & Officium Lecturis, seu Prædicaturis, & huiusmodi quæ conferuntur à

superioribus religionis. Vel posteriori modo recipiuntor extra religionem, de consensu tamen superiorum religionis; cuiusmodi sunt officia Lectoratus in Schola seculari, Confessoris erga seculares, laurea Doctoratus in Theologia, in altero, aut vtroq; iure, procuratoris, tutoris citatoris, Vicarij Episcopalis, &c. Obserua insuper officia seu titulis primi generis differre inter se, nam aliqui dependent à loco, cuiusmodi sunt Prælaturæ, aliæ superioritates, administrationes electiones præsertim actiuæ, vt Definitoratus, Discretatus &c. Alij sunt independentes à loco, vt facultas excipiendi confessiones, legendi, concionandi, laurea doctoratus, &c. & huius generis sunt etiam tituli posteriores relati.

96 Respond. Tituli primi generis, vt sunt Prælaturæ, administrationes, electoratus, &c. à loco dependentes aliqua ratione extinguuntur per legitimum transitum ad secunda vota. Qui verò sunt independentes à loco remanent suspensi quo ad exercitium infra annum nouitiatus, & per professionem extinguuntur penitus, vt tamen dicam. Reliqui secundi generis in suo perseuerant robore in secunda religione, in qua tamen transeuntes cogi possunt ad renuntiandum antequam professionem emittant. Demum quando directè repugnent, quicumque ex prædictis extinguuntur, & penitus euanescunt,

97 Primum, quod Prælaturæ cum similibus primi generis locum respicientes extinguantur per transitum. Probatur. Tum argum. *capitulo. Nisi cum, capitulo. Post translationem, capitulo fin. de renunt. capitulo. Licet, de regul.* in quibus locis dicitur Prælatos, vt Episcopi, Abbates non posse renuntiare Prælatui, seu Abbatiæ pro ingressu religionis nisi de licentia Papæ. (ibi sermo de immediatè subiectis Papæ) ergo huiusmodi transitus supponit renuntiationem non tantum in dictis Prælatis maioribus, sed etiam alijs inferioribus, cum tam isti, quàm illi alijs sint obligati. Tum quia isti etiam per transitum censentur præcisi vti membra à priori capite. Tum quia huiusmodi officia sunt propria prioris religionis cum residentia, ergo non possunt transire ad secunda vota, aliter transiens resideret. Tum quia dependent etiam à loco, hoc est, conuentu, & prouincia; sed per transitum abdicarunt se à loco; ergo & à dictis titulis. Illud constat, quia dicuntur Superiores, Definitores, Vocales &c. talis conuentus, talis prouinciæ, vnde ex eo quod sunt talis conuentus, talis prouinciæ completur ius præsidendi, & suffragandi, quod non competit extraneis, quamuis superioribus & titulatis extra, & quod non sunt talis loci titulares. Demum facit secundum argumentum sub *quæstione* 34. *resol.* 52.

Quare si isti reuerterentur etiam infra annum ad priorem religionem, posteriore dimissa, essent religiosi priuati, ac si illas Prælaturas, gradus, & titulus nunquam habuissent, sicut illi, tempore finito sua renuntiant officia.

98 Secundum, quod tituli reliqui eiusdem primi generis à loco independentes, comitentur transeuntes, sed tamen remaneant suspensi pro anno nouitiatus? suadetur. Tum quia transeuntes adhuc dicuntur religiosi primi Ordinis, cum nondum professerint in secundo, ergo non censentur spoliati illis, licet suspensi quo ad eorum exercitium, eo quod per transitum elongauerunt à priori religione, quæ ius, & exercitium illis concedebat, Tum quia licet reliquerint prius monasterium, & prouinciam ratione loci, non tamen ratione professionis, cum illius adhuc sint religiosi, ad quam si facti pœnitentia ducti reuerterentur ante professionem reciperentur sine alia professione *Sanch. libro sexto capitulo septimo numero* 104. *Mirand. tom. primo, quæstione* 31. *articulo decimo octauo, ego capitulo secundo de Profitente quæst.* 72. §. 8. Tum quia in his titulis habent aliquod ius, cum non conferantur gratis, sed ex iustitia ex præmisso examine, & idoneitate personæ.

Quare Confessarius, qui iam transiuit, si excipiat confessiones illorum religiosorum, quos de prioribus sui conuentus, vel prouincia poterat ante transitum audire, poterit si non licitè ob negatum exercitium, saltem validè absoluere, cum facultas eius extincta non fuerit, sed tantum suspensa quo ad exercitium licitum. Item si sit Doctor in priori religione poterit concurrere ad laureandū quempiam in Doctorem, si ante transitum poterat, quia adhuc est Doctor, neque per transitum censeatur renuntiasse iuri suo ex probatis. Prioris autem religionis Doctores non tenentur illum vocare, imò possunt illum contemnere, & expellere à collegio, si contra vellet ingredi. Item Lector reuersus ante professionem adhuc est Lector, & prosequutionem lecturæ petere potest, si adhuc vacat. 99

Tertium, quod secuta professione extinguuntur reliqui tituli, cum quibus quis transiuit, probatur, Quia professione secuta censetur transiens omnibus renuntiasse, prior enim professio, secundo in esse posita, omninò euanescit, & extinguitur quo ad omnia, quæ ab ea dependebant, ergo & eiusmodi prælaturæ, & tituli. Confirmatur, qui detracto fundamento, quod in re hac est professio, ex vulgatis iuribus, extinguuntur, & desinunt esse ea omnia, quæ ab ipso pendebant, cuiusmodi sunt eius generis tituli, quos religiosus quatenus talis professione acquisierat. 100

Quare isti redeuntes ad priorem religionem non amplius sunt confessarij lectores &c. Sicut erant antequam recederent, vnde egent noua institutione, secundum quam illis à superiore denuo collatam acquirunt iura non antiqua, sed ex tunc, ac si nunquam fuissent aliàs graduati, excepta Doctoratus laurea, de de qua mox subiiciam 101

Quartum, quod officia, tituli, gradus extra Religionem allata comitentur transeuntem, & cum eo permaneant in secunda Religione, probatur Tum quia tituli, de quibus §. 2. transeunt saltem infra annum probationis, ergo à fortiori isti etiam secuta professione manent, cum non fuerint collati à Religione, sicut illi. Tum quia isti gradus conferuntur Religioso, vt est persona apta, & idonea ad illos, non quatenus Religiosus talis ordinis, sed transiens tam est idoneus in secundo Ordine, sicut fuit in primo, ergo nulla est ratio suadens illos extingui secunda professione. Tum quia transiens secum transfert Liuellos, census & vsufructus designatos sibi à consanguineis, ex probatis suprà *num.* 89. ergo à fortiori transeunt hi tituli, in quibus nulla potest esse suspicio proprietatis. Tum quia sicut res, per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, ex vulgatis iuribus, ita à contrario sensu, per quas non nascitur, nec per easdem dissoluitur, sed hi tituli à neutra Religione nascuntur, ergo à neutra dissoluentur. 102

Quare sic transeuntes in secunda Religione etiam peracta professione possunt vti suis titulis cum iuribus, & priuilegiis iuxta conditionem, & statuta eius Religionis; sed quia propriam voluntatem subiecerunt de nouo superioribus secundæ Religionis, dependentes ab his illis vti, & frui debent per nouam recognitionem, & aggregationem, & quo ad præcedentiam, & cætera iura respectiua standum est secundæ professioni.

Quintum, quod huiusmodi tituli debeant renuntiari, aut intelligantur renuntiati, si repugnent secundæ Religioni, probatur, quia volens antecedens vult etiam consequens necessario sequens *ad illud l.* 1. §. 1. *ff. si vsusfr. pet.* 1. *l.* 2. *ff. de iur. om. iud. Exer. in loco à concess. antec.* Sed transiens vult efficaciter professionem in secunda religione, ergo consequenter debet velle quicquid statuitur in ea religione, in qua cum non habeant locum illi tituli, censetur illos renuntiasse saltem in consequentiam, si non directè, & expressè. 103

Doctoratus

104 Doctoratus, soquor de quauis saculrare, habet aliquid speciale, ratione cuius illo insignitum comitatur etiam post mortem, vnde doctor a seculari statu transiens ad Ecclesiasticum, etiam regularem successiue quoque; respectu cuiuslibet ordinis semper transit cum hoc gradu, in cuius probatione præmittenda sunt duo.

105 Primo, hunc gradum conferri posse primo à prælatis regularibus priuilegium habentibus pro suis professis, cuiusmodi sunt Dominicani ex priuilegio Innoc. IX. & Bonif. VIII. atque Franciscani Conuentuales ex Martino V. *Rodr. cum suo Compend. resol. 70. num. 5 Sanchez, lib. 6. cap. 14. num. 47.* Mea religo caret hoc priuilegio, creat vero solum Lectores, Baccalaureos, vnde extra huius ordinis religiosi hunc gradum aquirunt de licentia solius Generalis. Secundo autem modo confertur is gradus per dimissionem ad vniuersitates, vel alias habentes priuilegia Doctorandi confirmata post Pium V. factam à superioribus earum religionum tam carentium hoc priuilegio, quàm habentium illud.

106 Secundò præmitto, hunc gradum continere duu dignitatem, & priuilegia, ratione primi Doctoratus semper manet ad quemcumque statum transeat laureatus, ratione secundi suspenditur, quando priuilegia repugnant, vel aduersantur, aut non sunt in vsu, in religione, ad quam fit transitus.

107 Gradus autem Doctoris, cuiusuis facultatis, vti Theologiæ, iuris Canonici, Cæsarei, neque philosophiæ repugnat statui religioso, cum dicat perfectionem, quæ proficiscitur à charitate in Deum per exercitium vitæ contemplatiuæ, & in proximum per officium vitæ actiuæ, & vna religio tanto magis alia est perfectior, quanto plus ad hanc perfectionem charitatis per veram dilectionem accedit, *vt docent Theologi cum D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 2.* Sed religiosi omnea debent tendere ad perfectionem non tantum per viam contemplatiuæ, vt vt sibi prosint, sed etiam per exercitium actiuæ, vt aliis prodesse possint, ergo nulla religio habet recipuere hunc gradum perfectionis. Quod is gradus non repugnet statui religioso docent *Sanch. lib. sexto capitulo 14. num. 45. Rodr. cum suo Compend. cit. Lezana capitulo octauo num. 25.*

Religiones habentes hoc priuilegium, gradum hunc non possunt conferre nisi verè professis, vt ex tenore priuilegiorum colligitur, consequenter collatus inualidè professo, nullus est roboris, sicut & nouitio.

108 Quid si eam ratificet? an reuiuiscat doctoratus? Respon. sic, quia ratificatione huiusmodi consequuntur omnia suum valorem dependentia à professione, cuiusmodi est gradus Doctoratus Confirmatur à simili de renuntiationibus factis à nouitio conualidatis per ratificationem professionis nullæ, *ex Rodr. tom. 2. q. 47. art. 11. ex parte Sach. lib. 7. cap. n. 5. 56. Barbosa ad cap. 16. sess. 25. num. 18.* ergo idem dicendum de hoc gradu, & potiori ratione, cum hic non agatur de bonis fortunæ, ratione quorum potest præiudicium alicui afferri, sed de bonis animæ, quæ nulli præiudicare possunt.

109 Doctoratus est dignitas, quod probatur. Tum quia est prærogatiua quædam, & honor ex *cap. 3. & Clem. 2. de Magistr.* Tum quia ordo doctorum est quasi præcipuus in Ecclesia Dei, *cap. Ex iniuncto 13. de hæretic.* Tum quia doctor honorandus est, *cap. De multa, ad finem 28. de prabend.* Tum quia infamis doctorari non potest, *Rota Rom. diuers. vol. 3. lib. 2. decis. 125. num. 2.* ex eo, quod portæ dignitatum non patent infamibus 87. *de regul. iur. in 6. Graff. tom. 2. consil. 2. de testam. diff. 3. nu. 2. & conf. 3. de pœnit. Villalobos lit. D. n. 89. Bart. in Rubr. de veteri iure enucl. & in lib. 1. nu. 10. C. de nouo cod. fac.* qui distinguit duplicem dignitatem,
110 Natiuam ex præsupposita scientia, ex qua vera nobilitas nascitur, ex tex. in l. Prouidendum, ibi *Quos scientia nobilissimos facit Cod. de Portul.* & ibi S liect. dicit nobilitatem esse filiam scientiæ; & Datiuam, quam *in lib.* nulla præexistente scientia, neque meritis princepa confert pro suo libito alicui, quem vult honorare, *Bald. Sacrilegy C. de diuers. rescrip.* Quicquid dicat *Nald. ver. eod. ex eo,* quod doctoratus potest conferri infami, quod non esse verum ostendi, & excommunicato, quod verum est, solum quoad actum validum, quando non habet adnexam iurisdictionem, non quo ad licitum, docet *Vgol. tab. 2. de excommun. cap. 18. §. 1. cum aliis, quos citat Bonac. p. 7. de excommunic. num. 4.* vbi dicit quod Doctoratus est propriè dignitas Ecclesiastica, licèt non habeat adnexam iurisdictioné.

111 Dignitas hæc siue Natiua, siue Datiua comitatur Doctorem quocumque eat, probatur. Tum quia Doctor vbique est Doctor, *Bald. in lib. 1. §. Huius study ff. de inst. Felin. in cap. Causam, de rescr. num. 17. Bossius sect. 3. de Iubil. num. 218. Valerus de diff. vtr. iur. ver. Absolutio diff. 1. Faber de pœnit. disp. 50. num. 34.* Tum quia creatio Doctoris non pendet à loco, sed ex doctrina, & meritis probatis per rigorosum examen, ergo non prohibetur loco, neque statu. Tum exemplo B. Pauli qui Doctoratum ex gentili statu transtulit apud Christianos. Tum quia Doctor resuscitatus adhuc est Doctor, ex *Sebast. Medic. in suo libello.* Mors omnia soluit *part. 2. nu. 275.* ergo a fortiori idem dicendum respectu cuiuscumque status positiui. Tum quia dignitas numquam moritur, *cap. Si gratiose, de rescr. in 6.* vnde & perpetua dicitur, consequenter semper habet comitari Doctorem. Demum in signum huius perpetuæ dignitatis, mediante exercitio in prædicatione Euangelij, & doctrina Sacræ Scripturæ Doctores (loquor de Natiuis) in æterna vita decorantur corona gloriæ dicta Aureola, seu Laureola à Theologis in 4. dist 49. quæ est quoddam præmium accidentale superadditum essentiali beatitudini Doctoris, qui laborauit in doctrina, iuxta illud. 1. ad Timot. 5 *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant verbo, & doctrina.*

112 Demum in religionibus, in quibus gradus Doctoris non solet conferri humilitatis causa, sed prohibetur, suspenduntur iura & priuilegia nominis, præcedentiæ, &c. quo ad religionem, & tractantur vt alij non Doctores, ac si nun fuissent antea Doctores, eo quod professione censeantur illis iuribus renunciasse. Remanet verò sola dignitas natiua cum per transitum non auferatur, cum sit congenita illi, vti nobilitas religioso nobili ex sanguine.

113 Ex his ergo infertur, transeuntes secum saltem transferre dignitatem Doctoratus, si non priuilegia quo ad exercitium in illis religionibus, in quibus non solent creari Doctores. Doctor autem transiens ad religionem, vbi Doctoris gradus confertur, conseruat sua priuilegia, secuta professione, & præcedit simplices Sacerdotes antiquos, quia sicut vbique est Doctor, ita vbique honorandus est, ceteros vero Doctores in nullo præcedit, nisi eos qui post ipsum creabuntur, licet sint priores professione, Idem dic de translatis, & dimissis, ex aliquo indulto Apostolico, nam extra religionem manentes, siue cum habitu, siue sine illo, modo fuerint valide professi, adhuc retinent iura sui gradus, siue sint creati intra religionem, siue extra ab aliqua vniuersitate, in quo etiam posteriori sensu adhuc sunt Doctores, licet inualide professi, quia Vniuersitas confert hanc lauream attenta scientia, & meritis laureandi, religio autem præterea attendit professionem, cum dependeat à priuilegio quod requirit pro forma professionem, qua non existente, nihil fit.

114 Sed quid dicendum de lectoribus, an idem sint quod Doctores, & Magistri in illis religionibus, in quibus non solent creari Magistri, & Doctores, nec similiter nominari, sed solum Lectores? Resp. Quando religio habet priuilegium creandi Lectores cum omnibus iuribus, & priuilegiis competentibus Doctoribus, eo casu nomen Lectoris idem importat, quod nomen Doctoris, & sic in re Lectores isti sũt Doctores, vt

superioribus religionis. Vel posteriori modo recipiuntur extra religionem, de consensu tamen superiorum religionis; cuiusmodi sunt officia Lectoratus in Schola seculari, Confessoris erga seculares, laurea Doctoratus in Theologia, in altero, aut vtroq; iure, procuratoris, tutoris curatoris, Vicarij Episcopalis, &c. Obserua insuper officia seu titulis primi generis differre inter se, nam aliqui dependent à loco, cuiusmodi sunt Prælaturæ, aliæ superioritates, administrationes electiones præsertim actiuæ, vt Definitoratus, Discretatus &c. Alij sunt independentes à loco, vt facultas excipiendi confessiones, legendi, concionandi, laurea doctoratus, &c. & huius generis sunt etiam tituli posteriores relati.

96 Respond. Tituli primi generis, vt sunt Prælaturæ, administrationes, electoratus, &c. à loco dependentes aliqua ratione extinguuntur per legitimum transitum ad secunda vota. Qui verò sunt independentes à loco remanent suspensi quo ad exercitium infra annum nouitiatus, & per professionem extinguuntur penitus, vt tamen dicam. Reliqui secundi generis in suo perseuerant robore in secunda religione, in qua tamen transeuntes cogi possunt ad renuntiandum antequam professionem emittant. Demum quando directè repugnent, quicumque ex prædictis extinguuntur, & penitus euanescunt,

97 Primum, quod Prælaturæ cum similibus primi generis locum respicientes extinguantur per transitum. Probatur. Tum argum. *capitulo. Nisi cum, capitulo. Post translationem, capitulo fin. de renunt. capitulo. Licet, de regul.* in quibus locis dicitur Prælatos, vt Episcopi, Abbates non posse renuntiare Prælaturæ, seu Abbatiæ pro ingressu religionis nisi de licentia Papæ. (ibi sermo de immediatè subiectis Papæ) ergo huiusmodi transitus supponit renuntiationem non tantum in dictis Prælatis maioribus, sed etiam aliis inferioribus, cum tam isti, quàm illi aliis sint obligati. Tum quia isti etiam per transitum censentur præcisi vti membra à priori capite. Tum quia huiusmodi officia sunt propria prioris religionis cum residentia, ergo non possunt transire ad secunda vota, aliter transiens resideret. Tum quia dependent etiam à loco, hoc est, conuentu, & prouincia; sed per transitum abdicarunt se à loco; ergo & à dictis titulis. Illud constat, quia dicuntur Superiores, Definitores, Vocales &c. talis conuentus, talis prouinciæ, vnde ex eo quod sunt talis conuentus, talis prouinciæ completur ius præsidendi, & suffragandi, quod non competit extraneis, quamuis superioribus & titulatis extra, & quod non sunt talis loci titulares. Demum facit secundum argumentum sub *quæstione 34. resol. 52.*

Quare si isti reuerterentur etiam infra annum ad priorem religionem, posteriore dimissa, essent religiosi priuati, ac si illas Prælaturas, gradus, & titulus nunquam habuissent, sicut illi, tempore finito sua reounciant officia.

98 Secundum, quod tituli reliqui eiusdem primi generis à loco independentes, comitentur transeuntes, sed tamen remaneant suspensi pro anno nouitiatus? suadetur. Tum quia transeuntes adhuc dicuntur religiosi primi Ordinis, cum nondum professerint in secundo, ergo non censentur spoliati illis, licet suspensi quo ad eorum exercitium, eo quod per transitum elongauerunt à priori religione, quæ ius, & exercitium illis concedebat, Tum quia licet reliquerint prius monasterium, & prouinciam ratione loci, non tamen ratione professionis, cum illius adhuc sint religiosi, ad quam si facti pœnitentia ducti reuerterentur ante professionem reciperentur sine alia professione *Sanch. libro sexto capitulo septimo numero* 104. *Mirand. tom. primo, quæstione* 31. *articulo decimo octauo, ego capitulo secundo de Profitente quæst.* 72. §. 8. Tum quia in his titulis habent aliquod ius, cum non conferantur gratis, sed ex iustitia ex præmisso examine, & idoneitate personæ.

Quare Confessarius, qui iam transiuit, si excipiat 99
confessiones illorum religiosorum, quos de prioribus sui conuentus, vel prouincia poterat ante transitum audire, poterit si non licitè ob negatum exercitium, saltem validè absoluere, cum facultas eius extincta non fuerit, sed tantum suspensa quo ad exercitium licitum. Item si sit Doctor in priori religione poterit concurrere ad laureandũ quempiam in Doctorem, si ante transitum poterat, quia adhuc est Doctor, neque per transitum censeatur renuntiasse iuri suo ex probatis. Prioris autem religionis Doctores non tenentur illum vocare, imò possunt illum contemnere, & expellere à collegio, si contra vellet ingredi. Item Lector reuersus ante professionem adhuc est Lector, & prosequutionem lecturæ petere potest, si adhuc vacat.

Tertium, quod secuta professione extinguuntur re- 100
liqui tituli, cum quibus quis transiuit, probatur, Quia professione secuta censetur transiens omnibus renuntiasse, prior enim professio, secundo in esse posita, omninò euanescit, & extinguitur quo ad omnia, quæ ab ea dependebant, ergo & eiusmodi prælaturæ, & tituli. Confirmatur, qui detracto fundamento, quod in re hac est professio, ex vulgatis iuribus, extinguuntur, & desinunt esse ea omnia, quæ ab ipso pendebant, cuiusmodi sunt eius generis tituli, quos religiosus quatenus talis professione acquisierat.

Quare isti redeuntes ad priorem religionem non 101
amplius sunt confessarij lectores &c. Sicut erant antequam recederent, vnde egent noua institutione, secundum quam illis à superiore denuo collatam acquirunt iura non antiqua, sed ex tunc, ac si nunquam fuissent aliàs graduati, excepta Doctoratus laurea, de de qua mox subiiciam.

Quartum, quod officia, tituli, gradus extra Reli- 102
gionem allata comitentur transeuntem, & cum eo permaneant in secunda Religione, probatur Tum quia tituli, de quibus §. 2. transeunt saltem infra annum probationis, ergo à fortiori isti etiam secuta professione manent, cum non fuerint collati à Religione, sicut tili. Tum quia isti gradus conferuntur Religioso, vt est persona apta, & idonea ad illos, non quatenus Religiosus talis ordinis, sed transiens tam est idoneus in secundo Ordine, sicut fuit in primo, ergo nulla est ratio suadens illos extingui secunda professione. Tum quia transiens secum transfert Liuellos, census & vsufructus designatos sibi à consanguineis, ex probatis suprà *num.* 89. ergo à fortiori transeunt hi tituli, in quibus nulla potest esse suspicio proprietatis. Tum quia sicut res, per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, ex vulgatis iuribus, ita à contrario sensu, per quas non nascitur, nec per easdem dissoluitur, sed hi tituli à neutra Religione nascuntur, ergo à neutra dissoluentur.

Quare sic transeuntes in secunda Religione etiam peracta professione possunt vti suis titulis cum iuribus, & priuilegiis iuxta conditionem, & statuta eius Religionis; sed quia propriam voluntatem subiecerunt de nouo superioribus secundæ Religionis, dependentes ab his illis vti, & frui debent per nouam recognitionem, & aggregationem, & quo ad præcedentiam, & cætera iura respectiua, standum est secundæ professioni.

Quintum, quod huiusmodi tituli debeant renun- 103
tiari, aut intelligantur renuntiari, si repugnent secundæ Religioni, probatur, quia volens antecedens vult etiam consequens necessario sequtens *ad illud l. 1. §. 1. ff. si vsusfr. per. 1. l. 2. ff. de iur. om. iud. Exer. in loco à concess. antec.* Sed transiens vult efficaciter professionem in secunda religione, ergo consequenter debet velle quicquid statuitur in ea religione, in qua cum non habeant locum illi tituli, censetur illos renuntiasse saltem in consequentiam, si non directè, & expressè.

Doctoratus

104 Doctoratus, loquor de quauis facultate, habet aliquid speciale, ratione cuius illo insignitum comitatur etiam post mortem, vnde doctor è seculari statu transiens ad Ecclesiasticum, etiam regularem successiue quoque, respectu cuiuslibet ordinis semper transit cum hoc gradu, in cuius probatione præmittenda sunt duo.

105 Primo, hunc gradum conferri posse primo à prælatis regularibus priuilegium habentibus pro suis professis, cuiusmodi sunt Dominicani ex priuilegio Innoc. IX. & Bonif. VIII. atque Franciscani Conuentuales ex Martino V. *Rodr. cum suo Compend. resol. 70. num. 1 Sanchez, lib. 6. cap. 14. num. 47.* Mea religio caret hoc priuilegio, creat vero solum Lectores, Baccalaureos, vnde extre huius ordinis religiosi hunc gradum aquirunt de licentie solius Generalis. Secundo autem modo confertur is gradus per dimissionem ad vniuersitates, vel alias babentes priuilegia Doctorandi confirmata post Pium V. factam à superioribus earum religionum tam carentium hoc priuilegio, quàm habentium illud.

106 Secundò præmitto, hunc gradum continere duu dignitatem, & priuilegia, rationi primi Doctoratus semper manet ad quemcumque statum transeat laureatus, ratione secundi suspenditur, quando priuilegia repugnant, vel aduersantur, aut non sunt in vsu, in religione, ad quam fit transitus.

107 Gradus autem Doctoris, cuiusuis facultatis, vti Theologiæ, iuris Canonici, Cæsarei, neque philosophiæ repugnat statui religioso, cum dicat perfectionem, quæ proficiscitur à charitate in Deum per exercitium vitæ contemplatiuæ, & in proximum per officium vitæ actiuæ, & vna religio tanto magis alia est perfectior, quanto plus ad hanc perfectionem charitatis per veram dilectionem accedit, *vt docent Theologi cum D. Thom.* 2. 2. q. 188. *art.* 2. Sed religiosi omnes debent tendere ad perfectionem non tantum per viem contemplatiuæ, vt vt sibi prosint, sed etiam per exercitium actiuæ, vt aliis prodesse possint, ergo nulla religio habet respuere hunc gradum perfectionis. Quod is gradus non repugnet statui religioso docent *Sanch. lib. sexto capitulo 14. num. 45. Rodr. cum suo Compend. Lezana capitulo octauo num. 25.*

Religiones habentes hoc priuilegium, gradum hunc non possunt conferre nisi verè professis, vt ex tenore priuilegiorum colligitur, consequenter collatus inualidè professo, nullus est roboris, sicut & nouitio.

108 Quid si eam ratificet? an reuiuiscat doctoratus? Respon. sic, quia ratificatione huiusmodi consequuntur omnie suum valorem dependentie à professione, cuiusmodi est gradus Doctoratus Confirmatur à simili de renuntiationibus factis à nouitio conualidaris per ratificationem professionis nullæ, *ex Rodr. tom. 2. q. 47. art. 11. ex parte Sanch. lib. 7. cap. n. 5. 56. Barbosa ad cap. 16. sess. 25. num. 18.* ergo idem dicendum de hoc gradu, & potiuri ratione, cum hic non egetur de bonis fortunæ, ratione quorum potest præiudicium alicui afferri, sed de bonis animæ, quæ nulli præiudicare possunt.

109 Doctoratus est dignitas, quod probatur. Tum quia est prærogatiue quædam, & honor ex *cap. 3. & Clem. 2. de Magistr.* Tum quia ordo doctorum est quasi præcipuus in Ecclesia Dei, *cap. Ex inuncto 13. de hæretic.* Tum quie doctor honorandus est, *cap. De multa, ad finem 28. de prebend.* Tum quia infamis doctorari non potest, *Rota Rom. diuerſ. vol. 3. lib. 2. decis. 125. num. 2.* ex eo, quod portæ dignitatum non patent infamibus 87. *de regul. iur. in 6. Graff. tom. 1. consil. 2. de testam. diff. 3. nu. 2. & cons. 3. de pænit. Villalobos lit. D. n. 89. Bart. in Rubr. de veteri iure enucl. & in lib. 1. nu. 10. C. de nouo cod. fac.* qui distinguit duplicem dignitatem,

110 Natiuem ex præsupposite scientia, ex qua vere nobilitas nascitur, ex tex. in l. Prouidendum, ibi *Quos scientia nobilissimos facit Cod. de Postul.* & ibi S licet. dicit nobilitatem esse filiam scientiæ; & Datiuam, quam *in lib.* nulla præexistente scientia, neque meritis princeps confert pro suo libito alicui, quem vult honorare, *Bald. Sacrilegij C. de diuers. rescrip.* Quicquid dicat *Nald. ver. eod. ex eo,* quod doctoratus potest conferri infami, quod non esse verum ostendi, & excummunicato, quod verum est, solum quo ad actum validum, quando non habet adnexam iurisdictionem, non quo ad licitum, docet *Vgol. tab. 2. de excommun. cap. 18. §. 1. cum aliis, quos citat Bonac. p. 7. de excommunic. num. 4.* vbi dicit quod Doctoratus est propriè dignitas Ecclesiastica, licèt non habeat adnexam iurisdictionē.

Dignitas hæc siue Natiua, siue Datiua comitatur 111 Doctorem quocumque eat, probatur. Tum quia Doctor vbique est Doctor, *Bald. in lib. 1. §. Huius studij ff. de iust. Eplin. in cap. Causam, de rescr. num. 17. Bossius sect. 3. de Iubil. num. 118. Valerus de diff. vtr. iur. ver. Absolutio diff. 1. Faber de pænit. disp. 30. num. 34.* Tum quia creatio Doctoris non pendet è loco, sed ex doctrina, & meritis probatis per rigorosum examen, ergo non prohibetur loco, neque statu. Tum exemplo B. Pauli qui Doctoratum ex gentili statu transtulit epud Christianos. Tum quia Doctor resuscitatus adhuc est Doctor, *ex Sebast. Medic. in suo. libello.* Mors omnia soluit *part. 2. nu. 275.* ergo e fortiori idem dicendum respectu cuiuscumque status positiui. Tum quia dignitas numquam moritur, *cap. Si gratiose, de rescr. in 6.* vnde & perpetue dicitur, consequenter semper babet comitari Doctorem. Demum in signum huius perpetuæ dignitatis, mediante exercitio in prædicatione Euangelij, & doctrina Sacræ Scripturæ Doctores (loquor de Natiuis) in æterna vita decorantur corona gloriæ dicte Aureola, seu Laureola à Theologis in 4. dist 49. quæ est quodam præmium accidentale superadditum essentiali beatitudini Doctoris, qui laborauit in doctrina, iuxta illud. 1. ad Timot. 5 *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant verbo, & doctrina.*

Demum in religionibus, in quibus gradus Docto- 112 ris non solet conferri humilitatis causa, sed prohibetur, suspenduntur iura & priuilegia nominis, præcedentiæ, &c. quo ad religionem, & tractantur vt alij non Doctores, ac si nun suissent entea Doctores, eo quod professione censeantur illis iuribus renunciasse. Remanet verò sola dignitas natiua cum per transitum non auferatur, cum sit congenita illi, vti nobilitas religioso nobili ex sanguine.

Ex his ergo infertur, transeuntes secum saltem 113 transferre dignitatem Doctoratus, si non priuilegia quo ad exercitium in illis religionibus, in quibus non solent creari Doctores. Doctor autem transiens ad religionem, vbi Doctoris gradus confertur, conseruat sua priuilegia, secuta professione, & præcedit simplices Sacerdotes antiquos, quia sicut vbique est Doctor, ita vbique honorandus est, ceteros vero Doctores in nullo præcedit, nisi eos qui post ipsum creabuntur, licet sint priores professione, idem dic de translatis, & dimissis, ex aliquo indulto Apostolico, nam extre religionem manentes, siue cum habitu, siue sine illo, modo fuerint valide professi, adhuc retinent iura sui gradus, siue sint creati intra religionem, siue extra ab aliqua vniuersitete, in quo etiam posteriori sensu eadhuc sunt Doctores, licet inualide professi, quia Vniuersitas confert hanc lauream attenta scientia, & meritis laureandi, religio autem præterea attendit professionem, cum dependeat à priuilegio quod requirit pro forme professionem, qua non existente, nihil fit.

Sed quid dicendum de lectoribus, an idem sint 114 quod Doctores, & Magistri in illis religionibus, in quibus non solent creari Magistri, & Doctores, nec similiter nominari, sed solum Lectores? Resp. Quando religio habet priuilegium creandi Lectores cum omnibus iuribus, & priuilegiis competentibus Doctoribus, eo casu nomen Lectoris idem importat, quod nomen Doctoris, & sic in re Lectores isti sūt Doctores, vt

in religionibus Reformatis, & aliis, quæ humilitatis gratia, & ex suis institutis non consueuerunt vti his nominibus Doctoris, aut Magistri, sed solum Lectoris, & apud Hispanos vocantur Doctores Iubilati. In illis verò religionibus, in quibus solent distingui, & creati Lectores a Magistris, & Doctoribus, sine dubio Lectores præcisè non sunt Doctores, neque sub hoc nomine veniunt; & hoc confirmatur à simili ex iis, quæ habent Doctores super *Clem.* 1. *de Regul.* in qua sub nomine officiorum quæ interdicuntur ibi conferri transeuntibus Mendicantibus ad non Mendicantes, veniunt Lectores cuiuscumque facultatis, non autem Doctores, cum iste gradus non sit nomen officij, sicut Lectoratus, *Sanch. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 231. *Bonac. de clausf. q.* 2. *p.* 9. *§.* 5. *diff.* 1. *num.* 4. *aliis citatis*, *Vecchius diss.* 15. *dub.* 5. *num.* 15. Igitur nomen Lectoris est nomen exercitij, & officij præ se ferens aliquid honoris. Doctoris autem nomen præcisè sonat honorem, & dignitatem, & non est officium, neque exercitium cum non conferatur ratione officij exercendi, sed ratione honoris, & præmij, quo virtute præditus est dignus.

In quibusdam quoque religionibus creantur Lectores à Patre Generali, qui ideo Lectores Generales vocantur, tamen in eo conuentu, in quo morantur, nulli sunt studentes, quibus legant. Isti si sint sine examine honorati hoc gradu, dicuntur potius Datiui, quam Natiui, & postponuntur aliis præuio examine electis maximè habentibus Scholares, licet creatis in solis capitulis Prouincialibus. Isti ergo sine scholaribus vocari possunt titulares, quo nomine inscribuntur quidam Abbates sine iurisdictione, & cura Monachorum.

Quæres 36. An Tertiarij Galli transeuntes ad *Italos, qui non dicuntur reformati, sicut illi* viuentes sub reformatione indigeant licentia Apostolica, nouitiatu, & professione?

115 Respond. Si Galli vtuntur eadem forma professionis, quâ Itali, non egent licentia Sedis, vtique nouitiatu, & professione.

Primum probatur, quia votum solemne idem est, & solum exigitur licentia Papæ, quando per transitum prius votum in strictiori obseruantia commutandum est in latius, quod vt solemne à solo Papa commutari potest per illam licentiam, & dispensationem, qua ratione accipe, quod dixi suprà *qu.* 4. *nu.* 12. in casu autem nostro ex suppositione eadem est forma, ergo idem votum commutatione non egens.

Secundum, quod egeat nouitiatu, probaui *supra sub. q.* 62. *Doctoribus allegatis à Barbosa ad cap.* 15. *sess* 25. *num.* 21.

Tertium de professione emittenda apud Italos, etiam casu quo eadem vtantur forma professionis Galli, & Itali, quia Galli vt sic per eorum professionem nulla, ratione subduntur superioribus Italis, non Generali cum sit solum Prælatus Italorum, à quo proportionaliter reliqui superiores dependent; ergo vt subijciantur debent reprofiteri, nam solo obedientiæ voto Regularis subiicitur superiori regulari. Deinde Galli habent proprios superiores, qui non communicant cum Italis, cum non subsint vni Generali, sed illos habent distinctos, ergo si volunt transire ad Italos debent reprofiteri, vt hac ratione subiiciantur. Nec decisio sub die 13. Nouemb. 1627. pro Discalceatis ordinis Sanctissimæ Trinitatis transeuntibus ad laxiorem eiusdem Ordinis Calceatorum, vt non teneantur reprofitere, cum eadem sit forma professionis vtrisque communis, obstat dictis, cum sit dispar ratio, quia isti sunt sub eisdem superioribus saltem mediate, cum sint sub eodem Generali; in casu autem nostro Galli, & Itali distinctos habent Superiores, ratione cuius licet forma professionis alias esset eadem secundum verba, non tamen secundum sensum, cum non promittatur obedientia eisdem superioribus apud vtrosque vt notum est. De illa decisione retuli Doctores suprà sub *q.* 17. *num.* 63.

Quæres 37. An Frater N. verè apostata habitu dimisso se fingendo secularem, validè admittatur ad nouitiatum, & professionem in secunda Religione strictiori? Loquor de strictiori, nam in laxiori sine dubio inualidè profitetur, cum nulla ratione huiusmodi transitus concedatur sine dispensatione, ex probatis suprà *num.* 12. Videtur validè transire, quia nil videtur obstare, nisi defectus licentiæ, & excommunicationis aut vitium apostasiæ; Sed nullum horum impedit valorem professionis, neque proinde antecedentes probationis annuæ; non impedit licentia non petita, quia ex *cap. Sanè* 10. *de regul.* expressè habemus Canonicum regularem fugisse, & sic sine licentia, ad Monachos, apud quos Papa mandauit permanere posse pura conscientia, ergo per validam professionem, & est opinio plures habens Doctores, vt dixi suprà *num.* 47. Non impedit defectus excommunicationis, quia hæc non vitiat professionem *ex cap. Cum illorum* 32. *de sent. excom.* & docent communiter Doctores, *quos cito in meo Tractat. de profess. cap.* 2. *q.* 36. *quibus adde Portellum part.* 1. *casu* 9. *num.* 3. licet quis esset etiam nominatim excommunicatus, Demum apostasia vt sic præcisè dicit retrocessionem à priori Religione sine animo ad eam redeundi, quæ videtur habere aliquam similitudinem cum transitu ad secunda vota, in quantum volens transire debet habere animum non reuertendi, sed remanendi in secunda Religione, quæ retrocessio videretur iustificari per licentiam saltem petitam transeundi ad secunda vota; sed licentia omissa non vitiat professionem ex probatis, ergo neque apostasia per eius defectum vitiata. Imò in casu præsenti sic transiens non est dicendus apostata, sed transiens per ea, quæ habent *Rom. consil.* 341. *Stafil. de rescr. apost. num.* 23. *cum eis Ricciullus de iure gentium extra grem. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 4.

Respond. Huius professio nulla est præcisè ex eo, quod transitus factus fuit sine licentia sui superioris, quæ necessaria est, quando fit transitus etiam ad arctiorem, etiam zelo melioris vitæ, vt probaui supra *q.* 10. *num* 49. 116

Ad rationes aduersarias respondetur in genere ex illo defectu non sequi nullitatem professionis, sed ex defectu licentiæ; neque prodest allegatum *cap. Sanè*, quia ibi Papa vtitur verbo, *Permittas*, quod importat quandam dispensationem, vt dixi *in eadem q. num.* 47. quamquam præsens casus habet specialem notam, quia iste Religiosus, & fugerat ad euitandam pœnam, nam furtum fecerat in priori Religione, & in secunda deceperat illius superiores, fingendo se hominem liberum, & sui iuris, cum aliàs esset subditus, & alieni iuris. Et quamuis concedamus hunc non esse proprie, & pressè apostatam, sed tantum fugitiuũ à suo superiore metu pœnæ, adhuc tamen non potuit validè profiteri, hoc ipso quod prior Religio potest illum reuocare, vt docet apud citatum Ricciul. Rom. loco superiùs citato.

RESOLVTIO XXX.

De Horis Canonicis.

SVMMARIVM.

1 *Clericus carens sacris non tenetur ad Horas.*
2 *Consuetudo obligat.*
3 *Consuetudo est quid facti.*
4 *Caietani opinio de Horis.*
5 *In choro recitanda.*
6 *Religiosi minus obligantur choro Clericis.*
7 *Peccant Superiores non inuigilantes.*
8 *Quatuor ad minus requiruntur ad chorum.*
9 *Obligati ex iustitia absentes, peccant.*
10 *Laici tenentur ad proprium officium.*

11 *Nouitij,*

11 *Nouitij, & alij non tenentur.*
12 *Moniales tenentur.*
13 *Triremibus damnati excusantur.*
14 *Eiectus non in sacris excusatur.*
15 *Manentes perpetuo extra non tenentur.*
16 *Reiectus in conuersum non tenetur.*
17 *Dispensant Prælati in Horis.*
18 *Mutare quandoque potest Superior.*
19 *Calendario Episcopali vti possunt.*
20 *Aduenæ accommodant vbi sunt.*
21 *In sacristia satisfit.*
22 *Graduales, &c. non recitant.*
23 *Sanctus Religionis præponitur Sancto Calendarij.*
24 *Officia ad libitum omitti possunt.*
25 *Angelorum Custodum quando celebrandum.*
26 *Officia propria non dicuntur ab extraneis.*
27 *Sacrosanctæ oratio quid indulgeat?*
28 *Dubia quatuor super ipsam.*
29 *Ab vno dicta prodest omnibus.*
30 *Non fuit sublata licet sit oraculum.*
31 *Valet, licet recitetur à non genuflexo.*
32 *Prodest etiam secularibus clericis.*
33 *Conceptionis officium non fuit sublatum.*
34 *An celebranda officia SS. Ludouici, & Elisabet.*
35 *Opinio contraria refertur.*
36 *Affirmatiua probatur.*
37 *Opinio Ranutij Pichi refertur.*
38 *Reiicitur.*
39 *Vnde inceperit ordo Tertiarius.*
40 *Reiicitur quædam distinctio Tertiariorum.*
41 *Caputium duplex.*

QVidam clericus in sacris ordinibus nondum constitutus, cui suus Confessarius eo, quod extra chorum numquam Diuinum Officium recitabat, grauem iniunxit Pœnitentiam, asserendo toties peccare mortaliter, quoties illud omittit, dubitando de hac opinione Confessarij, petit eius resolutionem.

1 Respond. Clericus regularis nondum in sacris constitutus ad Chorum deputatus, quando abest à choro Officium omittens non peccat, nisi ea vi regulæ obligetur sub culpa illud simpliciter celebrare. Probatur, Tum quia iure communi nullum extat præceptum religiosis vt sic recitandi Diuinum Officium, neque *in cap. Dolentes de celebr Missar.* vbi nulla mentio fit de regularibus; neque in Clem. I. eod. huiusmodi obligatio inducitur, sed aliunde ea supponitur, & solum præcipitur, vt in Catedralibus, Regularibus, & Collegiatis, horis debitis Diuinum psallatur Officium, vt obseruat *Suar. tom. 2. de religione lib. 4. cap. 17. numero 2.* & alij omnes, quos sequitur *Bonac. disp. de horis canon. q. 1. p. 1. num. 9.* Tum neque iure professionis, aliàs omnes religiosi tenerentur ad hoc, & si enim tenentur tendere ad perfectionem, hanc aliis mediis assequi possunt. Neque iure diuino, cùm in Sacra Scriptura non inueniatur huiusmodi obligatio. Neque ob eleemosynas, quia non dantur sub hoc titulo. Tum quia non tenetur ea vi Regulæ, nam in Regula huius religiosi, qui est Tertij Ordinis ca. 15. ordinatur quidem Officium celebrandum debitis horis Matutinis & Vespertinis in Ecclesia ea Regula Nicolai IV. cap. 8. & Leonis X. cap. 4. nullibi autem in dictis locis adest obligatio sub culpa, est enim hoc certum in hoc Ordine, nullum caput ex dictis regulis obligare sub culpa, vt colligitur expresse ex postremis capitibus dictarum Regularum, & Proœmio Constitutionum, nisi contineant ius diuinum, & humanum alias obligans, constat autem ex supra allatis nullum ius religiosos Sacris non initiatos obligare ad Horas Canonicas, ergo consulens non peccauit omittendo illas. Ac proinde neque ex vi professionis præcise regulares obligantur, quia huiusmodi obligatio in eius forma non exprimitur, & hoc expresse colligitur ex constit. 5. *Exponi nobis*, Iulij II. relata per Confect. pag. mihi 125. & hoc expresse, quod Clericus Tertij Ordinis obligetur ad recitandum Horas Canonicas, asserit Cartusianus declarans regulam Nicol. IV. art. 19. post initium.

Tota difficultas consistit in consuetudine, quam communissima opinio asserit obligare religiosos professos ad Chorum deputatos, ad recitandum Diuinum Officium, quando absunt ab Ecclesia de qua Doctoribus citatis *Bonac. disp. 2. de Horis quæst. 2. p. 2. num. 1. Rodr. tom. 1. quæst. 24. art. 20.* extendit etiam ad Moniales, sicut *& Bonac. num. 5. & Diana resol. 17. de horis canon. Mirand. tom. 1. q. 37. art. 7. Porsel. ver. Hora canon. n. 1. 2. & 3.* dicit Franciscanos sub prima regula teneri ex vi Regulæ, & de consuetudine, non placet, quod *num. 2.* ait Mendicantes professos carentes Ordine Sacro teneri ex eo solum, quòd per professionem sunt positi in statu irreuocabili, seu impeditu ad matrimonium, & Choro addicto, *vbi citat Rodr. tom. 3. Summa ver Hora canon. concl. 51.* Quia status religionis vt sic non inducit huiusmodi obligationem, aliter omnes religiosi tenerentur, constat autem Conuersos non teneri, vt infrà probabo *quæst. 6.* Deinde professio, quæ illos in hoc statu ponit, non obligat, sed solum constringit ad tria vota, & alia contenta in forma professionis, vt docet *Bonac. cit. nu. 7.* & ego retuli suprà ea Constitutione Iulij II. sed in nulla forma religionum exprimitur huiusmodi obligatio, ergo neque inducitur ea vi status religiosi: remanet ergo sola consuetudo, vt ex Caietano benè dicit *Mirand. cit. in fine.* Dicunt autem hanc consuetudinem obligari sub mortali, cum sit de re graui. 2

3 Quamuis de hac consuetudine ferè omnes testentur, tamen cum sit quid facti, difficile est, de eius subsistentia iudicium ferre; vnde ego puto hanc consuetudinem referri ad Chorum, non præcisè ad deputatum ad Chorum, quando abest, quod suadeo, quia consuetudo in vim legis obligans non inducitur ex actibus priuatis, sed publicis, & manifestis, vt docent communiter cum *Bonac. de consuetud. num. 26.* Officium autem extra Chorum dicitur occultè, & non manifestè, ergo signum est eam consuetudinem referri ad professum non vt sic, sed quatenus recitat in Choro. Deinde nullo iure probatur esse obligationem recitandi in choro, nisi ea consuetudine, aut ea vi Regulæ, de qua obligatione infra *q. 1.* vbi probabo non afficere singulos, sed communitatem, quatenus Chorus non debet cessare ab huiusmodi recitatione.

4 Quare sequendo opinionem Caietani, qui *ver. Horæ Canon.* dubitat de hac consuetudine, & cum eo *Medina de orat. tract. 6. Armilla ver. eod. num. 4.* ac proinde dicunt non obligare sub mortali, dico saltem non peccasse mortaliter dictum clericum immo neque venialiter stante responsione Cartusiani in terminis nostri casus, quare dicta consuetudo locum non habet in hac religione, in cuius Regula neque præcipitur huiusmodi recitatio extra Chorum, & si præciperetur, non esset sub culpa, cum in Regula nihil sub culpa statuatur, sed tantum sub pœna.

Quæres autem. 1. An extet obligatio apud regulares recitandi Diuinum Officium in choro? & quo iure? & quomodo religiosos afficiat?

5 Resp. Religiosi tenentur recitare Diuinum Officium in Ecclesia iure antiquissimæ traditionis, & ex statutis suarum Regularum, seu constitutionum. Omnes quidem non distributiuè, sed collectiuè tantum.

De hac traditione, seu consuetudine immemorabili docent omnes cum *Rodriq. tom. 1. qu. 42. art. 1. Mirand. tom. 1. qu. 37. art. 5. Bonac. disp. 2. de horis canon. qu. 1. p. 1. num. 9.* Ratio est, quia religiosi non tantum pro se, sed etiam ad commoditatem aliorum celebrare debent, deinde status religiosi in eo consistit, vt non tantum vitam corporalem, sed etiam spiritualem degant in communi, quod est orare simul in Ecclesiis. Quod autem non afficiat omnes distributiuè, & in indiuiduo, sed collectiuè tantum, probatur, &

explicatur, quia huiusmodi obligatio in eo consistit, vt singulis diebus Choro satisfiat recitando diuinum Officium, cuius obligationis executio principaliter, & primario residet in Superiore, qui totis viribus procurare debet, vt singulis diebus recitetur, *vt docet Raphaël de Turre 2. 2. tom. 1. controu. 10. disput. 1. numero 8. quem pro se citat Diana resol. 38. de horis canon. Bonac. dis. 1. quæst. 2. p. 2. numero 8. §. Dixi, & disp. 2. q. & p. 1. num. 9.* vbi dicit hoc munus curandi, vt Diuinum Officium in Choro recitetur spectare ad Prælatum, *vnde dicit idem Bonac. eo §. Dixi, de mente Suar.* quod quando subditi negligunt Chorum, & Diuinum Officium pœnitus prætermittitur, in eo casu tenetur Superior singulis præcipere, vt Choro intersint, & transgressores grauiter peccant negligendo, & violando præceptum in materia graui. Peccat ergo Superior mortaliter ex negligentia non frequentãdo Chorum, similiter, & subditi, quando ex eorum absentia non satisfit Choro, in casu enim, quo prætermittitur sine rationabili causa officium siue diurnum, siue nocturnum in Choro recitandum, omnes sunt in culpa, quia singuli in solidum tenentur in casu prætermissionis. Quando autem idem Bonac. cum alijs à se citatis dicit Religiosos ad Chorum non accedentes non peccare mortaliter ex vi regulæ, intelligendum est, præscindendo à prætermissione, immo tunc nullum est peccatum, cum obligatio insit toti communitati collectiuè, ita quod ab aliquibus singulis diebus officium, recitetur in Choro, *vnde Diana resol. 18.* dicit ex consuetudine non accedentem ad Chorum non peccare mortaliter.

Quæres 2. An Religiosi sint magis obligati clericis secularibus recitandi officium in Choro?

6 Respond. Canonici & alij beneficiarij habent Strictiorem obligationem interessendi Choro, quàm regulares. Tum quia *in cap. fin. dist. 92.* id Presbiteris præcipitur sub pœna depositionis, regularibus autem nullibi. Tum quia seculares tenentur ex iustitia, illis enim datur beneficium, vt recitent in Choro Diuinum officium *cap. Cum secundum, de prabend. cap. Quia perambitiosam, de refer. in 6.* Tum quia fere nulla Religiosorum Regula eos obligat sub mortali, ad recitandum Horas Canonicas, immo neque sub veniali excepta prima regula Diui Francisci, quæ suos alumnos in multis obligat sub culpa. *Sic docet Bonac. disp. 1. de Horis q. 2. p. 2. num. 8. citando Suar. contra Maignum.* In mea regula cap. 15, & in Regula Nicolai IV. Ordinatur officium esse recitandum in Ecclesia, nisi excuset rationabilis causa, in Regula verò Leonis X. cap. 4 nulla est obligatio accedendi ad Ecclesiam pro officio dicendo.

Quæres 3. An Superiores permittentes aliquando ex leuissima causa omissionem Diuini Officij etiam in totum, peccent mortaliter? Item tolerantes duos, aut tres recitare illud post Completorium, & non de nocte, vel matutinali tempore?

7 Respond. Attendendæ sunt vniuscunque Religionis constitutiones, & vsus, præscindendo enim ab illis Regulis, quæ sub culpa præcipiunt recitationem Diuini Officij in Choro, puto in aliis nullum esse peccatum saltem mortale præfatas permissiones, præsertim primam, & tertiam quas neque censeo veniales, vtrique verò peccatum veniale perniciosum, in secundo casu, quia Choro non plenè, & vt est debitum, satisfit, & absentibus est facilis occasio neque illud dicendi extra Chorum, in hoc ergo casu vagilare debent Superiores, & magis expedit illud recitare in sero post Completorium, quàm de nocte, vel manè cum paucis clericis, cum peruersio temporis maxime apud regulares non Reformatos nullum sit peccatum saltem mortale recitare Matutinum post Cumpletorium. *Clem. enim. 1. de celebr. Miss.* præcipiendo etiam Regularibus, vt in suis Ecclesiis debitis horis psallant Diuinum Officium, non idcirco imponit obligationem simpliciter recitandi; sed suppositæ adiecit tempus; cum autem ex suprà probatis constet non esse rigorosam huiusmodi obligationem, cum laxior sit illa, quam habent Collegiatæ, & Cathedrales, consequenter obligatio temporis sequitur obligationem recitationis, & cum hæc sit sub mortali, oportet inferre eam esse sub veniali tantum, & in quibusdam Religionibus nullum peccatum, vt puto non esse in mea Religione, quia neque in Regula Niculai, neque Leonis, neque cap. 14. nostrorum statutorum id ordinatur, & si enim ibi fiat mentio citatæ Clem. tamen postea in ordinando statuto, dicitur simpliciter, quod conueniant in Templa ad persoluendas canonicas Horas non determinant tempus, ergo illud relinquit arbitriò superiorum Localium, aut Maiorum determinandum. Quod autem non sit peccatum mortale docent *Caiet. & Valent. quos pro se citat Bonac. disput. 1. de Horis Canon. q. & p. 3. num. 7. §. Ego, contra Nau. tom. 4. cap. 3. de orat. num. 63. Regin. lic. 18. num. 180. & alios, ibi citatos.*

Quæres 4. An in paruis Conuentibus, vbi tres, aut quatuor tantum resident, teneantur recitare in Choro?

Respond. Requiruntur ad minus quatuor ad Chorum deputati, vt alternatiuè respondere commodè possint, & si enim conuentualis Ecclesia ea dicatur, in qua sunt plures, nempè duo, aut tres clerici, *Gloss. ver. In conuentuali cap. Nobis, de surepatr per cap. 1. de elect. & glos. ver Ecclesijs extr. com. Ne sede vac.* non tamen statim habet adnexam hanc obligationem, sed tantum ad eligendum sibi Superiorem, quòd fieri commodè potest, præsertim cum ius electionis in vno permanere possit, *Sigism. dub. 24. de elect. & potest. Prelat. regul.* duo autem, aut tres commodè officium recitare non possunt publicè in Choro; id autem quod commodè fieri non potest reputatur impossibile in iure, ac proindè nulli subiectum obligationi, consequenter illi duo aut tres non tenentur recitare in Choro Horas Canonicas. Vt plurimum excusarem etiam quatuor, aut quinque residentes, cum huiusmodi obligatio recitandi in Choro regularibus non sit ita strictior, sicut beneficiariis collegiatis, vt probaui *quæst. 2.* 8

Quæres 5 Quid dicendum sit, quando in Monasterio adest obligatio recitandi, quotidiè in Choro in fundatione Conuentus, an omittentes, peccent mortalitèr, vt singuli, & præterea teneantur ad restitutionem fructuum pro rata illius officij omissi? Et an fructus huius orationis illi applicandum sit? Et quid quando in Conuentu non est numerus quaternarius iuxta præcedentem quæstionem.

Resp. Peccant mortaliter singuli. Non est obligatio restituendi, si hanc non expressit benefactor. Est applicandus. Si abest numerus quaternarius non est obligatio recitandi in Choro. 9

Primum probatur. Tum quia singuli omittentes faciunt contra iustitiam, cum singuli alantur ex illis fructibus. Tum quia, in hoc æquiparantur beneficiatis de Collegio, qui vt singuli tenentur interesse Choro, & cum sit in re graui omissio contra iustitiam, nulli dubium esse potest, non esse peccatum mortale.

Secundum probatur, quia si est aliqua ratio obligandi ad restitutionem maximè vel expressa intentio fundatoris, de qua non constat, consequenter cum res sit dubiosa, potiùs inclinandum est in negatiuam partem, cum in dubio nullus sit obligatus, & in materia iustitiæ melior sit conditio possidentis, vt de communiori docet *Bonac. quæst. 2. de restit. in genere. p. 11. §. Incidens.* Et obligatio non extenditur ad insolita *l. Fistula, §. Frumenta ff. de contr. empt. referente glossa ver. Insolitam extr. com. de dolo.* Est autem insolitum, quod fundator Monasterij obliget ad recitandas Horas Canonicas in Choro cum obligatione restitutionis fructuum respondentium pro rata officij

omissi

omissi, Nec Concilium Later. sub Leone X. & constitutio. *Ex proximo* Pij V. apud *Bonac. disput. 1. de horis q. 5. p. 2.* obstant, quia loquuntur solum de Clericis beneficiatis, & secularibus, qui Diuinum Officium non recitantes fructus non faciunt suos, sed restituere habent fabricæ beneficij, vel pauperibus, *Bonac. cit. p. 4.* Regulares autem non dicuntur beneficiarij, ac proinde non subijciuntur dictis Decretis, vt idem *Bonac. dicit p. 2. num. 5. §. Hinc patet*, neque illa redditus constituunt beneficium, sed est simplex eleemosyna ad congruam sustentationem Religiosorum, qui habent onus recitandi officium in choro; & sic patet differentia inter Clericos, & Religiosos in ratione restitutionis, & conuenientia in culpa mortali, à qua non excusantur, nisi absint ex rationabili causa, quæ semper excusat, si eà non sit tam grauis, & tam legitima, quàm illa, quam Clericus habere debet, vt non obligetur ad restitutionem, quia Clericus habet dominium vtile beneficij, Religiosus verò solùm congrua alimenta recipit à Monasterio, penes quod est dominium directum, & vtile rei relictæ; & hinc patet alia differentia inter beneficium, & hoc relictum, nam beneficij proprietas non est apud beneficiarium, sed penes Ecclesiam, Religiosi verò sunt domini eleemosynæ sibi relictæ.

Tertium probatur, quia per illam recitationem iniunctam in choro præsumitur voluisse sibi consulere, vnde cum in Officio Diuino sicut in Missa, Fructus distingui possit in Generalem competentem toti Ecclesiæ, specialem competentem recitanti, & medium benefactori debitum, hunc tertium consequetur. De quibus *vide Bonac. cit. disp. 1. q. 4. p. 2.*

Quartum probatur a simili de voto, quod dubium interpretatur iuxta alias obligationes legis, ita, & hæc priuata impositio obligationis explicari debet eo modo, quo exponitur obligatio imposita ab Ecclesia, quæ non præsumitur obligare ad chorum, nisi ad summum quatuor Clerici intersint choro.

Quæres 6. An conuersi professi teneantur ad aliquod officium recitandum?

10. Respond. Laici iure Canonico, aut ex consuetudine non tenentur ad aliquod officium sub mortali recitandum, nisi eorum Regula ad id illos obliget, & non inuenio aliam Regulam obligantem, nisi primam D. Francisci *cap. 2.* Vnde Laici professi sub hac Regula tenentur ad officium, sibi in ea præscriptum sub pœna peccati mortalis, & ita Bartolucius super dictam Regulam *cap. 5. docet §. Laici verò dicant.* Isti autem promoti ad ordines sine licentia suorum Superiorum prohibentur dicere Horas Canonicas, sed iubentur dicere Horas Laicorum, *Compend. Priuileg. ver. Laici Fratres, §. Idem Leo, Portel. ver. Hora Canon. num. 5. Compend. resol. 24. num. 21.* quia non conceditur illis perseuerare in statu Clericali, sed reducuntur ad statum pristinum. Quod autem non obligentur, præciso præcepto Regulæ obligante sub culpa docent omnes cum *Cajet. Syluest. Armilla, Soto, Rodriq. quos citat dictus Bartolucius, & Bonac. disput. quæst. 2. part. 2. num. 1. §. Dixi Tolet. lib. 2. cap. 12. num. 7.* oppositum tenet *Nauar. cap. 25. num. 97. & tom. 4. cap. 7. num. 23. §. Nec non, Graff. part. 1. lib. 2. cap. 50. num. 7.* asserentes illos teneri recitare officium sibi præscriptum.

Hinc patet Tertiarios professos non teneri recitare certas preces sibi à Regula *cap. 15.* præscriptas, loco Horarum Canonicarum, quia non aliundè, quàm à Regula illis præscribitur huiusmodi officium; Regula autem non obligat ad peccatum, ergo neque ad recitandas huiusmodi preces. Neque Regulæ Nicolai IV. *cap. 8.* neque Leonis X. *cap. 4.* obligant ad dictas preces inibi præscriptas Laïcis professis.

Quæres 7. An Nouitij, & Tertiarij gestantes semihabitum, & Collegialiter viuentes obligentur ad aliquod officium dicendum?

11 Respond. Nouitij non tenentur, quia nullum ius, aut consuetudo, neque professio, quam nondum promiserunt illos obligat, ergo non tenentur. *Nauar. tomo 4. cap. 7. de statione num. 23. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 50. num. 7. Tolet. lib. 2. cap. 12. num. 7. Bonac. disput. 1. quæst. & part. 2. num. 1. §. Dixi*, & alij communiter, quamquam Palud. Apud Graff. videatur dicere Nouitios teneri; eo quod eleemosynis aluntur, & gaudent priuilegijs Religiosorum, sed hæc non obstant, quia extranea sunt ab hac obligatione, quam non valent inferre. Multò minus tenentur Tertiarij siue in domibus proprijs degentes, siue Collegialiter cum professis, vt docet *Nauarr. cit. Graff.* verò ait eos obligari ad recitandum Officium sibi præscriptum in Regula Nicol. IV. secundum Felinum, & Tabiennam, sed reuerà contrarium est tenendum, quia nullum Decretum in ea Regula positum obligat sub culpa neque veniali, vt dicitur in eius finali capite.

Quæres 8. An Moniales deputatæ ad Chorum teneantur, Diuinum Officium recitare?

Respond. Tenentur eo modo, quo viri professi obligantur vel ex consuetudine, vel ex Regula ita docent omnes *cum Rodr. quæst. 42. art. 20. Cum Compend. resol. 24. n. 22. Portel. ver. Hora Canon. n. 3. Nau. tom. 4. c. 7. de Orat. n. 27. Bonac. disp. 1. de Horis q. & p. 2. n. 5. Diana resol. 96. de dub. regul.* 12

Quæres 9. An damnati ad triremes teneantur ad Horas Canonicas?

Respond. Religiosi etiam in sacris constituti, aut alia ratione obligati non tenentur illas recitare. Tum quia in hoc statu infelicissimo nullum tempus commodum habent ad illud recitandum, ergo cum tanquam impossibile censeatur, non adest obligatio. Tum quia, satis sunt afflicti, dum illo afficiuntur supplicio, ergo ad aliam afflictionem, & obligationem non tenentur, non enim est danda afflictio afflicto *cap. 1. diff. 5. cap. Aentius dist. 26. cap. 2. 7. quæst. 1. Ita Diana tenet resolut. 40. de Horis cum Homob. parte 1. exam. tract. 4. cap. 4. quæst. 52. Soto lib. 10. de iustit. quæst. 5. art. 5. Sanch. lib. 8. disput. 8. n. 11. Lessio lib. 2. de iust. cap. 37. dub. 9. num. 45.* Sed reuerà non inueni hoc apud Sanch. neque Sotum in meis Codicibus. Nostræ responsioni adhæret *Rodriq. tom. 3. Summ. cap. 194. concl. 15.* Illos verò teneri, quando sunt constituti in Ordine Sacro, asserunt *Layman. lib. 4. tract. 1. cap. 4. num. 2. Gauant. sect. 1. in rubr. Breuiar. c. 4. n. 16. Azor. part. 1. lib. 10. c. 5. q. 9.* quos contra se citat *Diana, sequitur Bonac. disp. 1. q. & p. 2. n. 5.* vbi eos eximit ex vi professionis, non, si sunt in Sacris. 13

Quæres 10. An eiecti, & fugitiui teneantur ad Horas Canonicas?

Respond. Fugitiuus sine dubio tenetur, quia cum non fuerit expulsus a statu Religioso, adhuc tenetur recitare horas Canonicas, si ad eas tenetur dum viuit intra claustra. *Nauar. tom. 4. cap. 7. de orat. num. 20.* & mox citandi asserentes de eiecto. Eiectus verò siue iustè, siue iniustè non tenetur, quia amplius non est in statu Regulari, neque vitam Regularem ducere tenetur, vt alibi probabo, ergo hoc non subsistente fundamento, in quo consistebat obligatio, neque tenebitur recitare Diuinum Officium. Ita docet *Bonac. disput. 1. quæst. & p. 2. num. 6. vbi pro se citat, Sotum, & Angelum*, & hoc extendit etiam ad fugitiuum, quem sequitur *Diana resol. 18.* de Horis, sed iam patet differentia, communior opinio tenet vtrumque teneri, quia non desinit esse Religiosus, & ex sua iniquitate non debet reportare commodum, & ita asserunt *Lessius, Nauar. Azor. Mald. Suar. Filliuc. Layman. Villalobos, & alij apud Bonac. & Dianam, & sequitur Portel. num. 1. Compend. resolut. 24. num. 22.* Placet ergo mihi eximi solum eiectum, cum non amplius sit in statu; in quo non fundabatur consuetudo recitandi, neque enim obstat, quod adhuc sit Religiosus, vt sic enim præscindit ab hac obligatione quæ consuetudinem respicit, non solemne votum, sed præcisè statum Regularem cum ea consuetudine, vnde neque Franciscanus de prima Regula tenebitur, quia ex solo præcepto Regulæ tenetur recitare, non ex voto, ad quod præceptum eiectus non 14

obligatur,quia expulsus ad Regulares obseruantias non tenetor,cum non amplius sit sub obedientia,& sic patet ad rationem oppositam, & ad alteram per accidens reportare commodum,non autem directè,& per se, quod iure reprobatur.

Quæres 11. An dispensatus ad manendum extra Religionem in perpetuum teneatur ad horas Canonicas? Item, An ad illas teneatur, qui ex dispensatione duxit vxorem?

15 Respond. Neuter tenetur, quia sunt extra statum, in quo sulo obligantur, vtrumque asserit *Bonac. disput 1. quæst. & part.2. num. 4. posterius tenet Sanchez lib.8. disput.8. num.* 11. Quare pro eo tempore, quo actu est vxoratus, exemptus est, sicut & extra manens, qui si redeat resurgit obligatio; qui verò manet extra ad tempus tenetur, quia censetur etiam extra degere vitam Regularem pro eo paruo tempore, manens enim extra de licentia Superioris dicitur viuere intra claustra sub obedientia sui Superioris,& in hoc speciali conueniunt, omnes.

Quæres 12. An Clericus ob sua demerita de gradu Clericali deiectus in numerum Conuersorum teneatur recitare Officium Clericorum,an Laicorum? Suppono autem posse fieri hanc translationem in duobus, primo ob imperitiam, eo quod non habet sufficientem literaturam ad statum clericalem, secundo ob grauissimum crimen respiciens hunc statum, in cuius sit dedecus, & in is casibus nullam puto esse difficultatem, quin clericus possit deiici ab eo statu in numerum laicorum quia suos Religiosos Superiores punire possint perpetuo carcere, expellere à religione, & ad triremes damnare, quæ sunt pœnæ longe grauiores,ergo & hanc imponere possunt. Cum autem iudicetur pœna grauissima imponenda est à solo Generali petito consilio, & consensu illius Conuentus, in quo ille deponendus est filius. Sic seruatur in Religione Patris *Sanch.qui li.6 cap.7.num.*81. ait hoc iudicium spectare vel ad Prouincialem, vel Generalem.Hanc translationem admittunt *Faustus in Thesauro lib.6.qu.177. quos citat, & sequitur Peyrinus tom.3. cap.5. ad constit. Leonis X. num. 58. & hoc supponit Sotus lib.10.quæst.5.art.3. Arrag. Azor.& Petrus Ledesma apud Sanch.cit.num.*80. Oppositum sentiunt *Rodr. & Portel. ver.Hora n.*13.

16 Respond. Deobligatur ab Officio Diuino Clericorum, & subiicitur orationibus eodem vinculo obligationis, quo cæteri conuersi, quorum statui adscriptus fuit. Probatur, quia in tantùm tenetor ad Officium Diuinum, in quantum perseuerat in illo statu, ab eo enim dependet obligatio, ergo remoto statu, tollitur obligatio. Confirmatur à sim.i.l de transeunte ad secunda vota, qui liberator ab obseruantiis,& obligationibus primæ Regulæ, vt probaui *resol.29.præced.quæst.*24.ergo & translatus ad statum Laicalem liberatur ab obligationibus Clericalibus, est enim in vtroque casu par ratio translationis. *Ita tenet Azor. lib.10. cap.6.q.7. & cum eo Sanch.cit.lib.6.cap.7.n.*8. Dicta de translatione,& consequenti de obligatione Horarum Canonicarum puto procedere etiam respectu constituti in Sacris, qui eo grauissimo crimine deponi potest in numerum conuersorum,si enim potest degradari,& quare non deponi,& transferri ad Laicalem statum, cum id sit quid minus? quicquid dicat *Peyrinus sine probatione cit.c.5.n.*38. *Rodr. tom.4.Sum.c.194.& cum eo Portel.ver.Hora,qu.n.*13. simpliciter negant hunc transitum; De deobligatione probatur, Tum quia si potest Superior hunc humiliare,ergo & deobligare vti quid consequens ad illam humiliationem, concesso enim principali intelliguntur concessa omnia ad illud consequentia, *cap. præterea*5. *in fine cap. Prudentiam*, §. 6. *in fine, de off.deleg.* Tum quia Superiores habent facultatem dispensandi in hac recitatione, vt probo mox *quæst.* 13. ergo saltem dispensabunt illum ab hac obligatione, cum sit rationabilis causa, vt commodius possit incumbere officio Laicali, neque conuenit hunc depositum accedere ad Chorum. Nec obstat character indelebilis, quia ex hoc non sufficienter arguitur Canonicè orandi respectu professi, quia in iure communi non reperitur huiusmodi præceptum factum Religiosis, sed solis Presbyteris *in cap.* 1. *de celebr a. Missar.* quod est ex Concilio Agathensi Prouinciali celebrato 438. in quo nulla mentio de Religiosis, in ò neque illis applicari potest, quia tunc temporis non erant Mendicantes incœpti temporibus D.Dominici, & Francisci, & Monachi eo tempore Concilij non erant Clerici, vt videre est 16.*quæst.*1. per totam, etsi enim lex semper loquatur,quasi nunc,& eo tẽpore, quo incœperunt Religiosi initiari Sacris Ordinibus,afficiat, & sibi subiiciat; hoc non procedit, quando ex aliis clausulis legis colligitur decretum non posse illis applicari, vt in caso nostro, nam Religiosi etiam Clerici non fuerunt instituti, vt curam animarum haberent,provt illud caput loquitur de Presbyteris, qui tunc omnes indifferenter incumbebant curæ animarum, qui si nunc cuncti hoc non exercent officium, non ideò exempti sunt ab hac obligatione Diuini Officij, quia Summi Pontifices restringendo curam animarum non committendam nisi idoneis, & deputatis à se, vel ab Episcopis, non exemerunt Presbyteros non deputatos ab obligatione Diuini Officij, *neque cap. Dolentes, neque Clem.1. de celebr. Miss.* vbi expressa mentio fit Regularibus imponunt hoc præceptum, sed illud supponunt, & solum præcipiunt,vt debitis horis studiosis, & deuotè Diuinum Officium celebretur. Remanet ergo, quod ex sola consuetudine fundata in statu regulari clerici etiam in sacris constituti teneantur ad Horas Canonicas, ergo si deiiciantur ab eo statu non amplius subiecti erunt huic obligationi.

Quæres 13. An Prælati Regulares possint dispensare circa Horas Canonicas?

Respond. Superiores regulares posita legitima causa 17 possunt dispensare tam iure communi, quam iure priuilegij suos subditos in obligatione recitandi Diuinum Officium, de iure quidem, quia possunt dispensare in obseruantiis regularibus, vt alibi probo,quod nunc pro certo suppono; sed recitatio Diuini Officij in Religionibus ortum habuit ex consuetudine status regularis, Superiore consentiente, vnde & inter regulares obseruantias numeratur,ergo in ea dispensare potest. Confirmatur hoc, quia grauis infirmitas excusat,quando recitatio notabiliter lædit infirmum, *cap. Clericus victum, dist.*91. piè etiam credi potest Ecclesiam noluisse cum tanto incommodo obligare, & hoc communiter docent *Nau.tom.4.cap.11. de orat. sub initium, Tolet.lib.2. cap.14.num.*1. quos,& alios citat *Bonac. disp.1. quæst.6. p.2.num.*2. ergo si aliquale est dubium teneatur nec ne, accedente dispensatione Superioris,tollitur omnis scrupulus. De hac dispensatione *Lessius lib.1. cap.37.dub.9. num.51.Ganant.tom 2.sess.1.cap.5.tit.1.num.6. Vidal.tom.2. tractat.4.dub.9. num.*12. hortat ad clericos non constitutos in sacris Ordinibus, quæ limitatio mihi non placet, quia ex præcedenti quæst. patet obligationem hanc inter religiosos esse ex consuetudine status Religiosi, Superiore annuente,respectu omnium clericorum; præterea si de Iure communi potest legitima subsistente causa, ergo potest respectu omnium indifferenter, cum legitima causa sit vniuersalis pro omnibus, pro quibus est etiam ius commune sine vlla exceptione. Illos sequitur, & citat *Diana resol.19. de Horis,& Bonac.disp.1.q.& p.2.ad finem.* Oppositum tenent *Regin.lib.18 c.12 num.141.& 186.Suar. tom.2. lib 4. c.28. n.41.Fillius.*& alij citati à *Bonac.& Diana.*

Iure Priuilegij concessi Theatinis à Clem.VII. Constit. *Dudum pro parte vestra* 38.& Barnabitis à Paulo III. Constit.5. *Dudum felicis recordationis*: in quibus Prælati possunt dispensare super recitatione Diuinorum Officiorum suos subditos, dummodò infirmi certum Psalmorum numerum per Superiorem designandorum non minus septem, aut sex cum distinctione, ac Orationem Dominicam septies, & Symbolum Apostolorum

rum bis recitent. Grauiter autem ægrotantes, Orationem Dominicam semel, & Salutationem Angelicam septies in die pronuntiantes toti Diuino Officio dicuntur satisfecisse. Dispensare etiam possunt cum inseruientibus infirmis, & cum occupatis Concionibus, Confessionibus, & studiis Sacrarum Litterarum. Ita refert *Peregr. Theatinus in suo Compend. ver. Dispensatio*, §.8. *Neapoli impresso* 1633. Prædicta ante concesserant Leo X. & Eugen. IV. vt videre est *in Compend. Sorbi ver. Infirmi Fratres*, §.6.8.9.11.12. *&* 13. *& ver. Officium Diuinum*, §.10.

De his dispensationibus iure priuilegiorum, vide *Rodr. tom.* 1. *quæst.* 24. *art.* 7. *cum suo Compend. resol.* 24. *num.* 5. *ad* 8. *Portel. ver. Hora num.* 11. *Mirand. quæst.* 37. *art.* 16.

Prælati autem dispensantes sunt locales, quibus regulariter conceduntur aliæ regulares obseruantiæ relaxandæ, ob commoditatem subditorum, quibus subtrahitur occasio vagandi per recursum ad maiores, consequenter dispensare possunt in prædictis causis cum suis subditis; vt docent præcitati, *& Port. n.* 13. addit etiam Vicarium in absentia Guardiani dispensare posse.

In mea Religione cap.15. Regulæ indulgetur infirmis, vt non teneantur Horas dicere, nisi velint, vnde Superior faciliùs dispensare potest, hoc ipso, quod ipsa regula illos eximit, quod tamen non intelligitur respectu sacris initiatorum legitima existente causa, cum non quæuis infirmitas illos excuset, sed quæ grauis, iuxta sacros Canones.

Possunt dicti Prælati iubere Fratribus imperitis, qui non valent Officium Diuinum cum aliis in Choro recitare, vt loco illius dicant Officium Laicorum. Ita concessit Clem. VII. viuæ vocis oraculo *Compend. ver. Moniales*, §.30. *Portel. ver. Hora n.* 13. *Peyrin. tom.* 3. *c.* 4. *in fine, n.* 58. quod puto transisse in Constitutionem dictam. *Dudum*, ipsius Clem. VII. & Pauli III.

Quæres 14. An Prælatus regularis possit mutare Diuinum Officium? Potest autem mutatio contingere tribus modis. Primò; instituendo nouum Officium alicuius sancti, qui non sit descriptus in Kalendario inserto in singulis mensibus Breuiarij Romani noui, neque in proprio Religionis Kalendario. Secundò, præscribendo Officium vnius pro alio, exempli gratia Officium Sancti, loco Feriæ. Tertiò, mutando ritum, nempè de simplici faciendo duplex.

18 Respond. Ad primum. Non potest, nisi in certis casibus, prout de mandato Sanctissimi Vrb. VIII. decrauit Sacra Congregatio Rituum die 8. Apr. 1628. & habetur in principio Breuiarij noui Vrb. VIII. his verbis. *Non potuisse post Bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque posse locorum ordinarios, tam seculares, quàm regulares addere. Kalendarij etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur.* Excipiuntur ergo tres casus, in quibus regulares suis Kalendariis possunt addere Officium alicuius Sancti, qui antea non erat descriptus in vno ex dictis Kalendariis, colligitur autem duplex Kalendarium ex citatis verbis, Romanum simpliciter, quod nimirum ponitur initio Breuiarij Romani noui, singulis mensibus, & diebus assignatis proprium Officium alicuius Sancti, vel Feriæ, & Proprium singularum religionum in singulis describens, de quibus sit faciendum Officium proprium apud singulas religiones.

Primus igitur casus, in quo posse fieri Officium de Sancto non expresso in vno ex dictis Kalendariis, quando nimirum Rubrica dictat esse faciendum Officium de Sancto, licèt non expresso in vno ex dictis Kalendariis. Ex quibus Rubricis colligitur posse fieri, seu potius faciendum esse Officium de Patrono loci, vel Ecclesiæ sub Ritu duplici *Rubr.* 1. *num.* 1. *primæ classis*, *Rubr.* 9. *num.* 3. etiam cum octaua, ad quam tamen non tenentur regulares, impeditis Officiis propriis, & de hac obligatione, vide Constitut. *Pastoralis Officij*, Gregor. XIII. constringentem Regulares Hispanos ad recitandum Diuinum Officium Patroni Diœcesis, de qua *Quar. ver. officium diuinum*. Tenentur verò ad octauam, quando est Patronus, vel Titularis Ecclesiæ. Item est vsus celebrandi officium eius Sancti, cui dedicatum est Altare, seu Capella, *Rubr.* 9. *n.* 5. qui si reperiatur in Kalendario descriptus, dicit Gauandus quod eius officium recitandum est est illo ritu, quo ibi describitur; si in eo non exprimitur, tunc non potest eius Officium celebrari sine licentia Maiorum, quo nomine intelligit Papam, vel Sacram Congregationem *p.* 1. *tit.* 9. 5. *Accedit*, & dicit, quod ibi potest celebrari Missa festiua cum hymno Angelico. Sed eius dictum non placet, & puto officium Sancti in Breuiario non expressi, alicuius Capellæ, vel Altaris celebrari posse sub ritu duplici maiori, quod suadeo. Tum ex vsu communi omnium Ecclesiarum, quæ solent huiusmodi Sanctos solemniter celebrare, non solum cum Gloria, sed etiam Credo in Missa, quod arguit officium duplex Maius, & ita seruatur apud omnes regulares. Tùm quia Rubricæ Breuiarij *Rubr.* 9. *n.* 3. supponunt de his officium duplex non exprimentes Maius, aut Minus, ergo congruum est, vt fiat sub duplici maiore ad differentiam aliorum duplicium, quæ non sunt alicuius Capellæ vel Altaris. Tum quia non inuenio, Sacram Rituum Congregationem aliter decreuisse maximè de Sanctis descriptis in Kalendario Romano, & quod subiecit in supracitato decreto his verbis. *Neque propria authoritate quouis prætextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, seu Rubricis Breuiarij in altiorem ritum.* Locum habet, quando ritus sine rationabili causa mutatur, dictio enim illa. *Quouis prætextu*, idem significat, quod sub velamine, vel colore alicuius rei, quæ non est, vel desinit esse, seu falsa est, sit, *vt tradit Gonzalez Reg.* 8. *Cancell. glos.* 57. *nu.* 2. In casu autem nostro solemnitas hæc velata non est, nec falsa, sed vera cum adsit Capella, seu Altare, ergo rationabiliter solemnizari potest dicto ritu, non obstãte, quod inferiori ritu describatur in Breuiario, in quo ordinantur officia diuersorum Sanctorum abstrahendo ab hac, vel illa Ecclesia, & vnusquisque postea accommodat ritus celebrationis illorum Sanctorum propriis locis, & Ecclesiis, vt manifestum est hoc de Patrono Ecclesiæ, qui si in Calendario sit simplex, fit duplex primæ Classis cum octaua, procedit ergo illud decretum de mutatione voluntaria sine rationabili causa non deducta ex Rubricis Breuiarij.

Neque placet quod nomine Maiorum, quibus instituitur officium eius Sancti Capellæ, vel Altaris, in Calendario non descripti, venire solum Papam, aut Sacram Congregationem, puto enim probabiliter venire etiam superiores regulares, quia nulliter hoc reperitur illis prohibitum, neque excedit illorum potestatem, & visum cum in Breuiarii Rubricis loco citato non damnetur consuetudo, quam habebant & nunc conseruant recitandi officia Sanctorum suarum religionum, nec obstat, quod *Rubr.* 1. *nu.* 1. dicatur eorum officia propria à Sede Apostolica approbari, quia non loquor de compositione lectionum, quæ vt suprà probari debent, sed de institutione acceptis lectionibus, & aliis commune eiusdem Breuiarii. *Compend. Resolut.* 65. *numero.* 10. insuper ex probatis suprà possunt celebrare Officium de Sancto, cuius Altare extat in Ecclesia eorum, quod est instituere nouum Officium non quo ad substantiam, sed quoad recitationem, quicquid in contrarium videatur dicere *Portel. ver. Hora n.* 7. *ex eo Compend. resol.* 24. *num.* 11. *in fine*, qui tamen mihi videntur loqui de permutatione vnius Officij pro alio.

Collige ex his, in Ecclesia nostra Paradisij Mediolani celebrari legitimè Officia Sanctorum Isidori, Firmi, & Francisci de Paula, quorum extant Capellæ, sub ritu duplici etiam Maioris, ob maiorem deuotionem, & honorem prædictorum Sanctorum, sumendo tamen omnia de Communi iuxta vniuscuiusque qualitatem.

Secundus

Secundus, & tertius casus addendi Calendario Officium Sanct. non expressi, est, quando Papa, aut Sacra Congregatio facit hanc facultatem Religiosis, vt nouissime concesserunt Paulus V. & Greg. XV. Festum B. Paschalis Confessoris, quod celebratur die 17. Maij sub ritu duplici. Vrb. VIII. B. Ioannis de Capistrano Confessoris quod celebratur 23 Octobris sub ritu duplici; B. Iacobi de Marchia Confessoris sub ritu duplici die 28. Nouembris; S. Conradi Confessoris duplicis 19. Februarij; Sanctæ Elisabeth nec Virginis, nec Martyris professæ expresse Tertium ordinem D. Francisci de Pœnitentia, ritu duplici 4. Iulij, B. Margaritæ nec Virginis, nec Martyris, eiusdem ordinis duplicis 22. Februarij, quæ omnia refert *Compend. resol. 95. à n. 8.* citando Bullas concessionum idem Vrbanus concessit Officium, & Missam Beatorum 26. Iaponensium Martyrum celebrandum ritu duplici die quinta Februarii, *licet Compend. cit. & resol. 24. n. 38.* dicat esse recitandum die sexta.

Resp. ad secundum. Superiores, & multo minus subditi non possunt præscribere, aut dicere vnum Officium pro alio, siue in Choro, siue extra Chorum, sed illud recitare debent, quod singulis diebus præscribitur in Calendario, siue Calendarijs attentis Rubricis, quibus mediantibus possint confrontare ad inuicem Calendaria, quod alia ratione non probatur nisi quia Pius V. constit. 64. *Quod à nobis.* ita obseruari mandauit. *Ita tenent apud Bonac. disp. 1. q. 3. p. 1. n 17. quamplures, quos etiam citat* contra se Diana *resol. 3. de Horis, qui §. Dicendum*, asserit mutationem Officij etiam dedita opera non esse peccatum mortale, *cum. Caiet. ver. Hora cap. 2. Lessio lib. 2. ca. 37. dub. 12. num. 77. Valentia tom. 3. disp. 6. qu. 2. p. 10. & aliis quampluribus*, & quod sic recitans satisfacit, quia non mutat substantiam, sed modum accidentalem, sed hoc falsum est, quia substantia Officii consistit in precibus, & orationibus designatis singulis diebus iuxta rubricas: modus verò consistit in ritibus, vt fiat duplex, vel semiduplex, aut simplex.

Resp. Ad tertium. Mutatio ritus de simplici in duplex non potest fieri, sine rationabili causa, quod patet ex supradictis §. *Primus casus*. Aliter non puto esse plusquam peccatum veniale, quia non est mutatio substantiæ, sed modi accidentalis.

Quæres 15. An Regulares possint vti Calendario Romano Episcopali eius Diæcesis vbi morantur?

19 Resp. Possunt, quia nulla adest prohibitio in contrarium, non tamen ad id cogi possunt ab Episcopis, vt decreuit Sacra Congreg. super *c. 12. sess. 25.* explicans illa verba. *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua seruandos idem Episcopus praceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur.* Quæ intelliguntur, quo ad abstinentiam ab operibus seruilibus, & auditionem Missæ, non autem quo ad celebrationem Officij, & Missæ ordinatarum ab Episcopo, ad quæ non tenentur, sed de suis sanctis celebrare habent. Verba refert *Quar. ver. Priuilegia reg. citat Portel ver. Festi dies n. 1. Compend. resol. 65. n. 14.* Clem. VIII. constit. 5. *Dudum felicis.* Barnabitis præscribit Officium diuinum recitandum, iuxta vsum, & morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ad alium vsum cogi non posse declarat, rationem reddit ibi Compend. Schol. a. quia Mediolani, à quo originem traxerunt, celebrantur Officia ritu Ambrosiano. Ita dicit *Peyr. de const. 28. Leo. X. tom. 3. c. 4. n. 56.*

In mea Religione vti possunt non solum Calendario Romano, sed etiam Episcopali, vt colligitur ex Regula Nicol. IV. cap. 8. Bernardius Bustus *ser. 27. sui Rosarij, relatus à Reu de Silis pag. 80. Cartusianus art. 19.* super eam Regulam, Nicol. V. const. *Apostolica sedis.* Dat. 23. Apr. 1450. illis verbis. *Omnes Horas Canonicas vniformiter obseruent secundum ordinem Ecclesiæ Leod. demptis quibusdam historiis specialibus, & aliis ordinatis, quas Ecclesia Romana non noscitur obseruare, abdicatis quoque, & resecatis nonnullis aliis, prout Definitores prædicti religioni, & deuotioni Fratrum eorum iudicauerint conuenire.* Est autem sublata huiusmodi facultas resecandi, & mutandi substantiam Officij ex citata const. Pij V *sub q. 14.* Leo. V. cap. 4. Regulæ, & in constitutionibus Regulas prædictas continentibus cap. 15. præcipitur Diuinum Officium recitandum iuxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non ideo tamen excluditur Calendarium Episcopale, quod est in vsu, quia & ipsum iuxta ritum Romanum conficitur.

Quæres 16. Quomodo iter agentes, & qui in alieno Conuentu, recitare habeant diuinum Officium? Difficultas procedit respectu eorum regularium, qui vtuntur Calendario Episcopali; Accidere potest, vt religiosus Laudensis e. g. recitato Matutino iuxta Calendarium Laudense, pergat Mediolanum, vbi eo die celebratur de alio Sancto, an hic possit prosequi reliquum Officij de Sancto Mediolanensi, an verò teneatur cæptum Officium de Sancto Laudensi perficere, immo & sequentibus diebus, quibus Mediolani manebit, vti Calendario sui Episcopatus?

Resp. Potest vti Calendario loci, vbi reperitur, licet 20
in breui sit rediturus etiam sequenti die, pro quo facit illud Axioma. *Si fueris Romæ, Romano viuito more. Si fueris alibi, viuito sicut ibi.* Et ratio est, quia congruum est, vt personæ religiosæ inter se conueniant in diuini Officij recitatione, quod procedit maximè in choro, ad quem accedentes sine dubio tenentur se aliis conformare, & eo magis, quando per multum temporis ibi morantur. Vnde Prædicatores habent se conformare Calendario, quo vtuntur reliqui Conuentus, vbi in Quadragesima, seu Aduentu concionantur. Ad hæc faciunt, quæ habet *Bon. disp. 1. de Horis q. 2. p. 5. n. 7. & 8.* Neque dicas hunc non satisfacere suæ obligationi diuidendo Officium ab Officio, cum non dicat integrum, si exempli gratia recitet Laudæ Matutinum de S. Bassiano die 19. Febr. & postea se transferat Mediolanum ibique residuum recitet de alio sancto in Calendario Mediolanensi ritu Romanæ descripto, non videtur satisfacere: Quia respondetur, hanc diuisionem non obstare, quia integritas desumitur quandoque ex diuersis sanctis, vt patet in Rubrica de Concurrentia, quandoque enim Officium vnius sancti desinit ad Nonam, quandoque ad Vesperas, quandoque ad Completorium, & subsequens Officium alterius sancti dicitur integrare vnum Officium septem Horarum, sufficit ergo singulis diebus recitare Officium septem Horarum, siue ex eodem, siue diuersis sanctis,

Quæres 17. An recitantes in Sacristia satisfaciant suæ obligationi psallendi in Choro?

Resp. Satisfaciunt, si adsit rationabilis causa, puta, 21
propter frigus tempore hyemis, & Sacristia solum communi muro diuidatur ab Ecclesia, in quam sit aditus per eandem portam. Ratio est. Tum quia non ita rigorose regulares tenentur ad Chorum, sicut Canonici, vt probaui hic *q. 2.* sed propter dictam causam excusantur canonici *à Bonac. disp. 1. q. 3. p. 3. n. 3.* ergo multo magis regulares excusandi sunt. Tum quia sicut, qui est in hortis censetur esse in domo arg. *l. ff. de procur.* ita qui est in Sacristia reputatur esse in Ecclesia, est enim Sacristia pars Ecclesiæ, sed pars est in suo toto *Reg. 80. in 6.* ergo & Sacristia in Ecclesia. Tum quia Ecclesia per hoc non priuatur illo honore, cum officium ad illam dirigatur: Tum quia in multis religionibus, aut Chorus non est adiunctus Altari maiore, aut si est diuiduntur ambo communi pariete, & in pluribus monasteriis adest Chorus separatus ab Ecclesia per communem parietem, qui in hoc æquiparatur Sacristiæ, ergo si in eo satisfit, etiam in Sacristia. Rationabilis ergo causa est asperitas brumalis, item si ibi fabricetur, si sit occupatus aliquo alio spirituali ministerio, vt fit in hebdomada sancta fiat sepulcrum Domini aut aliqua spiritualis demonstratio. Bonac. loco citato excusat Canonicos Mediolanenses, qui aliquando Diuinum Officium ob frigoris asperitatē recitarūt in Sacristia sine licentia Episcopi, *Graff. in praxi lib. 2. c. 9. n. 21.* dicit, quod Sacristiæ non satisfaciunt, quando tempore recreationis superior

perior dat licentiam, vt possit omitti recitatio Officij in Choro, modò duo ex Sacristis, vel alij Choro satisfaciant, si recitarent illud in Sacristia, vel in loco, qui respicit Chorum, si esset paries intermedius, quia diuidit rem, itaut dicantur duæ Franc. & Gemin. in c. Vn. de consecr. Eccles. & notatur in l. Si quis duas §. Quid & in ædibus ff. commun. præd. Intelligendus est, quando nulla adest rationabilis causa, & illa loca sunt duo materialiter, pro vno tamen habentur, quo ad effectum satisfactionis. Dico, si solum communi muro Sacristia diuidatur ab Ecclesia, quia si inter ipsam, & Ecclesiam interlucentur aliqua alia, grauior est difficultas, & puto non satisfacere, quia Choro non intersunt materialiter, neque muraliter, vnde prælatus non videtur excusari permittendo recitari horas canonicas in loco distante ab Ecclesia per plures muros intermedios, immo & per vnicum, si non adest fenestra in eo communi muro, seu porta ad Ecclesiam, vnde audio decisum fuisse Romæ quosdam Canonicos non potuisse satisfacere suæ obligationi in Sacristia, quæ non habebat fenestram versus altare maius, quod ego intelligo, quando ibi Officiatur sine legitima causa, nam cum legitima causa censeo sufficere fenestram, vel portam Sacristiæ intra ambitum Ecclesiæ, maximè apud Regulares, qui non ita stricte obligantur ad Chorum formalem.

Quæres 18. An regulares vtentes Breuiario Romano teneantur in Choro recitare Officium paruum B. M. V. quando fit Officium simplex, aut Feriale, item Psalmos Graduales, Septem Pœnitentiales, & Officium Defunctorum præscriptum certis diebus recitandum?

22 Resp. Non, vt expresse dicitur in citata Bulla Pij V. quæ extenditur in principio Breuiarij, ibidem tamē hortantur omnes ad recitandum, & eis diebus præfixis in Rubricis recitantibus Officia B. M. & defunctorum toties centum dies, septem verò Psalmos, vel Graduales quinquaginta de iniuncta pœnitentia relaxantur. *Capuccinus ver. Officium Diuinum §. Sed an Officium.* dicit obligatos esse in choro tantum recitare Officium B. Virginis, qui vtuntur Romano, si antea habebant eam consuetudinem, & expresse dicitur, in dicta Bulla, quod etiam obseruant *Rodriq. qu. 42. art. 15. & ex eo Compend. resol. 24. num. 14. alios citans. Bonac. disput. 2. de* Horis applicans hæc etiam religiosis.

Quæres 19. Quando occurrunt eodem die duo Festa Sanctorum eiusdem, & æqualis Ordinis, vnum Breuiarij Romani, seu Calendarij Episcopalis, & alterum Religionis, de quo prius est faciendum Officium?

23 Resp. De Sancto, seu Beato religionis, ratio est, & quia facit illa regula, generi per speciem derogatur, Festum enim Breuiarij Romani dicitur generale, quia ab omnibus celebratur, Religionis verò dicitur speciale, quia à regularibus solius eius Ordinis solemnizatur. Et quia propria diligentius tractantur communibus, & sic præferuntur, *glos. ver. Portiones, ca. vobis enim 23. 12. q. 2. per ca. Sicut q. 8. §. Necesse, ad finem, dist. 47. l. fin. C. quando, & quibus quarta pars deb.* Quod si inueniantur aliqua postposita, vt die 27. Septembris Festum S. Elzearij Confess. Tertij Ordinis D. Francisci postponitur die 28. propter Festum Sanctorum Cosmæ, & Damiani martyrum, forsan id accidit ei, qui illud Calendarium construxit, non ita speculando rem subtilius. Sed apud meum Ordinem tollitur hoc dubium, quia sub ritu duplici celebratur die suo 27. & aliud transfertur, cum sit sub ritu semiduplici. Meum autem dictum videtur docere *Compend. resol. 24. nu. 24.* Faciunt decisa die 9 ian. 1614. coram Verospio, nempe dedicationem propriæ Ecclesiæ incidentem in eundem diem cum Dedicatione Cathedralis celebrandum esse non Cathedralis, quia quilibet in domo sua præsumitur maior, apud Gabriel. *Pennottum in sua Hist. Canon. Regul. lib. 2. cap. 30.*

Quæres 20. An regulares ex priuilegio recitantes aliqua Officia infra annum, vt faciunt Franciscani singulis quintis Ferijs extra Quadragesimam, & Aduentum non impeditis festo nouem lectionum etiam translato recitantes de Sanctissimo Corpore Christi, & singulis sublatis pariter non impeditis, vt supra de Conceptione B. V. M. & prima die cuiuslibet mensis similiter non impedita de Stigmatibus Beati Patris Francisci, possint aliquando illa omittere, dicendo de simplici, seu Feria?

Resp. Possunt, quia nullus cogitur vti suo priuilegio, cum in inuitum non conferatur, *cap. Ad Apostolicam, de regul. cap. Si de terra, de priuil.* nisi sit commune, & alteri præiudicet, *Sanch. lib. 9. disp. 1. n. 2.* sed prædicta priuilegia quandoque omissa nulli præiudicant, nec facit, quod sint communia, quia etiam communiter relinqui possunt, seu communitas potest non vti, cum non cogatur. Nec propter hoc, quod aliquando illis non vtantur, perduntur, quia priuilegium Religioni concessum non perditur per non vsum, *Panorm. in cap. Cum accessissent 8. de const. n. 8. Silu. ver. Priuilegium q. 1.* modo non transeat cursus 40. annorum, post quod tempus amittitur, secundum doctrinam Catonis *in l. 2. C. de diuers. rescrip. & ex eis Compend. ad Bullam. 2. Pauli III. Schol. 2.* Si Officium D. Francisci non recitent illa die prima non impedita, non possunt pro eo mense illud resumere, quia addictum est præcise primo diei non impedito. 24

Eius generis sunt officia Sanctorum Philippi Nerij Confessoris 26. Maij; Elisabeht Reginæ Portugalliæ 4. Iulij. Franciscanis tamen de præcepto, cum fuerit registrata in eorum Calendario; idem dic de Sacris Stigmatibus in corpus S. Francisci ad libitum aliorum 17. Septembris, Caroli Episcopi Confessoris 4. Nouembris ad libitum celebranda ab omnibus Christi fidelibus, quibus adde Officium Angelorum Custodum, de quo in sequenti quæstione.

Quæres 21. Quomodo celebrandum sit Officium Angelorum Custodum post festum Dedicationis S. Michaëlis Archangeli prima die non impedita festo nouem Lectionum. Difficultas autem consistit in sciendo, quomodo illa prima dies dicatur impedita, nam de festo duplici occurrente nulla est difficultas, id circo die 30. immediate post festum dictæ Dedicationis fit Officium de Sancto Hieronymo, difficultas ergo restabit in Officio translato siue duplici, aut etiam in officio intra aliquam octauam, vt Sancti Francisci, an hæc officia intra octauam, seu translata debeant prius celebrari, & differri Officium Sanctorum Angelorum, post octauam occurrentem, & alia officia, solet accidere hæc difficultas singulis annis in religione mea, & in illis Ecclesiis, quæ habent octauas Dedicationis S. Michaëlis, S. Hyeronimi, & Sanctorum Cosmæ, & Damiani.

Resp. Officium Angeli Custodis non potest recitari prima die Octobris, neque sequentibus diebus, quando impediuntur aliquo officio non solum occurrente, sed etiam translato, siue sit duplex, siue semiduplex, aut die infra octauam prædictorum, aut Dominica, sed expectandus est dies, in quo de nullo possit fieri Officium nouem lectionum. Quod alia ratione non probatur, nisi quia illa Officia dicuntur impedire ipsum Angelorum Custodum Officium, quod celebrandum est prima die non impedita Officio nouem lectionum, quo nomine veniunt omnia prædicta Officia, licèt translata, non enim admittunt ea sua translatione numerum nouem lectionum. Et hoc confirmatur à simili de Officio Sanctissimi Corporis Christi à Franciscanis ad libitum celebrando singulis quintis ferijs non impeditis aliquo festo nouem lectionum, quo nomine respondit Sacra Congregatio rituum venire festum duplex, semiduplex, etiā translatum, seu diem infra octauam, vt refertur in Officijs propr. Ordinis Minorum post Bullam Pij V. Neque de hoc est aliquatenus dubitandum, quia Papa sciebat 1. die Octobris in Calendario Romano nullum describi festum nouem lectionum, & tamen hoc Officium illi diei non affixit, sed vagū reliquit vsq; 25

ad

ad diem vacantem, & non impeditum alio Officio mobili, & vagante. Celebratur autem sub ritu duplicis minoris, ac proinde cum D. Hieronymo diuidit Vesperas, vt respondit Sacra Rituum Congregatio die secunda Octobris 1627. vnde ad rem hanc non facit *Rubr.* 11. *num.* 2. assignans vtrasque vesperas festis Angelorum, quod locum habet solum in solemnitatibus Archangeli Michaëlis, & Gabrielis apud Regulares.

Quæres 22. An seculares clerici possint recitare Officia concessa in specie regularibus? & an concessis vni Religioni, alius Ordo vti possit saltem per communicationem?

26 Respond. Non possunt clerici seculares recitare officia propria regularium, quia talis regularibus concessa sunt, neque extat priuilegium aliquod de hac re. Faciunt dicta de Missa *conf.* 25. *q.* 15. Quòd si clericus in sacris constitutus, vel aliàs obligatus Religionem intret, antequam sumat habitum nouitiorum, accedendo ad Chorum satisfacit suæ obligationi recitando simul cum professis, quia proximè induendus habetur pro induto, & nouitio, qui in psallendo debent se conformare cum professis.

Quoad alterum Officia concessa vni religioni sunt in duplici differentia, alia sunt Beatorum illi religioni, cui conceduntur, propria, vt si concedatur Tertiariis in tota Religione Officium Beati Pauli de Ambrosiis Confessoris, sacerdotis professi eiusdem Ordinis, Patroni Cropani Diœcesis, Catanzarij, vbi celebratur eius Officium, & huius generis Officia aliis Religionibus, quarum non fuit professor, non communicantur. Alia verò communia, & nulli propria, vt Officium Sanctissimi Nominis Iesu, Gabrielis Archangeli, &c. & horum Officia vni Religioni concessa, aliis Religionibus volentibus vti intelliguntur communicata. Vnde Officium Sacrorum Stigmatum concessum Minoribus de Obseruantia intelligitur nobis Tertiariis communicatum, vt alibi ostendam.

Quæres 23. Circa illam orationem. *Sacrosancta* quæ apud regulares solet dici in fine Officii. Quomodo nimirum Leo X. qui eam dicenti concessit viuæ vocis oraculo, plenariam remissionem omnium defectuum in Officio recitando humana fragilitate commissorum, sit intelligendus? Nam potest esse multiplex intellectus. Primus est, an per eam orationem remittantur omnia mortalia quo ad culpam, & pœnam, nam etiam peccata mortalia ex fragilitate committuntur. Secundus est an ista remissio excuset à repetione partis Officij omissi nam Sixtus IV. viuæ vocis oraculo concessit, vt omissa per defectum visus, vel auditus non tenerentur repetere, supplendo per vnum psalmum in fine Officij; quod idem concesserunt Innoc. VIII. & Alex. VI. per vnum psalmum, vel dicendo, *Pater noster*, vel, *Aue Maria*, quæ omnia referuntur à *Rodr. tom.* 1. *q.* 42. *ar.* 3. Tertius est, quo titulò remittantur huiusmodi defectus ex fragilitate contracti in recitatione Diuini Officij, quod est quærere an remittantur virtute alicuius indulgentiæ, an huiusmodi oratio sit aliquod Sacramentale, quod more aliorum remittat prædictos defectos?

27 Respond. Papa concessit, vt mediante illa oratione possent acquirere remissionem omnium defectuum, quos ex humana fragilitate contraxissent in recitatione Officij, & de hoc non est difficultas cum id in ea exprimitur. Ad hanc autem remissionem consequendam tria requiruntur, I. quod ille defectus contractus sit tantum culpa venialis, quia ea oratio non potest habere tantam efficaciam etiam ex voluntate Papæ, vt deleat mortalia, ex quo sequitur II. quod non sit in peccato mortali, aliter oratio illa nihil prodest, quia venialia non remittuntur remanentibus mortalibus, vt omnes docent Theologi cum *D. Thom. par.* 3. *q.* 87. *art.* 4. quos citatos vide apud *Bonac. q.* 6. *de Pœnit. sect.* 2. *p.* 4. *num.* 4. *Regal. de Pœnit. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 8. Ratio est, quia venialia non remittuntur sine infusione, aut augmento gratiæ, quæ cum peccato mortali existere non potest. Oppositum tenent *Scotus in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *Durand. ibid. & cum aliis Nau. tom.* 3. *cap. De quotidianis num.* 11 *dist.* 6. *de Pœnit. & §. Sacerdos num.* 28. *ibid.* III. quod ad illorum remissionem se disponat saltem per actum attritionis sufficientem ad destruendum peccatum veniale, nam hæc oratio delet prædictos defectus veniales quo ad culpas, quatenus est Sacramentale, Sacramentalia autem, peccata venialia non remittunt ex opere operato, quia non sunt instituta à Christo, ergo ex opere operantis, qui ideo debet esse dispositus saltem per actum attritionis excitatum per Sacramentalia, & hæc est communior opinio de Sacramentalibus apud præcitatos, quibus adde *Fabrum disp.* 40. *de Pœnit. à num.* 54. Ex his patet ad eas difficultates, ad primam non tolli mortalia; ad secundam excusare à repetitione paruæ quantitatis respondentis defectui veniali, ad tertiam demum eam orationem remittere vt est quoddam Sacramentale, non autem esse indulgentiam, quia hæc nunquam remittit culpam, sed pœnam culpæ iam condonatæ, vt omnes docent in tractatu de indulgentiis.

Remanent quatuor dubiola circa hoc quæsitum; 28
vnum est, an si ab vno tantum, vt ab Hebdomario dicatur, (siue in fine cuiuslibet horæ, siue in fine omnium vnica vice, quod parum refert, cum sic concesserit ad libitum Papa, vt videri potest apud citatum Rodriquez: solet autem dici quoties Officium terminatur aliqua Hora siue in Choro, siue extra Chorum, (vbique enim prodest) aliis audientibus, vt determinatum fuit à Minoribus de Obseruantia in capitulo Valisoletano anno 1593. satisfiat ab omnibus, & singulis? Alterum est, an nunc sublata sit cum sit oraculum viuæ vocis? Tertium, an valeat, si dicatur stando? nam in Breuiariis modernis præscribitur dicenda flexis genibus? Quartum, An valeat pro solis Regularibus,

Primò satisfit dicendo prodesse omnibus, ac si à 29
singulis diceretur, ratio est, quia fauores animæ amplianti sunt, & maximè facit hic illa regula. Odia restringi, fauores autem conuenit ampliari, cum in re nostra nulli præiudicet, & multum prosit. Si autem esset indulgentia aliqualiter dubitarem, quia Bulla indulgentiæ tantum valet, quantum sonat, & proinde singuli deberent eam dicere, & non tantum audire.

Secundò dico non videri sublatam, nam postea 30
Breuiaria adhuc retinuerunt illam in calce Officiorum Ordinis Minorum, & prosequitur eorum recitatio in fine Officij ab omnibus; & puto annullata fuisse ea oracula, quæ aliquo modo possunt tertio præiudicare, non autem, quæ nulli præiudicium afferre possunt vt probabo *resol. sequenti* 31.

Tertiò puto valere, si recitetur stando, aut ambu-
lando, cum dicitur extra Chorum, quia ex verbis relatis 31
à Rodriqu. cit. quæst. 42. *art.* 3. *& a Compend. ver. Officium Diuinum* 2. §. 5. non habetur huiusmodi genuflexio ordinata in dicto capitulo forsan pro Choro, vtilior autem, & efficacior erit si dicatur genibus flexis, cum excitet maiorem affectum.

Quartò res dubia est, & pro affirmatiua facit quod 32
ea refertur in Compend. priuilegium regularium, & *à Rodriq. cit. q.* 42. *art.* 3. & inseritur in Officio proprio Ordinis Minorum, ex quibus infertur regularibus tantum prodesse; ex alia parte videtur vtilis omnibus recitantibus, quia apud dictos authores per talia refertur, per quæ datur intelligi Papam Leonem concessisse omnibus eam gratiam, nam in aliis priuilegiis ibi ad hoc citatis expressio fit Fratrum Minorum, quibus conceduntur, cum vero præfati Scriptores, cum quibus est etiam *Nau. tom.* 4. *cap.* 19. *numero* 89. hanc referunt gratiam, dicunt, quod quibuscumque prodest, ergo pro omnibus est, & bene, quia conuenit bona spiritualia omnibus communicare.

Quæres

Quæres 24. An non obstante annullatione oraculorum viuæ vocis, de quibus dicam sequenti *resolut.* 31. possint regulares Franciscani singulis Sabbatis extra Quadragesimam, & Aduentum, non impeditis officio nouem lectionum, recitare Officium Immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis à Paulo V. viuæ vocis oraculo illis concessum die 19. *Ianuarij* 1609.

33 Respond. Possunt, quia huiusmodi oracula non fuerunt sublata, cùm extincta fuerint solum ea, quæ præiudicialia sunt, vt sequenti resolut. probatur. Vnde eiusdem Officij recitatio omissa non fuit, sed continuatur in Religione.

34 Quæres 25. An à religiosis Tertij Ordinis D. Francisci possint celebrari Officia Sanctorum Ludouici Regis Francorum, & Elisabetæ Reginæ Vngariæ Regis filiæ Viduæ? Faciunt subiecta.

Post Decretum Sacrorum Rituum Congregationis, in quo declaratum fuit, ordinarios quoscumque etiam Regulares post Bullam Pij V. de Breuiario Romano Dat. 9. Iul. 1568. non potuisse, nec deinceps posse addere suis Calendariis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Apostolicæ Sedis licentia conceduntur; neque propria authoritate, quouis prætextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, seu Rubricis Breuiarij in altiorem ritum, &c. Nonnulli Patres Tertij Ordinis Regulares cœperunt dubitare; An non obstante prælibato Decreto, clerici huius Ordinis, Officia eorum Sanctorum, qui ordinis antedicti habitum induerunt, dum in humanis degerent, nimirum, Sanctorum Ludouici Regis Francorum 25. Aug. & Elisabeth Viduæ filiæ Andreæ Vngarorum 19. Nouēbr. sub ritu duplici primæ classis cum suis octauis, ac aliorum sub aliis ritibus, recitare possint?

35 Contendunt serio hunc ritum seruandum non esse, sed prædictorum Officium celebrandum esse iuxta ritum descriptum in Calendario Romano, aut Franciscano, vulgato à Minoribus de Obseruantia reformato, in quibus Officia Sanctorum Tertij Ordinis describuntur sub ritu semiduplicis. Probant. I. quia in dictis Calendariis semiduplicia describuntur, ergo non potuerunt transferri in altiorem ritum contra Decretum Sacræ Congreg. II. quia huius Ordinis professi cæteris Franciscanis cōformari debent, vt est commune pronuntiatum, id quod quidam Generalis interpretatus fuit respectu Minorum de Obseruantia. III. Vulgata iura habent, quod in claris nō est locus coniecturis, *l. Continuus, §. Cum quid ff. de verb. obligat. l. Ille, aut ille ff. de legib.* & vbi casus est in lege expressus cessat omnis disputatio. *Glos. fin. in l. Ancilla C. de furtis cum Doctoribus citatis à Barbosa Vaz. in suis locis communib. lit. L, num.* 15. sed omnino datum est, & expressum Officia dictorum Sanctorum esse semiduplicia tantum, ergo non occurrit de hac re disputare. IV. Huiusmodi ritus altiores, immo excelsos, & supremos nouissimè inuenit quidam Religiosus huius instituti homo priuatus, ergo cum nullam iurisdictionem habeat, repellēdus est cum suis Rubricis. His tamen non obstantibus dictarum Rubricarum scriptor, non auctor, nisi quatenus decerpsit eas ex Rubricis Generalibus Breuiarij Romani.

36 Dico Regulares Tertij Ordinis omnino teneri celebrare ea officia prout disponuntur in illis Rubricis specialibus, nimirum sub ritu duplici cum suis octauis, vt supra, quod ostenditur ex subiectis, consuetudine, ordinatione, & congruentiis.

Consuetudo est antiquissima apud hos religiosos recitandi Officia Sanctorum sui Ordinis cum octauis, de qua supposita fit mentio in Bulla Pauli III. incipit, *Cum à nobis petitur*, Dat. 18. Febr. 1547. vbi Hispanis, & Portugallensibus Tertiariis confirmauit priuilegia suspendendi interdictum, & cessationem in suis Ecclesiis in festis cum suis octauis Sanctorum ordinis Lucij, Ludouici Regis, Rochi, Iuonis, Elzearij, Rosæ, Angelæ, & Elisabeth. Tertij Ordinis. Est aut antiquissima hæc consuetudo, vt non extet aliqua memoria huius initij; nam Officia præsertim Elisabeth, & Ludouici sub ritu duplici solemni supponuntur inter quasdam ordinationes, quas ex speciali commissione apostolica fecit, & condidit Pater Rainaldus Gratianus de Cotignola electus in Generalem anno 1506. apud *Firmam. pag.* 50. *&* 51. *part.* 3. §. *Ordin. diu. Offic.* Suffragantur Rubricæ Breuiarij noui huiusmodi consuetudini, vt videre est *Rubr.* 1. *num.* 1. vbi dicit. quod Officium fit duplex *& in festis Sanctorum, qui apud quasdam Religiones consueuerant solemniter celebrari cum Officiis propriis, à Sede Apostolica approbatis.* Quod idem de octauis repetitur *Rubr.* 7. *num.* 1. Sed id iam concessum fuit dicto Patri Generali, vt dixi, ergo decretum prælibatum nulla ratione obstare potest huic consuetudini, cum à Sede Apostolica aliàs, & nunc etiam fuerit approbata.

Ordinatione ostenditur ea dictis Ordinationibus Patris Cotognolæ, in quibus licet non exprimantur octauæ, tamen colliguntur ex citata Bulla Pauli III. eo quod Tertiarij tunc viuebant sub Minoribus saltem quo ad has ordinationes diuini Officij, vt videre est loco citato Firmam. Demum ea nostri P. Renet. de Sillis in quodam suo Decreto mandauit hæc Officia celebrari cum octaua; ne deperiret mos antiquissimus.

Congruentiæ id suadent. Tum quia aliæ religiones Officia Sanctorum suorum solemniter quædam celebrant cum octauis, de quo non est dubitandum. Tum quia c. 13. Regulæ, seu Statutorum, quæ substantiam Regulæ cōtinent, vt dicit Pius V. citandus, decernitur, quod inter suffragia communia B. V. SS. Apostolorum, & Francisci supponitur cōmemoratio SS. Ludouici, & Elisabeth, est autem non leue inconueniens de ipsis faciendam esse cōmemorationem, & postea Officium fieri semiduplex quod decretum factum anno 1475. cum aliis confirmatum fuit 1549. quod seruari mandauit Pius V. Constit. Ea est anno 1568. Demum ambo sunt Patroni huius Ordinis, vnde insignia religionis est Sanctus Ludouicus.

Concluditur ergo ex dictis, Regulares huius Ordinis teneri sub mortali celebrare huiusmodi festa iuxta præscriptum ritum, ob adductas rationes. Respondendum est obiectis.

Ad primum dico in Calend. Romano apponi sub ritu semid. pro secularibus, in Calend. Franciscano pro Regularibus militantibus sub prima regula, & rationabiliter, quia non detulerunt habitum primæ Regulæ, neque proinde in solemnitate comparandi erant hi sancti cum aliis primi Ordinis, quamquam & olim apud eosdem fuerint celebrati sub ritu duplici, vt suprà vidi, & apud nostros vt apparet ex citata Bulla Pij IV. Nec id contradicit decreto, quod dicit, ordinarios regulares non potuisse post Bullam Pij V. transferre Officia ad altiorem gradum; nam ista translatio supponitur fuisse ante ipsum Pium V. vt patet subducentibus, immo non fuit translatio, sed primæua institutio sub illo solemni ritu. Deinde decretum loquitur de illis Officiis, qui non conceduntur vno ex his tribus capitibus, vel Rubricis Breuiarij, vel Apostolica Sede, vel Sacra Congregatione; iam autem probaui illa Officia antiquitùs concessa fuisse sub illo ritu à Sede Apostolica, & approbata fuisse in Rubricis præcitatis Breuiarii noui. Demum Decretum Sacræ Congregationis non derogauit dictæ consuetudini, quod necessarium erat, vt de ea expressam mentionem faceret, Papa enim non censetur per suas constitutiones derogare specialibus constitutionibus, & consuetudinibus, nisi de illis mentionem faciat *cap.* 1. *de const. in* 6. In dicto autem Decreto nulla exprimitur clausula derogatiua, ergo nullo modo obstat, præterquam quod illud non plus disponit, quam Bulla Pij V. quæ tales consuetudines non reprobat, sed potius confirmat, vt suprà visum fuit.

Ad secundum requiri talem legem, aut statutum, quo teneatur ista Religo conformare se aliis Franciscanis, siquidem illud vulgatum fuit Inuentum cuiusdam Patris Generalis in quadam sua Epistola, quam non inseruit in Decretis Regulæ. Præterea conueniens est illis conformari, quando specialis ratio oppositum non suadet, vt in casu nostro, in quo ratio persuadet oppositum, nempe huius Ordinis Religiosos debere solemnizare Sanctos sui Ordinis, sicut faciunt cæteri Franciscani; qui proprios solemnizant, extraneos solum semiduplicant.

Ad tertium patet suprà ad primum clarum esse illa Officia determinari semiduplicia pro Regularibus sub prima regula militantibus; & præterea etiam clarum est apud probantem hoc assertum, tamen disputatur difficultas pro aduersariis, vt confutentur, & edoceantur.

Ad quartum, illarum rubricarum confectorem non fuisse authorem, quasi ius diceret super illas, sed ius iam lege, aut consuetudine conditum adaptauit huic speciali ordini absque vlla mutatione, aut transgressione Bullarum, Decretorum, aut Kalendarij Romani. Et ad hoc facit, *quod ex Azor. tom.1. lib.10.q.2. Lessio lib.2. de Iust. c.37. num. 77. Vega part.1. cap.128. refert Peyrin. tom.3. de priuil. cap.* 12. *num.*2. vbi ait, quod Constitutio Pij V. solum obligat ad recitandum Officium, secundum formalem in communi ibi descriptam, non secundum cæremonialia, hoc est, iuxta speciales ritus cuiusque Religionis.

Sed quid agendum, quando nonnulli acquiescere nolent, prædictis, instantes vt id declararetur, An Pater Generalis adhibito consilio possit aliquid super id statuere, an potius consulenda sit Sacra Congregatio.

37 Respond Quamuis recursus ad Sacram Congregationem pro huius rei confirmatione esset optimus, nihilominus Pater Generalis cum suis Definitoribus id statuere potest, & determinare, quia cum illis habet potestatem disponendi circa Diuinum Officium, vt illi id concessit Nicolaus V. Constitut. *Apostolicæ Sedis.* Dat.23. April. 1450. pro Religiosis Leodiensibus, quorum priuilegiis gaudet Generalis Italus per Constit. *Excitat. arcanum.* Dat. 26. Maij 1467. Pauli. II.

Occasione S. Ludouici Regis Francorum, quem supposui Sanctum Fratrem ex Tertio Ordine Sācti Francisci se mihi offert noua opinio excogitata à Doctore Ranuntio Pico Patricio Parmensi nobilissimo, Serenissimi Ducis nostri. Parmæ Secretario, viro vtique eruditissimo, & de gestis Sanctorum benemerito, in suo Opere de vita, & gestis eiusdem Sancti Regis Francorum lingua materna conscripto in Annot. 2. pag. 223. asserente Sanctum Regem ex sola deuotione gestasse habitum Religionis, seu Ordinis Tertij Sancti Francisci, & nunquam emisisse professionem in dicto Ordine, neque proinde fuisse verum Fratrem ex Tertio Ordine illius temporis. Probat hoc tribus argumentis

Primò authoritate negatiua Historicorum, quorum nullus meminit huiusmodi habitus Franciscani, vt videre est apud Giouillium, & Confessarios eius, nimirum Fratres Gulielmum, & Gaufridum ex Ordine Dominicano, qui eius vitam, & gesta conscripserunt.

Secundò authoritate Bonifacij Papæ VIII. qui in primo sermone de Canonizando hoc Rege, proclamat, Regem visum fuisse vestibus Religiosis, non exprimendo in specie, cuius Religionis essent illæ vestes, sed tantum in genere, ergo non est maior ratio, vnius Religionis, quàm alterius habitum assumpsisse.

Tertiò ab authoritate Cantiprati, qui dicit, Regem se inuenisse deferentem caputium capitis super scapulam ex aduerso suspensum. Tertiarij autem non vtuntur caputiis, sicut nec chorda, sed corrigia, vt colligitur ex Regula Nicol. IV. Ex quibus concludit, dato, quod huiusmodi habitum tulerit, id non arguit nisi deuotionem, non tamen verum fuisse Fratrem Tertiarium professione, aliàs prædicti Scriptores id non prætermisissent, cùm sit quid speciale, & notabile exprimendum, vt plerique ex Summis Pontificibus fecerunt in Bullis Canonizationum aliorum Sanctorum huius Ordinis.

Concludunt tamen omnes Doctores indistinctè, hunc Sanctum Regem fuisse verè, & propriè Fratrem Tertiarium, & non tantum ex deuotione, quales sunt quidam volentes ferre habitum alicuius Religionis priuatim in domo propria, & sine licentia quandoque Prælatorum Regularium, si Deus eos liberabit aliqua infirmitate, vel alio periculo, & in dies videtur pueri ex deuotione, seu voto parentum incedentes in habitu alicuius Religionis, qui sine dubio nullius Religionis, seu Ordinis dicuntur Fratres. 38

Notandum pro confirmatione huius assertæ conclusionis, & reiectione præfatæ opinionis, Sanctum Franciscum instituisse Tertium Ordinem prædicando in Villa Carnerij ab Assisio distantis quatuor miliaria anno 1221. acceptando in Fratres, & Sorores quoscumque fideles vtriusque sexus illius loci, qui eum in via Domini sequi voluissent, vnde dedit cuidam Fratri ex primi huius Ordinis nomine Bartholomæo facultatem recipiendi alios in Fratres Tertiarios, hunc viuendi modum sequi volentes ex Cronic. *part.1. lib.2. c.* 33. Et illis hominibus sic receptis in Fratres Tertij Ordinis verisimile est tunc præscripsisse peculiarem formam, seu Regulam viuendi magis strictam, quàm alij communiter fideles diuersam habebant, Cronic. *cit. lib.*9. *cap.*11. Et illum viuendi modum diuersum à vita aliorum fidelium, in quo sine dubio tunc consistebat Tertius Ordo confirmarunt successiuè Summi Pontifices, incipiendo ab Honorio III. qui decessit anno 1227. vt ibidem Cronicæ tradunt, & docet Beatus Ioannes de Capistrano in suo Defensorio Tertij Ordinis pag. 14. Potest autem quis fieri frater verus, & proprius huius Ordinis per solam acceptionem habitus à Superiore regulari cum simplici promissione seruandi hunc specialem modum viuendi absque voti alicuius promissione, aut professione regulari; *vnde Cronic. cit. eod. cap.c.* negant remissionem voti, & professionis apud hos Tertiarios, Nec obstat, quod Nicolaus IV. dicit cap. 2. Regulæ, quod nouitius post vnius anni spatium idoneus recipiatur hoc modo, videlicet, vt promittat Diuina præcepta omnia seruaturum, quia huiusmodi promissio votum non est professionis, sed simplex propositum, & voluntas specialis seruandi diuina mandata. Ita responsum fuit Conymbricæ anno 1608. per sex Doctores, inter quos fuit Suar. quorum dicta refert *Carillus lib.3. de Tertiar.* vt testatur *Portelius in suis dub. regul. ver. Tertiarij num.*5. qui ibidem ante dictum numerum ex citato Carillo docet, hunc institutum dici præcisè Ordinem, & non Religionem, ex eo, quod Religio est quid strictius ratione voti professionis, ordo verò sonat directionem, & ordinationem quandam viuendi, quam Tertiarij assumunt. Quòd confirmatur ex diuerso modo loquendi in Regulis tam Nicolai, quàm Leonis X. nam ille in sua nunquam facit mentionem de voto, aut professione, sicut iste in sua, quàm accommodauit Tertiariis, Regularibus in Congregatione viuentibus sub tribus votis. Vnde pluribus citatis docet *Sanch. lib.7. disp.25. num.*10. illum dici verum Religiosum, qui tria emittit vota in Religione approbata a Sede Apostolica, nec satis esse, vt modus viuendi sit approbatus, vt hic Tertiariorum illius temporis respectiuè ad Regulam Nicolai, nisi tanquam vera Religio sub professione trium approbetur. 39

Quare ex his notatis destruitur opinio hæc cum sua distinctione inter Frater Tertij Ordinis illius temporis assumentes habitum ex deuotione, aut professione, nam id locum habere non potest in casu nostro, in quo non cadit professio Religionis, sed simplex promissio 40

missio ex supra allatis, quare si Sanctus Ludouicus gestauit habitum Religiosum, seu vestes Religiosas, vt testatur præcitatus ab eo Bonif. VIII. illæ sine dubio sunt Franciscanæ Religionis, & Tertij Ordinis, vt habemus ea traditione omnium Cronistarum, & non ex deuotione, sed ea licentia superiorum, & promissione simplici seruandi illum viuendi modũ, quem Tertiariis præscripsit Sanctus Pater, vnde fuit verus Frater Tertiarius, nam Cronistæ non solent facere mentionem de illis, qui ea deuotione, seu voto proprio sine licentia Prælatorum induunt habitum alicuius Ordinis, cum huiusmodi assumptio habitus ab aliquo superiore non pendeat. Remanet ergo quod sit verus Frater Tertiarius ex assumptione habitus & promissione viuendi iuxta morem aliorum Fratrum huius Ordinis, aliter huiusmodi gestatio habitus, maximè cum caputio, sine dictis qualitatibus præsumeretur potius temeraria, quàm deuota contra instituta Religionum, & earum superiores, qui non patiuntur aliquem ferre habitum Religiosum sine illorum licentia, quod non est dicendum respectu huius sancti, qui omnes actiones cum magna prudentia, & intimo spiritu dirigebat in Christum. Adde quod communissima opinio est, sanctum Regem gestasse habitum Tertij Ordinis, & nemo vsque adhuc asseruit tulisse ea deuotione, ergo neque noster Doctor hunc nouum loquendi modum introducere debebat, nouitates enim discordias generant, *cap. Cum consuetudinis 9. de consuetudine*, *Nau. tom. 4. de iudic. not. 6. num.* 68. Sed simpliciter asserere cum aliis poterat S. Regem Fratrem Tertiarium ductum illa vniuersali Regula: Verba in potiori significatione sunt accipienda, *Barbosa Vaz. in suis locis commun. lit. V. num.* 23. Et verba intelligenda sunt secundum vulgatum modum loquendi *cap. Ex literis 7. de sponsal. Glos. ver. Vltra duas dietas cap. Nonnulli* 28. *de rescr.* Modo verbum hoc *Frater* in potiori significatu accipitur pro eo, qui verè est Frater de licentia Prælati habitum gestat ea conditione, & qualitate, quibus cæteri, aliter impropriè loquerentur Cronistæ, quod non est dicendum, tales enim qui ferunt habitum ex deuotione, & non agnoscunt alium superiorum, quam propriam voluntatem, ficti sunt Fratres, & impropriè tales. Deinde, nonne Nouitij infra annum probationis sunt veri Fratres; pariter Terzini degentes intra claustra cum Regularibus, ferentes habitum imperfectum, hoc est, sine caputio, qui quatenus tales non profitentur, si in Religione moriantur cum habitu illo, nonne omnes illi sunt verè Fratres de Tertio ordine, licet nunquam professerint, ergo, & Sanctus Ludouicus verus Frater fuit Tertiarius, non obstante professionne non emissa. Vnde illud axioma: Habitus non facit Monachum, sed professio *cap. Porrectum* 13. *cap. Ex parte* 22. *de Regul.* procedit in illis ordinibus in quibus Regola præscribit proficiendum esse ex voto, ad quod non constringit Tertius Ordo ex probatis.

41 Respondendum modo est ad obiecta in contrarium; duo enim prima supponunt in hoc ordine emitti professionem præsse acceptam pro solemnizatione trium votorum, quod tamen negatum supra probatum fuit; nisi accipiamus nomen professionis, pro speciali modo viuendi diuerso ab aliis, vt professio coniugatorum, clericorum, &c. *arg. cap. fin. dist.* 41. & quis audet negare huiusmodi professionem emissam non fuisse à Sancto Rege? quod si illi Historici huius rei mentionem non fecerunt, parum refert, præterquam quod erant alterius Religionis, & forsan ex Sancta æmulatione tacuerunt hoc speciale, erubescentes talem Regem propriam eorum Religionem gestatione habitus, & morum probitate non illustrasse. Deinde ea authoritate Sanctissimi Bonifacij potius colligitur nostra conclusio, quam noua nostri Doctoris, quia si tulit vestes Religiosas, ergo Franciscanæ Religionis, non primi Ordinis, in quo coniugati non admittebantur, ergo Tertij Ordinis, qui non respuit coniugatos, inter quos fuit Sanctus Ludouicus. Hoc idem probat Cantipratus, fuisse nimirum Fratrem Tertij Ordinis, hoc ipso, quod dicit se Regem vidisse habentem caputium capitis suspensum super scapulas, nam & Tertiarij etiam tunc ferebant caputium capitis ab ineunte Religione; est siquidem duplex Caputium, vnum dictum à capite, quod tegit, & ideo 42
Cantipratus non dicit absolute Caputium sed Caputium capitis, & hoc omnes antiquitùs ferebant tam fratres primæ regulæ, quàm tertiæ consutum tunicæ, quo modo gestant nunc Capucini, & ferunt eremitæ, Alterum dicitur potius scapulare ab Officio tegendi scapulas, quo antiquitus non vtebantur, Fratres, vt colligitur diuersis locis Cronic. Quod secundum caputium continuatur cum priori caputio, ad cuius distinctionem à Summis Pontificibus vocatur Mozeta, & Scapulare. Neque regula Nicolai IV. aliquam mentionem facit de his caputiis ea prohibendo, vel concedendo Tertiariis. De caputio, & Corrigia satis dixi *resol.* 35. *q.* 22.

RESOLVTIO XXXI.

De Oraculis viuæ vocis.

SVMMARIVM.

1 *Oraculum quid sit?*
2 *Concessa Prælatis contra subditos non sunt sublata.*
3 *Gratiæ omnino fauorabiles non sunt sublata.*
4 *Indulgentiæ adhuc durant.*
5 *Cassata sunt oracula aliàs etiam confirmata.*
6 *Durant postea per Bullam concessa.*
7 *Oracula declaratiua non sunt sublata.*
8 *Oracula successiua sublata.*

PApa Gregorius XV. in sua Constit. *Romanus Pontifex*, Dat. 2. Iul. public. 5. Septembris, reuocat quascumque concessiones spirituales, & Ecclesiasticas viuæ vocis oraculo à Sede Apostolica factas, exceptis oraculis factis Cardinalibus, eorum manu firmatis, ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque fauorem, pro ipsis, vel aliis concessis; verba autem ea parte sunt sequentia, *Omnia autem, & singula indulta facultates priuilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam ad exterius spectantia, ac tam ad supplicationem partium, quam motu scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque, ex quauis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusuis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium.* Et infra, *non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium reuocamus.* Et infra. *Primis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis viuæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumque fauorem, propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.*

Postea Vrbanus VIII. in sua Constit. *Alias felicis recordationis.* Dat. 20. Decembris 1631. reuocationem factam à Gregorio XV. extendit ad quæcumque oracula etiam obtenta à Cardinalibus, & eorũ manu firmata, & ad instantiam quoq; Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque concessa religiosibus quibuscumque earumque superioribus, aut personis. Mandat autem sub pœna excommunicationis, priuationis officiorum dignitatum, vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda Generalibus, vt infra tres menses à die

Ad secundum requiri talem legem, aut statutum, quo teneatur ista Religo conformare se alijs Franciscanis, siquidem illud vulgatum fuit inuentum cuiusdam Patris Generalis in quadam sua Epistola, quam non inseruit in Decretis Regulæ. Præterea conueniens est illis conformari, quando specialis ratio oppositum non suadet, vt in casu nostro, in quo ratio persuadet oppositum, nempe huius Ordinis Religiosos debere solemnizare Sanctos sui Ordinis, sicut faciunt cæteri Franciscani; qui proprios solemnizant, extraneos solum semiduplicant.

Ad tertium patet suprà ad primum clarum esse illa Officia determinari semiduplicia pro Regularibus sub prima regula militantibus; & præterea etiam clarum est apud probantem hoc assertum, tamen disputatur difficultas pro aduersarijs, vt confutentur, & edoceantur.

Ad quartum, illarum rubricarum confectorem non fuisse authorem, quasi ius diceret super illas, sed ius iam lege, aut consuetudine conditum adaptauit huic speciali ordini absque vlla mutatione, aut transgressione Bullarum, Decretorum, aut Kalendarij Romani. Et ad hoc facit, *quod ex Azor. tom. 1. lib. 10. q. 2. Lessio lib. 2. de Iust. c. 37. num. 77. Vega part. 1. cap. 128. refert Peyrin. tom. 3. de priuil. cap. 12. num. 2.* vbi ait, quod Constitutio Pij V. solum obligat ad recitandum Officium, secundum formalem in communi ibi descriptam, non secundum cæremonialia, hoc est, iuxta speciales ritus cuiusque Religionis.

Sed quid agendum, quando nonnulli acquiescere nolent, prædictis, instantes vt id declararetur, An Pater Generalis adhibito consilio possit aliquid super id statuere, an potius consulenda sit Sacra Congregatio.

Respond. Quamuis recursus ad Sacram Congre-
37 gationem pro huius rei confirmatione esset optimus, nihilominus Pater Generalis cum suis Definitoribus id statuere potest, & determinate, quia cum illis habet potestatem disponendi circa Diuinum Officium, vt illi id concessit Nicolaus V. Constitut. *Apostolica Sedis.* Dat. 23. April. 1450. pro Religiosis Leodiensibus, quorum priuilegiis gaudet Generalis Italus per Constit. *Excitat. arcanum.* Dat. 26. Maij 1467. Pauli. II.

Occasione S. Ludouici Regis Francorum, quem supposui Sanctum Fratrem ex Tertio Ordine Sācti Francisci se mihi offert noua opinio excogitata à Doctore Ranuntio Pico Patricio Parmensi nobilissimo, Serenissimi Ducis nostri Parmæ Secretario, viro vtrique eruditissimo, & de gestis Sanctorum benemerito, in suo Opere de vita, & gestis eiusdem Sancti Regis Francorum lingua materna conscripto in Annot. 2. pag. 223. asserente Sanctum Regem ex sola deuotione gestasse habitum Religionis, seu Ordinis Tertij Sancti Francisci, & nunquam emisisse professionem in dicto Ordine, neque proinde fuisse verum Fratrem ex Tertio Ordine illius temporis. Probat hoc tribus argumentis

Primò authoritate negatiua Historicorum, quorum nullus meminit huiusmodi habitus Franciscani, vt videre est apud Giouillium, & Confessarios eius, nimirum Fratres Gulielmum, & Gaufridum ex Ordine Dominicano, qui eius vitam, & gesta conscripserunt.

Secundò authoritate Bonifacij Papæ VIII. qui in primo sermone de Canonizando hoc Rege, proclamat, Regem visum fuisse vestibus Religiosis, non exprimendo in specie, cuius Religionis essent illæ vestes, sed tantum in genere, ergo non est maior ratio, vnius Religionis, quàm alterius habitum assumpsisse.

Tertiò ab authoritate Cantiprati, qui dicit, Regem se inuenisse deferentem caputium capitis super scapulam ex aduerso suspensum. Tertiarij autem non vtuntur caputiis, sicut nec chorda, sed corrigia, vt colligitur ex Regula Nicol. IV. Ex quibus concludit, dato, quod huiusmodi habitum tulerit, id non arguit nisi deuotionem, non tamen verum fuisse Fratrem Tertiarium professione, aliàs prædicti Scriptores id non prætermisissent, cùm sit quid speciale, & notabile exprimendum, vt plerique ex Summis Pontificibus fecerunt in Bullis Canonizationum aliorum Sanctorum huius Ordinis.

Concludunt tamen omnes Doctores indistinctè, 38
hunc Sanctum Regem fuisse verè, & propriè Fratrem Tertiarium, & non tantum ex deuotione, quales sunt quidam vouentes ferre habitum alicuius Religionis priuatim in domo propria, & sine licentia quandoque Prælatorum Regularium, si Deus eos liberabit aliqua infirmitate, vel alio periculo, & in dies videtur pueri ex deuotione, seu voto parentum incedentes in habitu alicuius Religionis, qui sine dubio nullius Religionis, seu Ordinis dicuntur Fratres.

Notandum pro confirmatione huius assertæ conclu- 39
sionis, & reiectione præfatæ opinionis, Sanctum Franciscum instituisse Tertium Ordinem prædicando in Villa Carnerij ab Assisio distantis quatuor miliaribus anno 1221. acceptando in Fratres, & Sorores quoscunque fideles vtriusque sexus illius loci, qui eum in via Domini sequi voluissent, vnde dedit cuidam Fratri ex primi huius Ordinis nomine Bartholomæo facultatem recipiendi alios in Fratres Tertiarios, hunc viuendi modum sequi volentes ex Cronic. *part. 1. lib. 2. c. 33.* Et illis hominibus sic receptis in Fratres Tertij Ordinis verisimile est tunc præscripsisse peculiarem formam, seu Regulam viuendi magis strictam, quàm alij communiter fideles diuersam habebant, Cronic. *cit. lib. 9. cap. 11.* Et illum viuendi modum diuersum à vita aliorum fidelium, in quo sine dubio tunc consistebat Tertius Ordo confirmarunt successiuè Summi Pontifices, incipiendo ab Honorio III. qui decessit anno 1227. vt ibidem Cronicæ tradunt, & docet Beatus Ioannes de Capistrano in suo Defensorio Tertij Ordinis pag. 14. Potest autem quis fieri frater verus, & proprius huius Ordinis per solam acceptionem habitus à Superiore regulari cum simplici promissione seruandi hunc specialem modum viuendi absque voti alicuius promissione, aut professione regulari; *vnde Cronic. cit. eod. cap. 1.* negant remissionem voti, & professionis apud hos Tertiarios, Nec obstat, quod Nicolaus IV. dicit cap. 2. Regulæ, quod nouitius post vnius anni spatium idoneus recipiatur hoc modo, videlicet, vt promittat Diuina præcepta omnia seruaturum, quia huiusmodi promissio votum non est professionis, sed simplex propositum, & voluntas specialis seruandi diuina mandata. Ita responsum fuit Conymbricæ anno 1608. per sex Doctores, inter quos fuit Suar. quorum dicta refert *Carillus lib. 3. de Tertiar.* vt testatur *Portellus in suis dub. regul. ver. Tertiarij num. 5.* qui ibidem ante dictum numerum ex citato Carillo docet, hunc institutum dici præcisè Ordinem, & non Religionem, ex eo, quod Religio sit quid strictius ratione voti professionis, ordo verò sonat directionem, & ordinationem quandam viuendi, quam Tertiarij assumunt. Quòd confirmatur ex diuerso modo loquendi in Regulis tam Nicolai, quàm Leonis X. nam ille in sua nunquam facit mentionem de voto, aut professione, sicut iste in sua, quàm accommodauit Tertiariis, Regularibus in Congregatione viuentibus sub tribus votis. Vnde pluribus citatis docet *Sanch. lib. 7. disp. 23. num. 10.* illum dici verum Religiosum, qui tria emittit vota in Religione approbata à Sede Apostolica, nec satis esse, vt modus viuendi sit approbatus, vt hîc Tertiariorum illius temporis respectiuè ad Regulam Nicolai, nisi tanquam vera Religio sub professione trium approbetur.

Quare ex his notatis destruitur opinio hæc cum sua 40
distinctione inter Fratres Tertij Ordinis illius temporis assumentes habitum ex deuotione, aut professione, nam id locum habere non potest in casu nostro, in quo non cadit professio Religionis, sed simplex promissio

missio ex supra allatis, quare si Sanctus Ludouicus gestauit habitum Religiosum, seu vestes Religiosas, vt testatur præcitatos ab eo Bonif. VIII. illæ sine dubio sunt Franciscanæ Religionis, & Tertij Ordinis, vt habemus ex traditione omnium Cronistarum, & non ex deuotione, sed ex licentia superiorum, & promissione simplici seruandi illum viuendi modu, quem Tertiariis præscripsit Sanctus Pater, vnde fuit verus Frater Tertiarius, nam Cronistæ non solent facere mentionem de illis, qui ex deuotione, seu voto proprio sine licentia Prælatorum induunt habitum alicuius Ordinis, cum huiusmodi assumptio habitus ab aliquo superiore non pendeat. Remanet ergo quod sit verus Frater Tertiarius ex assumptione habitus & promissione viuendi iuxta morem aliorum Fratrum huius Ordinis, aliter huiusmodi gestatio habitus, maximè cum caputio, sine dictis qualitatibus præsumeretur potius temeraria, quàm deuota contra instituta Religionum, & earum superiores, qui non patiuntur aliquem ferre habitum Religiosum sine illorum licentia, quod non est dicendum respectu huius sancti, qui omnes actiones com magna prudentia, & intimo spiritu dirigebat in Christum. Adde quod communissima opinio est, sanctum Regem gestasse habitum Tertij Ordinis, & nemo vsque adhuc asseruit tulisse ex deuotione, ergo neque noster Doctor hunc nouum loquendi modum introducere debebat, nouitates enim discordias generant, *cap. Cum consuetudinis 9. de consuetudine*, *Nau. tom. 4. de iudic. not. 6. num.* 68. Sed simpliciter asserere cum aliis poterat S. Regem Fratrem Tertiarium ductum illa vniuersali Regula: Verba in potiori significatione sunt accipienda, *Barbosa Vaz. in suis locis commun. lit. V. num.* 23. Et verba intelligenda sunt secundum vulgatum modum loquendi *cap. Ex literis 7. de sponsal. Glos. ver. Vltra duas dietas cap. Nonnulli 28. de rescr.* Modo verbum hoc Frater in potiori significatu accipitor pro eo, qui verè est Frater de licentia Prælati habitum gestat ea conditione, & qualitate, quibus cæteri, aliter impropriè loquerentur Cronistæ, quod non est dicendum, tales enim quiserunt habitum ex deuotione, & non agnoscunt alium superiorum, quam propriam voluntatem, ficti sunt Fraties, & impropriè tales. Den um, nonne Nouitij intra annum probationis sunt veri Fratres; pariter Terzini degentes intra claustra cum Regularibus, ferentes habitum imperfectum, hoc est, sine caputio, qui quatenus tales non profitentur, si in Religione moriantur cum habitu illo, nonne omnes illi sunt verè Fratres de Tertio ordine, licet nunquam profeserint, ergo, & Sanctus Ludouicus verus Frater fuit Tertiarius, non obstante professione non emissa. Vnde illud axioma: Habitus. non facit Monachum, sed professio *cap. Porrectum 13. cap. Ex parte 22. de Regul.* procedit in illis ordinibus in quibus Regula præscribit proficiendum esse ex voto, ad quod non constringit Tertius Ordo ex probaris.

41 Respondendum modo est ad obiecta in contrarium; duo enim prima supponunt in hoc ordine emitti professionem presse acceptam pro solemnizatione trium votorum, quod tamen negatum supra probatum fuit; nisi accipiamus nomen professionis, pro speciali modo viuendi diuerso ab aliis, vt professio coniugatorum, clericorum, &c. *arg. cap. fin. dist.* 41. & quis audet negare huiusmodi professionem emissam non fuisse à Sancto Rege? quod si illi Historici huius rei mentionem non fecerunt, parum refert, præterquam quod erant alterius Religionis, & forsan ex Sancta æmulatione tacuerunt hoc speciale, erubescentes talem Regem propriam eorum Religionem gestatione habitus, & morum probitate non illustrasse. Deinde ex authoritate Sanctissimi Bonifacij potius colligitur nostra conclusio, quam noua nostri Doctoris, quia si tulit vestes Religiosas, ergo Franciscanæ Religionis, non primi Ordinis, in quo coniugati non admittebantur, ergo Tertij Ordinis, qui non respuit coniugatos, inter quos fuit Sanctus Ludouicus. Hoc idem probat Cantipratus, fuisse nimirum Fratrem Tertij Ordinis, hoc ipso, quod dicit se Regem vidisse habentem caputium capitis suspensum super scapulas, nam & Tertiarij etiam tunc ferebant caputium capitis ab ineunte Religione; est siquidem duplex Caputium, vnum dictum à capite, quod tegit, & ideo 42 Cantipratus non dicit absolute Caputium sed Caputium capitis, & hoc omnes antiquitùs ferebant tam fratres primæ regulæ, quàm tertiæ consutum tunicæ, quo modo gestant nunc Capucini, & ferunt ereoitæ, Alterum dicitur potius scapulare ab Officio tegendi scapulas, quo antiquitus non vtebantur, Fratres, vt colligitur diuersis locis Cronic. Quod secundum caputium continuatur compitiori caputio, ad cuius distinctionem à Summis Pontificibus vocatur Mozeta, & Scapulare. Neque regula Nicolai IV. aliquam mentionem facit de his caputiis ea prohibendo, vel concedendo Tertiariis. De caputio, & Corrigia satis dixi *resol.* 35.*q.*22.

RESOLVTIO XXXI.

De Oraculis viuæ vocis.

SVMMARIVM.

1 *Oraculum quid sit?*
2 *Concessa Prælatis contra subditos non sunt sublata.*
3 *Gratiæ omnino fauorabiles non sunt sublatæ.*
4 *Indulgentiæ adhuc durant.*
5 *Cassata sunt oracula aliàs etiam confirmata.*
6 *Durant postea per Bullam concessa.*
7 *Oracula declaratiua non sunt sublata.*
8 *Oracula successiua sublata.*

Papa Gregorius XV. in sua Constit. *Romanus Pontifex*, Dat. 2. iul. public. 5. Septembris, reuocat quascumque concessiones spirituales, & Ecclesiasticas viuæ vocis oraculo à Sede Apostolica factas, exceptis oraculis factis Cardinalibus, eorum manu firmatis, ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque fauorem, pro ipsis, vel aliis concessis; verba autem ea parte sunt sequentia, *Omnia autem, & singula indulta facultates priuilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam ad exterius spectantia, ac tam ad supplicationem partium, quam motu proprio, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen viua vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque, ex quauis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusuis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium*. Et infra, *non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, qua non sunt sortita effectum, tenore præsentium reuocamus*. Et infra. *Primis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis viua vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumque fauorem, propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.*

Postea Vrbanus VIII. in sua Constit. *Alias felicis recordationis*. Dat. 20. Decembris 1631. reuocationem factam à Gregorio XV. extendit ad quæcumque oracula etiam obtenta à Cardinalibus, & eorū manu firmata, & ad instantiam quoq; Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque concessa religiosibus quibuscumque earumque superioribus, aut personis. Mandat autem sub pœna excommunicationis, priuationis officiorum dignitatum, vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda Generalibus, vt infra tres menses à die publicationis,

publicationis, certiores faciant suos Prouinciales de his literis, qui sub eisdem pœnis debent præcipere Localibus, vt easdem publicent suis subditis. Circa quas constitutiones nonnulla dubia suborta expedienda sunt. *De his vide Peyrinum tom. 3. cap. 12.*

Quæres autem 1. Quid sit oraculum viuæ vocis & quæ eius efficacia?

1 Respond. Oraculum viuæ vocis est concessio, seu gratia oretenus facta sine scriptura à Summo Pontifice. Et cum non possit probari nisi adsit scriptura in forma authentica vel saltem duo testes idonei, aut firmatum manu alicuius Cardinalis, Ideo Leo X. oretenus voluit valere tantum pro foro conscientiæ, & non esse minoris valoris, & efficaciæ, quam si per Bullam, aut Breue essent concessa huiusmodi oracula, prout asserit *Rodr. tom. 1. quæst. 7. art. 5. & tom. 3. quæst. 22. art. 1. & 2. &* cum eo *Portel. ver. eod. & Compend. resolut.* 117. Quod si adsit scriptura adduci possunt pro foro externo. Supradictus Leo viuæ vocis oraculo concessit, vt Maiores Superiores, nempe Generalis, & Prouincialis in suis Capitulis cum consensu Patrum possent limitare, & etiam tollere vsum huiusmodi oraculorum, vt docent præcitati *Rodr. tom. 3. art. 3 Compend. & Portellus.*

Quæres 2. An priuilegia viuæ vocis oraculo concessa fauore superiorum contra subditos, sint reuocata per dictas Bullas? Exempli gratia, in præcedenti quæsito, assertum fuit Leonem X. viuæ vocis oraculo concessisse, posse superiores maiores à suis subditis tollere vsum priuilegiorum viuæ vocis oraculo concessorum, an hoc sublatum sit?

2 Respond. Non sunt reuocata, nam præfati Summi Pontifices non videntur loqui de huiusmodi, vt colligitur ex causa finali, quæ illos mouit ad hanc reuocationem faciendam, nempe quia illorum vsus erat vt plurimum in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, illis verbis. *Minus Canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplina Ecclesiastica detrimentum executioni demandari.* Causa autem finalis est illa, quæ restringit, aut ampliat constitutionem ad limites suos. *l. Cum pater §. Dulcissimis ff. de legat. 2. & docet Host. quem refert, & sequitur Panorm. in c. Ecclesia, de Immun. Eccles. num. 5. & 6.* sed vsus dicti priuilegij, & similium nequaquam est in detrimentum, neque potest esse Ecclesiasticæ disciplinæ, sed potius in illius conseruationem maximè apud religiosos, qui suas voluntates reposuerunt in manu Superioris. Infra *q. 7.*

Quæres 3. An illæ gratiæ, quæ omninò fauorabiles sunt, & nulli possunt esse præiudiciales reuocatæ sint? Exempli gratia concessio recitandi Officium Conceptionis B. M. Virginis singulis Sabbatis non impeditis iuxta quod dixi *præced. conf. 30. q. 24.* Dicendi illam orationem, *Sacrosanctæ*, de qua ibidem *qu. 23. §. 2.* Faciendi commemorationem Sanctorum Ordinis sub vna Antiphona. *Vos Sancti Dei incliti.* viuæ vocis oraculo facta à Sixto IV. *Oraculo 21. apud Compend resol. 24. num. 16. §. Sixtus.*

Respond. Non sunt sublatæ. Propter adductam

3 rationem præcedenti quæstione, & Confirmatur, quia reuocatio sonat in malam partem, & ideo inducitur, quia aliàs reuocatum erat præiudiciale; modo concessiones relatæ supra ita sunt merè fauorabiles, vt neque per accidens possint alicui nocere, ergo non intelliguntur reuocatæ, sed persistere in suo robore, quod valde consentaneum est, cum sint multum vtiles.

Quæres 4. An sublatæ sint indulgentiæ viuæ vocis oraculo concessæ?

Respond. Non, Tum quia nulli præiudicant. Tum

4 quia de his nulla fit expressa mentio, sicut enim istæ intelliguntur concessæ, nisi de illis fiat expressa mentio, ita neque sublatæ sine illarum expressa mentione, indulgentia enim est maximum priuilegium, quod ideo non venit sub communi nomine aliarum concessionum, & gratiarum. Tum quia id videtur colligi ex *Nau. consil. 17. de pœnit. num. 3.* dum dicit ea non venire sub nomine indultorum, & gratiarum, quas solent reuocare Summi Pōtifices initio suæ assumptionis per regulas Cancellariæ. *Ita tenet Peyrinus tom. 3. ad hanc constit. Vrbani VIII. cap. 12. numero. 1. ad finem.*

Quæres 5. An priuilegia viuæ vocis concessa, sed postea per alios Summos Pontifices confirmata per Bullas, etiā ex certa scientia, seu plenitudine potestatis, ratione quarum clausularum intelliguntur non solū confirmata, sed etiā de nouo cōcessa, & innouata, vt fecit Paul. IV. const. *Ex Clementi*, apud Confect. p. 185. Greg. XIII. cōst. *Ex benigna*: Confect. pag. 147. Sixti V. *Et si Mendicantium*. Confect. pag. 276. Clem. VIII. Cōstit. *Ratio pastoralis*: apud Confect. pag. 286. intelligantur, inquam, reuocata huiusmodi priuilegia, viuæ vocis oraculo concessa, sed per Bullas ex certa scientia expresse confirmata, & innouata? Negatiuam responsionem, nempe non esse reuocata viuæ vocis oracula concessa à Summis Pontificibus vsque ad Gregorium XIII. inclusiuè, qui ea innouauit ex certa scientia tenet Peyrinus *tom. 3. de priuil. cap. 15. ad eam Const.* Vrbani VIII. num. 1. debebat etiam negare vsque ad Clem. VIII concessa, quia, vt patet ex citata eius Constitutione illa innouauit. Rationem affert & inquit. *Quia iste etiam Pontifex* (Gregorius nimirum) *ea omnia confirmauit per suam constitutionem primam ex certa scientia, quam habes tom. 2. nostrorum priuilegiorum in Greg. XIII. quæ clausula habet vim nouæ concessionis. Cum itaque isti duo Pontifices* (Pius V. nimirum, & Gregorius XIII.) *per confirmationem, & innouationem ex certa scientia, quæ nouæ concessionis vim habet, priuilegia viuæ vocis oraculis concessa confirmarint in genere, & in specie per suas particulares constitutiones, iam illa desinunt esse concessa per viuæ vocis oraculum, sed sunt concessa per nouas dictorum Pontificum constitutiones, quare sub ista reuocatione cadere non videntur, saluo semper meliori iudicio, & stylo Curiæ Romanæ aliter interpretante, & sentiente.* Quibus tamen non obstantibus,

Respondeo. Prædicta oracula sic confirmata, & 5
etiam innouata reuocata fuerunt. Quod alia ratione non probo, nisi impugnando argumentum Peyrini, nam falsum est, priuilegia concessa viuæ vocis oraculo confirmata, & innouata per Bullas Pontificias, non dici amplius concessa per oracula, sed per constitutiones, ac proinde amisisse nomen & vim Oraculi, quod vt falsum probo, quia adhuc remanent oracula, ac consequenter subiecta reuocationi, aliud est enim, aliquod priuilegium confirmari, & innouari, si alias non subsistebat, quod fit per confirmationem ex certa scientia, seu ex plenitudine potestatis, aliud transire in naturam, & conditionem Bullæ exuendo nomen oraculi, priori enim modo Oraculum innouatum adhuc remanet oraculum, quia per confirmationem, seu innouationem non mutatur natura, & conditio eius, aliter non esset eius confirmatio, sed nouum, esse alterius rei: huiusmodi ergo legales actiones rem, quæ antea erat, magis in esse confirmant, illi non auferendo suum nomen pristinum, in quo sensu cum ea priuilegia fuerint confirmata vt oracula à dictis Pontificibus concluditur reuocata fuisse à Gregorio XV. & Vrbano VIII. Posteriori autem modo, si qua sunt sic confirmata, & innouata, nulla mentione de ipsis facta vt oraculis in actu signato, non amplius oracula sunt, sed priuilegia per Bullas, aut Constitutiones concessa, ac proinde in hoc sensu non intelliguntur reuocata, eo quod nunc nulla ratione sunt oracula; dicuntur autem transire in Bullam, quotiescumque Papa in sua constitutione, aut de illis non meminit in actu signato, aut ea priuilegia exprimendo concedit non habito respectu ad præteritum ac si nunquam concessa fuissent, vt oracula: exemplum affero in recitatione Diuini Officij, in quo viuæ vocis oraculo priuilegia Regulares habebant dispensandi cum suis subditis ratione infirmitatis,

prædicationis

prædicationis, Lectionis, &c. iuxta ea, quæ dixi *praced. resolut. 30. qu. 12.* sed postea illa transierunt in Bullas & Constitutiones Clem. VII. & Pauli III. nulla mentione facta, quod antea essent viuæ vocis oracula.

Quæres 6. An priuilegium per Bullam vni Religioni concessum, & viuæ vocis oraculo alteri concessum intelligatur reuocatum his?

6 Resp. Peyrinus super dictam Bullam Vrbani VIII. *num. 2. per Turrianum. part. 2. select. disp. 16. dub. 5.* non esse reuocatum, quia gratia concessa per viuæ vocis oraculum hoc modo, intelligitur omnino sicut Apostolicum diploma. Confirmatur, quia communicare vni Religioni priuilegia alterius, idem est, ac illi eadem concedere, sicut concessa fuerant priori Religioni *Confect. tit. 1. cap. 5. Rodr. q. 8. art. 4. q. 55. art. 21.* & in eo casu priuilegium iam concessum non euadit oraculum per communicationem factam oretenus sine scriptura alteri Religioni, sed adhuc remanet concessum per Bullam per adiectionem modi concedendi, nimirum ore tenus sine scriptis, quod vt quid accidentale non habet tantam vim, vt immutet stabilitatem priuilegij Bullari.

Quæres 7. An sub hac reuocatione veniant priuilegia declaratiua aliorum priuilegiorum, sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum, aut statutorum Religionis.

7 Respond. Lezana Carmelitan. *in sua summa qu. regul. cap. 3. num 21.* & ex eo citato *Peyrinus cap. 12 ad dictam Bullam num. 3.* seipsum citans *tom. 2. priuileg. ad Constit. 8.* Pauli V. non venire. Adde tu rationem, quia huiusmodi declaratiua non sunt in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, sed multum conducunt ad conseruationem Religiosorum in Regulari obseruantia. Faciunt dicta sub *q. 2.*

Quæres 8. An viuæ vocis oracula, quæ suum effectum sortita fuerunt ante hanc reuocationem, licet effectus habeat tractum successiuum in futurum, intelligantur reuocata? *Negat Lezana in sua summa quæstionum regul. cit. cap. 3. num. 21. & ex eo Peyrinus cit. n. 4.* quia Papa id non explicat.

8 Respond. Viuæ vocis oraculum, quod habet in suo effectu vnicum actum successiuum, non reuocatur, donec perficiatur: vtque vero si eius actus multiplicari potest successiuè, ita quod vnus effectus ab alio non dependet, & probatur ex verbis ipsius Bullæ Gregor. XV. ibi. *In ijs videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium reuocamus.* Illa ergo indulta, quæ nondum sortita sunt effectum, idest quorum nullum priuilegiatus sensit emolumentum, non reuocantur, quare ad reuocationem sufficit si effectus totalis, propter quem petita sunt, verificatus sit pro ipso indigente; explico id totum exemplo duplici; Primo Priuilegium viuæ vocis oraculo concessum religioso confessori dispensandi quemdam in voto Peregrinationis Ierusalem, non intelligitur reuocatum, si ille religiosus impetrans nondum dispensauit, hoc enim modo nondum sortius est suum effectum, & hoc Indultum nullum dicitur habere tractum successiuum. Quod si is religiosus haberet absolutè hanc gratiam viuæ vocis oraculo absoluendi quemlibet ad se accedentem ab hoc voto, in hoc casu, penitus intelligitur reuocatum hoc priuilegium, quamuis nullum hactenus dispensauerit, quia licet non sit sortitum effectum, quo ad dispensandum, habuit tamen suum effectum ex parte ipsius priuilegiati, respectu cuius dicitur gratia facta illi, in quo differt à priori casu, in quo gratia non dicitur facta, sed facienda, cum fuerit concessa illi religioso potius fauore indigentis dispensatione, quàm ipsius religiosi, cui parum prodest illud indultum. Secundò priuilegium viuæ vocis oraculo concessum comedendi lacticinia in Quadragesima dicitur habere suum effectum successiuum, quem non dicitur sortiri, nisi peracta Quadragesima, ac proinde istud non dicitur reuocatum, quia nondum sortitu est suum effectum neque primarium, neque consequentes, quia hi multiplicati successiuè se habent per modum vnius; quod non verificatur in facultatibus absoluendi, dispensandi, & similibus plures effectus successiuè in seipsis perfectis inter se non dependentibus producentibus.

RESOLVTIO XXXII.

De Religiosis appellantibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus an potuerit carcerare recurrentem ad Superiorem.*
2 *Tria dubia de recursu ad Superiores.*
3 *Appellatio conceditur Religiosis.*
4 *Verbo, vel facto.*
5 *Concilium non prohibet iustam appellationem.*
6 *Ordinariorum nomine ibi solum Episcopi.*
7 *Correctionis non datur appellatio. 29.*
8 *Priuilegia habent interdicentia appellationem.*
9 *Referuntur.*
10 *Pro Tertiariis nullam priuilegium negans appellationem.*
11 *Religio non communicat in illis priuilegiis.*
12 *Priuilegia communicantur secundum fauorem, non odia.*
13 *De dictis priuilegiis agunt Doctores.*
14 *Ad seculares non fit recursus.*
15 *Nisi pro tollendo manifestum grauamen in defectum Superiorum.*
16 *Recursus per simplicem querelam.*
17 *Recurrentes incurrunt pœnas.*
18 *An excommunicationem Bulla Bœna.*
19 *Resoluitur negatiuè.*
20 *Interdicta appellatio non tollit querelam.*
21 *Ordo procedendi in appellatione.*
22 *Appellatur ad Sacram Congregationem.*
23 *Ad legatos à latere.*
24 *Non ad Nuntios.*
25 *Neque ad Episcopos.*
26 *Appellatio fit per saltum.*
27 *Et valida est.*
28 *Appellans sine licentia petit Vrbem.*
29 *Correctionis secundum regulam non datur appellatio.*
30 *Appellatur à statutis si causa subsit.*
31 *Negans appellationem peccat mortaliter.*
32 *Recusari potest Superior vt iudex.*
33 *Impediens appellationem non est excommunicatus.*
34 *Neque etiam in Bulla Cœna.*
35 *Megalij opinio reiicitur.*
36 *Appellatio non suspendit Officium appellantis Superioris.*
37 *Appellatio suspendit executionem sententiæ.*
38 *Querela ad Episcopum ferri potest in manifesto grauamine.*

EPiscopus N. fecit carcerare quendam Religiosum repertum sine licentia sui Superioris, putans eum esse fugitiuum, & desertorem sui instituti, ac proindè habere ius illum puniendi virtute *cap. 4. sess. 25.* verba autem sunt ista. *Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum, tanquam desertor sui instituti puniatur.* Carceratus autem se tuetur dicendo non esse fugitiuum, neque apostatam, sed recurrere ad Superiorem maiorem, de facto appellando ad ipsum ob grauamen sibi illatum, neque in dicto capite prohiberi iustam appellationem, sed friuolam, & vanam nullum supponentem grauamen, aut saltem leuissimum; & casu ibi inuenitur alius Religiosus cum sua obedientia, fidem 1

faciens, cum non esse apostatam, neque fugitiuum, sed verè recurrere ad superiorem ob grauamen iniquè illatum, vnde Episcopus illum dimisit impunitum. Vide *consil. 7. initio*.

2 Quæruntur hic tria. Primo, an recursus ad superiores sit appellatio de facto? Secundò, An Concilium sufferat quemcunque recursum etiam licitum sine obedientia ad superiores; Tertio, an nomine ordinariorum locorum veniant soli Episcopi, an alij Prælati exempti, & nullius Diœcesis.

3 Primò, certum est omnes regulares se grauatos sentientes à suo Prælato appellare posse ad superiorem ad effectum tollendi grauamen, & hoc habent de iure naturæ, sicut cæteri hominum, quibus non sunt deterioris conditionis, maximè in naturalibus, appellatio siquidem nihil aliud est, quàm naturalis defensio à grauamine illato, vel inferendo, est ergo debita de iure naturæ quod ad substantiam, natura enim dictat ex suo instinctu, vt vnusquisque grauatus se defendat, vt fecit D. Paulus appellando ad Cæsarem Act. 25. secundum formam verò, & modum, est de iure positiuo, vt videre est titul. de appellationibus, & ita omnes docent nullo discrepante, & in specie de Regularibus *Nau. tom. 2. comment. 3. de regul. n. 51: & cons. 4. de Appell. Suar. li. 12. ca. 17. n. 38. quem pro se citat Ghisilerius de iudice regul. cap. 15. n. 58. Rodr. tom. 1. q. 29. ar. 2. cum suo Compend. resol. 10. Portel. ver. Appellare, Mirand. qu. 19. de ordine iudic. n. 35. de communi testatur, Sanch. li. 6. cap. 8. q fin.* Probatur tum authoritate, Act 25. vbi D. Paulus verus Christi seruus & religiosus appellauit ad Cæsarem, & *cap. Omnis oppressus, cap. Licet, cap. Appellantem 2. q. 6.* omnibus indifferentes conceditur facultas appellandi, ergo & regularibus, cum & ipsi sint subiecti iuri communi, ac cæteri fideles; tum ratione, quia id non est effugere sui superioris obedientiam, sed se vindicare ab iniuria, seu violentia illata, seu inferenda, quod omnibus iure naturæ conceditur, & in hoc religiosus habet velle & nolle, quod in naturalibus à se non reiecit, neque renuntiauit per professionem, sed sibi retinuit hoc ius se defendendi à suo superiore, quoties iniustè grauaretur, vt docent omnes cum præcitatis, loquendo de iure communi, nam quidam, vt *Sotus li. 5. de iustitia q. 6. art. 3. & ex eo Mir. cit. q. 29. n. 39.* dicit vnamquamque fere religionem de iure speciali habere priuilegium prohibens appellare à sententiis suorum superiorum, sed huiusmodi priuilegia intelligenda sunt, quando nullum est grauamem, nisi imaginarium, vel saltem leue, iuxta mox dicenda *q. 2.*

4 Potest autem religiosus appellare ad superiorem maiorem duobus modis, vno modo appellando iudicialiter per scripturam continentem expressè grauamen, & nomina a quo, & ad quem superiorem fit appellatio, cap. *Cum sit Romana, cap Vt debitus cap. Causam, de appel. & cap. 1. eod. in 6.* facienda autem est intra decem dies à die latæ sententiæ, *ca. Anteriorum 2. q. 6. referente Ghisiler. cap. 15. n. 31. 32.* & hæc vocatur formalis appellatio. Altero modo contingit appellatio de facto, cum nimirum Prælato eam negante, subditus insalutato hospite, vt aiunt, recurrit ad superiorem, vt sibi iustitiam ministret, auferendo grauamen illatum, vel remouendo periculum incidendi in illud, de qua re vide *cap. Dilecti 52. de appell. Nau. cit. nu. 51. §. Ad 4. cons. 5. de appell. num. 7. Rodr. tom. 2. q. 30. art. 3 & tom. 2. q. 55. art. 10.* ad finem cum suo Comp. *resol. 10. n. 3.* iste igitur recursus ad superiorem vocatur appellatio de facto, quæ iusta est, & de iure naturæ defensio in dicto Concilio non prohibita, vt mox probo. *Ita præcitati cum Miranda tom. 1. q. 51. art. 1. concl. 1. ad finem.*

5 Secundò in Concilio non prohibetur iusta appellatio ex præsupposito grauamine, *vt docet Nau. tom. 2. Comm. 3. de Regul. n. 51. §. Ad quartum, & ex eo Rodr. tom. 1. q. 30. art. 4. in fine. Azor. par. 1. lib. 12. c. 11. q. 8. Suar. lib. 12. cap. 17. n. 38. ad 49. & ex eis Sanch. lib. 6. c. 8. n. 102. Barbosa ad dictum cap. num. 10. & 11.* Itaque in eo capite non prohibetur recursus ab superiorem, vt liberetur ab iniqua vexatione, sed solum, quando grauamen est apparens, vel nullum, aut leue.

Tertiò, sub nomine ordinariorum locorum veniunt 6
solum Episcopi, non autem alij Prælati, quia isti nullum ius habent in regulares, vnde existentes in eorum territoriis eximuntur semper, & viciniori Episcopo subiiciuntur in aliquibus casibus, vt obseruaui *resol. 36. quæst. 12.*

Quæres autem 1. Cùm Prælatus regularis in castigando suos delinquentes subditos procedere possit duobus modis; primò, vt pater corrigendo potius, quàm puniendo omisso processu; secundò, vt iudex fabricando processum, & iuxta allegata, & probata sententiando, in quo posteriori sensu non est difficultas, appellationem habere locum, si iniqua est sententia, vnde illa pendet tota ex primo modo, An scilicet religiosi pœnitentiati possint appellare à correctione suorum Prælatorum?

Respond. Non licèt appellare à correctione legiti- 7
mè facta secundum constitutiones Ordinis, nisi quando superior corrigens excedit modum. Probatur de iure communi, *cap. Licet in Corrigendis 12. cap. Irrefragabilis 12. de offic. ordin. cap. Ad nostram, cap. Reprehensibilis, cap. Cum speciali, de appell.* Ratio est, quia appellatio non conceditur vbi non est grauamen, *cap. Vt debitus, de appell.* non præsumitur autem in Superiore corrigente iuxta constitutiones Ordinis, vnde appellans prætextu grauaminis, debet in illa exprimere causam grauaminis, *vt docent Canonistæ super cap. Ad nostram cit. de appell.* quos cumulat *Sanch. lib. 6. cap. 8. num 103* Ita docent *Nau. tom. 2. com. 3. de regul. num. 11. & consil. 4. de appell. Rodr. tom. 1. q. 29. art. 2. & 3. & tom. 2. quæst. 53. art. 10. in fine, Portel. ver. Appellare n. 1.* alios citat *Barbosa ad c. 4. sess. 25. n. 11. Sanch. lib. 6. cap. 8. n. 102. Mirand. q. 29. de ordine iudic. n. 36.*

Procedit responsio quouis modo puniatur subditus, siue extraiudicialiter, siue in iudicio, formato processu, in vtroque enim casu potest contingere grauamen, propter quod tollendum datur locus appellationi. *Ita dicunt Abbas, Alexander de Nevo, & Præpositus in cap. Speciali, §. fin. de appell.* & ex eis *Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 103.*

Habet locum eadem responsio non solum, quando grauamen est manifestum, sed etiam dubium, loquendo de iure communi, *vt colligit Sanch. lib. 6. cap. 8. n. 110. ex cap. Cum speciali, §. Porro, de appell.* & ibi Doctores ex *Sila. ver. Appellatio q. 12. n. 13.* & ex *Sanch. Compend. resol. 10 n. 13.*

Quæres 2. An apud Regulares extent priuilegia interdicentia appellationem regularibus à correctionibus, ordinationibus, & mandatis suorum Prælatorum? & quomodo sint intelligenda?

Respond. Extant priuilegia interdicentia appellatio- 8
nem religiosis, quæ intelligenda sunt secundum ius commune, nempè appellationi non esse locum, quando nullum est grauamen, vel saltem leue, posito autem vero grauamine, quod sit alicuius momenti non intelligitur prohibita appellatio per priuilegia, quæ iustà referam, quia aliter essent iniqua, & fouerent iniustitiam, & dolum Superiorum. *Ita Rodr. tom. 1. quæst. 29. art. 2 Suar. lib. 12. cap. 17. num. 38. Nau. consil. 4. de appell. num. 4. & tom. 2. com. 3. de regul num. 51. §. Nec obstant,* & ex eis *Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 110.* Ponit tamen Sanch. cit. differentiam inter ius commune, & ius priuilegij interdicens regularibus appellationem, quòd ius commune illam non tollit, quando grauamen est dubium, vtique verò tollunt priuilegia quando est incertum; & solum concedunt, quando est manifestum, & magni momenti, quod est necessarium, vt priuilegia huiusmodi operentur aliquid præter ius commune, & *Sanch.*

sequuntur

sequuntur Compend. resol. 10. n. 3. & Mirand. tom. 1. q. 51. art. 1. ab illo citatus concl. 1.

Priuilegia autem concessa Religioni Franciscanæ sunt ista, nam Bonif. VIII. statuit non licere Fratribus Minoribus à correctionibus suorum Prælatorum nullatenus appellare, *Sorbus ver. Appellare num. 1.* Eisdem de Obseruantia Greg. XIII. Constit. 27. *Quoniam nostro,* apud Confect. pag. 255. prohibuit appellare ad secularia tribunalia sub pœna excommunicationis sibi reseruatæ, & præterea priuationis Officiorum obtentorum cum perpetua inhabilitate ad ea, & alia quæcumque atque vocis actiuæ, & passiuæ, quas pœnas statuit incurrere etiam appellantium consultores, & fautores directè, vel indirectè. De qua constitutione *Portel. ver. Appellare in addit. num. 3.* & ex eo *Compend. resol. 10. num. 14. & 15.* asseruot excusari à dictis pœnis recurrentes per modum simplicis querelæ, *de qua re ego infra q. 3. Mirand. q. 29. de ordine iudiciar. num. 44.* an sub nomine secularium tribunalium venire, quæcumque extra Religionem, excepto tribunali Papæ, & Sacræ Congregationis, ac proindè incurrere appellantes ad Tribunalia Imperatoris, Regum Cardinalium, Legatorum, Episcoporum, & aliorum secularium, probat, quia Tribunalia, ad quæ prohibetur appellatio sunt non contenta in Regula Sancti Francisci, in qua exprimuntur solum Prouincialis, Generalis, Protectoris, & Papæ, addendo Sacram Congregationem, cui à Sixto V. hoc demandatum fuit; vt posset admittere appellationem. Sed non placet hoc eius dictum satis infirmum ex sua falsitate, vnde enim habet, sub nomine tribunalium secularium venire etiam Ecclesiastica, cum omninò sint diuersa, ac proindè ex vno expresso non infertur aliud, sed potiùs excluditur, vt in simili Const. *Romani Pontifices* 10. apud Confect. pag. 146. Leonis X, prohibendo Dominicanis appellationem, vel querelam inter seipsos coram tribunalibus tam secularibus, quàm Ecclesiasticis, quod Greg. pro Obseruantibus expressisset, si voluisset, excludere appellationem ad Ecclesiastica tribunalia per suam constitutionem. Nec obstat, quod ea Papa mandet, vt à Prælatis suis grauati prætendant, ad Generalem Ministrum seu Protectorem, vel ad Sedem Apostolicam appellare possint, quasi alios excludat; Siquidem dico hanc constitutionem, cum sit pœnalis solum prohibere recursum ad tribunalia secularia, ita quòd recurrens ad alia tribunalia Ecclesiastica extra Religionem non incurrunt dictas pœnas, quicquid postea sit de recursu, siue legitimus, an illicitus, & nullus vti ad iudicem non competentem.

10 In Religione Tertij Ordinis nullum extat super hac re priuilegium, vnde appellare possunt ad suos legitimos Superiores nempè ad Prouincialem, Generalem, Protectorem, Sacram Congregationem, & Papam, isti enim sunt illorum legitimi iudices, non solum quando grauamen est manifestum, sed etiam dubium iuxta ius commune, quod hoc concedit omnibus, ac proinde etiam Religiosis quibuscumque, vt dixi hic in responsione, quod auferunt constitutiones prohibentes appellationem, quam solum admittunt, quando grauamen est clarum, & manifestum; per hoc tamen non conceditur illis, nec habent facultatem appellandi ad tribunalia Episcoporum, & aliorum Ecclesiasticorum, qui non sunt eorum legitimi iudices, iuxta quod dicam infra, & multo minus ad secularia, cum id omnibus Ecclesiasticis omnino sit interdictum, vt mox dicam.

11 Dubium est, an nostra Religio communicet in eo priuilegio interdicendi applicationem ad tribunalia secularia in Ordine ad illas pœnas, nam omnes Religiones communicant in priuilegiis, & regulares nostri cæteris Franciscanis Conformari debent, vt dicit Pater Bonauentura in Epistola post caput vltimum Regulæ, sed id recepisse ex libro, cui titulus est Fundamenta, seu Monumenta trium Ordinum, si autem hoc priuilegium extenditur ad nostram Religionem, sequitur transgressores incurrere dictas pœnas.

Dico, cum priuilegia communicentur inter Religiones, secundum fauores, & non odia, vt docent *Rodr. tom. 1. quæst. 55 art. 17. ad finem, Mirand. 2. q. 46. art. 6. Sigism. dub. 56. num. 10. & 11. Portel. ver. com. priuil. nu. 10. Sorbus ver. eod. §. Notandum,* fundati in ea regula, quod fauores sunt ampliandi, odia verò restringenda; dictum priuilegium neque quo ad prohibitionem, neque quoad pœnas communicatum esse nostræ Religioni, nec obstat, quod cæteris Franciscanis conformari debemus, hoc enim non est lex, neque statutum, cum non reperiatur constitutio Pontificia, aut Ordinis, in qua id iubeatur, & licèt in quadam constitutione facta à quodam Patre Generali, habeatur declaratio, quod nomine, *Franciscanis*, veniant Minores de Obseruantia quibus conformari debent huiusmodi Religiosi, hoc non tollit difficultatem, quia ille Pater supponit, quod prius debeat reducere in constitutionem, & postea eam declarare; neque enim dicitur edita constitutio ea, quæ supponitur facta, aut si fiat solum in actu signato, nisi postea in actu exercito, & ad verbum publicetur in religione, in qua, vt obseruaui 27. ab hinc annis nonnunquam audiui publicare, aut pro publicatis legere constitutiones, seu statuta, & Ordinationes aliorum Ordinum Franciscanorum in hac Religione, quare in ea nullam vim habere possunt, quomodo enim subiectus sum legi, & debeo obseruare legem, quæ mihi nunquam publicata, aut declarata fuit? Non extenditur ergo dictum priuilegium ad nostram Religionem, nisi de facto superiores condant statutum, per quod intendant illud obligare huius religionis religiosos illud publicando, & faciendo obseruare, ac si in specie illi contentum fuisset. 12

Priuilegia aliarum religionum prohibentia appellationem siue intra, siue extra religionem, referunt præcitati *Sanch. lib. 6. cap. 8. nu. 107. Rodr. q. 29. art. 2. Mirand. de Ordine iud. q. 29. nu. 39. Confect. pro Dominicanis ex Iulio II. pagina 122. ex Leone X. pag. 146. Compend. Sorbi ver. Appellare, Peregr. in suo Compend. ver. eod.* 13

Quæres 3. An prædicta priuilegia interdicant recursum ad tribunalia extra Religionem non solum per formalem appellationem, vt visum fuit, sed etiam per modum simplicis querelæ, implorando auxilium, & fauorem Principis secularis contra grauamen; procurando remedium, vt tollatur? De qua re vide *Dianam tom. 3. de immun. resol. 53. & tom. 2. tractat. 1. de immun. resol. 13.* referentem Doctores pro vtraque parte.

Resp. In isto recursu per modum querelæ grauatus procedere potest duobus modis; vno, simpliciter absque vlla forma iudicij procurando fauorem alicuius magni viri, seu principis, qui placando iudicem petat remissionem pœnæ, seu grauaminis, instando, & rogando superiorem regularem, vt cum suo subdito mitius agat parcendo illi; & in hoc sensu dicta priuilegia non prohibent recursum ad Principem secularem, quia in hoc casu nullum apparet vestigium alicuius actus iudicij, & tribunalis, cum de facto non suspendatur iurisdictio in superiore, neque eius acta examinentur, aut censurentur, sed solum rogatur fauor querelati. *Sic docet Portel. ver. Appellare Addit. ad adit. num. 2.* vbi dicit Minoritis etiam hoc esse interdictum per statutum Segouiense sub pœna arbitraria, & excommunicationis latæ à Paulo V. de qua vide eundem ver. Officia Ordinis fuse explicantem. Altero modo recurrendo ad iudicem secularem rogando, vt defendat ab imminenti, vel illato grauamine, procurando, vel vt cesset à grauamine, vel vt alios iudices assignet, videndo & examinando processum quatenus opus est; Itaque in isto casu secundo agit aliquem saltem actum iudicialem. Et in hoc sensu iudex secularis nullatenus potest se intromittere. Probatur de iura communi, *cap. At si clerici 4. cap. Qualiter 47.* Vbi id prohibetur expresse etiam defectu iurisdictionis *de iudic. cap. Nullus 2. cap. Si diligenti 12. de foro comp.* In quibus locis dicitur absolute, & simpliciter 14

laicam potestatem non esse competentem, & legitimum iudicem respectu personæ Ecclesiasticæ, ergo neque in casu repellendæ iniuriæ, & grauaminis, *& capit. Ad reprimendum 8. de off.ordin.cap. Sacro 48 de sent. excomm.* permittitur recursus ad Superiorem Ecclesiasticum: ergo nulla ratione fieri potest recursus ad potestatem laicam, & ratio est, quia hæc vt iudex omninò incompetens nihil efficere potest, fauore recurrentis, ita in genere tenent *Layman libro quarto tract. 9. capitulo 4. numero quarto. Azor.part.1.libro quinto cap. 18.& 14. Regin. libro 9. capitulo 22.numero 341. Sair. libro tertio capit. 18. n.6 & alij, quos pro se citat Diana tom.1. tract. 2 de Immun.resol.13.* Vbi pro contraria parte maximam Doctorum turbam citat, & multiplicat *tract.eod.part. 3. resol. 33.* quorum affirmatiua sententia in duobus fundatur, textu, & ratione, textus est D. Hieronymi relati *capit. Regnum 22.23.qu.5.* Vbi dicitur, quod Regum Officium proprium est facere iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos, ad quem textum dici potest eam non esse legem, deinde ad hunc, & quoscunque de hac re agentes respondetur, loqui de liberatione per modum supplicationis, rogando, vt grauamen auferatur, non autem iubendo, aut imperando, quia nullus laicus in nullo casu ius habet super Ecclesiasticos. Ratione insuper nituntur, quia dicunt se non cognoscere causas Ecclesiasticorum per viam iurisditionis, sed per viam iustæ defensionis, ad quod dico, hanc rationem benè procedere, si Ecclesiasticum grauatum procurent liberare præcise monendo, & exhortando iudicem Ecclesiasticum, vt bene negotium examinet, videndo an vere suus subditus deliquerit, & is verus est modus defendendi oppressum, non autem faciendo aliquos iudiciales actus pro illo liberando, per fas & nefas vt aiunt, qua ratione nullo modo saluare possunt, se non agere per modum iurisdictionis, cum huiusmodi actus iurisdictionales sint omninò prohibiti; Quod si in his se ingerunt, pessimi sunt iudices, alienam sibi vsurpantes iurisdictionem prætextu pietatis, & charitatis proximi, & ignorantes temerarij nescientes terminos sui iuris, & potestatis, hoc ipso, quod illos irrationabiliter excedunt; sed oportet patienter omnia ferre, quia potentiam superat iustitiam, & iniquitatem facit, & ideo de istis dicitur, quod potentes potenter tormenta sustinebunt. Huius opinionis Doctores non refero, quia maior eorum pars sunt seculares, & ideo suspecti, quia ita loquuntur, vt placeant suis Principibus, quibus dilatant, & ampliant etiam sibi ad inferiora viam iniquitatis, cum quibus nonnulli alij malignantur, quasi ingrati immemores sortis Domini.

15 Nonnulli aduersariorum opinionẽ admittunt in casu, quo nullus Ecclesiasticus vult administrare iustitiam in grauamine manifesto, *ita apud Dianam illa resolut. 13. quos ipse sequitur §. Sed ego, Malderus part.2. quæst. 96. artic.4. Portel. Addit. ad Addit. nu 4. mihi ver. Appellare, quem sequitur Sousa in Bulla Cœna Domini capitulo 15. disputat.78.nu.2* tamen dictus Diana postea in fine dicit non esse recedendum ab opinione Theologorum, quod confirmat *tom.1.resolut.cit.53* Sed dictus casus videtur de facto impossibilis, nam in his recursibus semper examinatur de existentia grauaminis, vnde ex hoc capite grauamen non est clarum, sed dubium, in dubio autem superior iudex est in possessione suæ iurisdictionis; in casu autem periculi ratione moræ, vel distantiæ legitimi superioris, tollitur difficultas, appellando ad legitimum superiorem, vsque ad summum Pontificem, in quo nullo modo nec leuiter præsumendum est aliquod iniquitatis vestigium, & quæ maior ratio præsumendi iniquitatem in iudice Ecclesiastico, quàm in laico quocumque etiam supremo? demum grauatus se tutari potest via supplicationis, & fauoris, vt initio dixi, consequenter is casus redditur impossibilis, & nullus in rerum natura. *Bonacina in suo Bullario disp.1.qu.15.p. 4. §.4.* respondet obiectis aduersariorum: nobiscum sentit etiam *Megal.lib.3.de cens.cap.10.num.4.*

16 Sed magis in specie redeundo ad regulares, dico hunc recursum per modum simplicis querelæ ad tribunalia secularia expresse prohiberi Minoribus de Obseruantia in supracitata constit. Greg. XIII. illis verbis. *Ad ipsa tribunalia Ecclesiastica quouis prætextu, aut quæsito colore, vt præfertur appellare* (ecce formalis appellatio) *vel illa propterea quoque modo adire audeant,* (ecce recursus titulo defensionis, per simplicem querelam) imò rem speculatiuua considerando hæc clausula. *Quoquo modo adire,* videtur prohibere quemcumque accessum etiam per modum fauoris, nam subditur. *Sed si à Prælatis suis grauati prætendant ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis seu illius Protectorem, aut vice protectorem in Romana Curia, vel ad nos, siue Romanum Pontificem successorem nostrum, supremum in Ecclesia Dei iudicem, sicut antiquitùs semper consuetum fuit, recursum habeant, vnde illis breui manu iustitia ministrabitur.* Ex quo clare habetur religiosum grauatum habere copiam legitimorum iudicum Ecclesiasticorum, ad quos confugere potest, siue per appellationem, siue per simplicem querelam, vnde nulla est necessitas recurrere ad seculares, quod confirmat particula, *Quoquo modo,* quæ est distributiua omnium modorum, sicut dictio quomodolibet, secundum *Archid.cit.in ca. Indemnitatibus 43.§. Si qua, de elec.in 6. per glo.ver. Quomodolibet,* ergo ibi includit omnem modum recurrendi, siue per appellationem, siue per simplicem querelam. Idem habetur pro Religione Dominicana in citata const. Leo. X. apud. Confect.pag. 146. vbi distinguit expresse querelam ab appellatione.

17 Colligitur ex his regulares putantes se grauatos, & recurrentes ad tribunalia secularia incurrere Dominicanos & Minores de Obseruantia, & alios in excommunicationem, & alias pœnas, si quæ sunt impositæ contra appellantes extra Religionem, siue recurrant per appellationem formalem, seu virtualem per modum simplicis querelæ, quia vtroque modo prohibetur in præcitatis Constitutionibus, & rationabiliter, cum aliis medijs possint se liberare à grauamine recurrendo ad suos superiores, quod illis non est prohibitum, vt probabo q.5. Oppositum de his pœnis consequenter ad sua principia tenet *Portel in 2. Addit.n.6 & ex eo Compend. resol.10.n.15.* asserentes religiosos grauatos posse recurrere, quando alioquin illis iustitia non ministratur à suis superioribus.

18 Difficultas autem est, an sic recurrentes incurrant excommunicationem 15. Bullæ Cœnæ Domini, nam ita asserit *Arrag.2.2.q.69.art.3.apud Mirand.qu.29.de ord. ind.num.43.* Vbi ex ipso dicit, quod iste casus est vnus ex contentis in Bulla Cœnæ Domini, in qua casu 25. cauetur, ne Ecclesiasticæ causæ coram iudicibus secularibus tractentur, & ne ipsis in eisdem se intromittant, de quo tamen dicit se nolle disputare. *Arragonam sequuntur Portel in Addit.num.6.& 7.* Vbi dicit esse decimamtertiam, seu decimamquartam, *Compend.nu.15.* dicit esse eam, quam assignat Arrag. neuter tamen eam tenet nisi ex suppositione, quod recursus sit prohibitus.

19 Ego dico in nullam ex illis tribus prænominatis sic recurrentem in casu nostro incurrere, quod ostendo adducendo quid in illis contineatur, & prohibeatur, nam decimatertia fulminatur contra appellantes à grauamine, vel futura executione literarum ad laicam potestatem; causa ergo à qua fit appellatio debet spectare ad Sedem Apostolicam, vt docent omnes super dictam excommunicationem; sed appellantes, seu recurrentes ad laicam potestatem regulares pro grauamine sibi illato à suo superiore, non appellant in causa Sedis Apostolicæ, ergo neque eam excommunicationem incurrunt. Neque decimamquartam, in qua excommunicantur solum trahentes ad se causas spirituales iudicum Ecclesiasticorum; in casu autem nostro non agitur de causa spirituali, sed temporali Ecclesiastica. Neque decimamquintam, in qua excommunicantur trahentes, vel procurantes, vt trahantur personæ Ecclesiasticæ iudiciaria authoritate ad sua tribunalia secularia; in

casu

casu autem nostro uullus trahitur, sed innocens liberatur à grauamine sibi illato. Neque puto illos incursere in sequentem decimamsextam, in qua excommunicantur, qui ad eludendum suorum iudicum sententias, & decreta, aut alias ad curias seculares recurrunt; procurantes in contrarium ordinationes, & mandata, atque illorum executionem contra illos, vel impedientes, quo minus sua iurisdictione vtantur: in casu autem nostro recurrens intendit sibi consulere remouendo grauamen, non autem aliquid facere ordinate contra suum iudicem, quem nec impedit à sua iurisdictione, cùm iam functus sit suo Officio. Quòd si ante processum inchoatum, vel datam sententiam impediat eludendo iudicium, puto neque tunc incurrere, quia Papa ibi excommunicat impedientes Prælatos ne sua iurisdictione vtantur, non quoscumque sed seculares hoc facientes authoritate publica; vt docet *Nauar.cap.27.num.71.§.Declaratio, Graff.part.1.lib.4.cap.18. num.139.* & ex eis *Bariola consil.9. §.Neque, Suarez in suo Enchir.tract.de contract.lib.6.super hac excomm.n.16. pag.mihi 436.*

Quæres 5. An quando prohibetur appellatio intra Religionem, sentiens se grauatum possit interdicto non obstante accedere ad superiorem per modum querelæ?

20 Respond. Potest, quia æquitas suadet, vt si religiosus grauatus, non potest se liberare ab iniuria inferenda, vel illata per viam appellationis, se vindicet per simplicem querelam ostendendo superiori, se iniustè vexari. *Ita docent Rodriq.tom.1.quæst.29.art.2.Sair.lib.12. cap.17.num.38.fine Nau.consil.5.de appell. num.8.* quos pro se citat *Sanch.lib.6.cap.8.num.110.in fine*, vbi subiungit, hanc querelam non suspendere iurisdictionem Prælati inferioris, donec inhibeatur. *Mirand.q.29. de ordin.iud.n.40.*

21 Quæres 6. Quo ordine, & ad quos iudices potest religiosus grauatus appellare, & recursum habere?

Respond. Gregorius XIII. in Constit.27. *Quoniam*, apud Confect. pag.235. dicit esse vsum antiquum recurrendi ad Generalem, seu ad Protectorem, vel ad Sedem Apostolicam. Sacra Congregatio super hac re speciale Decretum edidit sub his verbis. *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio secandum imminentem admissorum criminum pœnam ex suis constitutionibus, aut aliàs debitam, sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causari, non ad immediate sui Ordinis Superiores, scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiuscumque Religionis Constitutionibus disponitur; sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt, potius, quàm recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt. Placuit Sacræ Regularium Congregationi ex Ordine Sanctissimi statuere, vt si quis regularium in posterum temerè, leuive ex causa hanc almam Vrbem, seu Curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores, seueriori pœna plectendus remittatur.* Ita refert Quar. *ver. Monasteria, & Conuentus datum anno* 1587. de quo mentionem faciunt *Rodr.tom.1.quæst.29.art.2.* Illud refert *Confect.tit.6.cap.2.in fine, Peyrinus tom.3. cap.4. ad constit.Leon.X.num.15.* atque citat *Miranda quæst.29. de ordine iudic.num.42.* Et benè prædicti assignantur, quia appellatio est prouocatio à iudice inferiori ad Superiorem iudicem, & Prælatum saltem in hoc nostro casu vtriusque tam appellantis, quàm eius, à quo appellatur; sed in supradictis Superior, ad quem recurritur est Prælatus vtriusque vt patet, ergo meritò ad illos, & non ad alios fit appellatio, est ergo de essentia appellatio subditi ab inferiore ad Superiorem, vt docent omnes, & notat *Sila.ver.eod.n.2.*

Quæres 7. An appellatio inter regulares ita sit restricta ad dictos iudices nempè Prouincialem, Generalem, Protectorem, & Papam, ex allatis præcedenti quæsito, vt non possit fieri ad alios Ecclesiasticos, nempè ad Episcopum, neque ad Legatum à Latere, seu ad Nuntios Apostolicos; neque ad Sacram Congregationem?

22 Respond. Non negatur appellatio ad Sacram Congregationem, ad quam *Rodriq. cit. art.2.* extendit dictum decretum relatum præcedenti quæsito, & Sorbus ver. Appellare, in quo tamen reuera non exprimitur, non ideo excluditur, quia est iudex ordinarius regularium delegatus à Sede Apostolica, *ex constit.74. Congreg. ver. Incipiente, Immensa, §. Nec sanè minus*, in Bull. nouo, & apud Quar. ver. Congregatio. *Ita tenet etiam Coriol. in fine casus quinti resera. Aretinus in sua praxi de 4.subst.cap.10. in fine pag.351.*

23 Hoc ius competit etiam legatis à Latere erga regulares morantes in sua prouincia, quia illorum sunt iudices ordinarij, *ex capit. Si Abbatem 36. de elect. in 6. cap.1.de verber.signific.in 6.* & expressè *Gloss.fin. cap.1 de off.legati, & ver. Reseruata, post med.cap.Quod translationem 4.de off.leg.* Regulares igitur cum non sint exempti à iurisdictione Legatorum à Latere, vt constat ex citatis iuribus, *& docet Rodriq.tom.1.quæst.63.art.4.cum suo Compend.resol.63.num.15.Diana resolut.16 de dub.regul.* possunt sine dubio appellare ad illos, si de familia sint in eorum Prouincia. Nec obstat Decretum illud, in quo non exprimuntur, quia in eo expressis non datur facultas recipiendi appellationem, quasi aliàs non essent iudices appellationis, sed ipsis regularibus se grauatos sentientibus describitur modus, & ordo, quem tenere debent in appellando, vnde numerus iudicum appellationis non restringitur ad ibi tantum expressos, præscribitur ergo ordo appellandi, non autem restringitur numerus iudicum, ad quos referenda est appellatio. Neque Constitutio Clem.IV.incip. Exigentibus, *apud Firmam.part.2.tract.1.fol.20.* quia ibi sermo est de aliis 24 Legatis, non à Latere, docent apud *Compend.cit.de quibus mox.* Possunt etiam censurare ex eodem *Compend res.62. num.5.Sanch.lib.7.disp.33.num.23 qui lib.4 cap.33.num.14:* asserit habere potestatem ordinariam in religiosos citando plures Doctores.

Ad Nuntios Apostolicos, siue missos, cuiusmodi sunt non Cardinales, siue Natos, qui sunt Archiepiscopi quatuor Pisarum, Rhemens. Cantuar. & Eboracens. Regulares non possunt appellare, quia non sunt eorum iudices ordinarij, neque delegati, *vt docent citata Glossa, & Doctores*, quicquid dicat *Portel.num.3. allegando capit. Ad Romanam 2.quæst.6.* vbi ne verbum quidem, sed de solo Papa, ad quem totus orbis immediatè appellare potest, sermo est.

25 Episcopi nullius appellationem recipere possunt; quia non sunt iudices regularium in huiusmodi causis vertentibus inter ipsos, & suos Superiores, vnde omnibus constat in his, & similibus causis esse ab illis omnino exemptos, & de Dominicanis id expressum habetur ex Constitut: *Romani Pontificis.* Leonis X. apud Confect.pag.146. nempè illos non posse recurrere ad tribunalia non solum secularia, sed neque Ecclesiastica, non tamen excluduntur Sacra Congregatio, neque Legati à Latere. Ad hos autem recurrentes de iure communi nullam censuram, aut pœnam priuationis incurrunt, cum in iure non exprimatur, neque Franciscani trium Ordinum aliquam incurrunt ex Pontificia constitutione, nam Greg. XIII. pœnas infligit solum contra recurrentes ad tribunalia secularia, non vero ad alia Ecclesiastica, quicquid dicat *Mir. qu.29.n.44.*

Quæres 8. An appellatio gradatim, & ordine præscripto à Sacra Congregat. facienda sit, an vero possit fieri per saltum omisso medio, vt à Priori ad Generalem, vel ad Protectorem, vel ad Papam immediatè?

26 Resp. Religiosi immediatè à suo Superiore appellare possunt ad Sedem Apostolicam. Probatur per duo *cap. Ad Romanam 3.& 7. 2.q.6.* in quibus locis expressè dicitur, quod omnes ad Sedem Apostolicam apellare possunt. Ratio est, quia Papa est principalis, vniuersalis,

ſalis, & immediatus ſuperior regularium, vndè illorum eſt Prior, Prouincialis, & Generalis, *ait Sotus li.8. de iuſtit.qu.5.art.1.ex Rodr.q.22.art.6.Nau.conſ.3.de ſtatu mon.n.51.*vnde omnes illi immediatè ſubijciuntur, *cap. Authoritate §.1. de priuil.in 6.Gloſ.cap.1. de reb. Eccl.non alien.in 6.* Ita tenent *Nau.conſil.2.& 4.de appell. num.3. in fine Portel num.3.Seroſa de inualid.profeſ.dub.25.& 26. & cum eis Diana reſol. 54. de dub. regul. atque Peyrinus tom.3.cap.4.ad conſtit.Leon.X.num.14. vbi num. 15.* dicit Decretum Sacræ Congreg.non obſtare, quia non derogat iuri communi: ſed fruſtra in obſtantiam adducitur, ſiquidem nec pro, nec contra noſtram reſponſionem facit, cum in illo decreto nihil diſponatur de hac re. imò neque de Sacra Congregatione, ac proinde videtur non prohibita immediata appellatio ad illam. *Negant Duard. lib.2.Bullæ cap.9.qu.37.num.8. Spatharius in ſua praxi tract.10.part.4.cap.1. num.3. Iuan de S. Maria in ſuo Tribunali relig.tract.5.cap.10.§.1.num.3.ad finem,quos contra ſe citat Diana,*

27 Appellatio per ſaltum, medio omiſſo, facta ad alios iudices, ordine præſcripto non ſeruato, tenet quidem, quia in appellatione ordo præſcriptus eſt quid accidentale eius ſubſtantiam non vitians, dicit *Silu.ver. Appellat. n.2.& ex eo Mir.q.29.de ordine iud.nu.80. Panor. in cap.Referente 7.de præbend.Gloſ.in cap. Dilecti filij 69. de appell.* Limitat tamen Panorm. cum Gloſ. non tenere quando impeditur, & obiicitur, ne ſuum ſortiatur effectum, ad quod ius habet iudex inferior, ſua enim intereſt, vt ſeruetur ordo à Sacra Congregatione præſcriptus, niſi appellans tunc ſuſpectum habeat immediatum ſuperiorem ad quem, in eo caſu eo omiſſo poteſt appellare ad alium, debet tamen conſtare de ſuſpicione ſuperioris, ne irrationabilis iudicetur appellatio per ſaltum,*ita Peyr.tom.3.ca.4.ad Conſtit. Leon.X.nu.*18.

Quæres 9. An appellantes, ſeu recurrentes ad ſuperiores immediatos, ſeu etiam ad Romanam curiam ſine licentia ſuorum ſuperiorum, quam illi negauerunt, peccent, & incurrant pœnas adeuntium Romam ſine licentia, quam dare poteſt non ſolum Generalis, aut Protector, vt apertè dicitur in Decretis Reſor. Clem. VIII. n.22. verum etiam Prouincialis, non pro qualibet cauſa, ſed tantum ex cauſa communi totius Prouinciæ, vt in fine dictorum Decretorũ decreuit idem Pontifex die 20.Martij 1605.in quo declarauit pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ contra facientibus inflictam in eiſdem Decretis. 23. Sanctitati ſuæ eſſe reſeruatam, interdicta omninò etiam Generali, & Protectori facultate illam moderandi, aut relaxandi. Hæc autem pœna afficit non ſolum itinerantes, ſed etiam illos, qui eos admiſerint, & receperint. Difficultas ergo eſt, an legitimè recurrentes Romam iniuſte grauati à ſuis ſuperioribus, ſine licentia ſubiiciantur aliis pœnis, & aliis infligendis ab ordinariis locorum iuxta *cap.4.ſeſſ.25.*

28 Reſp. Religioſus, ſerio grauatus, qui non potuit obtinere licentiam adeundi Romam, vel eum ſuperiorem, ad quem appellauit, poteſt ſine peccato, ac proinde abſque incurſu dictatum pœnarum iter arripere ad Iudicem appellatum. Quod non peccet, ſed licitè poſſit ſine obedientia adire ſuum ſuperiorem oſtenditur. Tum quia licentia rationabiliter petita habetur pro obtenta licèt negetur, maximè quando expreſſè non requiritur, vt obtineatur arg.cap. Licèt 18. de Regul. Tum quia licentia formalis, & expreſſa non eſt in iis, quæ aliàs conceſſa ſunt, *gloſ.ver. Licentia ca.2. de temp. ordin. in 6.Graff. tom.1. conſil.8.de voto n.6.* Tum quia recurſus ad ſuperiorem includit tacitam licentiam hoc ipſo quod licitus eſt acceſſus ad repellendum grauamen. Licentia autem petenda non eſt à ſuperiore à quo grauamen inducitur, ſed à ſuperiore ad quem, *vt ex gloſ. cap. Cum paſtoris 2. quæſt. 7. deducit vix Rodriq.tom.1. qu. 30. art.3.* Ita quidam tenent non peccare mortaliter apud *Rodr.q.29. art.2.* in fine recurrentes ſine obedientia, & docet Peyrin. *tom.2.cap.4.nu.17.* & Conſilium, atque decretum Clem. VIII. excludunt hunc caſum, loquuntur enim de acceſſu ſine grauamine, aut alio prætextu, quam liberandi ſe à grauamine illicitè illato. In mea Religione volenti adire Generalem, mandatur cap. 20. dari in ſcriptis licentiam. Quòd neque pœnas Conſilij incurrant, conſtat ex probatis *initio qu. §. Secundò*, neque Decretorum Clem. VIII. ſuadetur *ex eo* quod locum non habent in caſu hoc, irrationabile enim eſſet dicere, Sacrum Conſilium, aut Clem.VIII. velle impedire,& punire iuſtum recurſum ad legitimos ſuperiores; præterquam quod aliquis non punitur, neque priuatur voce actiua, & paſſiua, niſi præceſſerit culpa; in caſu autem noſtro nulla adeſt culpa, ergo neque pœna. *Ita Peyrin.tom.3.cap.4. numere 17.*

Quæres 10. An Religioſus poſſit appellare à correctione ſuorum Prælatorum, ſi fiat ſecundum ſtatuta Regulæ, vel conſtitutionum?

Reſpon. Non poſſunt, niſi quandò Prælatus excedit 29
grauiter in modo corrigendi, expreſſè *cap. Ad noſtram 3. de appell.* & aliis iuribus citatis *hic qu. 1.* Quare ille ſacerdos aut etiam graduatus, qui non interfuit Choro de nocte, non poteſt appellare ab abſtinentia comedendi in pane, & aqua in publico refectorio, vtique verò ab alia pœna, quam ſuperior ex arbitrio ſuo vult imponere, omiſſa expreſſa in Religione, neque enim poteſt ſuperior hoc facere, cum Religio præſcribendo, & taxando legitimam pœnam intẽdat ab eo Prælato auferre facultatem imponendi aliam proprio arbitratu, quamuis aliàs rationabilem, quod colligit *Gloſ.ver. Arbitrium, cap. Super his 16. de accuſat. cap. De cauſis, de off. deleg.l. Antepend.ff.de verb.oblig.& tangit Rodr.tom. 1 q. 6.art.7.§.Dico.2.*

Quæres 11. An Regulares appellare poſſint à Conſtitutionibus, & aliis ordinationibus factis à ſuis Superioribus? Nam id negatur *cap. Ad noſtram, cap. Reprehenſibilis, cap. Quia nos, de appellat.*

Reſp. Appellare poſſunt, quando ordinatio eſt iniu- 30
ſta, & multum præiudicat ſiue Religioſis, ſiue Monaſterio, quia omnibus licèt, imò debitum eſt propulſare iniuſtitiam, & grauamen. Allegata autem capita in contrarium ſolùm probant, Religioſos non poſſe appellare in re parui momenti, neque cum præiudicium nihil importat, aut quandò iniuſtitia, & ſolum imaginaria Vide quæ dixi q.1.*Ita tenet Nau.conſil.4 de appell.*

Quæres 12. An ſuperior negans appellationem ſubdito grauato peccet mortaliter?

Reſpond. Superior requiſitus non deferens appella- 31
tioni peccat mortaliter, quãdò ſubditus legitimè appellat debito Ordine, quia iniuriam iniuriæ addit contra ſuum ſubditum. *Ita Nau.conſil.9.de Conſtit.num.8.Rodr. q.29.art.4.Mirand.de ordine iudic.q.29.num.76.* & puniendus eſt, vt docet *Nau.ex cap.De priore, de appellat.* Vbi id colligitur.

Quæres 13. An Regulares poſſint recuſare ſuperiorem ſuum ſibi in iudicem.

Reſp. Recuſari poteſt, quandò valde ſuſpectus repu- 32
tatur, & creditur exceſſurus terminos iuſtitiæ ob paſſionem, vel ob aliam cauſam iniquam. Probatur *ex cap. Cum ſpeciali 61.* Vbi dicitur, quod quandò quis vult iudicem recuſare, debet coram eodem cauſam ſuſpicionis probabilem proponere; nec facit, quod in fine Papa excludat Religioſos ab hac recuſatione, quia hæc excluſio venit intelligenda, quandò iudex non eſt verè ſuſpectus ſed talis iudicatur ſolũ ex leui ratione, vnde ad hoc dicit *Sanchez lib.6. cap.8.num.*111. quod ſuſpectus debet eſſe manifeſtus, ſicut & grauamen reſpectu appellationis, æquiparantur enim appellatio, & recuſatio in iure *cap. Super eo 12.de appell.* Quòd tu intellige reſpectu earum Religionum quæ habent priuilegium interdicens ſuis profeſſoribus appellationem, vt dixi *quæſt.2. vbi §.Dubium*, dixi meam Religionem carere huiuſmodi priuilegio, & ideò infero ſicut poteſt appellare in grauamine dubio, ita & recuſare ſuum Superiorem, quem dubitando credit ſuſpectum, & ſibi nociturum

nocituram. *Vide Compend. resol. 10. num. 16. sequentem Sanchez.*

Quæres 14. An si Prælatus impediat appellationem, seu recursum immediatè ad Sedem Apostolicam incurrat aliquam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini? Ratio dubitandi est, quia in nona excommunicatione inquit Papa. *Anathematizamus omnes illos qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, suas vel aliorum opera, interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; necnon omnes illos, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel à nostris iudicibus non habentes, illam sibi temerè vsurpantes similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.* Et hoc expressè tenet Remigius Scotia Dominicanus *in suo libello de Inual. profess. dub. 25.* vbi dicit, derogatum fuisse Decreto, quo prohibetur accessus ad Romanam Curiam sine licentia Reuerendissimi Generalis, de quo Decreto dixi in propositione *quæst. 9.* Imò videtur etiam incurrere in decimamtertiam, in qua circa finem dicitur. *Quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumant.*

33 Respond. In neutram incidit, nonam quidem, quia ibidem excommunicantur lædentes, vt suprà, solum venientes, morantes, aut recedentes à Sede Apostolica, facio vim in illa dictione *Venientes*, quæ cum sit nomen verbale, significat factum *l. Consilio ff. de Curat. fur.* Ac proinde differt à volente venire, sicut actus a potentia, velle enim accedere Romam, est declarare animum suum circa hoc faciendum, docent Nauar. in simili Consil. fin. de testam. *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 93. num. 11.* Accedere verò actu, est esse iam in via, quod est ipsum factum iam animò prædeclaratum; sed qui appellat ad Sedem Apostolicam dicitur tantum declarare voluntatem suam esse accedendi ad illam, vnde reuera appellans nondum dicitur accedens, aut veniens Romam, vt satis constat, vnde cum non sit veniens, neque proinde Superior nó deferens appellationi, sed appellantem proiiciens in carcerē dicitur quidem appellantem detinere, ne vadat Romam, non tamen dicitur detinere venientem, aut accedentem, neque consequenter incurrit excommunicationem. Confirmatur, quia in pœnalibus verba accipienda sunt formaliter, & strictè maximè in materia excōmunicationis, pro qua re faciunt, quæ habet, *Nauar. tom. 3. cap. Pœna dist. 1. initio, & consil. 20. de sent. excomm. vbi dicitur num. 5. & 9.* legem valde pœnalem valde esse restringendam, & neminem latet, hanc legem Bullæ Cœnæ esse valde pœnalem cum sit plena excommunicationibus, quarum non inuenitur in iure maior pœna excommunicatione, *cap. Corripiantur 17. 24. quæst. 3.* & hoc maximè procedit in Bulla Cœnæ Domini, in qua exprimuntur quamplures actiones in singulis casibus, ita quod illæ solæ spectantur, & non omissæ: quare cum in textu allato sit participium *Venientes*, & non mixtum ex infinito, *volentes venire,* Superior impediens appellationem, solum detinet volentem venire, & non venientem, ac proinde non incurrit excommunicationem. Nec obstat, quod potentia pro actu habetur, *Apud Barbosam lit. P. num. 33.* & accingendus de proximo habetur pro accincto *l. Ex eo tempore ff. de testam. mil.* quia hæc axiomata locum habent in fauorabilibus non in odiosis, & sumuntur impropriè, & fictè, in pœnalibus autē legis verba propriè & verè, non impropriè, neque fictè accipienda sunt, *Vt benè docet Thomacet. Reg. 231.* Vbi subdit fallere, quando lex actum ipsum requirit *arg. l. Cum hi. §. Si prætor, de transact.* sed lex Bullæ, requirit actum, cum vtatur participio præsentis, *venientes,* quod actum indicat.

Quod huiusmodi Superior sua, vel aliorum opera postquam iter versus Romam arreptum est, interficeret, mutilaret, spoliaret, caperet, detineret, sine dubio incideret, quia verba id expressè dicunt; posito tamen quod appellatio esset iusta, & legitima, & constaret de iniusto grauamine apud illas Religiones, quæ habent interdictum, ne sui professores appellent, vt dixi hic quæst. 2. & 13. imò in hoc casu incurrerent etiam duodecimam inflictam contra lædentes recurrentes per se, vel alios ad Romanam Curiam pro suis negotiis.

Decimam tertiam non incurrit, quod probo explicando illam, quæ est contra appellentes a grauamine vel futura executione literarum Apostolicarum, aut aliorum Decretorum Sedis ad tribunalia secularia. Verba autem quæ retuli in ratione dubitandi in quæstione referuntur ad fauorem huiusmodi appellantium, ita quod illi dicuntur incurrere hanc censuram, qui prohibent, ne quis recurrat ad Curiam Romanam pro eneruanda dicta appellatione, cum sibi adnexis, & ratio id suadet, quia in illo contextu verborum continetur vnica excommunicatio, ergo omnia membra ibi posita habent referri ad principalem actionem prohibitam, quæ est appellatio in spectantibus ad Sedem ad tribunalia secularia, consequenter non quicumque impedientes quouis modo recurrentes Romam, sed solum recurrentes, vt eneruent literas, gratias, & alia quibus potest tueri illa iniusta appellatio. Confirmatur, quia expositores omnia ibi prohibita ponunt, & declarant sub vnica excommunicatione, ergo omnes actiones ibi prohibitæ, referendæ sunt ad principalem actionem, quæ est appellatio ab Ecclesia ad tribunalia laicorum: Constat autem nostrum casum de Superiore impediente recursum sui subditi appellantis ad Sedem; seu Curiam Romanam non posse accommodari prohibitis in hac tertiadecima excommunicatione, neque vice versa verba Bullæ illi accommodari, ac proinde rectè responsum fuit, dictum superiorem non incurrisse excommunicationem. Antecedens notum est, quia in illa appellatione nihil miscetur de tribunali laicorum, neque de literis Apostolicis, sed Religiosus præcisè petit licentiam eundi Romam, vt se liberet a grauamine proprio, de qua causa nihil in dicto casu Bullæ Cœnæ Domini. 34

Megalius *de censuris lib. 3. cap. 10. quæst. 1.* Vbi explicat hanc excommunicationem, dicit *num* 8. quod non excommunicatur ille Superior, qui impedit subditum, ne accessum habeat ad Romanam Curiam, quia Regularibus talis accessus prohibitus est sine licentia suorum superiorum, & cum non teneantur Superiores hanc licentiam concedere, liberum illis remanet impedire hunc accessum absque incursu huius censuræ. Subdit verò incurrere, quando impedit recursum non personalem sed per nuntium, vel literas, ad Curiam Romanam, quia textus de omnibus hunc recursum impedientibus generaliter loquitur, nec decisio aliqua reperitur, ex qua hæc censura limitanda sit, quod ampliat procedere etiam in recursu per literas, vel nuntium appellando, & non tantum pro aliis negotiis. Primum eius dictum quo ad rationem non placet, quia licet prohibeatur accessus ad Sedem Apostolicam sine licentia Maiorum, vt retuli supra *quæst. 9.* initio, huiusmodi tamen absolutè intelligenda non est, ita quod in arbitrio sit Superioris licentiam dare, vel non dare in quouis casu, nam eam negare debet solum quando irrationabiliter eam petit, aut etiam rationabiliter, sed ex negatione nullam sequitur præiudicium, quare in casu appellationis, in quo agitur de graui præiudicio, non potest Superior licentiam negare, sed debet eam concedere, & si petita negetur habetur pro obtenta, ex supra probatis *quæst. 9.* ac proinde illam negando in hoc casu appellationis incurrit censuram, sequendo opinionem eiusdem Megalij, si velimus tenere hunc casum comprehendi, quem non includi suprà probaui. Secundum 35

eius

eius dictum consistere nequit, quia actiones ibi vltimo loco prohibentur in ordine ad principalem, vt suprà probaui, actionem, quæ est appellare contra executionem literarum Apostolicarum ad forum laicum recurrendo, ac proinde excommunicantur vltimo loco, per verba in quæstio allata, impedientes recursum ad Romanam Curiam pro negotiis, gratiis, literis impetrandis, vel impetratarum vsum, in quantum sunt ordinata hæc impetranda, vel impetrata ad eludendum dictam iniquam appellationem.

Quod si explicationes datæ illis tribus casibus *excommun.9.12.& 13.* Videantur alicui nouæ, & suspectæ quamuis meo iudicio tales non sint, sed rationabiliter fundatæ, accipiat communem rationem pro sustinenda responsione. Nam in illis casibus prohibentur actiones illicitæ, & iniquæ, nam huiusmodi transgressiones vti peccaminosæ mortaliter inducunt excommunicationes dictas, non autem, quando sunt actiones licitæ, & iustæ respectu personæ detinentis, vel impedientis recursum, & in hoc non est difficultas, cum excommunicatio incurratur solum per actionem iniquam, & mortaliter peccaminosam secundum omnes, nullo discrepante, vt in subiecta materia docet *Sair.lib.3.cap.16.num.4. §.Secunda.* Super excomm. 12. Modo Superiores Regulares habeant ius impediendi appellationem sui subditi, quoties fit per saltum, *vt Duard.Spatharius, Iuan de S.Maria, Peyrinus tom.1.de Relig.subd.tract.5.cap.10. §.1.num.3.quos contra se citat Dana Resol. 54.de dub. regul.* quos ego contra me retuli quæst. 8. & ipsum Peyrinum, sibi contrarium, si credendum sit Diana, apud me siquidem non extat Codex mox citatus, ergo saltem in horum sententia negans appellationem non est excommunicatus. Et reuera difficile est iustificare excommunicationem hanc contra Prælatum nolentem deferre appellationi ad Sedem Apostolicam, siquidem Superior semper præsumitur bene fungi Officio suo, & in dubiis Superiori obediendum est *Glos. fin. arg. cap. Quid culpatur 24. quæst. 1. & cap. In memoriam dist. 19.* Quare remanente negotio dubio Prælatus credendus non est excommunicatus.

Quæres 15. An Superior priuatus Officio suo, vel alius priuatus voce, possit appellare? Et an posita appellatione legitima interim possit prosequi suum Officium, iubendo, absoluendo, excommunicando, dando vocem, vel illam recipiendo?

36. Respond. Potest appellare, si Officium adeptus fuit per electionem, & pendente appellatione, potest prosequi suum Officium, iubendo, censurando, absoluendo, vocem dando; vel recipiendo, &c. quæ ante sententiam definitiuam præstare poterat.

Primum probatur, posita distinctione Officiorum, nam alia acquiruntur per electionem, vt Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, Custodiatus, Definitoratus, Discretatus, & his similia, quæ constituuntur per electionem factam à communitate collegij, seu capituli, de quibus *vide Sigism.de elect. dub.49. à num.1. ad 4.* Alia acquiruntur à solo Superiore prouidente, vt si quis insinuatur præsidens loco præmortui, vel amoti ab officio Vicarius Subprior, Procurator, Sacrista, & vocantur officia manualia ad nutum Superioris amouibilia, de his secundi generis sicut potest Superior pro suo arbitratu spoliare suos subditos, etiam sine causa, *cap. Cum ad Monasterium, §.Tales, iuncta Gloss. ver. Perpetuo, de statu Monach.* ita & non deferre eorum appellationi, aut querelæ, vt docet citatus *Sigismund.num.7.* id referens decisum, & Doctores de hac re agentes. De primi generis Officiis, non potest Superior ad libitum suum spoliare suos subditos, nisi ex causa subsistente legitimè probata, ratio est, quia in his habent ius vt non possint priuari nisi causa probata, vt colligitur *ex cap. Nullam potestatem 18.quæst.2. cap. Monachi de statu Mon. & ibi Gloss. ver. Non mutentur,* & hæc est communis opinio *apud Rotam part.1.diuers.decis.772.num.3.* quàm sequendo citat *Sigismund.num.4.* Verum quidem est, quòd ad illos priuandos sufficit quæuis causa leuis, vt docet ius commune *cap. Qualiter 24. in fine de accus. cap. Pertuas 32. in fine de simon.* Videtur tamen id abiisse in dissuetudinem, ita quod non pro quauis causa Prælatus deiiciatur à sua dignitate, sed graui causa existente, & bene cognita; aliquas causas refert *Sigism. cit. dub. 49. num.13.* nempe incontinentiam *cap. Si quis Abbas 18.q.2. cap. Monach. de statu Mon.* dilapidationem bonorum Monasterij, &c.

Si igitur iniustè priuentur suis Prælaturis, & officiis ex electione possunt se defendendo vti appellatione, quæ sicut in aliis negotiis non negatur, ex suprà probatis, ita neque in iis est impedienda, cum iure suo vtantur, repellendo grauamen, & se liberando ab illata iniuria, vt docent mox citandi.

Alterum, quòd appellatio suspendat executionem sententiæ, probatur *per cap. Cum venientes, de iureiur. l. 1. ff. ad Turpil. Glos. ver. Sententia, cap. Sæpe 44. de appell. Nau. consi. 2. de appell. num.3. Scaccia de appellat. q.3. num.72.* Et pro Regularibus *Sigismund. de elect. dub. 94. num.5. Peyrin. tom.3. Priuil. cap.4. num.19.* Ratio est, quia non sunt deterioris conditionis cœteris Prælatis, præterquamquod appellatio in se de iure habet hanc vim, vt suspendat effectum sententiæ, & appellans non dicitur condemnatus *l.2.§.fin. ff. de pæn.* ergo respectu cuiuscumque personæ habet producere illum effectum. Apud Regulares id non videtur in vsu, vnde dicit *Compend. resol.10.num. 28.* quod causa appellationis dum pendet, in eodem carcere, quo reperitur appellans remanebit, donec aliud per Superiorem ordinatum fuerit, vt ergo suum exerceat officium, debet prius restitui ad suum officium à Superiore. 37

Quæres 16. An, licet Religiosus non possit appellare ad forum Episcopale ex probatis supra n.25. saltem possit ad illud recursus fieri per modum simplicis querelæ?

Respond. Potest, quando in manifesto grauamine, & damno imminente probabiliter alio modo prouideri non potest, probatur, Tum quia in casu cessat lex positiua, & habet locum naturalis, quæ tunc pro legitimo Superiore designat Episcopum, qualibet enim res facilè reuertitur ad suum pristinum principium, de vulgaribus iuribus, vnde in simili casu Religiosus dicitur reuertere ad suum Superiorem originarium. Tum quia ex dicto *num.25.* prohibitur recursus solum per modum appellationis, ergo conceditur per modum querelæ. Tum quia ex opinione non improbabili omninò relata superiùs sub *num. 15.* quandoque permittitur ad Seculares, ergo à fortiori ad forum Ecclesiasticum. Tum quia ratio propter quam regulares exempti fuerint ab Episcopis, refertur in viginti grauamina ipsorum Episcoporum contra Regulares, relata *in cap. Nimis graue, cap. Nimis iniquè, de excess. Prælat. apud Portel. par.2. casu.13. num. 3.* ergo vice versa si grauentur euidenter à suis Superioribus, se eximere possunt de facto per recursum ad Episcopum. 38

RESOLVTIO XXXIII.

De ludo Religiosis interdicto.

SVMMARIVM.

1 *Ludens notabilem summam peccat mortaliter.*
2 *Aureus censetur notabilis quantitas.*
3 *Consuetudinarius dicitur ludens singulis hebdomadibus.*
4 *Non licet ludere cum Secularibus.*
5 *Licet ob honestam recreationem.*
6 *Moderata quantitas non est subiecta restitutioni.*
7 *Licentiam habens donandi non dicitur ludendi.*
8 *Benedictum aliquid ludo exponi potest.*
9 *Non potest plus acquirere, quàm ludere.*

10 *Militares*

10 *Militares ludere possunt more laicorum*
11 *Aspectus ludorum est prohibitus.*
12 *Clericus ludis in conuentu sine incursu pœna.*
13 *Laruarum ludus illicitus.*
14 *Choreis, cursu, saltibus quandoque licet.*
15 *Musicalia instrumenta licent.*
16 *Bacchanalium tempore licet aspectus ludorum Secularium.*
17 *Comœdiis non intersunt.*
18 *Spectaculis ferarum interesse non debent.*

QVamuis Ludus, qui est contractus, in quo ludentes exponunt res suas periculo, proter spem acquirendi rem alterius, ex genere suo non sit illicitus, maximè quando luditur ob honestam recreationem, seruatis debitis circunstantiis, tamen Religiosis videtur peccaminosus, quia nihil proprii habent, quod possint periculo exponere. Difficultas ergo est, An Religiosi ludendo peccent mortaliter? Est autem Ludus duplex, vnus industria, & ingenio exercetur, vt ludus latrunculorum, seu Scacchorum, tabulæ nouem, aut duodecim calculorum, pilæ, &c. quibus homines etiam graues solent ludere animi gratia, & huiusmodi non dedecent etiam Religiosos non reformatos, si quandoque bis vtantur ob honestam recreationem, vt dicam. Alter ludus alearum seu taxillorum, & cartarum expresse prohibitorum in citandis canonibus, qui vix quandoque decent homines laicos.

1 Resp. Igitur, Religiosus ludens seu ex industria, siue ex fortuna maximè taxillis, & cartis notabilem quantitatem pecuniæ, peccat mortaliter. Probatur, Tum quia *cap 1. distinct. 35.* Prohibetur ludos alearum sub pœna priuationis communionis, *& in cap. Inter dilectos 11. de excess. Prelat.* Publicus aleator priuatur beneficio *cap. Clerici 19. de vita. & hon. & in Sacro Concil. Sess. 22. cap. 1.* Præfati canones inoonantur; sed hæ sunt grauissimæ pœnæ, ergo arguunt peccatum mortale. Tum quia Seculares ludentes ludis lege ciuili prohibitis sæpius, & in magna quantitate peccant mortaliter, secundum Michaelem *Salon. 2. 2. q. 5. de domin. art. 6. contr. 1. conclus. 2. apud Megal. consil. 6. numero. 1.* Ergo multo magis Religiosus, qui cum sit in perfecto statu respectu laici, & perfectiori respectu clerici, ideò incumbere debet perfectiori vitæ; & non immorari in ludis, qui multum præiudicant statui Religioso. Tum quia ludens facit actum proprietatis cunctis Regularibus sub peccato mortali prohibitum, nam pecuniam contrectat contra votum paupertatis, ac proinde peccat mortaliter, *Vt ducit Sanchez libr. 7. cap. 19. numero. 76. & alüs citatis Diana resol. 98. de dub. regul. Rodriq. tom. 2. quæst. 38. art. 1.* Docent hanc responsionem præter citatos *Sanchez num. 79. Nauar. cap. 20. num. 9. Contrad. part. 1. quæst. 195. §. Quantum, Porsell. ver. Ludus num. 2. & 3. Compend. resol. 48. num. 44. Bonac. disput. 2. de Restit. 3. num 12. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 12 1. num. 15. & aly communiter.*

Quæres autem 1. in quo consistat notabilis quantitas, vt Religiosus illam exponendo peccet mortaliter ludendo.

2 Respond. Religiosus expendens vnum aureum in eodem ludo eodem die peccat mortaliter non solum in ludis cartarum, sed etiam in aliis ex ingenio, vt docet *Panorm. in cap. Clerici, & ex eo Graff. part. 2. lib. 3. cap. 9 num. 8.* Quia hæc summa videtur satis notabilis in Religioso, qui militat sub voto paupertatis, expendente vnum aureum eodem die; siquidem ludus dicitur concessus Religioso solum ob honestam recreationem, vel etiam quandoque ob animi relaxationem, exponere autem tantum pecuniæ summam non videtur id fieri ex relaxatione animi, sed potiùs ob auaritiam, & lucrum in Religioso damnabile, non enim lucrum debet recreare animum Religiosi, sed ipsum exercitium, expositio igitur tantæ pecuniæ excludit recreationem, ac proinde sine dubio inducit peccatum mortale. *Nauar. cap. 20. num. 12.* dicit Religiosum studentem, aut negotiantem impensis sui Abbatis, extra Monasterium posse ob honestam recreationem quatuor, aut quinque de centum sibi singulis annis ad sustentationem concessis ludere à simili de filio familias, qui habet præsumptam à patre licentiam ludendi; & illum sequitur *Sanch. alüs citatis num. 79.* Vbi dicit hoc non procedere, quando religiosus habet expressam prohibitionem à Superiore, vel regula, seu constitutionibus ludendi, quia tunc potest præsumi tacita licentia. Sed reuera meo iudicio, puto id non habere locum in studentibus, quia post *Conc. sess. 25. c. 4.* Non possunt studere extra Conuentus, & nunc omnes religiones habent propria studia, aut saltem alienis vtuntur in eodem loco, vbi sunt eorum Monasteria. Et quo ad præsumptam licentiam nullus videtur posse sic ludere, quia in omni Religione sine dubio repetitur huiusmodi prohibitio vel ex regula, vel ex constitutionibus; in mea Religione prohibetur in regula Nicol. IV. cap. 4. Leonis X. cap. 19. in Statutis c. 12. Sed quia Superiores in Religionibus non reformatis solent conniuere, & vsu contrario ludere, ne aliis forsan sumant occasionem inutilioribus occupandi, videntur excusari à mortali, non sic in Religionibus reformatis, in quibus Religiosi nunquam debent otiosi viuere, sed statas habent horas, quibus incumbant, modo vitæ spirituali contemplationis, modo vitæ actiuæ, & temporali honestæ.

Quæres 2. Quot vices requirantur ludi ad constituendum Religiosum consuetudinarium in ludo? 3

Respond. Ludens singulis hebdomadibus saltem semel est consuetudinarius. Probatur, nam licèt *Glosa in cap. Mes dist. 4. dicat,* Quòd in delictis duo actus constituant consuetudinem, *in c. Ita nos 25. quæst. 2. per l. 3. C. de Episc. aud. in cap. Illos vos, de pignor. in cap. Monasteria ver. Frequentare, de vita, & honest. quos & alios citat Graff. pr. lib. 1. cap. 10. numero. 3. & Fleron. casu 3. de Blasphem. numero. 10.* Qui dicunt illum dici blasphemum consuetudinarium, qui ab vltima confessione blasphemauit ter, ducti ex Bartolo *in l. Iura ff. de legibus,* vbi ait, illud, quod fit semel, aut bis, dicitur ratò fieri, ac proinde non ex consuetudine, vnde concludunt, non incidere in casum reseruatum illum, qui ter non blasphemauit ab vltima confessione; Et Lazarius dicat *quæst. 8. de Blasphem. num. 5.* Requiri, vt quinquies blasphemauerit ab vltima confessione, quia hoc vitium in lubrico linguæ consistit, quod non est facilè ad pœnam trahendum, *l. Famosum ff. ad leg. Iuliam, vnde idem Graff. lib. arbitr. cap. 27. numero. 6.* Ait hoc relinquendum esse arbitrio boni viri, Licèt, inquam, Glosa, & præcitati Doctores, velint Consuetudinarium in aliquo vitio constitui ex tribus, aut quinque vicibus; ego tamen iudico in casu nostro requiri plures vices, vnam nimirum singulis septimanis. Quod suadeo, quia rationabile non videtur tot requiri actus, & non plures in constituenda consuetudine in ludente, quot exiguntur in consuetudine inducenda in blasphemante, nam ludus non est quid intrinsecè malum, nec propter se prohibetur, sed quia ex illo sequi possunt multa mala, & inconuenientia, blasphemia autem est in se, & intrinsecè mala, & facilè lingua in eam prolabitur, ac proinde constituitur paucioribus actibus, nam hic spectatur consuetudo, non ad conseruandum actum malum, sed ad retrahendum hominem ab illo, vnde quo maius est peccatum, eo pauciores debent describi actus, vt delinquens habeat occasionem relinquendi malum, & quo minus est, eo plures actus indulgeri possunt, quia non agitur de reprimendo tam graui malo; sed de minori, cum cautius agendum sit, vbi maius timetur periculum *cap. 4. de elect. in 6.* Quare cum ludus non sit tam graue malum, vt blasphemia, imò in comparatione eius leue malum, & quandoque nullum, idcirco in hoc vitio ludi ad constituendum aliquem habitudinarium multo plures actus requirantur, quàm quinque.

Quærea 3. An liceat ludere cum laicis, & clericis secularibus etiam ludis honestis?

4 Respond. Non licet, quod probat *Graff. part. 1. lib. 3. cap. 9. num. 12. per. Glos. 2. in cap. Continebatur*, de homicid. nam debent Ecclesiastici abhorrere commercia, & familiaritates laicorum, *cap. His igitur dist.* 23. Cum laici semper sint infesti clericis, *cap. Laicos 2. quæst.* 7. & inde non nisi scandalum, & contemptus oriri potest; & licèt sermo sit in locis citatis de clericis, eo magis id procedere debet in Religiosis, qui mundo, cui mortui sunt, abrenuntiarunt, vt viuerent cum Christo, sed erubesco dicere, quod nostri temporis Regulares volunt viuere cum mundo, vt Christo moriantur. Non est autem peccatum mortale nisi quando ex praua consuetudine extra Conuentum luditur cum Secularibus, & scandalo aliorum, vnde ludentem casu vno, aut altera vice, non damnarem mortalis.

Quæres 4. An Superiores possint dare licentiam expressam ludendi suis subditis?

5 Respond. Possunt interdum dare huiusmodi licentiam, aut saltem non contradicere certis temporibus recreationis, vt possint ludere aliquam honestam pecuniæ quantitatem. Probatur, Tum quia bonorum Monasterij sunt veri administratores ad quoscumque vsus licitos, & honestos; sed ludere ludo decenti Religiosos moderatam quantitatem pecuniæ, est vsus licitus, ergo id concedere potest Superior. Tum quia licèt in eorum regulis, & statutis prohibeatur ludus, non tamen obstat huiusmodi licentiæ, quia prohibitio venit intelligenda, quod non possint ludere in magna quantitate, & certis ludis, qui dedecent statum Religiosum. *ita de commun. docet Sanchez lib. 7. cap. 19. num.* 78. Hanc responsionem limito in Religionibus reformatis, in quibus puto esse graue peccatum ludus alearum, taxillorum, scachorum, calculorũ, & similium pecunia exercitorum.

Quæres 5. An Religiosus ludens teneatur restituere acquisitum in ludo, vel Religioni perditum?

6 Respond. Religiosus ludens siue cum clerico sui Conuentus, siue alterius, aut cum laico moderatam quantitatem pecuniæ, vel alterius rei, non tenetur ad restitutionem? Ratio est, Tum quia in eo casu validè ludit, & licitè, ergo nulli fecit iniustitiam; Tum quia non facit contra votum paupertatis, cum nihil sibi appropriet, aut distrahat sine licentia saltem præsumpta Superioris, in cuius manu stat obseruatio voti Paupertatis, ille enim dicitur facere contra hoc votum, & esse proprietarium, qui contrectat res Monasterij contra voluntatem Abbatis, *Ioan. Andr. in cap. Cura ad Monasterium, de statu. Mon.* Ita tenent Alcocer. *de ludo cap. 39. post init. Petrus Ledesma tom. 2. tract. 31. capit. 1. conclus. 10. quos citat Sanchez lib. 7. cap. 19. num.* 80. *Rodr. tom. 2. quæst. 38. art. cum suo Compend. resol. 48. num.* 43. qui cum eo dicit, lucrum in ludo factum acquiri Monasterio, *Portell. ver. Ludus num.* 3. Quando igitur Religiosus ludit recreationis causa & perdit, vel lucratur, validè perdit, & lucratur Monasterio, ita quod neuter collusor teneatur ad restitutionem, quando de licentia saltem præsumpta in modica quantitate ludus actus fuit; Quod si excessus fuit, manet obligatio restitutionis, quia in hoc non potuit perdere, neque acquirere, cum in eo casu non præsumatur licentia, nec concedi possit. *Quicquid dicat Lessius lib. 2. de iustitia c. 26. dub. 5. num. 36. cum aliis apud Sanch. cit. n.* 80. posse Religiosum validè lucrari notabilem summam ludendo cum expressa licentia Superioris, quamuis peccatum mortale sit, res Monasterij sic ludo exponere, quem reiicio etiam sub *q.* 8.

Quæres 6. An habens generalem licentiam donandi, & expẽdendi aliquid, possit illud ludere licet sit quid notabile?

7 . Respond. Non, Tum quia donare, & expendere diuersa sunt à ludere. Tum quia licentia non est præsumenda peccaminosa, neque iniusta, neque expressa licentia ad id sufficit, cum sit iniqua, ergo neque præsumpta. *Ita Rodriquez. tomo 2. quæst. 38. art. 3. Sanchez libro. 7. capit. 29. numero.* 81.

Quæres 7. An licitus sit ludus, in quo ex parte Religiosi exponitur aliquid benedictum; ex parte alterius pecunia?

8 Respond. Est licitus, probatur quia ratio dubitandi in eo consistit, an hic vitium simoniæ adsit, sed non habet admixtam simoniam, siquidem simonia in vtroque contrahente ponit aliquid lucri, quod accidere non potest in ludo, in quo si vnus acquirit, alter perdit, ergo hic non committitur simonia. *Ita tenent Megal. de contractibus libro 2. cap. 19. num. 17. in fine libri, Bonacin. disput. 2. de restitut. quæst. 3. p. 2. num. 8. Portell. ver. Ludus num.* 4.

Quæres 8. An Religiosus possit plus acquirere, quàm perdere?

9 Respond. Non potest, sed debet restituere excessum lucrari, sicut & extraneus cum eo ludens si, excessum lucratus fuerit, ratio est, quia neuter factus fuit dominus pecuniæ acquisitæ, siquidem sicut Prælatus non præsumitur, immo nec potest concedere subdito suo facultatem ludendi notabilem quantitatem, ita neque potest Monasterium per illum acquirere ius in lucrum notabile, est enim iniustitia, quod moderata quantitas possit exponi periculo, & magnum lucrum excedentem moderatam quantitatem acquiri posse. Ita communior opinio, quam sequitur *Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 86. Bonac. disput. 2. de restitut. q. 3. p. 2. num. 15. Nald. ver. Ludus num. 3. Megal. de contr. lib. 2. c. 19. num. 16. §. Respectu.* Dicunt tamen aliqui, quod cum extraneus ludens sciat conditionem Religiosi ludentis, censere acquisitum donare Religioso, quod aliis displicet, quia nemo præsumitur donare suum. Quod si Religiosus simul cum pluribus eodem ludo ludat, dicunt omnes in eo casu posse Religiosum lucrari plus, quàm possit perdere, quia respectu singulorum potest totam pecuniam perdere, ergo æquum est, vt possit etiam singulorum acquirere. *Nald. ver. Ludus num. 3. Nau. cap. 20. num. 19. Sanchez aliis citatis lib. 7. cap. 19. num.* 83. 84.

Quærea 9. An hactenus dicta procedant tantum in Religiosis claustralibus, an etiam in Militaribus? *sensi* oppositum *resol.* 100. *q.* 101.

10 Respond. Militares non solum quibus permissum est matrimonium, vt sunt milites D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ in Hispania. & Commendarij Christi D. Iacobi, & de Auis, sed etiam æquites D. Ioann. quibus interdicitur matrimonium, licitè ludere possunt, ac si essent Seculares, quia huiusmodi Religiosi habent dominium suarum rerum, & bonorum, & de illis disponere possunt, sicut quicumque Seculares. *Ita docet Sanchez. lib. 7. cap. 8. num. 32. citans pro se Alcozer de ludo cap.* 39.

Quæres 10. An non solum ludi exercitium, sed etiam aspectus prohibeantur Religiosis?

11 Respond. Interdicitur etiam aspectus ludorum Ecclesiasticis, *cap. Clerici 15. de vita, & honest. Cler.* puto esse solum veniale, quando abest scandalum, quod si Religiosus in locis publicis ludorũ aspiciat notabiliter ludentes peccat mortaliter, quia tales loci multum videntur dedecere statum Religiosum. *Ita ex Silu. ver. Ludus num. 8. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 122. num. 16. Nauar. cap. 20. n.* 14.

Quærea 11. An Clericus prohibitus à suo Episcopo ludere sub pœna excommunicationis, possit ludere non solum extra Diœcesim Episcopi prohibentis, sed etiam intra in locis exemptis absque incursu excommunicationis? Quod idem quæri potest de Religioso?

12 Respond. Clericus potest ludere non solum extra Diœcesim, sed etiam in Diœcesi in loco exempto. illud probatur *ex cap. Vt animorum, de constit. in 6.*

vbi

vbi dicitur, quod extra territorium ius dicenti non paretur impune; de ludente in loco exempto, probatur ex illo communi axiomate, quod locus exemptus, & extra Diœcesim æquiparantur, *Zabar. in repet. cap. Vt animarum cit. nu. 35. Gomez in repet. dicto cap. §. Statuto num. 85. de constit. aliis citatis Sair. de cens. lib. 1. cap. 6. num. 40.* qui nostrum casum comprobat siue excommunicatio lata sit per modum statuti, siue sententiæ, cum quo sentit *Auila par. 2. cap. 3. disput. 2. dub. 5. Bonac. disput. 1. de cens. in genere q. 1. p. 11. num. 8.* concedit, quod ad statutum, negat verò num. 14. per modum sententiæ, *& Sair. cit. cap. 7. num.* 18. sibi contrarius, sequuntur indistinctè *Megal. de cens. lib. 1. cap. 3. num. 36. Peyrinus tom. 3. priuil. cap. 2 ad Const. Sixti IV. num. 2.* Religiosus verò habens prohibitionem ludendi, in quouis loco ludat, sine dubio pœnam incurrit, quia prohibitio Prælati Regularis, siue sit per Cōstitutionem, siue edictum, vel præceptum, immediatè afficit Religiosum sibi subditum præscindendo à loco, & Monasterio, quia professio, per quam Nouitius se subiicit obedientiæ Superioris Regularis, illum simpliciter, & personaliter obligat ad obediendum independenter à quouis loco. *Ita docet Megal. de cens. lib. 1. cap. 3. num.* 37. quia Superiores Regulares non sunt iudices loci simpliciter, sed loci, & personarum, & confirmat authoritate Sacri Concilij *sess.* 25. *cap.* vbi puniendi veniunt Religiosi delinquentes etiam extra claustra à suis Prælatis.

Dices locus Religiosorum non dicitur exemptus quo ad se, sed tantum quo ad personas Religiosas, & de se non solum est in Diœcesi, sed etiam de Diœcesi, *vt docet Suar. tom. 5. in part. 3. disp. 5. sect. 4. num. 6. Conink disput. 23. de cens. dub. 7. num. 63. Filliuc. tom. 1. tract. 11. num. 149. vt refert Peyrinus cit. num. 3.* ac proinde secundum istos clericus inibi ludens non euadit pœnas, quia locus præcisè sumptus nō est exemptus, ergo plene est in territorio ius dicentis. Respond. falsum esse Monasteria religiosorum esse exempta solum ratione personarum, quod suadeo; Tum quia sequeretur absurdum, posse Episcopum quamcumque iurisdictionem, & functionem exercere in Monasteriis, & Ecclesiis regularium propria authoritate, quod tamen falsum est, etiam apud citatos aduersarios; Tum quia in priuilegiis concedentibus exemptionem dicitur, quod non solum personæ Religiosæ, sed etiam earum res, loca, & Monasteria sunt exempta à iurisdictione Episcopi, vt apertis verbis colligitur ex *cap. Nimis iniqua, c. Nimis praua, de excessib. Prælat. Clem. 1. eod. & 21 de censib.* & Sacrum *Concil. Sess. 25. cap.* 20. confirmando regularium priuilegia ita decreuit. *In cæteris omnibus præfatorum ordinum priuilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & iura concernunt, firma fiat, & illæsa.* Ecce distinguuntur ibi, & in aliis iuribus claris tria genera exemptionum, nempe personarum, locorum, & rerum, ergo Monasteria sunt exempta non tam ratione personarum, quàm sui ipsius, & localiter; *expresse Confect. tit. 5. cap. 1. Rodr. tom. 2. q. 63. art. 3. & 6. clarè colligitur.*

Dicta de Clerico, quod non incurrat pœnam ludens in Monasterio procedunt, licèt Episcopus intendat ligare etiam extra Diœcesim, vel in loco exempto, quia ad ligandum hoc modo non sufficit intentio, sed requiritur iurisdictio, qua caret Episcopus extra suum territorium, *vt ex Bonacin. cit. disputat. & quæstione 1. de censur. p. 11. num. 6. docet Peyrin. cit. tom. 3. cap. 2. numero 3.*

13 Quæres 12. An Religiosis liceat ludus laruarum?

Respond. Ludus laruarum inter ipsos Regulares, vel etiam amicos in Monasterio, non est plusquam veniale peccatum, quia est vana animi relaxatio, & non honesta recreatio; extra Monasterium in domo parentum, & amicorum, vbi absunt extranei, qui non possint scandalum concipere, sic ludere, modo domo illa non exeat, non puto mortale, quia is ludus de se non est nisi veniale, nec exercitus cum dictis cautelis videtur euadere mortale, cum non adsit circumstantia inducens grauem malitiam, ergo non excedit peccatum veniale; *Ita Graff. part. 1. lib. 2. cap. 21. num 9.* vbi dicit ludere ad laruas Religiosos non posse absque peccato, cum habitum mutare non possint, nisi ex rationabili causa, ait autem eos posse ludere cartis sine veniali ob causam recreandi socium ægrotum, ego tamen censeo peccare venialiter, quia alio medio ægrotus recreari potest, puta legendo aliquam historiam, vel quid curiosum nullam continens turpitudinem aut etiam ludendo Scacchis, aut calculis. *Vide quæ dixi de laruis resol. 35. q. 28.*

Quæres 13. An liceat Religioso ludere Choreis, cursu, & saltibus?

14 Respond. Non est peccatum, quandoque in iis se recreare, modo fiat secreto in Monasterio, vel apud parentes, & amicos, absque scandalo, & deterioratione sui status, quia huiusmodi actus sunt virtutis eutrapeliæ, & recreationis *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 121. num. 15.* dicit non esse mortale, si absit scandalum, secretu fiat, & breue per tempus fiat, *ex Silu. ver. Ludus nu. 5. & ver. Clericus 3. n. 5 §. Et octauo.*

Quæres 14 An liceat Religioso diuersis instrumentis musicis, licet ad Chorum etiam non spectent, ludere, & vti pro sua, & aliorum recreatione?

15 Respond. Licet, modo illis vtatur in Monasterio, aut in domo parentum sine scandalo extraneorum, ita quod non deterioret statum Religiosum, quia est actus virtutis eutrapeliæ, quo modestè, & moderatè Religiosus vti potest; quod si publicè, vel in domo extranea omnis generis, vt aiunt, personarum, vtatur ad ducendum Choros, vel per vias publicas, vt solet fieri tempore bacchanalium, est peccatū mortale, quia sic vt multum dedecet statum Religiosum.

Quæres 15. An tempore carnis priuij liceat aspicere laruas exercentes, saltentes, currentes ad brauium, & choreas ducentes, similiaque publice facientes?

16 Respond. Licitum est, quia his temporibus huiusmodi ludus conceduntur ad recreandum animos omnium indifferenter, nec continent actus illicitos, nisi quandoque per accidens ex parte ludentium, non autem aspicientium. Verum quidem est, quod Religiosis non licet ad choreas fœminarum inhonestarum accedere; ob periculum, & scandalum, nam Seculares videntes Religiosos accedentes ad similia loca, habent occasionem male sentiendi de illis, ac proinde ne Religiosi sint causa huius peccati, debent sub mortali abstinere se ab huiusmodi accessibus, sicut à visu turpium spectaculorum, *Silu. ver. Curiositas in fine, & ver. Ludus quæst. 8 in fine, & Graff. part. 1. lib. 2. cap. 121. num. 15.*

Quæres 16. An Religiosi possint interesse comœdiis in locis publicis platearum, vel locorum, vbi hæ recitantur?

17 Respond. Illis interesse prohibetur Clericis capit. Præterea distinct. 51. *cap. Non oportet 56. distin. 5. de consecrat. cap. Clerici 15. de vita,* hæc autem prohibitio est tantum sub veniali, vt dicit *Caiet. ver. Peccata Clericorum ad finem, & ex eo Sanchez disputat. 46. libro nono, de Matrimoni numero* 41. Intellige si in illis non recitetur aliquid turpe, nec adsit periculum cadendi neque scandalum, quod ipse ait hodie cessare in Clericis, cum frequentissime accedant ad comœdias; *& ex eo Bonac. quæst. 4. de matrimon. p. 9. num.* 22. Et multo grauius est hoc peccatum veniale in Religiosis, qui melius exemplum debent dare reliquis hominibus, non tamen puto incidere in mortale, quia Seculares non multum admirantur videntes Regulares audire comœdias, immo illos inuitant, & hisce nostris temporibus potius tendunt ad moralitatem, & politicam, quam ad scurrilitatem, & arcentur pœnitus turpes actus saltem expressi, & audientes informantur, & edocentur mores.

Quætes 17: An sit peccatum mortale Religiosis intetesse agitationi taurorum, vel alterius leræ?

18 Resp. Est peccatum mortale secundum *Gutier. lib. 5. canon. c. 7. num. 20. & ex eo Rodr. tom. 3. q. 68. art. 2. §. Quarto*, etiam præciso scandalo, quia contra clericus respicientes Papa Pius V. Constit 48. *De salute gregis*: cōminatur excommunicationem, quæ semper supponit peccatum mortale; & licet in ea Constitutione nulla fias expressa mentio de Religiosis, tamen postea Sixtus V. & Clement. VIII. in suis Bullis pro Regnis Hispaniarum, dicant Pium V. comprehendisse etiam Regulares sub sua Constitutione. *Vide etiam Compend. Bull. super dictam Constitut. Pij V. in ordine 48. Nau. apud Graff. part. 5. libro 2. capit. 121. numero 4.* quod intelligitus prohibitio sub pœna excommunicationis, quando cum probabili periculo mortis, vel vulnerum, aut alterius notabilis nocumenti exercetur, secus si huiusmodi periculum non timetur.

RESOLVTIO XXXIV.

De electione Confessarij inter Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Itinerans eligit quemuis Sacerdotem.*
2 *Referuntur priuilegia.*
3 *Approbatio Episcopi non requiritur.*
4 *Eligit Sacerdotem sui Ordinis si adest.*
5 *Licentia tacita sufficit pro electione in itinere.*
6 *Facultas eligendi extra est immediate Papa.*
7 *Probatur.*
8 *Superiores suam delegare possunt.*
9 *Quando possunt instituere Confessarios.*
10 *Potestas duplex requiritur ad absoluendum.*
11 *Iurisdictio delegata.*
12 *Conceditur à tribus Prælatis.*
13 *Acquiritur per præsumptam concessionem.*
14 *Item per electionem.*
15 *Aliis modis acquiritur.*
16 *Duobus modis acquiritur à Papa.*
17 *Ecclesia non supplet iurisdictionem vitandi.*
18 *Prior suos de familia absoluit iure ordinario,*
19 *Facultatem ordinariam delegant quibusuis.*
20 *Subueniutur Episcopo pro absolutione.*
21 *A Superioribus etiam localibus.*
22 *Tacita etiam licentia.*
23 *Ex vi electionis non absoluuntur à reseruatis.*
24 *Bini existentes quandoque extra eligunt.*
25 *Dedita opera itinerans non eligit.*
26 *Fugitiuus non eligit.*
27 *Necessitate vrgente eligitur.*
28 *Prælati iure communi eligunt.*
29 *Etiam Præsidentes.*
30 *Non tamen Vicarij.*
31 *Eligunt Sacerdotem sui Ordinis.*
32 *Etiam nondum deputatum.*
33 *Eadem facultate pro se vti possunt.*
34 *Et licentiare extra seipsos.*
35 *Priuilegia electionis non possunt tolli.*
36 *Habens solum venialia non eligit.*
37 *Regulares eliguntur ab extraneo.*
38 *Nouitij non eligunt extra.*
39 *Nisi in itenere, & in necessitate.*
40 *Tertiarij confitentur approbatis solum in Religione.*
41 *Item famuli, & Commensales.*
42 *Cruciata vti non possunt.*
43 *Neque Nouitij.*
44 *Tertiarij cum famulis vtique.*
45 *Iubilai tempore extra confitentur*
46 *Sed tunc eligunt Episcopalem*
47 *Probatur.*
48 *Sufficit quod sit approbatus ab aliquo Episcopo.*
49 *Duplex responsio S. C. refertur.*
50 *Confitentur in Iubilao suis etiam non Episcopalibus.*
51 *Eodem modo dic de Nouitiis, & aliis.*
52 *Moniales tempore Iubilai eligunt.*
53 *Sine speciali licentia Episcopi.*
54 *Etiam approbatum pro solis viris.*
55 *Electus in Iubilao debet esse actu approbatus.*
56 *Electus, si expiret licentia, adhuc prosequitur.*
57 *Licentia requiritur ad exeundum pro Iubilao.*
58 *Nondum indutus eligit etiam non approbatum ab Episcopo.*
59 *Pœnitentiariis Papa confitentur.*
60 *Parochus peccat mortaliter reiiciens suum subditum.*
61 *Confessarius nunquam audiens peccat mortaliter.*
62 *Regularis non peccat reiiciens pœnitentem.*
63 *Tertiaris non possunt confiteri Minoribus de Obseruantia.*

FRater Petrus extra Monasterium manens, vel in itinere obtinuit à suo Prælato, & Superiore facultatem eligendi sibi Confessarium, An possit eligere quemcumque Sacerdotem siue Secularem, siue Regularem sui, vel alterius Ordinis etiam simplicem à nullo approbatum?

Respond. Inspiciendus est tenor concessionis, & iuxta illum eligendus est Confessarius, nam cùm huiusmodi concessio sit priuilegium, ipsius tenor certè est inspiciendus, & diligenter attendendus, capitulo Porrò septimo, capitulo Recepimus octauo, de priuileg. Quod si non adest statutum, & ordinatio Religionis in contrarium, quod ad hoc, & verba concessionis dubia sint, & indefinita, neque concedens interrogari possit, tunc pœnitens potest eligere etiam simplicem Sacerdotem, cuiuscumque sit Ordinis, aut status Secularis, modò sit idoneus, & non impeditus aliqua censura, licèt neque ab Episcopo, aut alio quouis Superiore non sit approbatus, vt si concedatur electio sub vna ex his formis. *Concedo tibi facultatem eligendi Confessarium: Confitere vbi vis: Eligas quemcunque Confessarium. Confitearis cuilibet Sacerdoti idoneo.* Hæ & similes formæ dant arbitrium etiam simplicem eligendi Sacerdotem.

Probatur, quòd quemlibet Sacerdotem indifferentes potest eligere. I. Quia hæc responsio est conformis priuilegiis Summorum Pontificum concedentium facultatem Regularibus eligendi Confessarium, dum sunt extra Conuentum, vel in itinere; nam sic concessit Innocent. VII. Constitut. *Prouenit*, 1
apud Confect. fol. 3. Dominicanis, in hæc verba. *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati Fratribus huiusmodi, quos pro tempore, vt præfertur itinerare, & per eorum Superiores mitti contigerit, vt si aliquem presbyterum idoneum, ex professoribus dicti Ordinis habere non possint, quemcunque alium idoneum, & discretum Religiosum, vel Secularem in eorum Confessores eligere valeant.* Item Sixtus IV. Constitut. *Supplicari*, 5. apud eumdem Confectium folio septuagesimo octauo eamdem facultatem concessit Franciscanis illis verbis. *Vt Fratre vestra, vel aliorum Prælatorum, & suorum, qui pro tempore erunt, licentia, solummodo tamen cum itinerauerint, vel fuerint extra Conuentus eorum, prout eis concedetis, confiteri possint, & vos quomodocumque Sacerdotibus, cuiuscumque Secularis, aut Regularis Ordinis confiteri valeatis.* Ecce isti duo Summi Pontifices concedunt, quod Fratres de licentia itinerantes, vel extra manentes possint eligere sibi in Confessarium quemcumque Sacerdotem Regularem, vel Secularem, non dicentes, quod debeat electus Sacerdos, esse iam Confessarius. II. Sicut vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, secundum vulgata iura, ita neque distinguere debemus, vbi Superior

Superior concedens non distinguit. III. In Iubilæis quando fit mentio de electione Confessarij, sic dicitur. *Eligere possint quemcumque presbyterum Confessarium, ex approbatis à locorum Ordinariis.* Ergo signum est, quod expressio Presbyteri, seu Sacerdotis, & etiam Confessarij non includit, quòd sit approbatus, sed sufficit, quòd si simplex Sacerdos, modò sit idoneus id est vir bonus, prudens, scientiam habens, non excommunicatus, &c. IV. Dato quod concessio contineret similia verba. *Eligere possis Sacerdotem Confessarium. Eligat Sacerdotem in Confessarium. Eligas Confessarium.* Adhuc potes eligere simplicem Sacerdotem, quia eligere Sacerdotem in Confessarium, non est eligere eum, qui iam erat Confessarius, sed electum de non Confessario euadere Confessarium, sicut illi, qui eligunt Priorem, non eligunt, qui iam erat Prior, sed de non Priore fit Prior, vt in simili de electione concessa Prælatis, ex vi Capitis. *Ne pro dilatione, de pænit. & remiss.* docet *Coriolanus part. 1. de casibus reseruatis, sect. 1. artic. 21. num. 3.* V. Ratio efficacissima, si enim aliqua est in contrarium, cur debeat eligere approbatum, maximè videtur esse hæc, quia nullus Sacerdos simplex, cum careat potestate iurisdictionis de essentia valoris huius iudicij, ideò absoluere validè non potest; sed hæc ratio non obstat hîc, quia Sacerdos simplex sic electus, eo ipso acquirit iurisdictionem sibi collatam non ab eligente, sed à concedente facultatem eligendi Confessarium, de qua facultate, seu iurisdictione infrà tangam *quæst. 3. §. Colligitur.* VI. Ponamus, quòd eligat extraneum Sacerdotem, vel Secularem, vel Regularem, si Secularem, certum est, quod parum refert, habeat necne iurisdictionem, vel Ordinariam, vt Parochus, vel delegatam per approbationem Episcopi, quia neutra eatum excedit limites, nam Parochialis restringitur ad subditos Parochianos, qualis non est Religiosus, delegata verò extenditur solum ad subditos Episcopi approbantis, qui alia ratione non confert beneficium, vel non approbat suum Presbyterum, nisi vt audiat subditos sui Episcopatus, neque aliter illum approbare potest pro extraneis, siue Secularibus, siue Regularibus; quia agere non potest vltra spheram suæ actiuitatis, aut iurisdictionem conferre in non subditum, neque ius habet super animas alterius Episcopi, aut Prælati sibi non subiecti *caus. 9. per totam quæst. 2. & cap. 1. cap. Conquerente 16. cap. Graue 19. de off. ordin.* ergo ea iurisdictio inutilis est Religioso eligenti. Hoc idem procedit in Sacerdote extraneo electo, cum enim eius Superior Regularis nullum ius habeat in Religiosum eligentem, neque ideò ei prodesse potest eius iurisdictio. VII. *in cap. Omnis 12. de pænit.* dicitur, quod si quis alieno Sacerdoti voluerit, iusta de causa, confiteri peccata sua, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absoluere. Ecce, quod Summus Pontifex Innocent. III. in Generali Concilio decreuit, quod volens eligere extraneum Sacerdotem, debet à proprio habere facultatem obtentam virtute cuius, tanquam iurisdictionis delegatæ Sacerdos electus absoluit, & non dicit textus, quod Sacerdos electus debeat habere licentiam à suo Episcopo, vel Prælato. Neque placet, quod ibi *Gloss. ver. Alieno*, adiungit, Sacerdotem electum debere habere executionem Ordinis, hoc est, iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, (loquendo respectiuè ad dictum caput, nam post Concilium Tridentin. certum est, & verum quod dicit Glossa) nam communior, & verior opinio tenet, electionem fieri de simplici Sacerdote potuisse ante Concilium, *& ita tenent Silu. ver. Confessor 1. n. 7. Sotus in 4. distinct. 28. quæst. 4. artic. 3. §. Postremum dubium, Nauarr. capit. 4. num. 3.* quos, & alios sequendo citat *Bossius de Iubilæo sectione 3. casu 2. numero 88.* & cum noster casus sit extra dispositionem Sacri Concilij non est dubitandum electionem fieri non posse de simplici Sacerdote, nam Concil. *sess. 23. cap. 15.* loquitur tantum de Confessariis in Ordine ad Seculares personas; vt mox dicam cum citandis Doctoribus.

3 Approbatio igitur Episcopi pro audiendis Confessionibus Religiosorum; siue ab ipsis Regularibus eiusdem Ordinis, siue alterius, siue à Presbyteris Secularibus non est necessaria, vt docent communiter Doctores *cum Nauarr. cap. 4. num. 7. & tom. 3. in cap. Placuit num. 43. in fine, Megal. part. 1. capitulo 10. numero 16. Aphor. Episcop. ver. Facultas numero 2. Sà ver. Confessor numero 6. Homobon. tom. 1. tractat. 5. quæst. 12. Bonacin. quæst. 7. de pænitent. p. 5. §. 2. numero 25. §. Ex quo, Portell. ver. Confessor erga Fratres numero 14. Rodriq. tom. 1. quæst. 62. artic. 4. & 5. cum suo Compend. resolut. 31. numero 21. Fabr. de pænit. disput. 30. num. 23. Barbosa ad dictum caput alios citans num. 9. Diana resol. 3. de dub. regul. §. Quo ad, & tom. 4. Miscell. 4. resolut. 3. refert se alibi recensuisse 19. Doctores, Bossio de Iubilæo sect. 3. casu 4. num. 5. vbi alios citat.* Isti omnes in Presbytero electo non requirunt approbationem Episcopi.

Miranda *tom. 2. quæst. 33. artic. 6.* expressè requirit, approbationem factam à Superiore Sacerdotis electi, & videtur sibi parum consonans; hoc ipso quod excludit Episcopi approbationem quam prius admisceat, & non est maior ratio, cur hæc approbatio requiratur in Sacerdote Regulari alterius Ordinis, & non in seculari, & ad quid vtraque cum non deseruiat eligenti, cùm non sit subditus Superioris Sacerdotis electi, & cum eo procedunt *Graff. part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 55.* vt se explicat postea *lib. 3. cap. 5. num. 108. Rodr. cit. tom. 1. quæst. 62. art. 4. & 5. Portell. ver. Confessor erga Fratres num. 14.* Videntur autem isti conuenire cum præcedentibus Doctoribus, & nobiscum, quod Confessio facta intra Religionem non requirat in Confessario eiusdem Religionis approbationem Episcopi; vtique verò si fiat extra Religionem; nam isti volunt, itinerantes, vel alio modo extra existentes, debere eligere aliquem ex approbatis à Superiore ipsius electi, quòd nos suprà reprobauimus per totum *§. Probatur.*

Dices, in prædictis priuilegiis, & vbique vbi sit facultas eligendi Confessarium, habetur, quod Sacerdos electus debet esse idoneus, & discretus; sed is non potest esse talis, nisi sit approbatus, ergo non sufficit simplex electio. Deinde Episcopus habens facultatem eligendi Confessarium debet eligere approbatum, vel eligendum approbare, vt declarauit Sacra Congregatio, teste *Suar. apud Megal. parte 1. lib. 1. cap. 10. in fine, & cap. 15. num. 2. §. In alia verò, Nald. Episcopus num. 5.* & de hac re plura refert *Bossius sect. 3. de Iubilæo casu 2. à numero 96.* ergo multò minùs hæc facultas restringenda est in Religiosis præsertim subditis.

Respond. ad primum, illas conditiones non denotare approbationem, sed id quod debet aduertere itinerans, seu alius ante electionem, nempè vt eligat bonum, & prudentem, qui sciat remedium applicare *Glos. ver. Idoneum, capitulo secundo de pænitent. in 6. & dixi suprà in probat. 3. & aduerterunt Graff. parte prima, libro 4. capitulo 15. numero 12. & tom. 2. consil. 4. de pænitent. numero 2. Coriolan. part. 1. de casibus reseruatis, sect. 1. artic. 21. numero tertio, Bossius sect. 3. casu 2. numero 89. vbi alios citat Cruz libro 1. cap. 6. dub. 11. §. Nota.*

Ad secundum, ideo Episcopū teneri eligere vnum ex approbatis ab ordinario, seu à se, vel alio Episcopo, quia priuilegium eius intelligitur concessum iuxta dispositionem Sacri Concilij, quod nullum Sacerdotem Secularem excludit, cuiusmodi est Episcopus etiam Regularis in hoc casu, cum ergo Regularis non subijciatur Concilio in hoc, non est facienda difficultas in obiectione. Hanc difficultatem de Episcopo fusè tractat *Bossius cit. à numero 95. & numero 102.* resoluit

soluit posse eligere simplicem Sacerdotem indistinctè, non obstante Concilio, quia eligendo dat de facto facultatem, quam communicare potest etiam extraneo non solum pro suis ouibus, sed etiam pro se.

Quæres 1. An itinerantes habentes copiam Sacerdotis sui ordinis, sed non approbati, possint eligere extraneum approbatum, seu alium quemcumque?

Respond. Debet eligere Sacerdotem sui ordinis, licèt non approbatum, postponendo extraneum etiam approbatum. Probatur, Tum ex priuilegio concesso Dominicanis relato suprà §. *Probatur*, & licèt in priuilegio concesso Franciscanis non habeatur hæc restrictio, subintelligitur tamen. Tum quia Superiores præsumuntur concedere electionem Confessarij extranei, quando deest copia Sacerdotis proprij Ordinis. Faciunt dicenda sub *quæstione decima*, §. *Quod debeant. Ita tenent Coriol. parte prima, sectione tertia, articulo 13. §. Solum, Megal. libro 1. de Pœnitent. capitulo 10. numero 17. Bossius sectione 3. casu 4. numero 5.* Potest tamen Superior illi gratiam facere, vt non obstante socio confiteatur extraneo, vt probatur infra *quæstione 3.* Quando autem hospitatur in Conuentibus sui ordinis, debet accedere ad deputatos, cum in hoc casu subiiciatur legibus, vbi reperitur, ex Tamburinio docet *Bossius sect. 3. casu quarto, numero 6.*

Quæres 2. An itinerantes, seu extra manentes præter hanc licentiam, teneantur etiam petere facultatem eligendi in Confessarium proprium socium, vel extraneum, si illo careant, an vero illa includatur in licentia peregrinandi, vel manendi extra? quod est quærere, an sufficiat licentia interpretatiua, seu præsumpta, & virtualis?

5 Respond. Sufficit tacita, & præsumpta, quia concedens facultatem peregrinandi, videtur omnia concedere, sine quibus peregrinatio commodè fieri non potest *argum. cap. Præterea 5. capit. Prudentiam 21. §. Sexta, de off. delegat.* Sed non potest Religiosus extra manere, seu peregrinari commodè, & vt docet Religiosum, qui Sacramenta frequentare debet, sine electione Confessarij, ergo præsumitur hæc facultas illi concessa in licentia manendi extra. Deinde Religiosus, non est deterioris conditionis Seculari, qui hanc præsumptam facultatem habet inclusam in licentia peregrinandi, ex communi Doctorum *cum Anton. parte tertia, titulo decimoseptimo, capitulo quarto, § Quartus casus. Silu. ver. Confessio 2. quæstione vndecima, numero decimo. Nauar. tomo, tertio, in capit. Placuit numero septagesimo secundo. §. Infertur, quos & alios citat Floren. parte prima, de casibus reseruatis capitulo tertio, §. III. numero tertio, & quarto*, ergo & Religiosus eamdem habet. Ita Rodriquez *tomo primo, quæstione sexagesima secunda, articulo quinto in fine. Mirand. tomo secundo, quæstione trigesima tertia, articulo sexto, conclusione prima in fine.* Nec obstant priuilegia mentionem licentiæ facientia, quia refertur vel ad peregrinandum, vel ad præsumptam, cum & hæc sit licentia.

Quæres 3. An itinerantes, vel extra manentes, hanc facultatem eligendi Confessarium immediate habeant à Sede Apostolica, cum dependentia à suis Superioribus? An vero immediate à suis Prælatis, quibus id competat ex officio, & iure ordinario. Et quinam Superiores possint illam concedere?

6 Respond. Itinerantes, vel extra manentes habet immediate à Sede Apostolica. Nihilominus Superiores eamdem, quam iure ordinario, & ex Officio suo habent, concedere possunt suis subditis non solum extra, sed etiam in clausura manentibus. Non tamen omnes sed illi tantum, qui possunt Confessarios instituere.

7 Primum, quod habeant à Sede Apostolica, quæ Sacerdotibus electis eo ipso iurisdictionem delegat, probatur, quia ita colligitur ex præfatis Constitutionibus relatis suprà initio §. *Probatur.* Nec facit difficultatem, quod hæc facultas videatur immediate concessa Prælatis, & ab illis dependenter subditis, vt videtur colligi ex concessione Sixti IV. quia res ita se non habet, sed solum Pontifex intendit, vt ea vtantur mediantibus suis superioribus quia cum non possint peregrinari sine licentia suorum Superiorum, & dicta concessione non vti, nisi extra, consequens est dicere eius exercitium, & vsum dependere à Prælato, quod ideo non impedit, quin immediatè sit communicata Sacerdoti electo ab itinerante ex vi suæ electionis. Quod declaratur à simili de Regulari Confessario erga Seculares, qui sine licentia Episcopi non potest illos audire, neque absoluere, ab Episcopo tamen non habet iurisdictionem, sed immediatè à Papa recipit; vt *docent Rodriq. tom. 1. quæstione 50. articulo 2. §. Sexto, & cum eo Compendiat. resolut. 32. numero 2. Portell. ver. Confessor Regularis num. 2. & 3. Graff. libro 2. Append cap. 5. num. 15. Becan. cap. 38. de Sacrament. quæstione 11. numero 3.*

8 Secundum, quod Prælati suam delegare possint Sacerdotibus electis, suadetur, Tum quia super suos subditos habent potestatem iurisdictionis ordinariam, maximè in administratione Sacramentorum, *cap. Omnis 12. de pœnit. & remis. cap. Quanto, cap. fin. de off. ordin. cap. Ea quæ, de statu Monach. Rodriq. tom. 1. quæst. 17. art. 12. eius Compend. resolut. 104. numero 14. Graff. part. 1. libro 1. cap. 13. numero 10.* Sed potestas ordinaria delegari potest, *cap. Aqua 9. de consecr.* ergo possunt facere facultatem eligendi Confessarium, illi delegando iurisdictionem. Tum quia hæc facultas supponitur in Episcopo ex Officio suo, *cap. Si Episcopus 2. de pœnitent.* ergo & in Prælato Regulari probanda est fauore sui subditi. Consequentia patet ex eo, quod Prælatus Regularis tantam habet iurisdictionem, quantam habet Episcopus maximè in administratione huius Sacramenti, *Glos. ver. Propry, Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Nauar. consil. 23. de priuileg.* comparantur enim in potestate, *Rodriq. tom. 1. quæst. 20. art. 10.* immo maiorem, *ex eodem Rodriq. tom. 1. quæst. 24. art. 16. & quæst. 62. art. fin. §. Aduertit Lazar. sect. 4. de monit. q. 14. num. 15.* Ita expresse in casu nostro de hac potestate delegandi quibuscumque Sacerdotibus docet *Megal. part. 1. cap. 9. numero 19. Diana resol. 1. de dub. Regul.* vbi id concedit ipsis Prælatis erga seipsos, eligere scilicet posse extraneum in Confessarium, & resolut. 2. idem eisdem concessit respectu subditorum, & in hoc nulla est difficultas.

Procedunt hæc, quando non adest aliqua prohibitio in contrarium, vt in Religione Clericorum Regul. ex eodem *Diana resolutione 1. de mente Peregrini in Comment. ad constitut. suæ Religionis*, quem ibi impugnat, Stante nihilominus hac potestate delegandi, sobrie hoc ius subditis est indulgendum, maxime intra claustra, & non nisi causa vrgente, quia intentio Summi Pontificis, & Religionum est, vt extra confiteantur minus, quam fieri possit, aliter concessio, licèt teneat; est tamen indiscreta, & dissipatiua Religiosæ disciplinæ. *Vide de hac conclusione resol. 2. q. 11.*

9 Tertium, quod hanc delegationis facultatem habeant solum, qui Confessarios instituere possunt, probatur, quia hanc facultatem delegare Sacerdoti electo nihil aliud est, quàm ipsum institui à Superiore delegante in Confessarium pro suo subdito; in quibusdam autem Religionibus nō omnes possunt Confessarios instituere, ergo neque delegare. Quare in mea Religione, Priores, & alij Superiores locales possunt delegare hanc facultatem, quia possunt instituere Confessarios, *capit. 22. Regulæ*, quod licèt quoad hoc sustulerit Pius V. *Constitut. Ea est Officij 63. in Bullario nouo*, sub Dat. 3. Iul. 1564. *vbi §. Ipsarum*, statuendo, quod Confessarij, & Prædicatores approbentur per Generalem, vel Prouincialem. Tamen per restitutionem Generalis omnia redierunt ad pristinum statum,

vt

vt probaui *resolut. 4. quæst. 7. num. 15.* Hanc facultatem eligendi Confessarium in Religione Dominicana dat solus Generalis, *Cruz libro primo, capit. 6. dub. 11. relatus à Diana resol. 3. de dubiis Regul.* qui hanc facultatem facit communem omnibus Superioribus localibus, & probat, quia isti habent, potestatem ordinariam in suos subditos, quod de se notum est. Addo ego pro ipso, quod Parochi habent eam facultatem, dandi nempe licentiam suis Parochianis, vt confiteantur alteri Sacerdoti; ergo hanc eamdem habent Prælati Regulares locales, qui Parochis æquiparantur, imò Parochi verè sunt respectu suorum subditorum, argum. eorum quæ habet *Glos. ver. istos, prope finem, Clementin. Ne in agro, de statu Monach. Fagundez libro octauo, capitulo* 4. Nihilominus hæ duæ rationes non obstant, & tolluntur vnica responsione dicendo, delegare in hoc casu stare dupliciter; vno modo, communicando Sacerdoti electo potestatem iurisdictionis; altero, simpliciter licentiando suum subditum, vt absoluatur à Sacerdote electo, iam Confessario existente ante illam electionem, sed nondum deputato. In primo sensu qui non potest instituere Confessarium, neque illi valet delegare facultatem; in secundo autem sensu, licèt non possit instituere Confessarium, potest tamen illi licentiare suum subditum, cùm iam habeat iurisdictionem, sed impeditam respectu eligentis; hoc modo Parochus Secularis licentiat suum subditum alteri Sacerdoti iam habenti iurisdictionem à Superiore vtrinsque; & huiusmodi licentiam dicit nullius momenti Flotonus parte prima, capitulo tertio, §. 3. nu. 5. respectu peregrinationis. Sic Prior Regularis non valens instituere Confessarium, potest tamen suum subditum licentiare ad Sacerdotem iam existentem Confessarium in eodem Conuentu, vel Prouincia, non habentem tamen impeditum excercitium suæ delegationis, eo quod eligens habebat Confessarium sibi deputatum à Priore. Vel clarius, & breuius dic potestatem absoluendi in Priore esse quidem ordinarium, quia ex Officio suum absoluit subditum, talem tamen non esse potestatem delegandi, seu instituendi Confessarium, quando ea omnino caret, & quidem meo iudicio absolutè in hoc casu nostro negandum est, Priorem habere potestatem ordinariam ad delegandum, quia id formaliter non est absoluere, sed facere alteri facultatem, vt absoluat.

Quod si dicas, Parochum dantem licentiam peregrinandi, & consequenter confitendi extra Diœcesim videtur Sacerdoti eligendo delegare iurisdictionem, quia licèt habeat facultatem is electus ab Episcopo suo audiendi subditos de propria Diœcesi, non tamen extraneos pertranseuntes, cum quilibet Episcopus approbet suos Confessarios pro suis ouibus, sub cuius ouili non est peregrinans, & sic inanis pro eo est huiusmodi iurisdictio, vt etiam probaui supra initio *in probat. 6. Vide resol. 56. q. 33.* Ergo cùm sacerdos electus eligendi nullam iurisdictionem habeat, nisi dependenter à suo Parocho, videtur idem dicendum de Priore. Tollitur difficultas, quia Parochus nullo modo delegat iurisdictionem electo Sacerdoti à suo subdito, sed in eo casu Sacerdos electus dicitur habere iurisdictionem ex vi consuetudinis, quàm non habenti iurisdictionem tribuere potest, *cap. Cum contingat, de foro compet. Nauar tom. 3. in cap. Placuit num.* 100. *Beia part. 1. casu* 16. *Megal. part. 1. lib. 1. cap. 7. num. 14.* Vel dic cùm prædictis præsumi delegationem proprij Episcopi, quod rationabile est, ne videatur peregrinus carere beneficio Sacramenti Pœnitentiæ multum necessariæ præsertim iter agentibus. Demum Religiosus peregrinus non eget hac facultate à suo Priore in Sacerdote eligendo, quia iam habet immediatè à Sede Apostolica, vt probaui hic §. Primum.

10 Colligitur ex hactenus dictis, nullum Sacerdotem posse validè absoluere pœnitentem, nisi præter potestatem Ordinis habeat etiam potestatem iurisdictionis, & cùm omnis iudex quatenus talis debeat habere iurisdictionem, *Clem. 1. de off. deleg. & ibi glos. 1.* hinc est, quod cum Sacerdos Confessarius sit Iudex, in foro, iurisdictione carere non debet, natura enim, & ratio iudicij, inquit Trident. *sess. 14. cap. 7.* exposcit vt sententia feratur in subditos, quos Sacerdos dicitur habere, hoc ipso, quòd illi confertur hæc potestas à Superiore subditorum, in quos proinde dicitur habere iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, vt ibidem subiungitur. Hanc Sacerdos non in ipsa ordinatione acquirit, vt quidam voluerunt apud. *Megal. lib. 3. de pœnit. cap. 6.* Vbi benè reiicit, neque enim impediri posset, saltem quo ad valorem ab Ecclesia, vt patet, in reliquis Sacramentis, quòd omninò falsum est; *& Nauar. qui cap. 27. num.* 259. *&* 260. Asserit acquiri in ordinatione sacerdotali secundum esse habituale, non in actu, qui dandus est ab Ecclesia; sed reiicitur eadem ratione, quia Ecclesia licèt possit impedire vsum potestatis ordinis, si tamen omnia concurrant efficere non potest, vt actus nulliter fiat; alij volunt Sacerdotes in ordinatione recipere iurisdictionem, quæ tamen iure diuino non potest exire in actum, nisi Sacerdos habeat subditos, qui assignantur ab Episcopo, seu à Papa, nam Christus instituit, vt nemo sine authoritate Ecclesiæ se possit alteri subiicere, & parum videtur differre à sententia Nau. Sed, inquam, acquirit, dum deputatur ad audiendas Confessiones, & hoc iure ordinario, & ex Officio suo, à quo denominatur iurisdictio ordinaria, quam Sacerdos acquirit per assumptionem ad curam animarum, & triplex assignatur; Papalis, quam Summus Pontifex habet in vniuersos fideles sibi immediatè à Christo in persona Petri attributam, dum dixit Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris, &c.* loquitur in plurali, quia Papa à Christo immediate recipit vtramque potestatem Ordinis nimirum, & iurisdictionis, dum assumitur ad Pontificatum: Episcopalis secunda dum quis eligitur ad hanc dignitatem; idem dic de Regularibus, nam Generalis pro tota Religione, & Prouincialis pro sua Prouincia, dum eligitur, recipit hanc hanc iurisdictionis ordinariæ potestatem in suos subditos: Parochialis tertia, dum Sacerdos Secularis assumitur ad beneficium parochiale, & Superior Regularis, dum instituitur Prior, seu Guardianus in tali Conuentu. Isti igitur omnes, & quicumque alij, quouis nomine nuncupentur, quibus ex Officio immediatè incumbit cura animarum, hanc potestatem iurisdictionem ordinariæ recipiunt, dum assumuntur ad hoc Officium, & tandiu apud eosdem durat, quandiu manent in Officio, ita quòd confessio facta, & absolutio data à prædictis etiam ab eo, qui renunciauit Papatui, sit nulla præcisè ex defectu huius iurisdictionis, & pro dictis faciunt allata superiùs, *res. 7.* cum Doctoribus ibi citatis.

Altera iurisdictio dicitur delegata, quæ scilicet conceditur, vel aliàs confertur, communicatur, seu descendit in Sacerdotem, cui Confessiones audire ex Officio, & iustitia non competit, sed ex charitate, & facultate sibi facta ab habente ordinariam potestatem beneficio sui subditi; Hæc autem multis modis acquiritur. 11

Primò per approbationem factam ab vno ex tribus dictis Prælatis erga suos subditos, vt si Papa mihi conferat facultatem absoluendi quoscumque ad me accedentes. Hoc modo omnes Sacerdotes Regulares approbati ab Episcopo possunt absoluere quoscumque Seculares non solùm subditos Episcopi approbantis, sed etiam aliorum Episcoporum ad se accedentes, *vt docent Armilla ver. Absolutio num. 23. Rodriq. tom. 1. quæst. 60. art. 6. Peregrin. in suo Compend. ver. absolutio quo ad Seculares §. 1.* Ratio est, quia cum immediatè recipiant eam iurisdictionem à Papa, posità Episcopi approbatione, *ex citatis §. Primum, sub quæst. 3.* & probo *Resol. 36. quæst. 12.* Qui cum super omnes fideles sit, consequens est inferre, Religiosos eamdem acquirere fauore omnium fidelium indifferenter. Hanc facultatem dicitur 12

conferte Episcopus Sacerdotibus non curatis, imò eriam Parochis, dum illos approbat ad audiendas confessiones aliorum suorum subditorum, qui non sunt illius Parochiani, nam iurisdictionem ordinariam præcisè habet erga suas oues, vnde si vult extraneas eiusdem Diœcesis audite, debet habere prædictam delegatam. Idem dic à pari de Sacerdotibus Regularibus approbatis à suo Prouinciali, & etiam Superioribus localibus, qui iure ordinario, & ex Officio suo, commissa sibi oues solum audire possunt, ex iure tamen priuilegij seu verius, ex conditione subiectionis virtute obedientiæ hospites, & peregrinos audire possunt, quia dum in Conuentu hospitantur, subiiciuntur obedientiæ Superiori localis, vnde beneficio huius Sacramenti, ac propriè subditi, gaudent, vnde confiteri possunt, & debent confessarius ibidem expositis, & non possunt eligere confessarium alium à deputatis ex Tambur. & Peregrino citatis pro se à Bossio *sect. 3. de Iubilao casu 4. n. 6.* De priuilegio absoluendi hospites facto superioribus etiam localibus à Bonifac. VIII. fit mentio in *Compend. ver. Absolutio quo ad Fratres num.* 30. Concesso Dominicanis, & ante §. 7. à Clem. IV. Concesso maioribus superioribus Franciscanis, imò etiam extenso ad Locales, vt notat Corduba, super dictum 7. Hanc eamdem facultatem habent etiam confessarij non Superiores, si non ex priuilegio, cum in dictis priuilegiis sermo sit de absolutione à reseruatis, saltem de iure rationabili, cùm in conuentu sint deputati pro omnibus existentibus sub obedientia illius conuentus, seu prouincialis, vt suppono.

13 Secundò delegata absoluendi iurisdictio per tacitam concessioné, & præsumptam delegationem, vt contingit, quando alicui fit licentia peregrinandi, *Megal. lib. 1. de pœnit. cap. 9. num. 1. Nau. tom. 3. in cap. Placuit nu. 62. §. Infertur.* Item contingit quando ob nimiam loci distantiam confinaus accedit ad Parochum alterius Diœcesis, in hoc enim casu superior, seu Episcopus accedentis ad extraneum confessarium, dicitur illi conferre delegationem ex præsumpta concessione, *Nau. cit. num. 100. & ex eo Megal. cap. 7. num. 14. Beia part. 1. casu 16.*

14 Tertiò ex electione acquiritur iurisdictio sacerdoti electo, vt cum superior pœnitenti dat facultatem eligendi confessarium, in eo casu illi delegatur hæc facultas, vt dicit Megal. *cit. cap. 7. num. 1.* iuxta ea, quæ dixi initio huius consilij. Hæc autem facultas eligendi confessarium dari potest à Summo Pontifice, à iure, ab Episcopo, à superioribus regularibus, iuxta superius dicta, de qua re alia quæsita subiicientur.

15 Quartò multis aliis modis potest acquiri hæc potestas iurisdictionis delegatæ, & hoc immediatè ab Ecclesia vniuersali, seu à Papa, cuius est caput, nosque membra eius, ideo illa tamquam pia mater nostra, & is pater clementissimus noster uobis de necessariis, præsertim ad salutem animarum nostrarum, prouidere debet, vnde quosdam defectus, qui in administratione accidere possunt, præter culpam ipsorum pœnitentium, ex parte confessarij, qui quandoque caret iurisdictione necessaria ad absoluendum, supplere, fere omnes Doctores piè, & prudenter arbitrari sunt, in absolutione, vt teneat, supplendo eam iurisdictionem, qua caret sacerdos, vndè dicit *Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 8. num.* 68. quod non solum error communis, sed etiam probabilis Doctorum opinio efficit, vt Ecclesia det iurisdictionem, etiam si opinio sit falsa, vt si probabile sit talem posse absoluere à reseruatis, &c. quem citat *Diana resol. 3. de dub. regul. §. Vnde, & docet Bonac. q. 4. de peccat. p. 9. de opinione probabili num. 19. §. Respondeo.* Et hoc contingere potest duobus modis. Primo, dum dubitatur habeat necne confessarius iurisdictionem in hoc, vel illo casu, posita enim opinione probabili, validè absoluit, licet ex parte rei, careat iurisdictione in eo casu, quia Ecclesia supplet, & dixi cum citatis Doctoribus. Secundò, quando verè sacerdos caret iurisdictione, tamen quia non caret titulo colorato, & communiter ignoratur is defectus iurisdictionis, in hoc casu Ecclesia supplet defectum iurisdictionis, ne fidelium animæ sine propria earum culpa pereant. *Vide Doctores de hac re agentes à me citatos resol. 7. §. Præterea.*

16 Aliis etiam duobus modis intelligitur delegata potestas à Summo Pontifice simplicibus sacerdotibus. Primo, in articulo mortis, ea facultate possunt omnes sacerdotes absoluere constitutum in articulo mortis ab omnibus etiam reseruatis, quia hoc in Ecclesia semper custoditum fuit Trident. *sess. 14. cap. 7.* Secundò, in absolutione peccatorum venialium tantum, aut etiam mortalium, sed iam semel ritè remissorum per absolutionem, ita tenet *Medina C. de confess. q. 36. Valent. part. 3. disp. 7. qu. 10. p. 2. cum aliis, quos citat Tiberius in suo libello Instructio pro ordinandis qu. 121. Sed quod ad hec dicam cons. 36. q. 20*

17 Nota autem, quod in degradato, & excommunicato vitando, extra articulum mortis, Ecclesia non intendit supplere hanc iurisdictionem, quia cum tamquam indignos, & à se præcisos nullo modo toleret, consequens est dicere huiusmodi pænitus repellere, & eius actus tamquam nullos reprobare *Henr. lib. 13. cap. 10. num. 2. Suar. disp. 40. sect. 2, quos, & alios refert Bonac. q. 2. de excomm. p. 2. §. 4. num.* 3. vbi cum multis aliis ait procedere, si confessio fiat, vbi pro tali habetur, si vero alibi, vbi habet titulum coloratum, & communiter ignoratur, supplet Ecclesia, ob rationes allatas.

18 Infertur ex hactenus dictis, Priorem localem iure ordinario absoluere posse omnes, qui sunt de eius familia, & etiam hospites transeuntes, vel pro tempore sub eius obedientia commorantes, & hoc, vel ratione priuilegij relati supra hic §. *Altera, & consil. 7. in fine;* vel iure electionis, iuxta dicta initio huius consilii, vel iure rationabili, & quasi ordinario, eo quod aduenæ apud omnes fere religiones subiiciuntur illi superiori, in cuius conuentu reperiuntur. Vnde non solum ad superiorem, sed etiam ad confessarios deputatos in eo conuentu accedere possunt. Idem de prouinciali, & Generali, qui quoslibet ad se accedentes absoluere possunt, cum ea tamen differentia, quod Generalis in omni conuentu, & extra potest absoluere suos religiosos, & Prouincialis per totam prouinciam, & extra solum proprios subditos, & non extraneos, nisi intra proprium districtum *Rodr. q. 21. art. 3.* Priores verò sibi subditos non solum in suo conuentu, sed etiam extra, aduenas autem solum in suo conuentu iure ordinario. Confessarij autem delegati absoluere possunt omnes suditos illius superioris, qui sibi fecit facultatem excipiendi confessiones, & sic confessarius generalis omnes de religione vbique, prouincialis verò omnes de prouincia vbique.

Quæres 4. An hanc facultatem, quam possunt superiores facere peregrinantibus, seu extra manentibus, ex hactenus probatis, delegare etiam possint fauore continuo existentium infra clausuram, ita quod meus v. g. superior possit mihi concedere facultatem eligendi sacerdotem extraneum in confessarium?

19 Respond. Potest. Probatur, Tum quia Clem. IV. inhibendo vniuersis Ecclesiarum Prælatis, ne confessiones Fratrum Minorum audire præsumerent eorum prælatis inuitis, referente *Rodr. tom. 1. qu. 62. art. 4.* colligitur dictorum Fratrum Prælatum, nempè Prouincialem, aut Generalem posse hanc facultatem Prætis Ecclesiarum delegare: Tum quia prælati regulares valentes confessarios instituere habent hoc ius iure ordinario, ergo illud delegare possunt quibuslibet indifferenter, etiam non subditis, est enim facultas, & iurisdictio gratiosa, & voluntaria, quæ in non subditum conferri potest, si velit illam acceptare. Tum quia religiosi præcipuè in receptione Sacramenti Pœnitentiæ

nitentiæ sunt subiecti suis superioribus, vt semper commune fuit statutum omnium religionum, pluries à Summis Pontificibus confirmatum, ergo in eorum est potestate, illos subiicere huic, vel illi sacerdoti delegando propriā facultatem. Et in hoc nulla est difficultas loquendo de absolutione illorum peccatorum, a quibus possunt ipsi absoluere, quod tanquam notum docet *Molina tom. 4. de Iusto disp. 62. num. 3. & Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 28.* vbi ait id esse manifestum. *Vide resol. 2. quæst. 11. & 12. & resol. 4. n. 15.*

Difficultas verò in eo consistit, an Superior regularis suum subditum possit subiicere Episcopo, vt illum absoluat, vel dispenset in iis, in quibus superior regularis non potest?

20 Respond. Potest subiicere. Probatur, quia duo possunt facere difficultatem, exemptio, & delegatio; quam præstare non potest superior regularis respectiuè ad ea quæ sunt reseruata, sed vtrumque tollitur primum quidem, quia Religiosi de licentia suorum superiorum, possunt renunciare exemptioni, in quantum eius renunciatio potest illis prodesse, quod enim concessum est in fauorem alicuius, non est retorquendum in eius dispendium, *Regul. 61. in 6.* retorqueretur autem, si non possent subiici, immo neque in hoc renuntiant exemptioni, cum hunc fauorem non habeant infra religionē, vt quid tale insinuat *Rodr. tom. 1. q. 39. art. 9. in fine.* Secundum, licet superior Regularis non possit delegare hanc facultatem, cum non habeat ius super reseruata, ac proinde, ex probatis præced. quæst. in hoc casu Episcopus non possit absoluere virtute iurisdictionis sibi committendæ à superiore regularis subiecti, vt enim superiùs probaui, confessarius electus debet habere iurisdictionem delegatam sibi à prælato eligentis, tamen cum hæc ratio non habeat locum respectu Episcopi, in cuius Diœcesi est Religiosus, qui subditur illius dispensationi, aut absolutioni, difficultas non obstat, nam Religiosus per hanc subiectionem, quo ad forum conscientiæ euadit propriè subditus Episcopi, quia quælibet res facilè reuertitur ad suum pristinum principium, statum seu naturam, *cap. 1. dist. 55. l. Si vnus §. Pactus ne peteret, ff. de pactis*, Religiosi autem omnes ab exordio erant subditi Episcopis *cap. 1. cap. Si quis Abbas, cap. Abbates 18. q. 2. Nau. tom. 2. comment. 4. de regul. num. 22.* ergo sine vlla difficultate reuerti possunt ad eumdem statum vti sibi naturalem, consequenter cum sic in hoc casu sit eorum proprius prælatus, non eget iurisdictione superioris sibi delegata, sed sua propria subiectum sibi Religiosum dispensare, seu absoluere potest, qua ratione *Hieron. Papponius lib. 1. consil. xxi. 13. asserit*, Regulares, cum aliés de iure essent Episcopis subiecti, posse illis se submittere; & ad hoc optimam adducit rationem *Rodr. q. 60. ar. 3. §. Neque.* Deinde si absoluant, iurisdictione à Summo Pontifice sibi delegata, iam Episcopo concessa à suo superiore, nam Papa est superior omnium Religiosorum, *Sotus lib. 8. de iust. q. 5. art. 1. ex Rodr. q. 22. art. 6. Nau. consil. 3. de statu mon. n. 31.*

21 Possunt ergo Generalis, Prouincialis, immo, & superior localis suos subditos subiicere quo ad absolutionem, & dispensationem non solum in iis à quibus ipsi absoluere possunt, sed etiam in aliis, à quibus non possunt, neque obstant prædicta præcedenti quæsito quoad quosdam superiores locales, qui cum non possint instituere confessarios, ita neque delegare hanc facultatem, quia ibi dicta procedunt respectu inferiorum confessariorum, & aliorum, qui nullum ius acquirere possunt in Religiosos vti potest Episcopus, qui ad soluendum Regulares non eget delegatione eorum superiorum Regularium, cum illius in hoc religiosi dicantur subditi, ciues enim fiunt illius vrbis, in qua est eorum conuentus, *Bart. in l. 1. ff. ad municip. ex Nauar. tom. 1. com. 2. de regul. num. 63. & consil. 6. de testam. nu. 3. consil. 9. de maior. num. 3.*

Hanc responsionem, quod Religiosi de licentia suorum superiorum possint Episcopis suis subiici pro dispensatione, aut absolutione etiam eorum, quæ tollere non possunt eorum superiores, tenet communiter Doctores, quos citat, referendo contraria *Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 32. Nau. consil. 8. de off. ordin. Bonac. p. 7. de voto §. 4. num. 10. Compend. resol. 3. num. 6. & 15. Bossius sect. 1. casu 10. num. 159. contra quosdam ex antiquioribus citatis ab eodem Sanch. num. 29. quos sequitur Megal. lib. 1. cap 13. num. 10. & Mirand. tom. 2. q. 7. art. 2. concl. 2. ad finem.* Dixi *suis Episcopis, in quorum Diœcesi morantur*, quia aliis subiici non possunt hoc modo, vt bene obseruat *Sanch. nu. 29. & Portel. ver. Episcopus num. 4.* vbi ait, quod si aliquis Prælatus religionis potest absoluere, vel dispensare, tunc subditus non poterit adire Episcopum; quia iam obuiaret reseruationi factæ intra religionem, intellige hoc, quod non potest adire propria lincentia, & extra casum necessitatis, quam neque concedere potest superior respectu reseruatorum maiori superiori, in hoc enim censetur resistere, nisi vigeat necessitas, quia tunc ex præsumpto consensu maioris, potest inferior subiicere suum subditum Episcopo, sicut & quilibet superior respectu casuum sibi reseruatorum etiam extra casum necessitatis non solum ratione subiectionis, sed etiam delegationis, sed id rarò indulgere debent regulares Prælati. *Vide Sanch. numero vigesimo octauo. Corpol. part. 1. sect. 3. art. 13. §. Hoc autem* ait in religione Minor. *capit. 7.* prohiberi huiusmodi delegationem extra ordinem supra reseruata, & pro se citat Hugonem, & Pisan. sed res non est ita, nam dicit Regula, quod si Ministri non sunt Sacerdotes faciant absoluere per Sacerdotes ordinis, designat modum, sed non prohibet delegationem, vnde & Bartoluc. in declar. dict. capit. in fine, ait in casu necessitatis posse confiteri extra.

Licentia autem non requiritur expressa, sed sufficit 22 tacita, & præsumpta, *docent Anton. part. 3. tit. 24. cap fin. §. 1. Silu. ver. Apostasia q. 8. num. 11. ad finem, quos pro se citat Sanch. lib. 4. cap. 30. nu. 35. & 36.* ait quod si proprius Superior nolit absoluere, vel dispensare, in eo casu poterit se subdere Episcopo, Superiore iniustè denegante absolutionem, quia talis præsumitur voluntas Papæ, & Religionis, vt possit sibi prouidere.

Summa ergo potestatis Episcopi in foro conscientiæ, erga Religiosos morantes in sua Diœcesi est, vt de licentia saltem præsumpta suorum Superiorum, imò etiam sine illa, illis iniustè denegantibus absolutionem, possint absolui non solum ab iis, à quibus ipsi valent eos absoluere, & hoc potestate etiam ab ipsis delegata Episcopo, verùm etiam ab illis, à quibus non possunt, eo quod sunt reseruata Sedi Apostolicæ, illis sublata facultate, & hoc Episcopus præstare potest proprio suo iure, inferior autem subiicere non potest suum Religiosum, neque Episcopus absoluere respectu reseruatorum Prælato maiori, ne huius iura lædantur, dato tamen casu necessitatis, vt quia maior est excommunicatus, vel depositus, vel longè abest, & inferior ius non habet super casus sui Superioris, tunc Episcopus potest absoluere, per epicheiam, & præsumptum Superioris consensum.

Quæres 5. An itinerantes ex vi electionis Confessarij possint absolui à reseruatis à Sacerdote electo?

Respond. Non, nisi id expressè concedatur à Superiore, quòd probatur, Tum argument. *cap. Si Episcopus, de pænit. in 6.* vbi Episcopus concedendo facultatem eligendi Confessarium, non ideò dat facultatem, vt electus possit absoluere à reseruatis. Tum 23 quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus *Reg. 81. in 6.* Et ita tenent *Rodriq. tom. 1. quæst. 20. art. 27. Mirand. tom. 2. quæst. 35. art. 6. conclus. 2. Compend. res. 32. num. 22. Bossius sect. 3. casu 4. num. 7. Megal. lib. 1. cap. 10. num. 24.* vbi *num. 15.* sibi obiicit priuilegium Innoc. VII. de

de quo suprà initio Resolutionis, vbi itinerantibus conceditur facultas eligendi sibi Confessarium, qui eos absoluat à quocumque crimine, de quo non sit consulenda Sedes Apostolica, quæ non est consulenda pro casibus reseruatis à Prælatis Regularibus, ergo videntur sibi posse eligere Confessarium, qui à reseruatis absoluat, respondet tamen non posse, quia Papæ mens non fuit restringere authoritatem Superiorum, vt sibi casus reseruate non possint respectu itinerantium, cum id sit ius antiquum Prælatorum, à quo non est recedendum, nisi quatenus inuenitur expressum, sed Innoc. nec alius Papa expressit, ergo dicendum est Confessarium sic electum à reseruatis absoluere non posse. Adde; quod sicut Papa concedens facultatem absoluendi à sibi reseruatis, esto nihil dicat de reseruatis aliis Prælatis, Ecclesiæ tamen vsus interpretatur, facultatem hanc concessisse, *Vt ex Vgolino de cens. tab. 1. cap. 10. §. 4. tradit Floren. cap. 4. §. 1. num. 7. de casibus reseruat. & Homob. part. 1. eod. tit. cap. 5. §. Quod etiam*, Ita à contrario sensu Papa in dicto priuilegio prohibens absolutionem à suis casibus, censetur etiam illam interdicere à reseruatis in Religione.

Quæres 6. An existens in Conuentu, vbi nullus reperitur Sacerdus sui ordinis, vel si reperitur, quia ad inuicem non sunt benè affecti, aut timet de reuelatione Confessionis, possit eligere extraneum?

24 Respond. Potest in primo casu, Tum quia in hoc æquiparatur itineranti. Tum quia ratio cur conceditur electio Confessarij, est ne pro dilatione confessionis immineat periculum animarum, *ex cap. fin. de pœnitent.* Sed in casu hoc imminet periculum animæ huius Sacerdotis, ergo potest eligere Sacerdotem. In secundo casu non ita facilè conceditur electio, debet enim prius præuidere hoc, & sic gratiam à suo Superiore petere confitendi extra, quamquam non damnatem eum Religiosum, qui reperitur in Conuentu cum vnico alio Sacerdote, eligentem Confessarium extraneum aliquandò, quia præsumitur voluntas Prælati esse, ne diutius sui subditi differant Sacramentum Pœnitentiæ, sed tutius est, admonere Superiorem, qui non debet esse difficilis in concessione huiusmodi.

Quæres 7. An iter arripiens de licentia sui Superioris, dedita opera, & eo fine præcisè, vt extra ordinem confiteatur, validè absoluatur? Quòd idem quæri potest de Concionatore, vel alio differente confessionem ad tempus quadragesimæ, vel ad aliud tempus, quo extra manere debet.

25 Respond. In primo casu nulla est absolutio. Tum quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari, *cap. Sedes Apostolica, de rescr.* Tum quia priuilegia non sunt trahenda in consequentiam, *capit. 8. de priuileg. & Reg. 28. in 6.* Ergo priuilegium datum peregrinantibus, non extenditur ad vagantes præcisè, vt illo vtantur. Tum quia priuilegium meretur amittere, qui sibi permissa abutitur potestate *cap. 7. dist. 74. cap. 60. 11. quæst. 3. cap. 18. de regul. cap. fin. in fine, de pænit. in 6.* Tum demum quia priuilegia illa conceduntur, modo Religiosi illis vtantur sine fraude, vt id expresse dicit Leo X. simile priuilegium concedens, *Apud Sorbum ver. Absolutio ordin. quod ad Fratres §. 23.* In secundo casu de Concionatore, & aliis consultò confessionem differentibus, est valida absolutio. Tum quia dum actu existit extra Monasterium verè peregrinus est, ergo habet ius vtendi priuilegio, præsertim Leonis X. in quo est sermo præcipuè de Prædicatoribus, consequenter illa dilatio confessionis non potest vitiare hanc electionem. Tum quia sicut validè eligit Confessarium peccans sub spe veniæ, & absolutionis recipiendarum virtute alicuius Bullæ, vel Iubilæi concedentis electionem Confessarij, vt in hoc peculiari, cas. 29. multis probat Beia *part. 2.* ita & dictus Concionator, vel alius differendo confiteri, validè eligit Confessarium.

Neque obstant nostra dicta de fraude, & dolo, quia est dispar ratio, nam in præcedenti membro quæsiti, assumitur iter causa confessionis, non peregrinationis; in præsenti verò Concionator iter directè aggreditur ad concionandum, consequenter postea ad eligendum confessarium, susceptum enim iter alio fine, quàm confitendi, est sufficiens titulus eligendi confessarium. Quare fraus, licèt immediatè non possit prodesse alicui, mediatè tamen, & per accidens potest, vt dixit *Nau. consil. 6. de conuers. coniug. num. 4. ad 3. per cap. Quia diuersitatem, de concess. præbend.*

Quæres 8. An profugus, seu apostata, & sine licentia habens recursum ad superiorem maiorem, possit vti priuilegio electionis confessarij?

Respond. Fugitiuus non potest vti eo priuilegio, quia conceditur solùm peregrinantibus de licentia suorum superiorum. Appellans verò, seu recursum habens legitimum ad superiorem maiorem, inuito etiam inferiore, eligere potest confessarium. Tum quia appellatio illis licita est, præsupposito grauamine, vt omnes docent in *cap. 2. & 3. de appellat. & in specie religiosorum Rodr. tom. 1. q. 29. art. 2. Nau. com. 2. de Regul. nu. 61. & com. 3. nu. 51. & de appellat. consil. 4.* Ergo siue cum licentia, siue sine licentia recedat, censetur iustè recurrere, & sic cum præsumpta licentia maioris superioris, ad quem recurrit, *arg. cap. 28. de regul.* Vbi licentia legitimè petita, licet non concessa, habetur pro obtenta, præterquam quod licentia non est necessaria in iis, quæ aliàs sunt concessa, *Glos. arg. cap. 2. de temp. ordin. in 6. ver. Licentia, per alia iura ibi citata.* Tum quia si est aliqua difficultas, maximè oritur *ex ca. 4. sess. 25.* Vbi dicitur, quod nec liceat regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eis missi, aut vocati fuerint, nam locus iste debet intelligi de accessu illegitimo, seu causa appellationis à correctionibus, quæ regularibus non permittitur, nisi excessus fiat in corrigendo, vt notatur à citatis Doctoribus, *& dixi resolut. 32. n. 5.* 26

Quæres 9. An in alio casu, excepta peregrinatione, vel existentia extra conuentum, possit religiosus eligere sibi confessarium e. g. aliquis celebrandi obligationem habet in Ecclesia aliena, & ibi proximè præparatus, vt quia vltimum signum campanæ dedit, & recordatur, se lethalis culpæ esse conscium, an tunc possit confiteri extraneo sacerdoti ibi casu existenti? Idem quæritur de existente in cathedrali pro recipiendis ordinibus, & similibus casibus in quibus non potest commodè, aut sine graui admiratione, redire ad proprium conuentum ad confitenda sua peccata.

Resp. Proximè præparatus ad celebrandum, vt si data iam sunt signa, vel si cæpit se sacris vestibus induere, vel si congregatus est populus, vel recessus est magnæ admirationis, seu ex alio accidenti est sibi graue incommodum regressus ad propriū confessarium, sicut & existens Sabbato in Ecclesia pro ordinatione, potest defectu sacerdotis proprij eligere extraneum. Suadetur. Tum quia id colligitur ex priuilegio Sixti IV. illis verbis. *Vel fuerint extra Conuentus suos.* Expressius habetur à Clem. *IV. Apud Sorbum ver. Absol. ordin. quo ad Fratres §. 4.* Qui prohibet religiosis, ne confiteantur aliis, quàm prælatis suis, nisi necessitatis vrgente articulo, sed in casibus prædictis vrget articulus necessitatis, ergo eligere potest. Tum quia in hoc æquiparatur peregrinanti, cum & ipse sit extra monasterium, vbi non habet copiam proprij confessarij, ergo aliis confiteri potest. Tum quia rationabiliter præsumitur tunc habere tacitam licentiam eligendi confessarium. Tum quia necessitas non est subiecta legi, *cap. Quanto, de consuet.* Ergo confiteri potest extraneo, siquidem necessitas licitum facit, aliàs illicitum *cap. 4. de reg. iur.* Neque tenetur tunc elicere actum contritionis, si confessarium ibi in promptu habet, quia obligatio contritionis intelligitur, quando confessarius haberi non potest. 27

Quæres 10. An Superiores, & Prælati regulares dum peregrinantur de licentia suorum maiorum gaudeant eodem priuilegio eligendi sibi confessarium? Item, an

aliud

aliud habeant priuilegium eligendi sibi confessarium iure communi concessum cap. fin. de pœnit. à Greg. IX. illis verbis. *Ne pro dilatione pænitentia periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & alijs superioribus, necnon & minoribus prelatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum, & discretum possint sibi eligere confessarium.* De quo priuilegio mentionem faciunt *Palud. in 4. dist. 17. Silu. ver. conf. 1. §. 8. cum Coriol. part. 1. de casib. reseru. art. 21. sect. 1. Armilla ver. Absolutio num. 15. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. Corduba in Comp. priuil. ver. accedere ad monast. mon. circa finem, Tolet. libro 3. cap. 13. Rodr. tom. 1. quæst. 20. art. 28. Sigism. de elect. dub. 121. num. 1. præfatos citans. Megal. de pœnit. lib. 1. cap. 10. Compend. resol. 63. num. 10. Bossius sect. 3. dub. 3. à num. 95. ad. 128.*

28 Respond. ad primum. Superiores itinerantes, vel extra manentes, vel in articulo necessitatis non habentes sacerdotem sui ordinis possunt eligere extraneum. Tum quia id expressit Sixtus IV. cuius verba retulit supra in responsione ad Concilium. Tum quia in hoc sunt subditi respectu suorum maiorum. Tum quia non sunt deterioris conditionis suis subditis.

Respond. Ad secundum. Superiores nempe Generalis, Prouincialis, & superior localis immediatus quouis nomine appelletur siue Abbas, siue Prior, siue Guardianus, aut Præpositus, item Præsidens subrogatus in locum præmortui, vel non existentis, gaudent hoc priuilegio eligendi sibi aliquem sacerdotem sui Ordinis in confessarium, alias in eius defectum extraneum alterius Ordinis, seu secularem, & non est necesse, quod sacerdos electus sit approbatus, seu delegatus à superiore eligentis, seu electi, sed sufficit, quod sit simplex sacerdos.

Quod prædicti omnes gaudeant eo priuilegio, probatur, quia quo ad casum nostrum, confessarium eligere possunt superiores, & prælati minores exempti, præter sui superioris licentiam, vt ibi expresse dicitur; sed enumerati sunt prælati, cum habeant administrationem rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione, *Silu. ver. Dignitas, & ex eo Rodr. tom. 1. q. 13. art. 10. q. 17. art. 4. q. 24. art. 9. & alijs citatis docet Sigism. de elect. dub. 121. num. 1.* vbi præcipuè hoc suadet de Guardianis, & alijs superioribus localibus non solum electis, sed etiam prouisis, aut alia ratione deputatis, *Portel. ver. Prælatus num. 1.* idem asserit, adiungendo prædictis Commissarium Generalem, & Custodes quæ duo officia vt sint prælaturæ procedunt in illis Religionibus, in quibus præter electionem, de iure speciali habent administrationem, & iurisdictionem erga subditos, vt in ordine Minorum de prima Regula; in mea enim Religione non sunt prælati, quia Commissarius Generalis non eligitur, sed prohibetur à Sixto V. constit. *Romani Pontificis*, Dat. 29. Martij 1586. non obstante cap. 1. Reg. cui in hoc fuit derogatum per dictum Pontificem, & licet eligatur de iure Custos, tamen prælatus non est, cum careat iurisdictione, & præcisum officium suffragandi habeat solum in capitulo Generali.

Faciunt aliqui difficultatem in Prioribus, seu alijs Prælatis localibus, *nam Panor. & Angel. ver. Confessio 3. num. 5.* cum alijs negant hanc electionis facultatem, ea ratione, quod vel quia non sunt prælati; vel quia si tales, immediatè non subduntur Papæ, vt requirit priuilegium. Sed vtrumque repellitur, nam sunt prælati, vt probatum fuit, & parum facit allata distinctio mediationis, vel immediationis, aliter neque Prouinciales eo fruerentur, cum non sint immediatè subiecti Papæ sed suo Generali. Reliqui ergo omnes tenent Priores posse sibi eligere confessarium, de nostris mentionem facit succinctè Reu. de Sillis Annot. 2. in fine, super cap. 5. Regulæ.

29 Locum habet etiam in Præsidentibus, seu Vicarijs, quales sunt illi Patres, qui per modum prouisionis præficiuntur immediati superiores in locum præmortui, vel amoti ab officio, vel absoluti ab officio, vel quia in tali loco solent præfici à solo superiore sine electione, quia isti sine dubio sunt prælati, & habent potestatem fori contentiosi, docent *Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. cap. 22. num. 5. quem pro se citat. Sigism. de elect. dub. 78. num. 6. Rodr. tom. 3. q. 76. art. 1. & cum eo Compend. resol. 139. n. 1.*

30 Cæteri verò Vicarij, qui vices gerunt superioris localis, vel maioris superioris, cum non sint prælati, nec aliam iurisdictionem habeant, nisi quam illis delegant sui superiores, ex citatis Doctoribus non gaudent hoc priuilegio eligendi confessarium, & Vicarius, de quo fit mentio in Regula mei Ordinis cap. 6. nullum ius habet super religiosos, sed solum curam habere debet rerum monasterij, & procurare necessaria victui, & vestitui Fratrum. Vnde is nequaquam eligit confessarium, neque aliquod ius, in vim Regulæ habet super Fratres, etiam dum abest Prior. Megal. *lib. 1. de de pœnit. cap. 10. num. 4. & Coriolanus sect. 1. art. 24.* hoc priuilegium extendunt etiam ad Vicarios non prælatos, id est, ad illos, qui vicem gerunt superioris existentis, in casu solum absentiæ, & probat Megal. Tum quia actio subrogata priuilegium eius habet, in cuius locum subrogatur. Tum quia absente prælato, in eo militat ratio cap. fin. de pœnit. imminet enim tunc periculum animæ Vicarij, absente eius superiore. Coriolanus verò ait hoc fieri ex consuetudine. Sed reijcitur prima ratio Megal. quia illud axioma habet locum, quando quis propriè subrogatur in locum non existentis, *docet Sigism. cit. dub. 77. num. 5.* præterea non subrogatur vt prælatus, ergo neque prælati priuilegio vti potest. Secunda ratio nihil probat, aliter etiam subditi possent virtute dicti capitis eligere confessarium, præterquam quod in eo casu Vicarius non caret proprio sacerdote, seu confessario deputato. Ad consuetudinem Coriolani dico esse iure communi reprobatam *cap. 1. de pœnit. in 6.* vbi dicitur, quod nulla consuetudine induci potest, quod quis præter sui superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat.

31 Quod debeant eligere sacerdotem sui ordinis, probatur. Tum quia ita probaui de priuilegio itinerantibus concesso, ergo idem dicendum de superioribus, debent enim dare bonum exemplum suis subditis, cum prælatorum gesta trahantur in exemplum à subditis, *capit. Magna, de voto*, esset enim prauum exemplum, quod prælatus confiteretur extra religionem, ad quod sine dubio in perniciem religionis inducerentur subditi, quod tamen illis quotidie prohibent, *arg. cap. 15. de sentent. excommun.* Tum quia non est maior ratio cur superiores vi sui priuilegij eligant extraneum, & non possint hoc facere itinerantes, cum in vtroque priuilegio par sit dispositio sacerdotis eligendi, immo amplior pro peregrinantibus, sicut ergo isti non possunt, quando habent copiam proprij, ita neque illi. Tum quia intentio Papæ, & vniuersalis religionum est, vt omnes, etiam Generalis ipse, quantum ad Sacramentum pœnitentiæ subiecti sint sacerdotibus intra religionem, nullo obstante priuilegio, ex constit. Clem. VIII. *relata à Quar. ver. Confessor, & multis probat Bossius sect. 3. casu 4. Beia casu 16. part. 3.* Ita tenent *Coriol. sect. 1. art. 21.* dicendo maiores eligere posse non deputatum, Guardianos verò deputatum, ergo non nisi de proprijs sacerdotibus ordinis eligentis, & similiter *Sigism. dub. 121. num. 4. vbi pro se citat Suar. ita etiam videtur supponere Rodr. quæst. 20. art. 28. Diana dub. 1. de dub. regul.* tenet oppositum nempe Generalem, & alios inferiores supradictos posse eligere confessarium extra religionem virtute dicti capitis, vbi præter alios citat *Villalobos, & Mirand. tom. 2. quæst. 19. art. 7. quæst. 33. art. 6.* sed isti Doctores neque expressè, neque implicitè dicunt posse vi illius capitis eligere extraneum, quando habent copiam sacerdotis sui Ordinis, & de more confundit secundo loco priuilegium peregrinationis cum priuilegio iuris communis, quod de prælatis intra clau-

stra

stra degentibus potius loqui videtur, quàm de itinerantibus, neque ex verbis Villalobos ab eo Hispanicè relatis id colligitur.

32 Quod neque sit necesse, vt Sacerdos electus sit ex deputatis, à superiore eligentis, aut electi, si sit extraneus, defectu Sacerdotis sui ordinis, probatur, quia aliter priuilegium esset inutile, & nihil operaretur, quod est inconueniens, quia priuilegium ita interpretari debet, vt aliquid operetur, *cap. In iis 30. de priuileg. cap. Abbate 25. §. de verb. signif. Nau. consil.22. de priuileg. Sanch. lib. 3. disp. 26. num. 6.* Præterea frustra poneretur illa clausula, *Præter sui superioris licentiam*, si cogerentur virtute huius priuilegij eligere approbatum à suo superiore. Ita tenet *Coriol. part. 1. sect. 1. art. 21. num. 3.* vbi dicit, quod omnes Prælati possunt eligere, quem maluerint, Sacerdotem deputatum, vel non deputatum, & postea in fine articuli, sibi aduersando dicit, quod Guardiani non eligunt nisi deputatum, quod idem asserit Compend. resol. 69. num. 10. vbi subdit, neque Generalem, aut Prouincialem extra ordinem posse eligere confessorem sibi non subditum, qui non sit approbatus à suo ordinario, idque probatur, *inquit*, à fortiori, nam Episcopo non licet eligere extraneum nisi à suo ordinario approbatum, per quandam declarationem Cardinalium, &c. Sed errat iste Pater. Tum quia per huiusmodi electionem, confertur à Summo Pontifice seu à iure communi iurisdictio delegata Sacerdoti electo, ergo alia non indiget, quæ cum sit extranea inutilis est, & impertinens respectu eligentis, vt multis probaui sub responsione resolut. & sub *quæst. 3.* Tum quia ideo Episcopus non potest eligere non subditum simplicem Sacerdotem, quia ex dispositione Sacri Concilij nullus potest audire confessiones secularium etiam Sacerdotum, nisi habeat iurisdictionem ordinariam, vel aliàs sit approbatus ab Episcopo, quod non habet locum in Religiosis, præter quam quod dico virtute dicti capitis in opinione quamplurium, posse Episcopum eligere etiam extraneum, & non subditum, tunc enim ei delegatur potestas à iure, *pro qua re vide Bossium sectio. 3. casu 4. numero* 101. *Nobiscum est Lauor. titulo 4. de election. cap. 23. num. 17.*

Quæres 11. Cum dixerim q. 4. posse superiores regulares facere facultatem suis subditis etiam intra claustra morantibus eligendi confessarium; An etiam eadem facultate gaudere possint pro se, & ita sicut licentient subditos, ita seipsos licentiare possint delegando facultatem extraneo, vt seipsum absoluat? Et quinam superiores possint seipsos licentiare?

Resp. Ad primum. Possunt, nisi habeant prohibitio-
33 nem ex Regula, vel statutis. Suadetur. Tum quia *ex Caiet. 2. 2. quæst. 96. art. 5.* superior potest dispensare in suis legibus pro se, sicut potest pro suis subditis; sed pro suis subditis dispensat, vt extra possint confiteri, ergo & pro se. Tum quia superior non debet esse deterioris conditionis, quàm sint subditi. Tum quia licentiare subditos, est sacerdoti electo delegare iurisdictionem, ex probatis *quæstione 3. §. Tertio*, sed hanc delegare etiam pro se potest, quod patet in Papa, qui sacerdoti à se electo delegat iurisdictionem, vt seipsum absoluat, ex communi Doctorum sententia, & Generalis; seu Prouincialis deputando confessarium pro suis subditis, censetur illum approbare etiam pro se, ergo sicut approbare possunt extraneum pro suis subditis ita etiam pro se & ita tenent non solum in materia absolutionis, sed etiam in dispensationibus, & aliis, communiter Doctores cum *Sanch. lib. 8. disput. 31. & lib. 4. cap. 39 num. 37. Bossius sect. 1. casu 10. num. 162. Rodr. tom. 1. quæst. 21. articulo 8. cum suo Compend. resolut. 69. numero 8. Mirand. tom. 2. quæst. 34. articulo 14. Boia part. 4. casu 5. §. Respondemus. Faciunt dicta resol. 3. quæst. 9.*

34 Resp. Ad secundum. Soli superiores, qui possunt confessarios instituere possunt seipsos licentiare, & in mea religione sunt non solum Generalis, & Prouincialis, sed etiam Prior, qui confessarios approbare possunt, vt dixi *quæst. 3. §. Tertium.* Et potest Prior seipsum subijcere Episcopo suo, hoc est, in cuius Diœcesi moratur, quia cum in hoc casu sit illi subditus non dicitur delegare illi facultatem, quam sine dubio habet ex se, vt probaui quæst. 4. in respons. difficult. & ibi dicta magis confirmantur in specie religionis nostræ, quæ ab exordio suæ institutionis subiecta erat ordinariis locorum etiam in spiritualibus ex Regula Nicol. IV. c. 18. & gesta in capitulo olim confirmabatur ab Episcopo loci, vt videre est ex Constit. *Personas vacantes.* Dat. 26. Septembr. 1414. quamuis postea primo Eugen. IV. in sua Constit. Iniunctum nobis. Dat. 6. Februar. 1442. omnes exemerit ab obedientia ordinariorum locorum.

Quæres 12. An Religio, seu Generalis, aut Prouincialis cum suis capitulis possint tollere, aut saltem restringere huiusmodi priuilegia itinerantibus, aut Prælatis cap. fin. de pœnit. de quib. hactenus, concessa: Item an auferre, vel prohibere huiusmodi licentias ad extraneos confessores, quos superiores iure proprio concedere possunt?

Resp. Loquendo de priuilegiis concessis itineranti-
bus relatis initio huius resolutionis, & de alio inserto 35
in corpore iuris pro Prælatis, de quo quæstione 10. hæc superiores tollere non possunt, neque restringere. Si verò sermo sit de licentiandis subditis intra claustra manentibus, possunt superiores maiores, seu religio in suis capitulis restringere, & de facto in diuersis religionibus extant huiusmodi statuta, ne quis extra religionem eligat confessarium, vt in religione Theatinorum, & Dominicanorum, vt refert Diana resol. 1. de dub. regul.

Primum, de priuilegiis itinerantium, & Prælatorum, probatur, Tum quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum, *Reg. 16. in 6.* Tum quia priuilegia violanda non sunt, neque etiam indirectè, *cap. quanto 26. de priuileg.* Tum quia inferior non potest tollere legem superioris, *cap. Cum inferior 16. de maior. Clem. Ne Romani de elect.* Quod autem religio, seu superiores maiores non possunt tollere priuilegia, seu eorum vsum restringere iure proprio, nisi circa hoc habeant specialem à Papa facultatem docent fere omnes cum *Rodr. quæst. 2. art. 2.* & in specie de priuilegio illo eligendi confessarium inserto in iure communi multum inclinat *quæst. 20. art. 28.* quia non est priuilegium, sed constitutio iuris communis, *Mirand. tom. 2. quæst. 43. art. 4. & cum illis Diana resol. 87. de dub. regul. vbi etiam citat Compend. resol. 116. num. 26.* tenentem, hoc procedere etiam in religionibus carentibus dicta concessione moderandi priuilegia, & probat, quia tota religio potest renuntiare vsui priuilegiorum, cum non conferatur in inuitum, sed reiicitur, quia sine speciali licentia non potest renuntiare cap. Cum tempore, in fine de arbitris, *Rodriq. tom. 1. quæst. 59. art. 9.* In mea autem Religione, hactenus à nullo Pontifice Maximo fuit facta facultas tollendi, aut restringendi priuilegia Apostolica, neque in hoc possunt superiores nostri communicare cum priuilegiis aliarum Religionum, quia communicatio intelligitur in fauorabilibus, *cap. Sane, de priuil. Rodr. tom. 1. quæst. 55. art. 17. ad finem §. Ex quibus. Mirand. tom. 2. quæst. 46. art. 6. Sigism. dub. 56. de elect. num. 9.* non autem in odiosis, qualis est facultas tollendi priuilegia; quare priuilegia maximè prædicta duo cum sint rationabilia, immo necessaria tolli non possunt.

Secundum de licentiandis subditis, & seipsis extra illos casus tolli potest, & optimum esset auferre hoc ius ab omnibus, vt Religiosi hoc Spirituali fræno retraherentur & continerentur in disciplina Regulari. Vnde rarò vtantur hac licentia, quia facilitatem peccandi tribuit, & prauas consuetudines fouet.

Quæres 13. An habens sola peccata venialia, vel mortalia,

mortalia, fed aliàs ritè remiffa poffit confiteri extra Religionem, eligendo quemuis etiam fimplicem Sacerdotem?

36 Refpond. Non poteft. Tum quia de iure communi in Extrauang. com. *Inter cunctas*, §. *Sed quia multoties, de priuileg. de communi apud Boffium fect.* 3. *casu* 4. *numero* 1. & de iure fpeciali cuiufque Religionis, debent confiteri intra Religionem, & de noftris patet cap. 22. Reg. Sed tam eft confeffio facta de venialibus, quàm mortalibus, cum ad vtrumque genus peccati hoc Sacramentum fe extendat, ergo prohibita fimpliciter confeffio extra Religionem, intelligitur de vtrifque. Tum quia licet confeffio venialium, & mortalium aliàs rite remifforum non fit in præcepto de iure, cum fit voluntaria Sacramenti huius materia; tamen fi quis vult ea confiteri debet feruare leges confeffionis; à fimili enim, ficut qui diebus non feftiuis vult audire Miffam, ad quam non tenetur, debet illam attentè, & deuotè audire, aliàs peccat fub veniali, vt docet *Beia par.*1. ita & qui vult confiteri venialia debet feruare leges confeffionis, inter quas vna eft, vt Religiofus confiteatur intra religionem. Tum quia tenet ftatutum, quo præcipitur repetitio Confeffionis omnium peccatorum iam ritè remifforum, in Religionibus SS. Benedicti, Bernardi, Cartufienfium, Carmelitarum Difcalciatorum, *vt docent Rodr. q.*6.2.*art.*2. *& aliis, quos eius Compend. citat refol.*31.*num.*19. ergo fignum eft Religiofos quo ad venialia, & mortalia ritè remiffa fubiici fuis Prælatis.

Quæres 14. Vice verfa, an ipfi Religiofi poffint acceptare electionem de fe factam ab extraneis fine licentia fuorum fuperiorum. Hoc eft, An Religiofi poffint audire extraneos quoad huiufmodi peccata venialia, vel mortalia rite remiffa? An audire in articulo mortis? An in quouis alio cafu audire pœnitentem habente ius eligendi fibi confeffarium, & difficultas eft de fimplicibus Sacerdotibus. Nam de Confeffariis alia eft difficultas, de qua alibi *refol.* 36 *q.*11.

37 Refp. In dictis cafibus poteft audire quemlibet extraneum etiam fine licentia, modo non habeat prohibitionem ex præcepto fuperioris, vel ftatuto fui ordinis quæ pro articulo mortis nullius eft momenti. Probat, bene *Nau. cap.* 4.*n.*6. tam refpectu venialium quàm mortalium rite remifforum, & fine dubio in articulo mortis, & habentis diploma a Papa eligendi confeffarium. Tum quia eft opus charitatis, ad quod præftandum non requiritur licentia, poteft enim religiofus pacem componere, tractare matrimonium, & fimilia facere, quæ non præiudicant religioni, neque fuo ftatui, aut fuperiori; fed hoc in nullo repugnat, ergo poteft. Tum quia licet velle, & nolle non habeat in aliquibus, neque in præiudicialibus, vt mox, in multis tamen aliis habet, *vt ex D. Thom. ibi docet Nau. & tom.* 2. *comm.* 2. *de regul. num.* 59. *Sigifm. de elect. dub.*43.*numero* 13. Ita ergo de prædictis omnibus tenent *Nau. cit. cap.* 4. *num.* 6. *Cano, quem citat Rodr qu.*60.*art.*1. vbi licet videatur tenere oppofitum, nobifcum tamen eft, quia ibi cum Soto folum probat, poffe fuperiores prohibere, & reos punire, *Graff. part.*1. *libro primo capitulo* 13. *numero* 87. *& capitulo* 17. *numero* 8. *cum multis aliis, quos pro fe citat Boffius fect.*3. *cafu* 2. *numero*, 177. *&* 178. tenent non poffe fine licentia fuperioris audire in dictis cafibus, quia nolle, nec velle habet, fed, iam fublata eft vis rationis. Conueniunt autem omnes, abfolutiones effe validas, & in articulo mortis non requiri huiufmodi licentiam; imò prohibitionem factam contra hunc articuli mortis cafum effe nullam, & irrationabilem tenent omnes. Et religiones, quæ habent huiufmodi ftatutum non audiendi extraneos fine licentia fuperioris, puto loqui in ordine ad mortalia, vt fcilicet non poffint audire confeffiones fecularium indiftincte fine licentia fuperioris, licet ab Epifcopo habeant approbationem, maximè quando in prohibitione adfunt verba reftrictiua, & loquentia in ordine ab Epifcopo; & prohibitio audiendi confeffiones fecularium videtur intelligenda de illa, quæ fit præuia ordinarij approbatione, non autem de illa, quæ incidenter fit, vt in prædictis cafibus, verba enim debent intelligi fecundum communem vfum loquendi, *cap. Ex literis* 7. *de fponfal. bene glof. ver. Vltra duas dietas, ca. Nonnulli* 28. *de refcr. & multa locat Barbofa lit. V, n.*6. *&* 8. communis autem vfus loquentium eft de confeffariis regulariter, & ordinariæ approbatis ab Epifcopo, confequenter prohibitio illos includit, & non qui incidenter, & ex electione audiunt quandoque confeffiones fecularium.

Quæres 15. An Nouitij poffint eligere confeffarium extra religionem, vel teneantur confiteri confeffariis regularibus ficut alij profeffi? Et an in itinere gaudeant priuilegio eligendi confeffarium more profefforum?

Refp. Tenentur confiteri intra religionem fuo Magiftro, aut vni ex deputatis à fuperiore regulari, aliter confeffio eft nulla. In itinere autem gaudent priuilegio pofefforum. Primum multis rationibus *probaui in meo Tractatu de profeffione regul. ca.*4.*q.* 70. *interim vide Dianam refol.*4. *de dub. regul. & refolut.* 27. *de paupert. religiofa*, fententiem oppofitum, referentem tamen de more fuo oppofitas fententias. Nota autem, quod licèt in Decretis Clem. VIII. pro nouitiis dicatur, *Ipfi autem Magiftro foli nouitiorum confeffiones audiendi cura committatur.* Quafi ille folus poffit audire illos, & non confeffarij monafterij, quod videtur magis confirmari, fubfequentibus verbis. *Liceat tamen fuperiori etiam locali, fi ita expediri iudicauerit, vel per alium ab eo deputandum femel, aut bis, &c.* tamen illa verba non faciunt facultatem, quia taxatiua *foli* non femper excludit, vnde locum non habet quoad perfonas eandem rationem habentes, docet *Euer. in loco à natura dict. taxat. numero* 4. *in rib. & Doctoribus ibi citatis*; alij autem facerdotes in confeffarios deputati pares funt cum Magiftro quatenus Confeffario, ergo & ipfi nouitios audire poffunt. Præterea particula *foli* non accipitur taxatiuè, fed fignanter, quatenus indicat, fi aliqui facerdotes deputandi funt in Confeffarios nouitiorum, præcipuè debet effe eorũ Magifter *arg. cap.*1. 32.*qu.*2. vbi glofa dictionem *folus* explicat, ideft præcipuus, & fic aliqualiter corrigo, quæ dixi *capitulo quarto de profeffis. regul. quæftione* 65. §. *Non videtur*, Vbi vide alia duo dubiola de hac re. Intellige dicta, modo non adfit expreffa prohibitio, ne Confeffarij indifferenter audiant nouitios, quam hactenus non vidi in meo Ordine, licet regulariter confiteantur fuis Magiftris, vel aliis de eorum, aut fuperiorum confenfu faltem interpretatiuo.

38

Quod gaudeant priuilegio profefforum eligendi confeffarium quemcunque etiam non approbatum, fed fimplicem, aut extraneum, fi careant copia facerdotis fui ordinis; Suadetur. Tum quia illa duo priuilegia fuperius initio confilij relata indifferenter loquuntur de Fratribus peregrinantibus de licentia fuorum fuperiorum, non diftinguendo inter profeffos; nouitij autem & ipfi Fratres funt, & non poffunt peregrinari fine licentia fuperioris religionis, cui fubduntur, ergo gaudent priuilegio hoc. Tum quia nouitius in fauorabilibus venit nomine religiofi, feu profeffi, vt docent communiter *quos retuli cap.* 4. *quæft.* 1. §. *Nouitius, & quæft.* 42. *& quæft.* 67. *de profef. regul.* maximè pro foro confcientiæ *arg. cap.* 21. *de fent. excomm. in* 6. 39

Quæres 16. An Tertiarij, feu Terzini, & alij quouis nomine appellentur, habitum religionis deferentes, collegialiter viuentes cum clauftralibus, poffint eligere Confeffarium extra religionem? An vero more profefforum teneantur eligere vnum ex deputatis in religione? Item an is debeat effe approbatus etiam ab ordinario loci? Item an gaudeant priuilegio peregrinationis?

Refp. Tertiarij, quales dicuntur deferentes imper- 40

fectum habitum sine caputio, & alij famuli illum non deferentes, continuo tamen viuentes sub obedientia regulari intra monasteria, possunt confiteri sacerdoti religioso solum approbato ab illo superiore, sub quo viuunt, ita quod hi sacerdotes ab illis electi non egent approbatione Episcopi. Et gaudent priuilegio peregrinationis.

Probatur de Tertiariis, Tum quia de illis sic disponitur in Concil. Later. per constitut. *Dum intra mentis arcana.* Leo. X. relatam ad verbum à *Quar. ver. Priuilegia Regu. nam §. Fratres*, dicentis, quod prædicti Tertiarij in suis domibus viuentes, sacramenta Ecclesiastica, excepto Sacramento duntaxat Pœnitentiæ, recipiant, proprio sacerdote, & is est eorum Parochus, qui verò collegialiter viuunt cum claustralibus, concedit priuilegia religionis; vnde Leo. X. videtur omnes indifferenter Tertiarios eximere, præcipuè quo ad Sacramentum pœnitentiæ, ergo præcipuè quo ad hoc subduntur superioribus regularibus. Nec obstat *capit. 15. sess. 23.* vbi nullus sacerdos potest audire confessiones secularium, etiam sacerdotum, sine Episcopi approbatione, quia isti Tertiarij non sunt seculares, sed personæ religiosæ, quod ad fauorabilia, maximè pro foro animæ, vt aliis citatis docet *Bonac. de excommunicat. quæstione 4. p. 1. numero octauo*, vbi probat, hos gaudere priuilegio Canonis, *& Diana tractat. 2. de Immunit. resolut.* 84. gaudere priuilegio fori. Tum quia possunt audire Famulos continuè commensales, vt mox probabo, ergo & hos Tertiarios. Ita tenent infra citandi.

41 Famuli inseruientes, & viuentes cum claustralibus eligunt Confessarium, vt Religiosi faciunt etiam non approbatum ab Episcopo. Probatur, quia ita colligitur ex Sacro Concil. Trident. *sess. 24. capit. 11.* vbi eximuntur à iurisdictione Episcopi, seu potius intelliguntur exempti, qui monasteriis, & aliis locis ibi expressis acto seruiunt, ac intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt, & *sess. 25. capit. 11.* in monasteriis, quibus imminet cura animarum personarum secularium, personas tam seculares, quàm regulares curam huiusmodi exercentes subiicit immediatè iurisdictioni Episcopi in iis, quæ ad curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, præter eas personas, quæ sunt de illorum monasteriorum familia; ergo omnes existentes de familia in conuentu, cuiusmodi sunt non solum professi, sed etiam nouitij, Tertiarij, famuli, & reliqui continuè commensales eximuntur à iurisdictione Episcopi etiam in materia Sacramentorum, ergo sufficit si confiteantur sua peccata sacerdotibus solum in Religione deputatis. Ita tenet *Megal. part. 1. libro primo capitulo 8. numero* 20. asserens ita declarasse Sacram Congregationem, vt *refert Farinac. decis. 96. sub die 27. Martij 1594. Rodriqu. in Compil. priuileg. regul. tom. 2. in fine Bullar. Greg. XIII. Barbosam ad capit. 15 sess. 23. vbi refert Fernandez in exam. Theol. moral. part. 3. capitulo 9. §. 6. numero primo, Homobon. de exam. Ecclesiast. tract. 8. capitulo secundo quæstione 7. Peyrin. tom. 3. priuil. cap. 3. numero. primo hoc decisum refert etiam Armendar. in Addit. ad recopil. legum Nauarra libro 2. tit. 8. lib. 7. de relig. numero 53. & libro 4. tit. 28. libro 1. §. 1.* de confitendo semel in anno *numero* 10. *Graff. de arbitr. lib. 1. cap. 24. Compend. resolut. 31. num. 35. vbi sui authoris oppositas sententias refert. contra Bossium. sect. 3. casu 2. nu. 32. vbi alios pro se refert.* Neque obstat, si dicas requiri approbationem ordinarij etiam respectu eorum regularium, qui alioquin habent priuilegium audiendi huiusmodi seruitores, quos regulares audiunt de iure priuilegiorum suorum, vt videre est in *Compend. Priuil. singulorum religionum ver. Famuli*, Familiares, Seruitores, & in mea Religione concessit Eugen. IV. Constitut. *Iniunctum nobis.* Dat. 6. Febr. 1442. & Nicol. V. Constit. *Apostolicæ Sedis.* Dat. 23. Apr. 1450. Nam hoc falsum est respectu Famulorum, quia licèt sint merè seculares, tamen excluduntur ab illo decreto, vt respondit Sacra Congre. apud Rodr. & Armend. citatos; præterquam quod dici potest, quod confessariis Regularibus præcisè confitentur non tantum iure priuilegij, quam iure quasi Domicilij, sicut faciunt Nouitij, & Tertiarij, nam esto non habeant animum perpetuò manendi, ac proindè propriè domicilium non contraxerint de iure, & simpliciter quoad omnia, tamen illud contraxerunt, quantum sufficiat ad se subiiciendum iurisdictioni regularium, quoad Sacramentorum administrationem, respectu quorum non requiritur tantum ius domicilij, sicut pro foro externo, faciliùs enim acquiritur domicilium, seu quasi domicilium pro recipiendis Sacramentis necessariis pro foro animæ, quàm pro aliis rebus fori externi, vnde dicit *Silu. ver. Domicilium num. 2.* ad acquirendum domicilium pro Sacramento Pœnitentiæ, & Communionis sufficere habitationem sine animo perpetuò manendi. *Vide resol. 36. q. 21.*

Demum quod gaudeant priuilegio peregrinationis sufficienter infertur ex hactenus probatis, quia vt vidimus in hoc Sacramento, & aliis pro beneficio animæ subditur superioribus Regularibus, ergo more professorum possunt ea recipere à solis regularibus vel aliis non approbatis ab Episcopo.

Dixi, quod possunt, non autem debent, quia cum non sint neque imperfectè Religiosi, vt nouitij, neque extet in contrarium constitutio, quod teneantur confiteri solum intra Religionem, remanet, quod in eorum sit arbitrio confiteri intra, vel extra Religionem aliis confessariis ab Episcopo suo approbatis, neque enim tenentur vti priuilegiis Religionis, cùm nemo cogatur vti priuilegio sibi concesso *capit. Ad Apostolicam, de regul. cap. Si terra, de priuileg.* maximè quando nulli præiudicat *Sanch. lib. 9. disput. 2. num. 2.* Et faciunt dicta *seq. q. 17. §. Tertiarij.*

Quæres 37. An professi, & nouitij cum Tertiariis, & aliis Famulis dictis possint eligere confessarium extra Religionem virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius similis priuilegij sine licentia suorum superiorum?

Respond. Non possunt, exceptis Tertiariis, & 42
aliis famulis. Et hoc alia ratione non probatur, nisi quia quoad Sacramenta præcipuè Pœnitentiæ subduntur suis Prælatis. Et hoc expressè declarauit Clement. VIII. Constitut. 64. *Romanis Pontificis.* Dat. 23. Nouembr. 1599. relata in Bull. nouo, & à *Quaranta versic. Confessor*, à *Coriolano sec. 3. articulo decimoquarto*, & eam renouauit, & confirmauit denuò prohibens Vrbanus Octauus Constitut. *In specula*, prout eam citat *Bossius sect. 3. de Iubilao casu 4. numero 9.* & refert ad verbum *Peyrin. tom. 3. priuileg. pag. 323.* Estque communis opinio Doctorum *apud Beiam part. 3. casu 16.* vbi eam fusiùs probat, *& Compend. resolut. 3. numero 25. quoad casus reseruatos, & Barbosa ad capitulum 7. sess. 13. numero 25.* vbi multis citatis, refert ex *Sellio in selectis canon. capitulo 18. numero 10. ita decisum fuisse in causa Portugallia, & Castella 4. Decembr.* 1627. *Diana tractat. de Bulla Cruciata resolut.* 14. tres de hac re refert opiniones. Prima est *Rodriqu. in summ. tom. 3. capitulo septimo, numero secundo*, cum multis Doctoribus Salmatic. tenet posse absolui à non reseruatis, quia ita interpretatur Constitutio Clement. VIII. Secunda Villalobos *tomo primo, tractat. 23. conclus. 9. §. 2. numero decimosecundo*, asserentis posse eligere deputatum confessarium sui Ordinis, à quibus absoluatur etiam à reseruatis, quia ita colligitur ex dicta Constitutione. Tertia est Ioannis della Cruz *libr. 1. de statu regular. capitulo 6. dubio 12.* asserentis posse eligere quemcumque etiam extraneum, etiam pro reseruatis, quia Clem. VIII. solum declarauit suam intentionem, & sustulit indulta à se concessa, & concedenda.

Quamuis

Quamuis prima, & secunda opinio, tertia vti falsa, & nulla ratione suffulta, non careat probabilitate, stando in cortice verborum præcitatæ Bullæ Clem. VIII. tamen quia non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, & intentionem, loquentis non enim debet intentio verbi deseruire, sed verba intentioni, *capit. Humana* 11. 22. *quæst.* 5. ideo isti Doctores Rodriqu. & Villalobos cum verba potius, quàm intentionem legislatoris, seu potius declarantis non prohibentis considerarint, affecti etiam aliquo interesse, cum in illis partibus Bulla Cruciata ius habeat, audiendi non sunt. I. propter eam rationem. II. Motiuum, propter quod Summus Pontifex fecit, seu potius declarauit illam prohibitionem ad instantiam illius superioris, qui erat Procurator Generalis Carmelitarum, fuit idem, quod mouit dictum patrem ad petendum hoc à Papa, & fuit, quia confiteri virtute eius Bullæ sine licentia, vergit in speciale detrimentum Religionis, superioris, & subditorum, ibi. *Quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum*: Sed hoc motiuum verificatur in confessione tam non reseruatorum, quàm reseruatorum, vt de se notum est, sic enim relaxatur disciplina Regularis, & confitentes extra liberiores fiunt ad peccandum, ergo contra Rodr. non possunt confiteri neque etiam non reseruata. III. Deinde quamuis in narratiua petitione dicatur, quod Religiosi virtute Cruciatæ eligunt confessorem, qui eos absoluit à reseruatis, non ideo licet inferre ex hac narratiua, supplicantem petere prohibitionem super reseruata tantum, quia narratiua petentis non facit ius, sed responsio decretiua petitionis, IV. Summus Pontifex respondendo, duo declarat; vnum est, Cruciatam non habere locum in Religiosis, quo ad illum articulum eligendi confessorem, & absoluendi à reseruatis, alterum est, quod Papæ intentio est, vt Religiosi, quo ad hoc Sacramentum, sint subiecti suis superioribus. Infero contra vtrumque ex eo quod Cruciata non habet locum in electione Confessarij respectu Religiosorum, ergo eius virtute absolui nõ possunt, neque intra à reseruatis contra Villal. neque extra à non reseruatis contra Rodr, denegatur enim simpliciter electio confessarij sine qua nullum peccatum tolli potest Sacramentaliter, & adest copulatiua, & eius est diuersa connectere, *Euer. in loco à natura copul. num.* 11. & mentio expressa solius reseruatorum facta non excludit alia, sed arguit maius periculum, maiora enim maioribus substant periculis *cap.* 2. *de sindic.* 42. & ideo circa ista inter alia præcipuè cautius, & efficacius prouisum fuit *arg. cap. fin.* 7. *quæst.* 2. *cap.* 3. *de elect. in* 6. non excludendo prætetea prouisionem circa alia peccata, licèt non exprimendo illa, eo quod pro istis fere nullus anxius, seu diligens in eligendo Confessarium, sed ad proprium accedit. Ex secundo infero contra vtrumque, præcipuè Villal. ex eo quod non obstante Cruciata, Religiosi semper fuerunt, & modo sunt subiecti suis superioribus quo ad Sacramentum Pœnitentiæ nullo modo sine illorum licentia possunt confiteri de reseruatis intra contra Villal. neque extra de aliis contra Rodr. aliàs non essent subiecti suis superioribus quo ad Confessionem. V. quia pro Villal. non faciunt illa verba. *Et illarum prætextu eligunt Confessorem aliquando præter eos, qui à suis prælatis eorum Confessionibus deputati sunt.* Siquidem narratiua petentis non facit ius, sed responsio legislatoris, qui respondet, Bullam Cruciatæ, quo ad Sacramentum pœnitentiæ, non habere locum pro Religiosis, ergo si simpliciter virtute Bullæ non possunt eligere Confessorem, ergo neque Confessorem Regularem, valet enim argumentum negatiuè à genere, ad speciem non solum in physicis, sed etiam in moralibus. Euerard. in loco à genere. Et de hoc amplius dubitandum non est, quia Vrbanus VIII. anno 1630. vt superiùs retuli, & notat. Nald. *ad capit. Placuit, distinct.* 6. *de pœnit.* Notandum, innouauit, ampliauit, & omnino prohibuit huiusmodi electionem virtute Cruciatæ.

Nouitij non possunt licitè, neque validè eligere Confessarium virtute Cruciatæ. vt probaui *capit.* 4. *de profess. regul. quæst.* 70. §. *Et consequenter*, & probatur, quia in materia Sacramenti pœnitentiæ veniunt sub nomine Religiosorum, & Fratrum, quibus nominibus vtitur Clem. VIII. non distinguendo inter professos, & nouitios. Itaque non sunt propriè Religiosi in onerosis, & odiosis, extra hunc forum conscientiæ. Ita tenent *Tambur. tom.* 2. *de iure Abbat. q.* 6. *num.* 11. *citatus à Diana resolut.* 94. *vbi eum male reprehendit, Vecchius disp.* 9. *dub.* 3. *num.* 7. *vbi citat Cordubam lib.* 1. *quæst. Theolog.* 30. *Cronsers lect.* 17. §. *An vero tunc nouitius in c.* 7. *à Regula fol.* 649. *Homob. part.* 1. *exem. Eccles. tract.* 5. *cap.* 2. *q.* 13. Oppositum sentiunt multi cum *Diana resol.* 14. de Bulla Cruciatæ. 43

Tertiarij, & alij continui commensales possunt vti priuilegio Cruciatæ, quia licet si volunt confiteri intra religionem, possint eligere sacerdotem approbatum solùm à superiore regulari, non habent tamen obligationem ad hoc, sed possunt extra confiteri, *ex q.* 16. §. *Dixi.* Ratio autem differentiæ in hos, & nouitios est, quia nouitiis assignatur annus probationis, vt in eo experiantur austeritates, & alias regulares disciplinas, quas post professionem seruaturi sunt, & interim religio habet probare eorum mores, *capit. Ad Apostolicam* 16. *de regul.* inter has autem obseruantias, & asperitates connumeratur etiã subiectio quo ad Sacramentũ pœnitentiæ, ad quas experiendas cum non introducantur Tertiarij, & alij, sed potius ad famulatum, & seruitium, hinc est, quod illi, & non isti subiiciuntur declarationi non gaudendi Bulla Cruciatæ. 44

Quæres 18. Quid dicendum sit de Iubilæis An regulares sine licentia suorum superiorum possint eligere cõfessarium virtute sibi facta in Iubilæis? Quem confessarium possint eligere? An exire sine licentia pro lucrando Iubilæo? Quid si in eo non exprimantur? 45

Respond. Religiosi possunt sine licentia suorum superiorum, virtute Iubilæi vniuersalis eligere sibi confessarium. Et si volunt eligere extraneum, tenentur accedere ad approbatum ab aliquo Episcopo, quicumque sit ille, siue loci, siue confessarij, siue pœnitentis. Quod si nolunt eligere, possint cõfiteri suis propriis confessariis intra Religionem, licèt approbatis ab aliquo Episcopo, deputatis tamen à suis superioribus. Confessarius autem deputatus, seu approbatus debet esse talis actu. Extra domum pro lucrando Iubilæo, vel eligendo confessario ire debent cum licentia. Si non exprimantur, non possunt eligere extraneum.

Primum, quod sine licentia eligant confessarium, probatur, Tum quia Iubilæum vocatur gratia vniuersalis, ergo conceditur omnibus indifferenter, & sic sine subiectione lucrantis illud ad suum immediatum superiorem. Tum quia seculares siue Ecclesiastici, siue laici eligunt quemcumque approbatum à quouis Episcopo, vt infià probabo §. *Quartum sine licentia Episcopi, aut sui Parochi*, ergo & Religiosi, probatur consequentia, quia non minus subiiciuntur suis pastoribus seculares, quo ad confessionem, quàm Religiosi suis Prælatis, nam de iure communi *cap. Placuit, dist.* 6. *de pœnit.* & *capit. Omnis* 12. *de pœnit.* omnes fideles siue sint seculares, siue regulares debent confiteri suo proprio Sacerdoti, aut alteri de illius licentia. Tum quia in Iubilæis vniuersalibus, quæ iubilum, & gaudium spirituale significant, Summus Pontifex vti pater vniuersalis æqua lance Thesauros Ecclesiasticos omnibus indifferenter porrigit, ergo omnes indifferenter manum apponere possunt. Tum quia ille Religiosus, qui habet facultatem à suo Generali, vel Prouinciali eligendi Confessarium, non tenetur petere licentiam ab inferiori suo Prælato eligendi confessarium, vt id nemo negabit; sed Papa est superior Generalis, Prouincialis, & prior omnium Religiosorum, *Nau. consil.* 3. *de statu mon. num.* 51. *Soto l.* 8. *de iust. q.* 5. *art.* 1. *apud Rodr.*

tom.1.q.22. art.6. Tum quia in fine Iubilæorum adest clausula derogatoria illorum omnium, quæ non possunt obstare. Demum nec obstat declaratio Clem. VIII. & renouatio Vrbani VIII. quibus Regulares non possunt eligere confessarium, sine licentia suorum superiorum, virtute Bullæ Cruciatæ, aut priuilegiorum, & similium indultorum à Sede Apostolica concessorum, quia in dictis Bullis nulla fit mentio de Iubilæis vniuersalibus, quæ non veniunt sub illis vocibus, est enim gratia tam amplissima, vt dedignetur hæc nomina Priuilegij, indulti, & similium. Et communis opinio, vt refert *Bossius sect. 3. de Iubileo casu 4. numero. decimoquinto* vbi citat quamplures, quos ego infrà, & ita tenet etiam *Megal. capitulo 10. numero* 12. Nonnulli non malè obseruant, prædicta procedere, quando in Bulla Iubilæi fit expressa mentio ipsorum Regularium, quod possint eligere confessarium, sed hisce nostris temporibus huiusmodi expressio est regularis in omnibus Iubilæis.

46 Secundum, eligere volentes extraneum, tenentur eligere approbatum actu ab aliquo Episcopo, probatur, quia ita expressis verbis dicitur in Bullis Iubilæi, quæ ad vnguem seruanda sunt. Ita docent *Faber disp. 30. de pœnitent. num. 32. Bossius sect. 3. casu 4. nu. 16. & omnes.*

Dixi, *eligere volentes*, quia non coguntur, cum eligere possint vnum ex suis ordinariis, & deputatis, vt mox probatur §. *Quintum*, ergo non tenentur eligere approbatum extra contra *Suarez disputat. 18. de pœnit. sect. 6. num. vndecimo Reginald. lib. primo num.* 175. quos refert, sed non sequitur *Bonac. q. 7. de pœnit. p. 4. §. 2. n. 25. §. Suarez.*

47 Tertium, extraneus electus debet esse approbatus ab aliquo Episcopo, probatur, quia in Bullis Iubilæorum, adest illa clausula. *Ab ordinis locorum*, quæ significat, & denotat Episcopum, *glos. ver. Ordinarios, extr. vn. Ioan. XXII. de præbend. Floron. turib. & Doctoribus citatis capitulo quinto §. Quarto vers. In contrarium de casib. reseruat.* Et confirmatur, quia nomine *Ordinariorum locorum*, à quibus supponitur facta approbatio confessarij eligendi, iuxta capitulum 15. sess. 23. veniunt Episcopi, hoc enim nomine ibi exprimuntur, siue tales sint nomine, siue iurisdictione, vt est eius capitulum sede vacante, vel alij prælati habentes iura Episcopalia, & iurisdictionem in personas seculares, independenter ab Episcopis, de quibus *vide Bossium sect. 3. casu 2. per totum* §. 3. & ab his approbati confessarij eligendi sunt tempore Iubilæi Doctoribus citatis docet Barbosa *ad dictum cap. numero decimoquarto* & vt clarum supponit *Faber disp. 30. de pœnit. n.* 31.

Hinc redarguendus est Coriolanus, quatenus *part. prima de casib. reseruat. sect. 3. articulo 16. ad finem dicit*, volenti confiteri regulari alterius ordinis, sufficere, quod ille talis confessarius electus sit approbatus à suo Prælato ad audiendas Fratrum confessiones Errat siquidem iste Pater, quia vt constat ex mox probatis, electio confessarij extra debet esse ex approbatis ab ordinario loci, idest, Episcopi.

47 Quartum, iste confessarius extraneus, siue sit regularis, siue secularis, sufficit, si approbatus actu sit ab aliquo ordinario loci, siue sit ordinarius confessarij, siue pœnitentis, parum refert, Probatur. Tum quia nulla restrictio apponitur in Bulla, ergo amplè explicanda est, beneficia enim Principum, interpretanda sunt. Tum quia ad ministrandum valdè hoc sacramẽtum requiritur potestas ordinis, & iurisdictionis; sed approbatus ab aliquo Episcopo, quicumque ille sit, hoc ipso quod est electus virtute Iubilei, à Papa immediate habet eam iurisdictionem, cuius virtute solum absoluit maximè à reseruatis, ex eo, quod ab illis absoluere non potest iurisdictione parochiali, vel Episcopali vt notum est; ergo præsupposita approbatio cum requiratur potius vt conditio sine qua non, quàm alia ratione, sufficit si simpliciter talis sit à quouis deinde proueniat Episcopo. Tum quia ita colligitur ex quadam declaratione, quam referunt *Megal. libro primo, capitulo decimo, numero 12. Floronus capitulo quarto, § 12. numero sexto, §. His sic positis, circa finem. Faber de pœnit. disput. 30. numero 31. Bossius sect. 3. casu secundo numero 214. & casu. 4. numero decimoquinto ad finem.* vbi ait Papam 19. Decembr. 1581. respondisse his verbis. *Tempore Iubilæi posse omnes regulares confiteri peccata sua sacerdotibus etiam secularibus approbatis ad confessionem, nam in Bulla non fit mentio nisi de ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non autem de ordinario pœnitentium*, ergo sufficit quod confessarius electus sit approbatus à suo ordinario, hoc est Episcopo, quamuis regularis eligens sit alterius Episcopatus, siue ambo sint in propria Diœcesi, siue extra gratia itineris, siue confessarius electus, in Episcopatu eligentis, aut econtra; igitur approbatus ab aliquo Episcopo vbique eligi potest tempore Iubilæi. Et prædicta procedunt etiam pro secularibus, quia electio confessarij tempore Iubilæi æqualiter, & sub eisdem verbis conceditur omnibus Christi fidelibus tam laicis, quàm Ecclesiasticis, & regularibus. Ita tenent *Henr. in sum. libro sexto capitulo sexto, §. septimo, lit. A. & libro septimo, capitulo 12. §. 4. Candel. aureum de confess. numero 29. conclus. 3. Regin. libro primo numero* 186. *quos & alios citat Floronus loco citato, & Bossius expressius sect. 3. casu 2. numer. 215. Nald. ver. Indulg. num. nono §. Quis*, vbi refert Sacram Pœnitent. declarasse sufficere eligere confessarium approbatum à suo ordinario.

49 Quod ad aliam Sacræ Congregationis responsionem Archiepiscopo Valentino datam his verbis. *Approbatum ab alio, quam à Valentino Archiepiscopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab ordinario.* Dico. I. hanc responsionem esse pro secularibus eligentibus, non religiosis, aliter contrariarentur ad inuicem, pro istis namque extat alia responsio superiùs allata. Dico II. intelligi extra casum electionis Pontificiæ. Dico III. intelligi tantum de approbatione per parochiale beneficium, vel delegationem Episcopalem. Dico IV. extraneum non censeri approbatum in illo loco vt ibi audiat confessiones publicè virtute approbationis sui Episcopi.

Posita hac declaratione, multi contra nostram responsionem requirunt approbationem Episcopi loci, in quo fit confessio, cum *Barbosa ad c. 15. sess. 23. num.* 30. 31. 32. 33. in quibus locis distinctè diuersas cum suis Doctoribus refert opiniones.

50 Quintum, possunt confiteri suis intra Religionem confessariis, licet ab Episcopo non approbatis, probatur. Tum quia illa clausula eligendi confessarium approbatum ab ordinario loci, quæ propriè refertur ad Episcopum, ex allatis suprà hic §. Tertium ponitur ampliatiue fauore pœnitentis, vt possit accedere non solum proprium, sed etiam eligere extraneum, vnde cum non ponatur priuatiuè nolens Summus Pontifex pœnitentem priuare iure suo accedendi ad suum ordinarium confessarium, potest Religiosus confiteri intra Religionem. Tum quia quod est concessum ob gratiam alicuius, non est retorquendum in eius odium, *reg. 61. in 6.* Tum quia in multis Religionibus vbi non adsunt cõfessarij Episcopales cogerentur Religiosi vagari extra claustra, vt inter Cartusienses, & Religiones Monachales in quibus non est vsus confessariorum ab Episcopis approbatorum. *Ita tenent Bonac. q. 7. de pœnit. p. 4. §. 1. num. 25. Sorbus in resol. mater. Confess. circa finem, Coriol. part. 1. sect. 3. art. 16. Faber disp. 30. de pœnitent. num. 32.* me citato tenet *p. Momignus in suo Directorio serm. 76. inclinat Nal. ver. Verba num. 20 qui ver. Indulg. num. 9. §. Quo*, tenet omnino accedẽdum esse ad approbatum ab Episcopo, quasi sibi contradicendo. *Contra plures, quos citat, & sequitur Bossius sect. 3. casu 3. n. 6.*

Prædicta procedunt, quando Religiosus non vult mutare

mutare confessarios, sed accedere ad eos, ad quos poterat ite ate ipsum Iubilæum; quod si velit mutare, quod
18 consequenter est proprie, & strictè eligere confessarium, debet inuenire confessarium habentem requisita in Bulla Iubilæi, nempe quod sit approbatus ab Episcopo, vt supra, priuilegiarius enim volendo vti priuilegio, debet seruare formam in eo præscriptam, aliter frustra eligit, & inualide absoluitur, priuilegium enim attendendum est iuxta suum tenorem, & ad vnguem seruandum est, *cap. Porro; cap. Recipimus* §. *de priuil.* Aliter gestum nullum est, *glos. fin. cit. capit. Porro, adiuncto cap. Cum dilecta 22. de rescript.* Quare si in conuentu diuersi sint confessarij instituti; alij pro sacerdotibus, alii pro clericis, alii pro aliis, vnusquisque debet accedere ad suos sibi deputatos, nisi aliqui essent Episcopales, quia singuli ad illos accedere possent, non obstante in eo casu deputatione. Itaque vt vno complectar verbo, solum accedere possunt ad eos, quibus possent confiteri, si Iubilæum non emanasset. Nec obstat, quod secularis in hoc casu possit eligere quemcumque à quouis Episcopo approbatum, & non religiosum à quouis prælato regulari approbatum regularem, quia religiosus præcise non eligit, sed confitetur proprio alias sacerdoti. *Coriol. cit.* §. *Hinc*, tenet posse eligi regularem alteris ordinis à suo prælato solum approbatum; *Graff. verò lib. 2 Append. cap. 5. num. 18 cum Rodr Bulla Cruc.* §. *9. num. 9.* asserente sacerdotem electum alterius ordinis requirere approbationem superioris eligentis, & ita eosdem refert Bossius *sect. 3. casu 3. n. 3. qui n. 6. & 7.* tenet requiri in omnibus approbationem Episcopalem.

51 Nouitij, Tertiarij & alij fruentes priuilegiis, Regularium, & subiecti quo ad Sacramentum Pœnitentiæ si volunt confiteri intra Religionem, debent accedere ad suos proprios confessarios, sicut ante, qui illos absoluere possunt ab omnibus iuxta tenorem Iubilæi, aliter volentes propriè eligere confessarium, provt illis in Iubilæo indulgetur, debent confiteri approbato ab aliquo Episcopo, iuxta dicta §. *Quartum.* Vtrumque suadetur, & quia qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentire debent in legibus disciplinam, quæ ratio propriè pro Religiosis dicta fuit, cap. Recolentes, de statu monach. Tum quia vna, & eadem Ecclesia, seu personæ eiusdem Religionis, non debet diuerso iure censeri *cap. Cognouimus 29. 12. q. 2. cap. Cum in sua 30. de decim. cap. quia circa 22. de priuileg.* Sed præfati cum professis sunt eiusdem Ecclesiæ, ergo eodem iure censendi sunt. Et de nouitiis tenent *Homobon. & Cruz, quos contra se citat Bossius cit. n. 3.*

52 Moniales tempore Iubilæi possunt sibi eligere confessarium, seu confessarios, cum in Bulla hæc gratia concedatur omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus etiam regularibus. Necesse tamen est, vt sit approbatus ab ordinario, hoc est Episcopo non tantum ex *cap. Bullæ Iubilæi, vt patet* §. *Secundum &* §. *Tertium*, sed etiam quia abstrahendo à Iubilæo, superiores regulares suis Monialibus non possunt deputare confessarios, siue ordinarios siue extraordinarios, nisi prius sint ab Episcopo approbati, decreuit Greg. XV. constitut. *Inscrutabili.* Dat. 5. Febr. 1622. ergo siue mutent, siue non semper habent confiteri approbato ab Episcopo. Et ita aduertit *Bossius sect. 3. casu 3. num. 9. seipsum citans casu praeced. num. 75. Vide Peyrinum tom. 3. cap. 4. num. 4.* in aliquibus à nobis dissentientem.

53 Punctus autem difficultatis est, an sine licentia superioris regularis, & Episcopi possint sibi eligere hunc confessarium, & ab eo audiri, quia, vt mox dixi, Confessarius deputandus, seu eligendus eget approbatione Episcopi in specie ad hoc munus, vt respondit Sacra Congreg. illis verbis, *Ad nonum Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quod ad hoc speciali Episcopi approbatione.* Quæ habetur in fine constit. Romanæ Typographiæ.

Tollitur dicendo, posse moniales valide eligere sibi confessarium, qui proinde eas absoluat, iuxta præscriptum Iubilæi, neque ad hoc indigere licentia, aut speciali approbatione Episcopi pro audiendis monialibus. Tum quia non sunt deterioris conditionis reliquis fidelibus, & illis hoc priuilegium æquè communicatur, & prorsus eodem modo, ac cæteris fidelibus. Tum quia viri religiosi non egent huiusmodi licentia, ex probatis §. Primum, ergo neque moniales. Tum quia in iis, quæ à iure, seu à iuris legislatore conceduntur, non requiritur Episcopi licentia, inquit *Graff. tom. 1. resolut. 8. de voto num. 6. per cap. Dua, 19. quæst. 2.* Tum quia sine licentia adsunt omnia requisita, nempe approbatio Episcopi, & iurisdictio à Papa ex vi electionis delegata. Tum demum quia ratio dubitandi non habet locum hic, sed solum pro confessionibus ordinariis, vel extraordinariis, iuxta *cap. 10. Sess. 25.* vbi sermo est de confessariis ordinariis, & extraordinariis, qui bis, aut ter in anno illis offeruntur, quæ non possunt cadere in electionem confessarij tempore Iubilæi, vnde in constitutione Greg. XV. & in Concilio fit mentio de confessariis deputandis, non autem de electione eorum, quod est diuersum, nam deputatio respicit superiores, electio ipsas moniales, ergo cum ex diuersis non fiat illatio, secundum vulgata iura, firmum fiat quod possint eligere confessarium tempore Iubilæi, & absolui independenter à suis prælatis supra dictis. Nec placet, quod *apud Dianam resol. 154. de Sacram. aiunt Faustus lib. 4. de Iubileo q. 78. & de Leone part. 2. de Iubil. q. 9. num. 25.* non posse confessarium quemcumque tempore Iubilei absoluere moniales ea ratione, quia confessariis prohibitus est accessus ad Monasteria monialium, & ideò Papa non intendit dare iurisdictionē impedito: Id enim falsum est, quia prohibito est extra hoc tempus, & loquendo de Religiosis decretum excludit Confessarios, *quod refert Nald. ver. Monialis num. 17.*

Mouent difficultatem, An Moniales possint eligere Sacerdotem approbatum quidem ab Episcopo, sed limitatè tantum ad audiendas Confessiones virorum, vt seruatur in quibusdam Diœcesibus; & negant *Gutierez lib. 1. canon. q. 17. num. 28. & Bossius alios citans sect. 3. casu 2. num. 244. & 246.* Probant autem, & quia electio debet fieri de Confessario simpliciter electo ad Confessiones cuiusque, nam verba legis simpliciter sunt intelligenda, non secundum quid, iuribus, & Doctoribus relatis à *Barbosa, & exemplis citatis à Naldo ver. Sermo ni*... Et quia sicut non potest eligi Confessarius admissus per annum, finito anno, ita neque eligi potest à fœminis admissus pro viris tantum, & eo magis cum careat iurisdictione respectu mulierum, & de monialibus in specie negat *Nald. ver. Monialis num. 2.* §. *Prædictus. Et hanc tenui resol. 9. q. 9. n. 27.* 54

Sextum, confessarius deputatus intra religionem, vel extra electus, debet esse actu approbatus tempore quo Sacramentum administratur, probatur ex mox dictis, & ita tenent *Diana resol. 8. de Bulla Cruciatæ* §. *Notandum. de curatis*, qui renunciauerunt beneficio *Floron cap. 4.* §. *12. ad finem, Barbosa ad cap. 15. sess. 23. num. 21. Bossius sect. 3. casu 2. num. 56. qui num. 236.* Idem affirmat de delegato reprobato, & valet etiam de eodem, finito tempore, quamquam *Rodr. Villal. Cruz apud Barbosam cit. num. 22.* teneant oppositum de Parocho post dimissum beneficium, quem volunt, dici, approbatum ad audiendas confessiones tempore Iubilæi, & alij apud *Dianam cit. resolut. 11.* Idem asserunt de delegato finito tempore, ea ratione, quia reputatur simpliciter idoneus, neque necesse est, quod sit actu approbatus, quæ nedum probabilis ratio, sed falsa. Quo si iniustè reprobetur confessarius, volunt aliqui nihilominus posse eligi, quamuis tutius, & verius non eligere? *Diana resol. 12. & resol. decimotertio.* Ait approbatum ab Episcopo, sed prohibito à superiore regulari eligi posse tempore Iubilæi. 55

56 Oritur hîc difficultas, an sacerdos electus confessione incœpta, si expiret approbatio Episcopi, eo quod transeat tempus, vel interim renuntiet beneficio, possit prosequi, & valide absoluere pœnitentem? Resp. Potest. Tum quia approbatio in hoc casu prorogatur *Arg.capit.In literis 8.de off. deleg.* Vbi iurisdictio delegata non expirat nisi post sententiam definitiuam executioni mandatam, & licèt ibi non sit præfixum tempus, vt in casu nostro, procedit tamen prorogatio etiam hîc *arg.ca.De causis 4.eod.* Vbi dicitur, quod iurisdictio delegata ad præfixum terminum prorogari potest de consensu partium, donec negotium finiatur, ergo & in casu nostro, nec puto requiri istum consensum inter confessarium, & pœnitentem, sed procedere hunc consensum inter partes litigantes coram delegato, quod locum non potest habere hîc, cum confessarius non sit pars, sed iudex, quamquam hunc consensum requirat *Sanch.lib.8.disp.15.nu.17.* In simili casu, de proroganda confessione post tempus Iubilæi, ex legitima causâ, quem cum aliis citat *Bossius sect.1.casu.39.* Tum quia esto non prorogaretur approbatio, hoc nihil refert, quia iudicium hoc iam cœptum fuit coram confessario tunc actu approbato, ergo prosequi potest, & terminari ab eodem, nam in actu absoluendi, aut dispensandi habet omnia requisita, cum inter alia habeat iurisdictionem ex electione, quæ non dependet in suo effectu ab approbatione Episcopi, quam tantum actu supponit in actuali electione confessarii. Tum quia, vt dixi de communi, ipsamet iurisdictio ex electione delegata à Papa prorogari, & differri potest post tempus Iubilæi, ergo multo magis in casu nostro, in quo non dubitatur de iurisdictione, sed tantum de approbatione supposita. Tum quia nonnulli, vt retuli ex *Diana, & Barbosa mox §.Sextum,* tenent sufficere, si confessarius electus, aliàs fuit approbatus ab Episcopo, licèt actu non sit, dum eligitur, ergo multo magis in casu nostro. Demum ratio postulat, vt finiatur ab eo, à quo cœptum fuit. l. *Vbi cœptum ff.de iuris.om.iud.l.Si quis postea ff. de iud. capit. Proposuisti 19.de foro comp.iuncta glosa ver. Preuentus.*

57 Septimum, exire non potest sine licentia ad eligendum confessarium, aut lucrandum iubilæum, probatur quia religiosi tenentur ad clausuram, *extr. com.2. de regul.§. Cæterum*, à qua sine licentia egredientes peccant saltem venialiter præciso contemptu, & præcepto graui superioris, docet *D.Tom.2.2.qu.189.art.9.Nau.tom.2. de regul.com.4.num.35.& ex eis.Graff.in praxi lib.1. cap. 5.num.5. Rodr. tom.tom. 1.q. 50. art.1. iterum Nau. cons. 70. de regul. num.1* Solum venialiter si breui reuersurus sit, ex eodem *consil.1.de apost.num.8.* Potest etiam imponi excommunicatio ne quis exeat ex claustro, *per ca.Reprehensibilis, de appellat. Tolet.lib.1. cap.10.num.5. vide Cardin. in Clem.Ne in agro, de statu monach.Nau. cap. 27.numero 139. §. Secundo*, definiunt claustrum locum, vnde exire non licet sine facultate superioris, & *Rodr.tom.1.qu.44. art. 2. §. Huic*, dicit, quod clausura est aptissimum medium ad viuendum iuxta regulam, ex quibus patet in nullo casu exeundum esse sine licentia, etiam ad bene faciendum, quia mala non sunt facienda, vt inde eueniant bona *Roman.13.cap. Ex tuarum, de sortileg. cap. Super eo, de vsur.* Subditus autem petens licentiam pro exitu non tenetur explicare hunc articulum se velle eligere Confessarium, cum independenter ab eo eligere possit, vt probaui §. Primum; Si autem quis Religiosus in claustro sit relegatus à Superiore in pœnam delicti, inferior non potest facere illi facultatem exeundi, nec ipse exire potest, quia Papa non intendit per datam facultatem eligendi Confessarium dispensare in pœnis iustè inflictis, vt colligitur ex Bullis Iubilæorum, quorum gratia suffragatur solum pro foro animæ, & præsertim cum sic detentus possit alia via lucrari iubilæum vocando ad se Confessarium, si extraneum eligere vult. Non potest autem Superior negare hanc licentiam Religioso iustè petenti, quia subditus ad hoc ius habet exeundi imò peccare Superior, cum iniquè ageret, per ea, quæ *D. Thomas tradit Nau.consil. 10. de priuileg.num.6.* Egrediens ergo sine licentia illo prætextu peccat, valet tamen confessio, & acquisito Iubilæi, ac non est plusquàm veniale in plerisque Religionibus. *Vide Bossium sect. 3. casu 4. num.20.*

Octauum, si in electione non exprimantur, non possunt confiteri extra, probatur, quia Papa non censetur concedere Regularibus facultatem confitendi extra, nisi hoc exprimat. Ita tenent *Vidal.de absol.num.15.18.25. Floron cap.4.§.V. num.6. & alij quos citat Boss.sect. 3.casu 4. num 25.*

Quæres 19. An proximè induendus habitu Religionis, pro indulgentia acquirenda, quæ in die receptionis habitus plenaria acquiritur, possit eligere sibi in Confessarium Magistrum Nouitiorum, vel alium Sacerdotem ibi de consensu Superioris Regularis, nondum approbatum ab Episcopo? Et an Sacerdos sic electus cœptam Confessionem terminare possit, superueniente tali impedimento, quo habitu Religionis amplius indui non potest? Et posito etiã, quod sit actu Nouitius, habens nimirum habitum Religionis possit audiri à Magistro, licèt paulo post sine dubio sit recessurus.

Respond. Affirmatiuè in meo tractatu de professio- 58
ne *Regul.capit.4.quæst. 68. 69. & 71.* Ideò remitto illuc lectorem, ne iterum ibi dicta repetam hîc.

Quæres 20. An Religiosi possint sibi eligere in Confessarios Pœnitentiarios Papæ?

Respond possunt, quia sunt admissi à Summo Pon- 59
tifice pro omnibus Christi fidelibus indistinctè, siue Secularibus, siue Regularibus, & Religiosi ad illos accedentes dicuntur confiteri suis propriis Confessariis, quia Papa est omnium ordinarius supremus. *Ita tenent Tambur.tom.2. dispu.6.quæst.6.num.2. Lezana in summa quæst. regul. cap. 18. numero. 26. quos sequitur, & citat Bossius sect. 3. casu 4. numero. 4. Coriolan. part. 1. sect. 3. artic.12.*

Quæres 21. An Confessarius nolens acceptare electionem de se factam peccet, si nulla subsit causa, sed solum voluntariè neget, quia non vult, cum tamen tempus habeat, & possit? Et quæstio potest esse absolutè de quouis Confessario, an requisitus a quouis, & negans peccet?

Respond. Parochus requisitus siue titulo electionis, 60
siue vt pastor à suis Parochianis tenetur audire Confessiones suarum ouium, quia id illi ex officio incumbit, & id pluribus probat *Nauarr. tom.2. in cap. Placuit num. 152.& plures citat Bonac. quæst. 7. de pœnit.p. 4.§.2.num.23.* quod volunt procedere toties, quoties est requisitus, sed ego puto cum aliis, quos sequitur *Silu. ver. Confessor 1. num. 14. Francus ver. Absolutio num. 28. Armil.num. 27.* teneri quidem, sed non semper, nimirum, quando vrget præceptum confitendi, aut est tempus iubilæi, aut semel in hebdoma[illegible]nis causa; si enim quis vellet bis, aut quater in hebdomada confiteri, crederem posse reiici sine peccato, cum Parochus non habeat debitum continuè tempus insumendi pro suis ouibus, sed congruis temporibus.

Quod spectat ad alios Confessarios delegatos præ- 61
sertim Regulares, puto Confessarium delegatum nunquam audientem, peccare mortaliter, quia huiusmodi spirituale exercitium videtur potius contemnere, quàm æstimare, vnde *Glos. in cap. 3.de off.Archid. cum Homobon.part.3.Respons.94.* dicit negligentiam esse peccatum mortale in iis, quæ quis ratione officij negligit facere. Confirmatur à simili de Sacerdote toto anno nunquam celebrante, ex communi Doctorum, quos refert *Bonac. p.7. de Missa.* Limita, nisi se præsentauit honoris causa, potius, quàm intentione ministrandi.
Requisitus ergo siue tempore iubilæi, siue extra, præ- 62
sertim Religiosus, non peccat reiiciendo pœnitentem, quia non habet debitum exercendi hoc munus petentibus; cum sit priuilegiũ illi factum ex Clem. Dudum de

de sepult. & alibi, suo autem priuilegio nemo cogitur uti, ex vulgaris iuribus; vrgente autem casu necessitatis mortis, tenetur ex charitate subuenire proximo, si desit Curatus. Vicecurati tenentur ferè eadem obligatione, qua Curati, cum in hoc officio illi subrogentur. Quando autem Confessarius delegatus admisit pœnitentem, tenetur illum absoluere etiam à reseruatis, si potest, aliter illi facit grauem iniuriam, ea *Doctoribus cum Mirand. tom. 1. q. 46. art. fin. Bossius sect. 2. casu 34. fusius.*

Quæres 22. An Tertij Ordinis Religiosus possit sine licentia sui proprij Superioris confiteri apud Minores de Obseru. prætextu diuersarum Bullarum, quibus Summi Pontifices Tertiarios subiecerunt eisdem quo ad receptionem Sacramentorum, præsertim Bullæ 63. Pij V. incip. Ea est officij, per quam omnes Tertiarij tam in spiritualibus, quam temporalibus subduntur Generali, & Prouincialibus Ordinis Minorum de Obseruantia; & quamuis postea Sixtus V. Constitut. 46. incip. Romani Pontificis Tertio Ordini restituerit Generalem proprium, mandat tamen hunc petere debere confirmationem a Generali de Obseruantia, qui per seipsum adhibitis duobus aliis sui ordinis singulo quadriennio post visitationem proprij Generalis potest dictum Ordinem visitare; ergo cum adhuc illis subdantur, apud eosdem Confessarium eligere poterunt.

63 Respond. Nullo modo possint Tertiarij eligere Confessarium apud Obseruantes, nisi habeant licentiam proprij Superioris sui ordinis. Probatur. Tum quia vnusquisque Christi fidelis debet confiteri proprio Sacerdoti, & solum de eius licentia alteri, *cap Omnis 12. de pœna.* Sed Doctores nomine proprij Sacerdotis, intelligunt Superiorem proprium, vel alium Sacerdotem ab eo deputatum, etiam respectu Regularium *vt docet Faber disput. 25. de pœnit. num. 89.* quod est conforme iuri communi, & Bullis Summorum Pontificum, de quibus dixi *resol. 2. quæst. 12.* Sed Superiores Tertiariorum Regularium; vt probo per citatas Bullas, nam Pius V. adhuc voluit eosdem esse subiectos suis Superioribus quo ad hoc Sacramentum, non obstante subiectione Ministrorum Generalis, & Prouincialium de Obseruantia, quorum potestas præcisè est pro foro externo, & illud patet illis verbis. *Ac quando opus fuerit Confessiones omnium, & singulorum Fratrum, & Sororum Tertij Ordinis huiusmodi per se, vel alios sue Regulæ Sacerdotes idoneos audire.* Loquitur de visitatoribus Prouincialibus Tertiariis in vnaquaque Prouincia eligendis, qui per se, vel alios Sacerdotes eiusdem Regulæ hoc munus audiendi Fratrum confessiones exerceant. Ecce quomodo etiam tunc temporis Pius V. voluit Tertiarios quo ad hoc Sacramentum esse subiectos suis Superioribus Tertiariis. Quod & eo magis arguitur ex præcitata Bulla Sixti V. restituendo Generalem intendendo omnino Tertiarios esse subiectos etiam in spiritualibus suis Superioribus. Præterea Generalis Obseruantiæ nunquam confirmauit Generalem Tertij Ordinis, neque visitauit; nam Protector, vel alius Prælatus eius nomine præsidens in capitulis Generalibus confirmat eius electionem, consequenter euanuit huiusmodi potestas Generalis Obseruantiæ super Tertij Ordinis Religiosos. Probatur 2. quia ex *cap. 14. & 22.* Regulæ Priores deputant Confessarios sui Ordinis pro suis subditis, ergo extra confiteri non possunt. Præterea demus, Ministrum Generalem confirmare, & visitare adhuc posse hunc ordinem, non ideo bene infertur, Religiosos Tertij Ordinis posse eligere quemuis Confessarium de Obseruantia; immo neque ipsum Generalem, aut Prouinciales de Obseruantia, quibus tantum olim subijciebantur Tertiarij ex citata Bulla Pij V. cum aliud sit confirmare, & visitare, aliud administrare Sacramentum Pœnitentiæ, nam etiam Archiepiscopus est super Episcopos suffraganeos, & eorum subditos, & tamen non est eorum subditorum proprius Sacerdos, cum eos non possit absoluere nisi in actu visitationis *ex c. fin. de censibus in 6.* ergo pari ratione solus præcisè Minister Generalis, aut Prouinciales, si adhuc subderentur, possent audire illorum Confessiones in actu visitationis, & non alij, nec alio modo, nisi in specie deputarentur ab illis.

RESOLVTIO XXXV.

De Habitu Regulari.

SVMMARIVM.

1 *Depositio habitus laruis resumptis est peccatum cum excommunicatione.*
2 *Tres conditiones, prima vt fiat extra Monasterium.*
3 *Secunda, quod depositio sit peccatum mortale.*
4 *Quandoque est mortale, aliàs veniale.*
5 *Vt probatur.*
6 *Saltatio, & vsus laruarum in Conuentu solum veniale.*
7 *Dimissio habitus ex rationabili causa nullum est peccatum.*
8 *Dimissio habitus sine causa cum scandalo extra est peccatum mortale.*
9 *Cum notabili tamen spatio temporis.*
10 *Tertia, vt adsit actualis vagatio.*
11 *Notabilis recessus à loco sufficit.*
12 *Notabiles recessus à loco sufficit.*
12 *Laruatus incedens sine habitu est excommunicatus.*
13 *Proprij habitus depositio sola cum illis tribus inducit excommun.*
14 *Assumptio alterius vestis non requiritur.*
15 *Habitus alterius ordinis duplici fine sumi potest.*
16 *Si sumatur sine intentione transeundi adhuc dupliciter.*
17 *Apostasia, fuga non requiruntur, sed sola vagatio.*
18 *Facere se videre non requiritur pro pœna.*
19 *Partialis dimissio habitus excusat à pœna.*
20 *Negat Suarez cum aliis.*
21 *Quid si ferat habitum Nouitiorum?*
22 *Non incidit quando ferè communis est.*
23 Habitus *nomine quid veniat?*
24 *Nouitiorum habitus non necessariò distinctum ab professorum.*
25 *Dimissio habitus cum licentia non excusat.*
26 *Carceratus sine habitu aufugiens non incurrit.*
27 *Malefaciunt carcerantes sine habitu.*
28 *Habitus aufertur in quatuor casibus.*
29 *Triremibus damnatus excusatur, sicut & electus.*
30 *Expulsus cum habitu tenetur illum ferre.*
31 *Episcopus, & alij translati non incidunt.*
32 *Curatus incidit.*
33 *Professi omnes incidunt.*
34 *Etiam Iesuita.*
35 *Constitutio.* Vt periculosis *omnes ligat.*
36 *Ignorantia etiam crassa excusat.*
37 *Ignorantia inculpabilis quid?*
38 *Inaduertentia excusat.*
39 *Occultans habitum non incidit.*
40 *Contraria opinio est multorum.*
41 *Cuius rationibus respondetur.*
42 *Superiores non dant licentiam occultandi habitum.*
43 *Militares excipiuntur ab hac pœna.*
44 *Diuersos habitus habere debent diuersa Religiones.*
45 *Nouus habitus non introducitur.*
46 *Habitus debet esse vestis talaris.*
47 *Habitus benedicitur.*
48 *Professionem tacitam inducit susceptio habitus.*
49 *Habitus nomine in iure venis professio.*
50 *Habitus Tertij Ordinis.*
51 *Tunica quid sit?*
51 *Chorda quid sit?*
52 *Caputium, scapulare, capam idem.*

54 *Caparonis nomen includit duo.*
55 *Guamellum, & Plscentinum.*
56 *Clamis, Mantellum, Pallium.*
57 *Sotularis, & Solatura.*
58 *Qaalitas habitus Tertij Ordinis.*
59 *Tunica, Caputium, & Pallium paria.*
60 *Quod de reformatioae Habitus.*
61 *Pallium quomodo ferendum apud Tertiarios.*
62 *Tertiarij an debeant ferre habitum eremiticum.*
63 *Reformatio habitus.*
64 *Camifiis, & lectis vtuntur.*
65 *Dimiffio habitas in Confeffione eft aperienda.*
66 *Peccant abutentes habitu Religiofo.*
67 *Ofcalantes habitam lucrantur indulgentiam.*
68 *Morientes fepeliendi cum habitu acquirant indulgentiam.*
69 *Defuncti fepeliri poffant cum habitu in Ecclefiis Regularibus.*
70 *Sepulti in Ecclefiis Regularibus. lucrantur indulgentiam.*

QVidam Religiofus, vt commodius incederet larnatus dimifit habitum fuæ Religionis. Quæritur, an inciderit in eacommunicationem, indictam a Bonifacio VIII. *in cap. Vt pericalofa 2. Ne Cler. vel Mon. in 6.* illis verbis *Vt periculofa Religioms euagandi materia fabtrahatur, diftinctius inhibemus, ne de catero, aliquis quamcumque Religionem tacitè, vel expreffe profeffus, in Scholis, vel alibi temerè habitum Religionis fua dimittat.*

1 Refpond. Incidit. Probatur, quia ad hoc tria requiruntur, vt colligitur ex citatis verbis textus. I. Vt dimiffio fiat extra Monafterium. II. Vt hæc dimiffio fit peccatum mortale. III. Requiritur vagatio. Quarum vna deficiente non incurritur excommunicatio.

2 Prima igitur conditio eft, vt dimiffio habitus fit extra Monafterium, quod intelligi poteft duobus modis, vno expoliando fe intra Monafterium, & poftea exeundo fine habitu, altero eauendo fe habitu extra clauftrum, quouis ea his duobus modis contingat dimiffio habitus cum exitu extra Monafterium, inducitur excommuoicatio, quod probatur, quia dictio *alibi*, in textu pofita, licet videatur includere omnem locum à Scholis, ac proinde clauftrum, quod gymnafium non èft, res tamen ita fe non habet, quia non intentio verbis, fed verba intentioni deferuire debent, *cap. Humana aures tc 22. quaft. 5. cap. In iis, de verb. fignif.* intentio autem Bonifacij VIII. fuit fubtrahendi materiam vagandi Religiofis, cuius periculum fubire minimè poffunt, dum intra clauftra morantur, ergo verbum, *alibi*, refpicit loca, quæ non funt de clauftro, & intra Monafterium. *Ita tenent Angel. ver. excommunicatio 7. cafa 27. Graff. part. 1. lib. 4. cap 21. num. 5. & lib 2. de arbitr. cap. 26. num. 5. Nald. ver. Habitus num. 1.* Oppofitum tenent *Silu. ver. Excomman. 9. cafa 24. num. 54 quaft. 5. & num. 55. not. 3. Tabien. excommun. 5. cafa 23. Nau. cap. 27. num. 132. Sair. lib. 3. cap. 53. num. 11. quos & alios profe citat Sanchez libro 6. cap. 8. num. 61. Bonac. quaft. 2. de clauf. parte 2. num. 12.* fi deponat animo vagandi, licet non exeat.

3 Secunda conditio eft, vt dimiffio extra Monafterium facta, fit peccatum mortale, nam hoc fine dubio fupponitur ad excommunicationem, quæ numquam incurritur, nifi tranfgreffor peccet mortaliter, & de hoc nullus dubitat, & colligitur in cafu præfenti ex particula, *temerè*, quæ fignificat temerariam habitus depofitionem. Illa autem depofitio dicitur temeraria, quæ fit fine rationabili caufa, ex Inftit. de pœnis temerè litig. Item cum fit per dolum, negligentiam, & fatuè, *ex Gloff. in cap. 1. de featent. excommun. in 6.* Item temerè fit aliquid, cum præfumptiosè, & fcienter, feu confulto, & dedita opera fit aliquid, vt apud *Sanch. cit. num. 43.* docet *Card. in Clem. 1. §. Si quis, de ftata Mon. not. 1. & ibi Anchar. num. 15. Suarez tom. 5. in parte 3. difputat. 4. fectio 19. numero 3. qui difparat. 23. fect. 4. numero 29.* ait idem effe quod præfumere, ea quo idem Sanchez infert ad incurrendam hanc cenfuram requiri certam fcientiam, alter ignorantia etiam craffa excufat ab ea incurrenda, modo ignorantia non fit affectata, aut cum ingenti temeritate coniuncta, vt dicam infra *quaft. 11.*

Depofitio ifta temararia quandoque eft peccatum mortale, cum fcilicet fit cum fcandalo aliorum, vel cum vagatione, vel ea turpi caufa fornicandi, furandi, choreas ducendi cum Secularibus, laruis vtendi extra clauftrum, ex his ergo, & fimilibus circumftantiis deducitur peccatum mortale, fiquidem dimiffio habitus in fe fpectata non eft peccatum faltem mortale, *nam cap. Sanctimonialis dift. 23. cap. Vidaa 20. quaft. 1.* vbi præcipitur vt Religiofa femper deferat habitum, etiam in lecto, & in infirmitate, vt ibi Gloff. ver. *Semper* explicat intelliguntur de honeftate, & confilio, non autem de præcepto, cum non contineant verba præceptiua, iuxta *D. Anton. part. 3. tit. 24. capit. 33. ex Nau. cap. 27. num. 131. Bonac. quaft. 2. de clauf. part. 2. num. 3. alios citat Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 49. & facit textus nofter cap. Vt periculofa*, fupra vbi adeft particula, *De catero*, quæ ex fui conditione refpicit futurum tempus, non præteritum *Gloff. in cap. Vn. Ne fed. vacat. extr. Ioan. XXII. & in extr. 4. de verbor. fignific. ver. Deinceps, Hoft. in cap. fin. de fponfa duor.* ea quo infertur illa dictione mediante aliud præceptum antea non fuiffe circa continuam geftationem habitus Religiofi; nec vrget *Gloff. in tio cap 5. 16. quaft. 1.* inter fubftantialia Monachatus referendo geftationem habitus, ficut continentiam, & non habere proprium, quafi tranfgreffio eius fit ex fe mortale, ficut violatio continentiæ, & paupertatis; fiquidem Gloffa vult hoc dicere, quod Religiofus non poteft degere tam vitam fine fuo habitu, non negat autem, quin poffit aliquando fe illo exuere, etiam ea leuitate, & fine peccato mortali. 4

Quandoque verò dimiffio habitus, feu eius expoliatio, (has enim voces diuerfificat *Sanchez cit. num. 59.* & folum veniale, quando nimirum quis eo fe expoliat fine fcandalo ad faltandum, ludendum, proiiciendum lapidem, vtendum laruis intra Monafterium, ad recitandum etiam aliquid ludicrum recreationis gratia, modo non fit de re ea fe mala. *Ita docent Sila ver. Habitus quaft. 2. Suarez & ex illis Bonac. quaft. 2. de clauf. part. 2. num. 15. Graff. part. 1. lib. 4. cap. 21. num. 15. Nauar. cap. 27. num. 131. Sanchez lib. 6. cap. 8. quaft. 3. num. 55. Tolet. lib. 1. cap 30.* qui fuperiora exempla referunt. 5

Saltatio autem, & vfus laruarum, honeftè & recreationis caufa peracta, apud quafdam Religiones tempore Bacchanalium, cum depofitione habitus, immo & in domibus parentum tantum, non funt plufquam venialia, præcifis extraneis, fiquidem Superiores huiufmodi recreationes permittunt, neque prohibent, aut alicui fit fcrupulus de peccato mortali, quicquid dicat *Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 77.* afferens Religiofum dimittentem habitum, vel illum occultantem ob ludum laruarum peccare mortaliter, quod multis probat, quæ non reijcio, quia aut probant effe folum veniale, aut mortale, non tamen ea fe, fed refpectu circumftantiarum peccatum mortale inducentium. 6

Demum nullum eft peccatum dimiffio habitus cum rationabili caufa, præcifo fcandalo; fiue deponatur intra, fiue extra clauftrum, puta, caufa balneationis, natationis, pifcationis, laboris, magni æftus, vtilitatis, commoditatis, dormitionis caufa, ad euitandam mortem, vel alterum damnum de quibus vide *Confect. tit. 13. cap. 14. Toletum lib. 1. cap. 59. num. 15. Nauar. cap. 27. num. 151. Sanchez lib. 6. cap 3. num. 41. Bonac. part. 2. num. 14. Diana refol. 115. de dub. regul. Rodriq. tom. 2. quaft. 76. artic. 6. cum fuo Compend. refol. 71. num. 6. Anton. de Sillis fuper cap. 11. Regula noftra Portell. ver. Habitus, qui in Addit. num. 3.* ait recurrentem 7

iuftè

iustè ad Superiorem maiorem, posse in itinere deponere, seu occultare habitum sine peccato, si timet probabiliter detinendum esse de ordine Superioris inferioris.

8. Constat ex hactenus dictis de iure communi non omnem habitus dimissionem esse peccatum mortale, sed eam tantum, quæ contingit sine rationabili causa, & cum scandalo, seu cum animo vagandi, dico de iure communi, quia vnusquisque videat, quod in sua Religione circa hoc statuatur, vel sit in vsu, & secundum morem sui ordinis viuat. In mea Religione vsus habet, dormitionem in lecto fieri habitu exuto, quamuis in Regula cap. 11. statuatur, quod *Vnusquisque tunica ac scapulari veste indutus, solusque dormiat. Neque tamen vllus in plumeis lectis cubet.* Hæc autem statuta non obligant ad mortale, neque veniale, immo in disuetudinem abierunt, etiam ea rationabili causa, quia tunc temporis, quando condita fuerunt illa decreta, viuebant nostri in habitu eremitico, quod nunc non faciunt, ideo neque eo modo dormire habent; præterquam quod in regulis Nicolai IV. & Leonis X. non reperitur indicta huiusmodi austeritas. Et quod dicit de lectis plumeis, intelligitur etiam de laneis sub eadem ratione, vt mortificent sub ea austeritate corpora sua in seruitutem spiritus redigentes, vnde & ibidem interdicitur vsus linearum interularum, de quibus infra *quæst.* 26.

9 Vt autem dimissio habitus etiam ex malo fine, puta ad fornicandum, furandum, &c. sit peccatum mortale non sufficit quæuis eius dispositio, sed debet esse cum notabili spatio temporis, nam in breui resumens depositum habitum non dicitur dimisisse, *per l. Diuortium, ff. de diuort. vt refert Sanch. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 55. Videntur autem omnes conuenire spatium vnius horæ esse breue tempus, *ita Silu. ver. Excomm.* 9. *num.* 51. & *ver. Habitus num* 3. *Caiet. explicando hoc caput. Vt periculosa Graff. part.* 2 *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 9. & *citatus Sanch. Bonacina verò quæst.* 2. *de claus. part.* 2. *num.* 21. notabile tempus statuit duas, vel tres horas. Ratio autem esse potest, quia maius tempus iudicio prudentis videtur requiri ad peccandum mortaliter contra minus præceptum, vt est nostrum de non dimittendo habitu, quam contra præceptum maius, vt est præceptum e.g. non laborandi die festo, non ferendi arma prohibita; sed ad peccandum mortaliter contra hæc duo præcepta requiritur spatium vnius horæ, *ex Bonac. part.* 7. *de legib.* §. 4. *num.* 17. & 18. ergo maius spatium requiritur ad peccandum mortaliter contra præceptum prohibens dimissionem habitus, ergo spatium vnius horæ non sufficit. Maior suadetur *arg. cap.* 2. *dist.* 5. *iuncta Gloss.* quia vbi timetur periculum, ibi citanda est mora, vnde quo periculum est maius, minor debet esse mora, maior verò respectiuè vbi minus est periculum. Quam doctrinam sustineo respectu earum Religionum, in quibus hoc præceptum non seruatur tam rigorosè, mitigatum per vsum viuendi non ita strictum, sicut fit in Religionibus magis reformatis, respectu quarum dimissionem ad horam censerem inducere peccatum mortale, quia vna ex præcipuis perfectionibus reformationis, est continua habitus delatio. *Faciunt dicta à Megal. lib.* 4. *de cens. cap.* 6. *num.* 52. dicta procedunt contra *Suar. de cens. disput.* 23. *sect.* 4. *num.* 30. arbitrantem non requiri notabile tempus, sed in ipsa dimissione vt sic committi peccatum, quia eius grauitatem non desumit ex quantitate temporis, sed ex ipsamet habitus depositione. Ad hoc bene dicit *Sanch. num.* 54. in ordine ad excommunicationem requiri notabile tempus, quia ad incurrendam censuram spectatur actio externa, quæ debet esse mortalis etiam ex malitia externa. Quare qui nihil cogitauit de quantitate temporis, & breui maneat sine habitu non peccat mortaliter, si verò intendebat diù vagari sine habitu, & de facto breui temporis spatio resumpsit depositum habitum, peccauit mortaliter, ex intentione.

Tertia conditio est, vt præter dimissionem mortalem habitus extra Conuentum de facto vagetur, quod probatur. Tum quia ita colligitur ex illis verbis, *euagandi materia Religiosis subtrahatur,* nostri textus initio hic allati, dicit enim, *materia,* non *occasio,* aut *animus,* licet enim hæ dictiones idem significare videantur, tamen æquum est, & conforme legibus pœnalibus, vt hic accipiatur pro actuali vagatione, non pro animo, aut occasione vagandi, quia cogitationis pœnam nemo meretur, *capit. Cogitationis, cap. Cogitatio, dist.* 1. *de pænit.* Tum quia quilibet lex quibuscumque verbis constet intelligitur restrictiuè, sine ampliatiuè iuxta limites suæ rationis, à qua regulatur, eo quod ratio est anima ipsius legis, *cap. Ratio nulla de præbend. l. Cum pater,* §. *Dulcissimis, ff. de leg.* 2. docet *Tiraq. multis citatis in tract. causa cessante part.* 1. *num.* 138. & 139. & *in l. Si vnquam,* §. *Libertis, C. de reuocand. donat. n.* 45. *Sanch. lib.* 2. *disp.* 37. *num.* 7. Finis autem propter quem Papa edidit illud decretum prohibens dimissionem habitus fuit, ne Religiosi vagarentur, ergo cessante vagatione cessat etiam decreti dispositio, consequenter pœna non incurritur, nisi secuto effectu vagationis. Tum quia Papa punit Religiosum deponentem habitum propter vagationem, ergo sicut non punit animum deponendi habitum, sed factum ipsum, ita neque punit propter intentionem, & occasionem vagandi, ergo quia vagatus fuit de facto. Antecedens suadetur, quia deponens habitum, vt commodius, seu volu tuosius fornicetur non est excommunicatus, *Tolet. lib* 1. *cap.* 39. *num* 15. *Nau. cap.* 27. *num.* 131. & *alijs suprà citatis,* & alia ratio non videtur assignanda, nisi quia in ea expoliatione nullum contigit vagationis vitium, intelligo id, quando religiosus exuit habitum non in conuentu, & sine eo pergit ad meretricem extra conuentum existentem, sed in loco, vbi fornicatur. Tum quia dimissio habitus vt sic in se spectata non inducit excommunicationem sed cum adiuncta materia vagandi, vt ferè omnes Doctores citati, & mox citandi asserunt, ergo talis debet esse vagatio, qualis dimissio, siquidem pœna excommunicationis, sicut quælibet alia pœna non incurritur nisi propter actum externum, sed dimissio debet esse in actu, & in facto, & non tantum in intentione, & voluntate, ergo & ipsa vagatio, si enim hæc in mente retineatur nihil potest operari; ac proinde neque inducere excommunicationem, quia propositum in mente retentum nihil operatur, *l. Si repetendi, C. de condict. ob turpem caus.* Tum quia ad ea, quæ rarò accidunt lex non aptatur, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* sed rarò accidit, quòd quis deponat habitum animo vagandi, & postea non vagetur. Nobiscum est *Calcaneus consil.* 153. *num.* 7. contra Silu. *ver. Excommun.* 9. *casu* 24. *num.* 54. *quæst.* 5. *in fine,* & *num.* 53. *not.* 3. *Tabienam Excommun* 5 *casu* 23. *quæst.* 3 *num.* 2. *Nau. c.* 27. *num.* 131. *Sair. lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 12. *cum alijs, quos pro se citat Sanch. lib.* 6. *cap* 8 *num* 61. 10

Non est autem necesse, vt Religiosus vagetur per diuersa loca, seu vicos, sed sufficit sine habitu recedere à loco notabiliter, in quo depositus fuit. Tum quia *ex glos. ver. Vagandi materia in extr. Ioan XXII. Execrabilis, per l. Si quis domesticorum C. de domest. & protect.* vagabundus dicitur, qui aberrat à loco, in quo assiduus habet esse, vbi vides nullam fieri mentionem de diuersitate locorum, locus autem assiduus Religiosi est proprium monasterium, in quo dicitur habere domicilium ex iis, quæ habet Innoc. in capit. Ex ore, de priuil. Tum quia *ex cap. Cum singula, de præbend. in* 6. vagus reputatur ille Religiosus, qui habendo vnum plurarum, seu curam animarum recipit aliam Ecclesiam, sicut & clericus, *cap. Quia in tantum, de præbend.* vbi dicitur vagus discurrens ab vna ad aliam Ecclesiam, sic ergo dicetur vagus Religiosus à suo monasterio recedens ad extraneum locum. Tum quia hic nomen vagi non accipitur pro eo, qui nullibi domicilium habet, sed hodie est hic, cras alibi, *l.* 4. §. *Præter, ff. de damn.* 11

damn. infect. Sed pso eo qui discurrit, ac si esset secularis uoole substrahendo à commercio secularium.

12 Responsio igitus ad quæsitum, quod Religiosus incedens laruatus habitus deposito inciderit in excommunicationem non reseruatam Papæ, manet probata ex hactenus dictis. *Ita tenet in terminis Megal. lib. 4. de censur. cap. 6. num. 53. §. Ex quibus verbis, Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5 num. 77. Conrad. part. 1. qu. 239.* his verbis. *Ex omnibus his collectis, & bene perspectis videtur elici posse, quod si Clericus, vel Religiosus ad horam laruatus incedat non incidere in excommunicationem, quia hic actus de se non est mortalis.* Cuius dictum est conforme nostræ responsioni ex allata doctrina præsertium in secunda conditione, vbi dicimus horam vnam esse breue tempus.

Quæres autem. 1. An præter dictas tres conditiones, aliæ requirantur, nam aliqui volunt deponentem habitum suæ Religionis ad hoc vt eam censuram incurrat, debere assumere alium habitum. Alij requirunt, vt deponens habeat intentionem fugiendi, seu apostatandi, non autem sumendi illum. Quidam exigunt scandalum, nempe vt religiosus faciat se videre sine habitu secularibus.

13 Respond. Nullum prædictorum requiritur. Non assumptio alterius habitus. Non intentio fugiendi, seu apostatandi. Non scandalum.

14 Primum, non sequitur assumptio alterius vestis, probatur. Tum quia in textu non exprimitur, neque deducitur huiusmodi assumptio, ergo neque à nobis est asserenda. Tum quia stat perfecta dimissio habitus absque eo, quod quis alium induat, & hoc notum est exemplo eorum qui noctu se expoliant, vt eant dormitum, tunc enim deponunt, & demittunt habitum, neque enim dimittere, seu deponere accipiendum est pro relinquere, aliter soli apostatæ habitu dimisso, eam pœnam incurrerent, quod falsum probatur hîc §. Secundum. Tum quia illi religiosi, qui calceati incedunt, cum subtus habitum more secularium, eorum statui condecentem ferant, alium non assumendo nunquam inciderent in excommunicationem, quia veste regulari deposita, ferè numquam alium assumunt, sed propriis subuestibus vtuntur. Discalceati verò cum solis femoralibus vtantur, egent alterius assumptione, ne se videntes ad risum prouocent, vnde ex hoc Doctores fere omnes sequitur hanc assumptionem, quia nec nudi, aut indecenter vestiri solent communiter homines vagari, & ad ea, quæ rara sunt, leges aptari non solent l. *Nam ad ea ff. de legib.* & Doctores sunt *Silu. excom. 9. casu 24. num. 52. & 53. Naua cap. 27. num. 131. Rodriq. tom. 2. qu. 76. art. 6. §. Secundo. Tolet. lib. 1. capit. 39. num. 15. quos & alios pro se citat Sanch. lib. 6. cap. 8. n. 51.* ob eam rationem, quæ habere potest locum in reformatis, qui habitum, seu vestes more secularium non feruot, *Bonacina autem q. 2. de clausura p. 2. num. 7. Suar. tom. 5. in part. 3. disput. 23. sect. 4. num. 28. & Filliuc. tract. 14. cap. 8. q. 4. num. 133.* Afferant iuxta nostram responsionem non requiri assumptionem alterius habitus, imò & reformatos aufugientes cum solis femoralibus esse excommunicatos.

15 Potest autem assumi habitus alterius Religionis, vel cum intentione illam ingrediendi, vel sine illa intentione. Prios modo sumens, si statim absque mora transeat, non incurrit, quia hîc nulla vagatio, nec dimissio temeraria, siue transeat ad laxiorem, siue ad arctiorem. *Ita docent Rodriq. tom. 2. quæst. 76. art. 6 §. Secundo, Angel. ver. Religiosus num. 36. Tabien. excomm. 5 casu 27. num. 3. Armilla Excommun. casu 53. quos & alios pro se citat Sanch. libro 6. capitulo octauo, n. 68. Bonac. q. 2. p. 2. num. 16.* Concedit hoc, quando transit ad strictiorem quia demissio non est temeraria, *num 17.* ait incurrere quando transit ad laxiorem, quia adhuc prior Religio habet ius super illum, & reditus contingere potest cum periculo vagandi, sed non placet. Tum quia abest hoc periculum, si verè intendit aliam Religionem & sine periculo vagandi redire potest, si vult. Tum quia de facto per hoc non vagatur. Tum quia transitus ad aliam Religionem ex sua natura non inducit occasionem vagandi, ad quā per accidens se habet; ibidem verò pro se citat Doctores. Verum quidem est, quod sic transiens sine licentia siue ad laxiorem, siue ad arctiorem puniri potest vt apostata, Quia ex Decreto Sacræ Congr. sub dat. 21. Septembr. 1624. *Vt apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tunc qui Regularis recta se transferat ad arctiorem.* Id colligitur; inde tamen non infertur, incurri hanc censuram, cum de ea nulla fiat mentio, *Vide resolut. 29. quæst. 20.* Et in mea religione est ipso iure excommunicatus sine reseruatione transiens sine licentia petita à Generali, vel Prouinciali per Iul. II. *Constit. Decet Romanum. Dat. 8. Ian. 1508. in nostro Bull. pag. 56.*

Posteriori modo sumens habitum alterius Ordinis sine intensione ingressus accidere potest duobus modis, vuo ad malum finem, vt si Franciscanus exempli gratia, induat Dominicanum, vt liberius vagetur, & in hoc casu incidit posita vagatione, iuxta superius dicta, Tum quia in citato capite non solum prohibetur simpliciter dimissio habitus in genere, sed propriæ Religonis, vt denotat pronomen, *sua*, quicquid dicant Gemin. Lapus, & alij dum aiunt vnam esse omnium Religionem; sed errant, quia non sine causa appositum fuit illud pronomen, *sua*, quod prætermisisset legislator, si voluisset eos non incidere, recipiendo habitum alterius ordinis, argum. *cap. Solita, de maior. l. Si quando ff. de legibus*, in lege enim nulla est dictio superflua, sed vnaquæque suam habet vim, & mysterium. Tum quia peccat mortaliter sic incedendo, cum non leuem faciat iniuriam proprio, & alieno Ordini contra prohibitionem Summorum Pontificum, nam Innocentius Quartus Constitutione. *Quia confusio habitus sæpe confusionem inducit ordinum, & animorum,* Dat. 11. Decembr. 1242. & Clem. IV. Constut *Virtute conspicuas*, Dat. 10 Nouembr. 1439. in Bullario nouo 4. interdicunt Religiosis ne deferant habitum alterius ordinis. Quare sine dubio sic vagans incurrit. Altero modo sumi potest ad finem honestum, vt ad prædicandum, disputandum, cantandum &c. in Ecclesia alterius ordinis, aut etiam si sumat vestem clericalem ad cantandum &c. in Ecclesiis clericorum, in hoc casu non incurrit censuram, peccat tamen siue adsit licentia proprij Superioris, quam dare non potest, cum delatio habitus proprij sit de iure communi, siue non, aut alterius, cuius fert habitum, propter eamdem rationem, suadetur. Tum quia honore, quem propriæ Religioni deferre debet, alienæ tribuit. Tum quia prædicta cum proprio habitu æquè benè, & melius præstare potest. Tum quia in re non leuis momenti emeutitur proprium statum. Tum quia sicut in vno, eodemque officio non debet esse dispar professio *cap. In noua 16. quæstione septima,* neque debet quis vestem induere de lana, linoque contextam, *cap. Cum causam 27. de elect.* Neque in eodem Monasterio *Clem. 1. de elect.* Ita multo minus fingi. Tum quia ea diuersitate habitus generatur confusio, & scandalum, *Glos. in capit. cit. In noua, ex capit. Quod Deo Patri 33. quæstione quinta.* Demum hæc dimissio est temeraria, & indiscreta, ergo peccaminosa. Quod assumptio habitus alterius ordinis sine intentione ingressus inducat censuram, docent ferè omnes eum. *Rodriq. tom. 2. quæstione 76. articulo 6. §. Secundo, Confect. titul. 13. capit. 15. & alij cum Sanchez libro 6. cap. 8. num. 65.* Quod ad secundam partem, quando sumitur ab bonum finem nobiscum videtur sentire *Sanch. cit. num. 66.* dum dicit sic proprium habitum dimittentem sumendo alienum de licentia eius Superioris temerè deponere, quando alio modo potest commodè deseruire alteri Ordini,

ordini, & grauis vrgeat necessitas, *Contra Bannez 2. 2. q. 12. art. 1. dub. 2. post 2. conclus. & Cruz, lib. 2. de statu regul. cap. 7. in fine.*

17 Secundum, ad incurrendum hanc pœnam non requiritur apostasia, fuga, sed sufficit sola vagatio, probatur. Tum quia hæc non exprimuntur in textu. Tum quia tam est dimissio habitus ea, quæ fit cum animo resumendi habitum, quàm illa, quæ fit sine animo resumendi, seu apostatandi. Tum quia sine his subsistere potest vagatio, quam intendit Papa subtrahere Religiosis timore huius pœnæ, non autem punire apostatas. *Rodriq. tom. 1. quest. 30. articulo 1. cum suo Compend. resol. 11. num. 1. Nau. cons. Vn. de Apost. num. 6. quos & alios citat Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 45. qui num.* 48. de communi ait, ad hanc censuram incurrendam non requiri, vt in perpetuum deponatur, vel vt deponatur eo animo, *Sair. lib. 3. cap. 33. numero.* 15. Refert, quosdam tenere non incurrere, quando dimittitur cum intentione resumendi, propter eam rationem, quia dimittere est relinquere, sed errant sine dubio, quia in subiecta materia dimittere respicit expoliationem cum tempore notabili, aliter frustaretur Papæ in ea lege intentio, quæ fuit substrahere regularibus materiam vagandi.

18 Tertium, ad incurrendam hanc censuram parum refert scandalum, seu facere se videre, aut se celare Secularibus, probatur. Tum quia adhuc est vagatio cum dimissione habitus. Tum quia sequeretur posse Religiosos de nocte vagari sine habitu, aut se transferre ad partes, vbi Religiosi non cognoscuntur, & sic per plures dies, aut menses vagari sine habitu, quod omninò absurdum est. Sic tenent *Azor. lib. 12. cap. 17. q. 14. & ex eo Sanch. lib. 6. c. 8. num.* 61 Contra fere omnes, quos sequitur *Rodr. tom. 2. q. 76. art. 6. Sair. lib. 3. cap. 33. num 11. & 16. Tabiena ver. Excomm. 5. casu 23. num. 2. apud dictum Sanch.* Asserens requiri, vt habitum dimittens se offerat in conspectu hominum.

Quæres 2. An ad incurrendam hanc censuram dimittendus sit totus habitus, an sufficiat dimittere partem, e. g. si Franciscanus dimittat scapulare, tunica retenta. Item Tertiarius eiusdem Ordinis dimisso scapulari proprio sumat illum Conuentualium, vel proprium rotundet à parte priori. Item, si quis propriam hastam, seu patientiam in alienam commutet. Item si Augustinianus ex duobus habitibus, alterū deponeret. Idem si professus reciperet habitum Nouitiorum. An in his, & similibus casibus vagans extra Monasterium incideret in hanc excommunicationem?

19 Respond. Dimittens propriæ Religionis habitum ex parte non incurrit censuram hanc. Probatur, Tum quia ad incurrendam excommunicationem requiritur, vt actio prohibita fiat sub ea ratione, sub qua interdicitur, & non sufficit, vt imperfecte fiat, sed opus debet esse consummatum, propter quod censura incurritur, vt docent omnes *cum Nau. cons. 18. de sent. excomm. nu. 3. tom. 3. in cap. Si quis non dicam de pœnit. dist. 1. n. 17. Megal de cens. lib. 5. cap. 4. num. 2. Quaranta ver. Sedomia in Addit.* Sed in præcitatis casibus non perficitur, neque consummatur dimissio habitus, cum sit talis secundum quid, & imperfectè, & dicatur semiuestitus, ergo non dimisisse habitum. Tum quia in prædictis casibus non est propriè habitus dimissio, sed habituum permixtio, de qua non loquitur noster textus, ergo non habet locum excommunicatio.

20 *Suar. tom. 5. in part. 3. disput. 23. sect. 4. num. 28. & ex eo Sanchez libro 6. capitulo 8. numero 52. Bonacin. quæstione 2. de claus. punct. 2. numero octauo*, Affirmant Religiosum dimittentem non solùm totum habitum, sed etiam illius partem, alia retenta, per quam nequit Religiosus suæ Religionis cognosci, incidere, probant, quia perinde est ac totum habitum dimittere, & ex hoc occasionem vagandi habet, cum non cognoscatur professus sui Monasterij; sed patet ex supra adductis hanc non esse perfectam habitus dimissionem, sed eius partialem expoliationem, seu permixtionem habituum; neque facit ad hanc censuram incurrendam, quod non cognoscatur Religiosus suæ Religionis, hoc enim extraneum est, cum accidere possit, vt adhuc cognoscatur suæ Religionis, & sic non incurret dicendo amicis, & aliis, se esse talis Religionis, & sic videretur esse in eius potestate incursionem huius pœnæ quod ridiculum est. Confirmatur, tum quia verba intelligenda sunt simpliciter, & non secundum quid l. *Hoc legatum ff. de legat. 3 lib. 1. §. Si quis simpliciter, ff. de verborum obligat. Cardin. Tuschus litera V. conclusione 92. Barbosa litera V. num.* 15. Sed nomine depositionis habitus venit totus habitus simpliciter loquendo, ergo non venit dimissio partis. Tum quia soluens partem debiti non dicitur soluisse debitum, ergo soluere se vestem seu illa se exuere non dicitur soluisse habitum personam suam.

Circa habitum Nouitiorum dicunt præcitati Doctores, tunc professum induentem, proprio dimisso hanc pœnam incurrere, quando habitus Nouitiorum assumptus est distinctus ab habitu Nouitiorum. Probant, Tum quia non dicitur ferre habitum suæ Religionis; Tum quia datur sufficiens occasio vagandi. Sed prima ratio reiicitur, quia adhuc est habitus suæ Religionis in genere subalterno, quia sine dubio ille peculiaris habitus Nouitiorum spectat ad suam Religionem. Secunda nullius est roboris, cum per habitum Nouitiorum potius subtrahatur materia vagandi, quàm relaxetur, quia Nouitiis strictior clausura indicitur in probatione, quàm professis; nec facit quod Nouitius non possit impediri à fuga, & reuocari ad Religionem, quia hoc prouenit ex eo, quod nondum est professus, vnde liberè exire potest *cap. Statuimus, de regular.* & non quia fert peculiarem habitum, quem tenetur dimittere redeundo ad Seculum. Quando autem habitus Nouitiorum idem est cum habitu professorum, sed superadditur aliquid ad discriminandum Nouitios à professis, pari ratione professus non incurrit, quia adhuc dicitur retinere habitum suæ Religionis. 21

Colligitur ex hactenus dictis in illis Religionibus, in quibus habitus sunt eiusdem generis, & parua est differentia quo ad materialitatem vestium permixtionem habituum nullam inducere censuram, vnde si Sacerdos, seu Clericus in Religione Dominicana induatur patientia nigri coloris fratris Conuersi è contra accipientis albi coloris clerici, hanc pœnam non incurrit; sicut neque si induat habitum Sancti Basilij Mediol. nuncupatorum SS. Cosmæ, & Damiani, qui vtuntur habitu simili vestitui Laicorum Sancti Dominici. Neque Religiosus Tertij Ordinis induens Caputio rotundo Patrum conuentuum, aut è contra, in his enim, & similibus Religionibus communicantes multum in habitus similitudine nulla incurritur censura huius nostri textus, quia aut est habituum permixtio, non depositio, aut quia adhuc censentur gestare proprium habitum, cum parum differant, & consequenter nihil distare videantur. Pari ratione Regulares clericalium Religionum, vt sunt Iesuitæ, Theatini, Barnabitæ, Somaschi si habitus commutent non incidunt, quia sunt habitus communes, consequenter etiam proprij, cum in forma, & colore non differant. E contra inciderent Capucini permutantes cum Conuentualibus, & è contra cum latissima sit differentia, sicut Dominicani cum Franciscanis, & sic proportionaliter de reliquis. 22

Quæres 3. Quænam vestes Religiosorum veniant sub nomine habitus, de quo fit mentio in nostro capite?

Respond. Certum est non venire interiores vestes, 23 quas subtus more Secularium deferunt Regulares Calceati, vt omnes Monachi, Clerici Regulares, Dominicani,

minicani, Augustiniani, Carmelitani, Franciscani Conuentuales, & Tertiarij, &c. Neque Superiores vestes potius ad ornatum, aut tegendum à pluuiis reliquas, & rotum corpus, quæ vocantur maotellum, seu capa. Remanet ergo media vestis talaris exterior cum caputio, de quibus loquitur noster textus, quarum dimissione venit depositio habitus interdicta in eo capite, per hunc enim habitum medium Religiones distinguuntur, *Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 52.* Vnaquæque Religio consulat proprias regolas, & statuta, in regula mei Ordinis *cap.* 10. habitus regularis describitur his verbis. *Nostrutum habitus sit tunica talaris cum scapulari veste, sine cucullo vtrimque angulari, posteriori tamen angulo funiculum attingente.* Sed de hoc iterum infra *quæst.* 21. 22. 23. 24.

Quæres 4. An habitus Nouitiorum debeat esse distinctus ab habito professorum.

24 Respond. Non, de iure communi, quia nullibi repetitur hoc statutum, licet enim in multis locis iuris mentio fiat de diuersis habitibus, nempe probationis, conuersionis, & professionis, *ex Gloss. in capit. 1. 17. quæstione prima, de quibus ego dixi in meo tractat. de profess. regul. capitulo 1. quæstione* 16. in illis tamen Papa non præcipit distinctionem, sed supponit ex institutis, & consuetudinibus vniuscuiusque religioois, de quibus *in Clement. fin. de regul.* & ibi Gloss. Potest ergo esse omnino idem habitus Nouitiorum, & professorum, & hoc docent *Suar. tomo 3. de Relig. lib. 5. cap. 14. num. 10. Vecchius in praxi nouit. disputat. 11. dub. 7. num. 3.* Distingui autem potest habitus Nouitiorum ab habitu professorum septem modis, I. colore, eo quod Nouitij ferunt habitum vnius coloris, professi alterius. II. Scissura, vt si habitus ex patre diuidatur. III. Detractione, seu omissione, vt Nouitij Conuentualium olim *ex c. 2.* Regulæ probabantur sine caputio. IV. Additione alterius vestis, vel signi, vt si fructum panni addatur vtrinque angulo caputij, & in his distinctio dicitur intrinseca habitui, in reliquis verò dicitur extrinseca, proueniens. V. ex benedictione, quæ fit benedicendo habitum, aut in prima receptione, vt apud nos fit, vel in professione, quod apud alios seruatur tradendo diuersum habitum. VI. ex loco, si Nouitius induatur in vno, & in alio proficiat, vt sustineo posse etiam fieri *resol. 54. num.* 113. VII. ex Superiore, vt si Nouitij induantur ab vno Superiore, & proficiant sub alio, vt in mea Religione capitulo oono, profitentur per manus Generalis, aut Prouincialis, ad habitum autem non designatur Superior induens nisi Superior localis.

Quæres 5. An vagans dimisso habitu cum licentia sui Superioris, excusetur ab hac excommunicatione?

25 Respond. Noo. Probatur. Tum quia inferior non potest tollere pœnam à Superiore, & lege indictam *cap. Inferior. 4. distinct. 21. cap. Cum inferior 16. de major. Clement Ne Romani, de elect. Graff. Addit. ad partem primam lib. 1. cap. 31.* Tum quia non potest concedere facultatem deferendi illum occultè *Sess. 25. cap. 19. infra num. 42.* ergo multo minus deponendi. Tum quia posita tota actione prohibita sub pœna censuræ, necessariò sequitur ipsa pœna, ergo Superior concedendo dimissionem habitus cum vagatione, necessariò concedit etiam incursionem pœnæ, quam impedire non potest. Tum quia huiusmodi licentia siue referatur ad exeundum è claustro, siue ad vagandum, & deponendum habitum nullius est momenti, & nomen licentiæ non meretur, ergo hîc nihil prodest, nec obstat *Gloss. ver. Licentiam cap. Qui sincere 3. distinct. 45.* dicens, licet non liberet à peccato, excusare tamen à pœna incurrenda, quia hoc procedit, quando author pœnæ dat licentiam, in casu autem nostro Superior non est author pœnæ. Neque quod dicit Aretinus in fine Addit. ad capitulum secundum, in sua practica crimin. cum dici vagum, qui sine obedientia vagatur *& Nauarr. consil. de Apostatis num.* 8. dum vocat eum fugitiuum, seu vagabundum, qui exit è Monasterio sine licentia, iuribus, & Doctoribus citatis; ex his enim non bene infertur, dictum Religiosum exeuntem è claustro cum licentia, non dici vagum, ac proinde excusati ab excommunicatione, quia licentia non suffragatur, sed est ac si non fuisset concessa, & illi Doctores loquuntur de legitima licentia, non falsa, & indiscreta, quam Superior facere non potest. *Sic tenent Silu. ver. Excommun. 9. casu 25. n. 55. Sair. libro 3. capit. 33. numero 19. Sanctar. de Apostas. capit. 1. num. 17. quos pro citat. Bonac. quæst. 2. de claus. p. 2. num.* 11.

Quæres 6. An carceratus sine habitu ablato de mandato Superioris, si inde aufugiat habitu non resumpto incidat in excommunicationem? Item dato quod non incidat, an sic fugiens negligendo resumere, fiat excommunicatus? An demum liceat Superioribus priuare habitu carcerato pro eo tempore, quo manet sub custodia.

26 Respond. Aufugiens sine habitu priuato non incurrit. Neque postea si negliget illum resumere. Malè faciunt Superiores expoliantes carceratos habitu Religioso.

Primum, quod profugus non incidat, probatur. Tum quia huiusmodi excommunicatio prouenit tantum ex actiua, & spontanea dimissione habitus, non ex passiua ordinata à Superiore; sed carceratus habitum sponte non deposuit, sed priuatus fuit, ergo non incidit. Tum quia ista expoliatio non fuit facta vt carceratus vagaretur, quod requiritur ad hanc pœnam incurrendam, ex probatis initio Resolutionis §. *Tertia,* ergo non incidit. *Ita Nauarr. tomo secundo, comm. 4. de Regul. num. 63. §. Quarto, Bonacin. quæstione secunda de claus. punct. 2. numero 6. Rodr. tom. 2. quæst. 12. art. 6. Sanchez lib. 6. cap. 8. num. 47.* qui omnes casum proponunt de eo, qui iustè condemnatus ad perpetuum carcerem denudatus fuit habitu Religionis in pœnam suorum criminum, quem nolunt aufugientem incurrere excommunicatiooem, quia cum iustè denudatus fuerit, debet se abstinere ab vsu habitus Regularis, vnde non habet obligationem deferendi illum. Sed nostra responsio est vniuersalior.

Secundum, quod non teneatur illum resumere in casu nostro sub pœna hac, probatur. Tum ob rationes allatas. Tum quia nullo iure sub ea pœna præcipitur habitus resumptio. Verum quidem est, quod sub pœna peccati mortalis tenetur illum resumere, quando tamen illo iustè priuatus non fuit.

27 Tertium, malè faciunt Superiores, dum in carcerem trudunt aliquem Fratrem auferendo illi aut caputium, aut tunicam ex quodam vsu indiscreto. Probatur. Tum quia est de iure communi, vt continuò seratur habitus Religionis, *cap. Vidua 20. quæst. 1. cap. Sanctimonialis distinct.* 23. sed Superiores Regulares non sunt super ius commune, capit. Quod super his, de maior. & aliis iuribus citatis sub quæstione quinta. Tum quia habitus Religionis est annexus ossibus Religiosorum *ex Ioanne Andrea cum Graff. part. 2. capit. 17. numero 12. & Gloss. in cap. 16. quæst.* 1. inter substantialia Monachatus refert dilationem habitus sicut continentiam, & non habere proprium; sed Superiores neque ipse Generalis super substantialia Religionis nihil omninò possunt, *capit. Cum ad Monasterium, de statu Monach.* Tum quia talis habitus ablatio videtur inutilis, cum nullam mortificationem inferat carcerato, aut Superioribus expediat. Quare talis vsus est potius abusus, & corruptela contra Sacros Canones, ac proinde irrationabilis *capit. finul. de consuet.* Procedunt dicta, quando auferunt habitum sine iudiciali sententia, & non in pœnam, vt mox referam. Auferre autem illis cingulum est bonum, ne illis Diabolus iniiciat laqueum, & semper deberet auferri.

28 Quatuor autem sunt casus, in quibus Religioso auferri potest habitus, qui sunt pro re grauissima. Primus est in casu incorrigibilitatis ex Constitut Alexand. VI. *Cum sicut nobis.* Dat. 15. Iun. 1501. apud Confect. paginate.

pagio. 110. quædam autem seruantur præscripta a Sacra Congregat. sub datum 21. Septemb. 1624. de mandato Vrbani VIII. de quibus alibi. Secundus est in casu, quo Religiosus est perpetua carceri mancipandus, vt supponunt præcitati Doctores suprà hic 9. *Primum*, Tertius est in casu, quo est tradendus curiæ seculari, tunc enim degradatur ab Episcopo, vt dicam alibi, & habitu priuatur. Quartus est in casu triremium, ad hanc enim pœnam damnatum debent Superiores priuare habitu. Tum quia alter hoc esse graue scandalum, & dedecus Religioni. Tum quia sunt indigni eo habitu pro eo tempore, quo vtuntur remige pœna.

Quæres 7. An eiectus à Religione, seu ad triremes damnatus, si non fuit priuatus a Superioribus habitu, possit illũ deponere absque incursu huius excomunicationis.

29 Respond. Non incurrit. Probatur. Tum quia Superiores tenentur illum priuare habitu, ergo ex hoc capite non habet obligationem ferendi illum, ac proinde non incurrit dimittendo eum. Quod Superiores debeant denudare incorrigibilem, patet ex citata Constitut. Alex. VI. & Decreto Sacræ Congreg. De damnato probaui ibidem. Tum quia per expulsionem licèt remaneat Religiosus quo ad substantiam votorum, quæ relaxari non possunt *Rodriq. tom. 1. quæst. 1. artic. 4. & quæst. 30. art. 19. Nauar. in fine consil. 77. de regul.* tamen quoad vitam Regularem non dicitur amplius Religiosus, vnde neque tenetur ad obseruantias Regulares, vt multis probat *Sanchez lib. 6. c. 9. num.* 52. Doctoribus citatis, cum mutauerit statum; sed sub vita Regulari est habitus Regularis, ergo mutata vita, mutandus est etiam habitus. Et hoc idem potest applicari damnato ad triremes, in quo licet non detur mutatio status presse accepti, datur tamen eiudem suspensio, & consequenter etiam habitus, qui pertinet ad vitam Regularem. Demum huiusmodi depositio ab illis sponte facta temeraria non est, seu potius bona Religioni, ne patiatur dedecus apud Seculares.

30 Bonacin. *quæstione secunda, de cens. punct. 12. §. V. Sanchez libro sexto, capitulo 9. numero* 55. *ex Rodriq. tomo 1. quæstione 30. articulo 27. & Sair. in Claui libro 6. capit. 9. numero* 28. tenent eiectum habitu non priuatum, illum dimittere non posse, sine incursione excommunicationis, probant I. quia adhuc est Religiosus; sed non bene infert, quia habitus non facit Monachum, & dico quod aliud est remanere Religiosum, aliud mutare vitam Regularem, inter quam est delatio habitus, si ergo mutat vitam, debet etiam mutare habitum. II. Episcopus factus defert habitum suæ Religionis, ergo & expulsus. Est dispar ratio, nam iste defert ad augendum honorem Religionis, iste deponere debet ne opprobrium accrescat. III. quia sententia condemnatoria non operatur effectum in ea non expressum: dico sententiam bene datam debere hoc includere, finis enim propter quem isti eijciuntur, vel damnantur, est, ne Religio vlterius opprobriis inficiatur, eo magis autem inficeretur, si huiusmodi homines facinorosi cum libertate in seculo manentes deferrent habitum. Citant præsertim *Rodriq. & Nauar. tom. 2. comm. 1. de Regul. num.* 56. *& consil. 78. 79. de Regul.* in quibus locis videntur asserere iustè eiectum non posse ferre habitum, quo per sententiam priuatus fuit, non exprimentes quid de eo, qui eiectus fuit cum habitu, nam Rodr. sic loquitur. *Verum tamen est, quod eiectus à Monasterio, quia nolunt eum recipere, non potest propria authoritate habitum relinquere*, videtur enim loqui de iniustè eiecto, qui sine dubio habitum deponere non potest, sed procurare reditum.

Quæres 8. An creatus Cardinalis, Episcopus, vel Abbas, aut Curatus Ecclesiæ Secularis, debeat ferre habitum suæ Religionis, ita quod illum deponens fiat excommunicatus.

31 Resp. Debent se conformare in vestibus suæ dignitati congruentibus, quo ad formam, & figuram, quo ad colorem verò debent vestire habitum coloris suæ Religionis, deponentes tamen etiam quo ad colorem non subijciuntur excommunicationi excepto Curato, qui sine dubio incidit.

Primum de congruentia habitus quo ad formam dignitatis, & colorem religionis colligitur *ex c. In noua 19. 16. q. 7. iuncta Glos. ibidem, & cap. Clerici 15. de vita, & honest.* in quibus locis præcipitur delatio habitus quo ad proprium colorem, vnde quo ad formam, & figuram mutari potest in conuenientem suæ dignitati, ita præcepit Paulus V. in Rituali Romano, vt Episcopi Regulares habitum deferrent quoad colorem similem Religioni, quoad formam verò se accommodarent aliis Episcopis, & desuper deferrent insignia suæ dignitatis, vnde Cardinales induuntur habitu suæ Religionis, & birettum habent rubeum, galerum sui ordinis quoad colorem, formam Cardinalitiam cum cordone rubeo, ita statuit Gregor. XIV. Constit. Sanctissimus in Bullario nouo 9. Episcopi mozetam eiusdem coloris cum forma Episcopali. Quod debeant tenere habitum Religionis quoad colorem docent omnes *cum Compend. Bull. Schol. 2. de Constitut. 2. Eugen. III. Schol. 1. ad Constit. 104 Clem. VIII.* vbi loquitur de Cardinalibus, & Episcopis. Idem dic de Abbatibus, & Curatis qui debent ferre habitum Religionis, adiunctis insigniis Abbatum, & Curatorum propriis, vt vidi obseruare hic Mediolani, vbi Curati Regulares deferunt stolam humeralem, seu paruum mantellum super humeros. Quod autem Cardinales, & Episcopi non incurrant deponentes, probatur. Tum quia non amplius sunt subiecti Superioribus Regularibus, in eo autẽ capite sermo est de viuentibus sub obedientia Prælati Regularis. Tum quia sunt in tali statu, in quo defectus vagationis non est præsumendus, immo assumptio habitus suæ dignitati competentis retrahit à periculo vagandi. Ita de Episcopis docent *Tapia in Auth. Ingressi ver. Sua cap. 6. num. 61. C. de Sacros. Eccles. Rodriq. tom. 2. quæst. 58. artic. 3. quos pro se citat Sanchez lib. 6. cap. 6. num. 23. & 34 de Cardinalibus, Barbos. ad cap. 19. num.* 42. contra quamplures tenentes incurrere in excommunicationem, *Bonacina quæst. 2. de clauſ. p. 2. num.* 26. de Episcopis, vtramque opinionem refert loquendo etiam de Cardinalibus, *num.* 29. & Episcopis asserens, quod nos diximus, vbi *num.* 17. idem dicit de Abbate habente dignitatem quasi Episcopalem, in hoc enim comparatur Episcopis, quod idem sentit *Sanchez cit. num.* 35.

32 Secundum de Curato incurrente, probatur. Tum quia non est absolutus in totũ ab obseruantia Regulari, cum eam obseruare possit simul cum Officio Parochiali, sicut præfati Prælati de quibus dicitur *cap. Statutum 18. quæst. 1.* quod electio canonica absoluit à iugo regulæ Monasticæ, & ibi sermo est de Episcopali dignitate. Tum quia in Parocho non militat ratio dignitatis sicut in dictis Prælatis. Et quod incurrant asserit *D. Anton part. 3. tit 16. cap 5. in fine princip. Silu. Religio 7. q. 11 quos pro se citat Sanch. lib. 6. cap. 6. num. 36. & ex aliis Bonac. q. 2. p. 2. num. 25. Compend. resol. 71. num. 3.*

Quæres 9. Quinam Religiosi dicantur incidere in dictam censuram? qua occasione de Iesuitis.

33 Resp. Incidunt omnes professi siue tacitè, siue expresse, vt in textu disertis verbis dicitur, siue sint Clerici, & deputati ad Chorum, siue Laici, & Conuersi, quibus non obstant illa verba, *In Scholis, vel alibi*, quia sunt duæ excommunicationes, vna contra dimittentes habitum intuitu scholæ, & altera ea quouis alio illicito fine cum vagatione, qua capaces sunt etiam Laici, licet non dedicentur studiis, & scholis, pro quo casu alia infligitur excommunicatio. Quare excluduntur Nouitij, & Tertiarij, & similes habitum non deferentes professorum, sed imperfectum, eo quod nullam professionem emittant.

34 Societatis Iesu professi incurrunt, quia licet in om-

mibus locis communem, & eundem habitum non habeant, dicuntur tamen habitum suæ Religionis habere, hoc ipso quod in singulis prouinciis, regnis, aut locis eundem habitum in colore, & forma deferunt vbi simul repetiuntur, diuersum verò quo ad loca, habent ergo habitum proprium in specie, vt ita loquar, communem verò in genere quo ad diuersitatem locorum. *Ita sentit. Bonac. quæst. 2. de clausf. p. 2. num. 24.* contra Sanchez *lib. 6. cap. 8. num. 70.* eo quod eius Religio non habet habitum proprium, sed iam respondi non habere proprium diuersitate locorum, vtique verò vnitate collegiorum, quia in eodem collegio diuersis non vtuntur vestibus, sed eisdem colore, & forma iuxta tamen morem patriæ.

Quæres 10. An hæc constitutio, quæ est Bonifac. VIII. creati anno 1294. cui successit Benedictus XI. 1303. comprehendat etiam Religiosos earum Religionum, quæ post ipsum institutæ fuerunt, & sunt quamplures, vt Minimi de Paula, Iesuatorum, Societatis, Barnabitæ, &c.

35 Respond. Sic. Tum quia lex semper loquitur *l. Ariani C. de haeret.* Tum quia Constitutio loquitur indefinitè quo ad tempus, & Religiones, ergo comprehendit omne tempus, & personas cuiusuis Religionis, quouis tempore institutas. Ita in specie sentit *Bonac. quæst. 2. de clausf. p. 2. num. 23.*

Quæres 11. An quæuis ignorantia etiam crassa excuset ab incursu huius excommunicationis?

36 Respond. Excusat. Probatur, quia illæ excommunicationes, quæ supponunt temerariam violationem non incurruntur ab ignorantibus non solum probabiliter, sed etiam culpabiliter ex ignorantia culpabili, immo etiam crassa, & supina, non tamen affectata, aut quæ sit cum ingenti temeritate; sed hæc excommunicatio supponit transgressionem temerariè factam, nam bis repetitur hæc temeritas in textu, modo sub hoc verbo, *temerè*, modo sub his verbis, *temerarius violator extiterit*, ergo non incurritur per ignorantiam etiam culpabilem. Maiorem docent communiter Doctores cum *Sanch. lib. 9. disput. 32. num. 38.* vbi pro se citat *Nauar. cap. 17. num. 74. Henr. lib. 13. de excommun. cap. 23. num. 3. Petrum de Ledesma de sacram. cap. 3 de excommun. dub. fin. num. 36. Bonac. quæst. 2. de censuris p. 1. num. 12.* vbi alios citat. Ratio est, quia temerè facere est dedita opera, consultò, & scienter facere prohibitum, *cap. Ex literis. de diuortiis*, constat autem quamlibet ex prædictis ignorantiis excludere scientiam, ergo sic ignorans excusatur ab ea pœna. Ita tenent *Sanch. lib. 6. capu. 8. num. 43. Bonac. quæst. 2. p. 2. n. 28.*

37 Aduerte pro intelligentia mox dictorum, quod ignorantia inculpabilis est illa, qua ignoramus ea quæ scire aut non tenemur, aut si tenemur, vel adhibuimus necessariam diligentiam, & non potuimus scire veritatem, vel nunquam menti occurrerunt. Ignorantia culpabilis est illa, qua quis ignorat ea, quæ scire tenetur præuisa iam in dubitatione, seu cogitatione, quam ignorantiam quis non dicitur vincere, seu superare, quando paruam, aut nullam adhibuit diligentiam. Hæc autem vocatur crassa, & supina, in qua superanda ignorans modicam, aut nullam adhibuit diligentiam, negligendo scire veritatem rei. Quod si adhibuit mediocrem diligentiam, sed non sufficientem, aut necessariam vocatur simpliciter culpabilis, quandoque inducens peccatum mortale cum, scilicet negligentia in addiscendo est grauis, aut grauissima, ex quo tunc vocatur crassa, vt supra, interdum solum veniale, cum negligentia est leuis in addiscendo. Affectata demum est illa, qua quis dedita opera scire non vult scienda, vt liberius peccet. *Vide Sanch. lib. 1. cap. 16. & 17.* optimè totum explicantem. Ille ergo Religiosus, qui nunquam cogitauit, aut dubitauit adesse hanc excommunicationis pœnam contra deponentes habitum suæ Religionis, immo & si dubitauit, sed non curauit se certificare de hac re, modo id non omiserit, vt liberius posset incedere sine habitu, excusatur ab ea incurrenda, vt satis probaui.

Excusatur demum ille, qui scit adesse hanc pœnam, sed dum deposuit habitum incedendo, & vagando nunquam aduertendo ad eam, cum tunc memoriæ nullatenus occurrerit. Ratio est quia inaduertentia, qua quis dum operatur non aduertit ad malitiam, quæ est coniuncta cum opere, vel ad pœnam, in hoc casu excusandi ab incurrendis censuris, pari pacto currit cum ignorantia, vt docent *Suar. disp. 4. de cens. sect. 8. n. 5. & 11. Azor. part. 1. lib. 1. cap. 16. quæst. 3. Sanch. lib. 1. cap. 16. num. 8. & ex eis Bonac. quæst. 2. de cens. p. 1. num. 5. §. Notandum.* 38

Quæres 12. An occultans habitum veste bacchanali, vel alio genere indumenti, ita vt non appareat in suo habitu incidat in hanc excommunicationem?

Resp. Non. Tum quia hoc non exprimitur in nostro textu, neque inde colligitur, nam dimittere habitum verè, & propriè est illum extra se abjicere, & relinquere, occultare verò sonat oppositum, hoc est, habere apud se absconditum, aliter esset impropria locutio, quæ in pœnalibus non habet locum. Tum quia lex pœnalis non est extendenda de casu ad casum *capit. Pœna dist. 1. de pœnit.* sed casus sunt omninò diuersi habitum dimittere, & occultare: ergo dispositum in vno non debet extendi ad alterum. Ita tenent *Tabiena ver. Excommun. 5. casu 23. num. 2. Palud. in 4. dist. 18. quæst. 3. artic. 3. num. 41. Sair. lib. 3. cap. 33. num. 9. Suar tom. 5. in part. 3. disp. 23. sect. 4. num. 33. & 34. Bonac. quæst. 2. p. 2. num. 10.* vbi alios citat. 39

Contrariam sententiam, quod occultans incidat, docent *Rodr. tom. 1. quæst. 30. art. 2. & tom. 2. quæst. 76. art. 6. §. Secundo, Graff. part. 1. lib. 4. capit. 21. num. 9. Oldr. Ioan. Andr. Anton. Anchar. Silu. Caiet. Armilla & multi alij quos pro se citant Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 63. & Barbosa ad cap. 29. sess. 25. num. 39.* qui hoc intelligunt modo non cognoscatur vt Religiosus. Probant I. Quia non dicitur portare habitum, ea quo non portat, vt debet *arg. cap. Qui ex timore, de regul. iur.* II. paria sunt non esse, & non apparere, *ex gloss. in cap. Solemnitates de consecr. dist 1.* III. Probat *Megal. de censuris lib. 4. c. 6. à num. 53. §. Hanc igitur*, quia nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat, sed paria, & æquipollentia sunt dimittere, & occultare habitum, sicut paria sunt deformare edictum Prætoris, ita quod legi non possit, & illud totum delere, vt probatur *ex l. Si quis id, ff. de iurisd. omn. iud.* ergo sicut pari pœna punitur delens, ac deturpans, ita occultans sicut dimittens habitum. IV. Quia quoad effectum huius pœnæ incurrendæ idem est habitum dimittere, & occultare, vt nequeat quis cognosci, tamquam Religiosus sui Ordinis, quod ita tegens, & si non dimittat materialiter, dimittit tamen formaliter id est in ordine ad videntium notitiam, & sic potest vagari, ac proinde frustrari finis summi Pontificis, qui fuit, vt Religiosis subtraheretur vagandi in arena, *ex Sanch. cit.* qui hoc confirmat exemplo Iudæorum, qui occultantes signum, quod tenentur gestare *ex capit. Nonnullis*, ita vt tales non cognoscantur, sine dubio subiiciuntur iisdem pœnis quibus subderentur si non gestarent. V. Pœnam legis non euadit, qui amplexus verba legis, mentem legis offendit, *reg. fin. in 6. l. Non dubium C. de legib. l. Fraus, l. Contra legem, ff. de legib.* sed Religiosus habitum occultè deferens vagando mentem legis offendit, licet eius verba seruet, ergo pœnam incurrit. VI. Lex etiam odiosa, & pœnalis extenditur de vno casu ad alium, quando aliàs vana redderetur *ex Nau. cap. 27. num. 51. §. Dixi tacitè per tex. in cap. Si ciuitas de sent. excommunic.* vbi interdictum vrbis extenditur ad suburbia, ne fiat elusorium, ergo idem dicendum in casu nostro. 40

Respond. Ad primum, & secundum argumentum procedere quo ad peccatum, quia tam peccat occultans, quàm 41

quàm dimittens quo ad Deum, quo ad pœnam autem occultans non dicitur dimittere, cum verè illum à se non abiecerit, & fictio iuris nunquam pœnam inducit *Villal. ver. Absens num. 10. Addit. 3.* regula de æquipollentibus non habere locum, vbi agitur de re odiosa, & pœnali *ex Euer. in loco ab Æquipoll num. 18. Ad. 4.* quamuis finis legis huius sit subtrahere materiam vagandi regularibus, qui redditur vanus æquè benè per occultationem sicut per dimissionem, seu vtroque modo violatur, tamen quia finis legis non est sub præcepto, maximè pœnali, ideo hæc pœna incurritur propter dimissionem, non autem propter occultationem, alter vagans cum habitu aperto, & non abscondito incideret, quod est falsum, cum vagario, sed dimissio habitus cum illa vbi conditione sine qua non hæc pœna incurritur. Exemplum autem non benè currit cum casu nostro, quia illud signum est ad distinguendum exterius Iudæum à Christiano, quæ distinctio nulla est cum signum non apparet, Papa autem ideo vult Religiosum ferre suum habitum, ne illius dimissione arripiat occasionem vagandi, non autem vt distinguatur à secularibus, quod si requireret, sine dubio incurreret. Ad 5. illam regulam capi dupliciter, nam legis voluntas, seu finis duplex est, vnus intrinsecus consistens in materia præcepta, aut interdicta à legislatore, in quo sensu locum habet regula, & sic deponens habitum, quæ in casu nostro est materia prohibita, committit in legem; alter extrinsecus, & est ille, propter quem legislator mouetur ad legem condendam, & in hoc sensu non habet locum regula in casu hoc, vnde occultans habitum amplectitur quidem verba legis, quia illum non deponit, non tamen committit in legem, licet faciat contra eius voluntatem, & finem extrinsecum, quæ non possunt inducere pœnam, quia huius incursus non pendet à transgressione finis extrinseci, sed finis intrinseci ex conditione extrinseci. Sic explicant dictam regulam alia occasione *Sanch. lib. 1. cap. 14. num 4. Bonac. part. 9. de legib. num. 3. §. Respondeo*, & alibi. Vel dic breuius ibi non esse sermonem de pœna, sed de peccato tantum. Ad 6. falsum esse legem pœnalem extendi de casu ad casum, vt expressè negatur *cap. Pœnæ dist. 1. de pœnit. & docet ipsemet Nau. cit. §. Tertio secundum glos. receptam in Clem. 1. de sepult. & consang. vbi est sermo de excomm. & Ioan. Andr. Anton. de Butrio cum quibus est mirand. tom. 2. q. 25. art. 26. conclus. 10.* quia leges pœnales quo ad pœnam infligendam non omnino pendent à ratione, licet rationabiliter sint conditæ, sed à voluntate potius legislatoris, cuius est punire hoc, & non illud delictum, *Floron part. 1. de casib. reseru. cap. 1. n. 45.* Quare elusoria, neque vana est huiusmodi constitutio, licet non comprehendat casum de occultatione habitus, quia potuit Papa rationabiliter excommunicare deponentem, non vero occultantem habitum, eo quod regulariter occurrere possit dimissio habitus, rarò autem & incidenter eiusdem occultatio: quare cum lex ad ea, quæ vt plurimum euenire possunt, non autem, quæ rarò contingent applicetur, Summus Pontifex benè disposuit prohibendo depositionem habitus, nihil dicendo de eiusdem occultatione.

Quæres 13. An superiores Regulares, saltem Generalis possit facere facultatem dimittendi, aut saltem occultandi habitum, incedendo sine illo?

42 Respond. Neutrum potest. Tum quia in lege superioris, & maximè iuris communis nullus Summo Pontifice inferior dispensare potest *Clem. Ne Romani, de elect.* sed delatio habitus patens, & manifesta præcipitur iure communi *cap. Sanctimonialis distinct. 23. cap. Vidua 20. quæst. 1.* vbi licet sermo sit de monialibus, ex identitate tamen rationis extenditur ad viros Religiosus, magis ad propositum in textu nostro. Tum quia *in sess. 23. cap. 19.* prohibetur, ne cuiquam Religioso detur facultas occultè ferendi habitum, ergo multo minus potest dari licentia illum deponendi. *Ita Nau. consil. 76. de regul. §. Secundo, Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. n. 72. Bonac. de clausura q. 2. p. 1. n. 5. & p. 2. n. 31. Barbosa ad cit. cap. Concil. vbi adducit plures Doctores. Compend. resol. 123. n. 190.* Facultas ergo hæc est penes Summum Pontificem, in aliquibus tamen casibus superior potest interpretari licitam esse habitus dimissionem, rationabili subsistente causa, & docent *Bonac. cit. num. 31. alijs citatis, & Graff. part. 2. lib. 3. cap. 17. num. 25.*

Quæres 14. An Religiosi militares suæ Religionis habitum deponentes incurrant dictam excommunicationem.

Respond. Non, quia *in capite vt periculosa* sermo est 43 solum de regularibus propriissimè acceptis viuentibus continuè intra claustra, militares autem non viuunt sub obedientia continuè in claustris. Confirmatur, quia Sixtus V. *Constit. 92. in Bull. nouo. Cum Sacrosanctam.* Dat. 9. Ian. 1589. statuit clericos, vel milites beneficia, vel pensiones obtinentes, teneri deferre habitum, & tonsuram, & transgressores punit pœna priuationis beneficiorum, & pensionum, ergo signum est hos Religiosos non esse subiectos dicto capiti, aliàs de eo fecisset mentionem. *Vide Rodriq. tom. 5. q. 76. art. 2. & ex eo Compend. resol. 71. num. 2.*

Quæres 15. An Regulares debeant gestare habitus proprios, & diuersos inter se pro diuersitate Religionum?

Resp. Debet esse vnitas habitus inter professos eiusdem ordinis, diuersitas verò quoad diuersitatem, & distinctionem Religionum, nam *cap. Deus 11. de vita, & honest. cler.* præcipitur ne sit dispar obseruantia, & dispar habitus apud eos, quibus vnum Euangelium prædicatur, quia diuersitas habitus scandalum generat *c. Quod Dei. 4. 33. quæst. 5.* neque enim rationi congruit, vt qui sunt eiusdem professionis, diuersos habitus gerant. Quod autem in diuersitate professionis, & Religionum diuersitas etiam habitus exigatur colligitur *arg. cap. 4. cit. 33. q. 5. & Clem. 1. de elect.* Ex diuersitate ergo Religionum diuersitas habituum exigitur. Ita docent *Rodriq. à Portel. ver. Habitus, n. 6. & Compend. resol. 71. n. 4.* Est autem inducta multis de causis, & signanter ne ordines Mendicantes in quærendis eleemosynis sibi ipsis præiudicent, *in suo Scholio 2. notauit ex Feder. de Senis cons. 13. n. 3. Compend. Bull. ad constit. 66.* Pauli V.

Quæres 16. An possit introduci nouus habitus Religionis absque licentia Sedis Apostolicæ.

Respond. Non potest, nam hoc prohibetur *cap. Vn. de* 45 *Relig. dom. in 6. §. 1.* sub pœna excommunicationis nulli reseruatæ, ab ea tamen Constitutione excluduntur Fratres Prædicatores, & Minores, item Eremitæ S. Augustini, & Carmelitæ, quorum Religiones erant institutæ ante dictum Concilium, quod fuit celebratum sub Gregor. X. qui vixit ab anno 1271. ad 1277. *de qua censura agunt Nau. cap. 27. num. 127. Tolet. lib. 1. cap. 39. excommun. 10. Sair. lib. 3. c. 33. n. 5. & 6. & Toletus cit.* dicit eam censuram hodie non habere locum, *vt cit. Megal. lib. 4. de censur. cap. 6. num. 46.*

Quæres 17. De qualitate habitus personarum Regularium secundum ius Canonicum?

Respond. Habitus Religiosorum debet esse vestis ta- 46 lis *cap. penult. dist. 23. quæst. 4. per totam caus. 21. Clem. Ne in agro, de statu mon.* vbi reformatur habitus Monachorum, & Canonicorum Regularium, *vide gloss. in c. 1. de elect. ver. Vel habitus, & Compend. Bull. ad constit. 92.* Sixti V. *schol. 1. Graff. part. 1. lib. 3. capit. 5. num. 71. & part. 2. lib. 3. cap. 26. vbi de qualitate habitus fusè vsque ad num. 8.*

Quæres 18. An habitus sit benedicendus toties quoties nouus induitur?

Respond. De iure communi non adest hæc obligatio, 47 sed solum decernitur *cap. Statuimus, de regul.* quod cum in quibusdam locis Religiosis nouitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, vt nouitiorum habitus à professorum habitu discernatur. In nostra autem Religione, in qua habitus

nouitiorum, & professorum non distinguntur non seruatur iste textus, quia solum benedicuntur vestes in receptione habitus pro anno probationis, & in professione omittitur hæc benedictio, ratio est, quia in receptione ad professionem nouitius non induitur nouo, vel veteri habitu, sed prosequendo delationem habitus legit professionem; nec hoc est contradictum caput, quod habet locum, quando nouitius profitetur recipiendo denuo habitum, quod in Religionibus Franciscanis non seruatur, in his enim habitus professorum, & nouitiorum sunt pares, nempe tunica, Caputium, & Corda, licet D.Franc. *c.2.* Regulæ neget Caputium nouitiis; si autem nouitij carerent pro eo anno probationis Caputio, non experirentur perfectè asperitates Religionis, inter quas vestium non leuis asperitas est gestatio Caputij maximè tempore æstiuo, de quo Caputio loquens Elias relatus in capit. Eos, Clem. 2. de regul. initio dixit, quod in ordine Minorum nouitij non habeant Caputium sutum cum suo habitu, sicuti habent professores, sed hac tempestate præter Capucinos, video omnes Franciscanos gestare Caputium dissutum à tunica, forsan quia antiquitus gerebant Caputium præcisè, hoc est, eam partem, qua caput regitur, ex quo dicitur Caputium, non autem scapulare, seu mozetam, quæ humeros, & scapulas tegit, ex hoc dictum scapulare; ex quo non incongruè quidam ex Modernis obseruarunt Diuum Franciscum gestasse Caputium sine mozeta consutum tunicæ, ergo dictum Eliæ de Caputio dissuto sine mozeta non videtur posse subsistere, quia non potest commodè aptari ni consuatur tunicæ, sed dic consui nouitiis ex vna parte vt magis probarent eius asperitatem, ex alia verò vt tanquam tyrones illud portare nescientes, assuefierent coniunctione cum tunica, quæ ratio cum non militet in professis iam assuetis, ideo ab his ferrebatur dissutum. De his autem vocabulis dicam *q.22.*

Quæres 19. An per assumptionem habitus solemnizetur votum professionis?

48 Resp. Solemnizatur, hoc est, per delationem habitus, qui sit proprius professorum, seu idem omnino, & indistinctus inter nouitios, & professos nouitius profiteri potest per illius solam delationem, & in hoc casu professio dicitur tacita, & nunc requiritur illius habitus delatio per annum, in loco deputato, quo peracto, nouitius censetur statim professus. De professione hac tacita per susceptionem habitus professorum agitur *ca. Quod interrogasti dist.26. cap. Deuotis 20.q.1. cap. Viduas 27. qu. 1. c. De viduis 27. qu. 1. c. Ad nostram, c. Sicut, cap. Sicut à nobis, ca. ex parte de regul. cap. 1.2 3. eod. in 6. & Clem. 2. eod Sed de hac re satis dixi c. 1. de profess. regul. à q 15. & deincept.*

Quæres 20. Nomine habitus Regularis quid veniat in iure?

49 Resp. Venit professio, & colligitur *c. Ad nostram, c. Super eo, c. Cum virum, ca. Consulti, c. Statuimus, de regul.* & hoc ad differentiam habitus vel secularium, vel nouitiorum, vnde & dicitur habitus professorum, *c.3. de regul. in* 6. habitus Monachalis respectu Monachorum, cap. Cum simus, cap. Sicut, c. Ex parte, de regul. respectu monialium virginum habitus virginalis, *ca. Cum virum. de regul. velamen respectu viduarum cap. Illud 20. qu.1 iuncta glosa ver. Velamen cap. Puella 20.q.1. Sanch. lib.7. disp 37.n.54.*

Quæres 21. Quid statuerint Summi Pontifices circa habitum Regularium Tertij Ordinis Diui Francisci?

50 Resp. Nicolaus IV. qui primo illis designauit Regulam à Beato Francisco institutam sub nomine ordinis Pœnitentium ab eodem approbatus, vt hoc asserit constitut. *Vnigenitus* Dat. 8. Aug. 1290. *Rodriq. tom. 3 qu. 62. art. 1.* dicit Beatum Franciscum Regulam, dictasse de anno 1221. sed eam non inuenit, Ciacon. in vita Honor. III. dicit, quod biennio post annum 1223. quo Ordo Minorum ab ipso Honorio confirmatus fuit, Beatus Franciscus Tertium Ordinem Pœnitentium instituit, hoc est de anno 1226. vt ex illis refert Compend. Bull. super Const. 2. dicti Nicolai IV. sed isti Cronistæ non differunt, sed concordantur dicendo *Rodr. loco citato, cui assentitur Mirand. tom. 1. quæst. 36. art. 1.* loqui de institutione ordinis, & Regulæ eo anno 1221. Ciacon. verò loqui de eiusdem ordinis confirmatione facta ab Honor. III. eo anno 1226. vltimo sui Pontificatus, & quamuis non extet autenthica Bulla in specie de hac re, tamen fuisse confirmatum colligitur ex Constitutione *Nimis patenter.* Gregor. IX. data die 26. Maij anno 1227. in qua mentionem facit de priuilegio exemptionis ab exactionibus, & publicis Officiis, quod priuilegium illis non concessisset, nisi ordinem prius confirmasset, quem postea ipsemet confirmauit Greg. Const. *Detestanda.* Dat. 30. Martij 1228. Innoc. IV. Constit. *Ne per secularia*, 25. Oct. 2252 vt refert Beatus Ioan. de Capistrano in defensorio Tertij Ordinis fol. 14. & supradictus Nicol. in citata constit. *Vnigenitus*, & demum ex citata constit. *Suprà montem.* Dat. 17. Aug. 1289. in Bullar. nouo 2. in nostro pag. 9. vbi tradit Regulam eius ordinis, & cap. 3. De forma habitus, & qualitate indumentorum, ad nostrũ propositũ dictat hæc. *Fratres insuper ipsius Fraternitatis de humili panno in pretio, & colore non prorsus albo, vel nigro communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio, per Visitatores de Consilio Ministri ob causam legitimam, & apertam cum aliquo dispensatum. Clamides quoque & pelles absque scolaturis scissas, vel integras affibulatas tamen, vel patulas, vt congruit honestati. Clausasque manicas Fratres habeant supradicti. Sorores etiam clamide induantur, & tunica de huiusmodi panno factis, vel saltem cum clamide habeant guarnellam, seu placentinum coloris albi, vel nigri, aut paludellum amplum de canape, seu lino absque vlla & ipsum consutum. Circa humilitatem verò panni, & pellitonis Sororum ipsarum iuxta conditionem, cuiuslibet earumdem, ac loci consuetudinem, poterit dispensare. Bindis, & ligaturis sericis non vtantur, pelles dumtaxat agninas, bursas de corio; & corrigias simpliciter absque serico vllo factas, & non alias tam Fratres habeant quàm Sorores, depositis cæteris, iuxta Beati Petri Apostolorum Principis Salubre Consilium, vanis huius seculi ornamentis.* Vide Doctorem Dionisium Cartusianum explicantem hoc *caput art.14. pag 19. & art. fin. pag. 57.* & ego mox nonnulla dubiola soluam. Ioannes XXIII. (Sic enim debet vocari de iure, & vsu Historicorum ne confundatur cum Ioanne XXII. ab ipso citato) Constit. *Personas vacantes* Dat. 26. Aug. 1414. refert, quam ego attuli ex Nicolao V. de de habitu nostro his verbis. *Prædictique Fratres & Sorores secundum vsum communem dicti Ordinis induerentur, & haberent Fratres vnam tunicam griseam vilem, quæ vilitas attenderetur in pretio &, colore, & vnum scapulare, pro cingulo Cordam rudem de canabe nodosam, vt moris est, haberent longum mantellum, de eodem panno, ad modum simplicium hominum, Sotulares ligatos, vel cum vinciets, secundum quod pauperes illius patria habebant,* &c. Nicolaus V. in sua Constit. *Apostolica Sedis.* Dat. 13. Apr. 1450. in nostro Bull. pag. 40. mandauit Decano Ecclesiæ Sancti, sepulcri Leod. *Quod eorum caputia admodum parua cuculla supra mantellum cum scapulari (quemadmodum Fratres dicti Ordinis in Zelandria, & Holландria partibus, nec non in Diœcesi Mauriensi cõmorantes gestabant, & portabant) gestare, & portare liberè, & licitè possent concederes, nec habitum ipsum per alias personas in communi, & sub obseruantia non venientes, prædictas gestari permitterec.* Iulius Secundus, de eorum habitu mentionem facit, prout ex eo refert Clem. VII. in sua Const. *Ad vberes.* Dat. 15. Martij 1526. sub nostr. Bull. pag. 72. in hæc hæc verba. *Et eorum consuetum habitum, videlicet, tunicam, & mantellum cum caputio ante, & retro acuto, & cordasub dicto Mantello,* &c. Et Bulla Iulij II. sine dubio est illa quæ incipit. *Visis, ac diligenter perspectis.*

Dat.

Dat. Romæ 25. Maij 1508. in hæc verba. *Quod Fratres Tertiarij possent habitum distinctum à Fratribus primi Ordinis, & ad minus habeant Caparonem descendentem super scapulas per quatuor digitos, qui sit tam longus à parte anteriori, & posteriori, vt desuper eum cingulum cingi possit, & color habitus tendat magis ad nigredinem, quàm ad albedinem.* Referuntur hæc verba in priuilegiis nostris eiusdem Iulij pag. 59. Et è Conpend. ver. Tertiarij num. 18 Clemens VIII. Constit. *Vt ea quæ*, Dat. 27. April. 1600. pag. 93. confirmat statutum factum à Cardinali Mattheo Protectori Ordinis, qui ordinauerat. *Quod prædicti Fratres* (*sunt verba Clementis*) *Tertij Ordinis de Pœnitentia in regno Portugalliæ existentes, iuxta eorum Regulam, & indulta Apostolica, habitum gestare deberent, quodque talis habitus esset ex humili, & vili panno contextus, eo videlicet modo, vt ex quatuor partibus lana naturaliter nigra, & absque aliqua tinctura contexta, & vna parte lana, etiam naturaliter candida, & talis habitus fieret, & quod singulis quatuor libris lanæ naturaliter nigræ adderetur vna libra lanæ albæ.* Mandat autem Papa hoc obseruari ab omnibus, & singulis Fratribus, præcipiendo in virtute Sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Prælatis præsentibus, & futuris sub pœna excommunicationis, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, officiorumque, & dignitatum, perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ipso facto pœnis incurrendis, ne posthac alium habitum gestare possint, aut à suis subditis gestare permittant. Hæc autem pœna nulli reseruatur, & fulminatur solùm contra Prælatos, qui sunt Generalis, Prouincialis, aut Prior, non autem contra alios Fratres, qui non sunt Prælati. De eadem prohibitione, forma, & colore mentionem fecerunt *Compend. Rodriq. resol. 71, num. 11. & Portel ver. Habitus num. 5. Paulus V. constit. Inter graues. Dat. die ... anno 1610. in Bull. nono* 66. ottam differentiam inter ipsos familiæ Vltramotanæ, & Fratres S. Francisci de Paula sedauit, approbando ordinationem, qua duo Cardinales decreuerunt Fratres Tertij Ordinis gestare debere habitum ex humili panno confectum ex tribus partibus lanæ nigræ, & altera lanæ albæ, de qua *Peyrinus tom. 3. cap. 10. num. 11.* variis ambagibus quasi se glorians parta victoria lanæ caprinæ; & parum differt à præcedenti, in qua mandatur gestatio habitus confecti ex commixtione quatuor partium lanæ nigræ librarum, & vnius lanæ albæ. Demum pro Italis *cap. 11.* Regulæ præscribitur habitus illis verbis. *Nostrarum habitus sit tunica talaris cum scapulari veste, siue cucullo vtrimque angulari, posteriori tamen angulo funiculum attingente, Pallium vero instar impluuia, nulla vel coloris, vel forma differentia, vt eodem modo, Et colore, quem vulgo beretinum appellamus omnes vestiantur.*

Quæres 22. Significationem sequentium dictionum in precedentibus constitutionibus insertarum, nempe quid significent Tunica, Clamis, Scollatura, Guarnellum, seu Placentinum, aut Paludellum, Corrigia, ex constitut. *Suprà mentem*, Nicol. IV. quid scapulare, Corda pro cingulo; Caputium longum. Mantellum magnum, Sotularis ex constitut. *Personas.* Ioan. XXIII. Quid per Caparonem in Constit. *Visis.* Iul. II. & quid nomine Pallij in Regula?

54 Respond. Ad singulas dictiones. *Tunica* apud Romanos erat vestis sine manicis interior cui superinduebatur toga, & dicitur à tuendo corpore hominis tunicati, idest illa induti, significat ergo apud Religiosos vestem, & habitum talarem, & oblongum vsque ad pedes, amplum & latum, quo induuntur Religiosi. Hanc vestem cingit *Corrigia*, seu *Corda*, illa conficitur ex corio, hæc vero ex canabe, vel lino, ex prima voce Collector priuil. ver. Tertiarij §. Non possunt, sumpsit rationem asserendi Fratres Tertiarios etiam Regulares non posse ferre Cordonem, sed solum Corrigiam, de quo nomine præcise loquitur Nicol. IV. sed toto cælo errat, nam de corda canabea, & nodosa mentionem faciunt Ioan. XXIII. Iulius II. in Bulla Clem. VII. supra relati loquentes semper respectiuè ad Nicolaum IV. qui licèt vtatur eo vocabulo, non ideo negat hoc cingulum fieri ex canabe, cum hoc sit proprium totius Franciscanæ Religionis, alij illud nomen à corrigendo deducunt, voluntque fuisse quoddam genus lori, quo serui corrigebantur, siue ergo deducatur ex loro, & corio, seu aliunde legaliter acceptum, & ciuili modo significat cordam canabeam, seu lineam, qua Franciscani omnes possunt, & debent se cingere, verba enim intelligenda sunt non secundum quod sonant, sed secundum sensum, quem habent, iuxta subiectam materiam ex vulgaris iuribus, neque enim argumentum ab ethymologia necessariò concludit. *probat Cardin. Tuschut li. 4. concl. 500. n. 1.* Subsequitur *Caputium, Scapulare, Caparo* sunt eadem vestis quæ humeros, & caput tegunt, & rigorosè & strictè loquendo caputium vocatur illa pars quæ caput tegit, è quo dicitur caputium, seu capitium, vt voluit Nouitius, & in iure nomine Caputij venit hæc sola pars, quæ caput tegit, & reliqua pars quæ tegit humeros, & pectus, vocatur Mozeta, vt videre est Constit. *Beati Franciscani.* II. in Bull. Nouo, Greg. XIV. Vnde ridiculus est ille intellectus, quem quidam dant verbis suprà relatis in constit. Nicol. V. ibi. *Quod eorum caputia ad modum parua cuculla supra mantellum cum scapulari gestare*, &c. nempe caputium ferendum esse totum suprà mantellum, nam ibi distinguuntur caputium, quod quidem fertur suprà mantellum à Scapulari, quod fertur sub mantello, cum in iure distinguantur hæ duæ partes, licèt sint eadem numero vestis, vt probaui ex citata Constit. XIV. & Confirmatur. Tum quia oportet iura iuribus concordare, & expressius colligitur ex Iulio II. in Bulla Clemen. VII. & in eiusdem Iulij, vt suprà retuli, quare verba illa in constit. Nicol. V. ita sunt intelligenda vt Caputium idest ea pars quæ tegit caput proiiciatur suprà mantellum, non vero reliqua anterior, & posterior oblonga. Tum quia dictio, *Cum*, multum diuersificat sensum respectu duorum substantiuorum, nam significat nomen cui præponitur spectari accessoriè tantum ad aliud, quod principaliter consideratur *l. 1. & 2. ff. de pecul. leg. vide Sanch. lib. 7. cap. 1. nu. 22.* consequenter alia est dispositio principalis, alia accessorij, quia cum principale sit Caputium, quod debet ferri suprà Mantellum, & accessorium scapulare quod debet ferri sub mantello, vt alia sit eius constitutionis dispositio. Tum quià numquam vidi Patres illorum regnorum portare scapulare suprà mantellum. Nomine *Caparonis*, venit vtrumque Caputium, & Scapulare, quamquam aliàs significat aliud genus indumenti, quo vtuntur illi Religiosi tempore pluuiarum, imbrium, & niuium loco galeri, & pallij quem non possunt ferre Franciscani reformati, & de eo loquens D. Franc. cap. 2. Reg. dum assignat nouitus tunicam sine Caputio, & Caparonem vsque ad cingulum. Scapulare vero dicitur à scapulis, quas tegit, seu humeros.

Nomina hæc Guarnellum, Placentinum, seu Paludellum videntur in eam vestem muliebrem recidere, 55 nam Guarnellum dicitur vestis fœminea vilis, vulgo dicta *Conella*. Paludellum vestis lata, & longa, sed non tam ampla, quam paludamentum, de quo *Plin. lib. 33. cap. 3.* inquit. *Vidimus Agrippinam indutam paludamento auro textili.* Placentinum non videtur differre à Guarnello. Vestis autem hæc significata tribus his vocibus ex more diuersarum regionum, est tunica Sutorum.

Nomina ista *Clamis*, *Mantellum*; seu *Pallium* videntur differre in eo, quod Clamys est breuior 56 pallio, quod est longum mantellum descendens super humeros ad tibias, Clamys parum humeros excedit, vnde ex vi vocabuli, & huius Constitutionis

deberent ferre paruum pallium instar Capuccinorum, & videtur idem cum Caparone, sed hoc procedit quo ad Tertiarios seculares, nam Regulares debent ferre magnum, & amplum Mantellum etiam vsque ad talos, vel saltem vsque ad tibias vt colligitur ex constit. Ioan. XXIII. & Regula nostra cap. 11. dum dicit eius formam debere esse instar Pluuialis, nam hoc tangit talos.

57 Remanent alia duo nomina explicanda, quæ sunt *Sotularis*, *& Scollatura*, Sotularis notat soleas, quæ plantas pedis solum obtegunt, cæteris pedis partibus nudis relictis, quibusdam annulis in superiori parte coeuntibus reuinctæ, quibus solo pedis subiiciantur, dicuntur, *Scarpe all' Apostolica*, vocantur *Sotulares* à sub & talo, quia supponuntur talibus, quibus circumcinguntur soleæ, tali autem sunt vtrimque iuxta calcaneum extuberantia. Aliud verbum videtur satis difficile ibi. *Pelles absque scollaturis scissas* idest siue ornatu globulorum, vel alterius rei, &c.

Quæres 23. Qualem tunicam, Caputium, & Pallium debeant ferre Regulares Tertij Ordinis in Italia? nempe cuius coloris, formæ.

58 Respond. Quod ad colorem Tunica, Caputium, & Pallium debent esse coloris beretini, seu grisei, vt dicitur in præcitatis constitutionibus, ex quibus aperte habetur, hunc colorem beretinum, cum sit medius inter albedinem, & nigredinem, magis debere tendere ad nigredinem, & sic fabricatur pannus Mediolani, Cremonæ, Bononiæ, Placentiæ, & alibi.

Quod ad formam, tunica dicta simpliciter habitus debet esse talaris, Caputium verò angulare vtrinque ita quod à parte humerali, seu à tergo cordonem attingat, quem dicitur attingere eo magis si per duos, aut tres digitos protrahatur, à parte pariter anteriori debet accedere ad cordam, non tamen illam excedere protractum, ita quod angulus prior posteriore sit breuior; corda autem tunicam, non scapulare cingere debet, cum eius vsus mediet inter vtrumque, & prius aptanda sit tunica eo genere vinculi, quam super induatur scapulare, neque obstat constitutio Iulij II. citati sub *quæstione 21.* quia ibi sermo est de nostris degentibus in Regnis ferentibus Caputium vtrinque multum oblongum præferens formam patientiæ, seu hastæ more Paulinorum, quod supercingere habent simul cum tunica. Pallium verò eiusdem coloris esse debet oblongum, & amplum, cum tale sit pluuiale, ad cuius instar conficiendum est, ex parte capitis, seu colli ita aptatum, & accommodatum, vt pars caputij ea parte, qua caput tegit, illi superiici possit: aliquo autem vinculo ferreo, aut ligneo ad collum constringendum non est, cum id proprium sit Capuccinorum, & Reformatorum Obseruantiæ, & nullibi id præcipiatur nisi in regula Nicol. IV. vbi relinquit arbitrio ibi: *vel patulus* ad quam tenentur hi regulares nisi quatenus reperitur in statutis, quæ pro Regula habentur, vt aperte dicitur in forma professionis; in regula autem non exprimitur huiusmodi vinculatio, neque obstat, quod debeat esse instar impluuiæ, quæ ante pectus vincitur, quia si conficeretur in omnibus vt impluuia, iam non esset Pallium, sed Pluuiale, vnde dicit *Sanchez libro 3. disput. 36. §. Ad secundum,* quod non est necessarium æquiparationem aliquorum fieri in omnibus, quod enim in omnibus simile est, non dicitur simile, sed idem omninò cum eo, cui dicitur simile, quia simile non est idem. *l. Quod Nerua ff. depositi*, Similitudo igitur in eo consistere debet, vt sit oblongum, magnum, & amplum, vt determinarunt Summi Pontifices citati supra sub *q.21.* præsertim Ioan. XXIII.

59 Debent ergo hæc tria huius Religionis indumenta Tunica nimirum, Caputium, & Pallium esse paria, & vniformia decentia, & honesta non tam in colore quam in forma, nec nimis ampla, nec stricta, cum extrema sint vitiosa, *l. Solent, §. fin. ff. de offic. proconf. Cardin. Tusch. concl. 685.* Reformatio igitur vestium debet esse vniformis iuxta Regulæ præscriptum attentis personis, & locis, neque vna reformanda est, & non alia, vnde miror quosdam superiores qui totis iuribus incumbunt reformationi Mantelli quo ad latitudinem, ita restringendo, vt vix homunculum capiat, non quo ad longitudinem, id enim est contrà supracitatam constitut. Ioan. XXIII. *sub quæst. 21.* in qua dicitur esse magnum mantellum, ergo secundum latitudinem, & longitudinem, nihil statuentes de tunica; alij Caputium vtrinque acutum ita volunt, vt potius cuspidatum physicè, quam legaliter constructum videatur mouens potius admirationem, quàm deuotionem, & super humeros ita angustum, vt vix acromia tegat, vt potius defectum panni notet, quam reformationis discretæ mysterium significet.

Sed huiusmodi reformationes laudandæ non sunt 60 nec imitandæ, sed potius fugiendæ circa vestes maximè in illis religionibus, quæ habitum austerum, & vilem non præscripserunt ab antiquo, vt est nostra religio, vt videre est illo cap. 11. Regulæ, iuxta quod supra dixi. Suadetur id totum. Tum quia ita colligitur de clericis ex Concilio Grangensi relato *cap. Parsimoniam 5. dist. 41.* illis verbis. *Parsimoniam cum veste humilis non reprobamus, sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus.* Ecce hic licet non reprobetur humilis vestis, laudatur tamen ornatus infucatus id est non pretiosè fucatus; *& cap. Nullus 2. 21. quæst. 4.* dicitur. *Nullus eorum, qui connumerantur in clero vestimentum indecens habeat.* Clem. 1. Ne in agro, de statu monach. Papa monachis nigris interdicit in vestibus eorum omnem inordinatum, & exquisitum ornatum, inquit. *Sit vestis ipsa rotunda per circuitum, & non scissa, nec longitudine nimia, aut breuitate notanda, largas etiam manicas habeat vsque ad pugnum protensas.* Item Ioan. XXII. in extrau. Quorundam, *de verb. signif.* Minoribus prohibet habitus curtos, strictos, insolitos, & squalidos, cum dicantur nouitate pleni magis admirationem, & obiectionem apud seculares, quam deuotionem, & ædificationem mouentes. Sanctus Bonauentura *in opusc. de disciplina circa temporalia cap. 8.* his verbis dicit. *Nam honesta exigit vestimentorum formatio, vt non sit nimis larga vel stricta. Corduba in cap. 2. Regulæ quæst. 22. p. 3.* refert verba Martini V. dicentis. *Quod non debent vestes nostræ esse adeo pretiosæ, vt videntes eas notare debeant curiositatem, vel vanitatem, neque ita viles, & grossæ, quod videntes eas ad terrorem, horrorem, & derisum inducant*, ita refert *Compend. resol. 71. num. 1. in fine.* Et faciunt quæ habet *Bartolucius lib. 1. Speculi Regularis p. 2. de accidentali. voto paupert. pag. 165.* Ecce ex tot sententiis, & authoritatibus qualis debeat esse habitus regularis, nempe honestus, decens, & grauis, honestus propter deuotionem, decens propter statum, grauis propter honorem, & reuerentiam religiosis debitam, ne ex vtilitate habitus vilescat status religionis. Tum quia sicut diuersitas habitus in colore generat scandalum *gloss. ver. Professi cap. 11. Ne Cler. vel mon. per cap. 4. 33. quæst. 5.* ita & disparitas eiusdem in forma vt si capitulum sit strictum, & tunica ampla, nil boni referre potest, sed risum mouere. Tum quia quisque talis præsumitur, in quali habitu reperitur. *l. Item apud Labeonem §. Si quis virgines, ff. de iniur. arg. cap. Si iudex 12. de sent. excommun. in 6.* ergo & vilis habitus demonstrat vilitatem personæ; & tales censentur Religiosi apud Indos, vnde Iesuiti, vt decus sui status seruent more nobilium, & doctorum vestiunt, neque obstant Regulæ Francis-can[illegible]p. 2. vbi dicitur. *Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur*, quia ibi vilitas accipitur respectiuè ad vestes secularium, quæ sunt ornatæ, fucatæ, & diuersi coloris, vanitatem potius indicantes, quàm decentiam,

centiam, & honestatem, & hoc colligitur ex sequentibus verbis eiusdem capitis, ad quod faciunt à Bartolucio super dictum *cap. Regulæ pag.* 202. Tum quia reformatio de mente Sacri Concilij Trident. *Sess.* 25. *c.* 1. refertur ad obseruationem trium votorum, & ad conseruanda, quæ spectant ad communem victum, & vestitum, vt inde expressè colligitur, & notat *Rodr. tom* 2. *quæst.* 73. *art.* 3. *&* 4. *quem citat Nazarius in suis opusc. Theol. vbi de Reformatione dubit.* 10. *concl.* 2. reformatio autem vestitus in eo consistit, vt communis, atque vniformis sit omnium habitus conueniens statui Religioso, vnius coloris, vnius formæ, differentia enim habituum, præter scandalum, generat etiam aliquod proprietatis vitium, non verò significat, quod debeant confici sine decentibus crispaturis ad collum, cum quadam decenti statum Religiosum, forma & honestate, iuxta vsum Religionis, & morem regionis, seu loci, vbi degunt religiosi, in vestibus enim Religiosi debent attendere morem, patriæ, & regionis, *ex Clement. Exiui, §. Cum vero de verborum significatione, & Clement. Ne in agro, §. Statuimus, de statu monachor.* tempore enim loco, & qualitate personarum leges, & canones intelliguntur, & variantur *dist.* 29. vnde nostri in Lombardia vestes satis honestas & decentes, & non rudas iuxta morem huius Regionis ferre debent, rudas inter Siculos, medias extra intra Italiam, attenditur enim locorum consuetudo dicit Nicol. IV. *citat. sub quæstione* 21. Attenditur præterea status vniuscuiusque religionis etiam sub eodem stipite, nam nec Franciscanis, nec Tertiariis imponi potest statutum ferendi habitum Capucinorum, aut aliorum Reformatorum, quia dedecet illorum status, habitus enim Capucinorum in eorum Religione est magnæ ædificationis & decentiæ magnum humilitatis præferens exemplum, inter Conuentuales vero, & Tertiarios horrorem, & risum magis mouere potest, quam deuotionem, & reuerentiam erga illos.

61 Mouent difficultatem nostri circa formam Pallij, nam iubent ferendum esse collo alligatum cum vinculis ferreis, aut ligneis, & satis strictum sine collario vt vix capiat hominem, ad differentiam Conuentualium, à quibus per hoc differant exterius apud seculares. Sed ego non video hanc necessitatem. Tum quia ex hac colligatione tollitur differentia, nam Conuentuales, & Tertiarij potissimum discernuntur per anteriorem partem scapulati, nam in illis tendit ad rotunditatem, in istis ad angularitatem. Deinde ex supra probatis illa colligatio non est de iure regulæ, Nicolai, aut Leon. neq; statutorum ergo ad eam constringi non possunt, neque titulo differentiæ, cum satis differant per Caputium, vt dixi neque titulo reformationis, quia hæc est reductio Religiosorum ad pristinam obseruantiam eorum, quæ collapsa iam, promiserunt in professione respectiuè ad suam regulam, sed hoc in specie non præscribitur in Regula, ergo ad hoc de iure reduci non possunt. Præterea negatio collarij ad pallium nulla ratione prohibetur in Regula, neque in aliqua, Pontificia constitutione, ergo reduci de iure non possunt ad id præterquam quod videtur esse quid indecorum pallium carere aliqua sui parte eius complemento, sicut monstruosum est hominem carere digito etiam minimo, aut pilis in capite. Insuper isti duo ordines satis differunt præter differentiam Caporij, etiam in colore habitus, qui tendit magis ad nigredinem, Conuentualium verò magis ad albedinem. Demum re delata ad diuersos Summos Pontifices Clem. VIII. Paulum V. respectu aliarum Religionum, resoluta fuit difficultas in colore habitus, nil de pallio, vt videre est in constitutionibus à me citatis supra *sub q.* 21. Omnia denique vno referam verbo *Habitus non facit Monachum.* Sed professio, regularis obseruantia, & bonum exemplum vitæ, & morum.

Quæres 24. An Tertij Ordinis Religiosi debeant deferre habitum Eremiticum, eorum enim Regula intitulatur. *Generalia statuta, seu decreta Fratrum Tertij Ordinis S. Francisci nuncupati Regularis obseruantiæ Congregationis Longobardæ in habitu Eremitico degentium.* Valet autem argumentum à titulo desumptum, *glos. in cap. Hæc autem* 17. *dist.* 1. *de pœnit. & ver. Titulus Proæmy in* 6.

62 Respond. Non. Tum quia licet vsque ad Paulum III. de anno 1549. à diuersis Summis Pontificibus vocati fuerint eo nomine, nullus tamen subsequens Papa eosdem de habitu Eremitico appellauit, quod signum est, quod sicut euanuit titulus, ita & obligatio deferendi dictum habitum, cum non amplius degant vitam Eremiticam. Tum quia non facit quod statuta, quæ pro regula habentur, edita a Patre Bonauentura Vincentino nuncupentur eo nomine, prout retuli in quæsito, siquidem Pius V. constit. *Ea est officij.* Dat. 3. Iul. 1568. qui ea prout continentia substantiam Regulæ confirmauit, de illo titulo nullam mentionem fecit, insinuare volens etiam tunc temporis non fuisse in vsu habitum Eremiticum: & dictus Pater voluit solum significare posteris, antecessores Fratres cum eo habitu vixisse, non autem deinceps teneri, quia capitulo 11. Regulæ nullam mentionem facit huius habitus. Tum quia illis temporibus degebant in villis, & locis remotis inter rusticos, ex quo mirum non est, si habitu Eremico, & rustico vtebantur, quasi vellent illis conformari, nunc autem degentes in vrbibus consequens est, vt vrbano habitu induantur more ciuium, & aliarum religionum, gestantes habitum decentem eorum statum, iuxta morem patriæ, & loci, vbi habitant, iuxta illud. *Dum fueris forma, &c.*

Quæres 25. An, & quomodo Prælati regularium possint reformare habitum suorum religiosorum?

63 Respond. Aliam reformationem adhibere non possunt, nisi eam, per quam religiosi reducantur ad ferendum habitum, & alias vestes, quæ secundum institutum Regulæ iam designatæ fuerunt. Ratio est. Tum quia superiores possunt præcipere solum ea, quæ sunt secundum regulam, siue directè, siue indirectè, vt omnes communiter tradunt teste *Sanch. lib.* 6. *cap.* 2. *num* 15. ergo solum præcipere possunt reformationem habitus ad præscriptum regulæ. Tum quia Prælati non possunt concedere, etiam de consensu Capituli Generalis, leges obligantes ad vitam strictiorem, & asperiorem, vt optimè id docent D. Greg. I. *Regesti cap.* 19 *relatus in cap. Gesta dist.* 74. illis verbis. *Iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus*, & D. Bernard. *de præcept. & dispens. cap.* 8. quos sequuntur *Ang. ver. Habitus, num.* 29. & Armilla *num.* 10. & plures alij, cum quibus citatis est *Sanch. num.* 18.

Reformatores autem vnum aduertant, in his non semper debere exactam requirere reformationem, præsertim cum reformatio habitus, qui de se condecens est, non multum conducat, sed suauem, & benignam compatientes huius temporis conditionem vestiendi, quæ potius decentiam religiosi status respicit, quàm aliud; quod Religiosis obesse possit, debent ergo superiores esse suaues, & non impetuosi, vt multa, & grauia scandala, quæ ex hoc solent consequi, euitentur, dicit enim Salustius ad Cæsarem. *Acerbis iudiciis vastantur magis ciuitates, quàm corrigantur.* & Cicero ad Atticum. *Melius est sanare vitiosas partes, quàm exsecare.* Quandoque enim magis expedit permittere transgressiones, quæ in his vix sunt culpæ venialis, quàm inducere reformationem cum discordiis, rixis, & grauibus scandalis tam intra, quàm extra religionem.

Quæres 26. An Religiosi vti possint lineis camisiis, & cubare in lectis plumeis, aut laneis?

64 Respond. In cap. Cum ad monasterium Monachis districtè prohibetur vsus lineæ Camisiæ, ex quo sequitur illis non interdici Camisias laneas, aut aliàs rudioris materiæ. Idem prohibetur in nostra Regula, quæ prohibitio non prouenit ex Regulis Nicolai IV.

aut Leonis X. aut alterius Pontificis, cum nullibi hoc interdictum repeiiatur, sed ex vsu antiquo nostrorum, qui tunc vitam ducebant Eremiticam, quam nunc temporis cum non degant, possunt indui lineis interulis, cum non sint Eremitæ, sed religiosi inter vrbanos, & ciues, vitam agentes, & citatum capit. Cum ad Monasterium, loquitur de monachis, qui & ipsi hisce temporibus vtuntur camisiis lineis maximè in partibus Italicis præsertim Lombardiæ, vt se coforment vsui regionis, vbi viuitur cum munditia, & decore, quod video seruari in Religionibus nouis Clericorũ, seu presbyterorum Regulariũ, & hoc mihi summoperè placet, fœditas enim corporis arguit mentis turpitudinem.

Quæres 27. An dimissio habitus in confessione sit aperienda?

65 Resp. Ita, quando est peccatum mortale non sacrilegium, cum ferè nullus Religiosus ex vi voti teneatur ferre habitum, sed ex vi status, & præcepti Ecclesiastici, & hoc maximè quando habet annexam excommunicationem.

Quæres 28. An seculares hystriones, seu alij laruati incedentes cum habitu Religioso, vel simili peccent mortaliter.

66 Respond. Peccant mortaliter, quia grauis iniuria irrogatur Deo in sanctis eius, qui habitum Religiosum inuenerunt ad honorandum, atque laudandum Deum, valde turpe est, & abominabile introductum ad honorem Dei, & fidelium deuotionem conuertere in ludibrium, & scurile solatium. Ita prohibetur cum vsu laruarum *cap. Cum decorem* 12. *de vita, & honest. cleric.* & esse mortale docent omnes *Nau. capit.* 23. *num.* 22. *& tom.* 3. *capit. Sacerdos num.* 110. *Rodriq. tom.* 2. *quæst.* 76. *quæst.* 7. *cum suo Compend. resol.* 71. *num.* 7. *Portell. ver. Habitus num.* 3. *Silu. Angel. Nald. ver. Habitus. Genuens. cap.* 46. *in Annot.*

Quæres 29. An osculantes habitum Religiosum acquirant aliquam indulgentiam,

67 Respond. lucrantur quinque annos, & totidem quadragenas ex Bulla Ioan. XXII. concessos osculantibus habitum Religionis D. Dominici, vt referunt *Compend. ver. Indulgentia quo ad secul.* 6. *§. nono*, vbi ait communicari habitui Minorum, *Rodr. tom.* 2. *quæst.* 76. *articul.* 11. cum suo *Compend. resol.* 71. *num.* 10. *& Portell. ver. Habitus in Addit.* & hoc priuilegium per communicationem habet habitus omnium Religionum. Sed si quis osculetur Pallium, seu Caputium, non tunica, an lucretur? dicas sic, quia indulgentia est omnino fauorabilis nullis præjudicans, ergo latè interpretanda, prætetquam quod etiam Pallium dicitur habitus, quamquam securius est osculari tunicam, & postea Caputium, & demum Pallium, si desit copia aliorum.

Quæres 30. An decedentes cum habitu Regulari aquirant indulgentiam?

68 Respond. Morientes, & sepeliendi cum habitu Regulari acquirunt præter diuersas indulgentias non plenarias à diuersis concessas, indulgentiam plenariam viuæ vocis oraculo concessam à Leone X. respectu trium Ordinum D Francisci, & declarauit, sufficere petere ante mortem habitum, & super se habere, & cum eo sepeliri; *ita Compend. ver. Indulg. quo ad secul.* 6. *Rodriq. tomo* 2. *quæst.* 76. *art.* 10. *cum eo Portel. ver. Habitus in Addit. Compend. resol.* 71. *num.* 9. Est autem dandus per superiorem, vel de eius commissione inquiunt præcitati ex Bulla aurea Sixti IV. apud Confect. pag. 68. sed non placet hæc restrictio in ordine ad indulgentiam, de qua non loquitur dictus Sixtus verba faciens tantum de sepultura eligenda cum habitu Religioso priuato, maximè cum dictus Leo, & alij Pontifices non faciant mentionem in qua Ecclesia sit sepeliendus moriens cum habitus.

Quæres 31. An seculares cum habitu Religioso possint sepeliri in Ecclesiis Regularium, quorum habitum susceperunt.

Respond. Regulares habent ius sepeliendi vtriusque sexus fideles in suis Ecclesiis, si ibi elegerint sepulturam cum habitu, & sine illo. Primum de iure sepeliendi constat *capit. In nostra* 10. *de sepult. & Clem. Dudum, de sepult. Sixtus IV. in Mari magno propè finem apud Confect. pag.* 59 *& in Bull. nouo constitut.* 6. *pro Franciscanis, & 7. pro Dominicanis*, Vbi concedit liberam sepulturam, & præcipit, vt volentes sepelire mortuos cum habitu Religionis, non alibi, quam in locis ordinis, vel absque Fratrum licentia sepeliant. Secundum igitur de sepultura cum habitu in propriis eorum Ecclesiis, & non alibi concessit idem Sixtus constitut. *Sacri Prædicatorum. Dat.* 26. *Iul.* 1479. *Bull. nouo* 19. *apud Confect. dicta Bulla aurea, pag.* 68. *illis verbis. Cum autem nonnulli ad ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum specialiter gerentes deuotionis affectum eorum cadauera cum habitu Fratrum Prædicatorum vel Minorum, seu Fratrum, vel Sororum de Pœnitentia vtriusque ordinis prædictorum sepeliri mandent, & persæpe antequam moriantur habitum huiusmodi eius postulant exhiberi, decernimus habitum huiusmodi per Priorem domus Ordinis Prædicatorum, aut Guardianum domus Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere continget, vel per superiorum Prælatum ipsorum Ordinum domorum, seu Prioratus, & Guardianiæ, vel cui illi duxerint committendum dumtaxat, & non per alium, quauis athoritate, vel prælatione fungentẽ exhiberi debere, qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur, apud eorum Ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum susceperant, & illorum sic indutorum cadauera discooperta, nullo pallio, vel tegumento super imposito cum habitu huiusmodi ad sepulturam deferri posse, ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita nõ obstante, quas quo ad hoc modificamus.* Vide Compend. *ver. Sepelitio, Confect. tit.* 20. *cap.* 1. *Rodr. tom.* 2. *qu.* 76. *art.* 8. *& 9. Portel ver. Habitus num.* 2. *& ver. Sepultum num.* 8. *& 9. Compend. resol.* 71. *num.* 8. Vbi ait contradictores incidere in excommunicationem Papæ reseruatam ex Sixto IV. de qua facit mentionem *Sorb. cit.* §. 13. Subiungit ibidem Collector Priuileg. illam non ligare propter decretum Concil. Later. quod tamen non obstat, cum solum prohibeat, vt inconsulto parocho non audeant leuare corpus defuncti, & deferre ad suas Ecclesias. *Vide resol.* 51. 69

Quæres 32. An sepeliendi in Ecclesiis regularium acquirant aliquam indulgentiam? 70

Resp. Ita, nam Martinus V. concessit sepultis in Ecclesiis Minorum indulgentiam quadraginta annorum, vt refert *Compend. ver. Sepelitio* §. 5. Indulgentiam plenariam ex Leone X. & aliis, *vt supra dixi n.* 68.

Quæres 33. An Tertiarij seculares, & subsequenter iidem Regulares ab initio detulerint caputium eiusdem coloris, & formæ eius, quod nunc portatur?

Notandum autem est, quod caputij nomen duplex est, nam primò, & ex natura, & eius inuentione importat vestem tegentem tantum caput, quod à Beato Francisco ferebatur consutum tunicæ, de quo facit mentionem cap. 2. suæ Regulæ, dum dicit, quod Nouitiis concedantur duæ tunicæ sine caputio, & cingulum, & brachas, & caparonem vsque ad cingulum, quod nomen Caparonis importat vestem ampliorem, quo ab initio & nunc etiam Reformati se tegunt caput, & humeros ad arcendas pluuias, & niues, vnde inseruit loco galeri, quod isti deferre non possunt, quo neque vtebatur Sanctus. Iste autem Caparo dicitur à Capiendo caput, & humeros, quos defendit ab iniuria temporum, & per ipsum forsan voluit significare saltem quo ad officium galerum, & mantellum, cum de his nil disponatur in eius regula. Redeundo ad caputium tempore Beati, omnes ipsum imitantes deferebant consutum tunicæ, nouitij verò deferebant separatum ad distinctionem habitus professorum à nouitiorum, vt insinuat Doctor Elias in suo præsupposito *& glosa ad cap.* 2. *Clem. de Regul.* & hoc obseruabatur ante annum 1313. quo 71 72

quo in Vienensi Concilio probata fuit dicta Clementina, vnde ex introductione sectæ Clarenorum hoc caputium Fratres Clareni cœperunt gestare distinctum ab habitu vtrinque oblongum, & attingens cingulum, & ita induebantur ante annum 1319. vt refertur *part. 2. Cronic. lib. 7. cap. 34.* Initio & forsan eo tempore cœperunt obducere caputium hoc propriè acceptum à capite extendendo ad scapulas, & humeros, vt nunc omnes Franciscani trium ordinum deferunt. Secundo igitur caputium significat idem quod scapulare, nempe vestem ex eodem panno tegentem caput, & scapulas, à quibus dicitur scapulare. *Vide quæ dixi resol. 30. n. 41. & supra n. 53.*

73 Respond. Tertiarij seculares sine dubio ferebant caputium capitis ab initio eiusdem coloris, & formæ cum tunica. Regulares verò videntur detulisse ab initio caputium etiam scapulare.

Primum probatur, Tum quia licèt in Regulis, Nicolai & Leonis nulla fiat mentio horum caputiorum, vt apud Dionis. Cartus. dicitur super hanc Regulam Nicolai IV. art. fin. tamen id venit in consequentiam, cum caputium sit socium tunicæ. Tum quia illud deferebat S Ludouicus, vt testatur Cantipratus illis verbis. *Habentem caputium capitis super scapulam ex aduerso suspensum.* Quæ verba refert *Ranutius Picnus Pa m. in suo peregregio lib. Delle glorie di S. Luigi Re di Franza nell' Annotatione 2. pag. 225: Vide, quæ de ipso dixi resol. 30. n. 41.*

74 Secundum probatur per ea, quæ dixi hic supra n. 50. vbi recensui Summos Pontifices loquentes de caputio huius ordinis.

75 Quæres 34. An Sanctus Franciscus detulerit habitum Fratrum Eremitarum dictorum S. Augustini, & apud illos professionem emiserit ante institutionem sui Ordinis dicti Minorum? Nam hoc multi asserunt, primo F. Cordanus de Saxonia *lib. 1. cap. 8. in Vitas Fratrum, ibi. Quidam Frater magnæ sanctitatis re, & nomine Ioannes Bonus,* &c. infra. *Cumque fama conuersationis eius per loca vicina crebresceret, plurimi ad eum conuersi sunt, inter quos fuit B. Franciscus, qui Ordinis, postea Fratrum Minorum fundator fuit.* Secundo F. Iacobus Philippus Bergomensis *lib. 12. sub anno 1199.* sic scribit. *Huius autem sancti viri, & patris Ioannis Boni, & celebres præstantesque discipulos, Seraphicum Franciscum de Assisio Sanctissimi Ordinis Minorum conditorem fuisse constat.* Et infra. *Sed hoc in loco vno verissimo probabimus testimonio, quod apud Mantuam, vbi, vt prædictum est, Sacratissimi viri sancti extat corpus, & reliquiæ ipsius vestimentorum, reliquiæ, tabellarij etiam inter antiquissimas monasterij scripturas Chirographum aliquando visum est contestans Beatum Franciscum de Assisio professionem Ereminicam sub Regula B. Augustini emisisse in manibus F. Ioannis Boni Eremitæ Mantuani.* Hos authores sequuntur *Ægidius Viterbiensis Card. & Ioannes Marquez capit. 21. §. 5. quos referendo reiicit P. Gabriel Pennottus Nouar. in sua Histor. Canon. regul. lib. primo cap. 47. n. 3.* Quod confirmari potest ex Cronicis eiusdem Ordinis Minorum parte prima lib. primo cap. quinto, vbi dicitur, quod duobus annis gestauit vestem sibi donatam Augubij cum baculo in manibus, & calceis in pedibus, cinctus corrigia, per quam tenebatur monachus D. Augustini. Dictus Pennottus hoc dictum tamquam fabulosum, & falsum reiicit rationibus satis firmis, cum quo

76 Respond. Diuus Franciscus numquam portauit habitum Eremitarum D. Augustini, neque professit in manibus B. Ioannis Boni.

Probatur primo ex approbatione horum duorum ordinum, Eremitarum nempe, & Minorum, nam ordo

77 Eremitarum sub Regula D. Augustini cœpit esse tempore Gregor. IX. vt appaet ex eius Bulla, apud Pennotum *lib. primo cap. 25. pag. 69.* Anno suo Pontif. 14. ætatis Christi 1240. circa, nam iste creatus fuit anno 1227. & non constat, quod ante ab alio Pontifice vocatus fuerit ordo D. Augustini, vt benè Pennottus *cit. n. 4. §. Ex Bulla,* & ponamus, quod ante id tempus incœperit iste ordo, D. tamen Franciscus non potuit emittere in eo professionem solemnem sub regula D. Augini, quia Regula D. Augustini non legitur donata illi ordini ante Gregorium IX. ante cuius tempora Sanctus Franciscus instituerat suum ordinem, nimirum initium dando Compositioni suæ Regulæ, à die 18. S. Lucæ Euang. mensis Octobris anno 1208. part. prima. Cronic. libro primo capitulo septimo cuius confirmationem oretenus obtinuit sequenti anno 1209. post mensem Aprilis ab Innocentio III. anno 13. sui Pontificatus, in cuius manibus ipse cum suis sociis emisit solemnem professionem, ibidem capitulo decimotertio: præcedentibus autem duobus annis, hoc est, 1206. & 1207. vitam quidem degit eremiticam indutus calceis, & baculo in manibus, corrigiam præcinctus, & non ante conuersus fuit ad Christum, ergo non potuit profiteri Regulam D. Augustini, nam Gregorius IX. qui primo approbauit Regulam D. Augustini pro Eremitis fuit multo tempore post, nimirum de anno 1227. & de anno 1240. confirmauit illorum regulam. *Vide eumdem Pennottum loco citato, est cap. 47. præsertim n. 3.* 78 79 80 81

82 Secundò, tempore eiusdem Gregorij magna erat controuersia inter hos Eremitanos, & Minores circa habitum, & eleemosinas, nam illi Minoribus stipendia surripiebant sub ementito ordine, in infamiam Minorum, & scandalum plurimorum, vt ibi dicit Papa, qui ideò statuit, vt Eremitæ tenerent in manibus, baculos quinque palmorum, & induti irent vestibus amplis, largis, & protentis, ergo qua ratione potuit Diuus Franciscus fuisse huius Ordinis professus, siquidem si hoc verum fuisset, tanta differentia, scandalum, & infamia non fuissent, nam Beatus Franciscus sine dubio omnia sedasset, & potius Papa egisset fauore Eremitarum contra Minores, vt qui aliqua ratione fuissent sub ipsis ratione capitis, quare cum res aliter euenerit fabulosum est profecisse Regulam illorum. 83

Tertiò, si Beatus Franciscus fuit professus in manibus Beati Ioannis Boni hoc accidit illo biennio suæ conuersionis, vel post institutionem sui Ordinis, neutrum est verum, non primum, quia ex Cronicis constat 84
illo biennio non fuisse in partibus Cesenatensibus, neque Mantuanis, in quibus degebat B. Ioannes Bonus, sed post suam conuersionem ad Christum, fuisse in locis circumuicinis Assisij, vbi tres Ecclesias dirutas reparauit, & demum Romam petiit pro confirmatione suæ Regulæ, & initio Ordinis Minorum, vt colligitur ex dictis Cronicis initio; neque secundum, quia fuisset Religiosus instabilis, quod neque excogitandum est.

Quarto, quia Papa eum non recepisset, concedendo illi institutionem noui Ordinis, & confirmationem Regulæ, imò, & per proprias manus excipiendo eius solemnem professionem cum suis socils, sed remisisset ad Regulam, quam professus, si tamen, fuerat aliter huiusmodi concessiones arguendæ fuissent ex parte Pontificis, qui sine causa non spoliat vnam Religionem, vt nouam introducat; neque dici potest interfuisse hic dispensationem, quia de ea non constat, demum arguendus esset vitio Apostasiæ recedendo à propria Religione sine accessu ad alteram, quæ nondum erat.

Quod spectat ad illos Historicos primo reprobantur ex eo quod sunt suspecti, quia sunt testes in re spectante ad propriam eorum Religionem, quam intendunt magnificare, & illustrare gloriosis meritis, & exempli Sancti Francisci, & sic nihil probantes *capit. Si testes 2. §. Nullus idoneus 4. quæstione secunda, & 3. ex capit. De cætero 14. de testam.* Deinde Bergomensis testatur, aliquando visum fuisse Mantuæ Chirographum contestans hoc, duo includit Chirographum, de quo non constat, à quo scriptum fuerit, consequenter illi fides adhibenda non est, cum non sit subscripta ex *capit. Cum à nobis, de testibus, Glos. ver. subscriptione cap. 4. dist. 100.* & à prædicto Historico visum non fuit, ergo neque ab ipso aliquam veritatem recipere potest, cum non

non possit esse testis, quia nô vidit, neque de auditu, quia non specificat personam à qua audiuit neque, à qua visum fuit, sed simpliciter dicit, *visum est*, quod præ se fert incertum authorem, qui nihil probat, *caput Sanctum est 14. dist. 4. de consecr.* Ex quibus cum dictum Chirographum in omnibus reddatur suspectum, nulla ratione admittendum est quod in eo asseritur. Neque Cronicæ citatæ D. Francisci hoc probant, sed simpliciter dicunt. *Cinto d'vna correggia, perla quale era tenuto monacho di Sancto Agostino.* Quod insinuat opinionem vulgi, cui non est credendum, quia voces populi vt quæ vanæ sunt, non sunt audiendæ, *Glos. 1. cap. Non vos 41. 23. quæst. 5. per cap. 2. de elect. & l. Decurionum. C. de pœnis:* Præterea dicit, *Era tenuto*, Idest, videbatur, hoc autem verbum est dubitatiuum, *Rota Rom. diuers. vol. 3 lib. 2. decis. 15. n. 3.* consequenter cum ex omni capite nulla reddatur scriptura, & Chirographum, absolutè concludendum est, merè esse figmentum, & falsitatem asserere Beatum Franciscum professum fuisse Ordinem Eremitarum, & ita præter Pennottum insinuat Bernard. de Busto serm. 27. Rosarij illis verbis. *Primo vilem habitum Eremiticum non alicuius Religionis.*

RESOLVTIO XXXVI.

De Confessariis Regularibus pro secularibus approbandis ab Episcopis ex c. 11. Sessionis 23.

SVMMARIVM.

1 *Approbatio necessaria præter examen.*
2 *Sufficit oretenus data.*
3 *Approbatio denegatur attentanti absoluere.*
4 *Idoneum repertum validè reiicit Episcopus.*
5 *Contra opinionem aliquorum super Clem.* Dudum.
6 *Quæ tamen facit reuocata.*
7 *Reuocare an possit approbationem?*
8 *Non potest licitè sine causa.*
9 *Potest in duobus casibus etiam sine causa.*
10 *Reuocatio facta vnius, vel alterius sine causa valet.*
11 *Et tunc absolutio ab his data nulla est.*
12 *Oppositum tenent Peyrinus, & Diana.*
13 *Reiicitur.*
14 *Clementina* Dudum *exponitur.*
15 *Reuocatio omnium est inualida.*
16 *Semel admissus simpliciter non reuocatur.*
17 *Quis dicatur admissus simpliciter.*
18 *Reuocationes communes esse nullas probatur.*
19 *Episcopi nunc limitatè approbant quoscumque.*
20 *Nouus Episcopus omnes reuocare potest*
21 *Etiam simpliciter approbatos.*
22 *Et ab ipso nouo Episcopo.*
23 *Limitare potest facultatem.*
24 *Capitulum sede vacante non reuocat.*
25 *Præter iurisdictionem requiritur approbatio.*
26 *Quæ est de valore absolutionis.*
27 *Sicut potestas ordinis, & iurisdictionis.*
28 *Quæ inter se differunt.*
29 *Iurisdictio sequitur ad approbationem.*
30 *Approbatio est distincta ab examine, & iurisdictione.*
31 *Approbationem habens, habet etiam iurisdictionem.*
32 *Quæ illis immediate confertur à Papa.*
33 *Seculares ab Episcopo approbante illam habent.*
34 *Regularis absoluit etiam extra suam Ecclesiam.*
35 *Admissus pro diœcesi non censetur pro ciuitate.*
36 *Audit vbique subditum Episcopi approbantis.*
37 *Reuersus adhuc retinet suam approbationem.*
38 *Morte Episcopi an extinguatur approbatio?*
39 *Durant post mortem si facta fuit simpliciter.*
40 *Ad beneplacitum nostrum, & Sedis quid importent.*
41 *Approbatur quis sine examine vsque ad tale tempus.*
42 *Inualidè approbatur contradicente superiore.*
43 *Opinio opposita reiicitur.*
44 *Non valet administratio Sacramenti vbi est decretum irritans.*
45 *Simplex prohibitio cum irritatione sufficit.*
46 *Absoluit validè quoscumque præsentans se cum licentia prædecessoris.*
47 *Præsentatio fit per superiores maiores in mea Religione.*
48 *Audiunt etiam forenses.*
49 *Non tamen Religiosos extraneos.*
50 *Sacerdos apostata fictus clericus an absoluat?*
51 *Sub Diœcesi approbantis tantum audit.*
52 *Extabant olim priuilegia audiendi etiam extra.*
53 *Validè absoluit Curato contradicente.*
54 *Episcopi non possunt prohibere quin clerici confiteantur Regularibus.*
55 *Prælati etiam indigent approbatione post examen, excepto Generali.*
56 *Regulares suos audiunt sine Episcopali approbatione.*
57 *Approbatio requiritur etiam pro venialibus.*
58 *Approbatio nulla in articulo mortis.*
59 *Copia Confessarij approbati excludit alium.*
60 *Copia Confessarij quando careat?*
61 *Cepta Confessio à simplici perficitur.*
62 *Articuli mortis nomine quid?*
63 *Infirmos suorum hospitalium audiunt sine Episcopo.*
64 *Approbantur à prælato Nullius?*
65 *Quinam possint examinare præter Episcopos.*
66 *Episcopus vitandus non approbat.*
67 *Bossij opinio refertur*
68 *Et refellitur.*
69 *Episcopus non dat licentiam eligendi simplicem Sacerdotem.*
70 *Militares absoluuntur à suis Confessariis.*
71 *Pro monialibus requiritur licentia Episcopi.*
72 *Referuntur declarationes Sacræ Congr. vsque ad num. 80.*
80 *Electus Confessarius est cum examine, excepto Generali num. seq.*
81 *Confessarij extraordinarij, eximuntur ab oneribus.*
82 *Approbatus à solo Episcopo non audit Religiosas.*
83 *Ob quas causas possit Episcopus priuare Confessarium.*
84 *Punit illum præcise priuando officio Confessarij.*
85 *Validè absoluit mulieres prohibitus audire ante lucem.*
86 *Trimarchi opinio examinatur.*
87 *Nouitius, qui in seculo erat Confessarius prosequitur.*
88 *Post professionem non durat.*
89 *Presentatio Confessariorum in meo Ordine ad quos spectet?*
90 *De iure communi per quos fiat?*
91 *De modo manendi Sacerdotis examinandi.*
92 *Sessio examinandi est in arbitrio Episcopis.*
93 *Carceratus inobediens prætextu examinis.*
94 *Examinandi fere omnes stant.*
95 *Religiosus Curatus non venit sub generali reuocatione.*
96 *Parochus vocat alienum Confessarium.*
97 *Quomodo vocet Parmæ.*
98 *Confessarij admissi ab exemptis absoluunt à reseruatis,*
99 *Regulares immediate à Papa habent iurisdictionem.*
100 *Licentia veteris Prouincialis adhuc durat sub nouo.*
101 *Licentia Prouincialis non excedit prouinciam.*

QVidam Religiosus quosdam seculares pœnitentes audiuit, & sacramentaliter absoluit, statim ac examinatus fuit, antequam obtinuisset ad hoc approbationem ab Episcopo, qui de hac re edoctus, in pœnam huius præsumptionis, & excessus illi negauit approbationem. Petuntur tria. 1. An ad valorem confessionis requiratur approbatio, ita quod non sufficiat præcisè

præcisè prudens, & legitima reſponſio ad examen data? II. An Epiſcopus debeat dare in ſcriptis approbationem, an ſufficiat oretenus? III. An iuſtè illi denegauerit approbationem?

1 Primò Reſp. Requiri approbationem ad valorem huius ſacramenti, nec ſufficit reſponſio legitimè data ad examen, quod probatur *ex citato capite ſeſſ.* 23. illis verbis. *Quamuis presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decreuit tamen ſancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſione ſecularium, etiam ſacerdotum audire nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus, iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili, non obſtantibus.* Ex quibus verbis ad meum propoſitum duo colligo; vnum eſt, in quouis ſacerdote ſiue ſeculari, ſiue regulari requiri actualem acquiſitionem approbationis, alterum, ea non habita, ſequi nullitatem abſolutionis. Primum ſuadetur ex verbo *obtineat* quod ex ſui conditione denotat acquiſitionem actualem, & poſſeſſionem eius, quod obtineri debet, *arg. ca. Ad Apoſtolicam* 16. *de regul.* ibi *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint obtinent roboris firmitatem.* Hoc eſt, acquirunt firmitatem, ſignificat ergo habere actu rem, & non ius ad illam; imò hoc verbum *Obtineo,* maiorem acquiſitionem, & actualitatem notat quàm verbum *Habeo* quod ſignificat actu tenere, & poſſidere, *Bart. in l. Stipulatio iſta §. Hac quoque ff. de ver ſignif. Sanch. l.*7.*cap.*30.*num.*3. Vnde eius actualitas ſpecificatur per verbum *Teneo*; ergo ipſummet verbum magis explicat huiuſmodi actualitatem, & poſſeſſionem, & præpoſitio *ob* coniuncta, determinat modum habendi, & cauſam, nempe ex præcedẽte petitione legitima fundata in examine. Secundum, quod ante habitam approbationem data abſolutio ſit nulla, probatur, quia in eo capite virtualiter continetur decretum irritans, vt omnes fatentur, nam illa clauſula. *Nullum poſſe*, inducit nullitatem actus, vt docent. *Cum Bart. l. Gallus, ff. de liber. & poſth. num.* 4. *Tiraquel. gloſ.* 4. *poſt leges connub. nu.* 1. *Angel. ver. Excomm.* 7. *num. fin. Sylu. Excom.* 10. *in fine, & ex eis Sanch. lib.* 6. *diſp.* 38. *n.* 20. *§. Tertio.* Ergo is Religioſus nondum approbatus inualidè abſoluit. *Probatur* q.5.*§. Prima.* Confirmatur. Tum quia aliud eſt poſtulare approbationem ſubiiciendo ſe examine, aliud illam de facto obtinere, præſuppoſito examine cum ſuis requiſitis *arg. cap. Licèt* 18. *de reg.* Vbi diſtinguuntur poſtulare licentiam, & poſtulatam obtinere; prædictus autem Religioſus licèt poſtulauerit approbationem, & eam meruerit ex probatis reponſis ad quæſita, non ideò tamen habitu approbationem, quæ requirit factum Epiſcopi, non reſponſum ſacerdotis, quod ſolum præſupponitur, vt conditio, ſine qua non Epiſcopus dat approbationem, factum igitur Epiſcopi dat approbationem, non reſponſum examinati. Tum quia reſponſio legitima in examine ad quæſita licèt det ius ad approbationẽ, ſicut in concurſu ad beneficia, *ca.* 18 *ſeſſ.* 24. ibi. *Atque illi*, i. magis idoneo, *& non alteri collatio Eccleſiæ, ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre*; & colligitur ex iis, quæ habet *Nau. ca.* 17. *n.* 69. *& obſeruat ad dictum ca. Megal. conſil.* 99. *num.* 4. Non tamen dat ius in re, ſeu actualem rei acquiſitionem, & poſſeſſionem, quod eſt neceſſarium in caſu noſtro, in quo ſacerdos approbatione non obtenta attentans abſoluere nullum facit Sacramentum. *Ita tenent omnes, Bonac. q.* 7. *de pœnit. §.* 1. *n.* 9. *Meg. de pœnit. li.* 1. *c.* 15. *n.* 6 *Barboſa alios citatis ad hoc c.* 18. *ſeſſ.* 23. *num.* 4. *Comp. reſol.* 32. *num.* 1. *Faber de pœnit. diſp.* 36. *n.* 26. Vbi dicit, quod requiritur, vt ſit obtenta, & expreſſius *Boſſius ſect.* 3. *caſu n.* 79. *alios referens Flor. c.* 4 §.16. *§. Nec ſufficit.*

2 Secundò Reſp. ſufficere oretenus datam approbationem, in ſcriptis tamen prudentius ferè committitur, Concilium autem vero ex dictis modis ſit tradenda non diſponit, vnde id relinquit arbitrio Epiſcoporum, qui communiter eam conſignant in ſcriptis, *Graff. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 51. *Suar. diſp.* 28. *de pœnit. ſect.* 5. *num.* 9. Vbi ait non eſſe de ſubſtantia vt gratis detur, aliter data valet, *& ex eo Boſſius cit. n.* 12. *&* 13. *Barboſa ad cit. ca. n.* 38. quod pretio data teneat exinde ſecuta abſolutio, *Bonac. q.* 7. *de pœnit. p.* 4. *§.* 2. *num.* 32. *&* 33.

3 Tertiò Reſp. iuſtè denegaſſe. Tum quia ſicut electus ante confirmationem, ſe ingerens regimini, ipſo facto remanet priuatus omni iure, quod per electionem acquiſiuit, *ca. Auaritiæ, de elect. in* 6. Ita & præfatus Religioſus amiſit illud ius, quod habebat ad approbationem, quàm ideò Epiſcopus illi iuſtè denegauit. Tum quia quis debet puniri in eo, in quo peccauit, *ca. Quanto* 3. *de transl. Epiſc. & c. p. An ſit* 42. *de appellat. ca. fin. de vſur.* Sed is ſacerdos peccauit grauiter ſine approbatione inualide abſoluendo, ergo Epiſcopus iuſtè illum puniuit. Tum quia qui non facit, quod debet, non recipit quod oportet, *l. Iulianus §. offerri ff. de act. empt. l. Quæro §. Inter locatorem ff. loc. Meg.* 1.2. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 9. *Barb. lit. F. n.* 3. Aliis iuribus, & Doctoribus citatis. Tum demum, quia licèt ius per reſponſa legitima in examine acquiſierit ad approbationem, quam illi Epiſcopus de iuſtitia conferre debebat, vt docent *Suar. loc. cit. ſect.* 5. *numero* 13. *Layman, Fagund. & alij communiter, quos citat Boſſius ſectione tertia, caſu* 2. *numero decimo quinto.* Quia non eſt mera gratia, ſeu priuilegium, ſed iudicium, declarans mereri de iure approbationem, qui rectè reſpondit ad interrogata, tamen quia deliquit, illo iure priuandus erat, quilibet enim iure ſuo priuari legitimè poteſt, non ſolum quando adeſt culpa, vt hic, ſed etiam ſine culpa, quando ſubeſt cauſa, *vt in hoc caſu. Reg.* 34. *in* 6.

Quæres autem. 1. Quid ſit dicendum, quando Epiſcopus, ſine iuſta cauſa, ſed ex aliquo fine prauo Regularem idoneum repertum per examen, etiam de iudicio examinatorũ, non vult approbare; an tunc poſſit nihilominus ille religioſus licitè, & validè audire confeſſiones ſecularium?

4 Reſp. Non. Tum quia ad valorem huius Sacramenti præſupponitur obtenta approbatio, ex probatis mox. §. Primo. Tum quia ſub conditione poſitum nihil operatur ante illius aduentum, *ex cap. Si pro te* 13. *de reſcr. in* 6. *l. Si quis ſub conditione ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam. Afflict. deciſ.* 355. *num.* 4. *Tuſchus lit. C, concl.* 593. ita quod debet impleri in forma ſpecifica. *l. Qui heredi, l. Mæuius, ff. de condit. & demonſtr. Mar. Anton. lib.* 1. *reſol.* 56. *num.* 2 *cum aliis à Barboſa citatis lit. C. num.* 33. ſed ex citato cap. Concilij ſacerdotes etiam regulares non poſſunt confeſſiones audire niſi ſub hac conditione, quod prius ſint iudicati idonei, & obtinuerint approbationem, ergo ante hoc iudicium, & approbationem inualidè abſoluunt. Tum quia licet conditio impedita per tertium, legitimè habeatur pro impleta. *l. Si Titius, ff. de condit. & demonſtr. l. Nepos Proculo, ff. de verb. ſignif.* & licentia legitimè petita, habeatur pro obtenta, licèt fuerit negata, *cap. Licèt, de regul.* non procedunt tamen, illud quidem, quando conditio pendet à voluntate aliena, iuxta reg. 66. quæ habet; Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet; in caſu autem noſtro conditio approbationis non pendet à voluntate ſacerdotis, ſed Epiſcopi, & ideo ab hoc impedita, non habetur pro completa ex parte ſacerdotis; *Scrofa Dominicanus in ſuo libello de inualid. profeſſ. dub.* 12. *nume.* 7. ait procedere, quando conditio reſpicit fauorem priuatum, non autem publicum, vt in caſu noſtro reſpicit adminiſtrationem Sacramenti, quod eſt publicus fauor, & emolumentum ſpirituale animarum: Hoc autem, quando lex non exprimit, vt licentia obtineatur, *Megal. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 6. *in fine, & Boſſius ſect.* 3. *caſu* 2. *n.* 31. ambo in terminis caſus noſtri, quamuis Boſſius ſequatur oppoſitum. Tum quia quando aliquid requiritur, vel de ſubſtantia, & eſſentia ad valorem alicuius actus, iniuſtitia negantis, ſeu iuſtitia petentis non poſſunt ſup-

plere id, quod essentialiter deest ad valorem actus, quia essentialia per æquipollens suppleri non possunt, cum in formis non admittatur æquipollens. *l. 3. §. fin. l. Qui per salutem, ff. de iureiur.* Vnde si iniquus confessarius ex odio, vel alio prauo fine non habeat intentionem absoluendi, aut non proferat essentialia verba absolutionis, sine dubio nullum facit Sacramentum, quamuis pœnitens sit optimè dispositus, & ius habeat ad absolutionem, eo quod iustitia pœnitentis non potest supplere essentialia ad valorem absolutionis.

Tenent hanc responsionem *Suar. disp. 28. de pœnit. sect. 5. num. 13. Coninch. disp. 8. de Sacram. dub. 7. num. 28. Filliuc. part. 1. tract. 7. cap. 9. num. 257. Florentus part. 1. c. 4. §. 16. num. 1. Barbosa part. 2. de potest. Episc. alleg. 25. n. 8. & 27. Tambur. tom. 2. disp. 6. q. 12. num. 6. Valerus ver. Nullitas, diff. 5. num. 2.* quos contra se citat *Bossius sect. 3. casu 2. num. 16. Megal. lib. 1. de pœnit. cap. 15. num. 16. Faber disp. 30. de pœnit. num. 28.* alios citat *Diana resol. 24. de dub. regul.* vbi videtur magis adhærere oppositæ, re tamen declarat *par. 5.* sequi hanc *tr. 7. resol. 60.*

Oppositam sententiam, quod non obstante iniusta negatione, possint validè absoluere, *Rodriq. tom. 1. qu. 59. art. 2. cum suo Compend. resol. 32. num. 3. Portel ver. Confessor num. 3. Mirand. qu. 45. art. 6. alios quamplures citat Bossius sect. 3. casu 2. num. 17. quibus adhæret, Diana resol. 24. de dub. regul. vbi tamen non se declarat.*

5 Isti ergo omnes tenent iniuste reprobatum posse validè absoluere; & suam intentionem fundant in Clem. *Dudum, de sepult.* vbi si Episcopi ex odio nolunt regulares legitime præsentatos approbare, possunt ipso iure licitè, & validè ministrare hoc Sacramentum; idem statuit Leo. X. in Concil. Later. constit. *Dum intra,* relata à *Quar. ver. Priuileg. regul.* pro omnibus regularibus Fratribus; & priuilegium, hoc aiunt, illis sublatum non fuit per Trident. quod licet deroget priuilegiis quibuscunque, non tamen censetur derogare prædicto Clementinæ, quia non est merum priuilegium, sed lex iuris communis, quod non venit sub clausula derogatoria priuilegiorum, nisi fiat mentio de priuilegiis insertis in iure communi, vt *docent præfati Doctores, & alij à Diana resol. 1. de dub. regul. cumulati §. Idem §. Hinc* & eo magis cum sit priuilegium conditum in Concilio Viennensi; Conciliis autem non censetur derogatum, nisi de illis fiat expressa mentio, docent communiter *cum Sanc. lib. 3. disp. 26. num. 7. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 19. nu. 18. 19.* Confirmatur, quia cum iurisdictionem immediatè habeant à Papa, non ab Episcopo, & infra *q. 5. §. Septimo,* probabo, nihil aliud desideratur ad valorem Sacramenti, nisi approbatio, quæ pro regularibus non est necessaria, sed tantum pro secularibus, sic enim saluatur Decretum Trident. & Clem. *Dudum,* non aduersari adinuicem, expedit enim iura iuribus concordare, cap. cum expediat, & à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus in nouo reperitur expressum, *l. Præcipimus, C. de appell.* in nouo autem non reperitur expressa derogatio Clementinæ, ergo adhuc retinet suas vires.

6 Non vrgent prædicta, quia sine dubio per decretum Trident. derogatum fuit illi priuilegio in iure communi inserto; quod suadetur. Tum *ex ca. 1. de constit. in 6.* vbi Papa decernit, se per posteriorem constitutionem derogare priori contrariæ, licet non expressæ in posteriori, & rationem præmisit, quia in scrinio pectoris sui omnia iura habet, non autem consuetudines, aut statuta particularium, nisi de illis mentionem faciat expressam, quia cum hæc sint quid facti ea potest probabiliter ignorare; sed priuilegium dictæ Clem. non est consuetudo, nec Speciale statutum, sed Pontificia constitutio, & ius commune, etiam secundum aduersarius, & veritatem, ergo ad eius derogationem non requiritur expressa mentio facienda in Tridentino, sed sufficit lex contraria simpliciter, condita sine clausula derogatoria, cui standum est contra priorem. Nec dicas, quod directè non aduersantur, vt requiritur ex *glos. ver. Priorum,* quia constat directa contrarietas, nam Clementina concedit iurisdictionem negata approbatione iniustè, quam negat Tridentinum, in hoc enim stat punctus contrarietatis. Tum quia, quod non censeatur derogatum Concilio aliquo generali per generalem obstantiam, non facta mentione Concilij saltem in genere, aut iuris communis, in quo inseritur, habeat locum quando Papa extra ius commune, seu Concilium concedit aliquid contra prædicta, vt colligitur ex prædictis Doctoribus, imò derogatur etiam alicui Concilio, sine expressa mentione, quando expresse reseruatur authoritas Papæ, & Sedis Apostolicæ, vt dixerunt. *Marescot. lib. 2. Var. cap. 38. num. 41. Rota in Vlixib. decimarum 27. Nouem. 1572. coram Robusterio,* Vnde Papa concedens aliquod priuilegium, rescriptum, aut aliquam constitutionem contrariam Trident. non est necesse, quod ad ipsius derogationem faciat expressam mentionem dicti Concilij, neque in indiuiduo, neque in specie quia in *c. 21. sess. 25,* Semper fuit excepta, & reseruata in omnibus authoritas Sedis Apostolicæ, vt refert. *Lauor tit. 4. de elect. cap. 19. num. 26.* Sed Papa non concedit rescriptum, priuilegium, neque legem condidit: in hoc casu extra ius commune, aut Concilium, ergo non facit ad rem illud axioma. Tum quia Concilium Concilio derogare potest, & ius commune nouum iuri veteri sine obstantiis, & quia prius ius non ligat manus posterioris, neque vetus Concilium est maioris virtutis noui, & quia non minori diligentia, maturitate, aut prudentia conditur vnum, quàm alterum tam in constituendo, quàm destruendo, & derogando, & eadem potestas requiritur in actu soluendo, quæ in faciendo. *l. Sicut proponis. C. de nupt. Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 5.* & res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, *1. de reg. iur.* & facilius aliquid tollitur, quam construitur, *cap. 2. de transl. Episc.* Ergo sicut per simplicem positionē Patrum in Concilio Viennensi habuit esse illud decretum Clem. ita & amittit esse per simplicem positionem Patrum in Concilio Tridentino, non facta mentione Concilij Viennensis. Tum quia si Trident. non sustulit decretum Viennensis quoad hoc, frustra addita fuerunt illa verba. *Nullum regularem,* nec rationabilis est responsio *Rodr. cit. §.* Ex qua, referri ad alios regulares, non autem ad Prædicatores, neque ad Minores, pro quibus tantum fuit concessum priuilegium Clement. quia certum est apud omnes, vniuersos religiosos communicare in priuilegiis, vt dicitur in materia de commun. priuileg. Quare ne illa verba dicantur superfluere, inducenda esset correctio iuris communis, quamuis aliàs non esset inducta, ratio etiam dictat, correctionem iuris potius esse inducendam, quàm verborum superfluitatem admittere, dixit in hoc casu *Megal. lib. 1. cap. 15. num. 6. §. Ad secundum, quod repetit resol. 78. num. 9.* & ratio est, quia superfluitas in lege arguit imperfectionem in legislatore, correctio autem eius perfectionem, & potestatem indicat circa leges, ergo ad superfluitatem excludendam, admittenda est correctio dictæ Clementinæ. Tum quia Pius V. licet conf. *Etsi Mendicantium* 41. in Bull. nouo noluerit religiosos comprehendi sub dicto cap. 15. tamen postea in alia constitut. *Romani Pontificis* 133 in Bull. nouo, & II. apud Confect. pag. 228. reducendo eosdem subiectioni dicti decreti, mandat omnes religiosos, etiam graduatos, & Magistros debere obseruare ea, quæ præcipiuntur in dicto capite de approbatione confessariorum regularium erga regulares ab Episcopo facienda, ergo saltem ex hac constitutione notum est regulares in omnibus, & per omnia subiici Episcopo quo ad approbationem, & facultatem audiendi confessiones secularium.

Quæres 2. An Episcopus approbationem à se factam religiosi possit reuocare? quod potest intelligi I. reuocando vnum, vel alterum confessarium pro suo libito, etiam sine causa, II. reuocando omnes vnius Conuentus cum causa, vel sine illa, III. reuocando ea de causa, ali- 7

quos,

quos, vel omnes, vt iterum eos subiiciat examini. IIII. An à successore Episcopo omnes indifferenter reuocari possint?

Resp. Episcopus approbationem iam concessam, sine causa reuocare licitè non potest: Nihilominus reuocatio incidens vnius, vel alterius, non omnium simul, tenet, ac proinde secuta absolutio nulla est, siue fiat, vt amplius non exerceant hoc munus, siue vt iterum examini subiiciantur sub eodem Episcopo; nam à successore omnes indifferenter examinari possunt, siue finierit tempus approbationis concessæ a prædecessore, vel à se siue non. Singulæ partes distinctè probantur:

8 Prima, Episcopus approbationem iam concessam sine causa reuocare licitè non potest, probatur. Tum quia non licet quemquam iure suo priuare sine causa *reg.* 26. *in* 6. Tum quia reuocatio cum ex se sonet in malum, in hoc casu aliquo sine honesto cohonestari non potest. Tum quia læditur iustitia proximi, quam habebat in acquisita approbatione, & ideo grauiter peccat, asserūt Faber *disp.* 30. *de pœnit. n.* 28. *Megal. lib.* 1. *c.* 15. *n.* 9. & aliis citatis Bossius *sect.* 3. *casu* 2. *n.* 15.

9 In duobus autem casibus sine peccato reuocari potest sine causa. Primò, quando quis admissus fuit omisso examine; Tum quia hoc est priuilegium pœnitus gratiosum, ergo & gratis reuocari potest. Tum quia gratificatus nullum per hoc ius acquisiuit irreuocabile, ergo reuocari potest, Bossius *cit. num.* 45. Megal *cit. num.* 9. & ita decisum fuisse *in vna Vercell.* 31. *Iul.* 1615. *Sess.* 25. *num.* 45. Secundo, quando quis præuio examine fuit admissus ad beneplacitum, quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, ergo, si concessa fuit ad beneplacitum, per idem etiam reuocari potest, nam beneplacitum respicit liberum voluntatis motum, & in eo stat pro ratione voluntas. Ita decisum fuisse *in vna Papiensi* 12. *Martij* 1619. ex Seilio refert Barbos. *n.* 46. contra Peireuum *tom.* 1. *const.* 2. *Sixti IV.* §. 2. *num.* 44. pro se citatum à Diana *resol.* 26. Peregr §. 2. *Absolutio qua ad seculares in Schol.* quem citando sequitur Bossius *sect.* 3. *casu* 2. *num.* 42. *in fine*, vbi sustinet cum Peregr. sine causa non posse reuocari præmisso examine, dictu posse, aliter non esset admissus ad beneplacitum, & beneplaciti natura destrueretur, denotat enim libertatem voluntatis *ex Corneo vol.* 2. *consil.* 92. *num.* 31. & qui vtitur iure suæ libertatis nulli facit iniuriam, nec dicitur irrationabiliter agere, quia non habet obligationem conseruandi illum Sacerdotem in eo iure sibi concesso ad libitum reuocabili.

10 Secunda, reuocatio vnius, vel alterius confessarij sine causa, tenet ac proinde secuta absolutio, post reuocationem, nulla est, probatur. Tum quia nulla adest efficax prohibitio irritans hanc reuocationem, neque sufficiens ratio, quæ hoc efficaciter persuadeat, vt constabit ex inferendis. Tum quia multæ sententiæ licet sint iniquæ, & non sustinendæ, tamen cum retractentur, vt videre est *cap. Cum causa* 8. *cap. Inter cæteras* 9. *cap. Cum l. & A. de sentent. & re iudicat.* supponuntur habuisse aliquem vigorem ante retractationem, ergo idem dicendum est de approbatione iniquè, & sine causa reuocata; currit enim paritas etiam in sententia aduersariorum, dum volunt approbationem esse quasi sententiam, quam Episcopus fert pro Confessario, vt explicabo infra in obiectionibus §. *Sed firma.* Tum quia iurisdictio delegata expirat mandato reuocato *ff. de iudic. l. Iudicium soluitur*, & faciunt dicta à Gloss. *ver. Officio suo*, *cap.* 9. *de off. deleg.* sed hæc approbatio delegatur ab Episcopo, ergo ab eodem validè reuocari potest suo mandato. Tum quia delegatus nil proprij habet, sed alienam iurisdictionem exercet, iuribus citatis à Gloss. *ver. Impendant, extr.* 2. *com. de sepult.* Megal. *part.* 3. *lib.* 3. *de censur. cap.* 10. *num.* 35. *Nau. consil.* 8. *de off. deleg.* cum ergo Confessarius delegatus vtatur iurisdictione aliena sine dubio illa validè priuari potest ab eo, cui eam delegauit, & non facio vim in verbis iurisdictionis, aut approbationis, quia cum hæc delegetur ab Episcopo, à quo dependenter iurisdictio subsistit, & conseruatur in esse, consequens est dicere sublata approbatione, auferri etiam iurisdictionem, vt latius probabo mox §. *Hinc fit.* Tum quia licet semel examinatus non possit amplius ab eodem, iuxta dicenda infra §. *Tertia*, sed solum à successore examinari, ac proinde non possit reuocari approbatio semel facta, nisi à successore, vt decreuit Pius V. Constitut. *Romani Pontificis* 133. in Bullar. nouo & 11. apud Confectium pag. 228. non tamen explicat reuocationem, siue iustam siue iniustam esse nullam, consequenter dicendum est habere suum effectum, & tenere, quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, *cap. Ad Apostolicam* 6. *de regul.* Tum quia tenet sententia lata contra priuilegium ostensum, siue non, *capit. Suborta* 21. *de sentent. & de re iudicat.* & tamen constat esse iniquam, hoc ipso quod est contra priuilegium, ergo eo magis in casu nostro, in quo reuocatio habens speciē sententiæ est contra priuilegium, vt volūt aduersarij. Tum quia sententia pastoris siue iusta siue iniusta semper est timenda, *c.* 1. 11. *q.* 3. explicant Doctores de valida, nam si sit notoriè inualida, non est timenda ergo reuocatio approbationis licet inqua, est tamen timenda, cum sit valida.

11 Hinc fit, quod absolutio data ab huiusmodi suspensis est nulla, quia in hoc casu carent iurisdictione, cum reuocatio teneat ex probatis hactenus. Confirmatur, quia iurisdictio se habet tanquam accidens approbationi inhærens, quæ illius est velut subiectum, & conditio sine qua non potest existere, ergo sublatâ approbatione per reuocationem tollitur iurisdictio; & quod approbatio sit conditio sine qua non existit iurisdictio, neque exit in actum, patet ex ipsomet Concilio, quod decreuit nullum etiam Regularem posse audire confessiones Secularium, nisi approbationem prius obtineat, ergo signum est ad approbationem sequi iurisdictionem, ita quod nulla est absolutio sublata non solum iurisdictione, sed etiam approbatione, cum sine approbatione nullus validè audire possit, docent omnes cum Paulo *Sam. de casib. Papal. & Episc. cap.* 1. *num.* 28. Sanch. *lib.* 6. *disput.* 38. *num.* 20. Coriol. *part.* 1. *de casib. reseru. sect.* 1. *artic.* 20. & aliis citatis à Barbosa *super dictum cap.* 15. *sect.* 23. *numero* 4. Nostram responsionem tenent ex Vasquez Turrecr. *de pœnit. quæstione* 8. *art.* 1. *disputat.* 6. *dubitat.* 1. Ioannes Sancius in selectis *disput.* 48. *num.* 23.

12 Oppositam expressè tenent Diana *resolut.* 22. *& apud ipsum* Peirinus *tomo* 1. *de priuileg. Constit.* 26. Leon X. §. 6. *numero* 7. qui apertè docent reuocationem esse nullam, ac proinde tenere absolutionem datam à Confessario suspenso: hanc sententiam probabilem iudicant Suarez *in part.* 3. *tom.* 4. *disput.* 28. *sect.* 8. *dubit.* 7. inclinant Faber *disput.* 30. *de pœnit. num.* 41. Bossius *sect.* 3. *casu* 2. *à num.* 39. *ad* 43. *Homob. part.* 4. *Respons.* 86. Probant hi Doctores. Tum quia est ablatio iuris quæsiti. Tum quia est reuocatio quasi sententiæ iustè iam datæ, quæ cum transierit in rem iudicatam, validè reuocari non potest. Tum quia ex Clem. *Dudum*, *de sepultur.* præsentati iuridicè à suis Superioribus, & reiecti sine iusta causa, ipso iure censentur approbati, & validè absoluere possunt, non enim ista Clem. quo ad hoc sublata fuit à Trident. vt probat Doctores *cit. q.* 1. §. *Oppositam*; ergo multo magis iam approbati non possunt reprobari.

13 Sed firma stet nostra præcedens responsio sufficienter probata, & ad primum argumentum dico, & secundum, hoc ius, quod Confessarius acquisiuit ex præuio examine, non esse rigorosum fundatum in aliquo iustitiæ titulo, cum in persona acquirente nihil iuris supponat, huiusmodi enim onera, vocatis potius, quàm se offerentibus dari debent, iuxta illud. *Nemo assumat sibi honorem sed qui vocatur tanquam Aaron.* Quod si postea officium conferatur habito respectu ad idoneitatem vocati, qui se examini supposuit, ac proinde aliquale ius

acquisierit ad illud officium, pro quo examinatus fuit, id non multum viget, quin sine causa etiam valide auferri possit, quia hoc est de ratione publici officij, vt illud per se, & principaliter conferatur in bonum publicum, & vtilitatem proximi, secundario autem, & per accidens redundet etiam in personam, cui collatum fuit. Quare cum hæc ratio iustitiæ improprie hic potius sumatur, & per accidens respectu approbati Confessarij, non potest habere tantam vim, vt reuocationem Episcopi nullam reddat. Tum quia non est considerandum id, quod per accidens est, sed quod principaliter intenditur, *l. Rogasti*, *l. Si quis nec causam*, *ff. si cert. pet.* Tum quia quandoque accidere potest, vt nulla sit idoneitas in Confessario approbato, & tamen teneat approbatio ex opinione Suar. *disp.* 28. *sect.* 5. *num.* 5. §. *Et fortasse. Reginald. lib.* 1. *num.* 197. quos refert Barbosa *ad hoc cap. num.* 40. tenere approbationem eius, qui re ipsa non est idoneus, licet reputetur talis, si verò cognoscitur ineptus, nulla est, ergo in hoc casu tollitur omne ius, quod signum est, esse quid extrinsecum iste titulus iustitiæ. Tum quia delegatio est quid gratiosum, nemo enim cogitur communicare alteri, quod sibi iure ordinario competit; Episcopis autem præcipuè vti pastoribus in Ecclesia incumbit spirituali Sacramentorum pabulo suas oues reficere, non autem Regularibus, qui ad hoc non tenentur, ea communi, & asserit Gloss. *ver. Impendant Clem. Dudum*, vnde vocantur solum coadiutores voluntarij Curatorum, Gloss. *ver. Concedimus, extr. com. Super cathedram, de sepult.* Tum quia in Clem. *Dudum*, *& extr. dicta Super Cathedram eod. in dicta* Gloss. *ver. Gratiarum*, *ver. Concedimus*, approbatio Confessariorum Regularium dicitur concessio gratiosa, ergo non onerosa. Ex his ergo efficaciter infertur, falsum esse, illud ius acquisitum infringere reuocationem, cum sit improprium, & per accidens respectu Confessarij, consequenter ab eo remouibilia ad placitum Episcopi, ac proinde approbationem non esse propriè sententiam, cum non præsupponat requisita ad veram sententiæ rationem, cum qua aliqualem solum similitudinem habet, quantum ex præuio examine quis iudicatur idoneus ad confessiones audiendas, præterquam quod constat sententias etiam iniquas sortiri suos effectus, licet postea sint reuocabiles, vt superiùs patet.

14 Ad tertium stando in rigore Clement. *Dudum*, etiam dato, quod non fuerit reuocata per Trid. quam esse quo ad hoc sublatam verius probaui *quæst. præced.* §. *Non vrgent*, dico eam habere locum solum, quando reprobatur Sacerdos præsentatus, non autem quando iam approbatus reuocatur, de quo nulla ibi mentio; neque extendi potest ad hunc casum, quia hæc approbatio non est ordinaria, sed delegata, & ideo odiosa, & restringibilis, ita quod non debet excedere priorum casum, argumento Gloss. *ver. Processus*, *in fine de rescript. in* 6. & ibi Doctores, *& in cap. Omnis*, *de pœnit. & rem. Zerola de pœnit. c.* 16. *q.* 3. §. *Dico secundo.*

15 Tertia, omnes Confessarios vnius, aut plurium Conuentuum non potest neque valide reuocare, neque nouam, & generalem reuocationem edicere iterum vocando ad nouum examen, probatur authoritate Pij V. Constitut. *Et si mendicantium*, Dat. 16. Maij. 1567. in Bull. nouo 41. & Constit. *Romani Pontificis*, Dat. 6. Aug. 1571. in Bull. nouo 133. apud Confect. n. pag. 228. illis verbis. *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in ciuitate, & Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari.* In priori autem Constitutione habentur hæc verba. *Statuimus etiam, quod ille, qui semel in vna Diœcesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem Diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta Diœcesi debeat; tam quo ad prædicationes faciendas, quàm quo ad confessiones audiendas.* Et hoc postea declarauit etiam Sacra Congregatio ad mentem Pij V. vt videre est apud *Confectium tit.* 17. *cap.* 5. §. *Congregatio, quam ad verbum refert etiam Quar. ver. Confessor initio.* De anno autem 1615. 20. Nouembr. declarauit, Episcopos, locorumque ordinarios nullo pacto adimere posse facultatem audiendi confessiones omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessariis Sacra Congregatione inconsulta, ita ex Aldano *in Compend. Canon. resolut. lib.* 1. *tit.* 13. *n.* 5. Barbosa *hic n.* 52. Bossius *sect.* 3. *casu* 2. *n.* 45. vbi refert Gauantum in *Manuali Episc. ver. Confessarius n.* 24. Peirinum *tom.* 1. *constit.* 2. *Sixt. IV.* §. *II. n.* 45. Alphonsum *de Leone de Iubilæo in fine part.* 2. & Lezanam *c.* 19. *n.* 9. Peregrin. *ver. Absolutio quo ad Seculares*, §. 1. *in Scholio.*

Semel ergo admissi Regulares non possunt amplius reuocari ad examen sub eodem Episcopo, vt patet ex supra dicta authoritate Pontificia, quod procedit, quando generaliter, vsquequaque, & vndequaque atque simpliciter approbati fuerunt sine limitatione temporis, loci, & personarum, vt dicam infra *quæst.* 3. vt docent *Compend. Bull. ad dictam Constit.* 133. *Pij V. schol.* 1. Peregr. *cit. in Scholio*, Megal. *cap.* 15. *n.* 9. §. *Pone, ad finem*, Faber *disp.* 30. *de pœnit. n.* 43. Boss. *sect.* 3. *casu* 2. *n.* 39. vbi alios citat, licet variet modo cum vno, modo cum alio, Barbosa *ad hoc cap. n.* 50. vbi id refert *de mente Sanctissimi Vrbani rescribentis in forma Breuis sub die* 30. *Ianu.* 1629. *Emin. Sandoual.* 16

Dicitur autem admissus simpliciter, qui talis approbatus fuit sine limitatione temporis, loci, & personarum, Limitatur autem tempus, si in licentia dicatur, *per sex menses: per annum: per tres annos: ad beneplacitum nostrum: ad beneplacitum Episcopi:* quia beneplacitum ex sua natura reuocabile est toties, quoties placuerit beneplacenti, vt dixi supra, §. *In duobus: si verè dicatur, ad beneplacitum Sedis*, censetur simpliciter admissus, quia Sedes semper durat, & nunquam moritur, nisi gratia reuocetur à successore, *capit. Si gratiosè* 5. *de rescription. in* 6. Igitur approbatio dicitur simpliciter facta, ac proinde non reuocabilis ab eodem, quoties non præfigitur tempus, seu tacetur in licentia, & quando concessio est ad beneplacitum Sedis. Limitatur verò approbatio quo ad locum, quando Regularis approbatur pro Diœcesi tantum, & non pro ciuitate. *Vide dicta sub quæst.* 6. Demum quo ad personas, si quis admittatur pro viris tantum, non pro fœminis. 17

Remanet probandum prædictas reuocationes publicas, seu communes, vt supra sub §. *Tertia* esse inualidas, quod probatur sic. Tum quia reuocatio facta sine requisita consultatione est nulla, Silu. *ver. Consilium quæst.* 4. *Tabien. quæst.* 6. *Angel. num.* 3. *Rodriq. tom.* 2. *quæst.* 45. *articul.* 2. alios citans Bonacin. *p.* 7. *de legib.* §. *V. num.* 17. §. *Obserua*, & licet hoc procedat, quando simul ab initio cum hac forma datur potestas agendi, ac proinde non videatur habere locum hic, cum ante hanc declarationem Episcopi haberent potestatem, dici tamen potest, illam Episcopos non habuisse, vt constat ex Pontificia authoritate superiùs relata §. *Tertia*, sed quia meo iudicio hanc facultatem semper habuerunt saltem valide, ideo illud dictum cum sua limitatione procedere, quando adest perpetua prohibitio, docent Gloss. *ver. Inhibentes, in fine*, *Clem.* 1. *de iure patr.* & Doctores, quos pro se citat Lauor. *in suis Lucub. tit.* 4. *cap.* 21. *num.* 133. in casu autem nostro adest perpetua prohibitio, cum sit à constitutione Pontificia, quam vult ipsemet Summus Pontifex perpetuò durare, ergo nulla est reuocatio inconsulta Sacra Congregatione, & licet loquatur respectu vnius conuentus, habet tamen locum, & æquè probat, immò à fortiori respectu omnium, argumento à minori ad maius desumpto. Tum quia reuocatio generalis omnium confessariorum contra expressam prohibitionem Pontificiam videtur continere errorem intolerabilem, ac proinde esse nulla *argum. cap. Per suas, de sent. excom. iuncta gloss. cap.* 1. 11. *q.* 3. vbi sententia continens errorem intolerabilem dicitur nulla. Nec obstant quæ dixi §. *Secunda*, 18

quia

quia potest stare, quod reuocatio vnius vel alterius teneat, non autem omnium simul, vis enim consistit in illa particola, *simul*, ergo successiuè potest validè reuocare, & facit ad hoc illud axioma. *Singula, quæ non possunt, multa collecta iuuant. l. Spadonem §. qui circa, ff. de excusat. tut. Barbosa lit. S. num.* 10. vnde reuocatio singularis non prodest Confessariis, vtique verò collectiua.

19 Sed frustra laboro, cum hisce temporibus Episcopi oculati sint, ita quod ars deluditur arte, siquidem ordinarij locorum solent approbare omnes Religiosos limitatè saltem quo ad tempus, ex quo sequitur posse eosdem reuocare ad nouum examen non solum per singulare edictum, sed etiam per publicum, & generale, licet tempus præfixum non sit adhuc finitum, & mirum, quod in plerisque Diæcesibus omnes fere approbantur eodem modo, vt per annũ, vel ad beneplacitũ, cum tamen omnes non sint pariformiter scientifici, sed quandoque, & vt plurimum diuersi, & inæquales.

20 Quarta, successor Episcopus in locum præmortui, vel amoti, potest omnes Regulares Confessarios per generale edictum reuocare ad nouum examen, siue terminatum sit tempus præfixum à prædecessore, siue non. In eo autem non includuntur Confessarij Parochi, vt probo *resol. 36. q. 35.* Probatur per dictam const. *Romani Pontificis*, Pij V. apud Confect. pag. 218. & in Bull. nouo 133. illis verbis. *Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ suæ quiete examinari de nouo poterunt.* Obserua verbum, *Successore*, quod comprehendit illum, qui succedit tam in præmortuum, quàm in locum eius, qui renuntiauit, vel quouis alio modo amotus fuit à sede; & verbum, *poterunt*, quod honestatem, non debitum præsefert. *Et ita fuit resolutum in Alban. 5. Febr. 1628. & in alia die 7. Ian. 1630. & decisum à Sacra Congreg. 23. Nouemb. 1629. tenet Sellius in select. canon. cap. 14. num. 27. & ex eo Barbosa ad hoc cap. num. 49 Miranda to. 1. q. 45. art. 7. prope finem concl. Sancius in selectis disp. 48. Riccius tom. 4. resol. 70. num. 5. quos, & alios citat Diana resol. 27. de dub. regul. Bossius sect. 3. casu 2. num. 43. In hoc videntur claudicare aonnulli cum Rodr. citato à suo Compend. resol. 31. num. 6. §. Pro quo, & Villalobos in sum. tom. 2. tract. 9. diff. 53. num.* 5. qui apud Dianam citatum asserit, constitutionem Pij V. intelligendam esse de illis de nouo examinandis, quorum insufficientia constat Episcopo moderno, non autem quod possit reuocare generaliter licentias omnium Religiosorum, nisi se præsentauerint examini intra tempus præfixum in decreto reuocatorio, alij volunt non posse reuocari respectu Minorum, & Prædicatorum, quia eorum approbatio de iure communi est perpetua, alij ex eo, quod regulares non ab Episcopo, sed à Papa immediate habent iurisdictionem. Sed hæ rationes sunt leues, & potius imaginariæ, & affectatæ, quam rationabiles, & efficaces ad probandum suum intentum, & videntur pati exceptionem proprij interesse; patet ergo ex suprà probatis, regulares omnino pendere ab Episcopis in hac facultate audiendi Confessiones secularium, & Pius V. satis clare loquitur, vt voluntaria distinctione eius verba non indigeant, motiuum enim ibi à Papa signatum fuit quies conscientiæ Episcopi, quod cum indifferenter respectu omnium confessarium intret, sine dubio omnes absque vlla differentia reuocare potest, & cum habeamus claram constitutionem Pontificiam non est, cur vlterius inuestigemus rationem, *Bald. in l. Gallus. §. Si eius, ff. de liber. & posth. Corneus lib. 4. cons. 99. num.* 2. ideò audiendus non est Villalobos, præsertim cum de hac nullam sufficientem afferat rationem, neque alij consilii in Clem. Dudum, quia sufficienter suprà probaui sub *q.* 1. eam sublatam fuisse quo ad hoc.

21 Procedunt dicta siue licentia prædecessoris fuerit simpliciter, siue ad tempus concessa, & quia conscientia in vtroque casu æquè vrgere potest, & quia Papa vbi loquitur de simpliciter admissis, & magis de approbatis ad tempus. *Bossius sect. 3. casu 2. n. 43.*

Secundo procedunt etiam de licentia concessa capitulo sede vacante, quia hoc venit sub nomine prædecessoris, & vrgere potest conscientia noui Prælati.

Tertio procedunt etiam in examinatis ab ipsomet Episcopo nouo, tempore quoque præfixo nondum absoluto, quia ex supradictis, si potest reuocare vnum, vel alterum confessarium sine causa, eo magis cum causa, qualis est hic vniformitas in reuocatione generali omnium. 22

Quæres 3. An Episcopus possit limitare quo ad tempus, loca, & personas, facultatem audiendi confessiones?

Respond. Potest. Et ita decreuit Sacra Congregatio 23 hoc procedere, quando regulares reperiunt non ita idoneos; secus verò quando sunt simpliciter idonei, illis verbis. *Regulares qui ad audiendas confessiones idonei ab ordinariis locorum, eorúmve examinatoribus reperti, & probati fuerint; generaliter quoque & indistinctè absque vlla limitatione temporis, certorúmve locorum, aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria: De cæteris verò, qui non adeo idonei reperientur si petierint se admitti arbitrio ordinariorum relinquitur, ipsi cum limitata facultate, prout eisdem ordinariis magis videbitur expedire, probare, & admittere.* Ita referunt *Rodr. q. 59. art. 8. Mirand. q. 45. art. 10. Confect. tit. 16. cap. 4. & 5. Faber. disp. 30. numero 42. Barbosa ad hoc cap. numero 53. vbi alios citat.* Quod ad restrictionem loci faciunt dicenda *q. 6.*

Sed, vt superius dixi, non seruatur ab Episcopis hoc Decretum, cum omnes regulares indifferenter admittant, & approbent limitatè quo ad tempus, & huic eorum consuetudini patienter standum est, quia si ex vna parte aliquis regularis dicat se mereri approbationem illimitatam, ex alia parte potest Episcopus respondere contrarium, nullã illi asserendo causam huius limitationis quam si illi non tenetur edicere, quando aliquem suspendit, vt de mente Sanctissimi Vrbani, *refert Barbosa ad hoc c. n. 50.* multo minus quando illum approbat limitatè quo ad tempus; ita quod finito tempore præfixo, potest Episcopus illum rexaminare, & si nolit amplius non potest prosequi neque licitè, neque validè hoc munus, cum careat approbatione, & iurisdictione, & de rexaminatione, ibidem Barbosa.

Quæres 4. An capitulum Sede vacante possit reuocare Confessarios, & rexaminare, sicut potest nouus Episcopus? Videtur enim quod sic, quia succedit in iurisditione Episcopi *cap. Si Episcopus 3. cap. Ecclesiæ 4. de suppl. negl. Prælat. in 6. cap. Va. de maior. in* 6. vnde sicut potest eos approbare, ita & reprobare, & rexaminare. *Ita affirmat Philibertus Marchinus de Bello diuino part. 5. cap. 4. n. 35.*

Respond. Non potest. Probatur. Tum quia ista reuocatio conceditur futuro Episcopo, in cuius locum 24 non succedit capitulum, sed in locum præmortui, ergo neque in reuocatione. Tum quia id conceditur pro tranquillitate, & quiete conscientiæ futuri Episcopi, quod signum est, hanc concessionem rexaminandi Confessarios Regulares non respicere sedem vt sic, sed personam de facto sedentem, in sede autem Episcopali non potest sedere capitulum, cum non habeat dignitatem Episcopalem, præter quamquod non esset capitulum sedis vacantis. Tum quia rexaminare est quid odiosum, & pertinens ad potestatem delegatam à Sede Apostolica respectu regularium, vt notum est cum regulares sint exempti ab Episcopo, & multo magis à capitulo; sed hoc non succedit Episcopo in iis, quæ illi competunt iure delegato, *vt ex Feder. de Senis consil. 30. Abbate in cap. Cum olim, de maior. & aliis allegatis docet. Quar. citatio Additionis*, & ratio est, quia iam non ageret vices Episcopi mortui, sed Papæ delegantis, *vt dixit Gemin. in cap. Va. de maior. in* 6. ergo non potest eos rexaminare, quod si finitum sit tempus, & capitulum nolit refirmare licentiam, videtur posse Regularis prosequi suum Officium virtute cuiusdam constitutionis,

de qua mox in sequenti ratione, in qua Papa prorogat iurisdictionem: sed hæc ratio est potius speculatiua, quam practicabilis. Nec obstat, quod capitulum possit examinare, & approbare sibi presentatum, quia cum id sit fauorabile, Religiosis voluntatie se supponit, ideo dixi non succedere in odiosis, vt probo q.23. Tum quia hoc colligitur ex Constitut. *Exigentibus* 7. Clem. V. apud Confectium pag. 18. pro Dominicanis, illis verbis *Concedimus, vt in huiusmodi casu*, (mortis nimirum Episcopi) *possitis vti tamdiu libere prædictalicentia*, (audiendi nempe confessiones secularium) *donec viduatis Ecclesiis prouisũ fuerit de pastore*, ca ponitur q.9. §. *Regula*. Neque hoc priuilegium fuit, sublatum per sacrum Concilium, quod solum decreuit, nullum Regularem posse audire confessiones secularium, nisi prius obtineat approbationem, nihil dicendo de nouo examine reuocando præteritas licentias, vt obseruauit *Bossius sect.3. de Iubilæo casu 1. num.47.* & ita cum eo tenent. *Mirand. tom.1. quæst.45. art.7. propè finem conclus. Diana resol.27. de dub. regul. §. Notandum*, vbi citat. *Fagundez præcepto 1. lib.7. cap.2. num.28.* Ex supradictis patet ad rationes dubitandi.

Quæres 5. In quo consistat hæc approbatio, de qua Sacrum Concilium, an sit quid distinctum à iurisdictione, & à quo iurisdictio conferatur?

25 Respond. In Sacerdote quouis præter approbationem obtentam ad valide absoluendum, requiritur etiam potestas duplex, ordinis nimirum, & iurisdictionis, quæ tria inter se vti diuersa distinguuntur, ita vt sine approbatione obtenta non possit acquiri potestas iurisdictionis, quæ immediatè subsequitur ad illam à Papa concessam Regularibus, ab Episcopo autem approbante presbyteris secularibus. Singulæ partes distinctæ probantur.

26 Prima pars, approbatio obtenta est de valore absolutionis, præcedens potestatem iurisdictionis, probatur authoritate Sacri Concilij *in dicto cap.15. sess.23.* vbi nullus potest audire confessiones, nisi prius obtineat approbationem, & ita tenent *Coriol. part. 1. sect.1. art.20. Piasecius in praxi Episc. part.2. cap.1. num.6. præcisè pro regularibus refert Graff. part.1. lib.3. cap.6. num.109. Piasecium cit. num.10. Mirandam q.45. art.8. in fine, & alios; licet sint graduati, & Doctores, Mirand. art.9. Compend. resol.31. num.9. alij citati à Barbosa num.16.* & probatur initio huius resolutionis.

27 Secunda pars, præterea ad valorem absolutionis requiritur potestas ordinis, & iurisdictionis, probatur, de potestate quidem ordinis, definitum de fide in pluribus Conciliis, præsertim Tridentino *sess.14. cap.6. can.3.9. & 10.* de potestate verò iurisdictionis, ex eodem Trident. *cap 7.* illis verbis. *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Ratio est, quia vt omnis actus iudicialis recoat, debet fieri ab habente iurisdictionem in personam iudicatam, *Reg.26. in 6. & c.4. de iudic.* Sed absolutio est, actus iudicialis ex Trident. *cap.5. & 6. & cap.9.* ergo absoluens non debet carere iurisdictione. Ita omnes cum Fabro *disputatione 25. numero primo, & dixi resolut. 34. quæstione 3. §. Colligitur, benè & breuiter Confect. titulo 17. cap.3.*

28 Tertia pars, potestas ordinis, & iurisdictionis inter se distinguuntur, probatur, quia vna potest esse sine altera, nam non Sacerdos effectus Papa, vel Parochus ipso iure habet potestatem iurisdictionis, caret verò potestate ordinis, cum non sit Sacerdos; item è contra Sacerdos existens, & nondum approbatus ad confessiones audiendas caret iurisdictione, ergo distinguuntur inter se, & consequenter potestas iurisdictionis non confertur in ipsa ordinatione, sed subsequitur approbationem, vt docent communiter *Theologi cum D.Th. 2. 2. quæst.39. art.3. Scoto in 4. dist.19. quæst.1. art.3. & 4.* & ex eis *Faber dispu.25. cap.3. à num.34.* Quare non sunt audiendi plerique Doctores mox citandi, qui dicunt hanc iurisdictionem conferri in ipsa ordinatione, ac proinde non distingui à potestate ordinis, si spectetur prout est iurisdictio habitualis, & inchoatiua, quæ non potest exire in actum, & in vsum, nisi dependenter ab approbatione Ecclesiæ, per quam completur in esse exercitij, ratione cuius approbationis, & vsus postea distinguitur à te ipsa prout est potestas ordinis, sed de hac te satis dixi etiam *resol.34. quæst.3. §. Colligitur.* Hanc distinctionem potestatis in habitualem, & actualem diuersimodè explicant pro se *Caiet. tom.1. opusc. tract.7. Nau.cap.4. num.4. & tom.3. in cap. Placuit. Major, Alensis, Ricard. & alij*, quorum dicta pleuè reijcit *Faber disp.25. num.41. & sequent.* 29

Quarta pars, potestas iurisdictionis nunquam acquiritur nisi post obtentam approbationem, probatur, *ex illo cap.15. Trident.* vbi tres assignantur modi, quo quis potest reputari, & iudicari, idoneus ad audiendas confessiones secularium. I. per Parochiale beneficium obtentum. II. per examen. III. per externam actionem, qua testificetur de idoneitate Sacerdotis; vt quia in alio Episcopatu fuit approbatus; vel quia ab Episcopo cognoscitur idoneus; vel de hoc ab aliquo fide digno habet testimonium; vel quia est doctor peritus, lector casuum, &c. Posito igitur iudicio per vnum ex illis tribus modis, remanet, quod Episcopus det illi approbationem, vt obseruauit *Megal. cap.9. num.9.* & deducitur sufficienter, immo aperte ex illis Concilij verbis. *Idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Non enim sufficit iudicium, quo reputatur idoneus, quia cum sit actus intellectus ad ipsum non spectat dare licentiam, seu approbationem, sed hoc munus est voluntatis, cuius actus præcisè supponitur ab intellectu regulatus, cum voluntas non feratur nisi in præcognitum, ita quod illa clausula, *Et approbationem obtineat*, refertur ad actum voluntatis, qua mediante, posito rationis iudicio signato illis verbis, *Idoneus iudicetur*, Episcopus approbat, & dat licentiam audiendi confessiones. Vnde non placet, quod Doctores communiter dicunt, approbationem, definientes, esse iudicium, quo Episcopus externè declarat Sacerdotem esse idoneum ministrum huius Sacramenti, vt Megal. *lib.1. cap.15. num.1.* cum aliis, quos pro se citat Bossius *sect.3. de Iubilæo casu 2. num.1.* quia in Concilio distinguitur iudicium ab approbatione, interponit enim copulam, *Et*, quæ ex sua natura coniungit diuersa inter se, vt idem *Megal. animaduertis cap.9. num.9.* & *Bonac. quæst.7. de pænit. p.4. §.I. num.31.* vtrumque distinguit, & ait non sufficere iudicium, sed præterea requiri approbationem, & meritò. Tum ob impositam copulatiuam, quæ iungit diuersa, *Gloss. ver. Vel electio, extr. Ioan. XXII. de elect. per l. Ea tamen adiectio, ff. de leg.3.* & requirit vtriusque existentiam, vt dispositio operetur suum effectum, *l. Si heredi plures, ff. de condit. instit. Megal. consil.5. num.5.* Tum quia iudicium est actus intellectus declarans, Sacerdotem examinatum, esse idoneum ad hoc munus; approbatio autem est ipsamet licentia ministrandi Sacramentum, actus voluntatis regulatus ab illo iudicio. Tum quia dicitur, quod gratis detur, dare autem est actus voluntatis non intellectus. Demum approbare idem est, quod consentire, contentus esse, licentiare, qui sunt actus voluntatis; ex his ergo concluditur non benè definiri approbationem esse iudicium declaratiuum idoneitatis Sacerdotis ad audiendum confessiones.

Quinta, approbatio hæc est distincta non solò à iudicio, vt mox probatũ fuit, sed etiã à potestate iurisdictionis, probatur, quia approbatio est prævia dispositio ad acquirendã iurisdictionem, inquit, *Faber disp.30. n.22.* & cõditio, sine qua non cõfertur, *n.38.* ergo non est ipsamet iurisdictio, cũ ad hãc supponatur. Ita *Bec. c.38. q.11. n.3.* vbi dicit Parochos habere approbationẽ pro tota Diœcesi, non autẽ iurisdictionẽ ordinariã, nisi pro sua Parochia, vnde alias præter suas oues audire nõ potest, nisi habeat etiam delegatam, aut nisi accedens habeat facultatem 30

eligendi

eligendi vnum ex approbatis, vt dicit etiam *Suar. de pænit. disput.28. sect.4. num.22. & ex eo Bossius, qui sect.3. casu 2. num.5.* alios plures refert, *& Faber cit. num.38.*

31 Sexta pars, statim ac quis habet approbationem, subintelligitur etiam habere iurisdictionem, probatur, quia videretur inutilis facultas audiendi confessiones, si simul cum approbatione Sacerdos non reciperet iurisdictionem, & esset implicantia in terminis, quod ego possem actu ministrare hoc Sacramentum virtute facultatis, & approbationis concessæ, & non possem defectu iurisdictionis. Dicunt ergo Doctores, quos citat *Bossius sect.3. casu 2. num.5.* quod Episcopus concedendo approbationem regulariter etiam dat iurisdictionem; stare tamen potest quod concedat solum approbationem, non autem iurisdictionem, & in eo casu approbatus posset audire solum eos, qui habent priuilegium eligendi Confessarium, in hoc enim casu Sacerdos approbatus, & electus recipit iurisdictionem à Superiore eligentis. Non displicet casus potius specularius, quam practicandus a Prælatis; Reuera enim iurisdictio videtur sequi ex approbatione quasi necessariò, sicut quilibet effectus ex positione conditionis suæ, vt patet non solum in naturalibus, siquidem posita conditione in esse, statim pullulat, quod ab ea pendebat, vt docent omnes *in Rubr. & Tit. de condit.* Et in Regularibus Sacerdotibus approbatis non potest habere locum hæc separatio, quia posita approbatione statim Sacerdos dicitur acquirere iurisdictionẽ immediatè à iure communi, seu à Summo Pontifico, vt probo infra *§. Septima*; neque enim Episcopus potest hanc iurisdictionem separare ab approbatione, cum ab illo non pendeat. Faciant infenius *dicta quæst.24. §. Reycitur rat &.*

32 Septima pars, Regulares approbati ab Episcopo, statim necessariò acquirunt immediatè à Sede Apostolica potestatem iurisdictionis, probatur, quia confessarij Regulares habent ampliorem iurisdictionem, quam habeant sacerdotes seculares, nam illi possunt audire, & absoluere quoscumque non solum de Diœcesi, sed etiam forenses totius mundi sibi confiteri volentes, vt concesserunt Summi Pontifices citandi, seculares verò solum de Diœcesi, & tamen vtrique sunt approbati ab eodem Episcopo, ergo signum est, quod iurisdictio Regularium non pendet ab Episcopo, sed à Papa, secularium verò ab Episcopo, qui confessarios seculares approbando dat iurisdictionem tantum pro ouibus suæ Diœcesis, & non pro forensibus, cum super illas nullum ius habeat, neque fas illi sit mittere falcem in segetem alienam, & alligare fasciculos ab aliis collectos. Pontifices autem maximi regularibus concedentes facultatem audiendi quoscumque illis confiteri volentes sunt diuersi, & primo se offert Clemen. Dudum, *de sepult. Concilium Lateran.* ex constitut. *Dum intra, §. Nec non*, Dat.19. Decembr. 1516. in Bull. nouo 22. *relata à Quaranta ver. Priuilegia Regular. extrauag. comm. Vas electionis, de hæret.* vt refert *Beccan. capit.36. de Sacram. quæst.9. num.1. pro Minorib. de Obseru. constitut. Ex clementi sedis*, Dat.1. Iul.1555. prope finem Paulus IV. apud Confect. pag.190. in Bullario nouo prima, Pro Dominicanis habes Sixti IV. constit. *Sedis Apostolica*, Dat.9 Iun.1477. apud Confect. pag 79. Nostris ex Tertio Ordine Italis concessit Sixtus IV. constitut. *Sedes Apostolica* Dat 29. Nouemb. 1471. in Compend. nostrorum priuileg. pag. 47. illis verbis. *Nec non ipsis Fratribus dictæ Congregationis in sacerdotio constitutis, quod omnes, & singulas vtriusque sexus personas ad eos pro confessione, & pœnitentia accedentes audire & absoluere, exceptis casibus Episcopalibus, & pœnitentiam salutarem iniungere possint, facultatem dicta authoritate elargimur, iure tamen Parochialis Ecclesiæ cuiuslibet in omnibus semper saluo.* Ex quibus verbis apertè habetur hanc authoritatem iurisdictionis nostros habere immediatè à Sede Apostolica respectu quarumcumque personarum vtriusque sexus, ergo non solum eiusdem Diœcesim, sed etiam forensium. Ita tenent de hac immediata concessione *Rodriq quæst.59. artic.1. ad finem, cum sua Compend. resolut.32. num.2. Graff. lib 2. App. capit.5. num.15. Beia part.4. casu 20. §. Non, Henriq. Coninc. Suarez Vasquez & ferè omnes apud Bossium sect.3. casu 2. num.7. Faber disput.25. num.98. & disput.30. num.38. benè Confect. titul.17. capit.4. & 5. §. Septima*, quamuis Bartola falsò pro se citet *Confect. in resp. ad argum.1. sui consil.1. post Flores inquisit.* vbi sustinet Regulares hanc iurisdictionem immediatè habere ab Episcopo, & pro se falsò citat etiam *Gutier. Bonac. Rodriq.* eius ratio est *in respons.4.* quia asserit approbationem importare concessionem iurisdictionis, pro se citando *Suar. & Gutier.* sed ea prædictis constat: *§. Quinta*, approbationem importare concessionem iurisdictione, vt expresè tenet etiam Suar. à me ibidem citatus. *Vide resol.6. quæst.3.*

Nec prædictis obstant resoluta *quæst.3.* de limitatione quo ad personas, & locum, & quod Sacra Congregatio super hoc respondit regulares admittendos esse in Diœcesi propria Episcopi approbantis, vt refert *Confect. tit.17. cap.4. in fine*, quia habent locum quo ad personas subditas Episcopo approbanti, & quo ad loca propriæ Diœcesi, & nullo modo de forensibus, circa quos Episcopi nullum ius habent, ideo sicut non possunt restringere iurisdictionem respectu forensium, sed solum respectu subditorum Episcopi approbantis, ita neque possunt limitare approbationem respectu eorumdem forensium, qui in hoc casu se habent tanquam eligentes confessarium virtute Bullæ Pontificiæ, qui eligunt etiam illum, qui solam approbationem habet sine iurisdictione approbantis, vt dixi *§. Quinta, §. Sexta, in sententia quorumdam.*

Octaua pars, sacerdotes seculares iurisdictionem habent ab Episcopo suo approbante, probatur, Tum quia illi immediatè subduntur, & non Papæ, ergo nulla ratio suadet, quod aliunde habeant. Tum id suadet differentia inter Regulares, qui immediatè subduntur Papæ, & seculares, qui immediatè sunt subiecti suo ordinario. 33

Quæres 6. An confessarius Regularis habens facultatem ab ordinario ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ in Ecclesia, vel Ecclesiis sui ordinis, validè absoluat si illud ministret in aliena Ecclesia, vel ægrotis etiam in domibus suis? Solent enim Episcopi diuersimode concedere facultates, nam Mediolani sic concedunt. *Facultatem tibi facimus in Ecclesiis sui Ordinis, atque etiam grauiter ægrotantibus, &c.* & hæc est communior, & vsitatior forma. Laudæ addunt. *Ac aliis Ecclesiis de ipsorum rectorum consensu.* In aliis locis, vt Parmæ, non designatur Ecclesia, vbi confessiones sunt audiendæ.

Respond. Siue locus designetur, siue non data absolutio in alia Ecclesia, vel loco non designato tenet, probatur, Tum quia iurisdictio voluntaria in quolibet loco expediri potest *l. 2. de off. pro cons. Nau. cons.14. de eland. despons. num.3. Bartol. in l. Vn. ff. de confess. num.6. per text. in l. Nec quidquam, §. De plano ff. de off. pro cons. ex Megal. part. prima libro primo capitulo septimo numero 25. ad finem*, quod procedit siue sit ordinaria, siue delegata, vt communiter omnes cum *Sanch. libro tertio disput. 19. numero octauo & disp.34. numero 1. §. Cæterum*, quia quod iurisdictio voluntaria extra locum designatum exerceri possit, non prouenit, quia sit ordinaria, vel delegata, sed quia per eius exercitium nulli fit iniuria, quod cum habeat locum vtraque iurisdictione, idcirco vtraque indifferenter extra locum designatum exerceri potest; sed iurisdictio delegata confessariorum etiam Regularium est voluntaria, vt de se patet, cum sine vllo strepitu fiat, sed secretò in foro animæ, ergo exerceri potest vbique, 34

Tum quia ratio dubitandi videtur esse in designatione propriæ Ecclesiæ, quasi per illam restringatur, & limitetur approbatio, & subsequenter iurisdictio intra locum designatum, iuxta *dicta quæst. 3. & quæst. 5. §. Nec prædictis*, sed limitatio hæc non apponitur ad auferendam iurisdictionem extra illum locum præcisè designatum, sed ad euitandas dissensiones, & rixas inter Confessarios, & Parochos; vnde nec obstat responsio Sacræ Congregationis, quod Episcopus possit restringere, seu dictos Confessarios minus idoneos admittere, & approbare cum limitata facultate temporis, loci, & personarum, quia quod ad restrictionem loci, procedit limitatio non ad auferendam potestatem, sed ad benè esse, & licitam administrationem, ne perturbetur Parochorum, & aliorum iurisdictio, quæ ratio non militat in restrictione temporis, & personarum, & ideo in his duobus casibus restringitur approbatio, & subsequenter iurisdictio vlterius non se extendit neque ad licitè, neque ad valide absoluendum; deinde tempus, & persona restringitur confessario propter eius insufficientiam, vt habeat occasionem addiscendi, quæ respectu loci accidere non possunt, quod tanquam quid materiale solum perturbare potest iurisdictionem Parochorum, & discordias generare, quæ sunt extrinseca ad validè absoluendum, non ita insufficientia Sacerdotis, & qualitas personæ, quæ respiciunt immediatè habilitatem, & conditionem personæ in ordine ad iurisdictionem: Præterea restrictio loci ita interpretatur, vt non sit ablatiua facultatis validè, sed tantum licitè absoluendi, dat enim modum & ordinem absoluendi, non autem tollendi iurisdictionem. Tum quia designatio Ecclesiæ, sicut & consensus Parochi petendus à Confessario volenti ministrare hoc Sacramentum in eius Ecclesia, non indicant conditionem, sed modum, quo non seruato, tenet gestum, vt docent *communiter Doctores cum Sanchez lib. 3. disput. 33. §. Tandem*, differentiam ponentes inter modum, & conditionem, quod hac non seruata nihil fit, aliquid vero prætermisso modo, quia hic ordinem in agendo designat secundum esse licitum, conditio autem designat valorem rei à se pendentem. Ita docet *Bonac. quæstione 7. de pænit. p. 4. §. 1. num.* 18. de licentia facta ministrandi hoc Sacramentum etiam in alienis Ecclesiis de consensu Parochorum, quia casus ablatiuus non semper importat conditionem, sed quandoque modum faciendi aliquid licitè, vt docet *Sanch. lib. 3. disputat. 5. num. 2. & 4.* Tum demum, quia expressio loci, & Ecclesiæ, in qua hoc Sacramentum tractandum est de iure inest, & solum admonitio est vt hoc Sacramentum honestè, & sanctè tractetur; sed expressio eius, quod de iure inest, nihil prorsus operatur, *cap. significasti, de elect. l. 3. ff. de legat. 1. l. Conditiones, ff. de cond. & demonstr. Sanch. lib. 5. disp. 33. num. 3.* ergo expressio Ecclesiæ, seu consensus rectoris nihil operantur, consequenter non minuunt approbationem, neque iurisdictionem.

35 Nota autem, quod admissus pro Diœcesi non censetur approbatus pro ciuitate, ac proinde inualidè absoluit vrbanos; non quia restrictio loci auferat iurisdictionem, sed quia cum maior scientia requiritur in Confessariis vrbis, quàm Diœcesis, vt docent omnes apud *Bonac. quæst. 7. de pænit. p. 4. §. 2. num. 8. Nau. cap. 4. num. 10. & 11.* & vbi de scientia Confessarij, hinc est, quod restrictio hæc respicit magis qualitatem pœnitentis, & insufficientiam Confessarij, consequenter est potius limitatio personarum, quam loci, sic intellige, quod dixi supra *q. 5. & q. 2. §. Dicitur*,

Quæres 7. An Regulares admissi ab Episcopis pro audiendis confessionibus secularium in suis Ecclesiis, possint illos vbique etiam extra Diœcesim Episcopi approbantis audire, & absoluere?

36 Respond. Possunt. Probatur, Tum quia hæc iurisdictio Sacramentalis respicit præcisè pœnitentes subiectos Episcopo approbanti. Tum quia iurisdictio voluntaria exercenda solum in foro animæ in omni loco exerceri potest, vt probaui ratione prima *praeced. quæst.* Tum quia Regulares parem cum Parochis iurisdictionem habent, per Clem. *Dudum*, immo maiorem si respiciamus pœnitentes vndequaque venientes etiam non subditos Episcopo, vt dixi *quæst. 5. §. Septima*, sed Parochi vbique etiam extra Diœcesim suas oues absoluere possunt, vt tenent communiter Doctores cum Florono *cap. 3. num. 26. Barbosa ad hoc cap. num. 20.* vbi omnes refert, *Sanch. lib. 3. disput. 34. §. Eandem. Megal. cap. 7. num. 25. Bossius sect. 3. casu 2. num. 195.* vbi quam plures refert. Et ita tenent fere omnes locis citatis *cum Megal. cap 9 num. 12. Bossio cit. num. 202. Diana resolut. 144. de Sacram. Beia part. 4. casu 20. §. Colliges Peregrin. in suo Compend. ver. Absolutio quo ad Secul. in Scholio Rodriq. quæst. 60. art. 3. & 7. cum suo compend. reso. 32. num. 14. Mirand quæst. 45. artic. 14. conclus. 3.* & hoc inquiunt, non de iure, sed priuilegio, quod est oraculum Sixti IV. sed cum omnia oracula nunc sublata sunt, euanescit illorum dictum, non meum, qui responsionem firmo in ratione: nec obstat, quod in Clem. *Dudum*, dicatur, vt non exerceant hoc munus extra ciuitates, & Diœceses, in quibus fuerint deputati: nec Sacra Congregatio dum dicit, quod Regularis admittantur pro Diœcesi propria, vt refert *Confess. tit. 17. cap. 4. in fine*, vt eius verba retuli *quæst. 3.* quia solum indicant Confessarium regularem ex vi approbationis factæ ab vno Episcopo, non posse hoc ministerium exercere in alio Episcopatu circa illius subditos, vt obseruat *Diana cit. resolut. 1. q. de Sacram. §. Nec obstant, & de se hoc clarum est qui resol. 123. §. Nota, de dub. regul.* infert non obstare Constit. Vrbani VIII. a me citatam infra *q. 15. in fine, §. Secundum*.

Quæres 8. An Confessarius Regularis approbatus in vna Diœcesi, si discedat inde, & postea reuertatur post vnum, aut alterum annum, debeat se præsentare iterum pro noua licentia, an possit prosequi confessiones, sicut si non discessisset?

Respond. Si adhuc durat illa prior approbatio, sine
dubio potest prosequi suum munus sine noua præsenta- 37
tione, aut examine, seu licentia, licet etiam mutatus sit Episcopus approbans, vel mortuus, ratio vnica est, quia mutatione domicilij non perdit approbationem, neque iurisdictionem, siquidem approbatio hæc, & iurisdictio cum respiciant forum animæ, loci mutatio se habet impertinenter ad conseruationem huius facultatis, quæ secundum totum suum existere pendet à voluntate approbantis, quæ in casu nostro non supponitur mutata, sed adhuc perseuerare. Neque obstat, aut quod non exercuerit suum munus; aut quia dicitur Officialem exeuntem prouincia remanere priuatum sua dignitate, & iurisdictione, *Gloss. fin. in fine, capit. Nouit. ille 7. de off. legat. & Gloss. Additio, capit. Si Abbatem 36. de elect. in 6. ex Archid. per l. 3. ff. de offic. præsid.* Primum, inquam, non obstat, quia negatiuus vsus non tollit approbationem, sicut neque priuilegium, eo quod occasio non se obtulerit, vel fuerit impeditus ratione mutationis loci: neque secundum, quia procedit pro foro externo, & iurisdictione contentiosa, seu etiam pro voluntaria, sed cum cognitione causæ, officialis enim extra suam prouinciam nihil officij exercere potest pro foro externo, vt ex locis citatis colligitur. Ita tenent *Rodriq. quæst. 59. art. 5. §. Nec his, Cruz lib. 2. cap. 6. dub. 4. conclus. 2.* isti, quorum libri sunt pleni oraculis, & priuilegiis, quibus omnia probant, vnde & facile euanescunt, de hac re rationem non afferunt, ideo hisce temporibus eorum dicta non sustinentur quod ad hæc oracula, quæ sunt *Eugen. IV. §. 3. & Clem. VIII. §. 16. in Compend. Priuileg. ver. Absolutio quo ad Secul. primo*, quia sunt sublata per Summos Pontifices Gregor. XV. & Vrbanum VIII. nunc fœliciter regnantem, de quibus dixi *resolut. 31.* Tenent de iure
[illegible] rationis

rationis *Bonacin. quæst 7. de pænit. punct. 4. §. 1. numero. 16. §. Qui etiam, Bossius alis citatis sect. 3. casu 2. num. 46. & aliquid num. 231. Barbosa ad hoc cap. numero 44.*

Quæres 9. An licentia audiendi confessiones extinguatur morte Episcopi approbantis?

38 Respond. Extinguitur quando licentia limitata fuit vsque ad mortem Episcopi, durat verò etiam post eius mortem, vel amotionem ab officio, quando tempus non fuit limitatum, & restrictum vsque ad eius mortem.

Tempus autem censetur limitatum ad mortem, quando approbario concessa fuit sub his verbis. *Donec vixero: Ad beneplacitum nostrum: Donec voluere; Dum fuerit nostra voluntas: Ad arbitrium nostrum: Dum nobis placuerit:* &c. Licentia igitur concessa his, & similibus verbis denotantibus viuam voluntatem approbatoris, extinguitur cum eius morte, quia cum pendeat à voluntate concedentis, quæ simul cum ipso spirat, necessario debet etiam extingui licentia, quæ ab ea perenniter pendet in esse, & hoc expresse dicitur *capit. Si gratiose 5. de rescr. in 6.* nam ibi beneplacitum dicitur expirare morte concedentis, & hoc communiter docent *cum Angel. conf. 217. Socin. vol. 1. consil. 89. num. 36. quos & alios citat Graff. tom. 2. conf. & diffic. 1. de pænit. num. 7. vbi nostram responsionem firmat, & Sanchez lib. 8. disp. 28. num. 50.* dicens gratiam ad beneplacitum concessam, siue sit odiosa, & ambitiosa, siue fauorabilis delegatio, cessare morte concedentis, licet nonnulli teneant oppositum, hanc sententiam nostram præter Graff. tenent ex Bossio *sect. 3. casu 2. num. 10. Henr. Campan. Suar.* & omnes illi qui asserunt, gratiam fauorabilem ad beneplacitum concessam expirare morte concedentis, quos citat, & sequitur *Sanchez cit. num. 50.* Respectu regularium, beneplacitum videtur durare etiam post mortem Episcopi, vt expresse id dicitur in extr. com. Inter cunctas de priuil. quæ quo ad hoc non est reuocata, vt in Summario eius, sed argumentum valet, vt in simili docet *Glos. in c. 4. de hæretic. & confirmatur ex Bulla Clem. IV. quam retuli supra q. 4. Vide Doctores apud. Bossium sect. 3. casu 2. n. 20.* Respectu etiam secularium puto probabile *resolutione. 70.*

Tempus censetur durare etiam post mortem si concedatur his verbis, *Donec reuocauero: Aliud ordinauero: Abrogauero*, & similibus denotantibus actum contrarium priori voluntati, in bis licentia durat post mortem concedentis, donec à successore reuocetur. Tum quia concedens præsumitur post mortem perseuerare in eadem voluntate, in qua erat, quando decessit, argumento cap. Maiores, de baptism. Tum quia morte non reuocatur prior voluntas, quæ erat reuocanda per contrariam voluntatem, *cap. Si delegatus, de off. deleg. in 6. Bart. in l. More maiorum, ff. de iurisdi. omn. iud.* & dicitur communis opinio *apud Alex. in l. Centesimis §. fin. ff. de verb. obligat. Innoc. in cap. Licet vndique de off. deleg. Dec. cons. 108. num. 4. & ex ei Graff. tom. 2. con. & diff. 1. de pænit. num. 6. ad nostrum propositum.*

Licentia durat etiam post mortem approbantis, si data fuit his verbis. *Ad beneplacitum Papæ, Episcopi, Sedis, Episcopatus.* Huiusmodi enim verba referuntur ad Sedem, & dignitatem; quæ perpetua est, & semper durat, vt expresse dicitur *capit. Si gratiose 1. de rescr. in 6.* ita quod sicut Sedes nunquam moritur, ita neque hæc licentia expirat, nisi successor illam reuocet.

De his tribus modis concedendi licentias audiendi confessiones, qui referentur ad tempus, agit *Graff. tom. 2. conf. & diff. 1. de pænit. & fusius Sanch. lib. 8. disp. 28. q. 3.* de primo modo ad beneplacitum proprium *num. 50.* de secundo ad actum voluntatis contrarium *num. 52.* de tertio ad beneplacitum Sedis *n. 59.*

39 Regula ergo datur, quod licentia durat post mortem, quando data fuit simpliciter absque limitatione temporis, qualis censetur concessa nullum explicando tempus, aut si expressum fuit, concedens non restrinxit approbationem vsque ad suam mortem, vt patet ex secundo, & tertio modo, vel si concessa fuit per annum, adhuc durat, si infra illum moriatur concedens. His enim modis approbatio concessa est gratia facta, quæ morte concedentis non expirat etiam re integra idest licet habens de recenti licentiam, nondum incæperit audire, *cap. Si cui, de prebend. in 6. Sanch. cit. num. 64. qui num. 27.* in terminis de licentia audiendi confessiones regularibus concessa pro se refert *Card. Clem. Dudum ver. Ac deinde num. 2. not 5. & ibi Bonifac. Nau. tom. 3. in cap. Placuit num. 163. sequitur Bonac. p. 8. §. 1. num. 24. Faber. disp. 25. num. 100. Peregr. in suo Compend. §. 2. Absolutio quo ad Seculares, in scholio, Rodr. tom. 1. q. 50. in fine art. 6. referens priuilegium Clem. IV. de quo dixi q. 4.* quod indulget, Regulares Confessarios posse prosequi munus audiendæ confessionia post mortem Episcopi, donec prouideatur de pastore viduatis Ecclesiis.

Solint aliquando Ordinarij concedere approbationem sub hac forma. *Ad nostrum, & curiæ Episcopalis* 40
beneplacitum aut per disiunctiuam, *vel, seu*, dubitatur, an mortuo approbâte, extinguatur licentia? *Graff. proponens casum to. 2. conf. & diff. 1. respondet num. 14.* Non expirare concessam per copulatiuam, *&*, quia est de materia, quæ solet transire in successorem, & adhæret *Sanch. lib. 8. disput. 28. num. 60.* extingui verò datam per disiunctiuam, *vel, Seu*, quia in alternatiuis sufficit alteram esse impletam, Reg. 70. in 6. Ego autem dico etiam in disiunctiua durare post mortem. Tum quia hæc facultas censetur concessa magis titulo dignitatis, quàm personæ, causa enim fortior attenditur argum. l. Qui habet, de tutell. & accidentalis postponitur naturali, *Sanchez libro 3. disputatione 23. num. 6.* Sed dignitas est causa fortior, & naturalis huius licentiæ, & persona est inferior causa, & accidentalis imò habens iurisdictionem respectiuè ad dignitatem, ergo magis attendenda est virtus dignitatis, quàm personæ. Tum quia licet causa, quæ nocet inspicienda sit, non quæ prodest, vt docent *l. Si quis in graui §. fin. ff. ad Sillam. l. 3. ff. de suspect. tut. Felin. in cap. 1. de re iud. col. 5. in 2. limitat.* hoc tamen procedit, quando causæ sunt æquales, & agitur de re odiosa, non autem, quando agitur de re fauorabili, & causa, quæ prodesse potest, est potior, *vt docet Brunor. à Sole in locis commub. ver. Causa 14. & ex illo Barbosa litera C. numero decimo octauo, per text. in leg. 3. §. Si quis palam, ff. de iure fisci*; sed in casu nostro agitur de re fauorabili nulli præiudicatiua, & potior causa est dignitas, quàm persona, quæ à dignitate pendet in causando; ergo licentia hæc à dignitate recipit esse, non à persona dignificata. Tum quia sicut habens duas potestates in dubio censetur procedere per eam, quæ efficacior est, & per quam firmatur actus, *vt ex Felino docet Nauarr. consilio quarto, de off. deleg. numero tertio, & tomo secundo, de redit. quæstione tertia, mon. 7. numero tertio*, ita & in casu nostro hæc approbatio censetur concessa potius per potestatem dignitatis, quàm personæ dignificatæ. Tum quia iurisdictio voluntaria fauorabilis, & nulli odiosa prorogari potest quo ad locum ex probatis quæstione sexta, & septima, ergo & quo ad tempus. Tum quia illa regula alternatiuarum, in qua fundatur Graff. non facit ad rem, cum in ea sermo sit de debitorum respectu duarum rerum, quarum vnam tradendo, dicitur adimpleuisse debitum suum? modo Confessarius est tantum vnius iurisdictionis debitor, ergo non cadit regula illa. Quare disiunctiua vel resoluitur in capulatiuam iuxta priorem casum, vel in declaratiuam, & sumitur pro, *idest, leg. Si quis ff. de auro, & argent. legat Bonac de claus. quæstione 2. p. 3. numero. 14.* seu sumitur ampliatiuè, & pro etiam, hoc est non tantum ad beneplacitum proprium, sed etiam Sedis.

Quæres 10. Bello inter Gallos, & Hispanos agente, in quo principalis scopus militum fuit maxima plebium vtrinque depopulatio, interclusis ideo viis ex vtraque parte, quidam Religiosus ab Episcopo iam de eius idoneitate certificato, ad confessiones Secularium approbatus fuit sub ea conditione, vt iisdem reclusis, se præsentaret pro examine; interim antequam aperirentur, imò & nunc interdictæ obtinuit licentiam publica fide transeundi pro suis negotiis ad loca aduersæ partis, & poterat adire Episcopum pro examine, & noluit, sed reddit ad proprium Conuentum, fisus ea ratione, quia licentia, quam obtinuerat, durabat, donec passus aperirentur, qui per suum transitum non fuerunt aperti, & ideo putat se licitè, & validè posse prosequi suum munus. De quo, inquam, quæres, an res ita se habeat?

41 Resp. Adhuc durat eius approbatio, non obstante, quod à Principe habuerit gratiam transitus, quia illa conditio loquitur non de transitu priuato, sed de publica apertione viarum nondum indicta.

Quæres 11. An Religiosus inscio, vel contradicente suo Superiore, qui ab Episcopo obtinuit approbationem audiendi confessiones Secularium, validè absoluat quoscumque pœnitentes ad se accedentes? Vide quæ dixi *resol. 9. q. 9.* & concorda cum sequentibus.

42 Respond. Negatiuè, Tum quia ad validè absoluendum necessaria est iurisdictio ordinaria, aut delegata, ex communi Doctorum cum Trident. *sess. 14. capitulo 7.* obtinens autem approbationem sine licentia sui Superioris dictam iurisdictionem non consequitur, quia illi communicari non potest, nisi dependenter à suo Superiore, cui non censetur consentire, eo ipso quod contradicit aut ignorat, & cum voluisse nemo dicatur id, quod ignorat, & consentire non dicatur ignorans, *leg. Si per errorem ff. de iurisdict. omn. iud. cauf.* 29. initio. Quod procedit siue iurisdictio immediatè delegetur ab approbante, siue à Papa, quia neque Episcopus, neque Papa præsumuntur voluisse concedere eam modo illicito, hoc est, contra voluntatem sui Superioris, cui Religiosus etiam in hoc subditur, vt docet Confect. titulo decimoseptimo, capitulo primo, initio, dum dicit Religiosos non habere velle, neque nolle ex vulgatis iuribus, neque proinde posse se præsentare, coram ordinariis pro audiendis confessionibus Secularium, sine licentia suorum Superiorum. Tum quia Episcopus sine licentia sui Superioris non potest eum approbare, quod est actus iurisdictionis, quem Episcopus facere non potest in Religiosum, nisi fiat ei subditus per præsentationem sui Superioris. Tum quia Episcopus alienum subditum in sui Confessarium eligere non potest, vt respondet Sacra Congregatio apud Nald. ver. Episcopus numero 5. ea Suare ergo multo minus approbare Religiosum pro secularibus, in suo Superiore, ad quem spectat subiicere illum Episcopo.

Confirmatur, tum quia Religiosi in vtendo suis priuilegiis, quale est hoc audiendi confessiones Secularium, omnino subiiciuntur, & dependent à suis Superioribus, vt docent omnes cum *Merand. tom. 1. quæst. 43. art. 4. Diana resol. 87. de regul.* ergo frustra illis vtuntur. Tum quia ad præsentandum se Episcopis pro hoc munus obeundo in vnaquaque Religione sine dubio requiritur licentia Superioris, quod fundatur in Clem. *Dudum, de sepult.* cui inhærendo omnes Religiones statutum habent, ne quis se præsentet sine licentia Prælati Regularis, sed factum sine requisita licentia est nullius momenti. *Auth. Licentia C. de Episc. & cleric. l. Si quis mihi §. Iussum ff. de acquir. hered. Tiraq. post leges connub. glos. 6. num. 7.* Tum quia sicut in materia huius Sacramenti quo ad passiuam administrationem in omnibus Regulares subiiciuntur suis superioribus, vt iuris est, & postremo mandauit expressius Clem. VIII. suo decreto incipit. Romani Pontificis. Dat. 13. Nouembr. 1599. apud Quar. ver. Confessor, ità pari quod ad actiuam respectu secularium, quia non minus læditur ius superioris in hoc, quàm illo casu, vel saltem æqualiter læditur. Demum nullius momenti est approbatio facta ab Episcopo, vt quæ facta sit personæ incapaci ob defectum legitimæ præsentationis, consequenter locum habere non potest iurisdictio, quæ subsequitur solum legitimam approbationem. *Ita tenere videntur Silu. ver. Confessor 2. num. 2. §. Secundo, Angel. ver. eod. 3. num. 4. & 16. Portel expresse cum Rodriqu. tom. 1. qu. 60. art. 3. ver. Confessor Regularis n. 9. Bossius de Iubileo sect. 3. casu 2. num. 186. vbi citat præter Silu. Nauar. in cap. Placuit, de pœnit. num. 15 sed ibi nihil.*

Contrarium, quod scilicet non sint inualidæ datæ absolutiones tenent *Graff. part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 88. Zerola cap. 16. de pœnit. qu. 7. Homob. part. 2. Resp. 102. §. Dixi, Bariola ver. Regulares pag. 461. quos & multos alios citat Bossius cit. num. 185.* Probant, Et quia ex Clem. *Dudum de sepult.* vnde colligitur huiusmodi præsentatio, non habetur quod nullæ sint absolutiones datæ ab huiusmodi approbatis sine licentia suorum superiorum. Et quia Religiosi in multis habent velle, & nolle, *vt cum S. Thom. in re hac docet Nau. cap. 4. num. 6.* Et quia Episcopi non curant de huiusmodi licentiis, sed illis sufficit podesse suis ouibus. Sed hæ rationes nullius sunt momenti, nam prima excluditur, dicendo in Clem. & edictis singularum Religionum, si non expressè, saltem virtualiter contineri decretum irritans, hoc ipso, quod in eis requiritur expressè licentia superioris Regularis, qua omissa viciatur factum, ex probatis. Ad secundam negatur, in his Religiosum habere velle, & nolle, vt docent supràcitati. Demum allegata inconueniens non est soluere difficultatem, & falsum est, ordinarios non curare de huiusmodi licentiis, cùm expresse Episcopi regulariter petant, qua facultate se præsentent. 43

Multi autem ea prædictis tenentibus valere absolutiones *cum Miranda tom. 1. qu. 45. art. 12.* Bene concludunt, nullas esse absolutiones Religiosorum approbatorum ab Episcopo sine licentia suorum superiorum, vel illis contradicentibus, quando eorum religio habet Decretum expressè irritans huiusmodi confessiones; limitant, modò tale decretum sit confirmatum à Sede Apostolica; quod mihi non probatur, quia siue sit confirmatum, siue non, habet vim suam ex eo quod tale statutum factibile sit à Religione, neque sit contra ius commune, sed consentaneum obedientiæ, quam Religiosi suis superioribus reddere tenentur. 44

Imò in opinione horum, qui tenent validas esse absolutiones datas à dictis sic male præsentatis à se ipsis tantum, teneo, ad annullandas huiusmodi absolutiones, seu, vt proprius loquar, ad auferendam ab eis iurisdictionem, sufficere simplicem prohibitionem, etiam oretenus factam, coram testibus, pro foro externo, cum expressa intentione auferendi hoc spirituale munus, quia Religiosus in hoc casu velit nolit est subiectus suo superiori, qui habet legitimam causam inhabilitandi illum ad hoc munus. 45

Prædicta procedunt respectu cuiuscumque peccati etiam venialis, aut mortalis alias semel ritè remissi, quicquid dicat *Nau. cap. 4. n. 6.* quia ad hæc tollenda requiritur etiam potestas iurisdictionis, vt probaui infrà *num. 57.*

Præsentatus autem cum licentia superioris prædecessoris, qui iam suum finiuit Officium, successore non consulto, validè obtinet approbationem, quando in eius Religione non est præceptum, ant statutum petendi licentiam semper à superiore actuali, quia legitimè se præsentauit; cum antiqua licentia sibi facta à prædecessore adhuc duret, iuxta quod infra qu. 39. Verum quidem est, quod nouus superior potest agere contra illum, ne adepta approbatione vtatur, ob non petitam ab eo licentiam. 46

In mea Religione dare licentiam ad audiendum confessiones 47

fessiones secularium spectat ad Generalem, vel Prouincialem, aut illorum Vicarios ex cap. 55. Regulæ, *& ex const. Ea est Officij, in nostro Compend.Priuil.pag.87.& in Bull.nouo 63.constitut. Pij V.* Quare ea nun petita nullius est momenti præsentatio, & approbatio, ex supra probatis.

Quæres 12. An Regulares ab Episcopo approbati possint audire non solum subditos Episcopi approbantis, sed etiam aduenas, & forenses?

48 Respond. Etiam aduenas, & quoscumque forenses, vt ex priuilegiis Summorum Pontificum probaui *qu.5.§. Septima*, quia habent immediate iurisdictionem à Papa, ex probatis ibidem, quo est Episcopus omnium Catholicorum, consequenter Religiosus approbatus ab Episcopo habet facultatem non solùm super subditos Episcopi, sed etiam super omnes fideles ad se accedentes, & confitentes in Diœcesi Episcopi approbantis.

Quæres 13. An eorum facultas se extendat etiam ad Clericos, & Religiosos siue sui, seu alterius Ordinis?

49 Respond. Extenditur solum ad ad Clericos, nam in extr. Inter cunctas, de priuileg. vbi conceditur hoc priuilegium absoluendi quoscumque accedentes, excipiuntur Religiosi, & in constitut. *Dum intra*, Leon. X. in Concil. Later. habetur, quod possunt audire confessiones quorumcumque, forensium siue laicorum, siue clericorum, ergo excluduntur Religiosi. *Ita Silu. ver. Confessor 1.num.6. Armilla ver. Absolutio n.23.apud Mirand. tom.1.q.45.art.fin.concl.2.Compend resol.32.n.15.Bossius sect.3.casu 2.n.37.*

Quæres 14. An Religiosus apostata in habitu clericali incedens ab aliquo Episcopo approbatus putante illum esse verum clericum secularem, validè absoluat pœnitentes ad se accedentes?

50 Respond. Validæ sunt datæ absolutiones, non quia fuerit validè approbatus, & iurisdictionem obtinuerit, cum ex supra probatis quæst.11. constet approbatos sine licentia sui Superioris, non recipere iurisdictionem, sed ex errore communi totius populi, qui videndo illum sedere in Confessionali, putat esse verum confessarium, in quo casu, pia mater Ecclesia supplet defectum iurisdictionis, quæ illi deest, nam Ecclesia non est minus pia, neque prouida circa sollicitudinem suorum fidelium, quàm sit lex ciuilis, quæ non patitur suos subditos ab Officiali potestate casu carente decipi, sed eius gesta, vtilitatem subditorum respiciendo, decernit valida, & firma supplendo potestatem, quæ in suis ministris defuit. l. *Barbarius ff. de off. prætor.* De supplentia huius potestatis vide *Sanch. li.3.disp.22.Megal.part.1. lib.5. ca.19.num. 12.Bonac.qu 2. de matrim. p.8. num.14. Boss. sect.3. casu 2. num.143.* Qui cum aliis requirunt tria. I. titulum coloratum existentem actu in Officiali, dum exercet suum Officium, cum non sufficiat illum habuisse siue verum, siue fictum. II. errorem communem, quo ab omnibus quis putatur verus Officialis. III. quod illi nihil desit de iure naturæ, aut diuino requisitum. *Molfes.tom.1. tract.7.cap.13.num.21.Pontius de Matrim. cap.20.num.7.Sancius in select. disp.44. num.3. & cum eis Diana resol. 122 de Sacram.* aiunt sufficere errorem communem sine titulo, & benè quia iurisdictio, quæ ab Ecclesia suppletur non fundatur in l. Barbarius, sed in prouida pietate Ecclesiæ, quæ saluti fidelium intendit subuenire. Dicta autem procedunt respectu cuiuscumque ordinis, & statuti cuiuslibet Religionis etiam irritantis, quia nullam efficaciam habent, cum sint contra vniuersalem Ecclesiæ prouidentiam neque in casu nostro, videtur habere locum proclamatio contra dictum Religiosum, quia aliquo modo mutatus est status personæ, statuta enim, sicut & verba Canonum interpretantur, & concordantur tempore, loco, personis, & ratione, *cap. 1.2.3. dist. 29.* & mutata persona, mutatur status rei. l. *Per procuratorem, ff de acquir. hered. ergo cap. 1. de inrepatr. in 6. §. fin. Megal. t.2. 2.cap. 17.num.114.* Neque obstat, quod mutatio sit illicita, & non subsistit, quia arguit solum vitium ex parte ipsius mutati, non autem ex parte pœnitentium, aut statuti, nam respectu pœnitentium adest valor Sacramenti, cum Ecclesia suppleat defectũ iurisdictionis, & respectu statuti illi imputetur peccatum inobedientiæ, & non nullitas Sacramenti. Addit *Rodr.q.60.art.1.* in tali casu mentem superiorum dicti sacerdotis non esse priuare illum iurisdictione, si assumatur ab Episcopo pro cura animarũ. Sed hoc parum refert, siue enim habilitetur ad hoc, siue non, imò licet superior intendat, & etiam sententialiter, seu per statutum Religionis hunc Religiosum reddat incapacem à quocumque assumatur Episcopo extra Religionem, non obstat huiusmodi rigorosum decretum irritans, cum sit contra pietatem, & intentionem Ecclesiæ, quæ in hoc casu, vt dixi, supplet iurisdictionem, vnde inutile est huiusmodi statutum, & inefficax talis conatus, & intentio.

Quæres 15. An regularis approbatus ab vno Episcopo v.g. ab Episcopo Placentino, sit admissus pro omnibus Episcopatibus, ita quod virtute dictæ approbationis possit vbique terrarum exercere hoc munus? Et si non potest virtute approbationis, an saltem habeat aliquod priuilegium.

Resp. Est admissus tantũ pro Episcopatu Placentino; 51
extabant olim priuilegia nunc sublata.

Primum probatur, Tum quia approbatio fit præcisè respectu pœnitentium Episcopo approbanti subditorum, seu pro Episcopatu approbantis, de mente Concilij, vt obseruat Rodr. citandus, ea particula, *Episcopis*, quæ refertur ad singulos Episcopos singularum Diœcesum. Tum quia Episcopus non potest ponere falcem in segetem alienam, iuxta illud *Deuter. cap. 23. relatum cap. 1. 6. q. 3. ex Venerabilem, de elect.* quam temerariè apponeret, si approbaret pro omnibus Episcopatibus, vnde & contra rationem perturbaret alienam iurisdictionem, *cap. Peruenit 36. 11. q.1.* Tum quia ita specificatur in Clem. Dudum, & respondit Sacra Congregatio, ex verbis relatis *q. 3. & q. 7.* hic, & facit illud aliud Sacræ Congr. responsum. *Approbatũ ab alio, quam à Valentino Archiepiscopo in Diœcesi Valentina non censetur approbatus ab ordinario.* apud Quar. ver. *Confessor. Ita tenent Rodr.q.59.art.5.cum suo Compend.resol.32.n.5.Collector priuileg.ver. Absolutio quo ad secul.primo §.16.Compend.Bull.Schol. 2. ad Bullam 133. Pij V. Mirand. q.43. art.8.*

Secundum de priuilegiis extantibus olim ostenditur. 52
Nam ex Clem. VII. refertur Oraculum, sed non est immorandum, cum sublata fuerint, vt dixi resol. 31. præterquam quòd Rodr. Collect. & Mirand. dicunt priuilegium loqui de approbato redeunte ad priorem locum, vbi non eget approbatione, quam iam obtinuit, antequam discederet, vt hoc etiam probaui de iure hic *q.8.* Referunt priuilegium Greg. XIII. Concessum Iesuitis semel approbatis ab vno Episcopo, quibus indulgetur facultas Confessiones secularium audiendi extra Diœcesim itinerantibus per terras, seu mare, quando in locis, vbi audiunt, non est Episcopus, à quo tunc debent approbationem obtinere, vt refertur *Rodr. Mirand. Sorbus in sua Annot. §. Et idem Gregorius*, sed videtur hoc priuilegium viuæ vocis oraculo concessum, cum non citetur Bulla, nam paulò suprà idem Sorbus refert aliud priuilegium sub nomine oraculi, vnde & tale videtur hoc secundum, & consequenter non amplius vires habet, dato quod sit oraculum, quod pro nunc ignoro. Recensent aliud priuilegium per Bullam incip. *Decet Romanum* Dat.3.Sep.1586. Concessum à Sixto V. Presbyteris Congregationis Oratorij Romæ approbatis ad Confessiones audiendas, qui extra Vrbem à locorum Ordinariis non sunt examinandi, quibus sufficit præsentare licentias Romæ habitas, relatum à Quar. ver. Confessor. Hoc amplius est, quam priuilegium Iesuitorum, cum hoc concessum sit solum itinerantibus, illud verò etiam permanentibus. Sed quicquid sit de his Priuilegiis, quæ modò sunt, modò euanescunt;

nescunt; nunc extat constitutio Vrbani VIII. condita 17. Septemb. 1628. per quem reuocantur omnia indulta audiendi Confessiones secularium absque præuia ordinariorum approbatione, & in casu hoc *ita asseruit Bossius sect. 3. casu 21. num 34. &* de hac reuocatione immerito dubitat *Alsonsus de Leone in suo tract. de potest. Confess. tom. 2. recollect. 10. num. 56. apud Dianam resol. 123. de dub. regul.* quia sub nomine facultatis generalis audiendi confessiones sine approbatione Episcopi veniunt dicta priuilegia, quæ licet dicantur specialia quo ad hanc vel illam religionem, sunt tamen generalea facultates, in quantum conceduntur omnibus, & singulis Religiosis vbique terrarum.

Quæres 16. An contradicente Parocho licitè audiant Regulares non solùm in proprlis Ecclesiis, sed etiam in alienis?

53 Respond. In propria Ecclesia licitè audiunt, in aliena patrono contradicente peccant, validè tamen absoluunt. Quod in vtroque casu validè audiant, probatur, quia locus, neque contradictio Curati, aut alterius patroni annullare possuot approbationem, neque iurisdictionem auferre, cum neutrum dederit, neque ad hoc aliquam potestatem habeant, cum illis regulares nulla ratione subdantur. Quod procedit licèt in licentia adsit clausula. *De consensu Parochi*. seu, *Eo non contradicente.* Quia non sonat in conditionem, sed modum; & monitionem eius, quod faciendum est; faciũt dicta q. 6. Quod peccent, probatur ex eo, quod alienam iurisdictionem perturbant, quod est graue delictum, ideo abstinere omninò debent, aliter ab Episcopo suspendi possunt à confessionibus, cum hæc sit causa directè tangens munus confessionis, in eo enim quis puniendus venit, in quo deliquit. *Ita tenent Rodr. q. 60. art. 4. cum suo Compend. resol. 32. num. 13. Portel ver. Confessio num. 8. Benac. q. 7. de Pœnit. p. 4. §. 1. num. 17.* Ait non requiri licentiam Parochi, in cuius parochia confessiones quis audire intendit, quamplures refert *Megal. lib. 1. cap. 9. n. 14.*

Quæres 17. An Episcopi possint limitare facultatem confessariorum Regularium prohibendo, ne audiant suo presbyteros? Item, An quando prohibitio est facta ipsis clericis ne accedant, nisi ad deputatos ab illis confessarios pro ipsis, nulla facta mentione de hac re in licentia, possint absolui à confessariis regularibus?

54 Respond. Non possunt, neque directè exprimendo hoc in eorum licentiis, neque indirectè prohibendo suis clericis, ne confiteantur nisi specialiter deputatis pro ipsis. Probatur hoc iure communi. Tum in Clem. *Dudum, de sepult.* vbi Regulares approbati possunt audire omnes subditos Episcopi approbantis volentes illis confiteri, nomine autem subditorum inter alios clerici præcipuè veniunt, & potiori ratione, cum hi magis subdantur suo Episcopo, quàm laici. Tum in Concil. Lateran. citato à me qu. 13. vbi specificantur non tantum laici, sed etiam clerici, quos regulares Sacerdotes legitimè expositi possunt audire; ergo hanc facultatem Episcopi illis auferre directè, neque indirectè possunt, cum non sint super ius commune; neque contra illud aliquid statuere possint in præiudicium personarum, præsertim regularium maximè concernens earum priuilegia, *cap. Sanè 5. cap. Nimis iniqua 16. cap. Nimis praua 17. & clem. vn. de excessib. Prælat.* vt docent omnes cum *Confect. tit. 5. cap. 2. & 3. Rodr. tom. 2. q. 63.* Id autem referunt decisum *Gauan. in manuali Episc. ver Clericus num. 49. Bariola ver. Confessarij pag. 66.* sub his verbis. *Confessarij canonicis, & presbyteris non sunt præscribendi, sed libere vtantur approbatis Confessariis.* Ita responsum fuit Episcopo Alexandrino, die 15. Octobris 1601. Quæ responsio facit pro omnibus Episcopatibus, quia ratio quæ mouit Sacram Congregationem ad sic respondendum æque aptari potest omnibus locis, sicut aptata fuit Alexandrino Episcopatui. Vnde non obstat alia Sacræ Congr. responsio die 2. Iul. 1587. quam retuli suprà *q. 3.* vbi Episcopus potest limitare approbationem quo ad personas etiam, nam in hoc sermo est de restrictione quo ad sexum, non quo ad statum personarum, ne videantur pugnare ad inuicem. Deputatio autem, quæ fit ab aliquibus præsertim Archiepiscopis, vt Mediolani, locum habet respectiue ad Confessarios seculares, ita quod nec ipsi confessarij seculares clericos subditos audire validè possunt, nisi sint specialiter deputati; neque clerici possunt accedere ad alios confessarios seculares, nisi ad deputatos, vtique verò ad regulares.

Quæres 18. An Prælatus Regularis, vt Generalis, Prouincialis, Localis absque approbatione Episcopi possit audire confessiones secularium Episcopo subiectorum? Nam in illo *cap. 15. sess. 23.* dicitur, quod nullus sacerdos etiam regularis potest audire confessiones secularium; nisi aut habeat parochiale beneficium, &c. Supradicti autem Prælati habent parochiale beneficium, cum sint Parochi, inquit Fagundez *lib. 8. cap. 4.* ergo sine approbatione possunt audire confessiones secularium. *Ita docent plures apud Henr. quos etiam citat Diana resol. 46. tract. 15. miscell. 2. alios citat Bossius sect. 3. casu 2. n. 52. quos reiiciunt, vti falsa opinantes.*

55 Respond. Non potest, quia nomine habentis parochiale beneficium, de mente Concilij, & omnium rectè, & sanè intelligentium, quos citat Barbosa *ad hoc cap. num. 18.* venit ille, qui habet curam animarum secularium cum beneficio propriè accepto. Quod suadetur, Tum quia in iure sub nomine beneficij non veniunt prælaturæ regulares, *Rodriqu. tom. 2. qu. 26. art. 2. aliis citatis, Benac. qu. 7. de Simon. p. 1. §. 2. num. 4. & p. 2. nu. 24. & faciunt, quæ dixi resol. 8.* Tum quia Parochus quatenus Parochus, si aliam approbationem non habet, non potest audire nisi suas oues, vt omnes docent per ea, quæ habet *Megal. part. 1. lib. 1. cap. 7. num. 21. Bossius sect. 3. casu. 2. num. 50.* Ergo cum Prælatus regularis non sit talis, nisi respectu suorum subditorum, illos tantum absoluere poterit, non seculares, qui illi nequaquam subduntur. Ita in specie præcitati Diana, & Bossius. Generalis tamen non videtur indigere examine; tum ob idoneitatem, quæ includitur in eminentia sui Officij; Tum ne vilescat dignitas tam insignis; Tum quia dicitur Princeps Aret. in sua praxi in fine; Tum quia non subest sindicatui *Cephal. consil. 39. ex Genuens. cap. 58. sua praxis.* Demum cum ex his dicatur insignatus speciali, & eleganti nomine non venit sub generali locutione Trident. quo ad examen arg. *cap. De multa resplend. 56. cap. Ne aliqui, de priuileg. in 6. Trimarch. de felicit. disp. 8. num 43.* in simili de excellentia Generalis.

Quod si prælati sint magni Abbates habentes iurisdictiones non solum in suos religiosos, sed etiam in seculares personas sub eorum cura constitutos excludendo Episcopos, sine dubio possunt audire immo eam facultatem aliis Sacerdotibus delegare, quia sunt ordinarij suarum ouium, quos ex Officio spiritualiter Sacramentorum administratione alere tenentur, *Ita Bossius cit. n. 6. Carbos. nu. 29.*

Quæres 19. An necessaria sit approbatio Episcopi regularibus absoluere volentibus professos suæ, vel alterius religionis? Item Nouitios, Tertiarios, &c.

56 Respond. Non requiritur, sed sufficit approbatio proprii Superioris, *vt probaui resc. 34. §. Approbatio, De Nouitiis, & aliis qu 15. & 16.* Ea ratione, quod Sacrum Concilium requirit approbationem Episcopi respectu pœnitentium præcisè secularium.

Quæres 20. An pro absolutione venialium præcisè, aut etiam mortalium aliàs tamen ritè remissorum, & pro articulo mortis requiratur approbatio Episcopi?

37. Respond. Requiritur pro peccatis venialibus, & mortalibus iam semel rite etiam remissis; non autem pro articulo mortis. Primum suadetur. Tum quia ex illo capite nullus potest audire confessiones personarum secularium, nisi approbatus sit ab Episcopo, alia nulla est attentata absolutio, vt de communi Doctorum *refert Barbosa ad hoc capit. 15. sess. 23. num. 4.* Sed tam est confessio

confessio facta de venialibus, quàm de mortalibus, ergo de vtrisque est ibi sermo. Tum quia ad absoluendum à peccatis etiam venialibus requiritur potestas iurisdictioois, vt constat ex iis, quæ adduxi *qu.5.§. Secunda*, & benè probat Faber *disp.25.de pœnit. num.73.* hanc autemnemo babere potest, nisi ex præuia approbatione Episcopi, ad quam ea consequitur, vt ibidem probaui §. *Quarta*, & sine appeobatione non tenet absolotio, ex probatis de communi ibidem ex §. *Prima*, ergo ad absoluendum à venialibus requiritur approbatio. Tum quia benè probat *Faber disp. cit. à num.71. ad 76.* Sacerdotem simplicem carere iurisdictione respectu venialium, nisi ad hæc approbetur ab Episcopo, quod enim aliqui aiunt ad tollenda huiusmodi non requiri iurisdictionem, iam oppositum probatum est, aut si requiritur, eam habere à iure diuino, hoc non probatur, quia si haberent, multo magis quo ad mortalia, cum horum absolutio Sacramentalis necessariissima sit, aut ab vniuersali Ecclesiæ consuetudine, non reperitur de hac consuetudine textus, authoritas, Concilium, aut Papa, qui de illa testetur, neque quis illam dedit, ergo ex his inferendum est nullum sacerdotem eam potestatem habere, nisi ei delegetur per approbationem, quod si prouenirer alias à consuetudioe, sine dubio sublata fuit per dictum caput ibi, *Consuetudine quacumque etiam immemorabili.* Ita tenent citatus Faber *disp.25. à num.71. ad 79. vbi hoc clarè exprimit*, & Beda *p. 3. casu 37. §. Tum, contra Megalium lib. 1. cap. 9. ad finem.* vbi ita loquitur. *Quantum verò pertinet ad absolutionem à venialibus, quamuis ex vi verborum dicti Concilij dici possit, talem consuetudinem esse sublatam, attamen existimo mentem Sacri Concilij non fuisse eam amouendi, quare vsus vniuersalis seruat, vt Sacrum Concilium non intelligatur quo ad venialia, ac ideo quilibet sacerdos etiam hodie ab eis absoluere potest.* Nullam autem rationem refert, sed solum, vsum, de quo mihi non constat, cum sit quid facti *arg. cap. 2. de consuetud. in 6.* & alleganti consuetudinem non creditur nisi probet, dixit cum aliis *Nauar. tom.3 in c. Placuit d.3.6. de pœnit. n.* 188. 189. in materia etiam huius Sacramenti, & ego numquam vidi, neque audiui hoc practicari.

Quod si dicas, in eo capite disponi solum de confessione, quæ est in præcepto vniuersalis Ecclesiæ, & de præcepto diuino, præcipitur confessio solum peccatorum mortalium, vt videre est *c. Omnis 12. de pœnit. iuncta glosa ver. Omnia*, & expressius *cap. 5. sess.14.* & Doctores communiter dum agunt de necessitate confessionis, quam referunt in mortalia, vt videre est apud Booa de obligatione ad confessiooem *num. 1.* & deinceps vbi *num. 8.* ait de peccatis venialibus nullum extare præceptum confessionis in iure diuino, aut Ecclesiastico. Ergo cum dictum caput nihil disponat de venialibus, in his dispositio locum habere non potest. Resp. Sequi absurdum, posse nimirum peccatorem extra tempus obligationis à mortalibus absolui voluntarie à quouis simplici Sacerdote non approbato, si ibi sermo est de confessione præcise de mortalibus quoad præceptum diuinum, aut humanum. Est igitur ibi sermo de confessione quorumlibet peccatorum etiam venialium, & de ea potestate, & approbatione, de qua Dominus dicit *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* per quæ verba Christus Deus sacerdotibus dedit potestatem ordinis eosdem capaces constituendo absoluendi non tantum à mortalibus, sed etiam à venialibus.

Secundum, non requiritur approbatio Episcopi io
58 articulo mortis, quando non adest copia approbati, probatur. Tum ex eodem Concilio *sess.14. c.7.* vbi dicitur. *Omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere possunt.* Ponderat verbum, *Omnes*, qui enim omnia dicit nihil excludit, *cap. 1. dist. 19. & ibi, Glos. ver. Dicendo*, & magis extenditur propositio definita signo vniuersali, quàm indefinita, vt iuribus citatis docet *Nau. consil. 9. de iis qua vi. num. 5. & consil. 5. de statu mon. num. 1. & Bartol. in l. Cum rem C. com. de legibus. num. 3.* eam dictionem tantam vim habere, vt includat etiam, quæ aliàs non comprehenderentur sub dispositione, & considera etiam ditionem, *Sacerdotes*, quæ non qualificatur nomine sui muneris, nempe, confessarij, quo nomine veniunt præcise approbati, ergo ex his infertur simplicem sacerdotem nulla ratione approbatum iuxta dispositionem illius *capitis 15. sess. 23.* posse audire confessiones in articulo mortis, quia sub ea non includitur iste casus. Tum quia aliter fideles in hoc casu, in quo agitur de discrimine vitæ, spirituali quandoque destitueretur remedio tam necessario ad salutem animæ. Tum quia in casu extremæ necessitatis pauper potest sibi propria facere aliena, *cap. Sicut dist. 47. cap. Non satis dist. 86. capit. Duo 12. qu. 1. & qu. 2. ca. Aurum*, ergo & constitutus in articulo mortis proprium non habens confessarium, quo sibi subueniat, poterit sibi proprium facere simplicem sacerdotem. *Ita in terminis docet Megal. lib. 1. capit. 9. in fine*, vbi ait Concilium hunc electum sacerdotem excludere, ab approbatione, & idem sine dubio tenent reliqui omnes, quos citat *Barbosa ad capit. 7. sess. 14. à numero 11. ad 20. adde Bonac. quæst. 3. de censuris p. 3. propos. 2. Fabrum de pœnit. disp. 25. n. 68. Sanch. l. 2. c. 13.*

Dixi, *quando non adest copia approbati*, quia si haberi 59
commode possit confessarius, seu habens facultatem super reseruata, sacerdos simplex in tali casu nihil potest, quia Ecclesia hoc ius tribuit omnibus sacerdotibus solum in casu necessitatis, & defectus confessarij, vt dicitur *cap. fin. 26. qu. 6. extrau. com. Inter cunctas, §. Incendiarij, de priuileg. extr. com. 1. §. Decernimus, de sent. excomm.* Ratio esse potest, quia hic spectantur duæ necessitates, vna se tenet ex parte confessarij, quatenus tunc non inuenitur, altera ex parte pœnitentis, quatenus imminet proximum periculum, altera non sufficit, sed vtraque necessariò requiritur. Est communior opinio *Rosella. Silu. Armilla, & aliorum, quos refert Sanch. cit. n. 7.* contra aliam opinionem probabilem, quam sequuntur *Sa ver. Absolutio nu. 4. Nau. consil. 23. de pœnit. Nald. ver. Confessio num. 31. alios refert Barbosa ad cap. 7. Sess. 14. num. 13. Bonac. contra se q. 3. de censur. p. 3. num. 3. Floron. cap. 4. §. 19. num. 1. §. Contrarium, qui num. 5. §. Quid igitur. nobiscum*
sentit, Censetur autem pœnitens carere copia confessarij, 60
quando non potest illum adire personaliter, vel eumdem vocare, aut cum vocatus non vult adire, *Sanch. cum aliis lib. 2. c. 13. n. 14. Floron. part. 1. de casib. reseru. cap. 4. §. 19. num. 9.*

Cæptam autem confessionem à simplici Sacerdote 61
perfici posse, superueniente approbato suadet ratio. Tum quia imperfectum iudicium non est relinquendum sed ab eodem finiendum, à quo cæptum fuit. *lib. Vbi cæptum ff. de iurisd. om. iud. l. Si quis postea ff. de iudic. Megal. part. 1. lib. 6. cap. 3. num. 5. §. At ponamus*, Tum quia iurisdictio delegata re cæpta non spirat per mortem concedentis *cap. gratum, cap. Relatum de off. deleg.* ad hoc propositum *Sanch. lib. 2. cap. 13. num. 15.* Tum quia per superuenientem approbatum, non amittit acquisitam actu iurisdictionem, vnde suum iudicium terminare potest, cum eodem docent *Bonac. quæst. 3. p. 3. n. 3. §. Probabile, Floron. capit. 4. §. 19. nu. 10.*

Articuli mortis nomine venit etiam periculum, quia in iure in ordine ad absolutionem pro eodem acci-
piuntur, *cap. Si quis 22. 17. q. 4.* Ita ferè omnes *cum* 62
Sanch. lib. 2. cap. 13. num. 1. Suar. disp. 26. sect. 4. Fabro disp. 25. num. 68. Barbosa ad cap. 7. sess. 14. num. 12. Floron. cap. 4 §. 20. num. 3. §. Quia igitur. Bonac. q. 3. p. 3. num. 4. vbi dicit periculum mortis non solum esse illud, quod prouenit ex infirmitate, sed ex quauis alia causa, ex qua solet vt plurimum mors probabiliter euenire, vt in bello, partu primo, seu aliis etiam respectu eius quæ difficilis experta est, nauigatione periculosa, &c.

Quæres 21. An Religiosi sine approbatione Episcopi possint

possint audire confessiones infirmorum degentium in hospitalibus suæ religioni subjectis?

63 Respond. Possunt. Probatur. Tum quia omnes personæ de familia religiosorum quo ad Sacramenta subduntur Prælatis regularibus, Trident. *cap.11. sess.25.* vti de famulis, & reliquis recensui *resolut.34. quæst.16. §. Famuli.* Sed hospitalia regularibus subiecta, & personæ in eis degentes sunt de familia religiosorum, hospitalia enim cum suis pertinentiis non solum iure antiquo *Clem Quia contingit, de relig. dom. §. Præmissa, & Clem.1. de priuileg. §.fin.* religiosis, quibus est ab Apostolica sede concessus, vt familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta ministrare possint, nullum per dictam Clementinam præiudicium generari vult; sed etiam nouo *sess. 25. capite* 8. hospitalia regularium non eximuntur ab eorum iurisdictione, & de nostræ Religionis hospitalibus Nicol.V. constitut. *Pastoralis officij*, Dat.20. Iul.1447. statuit in hæc verba. *Et hospitalibus singulos ministros idoneos deputandi, & eligendi, ipsique sic electi, & deputati absque alterius Apostolica, vel ordinaria conseruationis adminiculo in spiritualibus, & temporalibus iuxta ipsius ordinis mores, & instituta Regularia regantur.* Item Nicol.IV. Cistersiensibus sacerdotibus ab Abbate deputandis concessit facultatem audiendi confessiones, & alia Sacramenta administrandi infirmis inibi degentibus in eorum hospitalibus, prout refert Compend.Rodriq. *resol.74. num 4. Et pro Domin.in constit. Dudum siquidem.* Bonifac.IX. *inserta in const. Ad summi.* Mart.V. Ergo iudicandi sunt secundum mores, & statuta Religionis; in Religione autem quorumcumque regularium Sacramentum Pœnitentiæ administratur pœnitentibus de familia à confessariis deputatis tantum intra religionem, ergo & infirmi ab his audiri possunt Sacramentaliter. Quod autem degentes infirmi in hospitalibus sint de familia Religionis, constat *ex cap.1. citata Clem. de priuileg. iuncto cap.fin. de verbor. signif.* tales enim inibi vocantur, qui viuunt de expensis Religionis, & comedunt in domibus Religiosorum; ad hoc facit etiam Glossa *ver. Quod verò, quæst.5. caus.3.* & quæ habet Graff. *lib.2.arbitr.36.num.6.* Tum quia si est aliqua difficultas maximè ex Trident. illo *cap.15. 23.* vbi disponitur nullum Religiosum posse confessiones secularium audire sine approbatione Episcopi, priuilegiis, aut quauis consuetudine etiam immemorabili non obstantibus; sed hæc nullius est momenti, quia Concilium nil disponit in casu nostro, siquidem inibi sermo est de merè secularibus, qui nullo titulo subiecti sunt regularibus, vt infirmi degentes in hospitalibus Regularibus, qui quamdiu ibi detinentur, reputantur ac si essent religiosi quo ad fauorabilia, & cum religiosis adhæreant, Religiosi censendi sunt, *argum.l. qua Religiosis ff. de rei vend.* & Concilium benè, & necessario recipit hanc oppositionem de iure, quia iura iuribus concordare expedit *cap. Cum expediat, de elect. in 6. aliter cap.15.* vbi requiritur approbatio Episcopi, aduersaretur *cap.11. sess.25. cit.* vbi dicitur quod personæ de familia Religionis quo ad Sacramenta eximuntur à iurisdictione Episcopi, ergo illud intelligendum est respectu secularium, qui non sunt de familia, vt vitetur correctio iurium maximè in eodem Concilio, quæ quantum fieri potest vitanda est, cum sit odiosa, *cap. Cum dilectus, §. Cæterum, de consuet.* ad quam vitandam interdum verba impropriantur, vt dicunt Anton. *in dicto cap. num.15. Imol. num.12.* Abbas *in cap. Cum olim., de sentent. & re iudicat.* Alex. *consil.85.* & ex eis Sanchez *disput.15. num.19. libro* 10. ergo si verba possunt impropriari ad euitandum correctionem, ergo à fortiori restringi, cum restrictio non excedat eorum proprietatem, immò id fiat secundum leges, quæ odiosa mandant restringi, Ita babent tenere allegatos à me *resolut.34. quæst.16. §. Famuli*, nam tam degentes in hospitalibus, quàm famuli, sunt de familia religionis, cum intra loca Religiosa viuant expensis Religionis, & prætetea *Cruz lib.2. cap.6. dub.5. concl.1.* Tambur. *tom.2. disput.6. quæst.16. num.4.* Peirinus *tom.2. ad constit. 8. Iul. II. numero* 12. quos contra se citat Bossius *sect.3. casu 2. numero* 32. nostram responsionem non admittens ex eo, quod eam, negat in famulis, eo magis negaret in infirmis degentibus in hospitalibus religionis, qui aliam rationem pro se non adducit, nisi quod Concilium loquitur absolutè respectu omnium, & quorumcumque secularium, & superiùs allatam à me distinctionem vocat voluntariam. Sed potius voluntaria est eius responsio, quæ in nulla ratione fundatur, & solum pro ratione fiat voluntas apud ipsum, non apud sequentes nostrum responsum, firmiter probatum fuit, præsertim concordando illa duo capita, ne sequeretur contrarietas iurium in eadem resolutione.

Confirmatur autem, quia illa dictio, *secularium* cum sit indefinita, & non vniuersalis formaliter patitur exceptionem, & non tantum sonat, quam importasset, si cum vniuersali signo prolata fuisset sic, *Omnium secularium, arg.* iurium citatorum *à Nau. consil.9. de iis, quæ vi, num.5. & cons.5. de statu Monach. num.1.* & si enim indefinita æquipolleat vniuersali, non tamen tantum operatur, quam ipsa vniuersalis, quæ extendit generalem dispositionem ad multa, quæ non comprehendit generalis indefinita, vt ibidem dicitur, neque procedit hoc in odiosis, vt docet Franc. Molina *lib.3. quæst.85. num.59.* apud Barbosam *de locis commun. lit. I. num. 20.* & hoc satis indicat particula sequens, *etiam Sacerdotem*, quæ si non fuisset apposita, res fuisset multum dubia, immo & probabilis, quod hoc decretum non comprehenderet Confessiones Sacerdotum. Quare ex indefinita, & ex adiecta clausula, cum etiam agatur de re odiosa, & de vitanda iurium correctione, probabiliter concluditur contra prædictas, & in specie contra *Compend. Rodr. resol.74. numero* 4. Regulares pro audiendis confessionibus infirmorum in suis hospitalibus degentium non indigere approbatione Episcopi.

Quæres 22. A quo approbandi sint regulares existentes in Diœcesi, vel Nulla magnorum Prælatorum, seu Abbatum, qui habent iura Episcopalia in suis locis independenter ab Episcopis?

Respond. Approbandi sunt ab illo Prælato, in cuius districtu, & loco habent suos conuentus, Probatur. 64
Tum quia probandi sunt ab eo superiore, cuius subditorum Confessiones audituri sunt: nam approbare aliquem Sacerdotem in confessarium est illi consignare materiam super quam ius dicere habeat, seu pœnitentes illi confiteri volentes subiicere, nemo autem potest alterum alteri subiicere nisi super subiiciendum ius habeat. Tum quia licet Regulares in loco nullius Diœcesis, seu non subiecto Episcopis in certis causis subiiciantur viciniori Episcopo, vt videre est constit. *Romanus Pontifex*, Dat.1. Septembr. 1606. Pauli V. in Bull. nouo 26. in causis fidei, & pro examine, & ordinatione, vt respondit Sacra Congregatio, referente *Nald. ver. Ordo num.26.* quod etiam colligitur *ex cap.10. sess.23.* & in multis aliis nunquam subduntur dictis Prælatis; hoc tamen procedit in odiosis, aut etiam in fauorabilibus concernentibus solum ipsos Religiosos; in re autem nostra agitur de re concernente potius ipsum Prælatum, cùm agatur de pascendis spiritualiter eorum ouibus, quam ipsos Religiosos, quare merito ab illis examinandi, & approbandi sunt. Tum quia Religiosi pro audiendis confessionibus secularium approbandi sunt ab eorum Episcopis; sed in Sacro Concilio nomine Episcopi veniunt etiam illi Prælati, vt docent plerique apud Barbosam *ad hoc cap.15. sess.23. num.29.* Ita tenent Silu. *ver. Confessor. 2. n.7.*

Quæres 23. An præter Episcopum, & illos Prælatos babentes iura quasi Episcopalia exclusiuè ab Episcopis sint alij, qui approbationem hanc concedere possint?

Respond. Potest igitur primo Episcopus, modo sit 65
confirma

confirmatus, non titularis, fed actu habens oues, feu populum, licet nondum fit confecratus, *Suar. difp.28, fect.5. & alij, quos pro fe citat Boffius fect. 3. cafu 2. num. 57.58. 59. Barbofa ad hoc cap. num. 25.* Secundo funt prælatis fuas oues proprias habentes, vt probaui q. præced. Tertio eft Vicarius generalis Epifcopi, & quia cum Epifcopo vnum tribunal facit, *cap. 2. de confuet. in 6. ca. Romana, de appellat. in 6.* & quia Vicarius generalis venit fub nomine Epifcopi, quando res ab eo tractari poteft, *glof. ver. Per Epifcopos, c.Vn. de Capell. Monach. in 6. vts Domin. & Franc.* ergo is vicarius, quamuis ad hoc non habeat fpeciale mandatum, ex vi fui generalis Officij poteft approbare etiam regulares ad confeffiones audiendas. *Ita Sanch. lib. 3. difp. 29. num. 15. Boffius cit. num.60. Barbofa num. 29.* Quarto fuo nomine Epifcopi approbantis venit etiam Capitulum Sede vacante, & ideo per vicarium electum poteft approbare confeffarios etiam Regulares, quia Capitulum Sede vacante fuccidit in omnia iura Epifcopi quo ad poteftatem iurifdictionis *ca. Si Epifcopus 3. cap. Ecclefiæ 4. de fuppl. negl. prælat. in 6.cap. Vn. de maior. in 6. Vide Quar. ver. Capitulum Sede vacante*, approbare autem ad confeffiones audiendas eft actus iurifdictionis, docent communiter *cum Fabro difp. 30. de pœnit. num. 31. Bonac.q. 7. de pœnit.p.4.§. 1. num. 16. ita tenent omnes apud Boffium fect. 3. cafu 2.nu. 62. Barbofam ad dictum c.15 n.28.* Non poteft autem reuocare licentiam, & de nouo Regulares examinare ex probatis hic *q. 4.*

Quæres 14. An Epifcopus excommunicatus, feu fufpenfus faltem iurifdictione vitandus poffit validè approbare facerdotes in confeffarios?

66 Refpond. non poteft, quia approbatio eft actus iurifdictionis, vt patet ex Doctoribus citatis præced. q.& refert *Barbofa hic n.28.* qua carent excommunicatus, & fufpenfus, *cap. Audiuimus 4.24. q.2. cap. Ad probandum 24. de fent. & re iud. cap. fin. de cler. excommun. min.* Ita in fpecie tenet *Megal. part. 2. lib. 1. cap. 9. num. 7.* & omnes afferentes approbationem effe actum iurifdictionis, cum quibus eft Faber *difp. 25. de pœnit. num. 107.* vbi loquitur de conceffione iurifdictionis per electionem facta per Epifcopum excommunicatum.

67 Boffius *fect. 3. cafu 2. num. 65.* oppofitum fententiam vocat probabiliorem pro qua citat *Rodr. par. 2. cap. 14. nu. 5. Henriq. lib. 6.§.3. circa finem, & lib. 3. cap. 13. §. 3. lit. R, Fagundez præcepto 2. lib.7. cap. 2. num. 49. Pontium lib. 5. cap. 17. num. 14. Silu. ver. Vnctio num. 4. & Palud. in 4. dift. 23. q.2. art. 2. nu. 26.* Rationes Boffij reduco ad vnam cum fimili, quæ eft, quia approbatio non eft actus iurifdictionis, fed folum teftimonium probatiuum fufficientiæ facerdotis, quod à fimili probat per approbationem ad exercendum munus prædicationis, quæ non eft actus iurifdictionis, neque affiftentia Parochi ad contrahendum matrimonium eft actus iurifdictionis, fed folum præftatio fuæ authoritatis ad illum actum firmandum, teftificando de illius fubfiftentia.

67 Reiicitur hæc opinio. I. Quia nullus negat approbationem effe actum iurifdictionis *Faber difp. 30. de pœnit. num. 31. Bonac. qu. 7. de pœnit. p. 4. §. 1. num.16. Barbofa ad hoc cap.15.num.28. vbi citat ad hoc Henr. lib. 3. cap. 6. Fagund. cit. ca. 2. num. 54.* II. reiicitur ex ipfamet eius definitione, quam habes illo *cafu 2. num.1.* illis verbis. *Approbationem nihil aliud effe quam publicum teftimonium, feu iudicium, aut iuridicam declarationem fufficientiæ*, &c. Si ergo eft iudicium, vel iuridica declaratio, fine dubio facta eft à iudice quatenus iudex eft; fed iudex talis non eft, nifi habeat iurifdictionem, *Clem. 1. de off. deleg. Nau. tom. 3. in c. Placuit nu. 50.* ergo approbando fungitur officio iudicis, confequenter dicitur facere actum iurifdictionis. III. Approbatio fpectari poteft vel in fe, vel fimul cum iurifdictione, fi hoc pofteriori modo fpectetur, nulli dubium eft, illam effe actum iurifdictionis, cum prouenit ab Epifcopo delegante quatenus delegans eft transfundendo iurifdictionem in facerdotem iudicatum aptum ad audiendas confefsiones; fi priori modo, adhuc eft iurifdictionis actus, quia approbatio vt fic propriè non eft actus rationis, & intellectus, fed voluntatis, vt pluribus probaui *qu.5.§. Quarta*, ex qua fequitur iurifdictio in facerdotem approbatum, qua autem ratione poffet ex fequi iurifdictio, nifi & ipfa participaret naturam iurifdictionis? & facit illud, propter quod vnum quodque tale, & illud magis, ficut caufa efficiens in fe non habens iurifdictionem, eam in illum effectiuè transfundere non poteft ex vulgatis iuribus, ita neque conditionalis caufa poteft effe caufa fine qua non iurifdictionis, nifi & ipfa fit formaliter iurifdictio, vel aliquam eius rationem participet. IV. Ita approbatio non eft ceffio iuris, quia is actus in eo cuius ius ceditur, fupponit iurifdictionem, in cafu autem ifto Epifcopus approbando non dicitur ius fuum cedere, quia approbatus carebat iurifdictione, quam per approbationem acquirit; hinc fit, quod Parochus dando licentiam alteri confeffario, vt oues fibi commiffas Sacramentaliter audiat, non dicitur exercere aliquem actum iurifdictionis, quia ius non tribuit, quod iam habebat ille alter facerdos, fed cedit iuri fuo, ideft contentus eft vt alter fungatur fuo officio, ad quod aliunde ius habet. V. Delegatio eft actus iurifdictionis *cap. 5. de off. ordin. cap. 9. de confecrat. Eccl.* fed approbatio eft delegatio facta ab Epifcopo ad audiendum confefsiones fecularium, ergo approbatio eft actus iurifdictionis. VI. Approbatio eft actus iuridicus, quem quis non poteft exercere in alium, nifi quatenus habet proprium, & verum ius in perfonam, cui illud conferre intendit. VII. Approbatio eft in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, quod fine iurifdictione exerceri non poteft, ergo neceffe eft, quod ipfa fit actus iurifdictionis, cum fine ipfa facerdos non poffit conftitui iudex in foro pœnitentiali. VIII. Quamuis approbatio condiftinguatur à iurifdictione, vt probaui *q.5.§.* Quinta, ab ea tamen non feparatur, vt ibidem probaui §. Sexta, in naturalibus videtur ex diftinctione reale, quam ego voco entitatiuam, inferri feparationem, feu per hanc cognofci illam, hoc autem non procedit in moralibus, quæ connexionem habent ad inuicem, ne videatur fequi abfurdum, & inutile, vt in cafu noftro, ad quid enim Epifcopus concedit approbationem, fi non fequitur iurifdictio, effet enim id inutile, & confequenter cum in iure inutile, & non effe æquiparentur, *glof. ver. Deerat cap. 6. de frigid. per cap. Inter corporalia, de transl. Epifc. l. 1. §. Et quidam ff. quod cumque vniu. glof. ver. Legitima cap. 10. de elect. in 6.* idem effet, ac fi approbatio conceffa non fuiffet. IX. dicit Bariola confil. 1.§. Refpondetur quarto, cum Doctoribus ibi citatis huiufmodi approbationem effe ipfammet iurifdictionem conceffam tam regularibus, quàm fecularibus facerdotibus, neque inconueniens eft facerdotem regularem acquirere duplicem iurifdictionem à Papa nimirum, ex probatis *qu.3.§.* Septima, & ab Epifcopo approbante, poteft enim quis gaudere duplici poteftate circa idem factum, ex iis, *quæ habet Nau. confil. 4. de off. de leg.* & per vtramque procedere, *ex eodem. Nauar. confil. 9 eod. numero.* 10. Demum ad illa fimilia de Prædicatore & afsiftente Curato ad matrimonium, dico non facere ad rem, quia in illis muneribus præftandis non requiritur poteftas iurifdictionis, cum non fint actus iudiciales, nam prædicare non eft ius dicere, fed Iefum Chriftum, & hunc Crucifixũ prædicare, feu Euangelium fidelibus declarare, & afsiftere matrimonio, eft effe teftem illius actus à fponfis celebrati, in tefte autem non exigitur iurifdictio, fed attentio cum fidelitate, in audienda autem Sacramentali confefsione requiritur iurifdictio, confequenter Epifcopus approbando confeffarium propriè dicitur producere actum iurifdictionis.

Quæres 25. An Epifcopus pofsit fuo fubdito dare facultatem

cultatem eligendi sacerdotem quemcumque in confessarium, licet nondum sit approbatus ab aliquo ordinariu?

69 Respond. Non Potest. Probatur, Tum quia hoc esset dispensare in iure communi *cap. 15. sess. 23.* vbi prohibetur ne quis sacerdos audiat confessiones secularium, nisi sit approbatus ab Episcopo; per huiusmodi autem electionem approbatur, Sacerdos simplex, quia formalis approbatio Trident, in Sacerdotibus, qui non habent parochiale beneficium, prærequirit iudicium Episcopi, de idoneitate, & sufficientia eius sacerdoris, qui auditurus est Confessiones, hoc autem iudicium non censetur factum in vim electionis, quia per hanc nullus Sacerdos iudicatur ab Episcopo, ergo talis electionis concessio est nulla. Tum quia Papa non solet concedere huiusmodi electiones, ne obuiet illi decreto Tridentini, cui tamen præiudicare potest, si vult, cum sit super omne ius positiuum, & quæcumque Concilia, vnde quando concedit electionem simpliciter loquendo, sine clausula, *ex approbatis ab ordinariis, locorum,* dicunt plerique cum *Suar. disp. 28. sect. 4. num. 9. Conink tom. 2. de Sacr. disp. 8. dub. 7. num. 49. Fagundez. Fillinc. cum aliis, quos contra se citat Bossius sect. 3. casu. 2. num. 86. Floron cap. 5. num. 4.* debere eligere approbatum ab Episcopo, quia priuilegia præsumuntur concessa secundum ius, *Compend. resol. 90. num. 59. §.* Vltima, iuribus citatis à suo authore, & ab eo recipiunt interpretationem, *Moditius §. Principum placita dubit. 212. nu. 7.* Ergo si Papa non solet hoc concedere, quasi de iure ordinario sibi non liceat, multo minus potest Episcopus, qui omninò debet se confirmare iuri communi, super quo nullum ius habet. Nonnulli illa clausula restrictiua à Summo Pontifice factam, posse eligi Sacerdotem etiam non approbatum, quos referendo Bossius *cit. num. 88. ad 90.* Sed non recedamus à priori sententia, quia illa clausula, cum de iure insit parum refert siue exprimatur, siue non, captessio eum eius quod tacitè nil inest operatur atque *cap. Cum ideo 17. de rescrip. iuncta glos. fin. cap. fin. de præsump. cum glos. ver. Ex illa clausula* quare taciturnitas eius clausulæ, cum semper inesse intelligatur, vbi agitur de administratione huius Sacramenti idem operatur, ac si exprimeretur, consequenter quæuis electio confessarij referenda est in approbatum ab Episcopo.

Quæres 26. An approbatio Episcopi requiratur pro audiendis Regularibus militiarum, nam isti equites videntur potius seculares, quàm Religiosi, nam militares de Alcantara, de Calatraua, siue S. Iacobi, S. Stephani, vel S. Mauritij non promittuur tria vota Religionis substantialia, non enim simpliciter promittunt Castitatem, sed tantum coniungalem, vnde & nonesse strictè & propriè Religiosos, docent quamplures *Apud Rodr. tom. 1. q. 1. art. 6. quos etiam pro se citat Bossius sect. 2. casu 19. numero 11.* Referens diuersas decisiones Sacræ Congregationis. Ego autem cum multis aliis probaui illos esse verè Religiosos *cap. 1. quæs. 10. in Tract. de profess. regul. quare videtur sublata difficultas.*

70 Respond. Non requiritur: Probatur quia huiusmodi approbatio Episcopalis requiritur solùm pro audiendis confessionibus personarum secularium, præfati autem milites non sunt seculares, neque sub eo nomine veniunt fauorabilibus, aut odiosis, consequenter non comprehenduntur in decreto Trident. Quod procedit etiamsi non sint verè, seu strictè religiosi, quia quoquo modo sint Religiosi gaudent priuilegiis propriorum Religiosorum, gaudent enim priuilegiis fori, & canonis, vt Doctoribus citatis refert Diana tractat. 2. de Immun. resol. 72. & in alio eodem tract. resol. 71. & sunt exempti à iurisdictione Episcopi, sicut cæteri Regulares, exceptis quibusdam casibus, quatenus gerunt vicem personæ publicæ apud seculares *Rodriq. tom. 2. q. 59. art. 5. §. Secundo*, ergo gaudent priuilegio confitendi non approbatis ab Episcopo, sufficit ergo quod confiteantur iuxta decreta suarum regularum. *Ita tenent Sancius in selectis disp. cap. 49. numero 11. & 13. apud Barbossam hic num.* 11. Qui tamen loquitur de specie de Maltensibus, *vbi alios citat, & Dianam Miscell. 2. resol.* 46. in fine, cui hæc opinio non placet, sed huius displicentiæ nullam rationem refert, quod mihi displicet in tanto viro, qui tamen *resol. 30. de dub. reg.* nobiscum sentit.

Quæres 27. An approbatio Episcopi requirat pro audiendis confessionibus monialium etiam regularibus subiectarum?

71 Respond. Quamuis Concilium Trident. nil innouet de hac re super Regulares viro, & moniales, cum loquatur solùm de secularibus, vt tradunt omnes *cum Henr. li. 6. ca. 6. §. 4. lit. K. in glos. Nau. capit. 4. num. 2. & aly communiter relati à Bossio sect. 3. casu 2. num. 76,* nunc verò ex Gregor. XV. constit. *Inscrutabili.* Dat. 5. Febr. 1622. his verbi *Confessores, siue Regulares, siue seculares quemodocumque exempti tam ordinary, quàm extraordinary ad confessiones Monialium etiam Regularibus subiectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem quæ gratis concedatur, obtineant.* Et paulo infrà. *Liceatque Episcopo ex rationabili causa superiores Regulares admonere, & eiusmodi confessores amoueant, iisque superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos confessores amouendi, quoties, & quando opus esse iudicauerit.*

72 Super dicta constitutione suborta nonnulla dubia resoluit Sacra Congregatio, que habentur in fine dictæ Bullæ in editione Reu. Cameræ Apostolicæ, & referuntur à Barbosa super *ca. 10. sect. 25.*

73 Primum in Ordine sextum. *An confessores Monialium ante editam conditionem deputati debeant ab Episcopo examinari, & approbari?* Respond. *Confessarios quidem extraordinarios monialiū nullatenus posse post constitutionem illarum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbentur. Ordinarios verò confessores ante constitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica vltra triennium prorogetur tunc debere eo ab Episcopo examinari, & approbari.*

74 Secundum in ordine septimum. *An Superiores Regulares simpliciter ante ipsius constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant approbatione pro confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis?* Resp. *Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones monialium sibi subiectarum, posse durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantum, quæ sponte, & proprio motu id ab eis petierint. At verè eos, qui post constitutionem eligentur, aut quoquomodo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, seu dignitatibus, expleto iam tempore à constitutionibus cuiusque Ordinis vel alias legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium confessiones audire, nisi prius à Diœcesano Episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.*

75 Tertium in ordine octauum. *An confessiones quoo audiuna superiores Regulare electi seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dicta Bulla, non obtenta Episcopi approbatinne, sint nulla, atque irrita, necne?* Respoud. *Confessiones huiusmodi nullas, atque irritas esse.*

76 Quattum in Ordine nonum. *An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad confessiones personarum secularium audiendas censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum?* Resp. *Nequaquam censeri sed egere quo ad hoc speciali Episcopi approbatione.*

77 Quintum in ordine decimum. *An Regularis ad audien-*

das confessiones monialium vnius monasterij ab Episcopo approbatus, confessiones monialium alterius monasterij audire possit? Resp. *Minime posse.*

78 Sextum in ordine vndecimum. *An confessiones regulares extraordinarij semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas monialium confessiones pro vna vice infra annum ad prescriptum Sacri Concil. Trident. possint virtute dictæ approbationis, pluries tamquam confessores extraordinarij earumdem confessiones audire absque noua Episcopi licentia?* Resp. *Haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum confessiones audire, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

79 Septimum in ordine duodecimum. *Cum in eadem constitutione statutum sit, vt liceat Episcopo ex rationabili causa Regulares admonere, vt amoneant confessores monialium, iisque superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultas prædictos confessores amouendi toties, & quando opus esse iudicauerit. An eiusmodi causam Episcopus superioribus Regularibus significare teneatur?* Resp. *Non teneri huiusmodi causam significare, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentia Episcoporum,* &c.

80 Sed quæri potest hic. An quando in prædictis casibus requiritur approbatio, postuletur etiam examen, licet sub eodem Episcopo fuerit iam examinatus; Ex dictis responsionibus ego colligo Episcopum posse examinare electum confessorem, vel alio modo illum iudicare idoneum in primo, & secundo casu ex supradictis, quia apud Episcopum censentur incogniti, quo ad hoc Officium respectiue ad moniales, ergo examinandi sunt, vt eorum idoneitas, & sufficientia innotescat Episcopo *arg. capit. De Petro, dist.* 47. & in subiecta materia illo c.15.*sess*.43. in reliquis casibus puto non esse examinandos de iure, Tum quia nota non egent probatione. Tum quia non oportet eum vltra certiorari, qui certus est. Tum quia facit illud Ioan 9 *Quid iterum vultis audire?* Cum ergo præfatus confessor de facto iudicatus fuerit generaliter idoneus, non videtur indigere nouo examine, & hoc æquitas suadet, ad quid enim opus inutile examinare eum, quem scis esse idoneum? Faciunt dicta à *Graff.tom.*1 *resol.*4.*de pœnit*.& remiss.

81 Confessarij extraordinarij monialium à Religionis oneribus excusantur pro eo tempore dumtaxat, quo confessionibus audiendis occupantur. *Sacra Congreg.*10. *Mart*. 1593. *ex Sellio cap.* 0. *num.* 16 *refert Barbosa ad cap.* 10. *sess*. 25. *nu*. 17. Confessarij monialium munere fungi non potest habens curam animarum. *Sacra Congr. in Parmensi* 10. *April*. 1615. *ex Aldano tit*. 25. *num*. 11. *refert. Barb. cit. num.* 18. Generalis non potest audire moniales sui Ordinis absque speciali deputatione Episcopi, *Sacra Congr*. 13. *Nouembr*. 1627 *ex Sellio cit. cap.* 39. *num*. 18. *apud cit. Barbos. num.* 19. Non indiget examine ob idoneitatem, quæ præsumitur includi in eminentia sui Officij supremi. Confessarij Monialium non possunt remoueri nisi ex rationabili causa ab ipsis monialibus nominati, *Sacra Congr. 11. Iul*. 1626. *ex eodem Sell. & Barb. n*.20.

Quæres 28. An Regularis approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones secularium de licentia sui superioris, possit audire sui Ordinis fratres, posito quod nullam aliam approbationem, aut licentiam habeat?

82 Resp. Non potest, quia approbatio Episcopi non facit, illum confessarium Religiosorum, sed solam secularium cum in Religiosos non habeat hoc ius, nec sit illorum pastor, à superiore autem Regulari nullum ius habet, vt suppono, ergo nullo modo censetur approbatus respectu regularium. *Vide hanc quæstionem latius resolutam in meo tract. de profes. regul. cap.* 4. *q*. 65. *§. Occurrit.*

Quæres 29. Ob quas causas Episcopus possit suspendere confessarios regulares à se approbatos, & illis auferre potestatem audiendi confessiones?

83 Resp. Ob omnes illas causas, quæ ad confessionem spectant suspendere potest. *Sacra Congre*. 30. *Aug*.1630. *ex Aldano in Compend canon. resol. li*. 1. *tit*. 13. *n*. 4. *apud Barb. ad hoc ca*. 15. *nu*. 51. Episcopus autem non tenetur edicere hanc causam ipsis regularibus, sed tantum Sedi Apostolicæ, si postulatit, Sanctissimus Vrbanus rescripsit in forma Breuis Emin. de Sandoual Episcopo Gienco, 30. Ian. 1629. vt refert Barbosa cit. nu. 50. Causæ autem sunt I. vita scandalosa, vel inhonesta, vt respondit *eadem Sacra Congr. cit*. 30. *Aug. apud Barbosam nu*. 51. præcipua enim confessoris qualitas est vitæ integritas, & morum honestas. II. Si confessarius non moneat Parochum de audita confessione infirmi, eadem Sacra Congreg. die 1. Iul. 1606. apud Gauantum in Manuali Episcop. ver. Confessarius *n*. 27. sufficit autem domi ægrotantis committere vni, vt referat, cum per hoc æque bene satisfiat præcepto. III. Si non seruent interdictum ab Episcopo positum, Sacra Congreg. 20. Nouemb. 1615. Gauant. *cit. n*. 23. IV. Non. interuenientes lectioni casuum conscientiæ, licet confessarius non sit parochus. Homob. *p*. 4. *Resp*. 86. V. Si facialiter audiat confessiones mulierum est suspensus ipso iure ab hoc munere Concil. Prouinc. Mediol. 7. Gauan. n. 19. vnde decreta visitationis Apostolicæ tit. Confessionale in libello inscripto *Auertenze* Sanctissimi Viri Federici Borromæi habet; quod, *Quicumque confessarius confessiones mulierum audierit in Ecclesia, etiam si Regularis sit, non constitutis ad formam confessionalibus, à confessionis munere ipso facto suspensus est.* Huiusmodi autem suspensiones de facto præscriptæ non sunt propriè censuræ, sed simplices pœnæ, vt Doctoribus citatis refert Homobon. *cit. p*. 4. *Resp*. 86. Neque ipso iure incurruntur, sed requiritur aliquis actus ipsius Episcopi suspendentis, seu priuantis confessarium delinquentem ab huiusmodi munere, quod suadet pietas Christiana, ne pœnitentes inutiliter confiteantur cum discrimine vitæ spiritualis. Facit, quod ait Sa ver. Confessor *nu*. 11. prohibiti audire confessiones, si absoluant,, tenet, nisi eis auferatur iurisdictio. VI. Si absoluerit à reseruatis. VII. Si solicitauerit in confessione. VIII. Si mulieres audierit ante ortum solis, vel post eius occasum. IX. Si pro eo ministerio pecuniam acceperit. X. Si confessionem reuelauerit. Præfatæ igitur causæ recensitæ cum immediatè tangant spectantia ad munus confessionis singulæ sufficiunt ad inducendum Episcopum ad suspendendum, & priuandum regularem confessarium ab audiendis confessionibus secularium. Extranea autem videtur causa, si superior nolit vocatus ad processiones accedere; vel si quis prædicet sine benedictione, aut licētia Episcopi, aut si in quouis alio casu nolit superior regularis, vt Episcopus aliqua iura exerceat in sua Ecclesia, vel in personas religiosas, quæ sunt omninò extranea ad hoc pœnitentiæ Sacramentum, cum quo nullam connexionem habent. Adde quod cum non possit compellere Regularem ad vtendum stola cum superpelliceo in hoc munere obeundo, vt censuit Sacra Congregatio 8. Nouembris 1588. vt refert Bariola ver. Confessarius pag. 66. ita neque propter hanc inobedientiam materialem eum priuare facultate confessarij.

Quæres 30. An Episcopus possit punire Regularem confessariom delinquentem, in ministerio confessionis alia pœna, quam priuationis ab audiendi confessionibus?

84 Resp. Non posse. Tum quia apud Sacram Congreg. & Doctores præced. quæst. citatos loquentes de confessariis transgressoribus de alia pœna non fit mentio, quam priuationis à munere confessioni audiendæ, ergo ab hac ad alias non licet extendere casum, cum pœnæ sint restringendæ, non ampliandæ. Tum quia regulares quo ad pœnalia præsertim omnino sunt exempti, & immunes à iudicio Episcopali, vt docent omnes *cum Rodr. Mirand. Comp. resol*. 73. *à nu*. 14. *alios citat Bariola ver. Episcopi pag*. 106. *sed de hac re alibi.* Quare non possunt illos carceribus mancipare, neq; priuare voce actiua, aut passiua, vel censurare, & similibus pœnis

plectere. Demum pœna assignata suspensionis ab eo munere est rationabilis, & de iure, in eo enim debet quis puniri in quo deliquit, secundum vulgata iura, ergo Episcopi debet esse illa contenti, aliter non sustinetur, habent enim suos superiores, quorum est pœnam medicinalem applicare culpæ, & excessui.

Quæres 31. In quibusdam Episcopatibus adest decretum, quod nullus confessarius audiat confessiones mulierum ante ortum solis, neque post illius occasum. An per huiusmodi statutum auferatur, seu minuatur facultas iam illis concessa audiendi confessiones itavt inde data absolutio contra decretum sit nulla.

85 Resp. Quando in decreto adest priuatio, seu suspensio ipso iure audiendi confessiones, sine dubio nulla est data absolutio, quia statim ac incipit Sacramentum ministrare extra lucem, amittit iurisdictionem. Cum verò pœna priuationis est comminatoria, sine dubio validè absoluit, quia per transgressionem decreti iurisdictionem non amittit, sed ad eam perdendam requiritur sententia iudicis. Igitur quando in decreto non constat de priuatione iurisdictionis, sed est simplex prohibitio absque expressione nullitatis absolutionis, aut priuationis audiendi confessiones, in hoc casu tenet absolutio, quod probatur, tum quia simplex prohibitio carens decreto irritante actum contra se gestum non reddit nullum; sed hæc est simplex prohibitio, ergo non irritat factum contra se, vnde regula. Quæ contra ius fiunt debent vtique pro infectis haberi, 64. in 6. habeat locum, quando continet decretum irritans. Tum quia prohibitio continens formam accidentalem non irritat gestum contra se, *Sanch. li. 3. disput. 5. §. Ad* 4. Nam talis forma dat modum rite agendi. & non validè operandi, cum aliunde id habeat. Tum quia forma data habenti iam facultatem, non seruata actum non irritat, *glos. ver. Inhibentes, Clem. 1. de iurepat. quamplures Doctores citat Sanch. li. 3. disp. 32. initio.* Sed illud decretum promulgatur iam confessariis existentibus; imò hoc procedit etiam respectu futurorum, & approbandorum, quia forma reseruanda iuxta dicta, est solum accidentalis, ac proinde non tollens facultatem transgressoribus.

86 Pater Hyeronimus Trimarchus ex Minimis in suo opere de confessario abutente Sacramento Pœnitentiæ, quod in lucem Genuæ dedit hoc anno 1636. *disp. 5. sect. 2. n. 26.* excitat hoc quæsitum, cui respondet affirmatiuè, probando duabus rationibus, quarum prima est, quia in decreto Genuensi adest clausula, *Nisi*, cuius natura est conditionalis limitatiua, & modificatiua; altera est, quia in ipso decreto confessarius transgressor ipso iure est suspensus; hæc posterior ratio aperte tollit difficultatem, & gratia dubitatur circa huiusmodi decreta, cum expresse sint irritantia. Prior verò eius ratio non conuincit, quia illa dictio non sumitur códitionatè, sed significat modum rectè, & prudenter ministrandi hoc Sacramentum, vt superius dixi.

Quæres 32. An sacerdos parochus, vel alias confessarius ingrediendo religionem perdat iurisdictionem ordinariam, vel delegatam audiendi confessiones secularium, vel possit prosequi vt ante, ac non esset nouitius in religione?

87 Respond. Ambo adhuc retinent potestatem, & validè absoluunt eos, quos ante ingressum audire poterant probatur, quia ingressus in nouitiatum non repugnat huic ministerio; neque aliquo iure aufertur illis hæc potestas. Confirmatur de parocho, quia is infra annum nouitiatus est adhuc dominus sui beneficij, cui debet inseruire per alium, illi portione assignata de ipsius prouentibus, *vt habetur ca. Beneficium, de reg. in* 6. vnde & habet omnia iura dependentia ab eo beneficio, & gaudet fructibus sui beneficij, & accedere potest ad eligendum, si ad hoc ius habeat, & ritè eligit, docent *Francus super dictum ca. Azor. tom. 1. li. 12. c. 3. q. 1. & cum eis Sanch. li. 7. c. 4. n. 11.* Imò capax est beneficij secularis nouitius, vt asserunt fere omnes super dictum capur *Azor. cit. cum Sanch. n. 22.* cum igitur nouitius in anno probationis adhuc sit sui iuris, & proprietatis capax, potest quæcumque exercere, quæ antea poterat, quæ non impediunt probationem, consequenter si ante ingressum erat Confessarius, hoc munus in religione exercere potest respectu eorum tantum, quos antea poterat absoluere. Nihilominus in Religionibus non permittuntur huiusmodi actiones nouitiis, sed omninò prohibentur à prælatis, quia conueniens non est, eum qui exercet officium discipuli, & addiscentis simul sit etiam magister, & docens, cum nondum religiose loqui didicerit. Attentata autem absolutio tenebit, quia sicut prælatus Religionis illi potestatem non contulit, ita neque auferre potest, cui in hoc non subiicitur nouitius, nisi ex suppositione, si velit manere, ideò contra faciendo, peccat solum mortaliter. Si Parochus renunciauit beneficium certum est, non amplius habere potestatem ordinariam, neque proinde posse amplius excipere suorum Confessiones, nisi habeat præterea delegationem audiendi quoscumque ad se accedentes, ex communi Doctorum *cum Floren. de casibus reser. cap. 4. §. 12. num. 7. Bossio sect. 3. de Iubil. n. 56.*

Dubitatur autem an ista potestas delegationis in ipsis 88
duret post professionem?

Dico, quod sic: & quia hæc facultas non repugnat statui Religioso, cui imò est multum proficua, cum sint coadiutores Parochorum *Nau. cons. 7. de priuil. num. 14.* & quia non est magis annexa statui clericali, quam Regulari, quasi cum eo extinguatur, & quia clericus ingrediens non amittit alia iura & facultates, quæ non repugnant religioni, ergo neque facultatem absoluendi. Nec obstat quod regularis non sit confessarius nisi præsentetur, ex mox dicendis, quia procedit in nondum Confessariis; neque obstat quod professione effectus si de foro Religionis, & exemptus, quia quo ad hoc munus adhuc est subditus sicut alij confessarij; neque obstat regula illa, quod mutatione personæ extinguatur priuilegium. *l. Licitatio §. fi. ff. de public. Grilenz. cons. 69. n. 3.* Quia procedit quando fit transitus ad statum impossibilem cum priuilegio, præter quod Confessarius examinatus non dicitur ex priuilegio talis, sed ex actu iustitiæ, vt docent communiter, *doct. cum Bossio de iubilaeo sect. 3. numero* 15. Superiores tamen id munus illis interdicere possunt, vt in hoc recognoscantur, imò & Cogere ad renunciationem ante professionem, requiritur tamen acceptatio Episcopi, aliter in his tenet absolutio. In Religionibus in quibus hoc munus non exercetur, professione extinguitur omninò facultas, cum sit incompossibilis cum tali statu Religionis.

Quæres 33. Ad quosnam superiores in Tertio Ordine spectat Episcopis præsentare Sacerdotes pro audiendis Confessionibus secularium.

Resp. Spectat ad superiores maiores ex c. 22. Regulæ, 89
illis verbis. *A nullo Religionis nostræ Sacerdote laicorum confessionem audiri volumus, & decernimus priusquam sibi à Generali ministro, aut eius Commissariis, vel Prouincialibus Vicariis licentia, seu venia huiusce muneris obeundi fuerit concessa.* Itaque præsentatio hæc fieri potest à prædictis per licentiam in scriptis, vel oretenus comparendo coram Episcopo cum Sacerdotibus examinandis. Nunquam autem deberent isti superiores licentiare Sacerdotes sine cõscientia superioris localis, qui alijs melius sit, & nouit, quinam sint apti ad hoc spirituale munus exercendum, & quibus indigeat sua Ecclesia, cui immediatè præest, hoc dictante subordinatione maiorum, & minoru m superiorum in regimine politico, & œconomico. *Vide resol. 9. q. 9. Quod si.*

De iure communi Clem. *Dudum, de sepult.* præsentatio 90
confessariorum in Ordine Prædicatorum, & Minorum fit per superiores Generales, Prouinciales, aut eorum Vicarios, & Custodes, vt ibidem latius dicitur §. *Statuimus, & §. Ac deinde.* De qua præsentatione *vide Rodr. tom. 1. q. 59. art. 1. & 3. cum suo Compend. resol. 22. num. 1. vsque ad 10. Mirand. tom. 2. q. 45 ar. 5. Nau.*

cap.

cap. 27. n. 260. & 261. Portel. ver. Confessor. Regularis. Sed uon est immotandum, cum nihil vtilitatis nunc conferat? faciunt tamen dicta superiùs præsertim sub *quæst.* 1. & 11.

Quæritur 34. de modo manendi sacerdotis coram Episcopo, vel eius Vicario in actu examinationis pro confessionibus audiendis? An nimirum possit sedere, coopetto capite, & ad hoc ordinarius debeat illum inuitare, an verò cogere possit illum ad standum coram se aperto capite. Formatur autem casus, qui alias accidit, vt à fide dignis mihi relatum fuit. Quidam Religiosus Magister in Sacta Theologia examini subiectus, quia à Prælato non fuit ad sedendum inuitatus, neque etiam aderat sedile pro ipso, contra Vicarium Generalem protupit in hæc verba. Non sum puer indigens examine grammaticali, sum Magister Theologiæ, quare non me honoras, dando sedile, quod solet supponi aliis Doctoribus examinandis? Vicarius, cui parum honesta visa fuit huiusmodi querula, respondit, eum temerè loquutum fuisse, & quod tunc deberet state? replicauit Religiosus verbis aliis, & factis coram illo, & examinatoribus lacerando dimissorias, quo facto Vicarius eũ suis carceribus mancipari mandauit; sed ferunt, emancipatum statim fuisse. Superior autem Religiosi prætendebat Vicarium incidisse in excommunicationem.

91 Resp. Est in potestate ordinarij concedere illi sessionem; ideo Vicarius vsus fuit iure suo, & redarguendo Religiosum de impertinenti modo luquendi, & illum in carcerem coniiciendo; neque proinde incurrit aliquam censuram.

92 Primum, de concessione arbitraria sessionis suadetur. Tum quia examinandus se habet ibi vt persona priuata; ergo nullum ius habet ad honorem sessionis; etsi enim magister sit, cum sine magisterio quis possit esse sacerdos, & confessarius, in casu nostro qualitas magisterij se habet, ac si non esset in consideratione; ergo nullum ius sedendi dat in hoc casu. Quod si dicas, esse personam publicam, non priuatam, quia persona priuata est illa, quæ caret dignitate; *glos. ver. Priuati, ca. Qui contra 32. 24. quæst. 1.* qua non caret Religiosus iste, cum sit Doctor Theologus; doctoratus autem est dignitas, de communi, *apud Villalobos lit. D, nu. 89. in antiquis, Graff. Addit. ad lib. 3. cap. 5. num. 94.* & ordo Doctoratus est quasi præcipuus in Ecclesia Dei, *cap. Cum ex iniuncto 13. de heret.* vnde, Doctor honorandus est *capit. De multa, ad finem 38. de praben.* & cæteris præcedit, *Grilenz. consil. 127.* ergo omnino habet ius ad sessionem signum sui honoris. Contradico, obiecta habere locum, quando persona spectatur formaliter, quatenus doctor est, quod in casu nostro non procedit, in quo non habetur ratio doctoratus, sed examinis Religiosi sacerdotis, de quo ferendum est iudicium, sitne idoneus, nec ne ad audiendas confessiones, non enim examinatur, vt probetur idoneus Doctor, sed habilis confessarius, termini enim in quauis materia formaliter sunt accipiendi, non materialiter. *Caiet. ver. Excommunicatio ca. 1. ad finem, ex eo Megal. part. 3. de censur. lib. 3. cap. 1. num. 26. Nauar. consil. 23. de sent. excomm. nu. 9.*

Probatur 2. Quuia in hoc casu Religiosus se habet formaliter vt subditus coram suo superiore, vt tali formaliter, & in actu; vt igitur aliqua differentia appareat inter superiorem, & subditum, ratione honoris, & reuerentiæ, debet Religiosus state coram Prælato sedente. Tum quia maiores honorandi sunt à minoribus, à quibus obsequium illis præstandum est. *l. 1. C. de off. cap. A subdiacono dist. 93. & tit. de maior.* ergo sacerdos examinandus cum sit minor Prælato, a quo examinandus huic honorem, & obsequium præstare tenetur, quod præ cæteris consistit in stando coram illo, capite aperto. Quarto, inter graduatos, simplices sacerdotes in ordine ad examen nulla est differentia; Tridentinum enim vtitur clausula, *Nullum Regularem*, non distinguendo inter simplices, & graduatos, quod nec nos facere conuenit, ex vulgatis iuribus, præterquam quod proposito vniuersalis expressa tantam vim habet, vt includat ea etiam, quæ alias non comprehenderentur, *Bart. in l. Cum rem alienam C. de legib. numero 3.* Confirmatur per Bullam Pij V. incip. *Romani Pontificis* apud Coufect. pag. 228. Bull. noui 133. Si ergo sacerdotes Regulares examinandi, quicumque illi sint, pares sunt, necesse quoque est, vt compares sint in honorando Prælato, stando aperto capite.

Secundum, quod Vicarius vsus fuerit iure suo redarguendo, & carcerando illum, probatur, quia licet nullus punire possit sibi iniuriantem, cum nemo sit iudex in propria causa. *l. vn. C. Ne quis in sua causa. glos. ver. Primetur, c. Si quis 15. 2. q. 2. & glos. ver. Ordinarij c. 7. de priuil. in 9. & sæpè alibi.* Tamen hoc fallit, quando iniuria redundat in dignitatem, seu Officium iniuria affecti, vt notatur in *c. 1. de off. deleg. c. 1. de Pœnis in 6. Alex. vol. 1. consil. 33. relatis à Graff Addit. ad secundam partem lib. 2. cap. 17. ad nu. 15. nu. 16.* Nec obstat, quod Religiosus sit exemptus, quia in hoc casu cum sit formaliter subditus Episcopo quo ad examen, talis etiam censetur quo ad accessoria, & accidentalia tunc occurrentia, sine dubio ab illo puniri potest. 93

Tertium, quod nullam inciderit censuram, colligitur ex probatis, quia censura maximè excommunicationis non incurritur sine præuio mortali peccato, quod non commisit præfatus Vicarius, ergo non est censendus excommunicatus.

Demum, in multis Episcopatibus obseruaui, examinandos, cuiuscumque sint conditionis, & gradus, semper stare coram Ordinario, & examinatoribus, quod sine dubio dictat ratio, cum inibi se habeant vt inferioris conditionis, & subiecti maioribus, quibus statione reuerentia exhibenda est. 94

Quæres 35. An Religiosus Parochus veniat sub nomine Generalis reuocationis omnium confessariorum Regularium factæ à successore Episcopo, itavt veniat cum aliis confessariis de nouo examinandus?

Resp. Non venit, neque de nouo est examinandus. 95 Probatur, Tum quia qualificata dispositio numquam venit sub simplici, *Nald. ver. Qualitas num. 8. & faciunt cap. De multa, de prabend. cap. Sedes Apostolica, de rescr. cap. fin. de off. deleg. in 6. cap. Ne aliqui, de priuileg. in 6. Gutier lib. 1 Tractic. q. 16. nu. 51. ex Trimarcho disp. 8. de Solicit. in confess. sect. 3. nu. 43.* Speciali enim nota dignus non venit sub generali locutione, cuiusmodi est confessarius Parochus, cum habeat curam animarum, ex quo eius potestas dicitur ordinaria immediate illi communicata à Summo Pontifice, cum dependentia, & subordinatione Episcopo, vt probat *Megal. part. 1. lib. 1. cap. 7. n. 4.* cæterorum autem confessariorum est tantum delegata, & limitata. Tum quia Parochus Regularis substat eisdem incommodis, & oneribus, quibus secularis, sed is non examinatur à successore, ergo neque Regularis, siquidem, qui sentit onus, & commodum sentire debet. *Reg. 55. in 6.* Neque valet, quod secularis habet titulum beneficij, à quo amoueri non potest, sicut Regularis, qui remoueri potest ad nutum superioris, neque titolum habere dicitur, quia etiam Religiosus deputatus ad curam animarum suo monasterio aunexam ab Episcopo approbatus, dicitur eo ipso institutus, & sic institutus, *cap. Visis literis, & seq. 16. 2.* Religiosi enim sunt capaces beneficij quo ad titulum, *sess. 14. cap. 10.* qui etsi in secularibus dicat ius possidendi quoad proprietatem, in Religiosis verò dicit collationem, & facultatem administrandi Sacramenta fidelibus Parochiæ suæ subiectis, titulus enim nõ consistit in solo iure possidendi, vt tradit *glos. ver.* Intitolatum *capit. Dudum 54. de elect. & ver. Probare potuerit, capit. Ex insinuatione 3. de procur. Azor. par. secunda libro tertio capitulo 26. quæst. 2.* quem sequitur in terminis *Peyrinus in suo Formul. lit. C. capit. 13. num. 7.* Neque verum est absolutè quod superior potest ad nutum remouere Religiosum curatum, quia alias

illi faceret iniuriam, cum per examen acquisierit ius ad illud Officium, à quo non est remouendus sine rationabili causa, vt docent plures *apud Sanchez libro septimo, capitulo 29. numero 120.* Neque obstare possunt iura capit. Cum ad monasterium, *de statu monach. capitulo secundo sess. 25.* Vbi dicuntur Officia mobilia, nam procedit de Officiis intra Religionem, non autem de cura animarum, vnde Trident. *eadem sess. capitulo 11.* Supponit huiusmodi Officia curæ animarum potius perpetua apud Regulares, quàm mobilia, ibi: *Etiam ad nutum amouibiles*, quæ est dictio implicatiua supponens dari Curatos Regulares inamouibiles. Aliam responsionem refert Peytin. *cit Ad 2.* Non obstare amouibilitatem. Tum quia habens Parochiale beneficium examinandus denuo non est, neque à successore docet *Panorm. in cap. Accepimus de atate numero tertio, & sexto Riccius part. 3. resolut. 192. numero secundo apud dictum Peyrinum numero tertio.* Tum quia si est denuo examinandus à successore maximè stante Bulla Pij V. incip. *Romani Pontificis.* in Bull. nouo 133. apud Confect. pag. 228. quæ fundata in Trident. *Sess. 23. capit. 15.* Statuit Confessarios Regulares vocati posse ad examen ab Episcopo successore pro maiori cõscientiæ suæ quiete; sed ibi sermo est de confessariis simplicibus, & delegatis, non autem Parochialibus, qui in Tridentino, & consequenter in hac Bulla excipiuntur ab eo examine, de quo ibi, vt constat ex illa clausula. *Nisi aut parochiale beneficium.* Particula enim nisi, & exceptiua, & exclusiua hic ab examine, quod solent facere Episcopi, argum, eorum, quæ de hac dictione notantur in. *Reg. Peccatum, in 6. in cap. 1. de except. in 6. & in tit. Ne sede vac. in 6. & in l. Actione, C. de transact. Decius in cap. Cum sit Romana, de appellat. n. 12. Hanc responsionem in terminis tenet Peyrinus cu. lit. C, capit. 13. vbi multa congerit.*

Hinc collige non posse Episcopos etiam successores ad examen reuocare huiusmodi confessarios Regulares Curatos, quia eos tenentur simpliciter admittere, & non ad certum tempus, cum non debeant esse deterioris conditionis Curatis secularibus, quibus sicut pares delegatos Confessarios, facit *Clem. in fua. Dudum, de sepult.* Ita eo magis iudicandi sunt Parochi regulares secularibus æquales & similes, & sicut seculares simpliciter approbantur, ita & Regulares, id suadentibus vulgaris iuribus.

Quæres 36. An Parochus e.g. Parmensis confessarium Regularem approbatum ab Episcopo Regiensi, vel etiam a Parmensi, se limitate in tali Ecclesia, vel tales pœnitentes, aliquando, puta tempore Paschatis vocare possit ad audiendas confessiones suorum parochianorum in propria Ecclesia? Videtur respondendum negatiuè In vtroque casu, & quia illi sacerdotes, quamtumuis confessarij in aliena Diœcesi, aut etiam in illa Parochi inuitantis respectu loci, & personarum, tamen respectu Ecclesiæ Parochialis, & Parochianorum illius, videntur simplices sacerdotes; ac proinde hoc spirituale munus exercere non possunt, secundum Trident. *Sess. 23. capitulo 15.* nisi prius approbentur ab Episcopo Parochi vocantis: Et quia (loquendo de Regularibus) licèt hi habeant priuilegium audiendi quoslibet ad se accedentes *ex probatis resolut 6. quæst. 3. & resolut. 36. quæstiones. 5. Septima, & q. 12.* Non ideò possunt ipsi accedere ad alienas Ecclesias maximè extra Diœcesim, in qua fuerunt approbati. Quibus non obstantibus.

96 Respond. Parochus potest vocare confessarium quemcumque approbatum ab aliquo Episcopo, seu habente facultatem approbandi, quamuis tam approbator, quàm approbatus vocatus sint alienæ Diœcesis. Probatur ex *cap. Omnis 12. de pœnit.* Vbi dicitur, quod Parochus, potest dare licentiam suo Parochiano confitendi alieno sacerdoti, intellige, ait glosa, habenti executionem idest approbationem audiendi confessiones ergo & vocare confessarium alienum, coincidunt enim dare facultatem eligendi confessarium extraneum, & vocare illum ad id munus. Nec his obstat Trident. loco citato, *Vt tradit Navar. tom. 5. in capit. Placuit num. 43. Bossius sect. 3. de Iubilæo casu 2. num. 215. deinceps, & num. 231. Faciunt quæ habet Faber disput. 25. de Pœnit. num. 105. & disputa. 30. num. 36.* Per hanc autem vocationem, seu licentiam immediatè factam Pœnitenti suo Parochus non dicitur delegare electo sacerdoti iurisdictionem audiendi illum, sed designare illi confessarium, seu concedere electionem idonei sacerdotis, cui postea de iure communi citaro communicatur, seu communicata intelligitur facultas extendi hoc spirituale munus. *Idem docet Beia parte prima casu 16. §. Præterea*, Non obstante Tridentino, *& parte quarta, casu quinto in quibus locu plura de hac re.* 97

Synodus Parmensis sub illustrissimo, & Reuerendissimo Episcopo Pompeio Cornazano hoc idem videtur innuere illis verbis. *Extra tempus Paschale possit quilibet confiteri, cui sibi voluerit, Confessori, dummodo sit ex approbatis ad audiendas Confessiones.* Vbi obserua illam particulam, *Ex approbatis*, indefinite positam, consequenter intelligendam generaliter respectu cuiuslibet Episcopi, sermo enim simpliciter prolatus, generaliter est intelligendus, vt habent vulgata iura. In eodem tamen capite, quod est Tit. XXVIII. de Sacram. Pœnit. videtur apertè asserere oppositum ex parte confessarij, cui prohibetur audire pœnitentes alterius Parochiæ illi verbis. *Capellani verò in Ecclesiis, in quibus & Parochi exerceant curam animarum, non possint audire, nisi pœnitentes Parochiæ, ad quàm fuere admissi, quia limitata causa, limitatum parit effectum; & nullo modo audiant etiam ex aliorum Parochorum licentia alienos Parochianos. Qui verò Capellani nomine, re sunt, ac si essent Parochi possint omnes audire, vt Parochi.* Legenti vtrumque decretum alteri repugnare videtur, sed res ita non est, tollitur distinguendo, aliud namque est eligere confessarium, quod conceditur in primo decreto, aliud audire virtute approbationis extraneus, quod prohibetur in posteriori Drecreto,

Vnum aduerto, ibidem exprimi aliud decretum prohibitum, illis verbis. *Nulli pœnitentes in Paschate saltem, nisi ex licentia sui Parochi, alteri confiteantur.* Quod est conforme iuri, Non tamen tollit, quin possint confiteri, etiam si ne licentia Parochi, Confessario Regulari, qui ex priuilegio Pontificio audire potest quoscumque ad se accedentes, vt probaui suprà initio quæstionis, Decreta siquidem Synodalia nequaquam possunt infringere priuilegia Regularibus concessa Summis Pontificibus, quia inferior nihil potest in legem superioris, ex vulgatis iuribus,

Quæres 37. Quamuam facultatem habeant confessarij Regulares, vel etiam seculares approbati à quibusdam magis Prælatis exemptis ab Episcopis, de quibus dixi hic q. 22. An scilicet possunt audire quoslibet ad se accedentes, & absoluere reseruatis Episcopo, in cuius Diœcesi est locus exemptus?

98 Resp. Si sunt Regulares possint audire quoslibet ad se accedentes, iuxta dicta mox in præcedenti quæsito, seculares verò omnes accedentes cum licentia saltem tacita sui Parochi, pro quo faciunt dicta in præcedentibus. Quod ad secundum, debent seruare leges sui Ordinatij, qui sibi si casus non reseruauit, ab his immunes sunt, & etiam à casibus Episcoporum, quia eorum iurisdictioni in hoc subduntur, vnde aduenas, & huiusmodi, quos simpliciter possunt audire, absoluere valent à reseruatis suis superioribus.

Dices hoc procedere in Confessario Regulari, non seculari, ea differentia, quod Regularis idcò absoluit quoscumque etiam à reseruatis, quia facultatem absoluendi habet immediatè à Papa, cui omnes Christi fideles subiiciuntur; secularis verò cum habeat facultatem delegatam præcisè ab illo magno Prælato non potest hoc Sacramentum ministrare nisi illis, quos ille prælatus absoluere potest, ex vulgaris iuribus: Nemo plus iuris in alium conferre potest, quàm sibi competere dignoscatur

noscatur 79. in 6. Qui suos subditos tantum absoluere potest, ergo & hoc ius tantum in Confessarium secularem conferre potest.

Respondetur tamen etiam secularem posse audire,& absoluere extaneos ad se accedentes occasione peregrinationis,deuotionis,&c.quia in eo casu euadit eius subditus, quo ad ritè hoc sacramentum recipiendum. Faciut *dicta resol.6.q.20.* ex illa siquidem subjectione non amplius est extraneus,sed proprius & Parochianus.

Quæres 38. An Confessarij Regulares accipiant facultatem delegatam ministrandi Sacramentum pœnitentiæ ab Episcopo approbante, an posita illius approbatione eam immediatè recipiant à Sede Apostolica?

99 Respond.supra *q.5.§.Septima*,eam recipere immediatè à Summo Pontifice.

Quæres 39. An facultas concessa à Prouinciali, aut Generali alicui præsentandi se Episcopo pro examine ad Confessiones secularium audiendas durat etiam finitis eorum officijs?

100 Respond. Adhuc durare, donec reuocetur à successoribus, modo non sit limitata, durante eorum officio. Probatur, quia huiusmodi gratia censetur facta, ea enim gratia vocatur facta, quæ alicui fit in eius fauorem, independenter ab aliis, quibus prodesse potest, Sanch.*lib.8.disp.*28.*n.*48.ac proinde durat post mortem concedentis, aut eius officium finitum, *ex cap. Si cui 36.de prabend.* Sanchez *cit. num.*64. Quare cum licentia præsentandi se coram ordinario sit gratia facta, durat etiam post officium concedentis finitum.Confirmatur quia durat facultas conferendi, beneficia alicui concessa, personis non expressis *est citat. cap. Item facultas dispensandi, personis non expressis* Sanchez *citat. num.*8. Item & recipiendi ordines, *ex eod. num.*53. quia istæ sunt gratiæ factæ, ergo à simili facultas se præsentandi pro examine est gratia facta, licet prædictæ omnes facultates respiciant quid futurum, Dixi *Modo non sit limitata*, quia tunc cum officio desinit esse, censetur etiam limitata,si facultas contineat Episcopum certum, coram quo Religiosus se præsentare debet,à pari de facultate concessa dispensandi cum tali persona.

101 Nota autem, quod facultas se præsentandi concessa ab vno Prouinciali siue sit noua, siue antiqua prodest tantum, & valet pro ea Prouincia in qua Prouincialis præest, vnde ea inualide vtitur, si transeat sub iurisdictione alterius Prouincialis in alia Prouincia, quia facultas non extenditur vltra Prouinciam concedentis.

RESOLVTIO XXXVII.

De reseruatione Casuum in Religione.

SVMMARIVM.

1 *Extenditur Decretum Clem.VIII.*
2 *Quid sit casus,& reseruatio?*
3 *Reseruatio odiosa confessario, & pœnitenti.*
4 *De variis speciebus casuum reseruatorum.*
5 *Casus expressi in Tabellis non excludunt reseruatos à iure.*
6 *Casus expressi in Regulis sublati.*
7 *Veniale non est reseruabile.*
8 *Mortale semel remissum ritè non est reseruabile.*
9 *Omnium externorum reseruatio fieri non potest.*
10 *Quomodo reseruentur habentia adnexam censuram.*
11 *Casus Papales habent adnexam censuram.*
12 *Inferiores reseruant peccata etiam cum censuris.*
13 *Reseruatio est censura primario.*
14 *Censura sublata à quouis tollitur peccatum.*
15 *Reseruatio peccati includit etiam censuram non reseruatam*
16 *Reseruatio inferioris suam non facit reseruationem superioris.*
17 *Concedens absolutionem peccati,etiam censure.*
18 *Dicta procedunt etiam inter regulares.*
19 *Peccato non reseruato adhuc censura est reseruata.*
20 *Casuum nomine veniunt solum peccata.*
21 *Reincidentia etiam in solam censuram est materia reseruationis.*
22 *Reincidentia est in speciem.*
23 *Tenor statutum de se præsentando.*
24 *Modo non sit sub conditione.*
25 *Probatur tenere illud statutum.*
26 *Potestas reseruandi apud Ecclesiam est de fide.*
27 *Procedit immediatè à Christo ad Papam.*
28 *Negans hanc potestatem est hæreticus.*
29 *Quinam Superiores Seculares possint sibi reseruare casus.*
30 *Qui vero Regulares.*
31 *Generales & Prouinciales soli reseruant.*
32 *Superiores locales non reseruant.*
34 *Delegabilis est hæc potestas.*
35. *Delegante amoto spirat delegatio.*
26 *Prouincialis in hac potestate subordinatur Generali.*
37 *Generalis sine causa non prohibet hanc potestatem.*
38 *De modo tenendo in reseruandis casibus.*
39 *Modus assignatus omissus non vitiat reseruationem.*
40 *Par numerus casuum respectu Secularium, & Regularium.*
41 *Casus expressi in Decreto non sunt actu reseruati.*
42 *Alios præter vndecim sibi reseruare possunt.*
43 *Omnes casus de consensu capituli sunt reseruandi.*
44 *Etiam censure.*
45 *De quibus disponit Decretum.*
46 *Reseruatio propria authoritate facta non tenet.*
47 *Casus non expressi reseruandi sunt cum consensu Capituli*
48 *Excommunicatio adiecta peccato tripliciter spectari potest.*
49 *Forma præscripta habens potestatem non est essentialis.*
50 *Superior cum suis Definitoribus tantum facit casus.*
51 *Discussio, & consensus capitulariter petitur.*
52 *Superior se solo interpretatur casus dubios.*
53 *Restringit illos.*
54 *Sed non ampliat.*
55 *Vndecim illos non tenetur reseruare sub eisdem verbis.*
56 *Muiores solum vi huius Decreti reseruant.*
57 *Capitulum locale non succedit loco Prouincialis.*
58 *Pro vno conuentu non pro alio fieri non potest.*
59 *Subditi non possunt renuntiare huic formæ.*
60 *Reseruatio in singulis Conuentibus publicanda.*
61 *An reuocatio solemniter sit facienda.*
62 *Reseruatio quando dicatur iuris,non hominis.*
63 *In capitulo generali potest fieri reseruatio pro omnibus.*
64 *Negligens eam facere, peccat mortaliter.*
65 *Exponitur casus.* Omnis excommunicatio maior.
66 *Includit omnes iam latas.*
67 *Non autem post ferendas.*
68 *Cui casui non potest supperaddi excommunicatio ferenda.*

CLemens Papa VIII. felicis recordationis edoctus de parum prudenti modo, quo Superiores Regulares olim casus sibi reseruare solebant, ex quo nonnulli ex Religiosis infirmiores sua peccata Superiori detegere reformidabant, vnde in periculum æternæ damnationis adduci possent, cui malo occurrere cupiens edidit sequens Decretum super casuum reseruatione ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum.

Sanctissimus Dominus noster, qui iampridem accuratè perpendit, & re ipsa comperit, quod reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac mo- 1

deratè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidabant, adducere posset in æterna damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem. Quocirca, vt huic malo Sanctitas sua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire, prudenter in Domino iudicauerint.

I. *Veneficia, Incantationes, Sortilegia.*

II. *Apostasia à Religione siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio.*

III. *Nocturna, & furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostandi facta.*

IV. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

V. *Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.*

VI. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

VII. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterij, aut Conuentus.*

VIII. *Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

IX. *Lapsus carnis voluntarius opere consumatus.*

X. *Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ.*

XI. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur id non aliter fiat, quam Generalis capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet spontè, aut proprio motu id ab ipsis petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, qui sint docti, prudentes, charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant: & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipsi in primis confessarijs iudicauerit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis à Confessarijs imponendas, quæ subditos ad huiusmodi perpetrandis cohibere possint. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint obseruari mandauit.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, etiam Generalis, Decretis, necnon consuetudinibus ab immemorabili etiam tempore obseruatis, aut Regulis in Generalibus seu Prouincialibus Capitulis editis, statutis, & constitutionibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis, priuilegiis, indultis, & concessionibus quibuscumque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die verò 26. Maij 1593.

Hoc Decretum de verbo ad verbum extendunt Sorbus *ver. Absolutio ord. quo ad Fratres. Confectum in suo Summ. tit* 17. *cap.*8. Franciscus Longus à Coriolano illud explicans *in suo tractatu de casibus reseruatis*, refert Nald. *ver. Religiosus* 43. Quarantа *ver. Casus reseruati*, Vecchius *disput.*11. *de Nouitiis.* Agunt verò de illo Rodriq. *tom.*1. *quæst.*23. *cum suo Compend. resolut.*22. Mirand. *tom.* 2. *quæstione* 34. Portell. *ver. Casus reseruati*, Graff. *in praxi libro tertio* Beia *part.*3. *casu* 16. Megal. *libro primo de Pœnit. cap.*12. & fere omnes Moderni.

Nonnulla dubia emergunt ex intelligentia huius Decreti, quorum resolutio, præmissis quibusdam, quæ spectant ad casus reseruatos in genere, facilè colligetur ex responsione ad subiectas quæstiones.

Quæres 1. Quid sit casus reseruatus, & eiusdem reseruatio?

Respond. I. Quo ad definitionem quid nominis, ca- a
sus, relictis variis eius significationibus, quæ non faciunt ad rem, cum mentem potius obtenebrent, quàm dilucident, accipitur primo pro quacumque quæstione spectante ad Theologum moralem, siue versetur circa peccata, siue circa censuras, siue circa vota, aut iuramenta, & his similia, vt docet Graff. *in pr. lib.*1. *cap.*1. *num.*5. Vnde casus conscientiæ est quæstio de moribus facta, seu est inquisitio de bonitate, & malitia humanorum actuum. Accipitur secundò pro peccato quocumque tam mortali, quàm veniali, siue reseruato, seu non, siquidem homo peccando cadit à rectitudine, secundum quam debebat benè operari: hinc fit quod peccatum vocatur casus, eo quod cadat peccator per mortale à statu altiori gratiæ, & si iam cecidit per præteritum, magis adhuc cadit, & profundatur per subsequentia, iuxta illud D. Greg. *Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit*, qui casus contingit etiam per peccatum veniale, iuxta illud Prouerb. 24. 26. *Septies in die cadit iustus*, & sic cadendo decrescit in illo gratia Dei, licet non depereat, iuxta aliud. *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Itaque casus moraliter sic dicitur, quia peccans cadit à gratia Dei per mortale, aut ab eius augmento per veniale. Accipitur tertio magis ad rem nostram pro peccato solum reseruato, quod definitur in sequenti responsione.

Respond. II. Casus reseruatus describitur peccatum mortale exterius vt tale consũmatum sub ea integra ratione specialis malitiæ, sub qua expressè, & in terminis eius absolutio reseruatur à Superiore, eo fine, vt subditi à grauioribus culpis se abstineant. Singulæ particulæ diligenter sunt explicandæ.

Dixi I. *Peccatum*, quia sumendo presse hanc vocem, casus reseruatus, propriè venit solum peccatum, vt docui in prima responsione, vnde concessis casibus reseruatis alicui Confessario non censentur concessæ censuræ, nisi in duobus casibus; primo, quando concessio est Papalis de suis casibus, nam Papa non solet sibi reseruare peccata sine censuris, consequenter concedendo suos casus necessariò concedit censura, quæ illius propriè sunt casus. Secundo respectu inferiorum, quando concedunt omnes suos casus, inter quos numerantur aliquæ censuræ, tunc sub concessione casuum veniunt etiam censuræ, cum dicantur tunc casus, aliter sub nomine casuum non currunt censuræ, quia istæ non sunt peccata, quod est de essentia casus, sed pœnæ spirituales ipsorum peccatorum. Multo minus veniunt vota, iuramenta, & irregularitates, cum non sint peccata, cum Superiores non soleant de his facere reseruationem, quia de iure communi in his dispensatio spectat ad Superiores, & Prælatos.

Dixi II. *Peccatum mortale*, quia veniale non solet reseruari, an autem possint Prælati reseruare? dicam infra *quæst.*6. Peccatum autem mortale non sufficit vt sit tale ex genere suo, & speculatiuè, sed debet esse tale in actu exercito, & practicè in quantum perpetratur ab hac vel illa persona, vt sciat Confessarius committentem aliquod peccatum, quod ex genere suo est mortale, non incidere in casum reseruatum, si ex aliqua circunstantia fiat veniale, aut nullum peccatum: exemplum sit in blasphemante, qui si non aduertat ad

id

Id quod dicit, non peccat mortaliter, licet bl sphemia ex genere suo, speculatiue sit mortale, consequenter non incidit in casum reseruatum. Item religiosus proprietarius in re leui, vel modicum furans de rebus Monasterij non incidit in casum 4. neque 8. Si hi duo casus sint reseruati iuxta Decretum Clem. VIII. vt dicam suis locis. Vide Graff. *part.1. lib.1. cap.13. num.72.* & fusius in praxi *lib.1. cap.4. Regul.4. & in Append. lib.1. cap.7. num.26.* Bonac. *q.7. de pœnit. p.3. §.1. num.3.* Floronum *part.1. c.1. à n.13.*

Dixi III. *Exterius*, quia Ecclesia non solet sibi reseruare peccata interna, quia de occultis non iudicat, *cap. Erubescunt 11. dist.32. cap. Consuluisti 18. 2. quæst.5. cap. fin. 32. quæst.5. cap. Sicut tuis litteris 33. de simon. in fine, Tua nos, eod.* An autem possint, dicam infra *quæst.8.*

Dixi IV. *Vt tale consummatum exterius*, quia si malitia sit mortalis tantum ex parte actus interni mentis, tunc peccatum externum reseruatum non est, cum vt mortale exterius non sit consummatum, ac proinde Ecclesia de eo non fert iudicium, nec sibi solet reseruare illud. Qare ille Religiosus, qui accedit ad res Monasterij cum intentione multum furandi, non incurrit casum reseruatum furando modicum, quia exterior malitia ablationis est tantum venialis non sufficiens ad inducendam reseruationem in furto. Vide Henr. *lib.3. de pœnit. cap.14. num.6.* ex Nald. *ver. casus num.4.* Graff. *part.1. lib.1. cap.13. num.71. & Append. lib.1. cap.7. n.25.* Fabrum *disp.27. de pœnit. num.14.* & hoc à simili censuris apud Megal. *part.3. lib.4. cap.1.* Bonac. *quæst.1. p.3. num.12.*

Dixi V. *Consummatum sub integra ratione specialis malitia reseruata*, quia si peccatum non perficiatur, etiam ea intentione excludendi reseruationem, non dicitur reseruatum, leges enim pœnales, inter quas est reseruatio casuum, regulariter non puniunt crimen attentatum nisi fiat mentio expressa de attentatione, sed perfectum in sua integra malitia; vnde procuratio abortus etiam affectu non secuto ponitur casus reseruandus à Prælatis Regularibus, vt videre est supra in Decreto, casu 6. Attentans insuper etiam interius copulam, sed extra seminans, non incidit in casum copulæ carnalis, quia perfecta copula sub hac malitia ita reseruatur, vt semen emittatur intra vas naturale, seu contra naturam, qui enim incœpit intra vas pudendum, postea seminans extra etiam eo prætextu, ne incurrat reseruationem, non incidit, vt docet Floron. *casu 7. num.9.* vbi §. *Excipitur*, dicit Doctores id communiter tenere, quicquid dicat Belloch. *part.2. de casib. reseru. quæst.1. num.183. & quæst.2. num.15. cum Graff. pr. lib.1. cap.11. num.25.* Item mittens literas ad monialem, ad quam tamen non peruenerunt, non incidit in casum missionis literatum ad moniales, quia missio perficitur in acceptatione facta à moniali, ad quam mittuntur. Nau. *consil.19. de sentent. excomm.* Rodriq. *quæst.45. artic.3.* Nald. *ver. Lex num.11.* Floron. *part.1. de casib. reseru. cap.1. num.34.* & dixi *resol.7. quæst.17. §. Scribens.*

Dixi VI. *Expressè, & in terminis*, quia cum reseruatio sit pœnalis, & odiosa strictè explicanda est, secundum quod verba iacent, seruata vocabulorum proprietate, in quibus non potest fieri extensio, neque ampliatio, aut argumentum à maiori, à simili, ab identitate, ab æquipollentibus, &c. sed ille casus tantum dicitur reseruatus, qui exprimitur in litera, quod verum est, licet dici possit aliam esse voluntatem Superioris exterius non explicatam, quia propositum in mente retentum nihil operatur *l. Si repetendi C. de condit. ob turpem caus.* ex Florono *cap.1. num.42.* Coriolano *sect.1. art.5. numero 4.* Lazar. *quæst.10. de Blasph. num 17.* immo quamuis Superior exterius suam voluntatem manifestet vt priuata persona, & doctor, non autem vt legislator solemniter declarando talem casum sic intelligendum esse, & non aliter, Bonac. *quæst.4. de matrim. p.11. num.5.* vbi refert opinionem Eminentissimi Cardinalis Borrhomæi tunc Archiepiscopi Mediol. viri Dei asserentis masculum abutentem muliere incidere in casum à se reseruatum sub his verbis, *Qui sodomiam commiserint*, Sed dicas tu Sodomiam esse copulam personarum eiusdem sexus cum semine emisso intra vas indebitum, ex Nau. apud Floronum *casu 7. num.6.*

Dixi VII. *Eius absolutio, reseruatur superiori*, quia effectus reseruationis est auferre potestatem Confessariis absoluendi absoluendi ab illis peccatis, quæ reseruatione afficiuntur; & sub hac ratione reseruatio dicitur odiosa, quia præiudicat potestati confessariorum, & commoditati pœnitentis, qui cogitur accedere ad Superiorem, vel alium habentem facultatem super reseruata.

Dixi VIII. *Eo fine, vt subditi se abstineant à grauioribus culpis*, & iste finis optimè colligitur ex Sacro Concilio *sess.14. cap.7.* Vgolinus *de offic. Episc. part.2. c.35. num.2. & 3.* Homob. *part.1. cap.1.* & ex illis Ignatius Lupus strictioris Obseru. qui nouissimè anno 1636. edidit Commentaria in casus reseruatos Episcopo Bergom. *part.1. dist.1. art.1. diff.2.*

Respond. III. Reseruatio est restrictio potestatis iurisdictionis facta inferiori Sacerdoti Confessario à suo Superiore habente ad id potestatem. Colligitur ex Doctoribus cum Florono *part.1. c.1. n.2. & 30.* Regin. *lib.1. n.124.* Graff. *pr. lib.1. c.4. n.2.*

Dixi I. *Restrictio*, quia vt dicitur in Trident. *sess.23. c.15.* quamuis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem, intellige ordinis, accipiant, non tamen iurisdictionis, quam accipiunt à Superioribus suis valentibus illam ampliare, aut restringere, prout in Domino iudicauerint, vt colligitur ex eodem Concilio *sess.14. cap.7.*

Dixi II. *Potestatis iurisdictionis*, hæc ergo potestas restringibilis est, quæ facultas spiritualis est absoluendi à peccatis, tripartita, in ordinariam nempe, quam habent omnes curati ex officio suo immediatè curam animarum habentes; vt Papa in omnes Christi fideles; Episcopi in sua Diœcesi; Parochi in sua Parochia; Prælati Regulares in suos subditos, Generalis in omnes, Prouincialis pro subditis suæ prouinciæ, Prior pro suo Conuentu. In delegatâ qualis est ea, quam reliqui Sacerdotes habent, non ex officio, sed ex delegatione, admissione, seu approbatione facta per vnum ex illis; vt, sunt omnes Confessarij Regulares, & alij admissi à Superioribus; & ex iure, seu ex priuilegio eligendi Confessarium, de qua postrema multa dixi *resol.34.* per totum, & de delegata ab Episcopo *resol.36.* per totum. De hac autem triplici potestate est sermo hic, ita quod restringibilis est à Superioribus, qui habent potestatem sibi reseruandi casus. Quod ordinaria, & delegata restringatur colligitur ex Gloss. *ver. Concessa, in Clem. Dudum, de sepult.* & habet Megal. *part.1. lib.1. cap.11. num 2.* quia illam recipiunt dependenter à suis Prælatis, ergo in eorum est potestate illam ampliare, vel restringere. Demum, quod iurisdictio ex concessione iuris, seu ex electione veniat sub reseruatione, apertè constat *ex cap. Si Episcopus, de pœnit. in 6.* vbi Bonifacius VIII. decernit, quod si Episcopus suo subdito concesserit, vt sibi possit idoneum eligere Confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reseruantur, nullam habet pœnitus potestatem, & reddit rationem, quia in generali concessione non veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.

Dixi III. *Facta inferiori Confessario à suo Superiore*, quia reseruatio cum referatur ad absolutionem, necesse est, quod dirigatur ad Sacerdotem Confessarium, & fiat à superiore suo immediato, vt Priori cum suis Confessariis à Prouinciali, vel mediato, vt eisdem à Generali: Siquidem superior aliquis non est nisi in ordine ad sibi subiectos, quia relatiuum

refertur

refertur tantum ad suum correlatiuum, & non ad extraneum.

Nota autem, qood accidere potest, Confessario distingi potestatem absoluendi ab aliquo peccato, & tamen illud noo dici propriè reseruatum, exemplum fit in peccato complicis, nam aliquibus Diœcesibus, vt Mediolani, & Bergomi Coofessarius non potest absoluere eum, cum quo peccauit ab illo peccato, in quo fuit complex cum pœnitente, non qoia tale peccatum sit casus reseruatus, siquidem tolli potest à quouis alio confessario simplici vt patet, ac proinde non est casus reseruatus simpliciter, sed taotum impropriè, sed quia ipsimet confessario præcise adempta fuit facultas absoluendi in specie à tali peccato, Vide de hac re Bonac. *q.7.de pœnit.p.5.n.* 10. & Lupum *part.1. dist.14. art.2.diff.1.*

Quæres 2. An, & respectu cuius, Confessarij ne, an pœnitentis reseruatio sit odiosa?

3 Respond. Reseruatio est odiosa tam respectu Confessarij, quàm pœnitentis, respectu illius suadetur, quia potestas, quam de iure communi *ex cap. Omnis vtriusque de pœnit.* babeot confessarij, restringitur ab eorum superioribus, ergo cum restrictio, seu ademptio potestatis sit quid odiosum, reseruatio erit quid pœnale. Respectu pœnitentis constat ex eo, quod illi valde incommodum est accedere ad Prælatum cum rubore majori, quàm si accederet ad suum Parochum, vel quemuis alium approbatum, magis siquidem onerosum est cogi accedere ad vnicum superiorem, quàm optinnem habere confessariorum inferiornm. Demum, correlatiua non iudieantur ad imparia *l. fin. C. de ind. vid.* ergo sicut est odiosa Confessario, ita & pœnitenti, qui ad inuicem referuntur. Afficit autem reseruatio immediatè confessarium ademptione iurisdictionis, secundario pœnitentem, qui ex negatiua facultate sui Confessarij cogitur adire superiorem. Ita docent communiter Doctores cum Graff. *pr. lib.1, cap.4. num.24.* Cazar. *de Blasphem. quæst.30. num.*18. Coriolanus *sect.1. art.5. num.4.* Fioronus *part.1. cap.1. num.30.* Nald. *ver. Casus resern. num.3.* vbi dicit habere quandam rationem pœnæ, at proinde ooo asse presè, & propriè pœuam, vt eum explicat ita Lupus *part.1. dist.4. art.2. diff.1. num.4.* Sed tu dic esse propriè pœnam maximè respectu pœnitentis, hoc enim ipso, quod incurrit culpam ex grauioribus, in pœnam priuatur iure accedendi ad proprium immediatum Sacerdotem, vel confessarium, & cogitur se præsentare maiori superiori; quod idem dic respectu Confessarij, qui priuatur tunc iure, quod habebat audiendi suum subditum, & aliqualem culpam saltem materialem supponit in ipsomet Confessario, in quantum non præsumitur multum idoneus ad dirimendam difficultatem in culpis grauioribus, quæ ideo reseruantur maioribus, in quibus præsumitur major prudentia, & perfectior cognitio horum practicabilium.

Dices, reseruatio fit, vt fideles retrahantur à peccatis maximè grauioribus, & vt maturiori iudicio corrigantur, vt ob imperitiam quandoque Confessariorum melius consulatur animæ pœnitentis, cuius morbo superiores magis periti prudentius medentur, quæ omnia sunt in fauorem pœnitentis, ergo respectu ipsius fauorabilis est reseruatio, non odiosa, quia quod in gratiam alicuius fit, non dicitur in eius dispendium redundare, *arg. Reg.61. in 6. Respond.* adhuc dici odiosam, quia simul stare potest, quod eadem lex sit simul fauorabilis; & odiosa respectu diuersorum, vt obseruant communiter Doctores; modo id apparet in reseruatione peccatorum, quæ est lex mixta ex fauore, & odio, siquidem fauorabilis est ex suo fine, quatenus pertinet ad disciplinam populi Christiani, quem retrahit quantum fieri potest à peccatis præsertim grauioribus; est verò odiosa, quatenus refertur ad absolutionem, quæ sicut respicit Confessarium, & pœnitentem ita vtrique odiosa est. Reseruatio igitur, duo dicit retractionem fidelium à peccatis grauioribus, ratione cuius est fauorabilis, & restrictionem facultatis absoluendi & sic est odiosa, vt respicit absolutionem, oon vt dicit directionem populi.

Hinc resoluitur ea quæstio, an reseruatio casuum strictè, an latè explicanda sit, siquidem esse strictè exponendam probabo instar aliarum legum, & statutorum pœnalium infra *resol.38.n.98.*

Quæres 3. Quot sint species casuum reseruatorum.

Respond. Doctores distinguunt casus reseruatos in tres classes. Sub prima continentur casus iure communi reseruati, quatuor enumerati *in extr. Inter cunctas, de priuil.* Primus est illorum peccatorum, pro quibus imponitur solemnis pœnitentia, vt est blasphemia *cap. Statuimus*, de maledicis, & alia, de quibus *in cap.2.de Pœnit.* Sed cum pœoitentia publica noo sit amplius in vsu, consequenter ex hoc capite nullum peccatum dicitur reseruatum, cessat enim ratio, quam ibi adducit Papa, dum ait esse inconueniens confessarium absoluere eum pœnitentem, cui non potest imponere pœnitentiam publicam. Secundus est illorum peccatorum, quibus incurritur excommunicatio maior reseruata à iure, is casus semper viget, quia simplex Confessarius peccatum tollere non potest, nisi prius sit sublata censura, quæ impedit absolutiooem à peccatis. Tertius est illorum, quibus incurritur irregularitas; sed iste nequaquam reseruatus est. Quartus est peccatum incendiariorum reducibile ad primum, cum in eo imponatur publica pœnitentia, consequenter non est amplius reseruatus ob dictam rationem. Sunt ergo sublati huiusmodi casus ob aliam etiam rationem, quia Clemeor. V. *per cap. Dudum, de sepult.* cessauit omnino, & annullauit dictam extrauagantem. In iure ergo communi nolla sunt peccata modo reseruata, nisi quæ habent adnexam censuram reseruatam Papæ, aut Episcopo. Vide de Floronum *part.1.cap.2.§.1.* multa de hac re differentem. 4

Sub secunda classe continentur casus consuetudine reseruati approbata *in dicta Extr.* Benenicti XI. qui sunt homicidium voluntarium, peccatum falsariorum, violatio immunitatis, sortilegium, &c. Hos, & similes casus, meo iudicio arbitror esse eosdem, quos vocant ab homine, vel iure speciali, vt videtur colligi ex verbis Extrauagantis, nomen enim consuetudinis non accipitur pro lege non scripta, sed pro eo, quod ab aliquibus solet fieri.

Sub tertia continentur casus ab homine facti, qui communiter ab Episcopis, & Prælatis solent fieri singulis annis, vel dorante eorum officio, & registrantur in Tabella casuum reseruatorum.

Ego autem distinguo casus in ordine ad superiores reseruantes, in Papales, Episcopales, & Regulares. Casus Papæ reseruati Regulariter sunt censuræ, vnde respectu illius casus, & censuræ pro eodem accipiuntur. Casus Episcopales sunt illi, quos sibi reseruant vel via iuris specialis, quos inserunt in suis Conciliis, vel Synodis, perpetuo duraturi, sicut alia durant statuta; & leges speciales; vel vt ab homine, quos registrant in Tabellis suis vt plurimum extra Synodalia statuta, & extinguuntur cum vita ipsius; vt à iure communi illis reseruantur, cuiusmodi sunt nonnullæ excommunicationes *de quib. Catalogus Excommun. cap. fin.* vbi septem excommunicationes enumerantur, qua ius commune reseruat Episcopis. Casus demom Regulares suot illi, quos superiores Regulares sibi reseruant, vel iure constitutionis perpetuò duraturæ, vel vt ab homine, cum quo mortuo, vel ab officio amoto extinguuntur.

Quæres 4. An quando superior aliquos casus exprimit in Tabella, alij censeantur exclusi, ita quod à non expressis confessarij simplices possint absoluere? *Vide resol.6.q.25.*

Respond. Casus sunt in duplici differentia, alij à iure, 5

re, alij ab homine, casus à iure semper durant, cum per modum legis editi sint, ac proinde non tolluntur per nouam reseruationem, nisi illis expresse derogetur: Casus verò ab homine per nouam reseruationem tolluntur, licet non fiat de illis expressa derogatio in recentiori reseruatione, ex illa communi ratione, quia inclusio aliquorum est aliorum exclusio, *cap. Nonne, de præsumpt.* Comitolus *lib.* 1. *resp. moral. quæst.* 25. quem sequitur Homobon. *part.* 1. *cap.* 3. §. *Quorum casuum*, quos pro se citat Floronus *part.* 1. *cap.* 4. §. 8. *num.* 3. & de mente ipsorum Lupus *part.* 1. *de casibus* Bergomi *dist.* 1. *art.* 1. *diff. num.* 4. docent alios censeri exclusos, qui in Synodo, aut constitutionibus reperiŭtur reseruati, ac proinde non tantum ab homine, sed etiam à iure reseruatos, quod mihi non probatur, nisi id aliunde colligatur, vt quando plures casus ex expressis in Synodis, seu à iure includuntur in noua reseruatione ad verbum, vel ad sententiam, in eo casu puto excludi reliquos non remuneratos in noua reseruatione siue fiat ab homine, siue à iure, quia relatio veteris casus sub noua reseruatione est sufficiens signum derogationis, aliorum, qui de nouo non referuntur. Vide Nald. *ver. casus n.* 8. §. *quæ sanè.*

Quæres 5. An casus regulares de iure regisltrati in Regulis, vel constitutionibus per hoc nouum Decretum Clem. VIII. cessauerint, & pœnitus extincti sint, nisi renouentur iuxta formam huius Decreti?

6 Respond. Sunt extincti, quod alia ratione non probo nisi ex eo, quod affert Beia *part.* 3. *casu* 16. §. *Extat tandem*, vbi asserit, quod dum ipse esset Romæ in facti contingentia, Summus Pontifex, vna cum Sacra Congregatione fecit sibi præsentari in schedula omnes casus reseruatos per regulam, aut constitutiones, vel consuetudines cuiuslibet Religionis, quibus visis præscripsit reseruandos esse solum eos, qui enumerantur in suo Decreto, & alios etiam non nisi de consilio, & consensu Capituli, iuxta quod dicitur ibidem, ergo omnes alij siue ab homine ante hoc Decretum nullo modo nunc sunt reseruati, nisi reseruentur ad præscriptum Decreti. Confirmatur, quia in fine Decreti adest clausula derogatoria quibuscumque regulis, aut constitutionibus, vel consuetudinibus & ratio id suadet, quia nulli ex casibus enumeratis in Decreto reseruabantur in Religionibus translati in hoc Decreto, ergo alij censentur exclusi; neque rationi consonum videtur esse, vt idem casus pluries reseruetur eadem ratione, cum id sit superfluum euitandum, lex enim, seu statutum nihil superflui continere debet, *l. Si quando, ff. de arg. legat. cap. Solitæ* 6. *de maior.* leges enim nihil frustra faciunt. Cæsar Argel. *de contrad. legitimo quæst.* 2. *num.* 200. *quæst.* 13. *num.* 48. & videtur repugnantia, quod idem casus sit reseruatus à iure, & ab homine, duraret enim perpetuò, vt à iure, & non duraret perpetuo, vt ab homine, cùm quo extinguitur, vt omnes docent. Ita igitur sentit Beia loco citato, & inclinant Sorbus *ver. Absol. ordin. quo ad Fratres*, §. *Circa dispositionem*, ibi Est *aduertendum quod nunc per dictum*, &c. Coriolanus *casu* 9. *num.* 29. ibi *Vt olim fiebat*, quos citat Portel. *ver. Casus reseruati in addit.* qui dicit se aliàs fuisse huius opinionis, postea eam mutando sequendo declarationem suorum Prælatorum dicentium casus antiquos adhuc esse reseruatos, sed hoc non probat de iure, sed potius de voluntate illorum superiorum: nobiscum expresse Peyrinus *tom.* 3. *c* 12. *n.* 7.

Colligitur hinc casus relatos in nostra Regula *c.* 14. non esse amplius reseruatos ex vi Regulæ nisi superiores illos expresse regisltent in suis reseruationibus ob adductas rationes.

Quæres. 6. An peccatum veniale sit, aut possit esse materia reseruationis.

7 Respond. Peccatum veniale de facto non reseruatur, neque reseruari potest; probatur. Tum quia materia reseruationis est de peccatis mortalibus materia necessaria Confessionis; veniale autem non est huius conditionis, ergo. Tum quia reseruantur solum atrociora, & grauiora peccata *Sess.* 14. *cap.* 7. venialia autem neque grauia vocantur, cum non priuent gratia Dei, neque sint grauis transgressio. Tum quia reseruatio horum esset inutilis, & vana, eo quod nullus tenetur confiteri peccata venialia, quæ aliis mediis tolli possunt ex eadem *Sess.* 14. *cap.* 5. vbi Barbosa *num.* 4. citat plerosque Doctores asserentes eum qui habet sola venialia, non teneri ex præcepto Ecclesiæ confiteri. Et hoc procedit etiam respectu Religiosorum, qui non tenentur confiteri venialia, etiamsi singulis hebdomadibus, aut mensibus præcipiatur Confessio, vt monachis nigris in Clem. Ne in agro de statu Monach. vbi Gloss. *ver mensibus* videtur insinuare hoc statutum referri ad peccata mortalia, argumento *ex capit. Omnis, de pœnit. iuncta* Gloss. *ver. Omnia*, quæ ab annuali confessione excludit venialia, quod etiam docet Scotus *in* 4. *dist.* 17. quem pro se citat Silu. *ver. Confessio* 1. *quæst.* 13. quicquid dicat Summa Peregrina *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 4. *num.* 5. asserens Monachos nigros ex statuto supradictæ Clementinæ teneri ad menstruam confessionem sub mortali de culpis mortiferis, sub veniali verò de venialibus. Ita sentit Graff. *pr. lib.* 1. *cap.* 4. *Reg.* 4. *num.* 17. Beia *part.* 3. *casu* 16. §. *Ego tamen.* Homobon. *p... c.* 3. §. *Nihilominus*, Bonac. *quæst.* 5. *de pœnit. p.* 5. §. *I. num.* 3. Faber *disput.* 27. *de pœnit. num.* 13. Suarez *tom.* 4. *disput.* 29. *sect.* 1. *num.* 4. Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 34. *art.* 4. *conclus.* 4. qui tres docent, posse Superiorem prohibere suis Confessariis absolutionem à talibus venialibus, non propter hoc, hanc esse reseruationem, ita quod pœnitens non possit ea delere nisi per absolutionem dandam à Superiore, est ergo simplex prohibitio, per quam Confessario Superior limitat facultatem absoluendi, per quod tamen pœnitens minimè obligatur accedere ad illum pro remissione. Vide Floronum *part.* 1. *c.* 1. §. 1. sustinentem posse reseruari veniale, quia vbi per Superiorem reseruatur actus etiam venialis, actus ille mutat naturā, & fit mortalis ex illa prohibitione, & ad hoc multa alia dicit, quæ non possunt subsistere, siquidem addita reseruatio actui malo neque auget, neque minuit illius malitiam, sed relinquit in sua specie malitiæ venialis, aut mortalis? neque videtur directè respondere, quia quæstio non est de actu veniali quatenus transit in mortalem, sed prout remanet intra suam speciem venialitatis, nam de mortali nemo dubitat quin possit reseruari.

Quæres 7. An peccatum semel remissum, possit esse materia reseruationis?

Respond. Non potest esse, suadetur, Tum quia iam satisfactum est intentioni Superioris; Tum quia reseruatio est circa materiam necessariam, cuiusmodi non est peccatum mortale semel ritè remissum. Tum quia non est reseruabile veniale, ergo neque semel remissum. Est communis opinio Doctorum cum Fabro *disput.* 27. *num.* 51. *&* 52. Beia *part.* 3. *casu* 16. §. *Ego tamen*, Suarez cum Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 34. *art. &* *concl.* 4. Floron *cap.* 1. *num* 20. *&* *cap.* 4. §. 8. *num.* 6. Procedit responsio etiam respectu Religiosorum, qui aliquo statuto obligari non possunt, vt peccata semel ritè remissa iterum confiteantur, docet D. Thom. cum multis aliis citatis cum Nauar. *cap.* 9. quem refert cum aliis Coriolanus *part.* 1. *sect.* 1. *artic.* 9. Habet locum etiam quod pœnitens nullam fecit confessionem coram Superiore, vel alio habente potestatem absoluendi à reseruatis, modo confessus sit casum reseruatum, ratio quia reuera sublata fuit reseruatio, licet non culpa, quæ cum amplius reseruationem adiunctam non habeat, à quouis simplici Confessario tolli potest, & videtur superfluum, & inutile, quod reseruatio denuo inducatur super illo peccato, cuius antiqua reseruatio iam sublata fuit, cum Superior debeat esse contentus vnica satisfactione pro eodem delicto, non enim bis idem punitur ab homine, cum Deus non iudicet bis idipsum, *capit. Sunt.* 42. *distinct.* 3. *de pœnit.* Præterea illud-

illud iudicium quo ad reseruationem iam finitum est, ergo non debet iterum reuocari. Quod reseruatio tollatur in confessione nulliter facta coram habente facultatem absoluendi à reseruatis docent Caiet. *ver. casus reseru.* Regin. *lib.*8. *num.*62. Silu. *confessio* 1. *quæst.*19. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.*21. *art.*8 cum aliis, quos citat & sequitur Bonac. *quæst.*7. *de pœnit. p.*5. §.5. *num.*9. §. *Si verò*, qui ibidem in responsione docet contrarium, quando Sacerdos absoluit virtute iubilæi, quia in eo conceditur priuilegium eligendi Confessarium, qui absoluat à reseruatis verè pœnitentes, cuiusmodi non sunt illi, qui culpabiliter nullam faciunt confessionem; ad hoc tamen dici potest, illam particulam, *verè pœnitentes*, referri ad consequutionem indulgentiæ, & remissionem culpæ, non autem ad reseruationem tam censurarum, quàm peccatorum, quæ tolli possunt etiam extra Sacramentalem absolutionem, vt hoc multis citatis docet Henriq. *libro* 7. *sum. cap.*11. §.4. & *lib.*6. *cap.*16. §.5. vbi pro se multos citat, quem vocat, sed non sequitur Bossius *sect.* 1. *de Iubilæo casu* 34. *num.*4. hæc opinio non placet Portell. *ver. Casus reseru. n.*8. ducto ea ratione, quod dolus, & error culpabilis prodesse non debet *l.* 1. *ff. de dolo, & in Addit.* §. *Dixi olim*, neque Suarez apud ipsum, Filiuc. Florono *cap.*4. §.9. *num.* 3. & *cap.*6. §.6. *num.*2. cum multis aliis, apud dictum Bossium *num.*1. ob rationes adductas, & quia priuilegia conceduntur mediante Sacramentali absolutione, quæ cum nulla sit defectu confessionis, nullum potest producere effectum; sed iam dixi absolutionem quatenus Sacramentalem referri ad culpæ remissionem, ad indulgentiam lucrandam, quare si absolutio non tenuit quo ad hæc, valuit quo ad ablationem reseruationis, quæ auferri potest sine Sacramentali absolutione, cum peccatum non sit, sed pœna peccantis; & ad hoc facit illud axioma, *Si non valet quod ago vt ago, valeat vt valere potest*, §. *fin. Instit. de Adopt.* Thomas. *reg.*22. si enim absolutio non tollit culpam, cum non sit Sacramentalis, tollet reseruationem, quæ auferri potest sine ablutione culpæ, ratio Portell. explicatur, sufficere si dolus non prodest quo ad ablationem culpæ, nam respectu reseruationis non dicitur dolus, cum peccatum reseruatum sit confessus. Lupus *part.*1. *dist.*23. *art.*4. *in fine*, cum prædictis distinguit tolli reseruationem extra priuilegium iubilæi, ob rationes adductas, sed dic tu vt supra tolli respectu cuiuscumque facultatis, siue immediatè confiteatur superiori, siue alteri ab illo facultatem, quia hoc modo pœnitens satisfecit intentioni reseruantis, quæ est reseruatio ab ipso immediatè, vel mediatè tollatur per sui præsentationem, & submissionem.

Quæres 8. An peccatum mortale internum sit materia reseruationis, an solum externum? Peccatum autem internum est illud, quod à solis potentiis intellectus, & voluntatis procedit, in quantum non exit in opus externum nec per se, nec per accidens, vt sunt peccata in solo corde consummata, vt odium, hæresis, &c. quæ peccata si exterius manifestentur, vel coniungantur cum aliquo signo sensibili habent rationem actus externi, vt si hæresis mentalis ore, & vel scripto prodatur, item distractio mentis cum oratione vocali. Peccatum verò externum est illud, quod membris corporis perficitur, vt blasphemia ore, fornicatio genitalibus, furtum manibus, &c. licet & huiusmodi dici possint etiam interna, & mentalia, quatenus mente tantum concipiuntur, & talia sunt ex desiderio, & inchoatiuè. Quæstio igitur, est an Superiores possint sibi reseruare non solum externa, sed etiam interna pure, & mere talia, aut ex his mixta?

9 Respond. Nullus Superior etiam Papa, de facto sibi reseruat peccata merè interna; immo neque potest licitè, neque validè, sed solum peccatum mortale externum, vel mixtum ex vtroque sibi reseruare potest.

Primum, quod de facto nullus reseruet merè interna, constat ex communi praxi Doctorum fundata in ea ratione, quod reseruatio solet fieri de mortalibus grauioribus, quæ possunt perturbare Ecclesiasticam disciplinam, *ex sess.*14. *capit.*7. peccata autem interna, cum nulli nota sint nisi perpetranti illa, Christianam disciplinam perturbare nequeunt, ac proinde sub reseruationem non cadunt; confirmatur, quia non possunt reseruari, vt probabo, §. *Secundum*, ergo de facto non reseruantur, cui enim negatur potentia, multo magis actus. Ita docent Faber *disput.*27. *de pœnit. n.*14. vbi citat Suar. Caietanum, & Sotum, Graff. *pr. lib.*1. *cap.*4. *Reg.*3. Mirand. *tom.*2. *quæst.*34. *artic.*3. Nald. *ver. Casus num.* 4. Floron. *cap.* 1. *num.*55. vbi multos alios citat, & nullus contradicit. Vide Doctores agentes de hæresi pure mentali an inducat excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, communissima enim opinio negat, quia Ecclesia non iudicat de merè occultis, vt mox dicam, & pluribus citatis docet Bossius *sect.* 1. *casu* 10. *num.*107.

Secundum, quod non possit fieri reseruatio peccatorum merè internorum, neque etiam ab Ecclesia probatur. Tum quia Ecclesia nullum ferre potest iudicium de peccatis mere occultis, & internis, *cap. Erubescant* 11. *dist.*32. *in fine*, occulta enim, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum *cap. Consuluisti* 18. 2. *quæst.*5. latentia peccata vindictam non habent, *cap. fin.* 32. *quæst.*5. neque Ecclesia iudicat de occultis, *capit. Sicut tuis literis* 33. *in fine, de simon.* & *capit. Tua nos* 34. *eod.* dicitur, *Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare.* Ex his authoritatibus clarè colligitur nullum Prælatum, neque etiam Papam habere potestatem, & ius super occulta, & interna peccata, quorum castigatio, & iudicium soli Deo reseruatur. Tum quia Ecclesia non potest peccata merè interna afficere censuris, ergo neque eadem reseruare, antecedens constat ex Doctoribus citatis à Bossio *supra sectione* 1. *casu* 10. *numero* 107. vbi de hæresi mentali sine excommunicatione. Tum quia cogitationis nemo pœnam meretur, *capit. Cogitationis distinct.*1. *de pœnit.* Tum quia D. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *artic.* 5. dicit, quod in iis, quæ ad internum motum voluntatis pertinent, homo non tenetur obedire alteri, sed Deo tantum. Tum quia Legislator non potest ferre legem de his, de quibus iudicium ferre non potest, sed non potest iudicium ferre de internis, cum sibi incognita sint, solus enim Deus est scrutator cordium, ergo non potest ferre legem reseruationis. Ita sentit Lamas *part.*1. *capitulo* 7. §.54. contra Megalium ab eo citatum *libro* 2. *de pœnitent. capit.*11. *numero* 4. §. *Quod ad casus*, vbi dictus Megalius asserit Papam posse sibi reseruare peccata merè interna ob rationes adducendas in obiectionibus: Lamas sequitur Graff. *pr. lib.*1. *cap.*4. *num.*7. Coriolanus *sect.*1. *art.*5 *n.*6. *Compend. resol.*22. *n.* 1.

Opposita ergo sententia asserens posse Prælatos sibi reseruare peccata merè interna, est Mirandæ *tom.*2. *quæst.*34. *artic.*3. *conclus.*1. vbi pro se citat Sotum, Caiet. Castro, Nauar. Couarr. Ledesm. & Suarez, Megalis *libro* 2. *capit.*11. *num.*4. §. *Quo ad casus*, Fabri *disputat.*27. *de pœnitent. num.*14. Floron. *cap.*1. §. *III.* §. *Sed hæc*. §. *De rigore iuris*. Probant. I. quia omnis iurisdictio absoluendi tam exterius, quam interius per Prælatos maiores communicatur inferioribus Sacerdotibus, ex quo fiunt Confessarij, ergo illi possunt hanc limitare, & restringere, vt non extendatur ad hæc vel illa peccata etiam interna. II. quia reseruare peccata interna non est de occultis iudicare, sed facultatem Sacerdotibus non concedere, & negare illis iurisdictionem. III. in foro conscientiæ fertur iudicium de occultis, de iure siquidem diuino fideles tenentur confiteri peccata pœnitus mentalia, & non tantum externa, vt omnes fatentur, ergo Prælatus potest ea sibi reseruare, quia id totum spectat ad forum conscientiæ internum. IV.

Ratio

Rationes oppositum probantes fere fundantur in eo, quod reseruatio sit lex pœnalis, quod tamen non est, quia reseruatio nihil aliud est, quàm negatio, aut ademptio iurisdictionis.

Respond. Ad primum aliud esse approbare Sacerdotes in Confessarios, aliud sibi reseruare aliquos casus, ac proinde ex illa non infertur reseruatio, siquidem approbatio Confessariorum, & consequens iurisdictio dicitur limitari tantum quo ad tempus, locum, aut personas, non autem in ordine ad peccata, in ordine ad quæ non dicitur limitari potestas Confessariis ea ipsa approbatione, aut communicatione iurisdictionis, sed limitatur per ipsammet legem reseruationis, quæ prohibet Confessariis ne absoluant à reseruatis, igitur Superior non restringit potestatem confessariorum in ordine ad peccata per concessionem, & communicationem limitatam, sed per reseruationem. Ad secundum dico reseruare peccata interna esse iudicium de illis ferre ex quo sequitur prohibitio absoluendi ex parte confessarij, omnis enim negatio fundatur in aliquo positiuo secundum Philosophus. Ad tertium dico esse legem Diuinam quod Sacerdotes iudicent occulta sibi tamen manifestata per confessionem Sacramentalem, non tamen hinc infertur Superiorem posse legem ferre, vt huiusmodi pecata iudicentur à se solo, quia reseruatio formaliter accepta peccatum non est, sed aliqua dispositio prohibitiua absoluendi, insinuans pœnam peccatis adiunctam, quæ tolli potest etiam sine Sacramentali absolutione, ac proinde cum non sit peccatum, quod Sacramentaliter tantum tollitur, non dicitur esse de illis, quæ necessariò subiiciantur Sacramentali absolutioni. Ad quartum constat ex probatis *quæst* 2. reseruationem esse legem pœnalem, ad quam consequitur negatio iurisdictionis in Confessario. Demum datu etiã, quod aliquis Superior in approbando Sacerdotem in confessarium, dicat nolo vt absoluas quemquam à tali peccato mentali, ac proinde illi restringat iurisdictionem, quod videtur irrationabile, cum id præse ferat exceptionem personarum, quod est vitium prohibitum à Deo, & hominibus, vnde dicitur *Reg.* 12. *in* 6. quod acceptio personarum non est habenda in iudiçiis, *cap. Nouit, de iud.* approbare autem aliquem in Confessarium est actus iudicij ita quod inter Superiorem, & subditum circa hanc rem debet seruari iustitia, vt docent omnes, quos alibi citaui. Nihilominus non benè infertur ex illa prohibitione reseruatio peccatorum merè internorum, quia reseruatio ita afficit Confessarium, vt etiam prohibeant pœnitenti accessum ad quemcumque simplicem Confessarium; modo in hoc casu pœnitens posset accedere ad quemcumque neque cogeretur se præsentare Superiori reseruanti; vt patet id etiam in peccato complicis Confessarij, cui pœnitentes confiteri non potest in quibusdam Diœcesibus, vt dixi suprà *q.* 1. *§. Nota.*

Tertium, quod solum peccatum externum, vel mixtum ex vtroque possit sibi reseruare, conceditur ab omnibus, & colligitur *ex sess.* 14. *cap.* 7. Ratio est, quia reseruatio est quædam lex humana, quæ respicit solum actus externos, & si aliquando fertur circa internos, id fit ratione actus externi omissionis, vel commissionis coniuncti, vt docent omnes, vbi de materia legis, ergo more aliarum legum reseruatio facienda est, nimirum de peccatis mortalibus externis, vel mixtis.

Quæres 9. An possit fieri reseruatio omnium mortalium externorum saltem à Papa?

10 Respond. Non potest, quod probatur, Tum quia Papa tantam potestatem habet, quanta sibi tributa fuit à Christo, cuius est in terris Vicarius; sed credibile est, & rationi consonum, quod Christus non contulerit Ecclesiæ tam amplam facultatem reseruandi sibi omnia peccata mortalia, ergo illa sibi validè reseruare non potest. Minor suadetur, & quia potestas à Christo communicata Ecclesiæ rationabilis est, cuiusmodi non esset hæc; & quia est in ædificationem fidelium, & non in destructionem, vt esset hæc. Tum quia Papa habet facultatem reseruandi sibi peccata non ad proprium libitum & commodum, sed ad vtilitatem animarum, vt eas retrahat à peccatis, ergo hæc facultas regulanda est à commodo fidelium, non à proprio, consequenter, vbi non subest vtilitas fidelium, vt in re hac, neque adest talis, Tum quia Tridentin. *sess* 14. *capit.* 7. dicit quod Summi Pontifices pro suprema potestate in Ecclesia vniuersa sibi tradita, causas aliquas grauiores criminum possunt suo peculiari iudicio reseruare illis verbis, *Vnde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia vniuersa tradita, causas aliquas criminum grauiores suo poterunt peculiari iudicio reseruare.* Dicit enim, *aliquas*, & non omnes, vt insinuaret talem potestatem non posse extendi super omnia mortalia, vt etiam colligitur ex comparatiuo, *grauiores*, ergo non potest omnia sibi reseruare. Tum quia lex iniustis, & quæ non est in bonum commune fidelium, non obligat, neque meretur nomen legis; *Soto libr.* 1. *de iust. quæst.* 1. *articul.* 2. *Vasq. disputatione* 151. *capit.* 2. *Salas disput.* 1. *sect.* 8. *numero* 50. *quos pro se citat Bonacin. p.* 1. *de legib. numero* 9. Sed talis reseruatio esset inutilis, & contra bonum commune cum præiudicaret omnibus fidelibus, qui cogerentur accedere Romam etiam ex partibus tam longinquis. Tum quia sententia continens errorem intolerabilem nulla est, & nequaquam obligat, *capit. Per tuas* 40. *de sentent. excomm. & ibi Glos.* 11. Intolerabilem errorem; ergo idem dicendum est de lege reseruationis omnium mortalium esse nullam, quia est error intolerabilis in præiudicium totius Ecclesiæ. Contrarium docet *Megal. lib.* 1. *de pœnit. capit.* 11. *numero* 5. vbi dicit Papam posse quidem sibi reseruare omnia mortalia validè, quia omnis potestas spiritualis emanat à Papa in inferiores Sacerdotes, ergo illam datam pœnitus auferre ab omnibus Sacerdotibus, & sic sequeretur reseruatio omnium mortalium, quæ nisi per Sacramentum absolutionis tolluntur; in huius sententiam pendet etiam *Faber disput.* 27. *de pœnit. num.* 15. *in fine.* Sed eorum ratio nullius est momenti, & multas pariter difficultates, in primis dato, quod totam potestatem iurisdictionis auferret ab omnibus, id non esset facere reseruationem, sed simpliciter prohibere Sacerdotibus exercitium huius Sacramenti absolutionis, nam facta reseruatio non est effectus suspensionis Confessariorum, sed ipsamet suspensio Confessariorum supponit reseruationem iam factam vt illius causam, & faciunt dicta *præced. quæst.* §. *Respond. ad primum.* Deinde Papa in tantum habet facultatem priuandi omnes Confessarios, in quantum habet hanc potestatem à Christo; sed hanc nulla ratione à Christo habet, cum Christus illi non communicauerit potestatem, cuius vsus non potest esse nisi illicitus, & in perniciem totius Ecclesiæ. Præterea saltem Episcopis, imò neque curatis posset Papa auferre hanc potestatem excipiendi Confessiones, nisi ex rationabili causa, eo quod hanc potestatem immediate habeat à Christo, in sententia quamplurium, cum quibus est *Sotus in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *apud Megal. l.* 1. *de pœnit. c.* 7. *n.* 4. *apud Fabr. disp.* 31. *de pœnit. n.* 45. Vnde Becanus ex opinione eiusdem Soti, & Ruardi concludit *cap.* 40. *de Sacram. q.* 5. *n.* 3. reseruationem factam à Prælato sine rationabili causa non valere rèspectu inferioris Sacerdotis habentis potestatem ordinariam.

Quæres 10. Quomodo reseruentur peccata habentia adnexam censuram? Difficultas potest esse, I. An Papa in suis reseruationibus semper sibi reseruet censuram adnexam peccato? II. An Episcopi, & alij Prælati possint vtramque reseruare simul, aut diuisim, reseruando sibi aliqua peccata sine censuris, & alia cum censuris? III. An quando reseruatur censura intelligatur etiam peccatum æque reseruatum? IV. An sublata censura, quilibet Confessarius non habens facultatem super reseruata possit absoluere à peccato, cuius censura iam sublata fuit?

11 Resp. I. Regulariter loquendo Papa semper sibi reseruat ea peccata, quæ habent adnexam censuram, seu potius censuram sibi reseruat, vt claré colligitur ex iure communi, & aliis constitutionibus Pontificiis, *Nau. c. 27. nu. 261. alios refert Bonac. q. 7. de pœnis p. 5. §. 2. n. 4. Floron. cap. 2. n. 6. & alij omnes apud citatos. Vide Boss. sect. 1. de Iubilæo. casu* 2. vbi respondet obiectis. Vnde isti Doctores inferunt nullam esse differentiam inter casus reseruatos Papæ, & censuras eiusdem, ac proinde valens absoluere à casibus Papalibus, potest etiam absoluere ab eius censuris.

12 Resp. II. Episcopi, & alij Prælati non solum peccata mortalia carentibus censuris sibi reseruare possunt, sed etiam cum censuris à se inflictis, quia nullum est inconueniens, nec prohibitio in contrarium, vt sic seruat praxis; & loquendo de Regularibus Prælatis constat ex vndecim casibus assignatis à Clem. VIII. in suo Decreto huius Consilij initio extenso, ex quibus aliqui habent connexam censuram, alij non. Vnde quando isti Prælati concedunt facultatem absoluendi à peccatis, non concedunt à censuris, neque è contra, cum sint diuersa.

Dixi, *Cum censuris à se inflictis*, quia loquendo de peccatis habētibus adnexam excommunicationem iuris communis nulli reseruatam, Sacra Congregatio in suis literis ad Archiepiscopum Neapolitan. *apud Quarant. ver. Casus reseruati*, monet ne horum fiat reseruatio, nisi propter scandalum, frequentiam, aut aliam causam, Nil tamen de Regularibus, nam expresse constat ex illis vndecim secundum continere excommunicationem ob dimissionem habitus ex apostasia quæ in iure communi nulli reseruatur.

13 Respond. III. Reseruatio primariò, & directè cadit super censuram, secundario, & per consequentiam cadere super peccatum, quatenus absolui non potest pœnitens ab illo, nisi prius à Superiore sublata fuerit censura, quod alia ratione non probatur, nisi ex modo loquendi, quo vtuntur Papa, & alij inferiores Prælati, dum sibi reseruant huiusmodi, nam solum faciunt mentionem de censuris, non de peccatis, contra Fabrum *disp.* 27. *num.* 11. vbi plures citat.

14 Respond. IV. Sublata censura ab habente facultatem; peccatum auferri potest à quouis simplici Confessario, quia non erat præcise, & in se reseruatum, sed tantum impediebatur eius absolutio per reseruationem excommunicationis, à qua sicut non potest simplex Confessarius absoluere, ita neque à peccato, quod tolli non potest, nisi prius sublata sit excommunicatio. *Graff. lib. 1. Append. cap. 7. n. 27. & 53. Nauar. c. 27. n. 261. alij communiter cum Bonac. q. 7. de pœni. p. 5. §. 2. nu. 4. Belloch. part. 1 quæst. 2. num. 48. Bossius sect. 1. casu 2. num. 2. Flor. cap. 2. num. 11.*

Quæres 11. An quando Prælatus sibi reseruat aliquod peccatum, cui adnexa sit excommunicatio, intelligatur etiam reseruata excommunicatio, licet reseruans de illa nullam faciat mentionem? Hoc autem potest accidere duobus modis. I. de excommunicatione iuris communis, aut specialis non reseruata, an Episcopus reseruandos ibi peccatum, propter quod illa incurritur, dicatur etiam reseruata censura? II. de excommunicatione iam reseruata iure communi, vel speciali, An dicatur de nouo reseruare sibi excommunicationem, quam iure speciali sibi reseruatis, vel est de iure sibi reseruata, & quando est reseruata Papæ, an faciat reseruationem suam, ita quod per concessionem casus, dicatur etiam concedere absolutionem censuræ.]

Respond. Reseruato peccato, censetur sibi reseruare etiam censuram adnexam de iure nulli reseruatam. Quando autem sibi reseruat peccatum, non facit suam reseruationem excommunicationis de iure communi Papæ reseruatæ, nisi aliunde habeat ius super illam reseruationem, vt super multis habet Episcopus virtute Tridentini. Vnde ex hoc concédens facultatem absoluendi à casu censetur etiam concedere à censura Papæ reseruata, eo magis si sit aliàs de iure sibi reseruata.

15 Primum, quod reseruato peccato, veniat in consequentiam etiam censura nulli reseruata, probatur, Tum quia connexorum idem est iudicium, *ex cap. Si quis 7. 1. quæstione tertia, iuncta Glos. ver. Neutrum, ex cap. Quanto tertio, de iudic. ex cap. Translato tertio, de constitut.* prohibito enim vno eorum, censetur prohibitum & alterum, *Glos. ver. Subrogati, cap. Hæc quippe 9. 3. quæst. 6. quia* connexa pro vno reputantur, *Glos. ver. Annexi, cap. Cum singula 32. de præbend. in 6.* Sed non potest incurri peccatum sine sua censura, neque censura sine suo peccato, cuius absolutio prohibetur inferioribus Confessariis, censetur reseruata censura, cuius proinde absolutio censetur prohibita. Tum quia prohibitus minoribus, ad maiora aspirare non licet, *l. Regulatorum §. fin. de interd. & relegat.* ergo prohibita absolutione peccatorum per reseruationem, intelligitur etiam prohibita absolutio à censura illis connexa, consequenter intelligitur reseruata. Tenet consequentia, quia maior est absolutio à censuris, quàm à peccatis; vt patet ex differentia reseruandi Sedis Apostolicæ, & Sedis Episcopalis. Tum quia inconueniens, & absurdum est dicere peccatum esse reseruatum, & non eius censuram. Vnde Sacta Congregatio bene monuit Prælatos ne sibi reseruarent ea peccata, quibus est adnexa excommunicatio iuris communis nulli reseruata.

16 Secundum, quod inferior reseruans non faciat suam reseruationem Papalem ex vi propriæ reseruationis, constat ex eo, quod nullo iure cauetur, nec ratio suadet, vt per reseruationem inferior Prælatus acquirat ius super legem Superioris dispensandi, aut dispensandi in ea; quamquam videatur inconueniens, Episcopum sibi reseruare posse peccatum, & nullum ius habere super censuram adnexam. Vnde merito Sacra Congregatio in Decreto. *Cum autem, apud Quar. ver. Casus reseruat*, prohibet ne Episcopi reseruent sibi casus specialiter Sedi Apostolicæ reseruatos.

17 Tertium, quod Episcopus concedendo facultatem absoluendi à peccato, censeatur etiam concedere potestatem absoluendi à censura Papæ reseruata, non ex vi reseruationis, sed ex vi priuilegij Tridentini, probatur ex eo, quod alias inutilis esset gratia. Verum quidem est, quod quando Episcopus non potest absoluere à reseruatis Papæ, neque tunc intelligitur concedere licentiam censuræ, cum super eam nullum ius habeat, Papa verò concédente suam facultatem secundum aliquos non videtur tollere reseruationem Episcopi super peccato suæ censuræ, cum quibus est *Nau. cap. 27. 261. §. Nono*, eo axiomate, quod sublato vno impedimento, remanet alterum, dici tamen potest tolli vtrumque, quia gratias principis late explicanda est, & fauores sunt ampliandi. Si demum sermo sit de censura ipsiusmet reseruantis non expressa in reseruatione peccati, Prælatus facit suam reseruationem, ac proinde concesso casu censetur concessa censuræ absolutio, quia vtriusque legislator est, & Superior.

Quæres 12. An mox dicta de Episcopis reseruantibus habeant locum in Superioribus Regularibus, ita vt ex reseruatione peccati, sequatur etiam censuræ adnexæ reseruatio, de iure non reseruatæ? Et An reseruando peccatum faciat suam reseruationem Papalem, ita quod ab illa absoluere possint vti sibi reseruata,

18 Respond. Censura remanet reseruata simul cum peccato, quamuis aliàs non esset reseruata ob rationes adductas ibi §. Primum. Habetur exemplum in casu 2. expresso in Decreto de Apostasia à Religione siue habitu dimisso, siue retento, vigore cuius reseruationis censetur etiam reseruata censura excommunicationis si

Religiosus

Religiosus temere dimittens habitum, quamuis in iure communi non sit reseruata. *Vide quæ dixi de hac excomm. resol.55: per totum.*

Facit pariter Superior reseruationem excommunicationis Papalis, ac si eius absolutio non pertineret ad Papam, loquendo de casibus expressis in dicto Decreto, & sit exemplum in decimo casu de percussione cuiuscumque personæ, ac proinde etiam Ecclesiasticæ excommunicationem Papæ reseruatam inducente, nam Superior hunc casum sibi reseruando, intelligitur etiam sibi reseruare adnexam excommunicationem, cuius proinde absolutio in eius est potestate, quia Papa dando facultatem Superioribus Regularibus reseruandi sibi hunc casum, censetur illum concedere cum omnibus suis requisitis, & adnexis, ne Prælatis Regularibus imperfectam facultatem tribuere videatur, Confirmatur ex dicendis in explicatione huius casus resolutione... *quæst.*... Deinde infra *quæst.*31. patebit in hoc Decreto disponi tam de censuris, quàm peccatis. Insuper faciunt dicta *præced. quæst.*

Quæres. 13. An quando Superior sibi non reseruat huiusmodi peccata, quæ censuram habent adnexam, neque sit reseruata ipsamet censura etiam de iure communi? procedit *quæstio in casu sexto. de abortu, &* 10. *de percussione sacrilega*, quæ duo peccata habent adnexam excommunicationem reseruatam de iure, an cesset reseruatio ex non reseruatione peccati? De excommunicationibus verò non reseruatis nulla est difficultas, tales enim remanent, non verò reseruatæ de iure, quia hoc ipso, quod Papa subiicit huiusmodi casus Prælatis Regularibus, quos in dicto Decreto non reseruat, sed concedit, quod illos possint sibi reseruare, vt dico infrà *quæst.* 28. videtur quoque huic dispositioni etiam censuras, ac proinde illæ non erunt reseruatæ non reseruatis peccatis.

19 Respond. Nihilominus, quo adhuc intelliguntur reseruare de iure, non obstante negligentia Prælati nolentis, vel curantis eorum peccata sibi reseruare, ratio est, quia hoc Decretum, neque omissio reseruationis alterat ius commune, quod in suo vigore adhuc remanet, & Papa posita reseruatione indulget, vt Superior possit facere Papalem reseruationem propriam. Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia paritas dispositionis in eo consistit, vt Superior non tantum peccata, verùm etiam excommunicationes possit sibi reseruare sub eadem forma, & ratione quibus peccata sibi reseruat virtute Decreti, dispositio igitur refertur ad reseruationem, non ad illius omissionem.

Quæres 14. An sub nomine casuum veniant censuræ, iuramenta, votum, irregularitates, & huiusmodi?

20 Respond. *Quæsito 1. Resp. I. & II. §. Dixi I.* non venire censuras, neque alia quo ad dispensationem, vbi dixi sub nomine casuum venire etiam censuras in duobus casibus.

Quæres 15. An reincidentia sit materia reseruationis, seu an dari possit casus, in quo pœnitens absolutus à casu reseruato cum onere se præsentandi Superiori, reincidat in eumdem casum, à quo fuit absolutus, si nolit se præsentare? Quod idem quæritur de excommunicatione, an ab ea absolutus nolens se præsentare reincidat in eamdem reseruatam?

21 Respond. Reincidentia non est materia reseruationis quo ad peccata, vtique potest esse quo ad excommunicationem.

Primum, quod reincidentia non detur respectu peccati idest pœnitens non satisfaciendo præcepto, seu promissioni de se præsentando Superiori non recurrit in eundem casum reseruatum, à quo fuit absolutus cum onere se præsentandi, probatur, Tum quia peccatum semel remissum non redit *cap. illic* 24. *q.* 4. Tum quia peccatum semel remissum rite non potest esse materia reseruationis, suprà *q.* 7. Tum quia aliud est obligatio se præsentandi Superiori, aliud reincidere in idem peccatum reseruatum, vt de se patet, nam illius omissio est quidem peccatum mortale, quia pœnitens deficit in re graui, & peccatum hoc ab inferiori remitti non potest, non quia sit reseruatum, quia nullo iure id cauetur, vt supono, sed quia pœnitens non accedit benè dispositus, nam semper manet obligatio præsentandi se Superiori vsquequo promissum adimpleuerit, ex quibus patet hoc peccatū esse aliud à peccato illo reseruato cuius absolutionem obtinuit cum onere se præsentandi. Et ita docet Beia *part.* 2. *casu* 31.

Secundum, quod detur reincidentia in eamdem ex- 22
communicationem non numero sed specie, colligitur apertè *Ex cap. Eos qui* 22. *de sentent. excomm. in* 6. In duobus casibus, quorum primus est, quando ob periculum mortis, vel aliud legitimum impedimentum absolutus ab excommunicatione reseruata ab illo, qui aliàs non poterat, negligit se præsentare Superiori, cui est illa excommunicatio reseruata; Secundus est quando quis fuit absolutus à Papa, vel eius legato cum onere præsentandi se suo ordinario, vel alteri. In his ergo duobus casibus absolutus ab excommunicatione reseruata non se præsentando illi, cui debet se præsentare reincidit in eamdem specie excommunicationem reseruatam sicut prior. Intelligitur autem prior casus, quando Confessarius nullum priuilegium habet absoluendi, nam si habet, cum nomine delegantis dicatur absoluere, pœnitens censetur satisfecisse suo muneri, quia idem est, ac si absolutus fuisset ab ipso Superiore. *Ita docet Sanch. lib* 2. *cap.* 13. *num.* 31. *cum aliis pro se citatis à Bonac. quæstione* 2. *de cens. p.* 3. *numero* 15. *§. Respondeo, Megal. lib.* 1. *de pœnit. cap.* 13. *numero* 23. *ad finem.* Excommunicatio non est eadem numero, sed specie, docent Suar. Sanchez, Sair. cum Bonac. *cit. num.* 16. Floronus aliis citatis *cap.* 4. *§.* 6. *num.* 14. *§. Dixi.* Præsentatio hæc non fit, vt absoluatur, cum iā ritè sit absolutus, sed vt à superiore medicinam, & satisfactionem recipiat conuenientem suis delictis, vt omnes docent. Quod si quis velit euitare huiusmodi obligationem iterum se faciant absoluere ab habente priuilegium, vt docent Sanch. *cit. n.* 22. *Henr. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 5. *quos pro se citat Bonac. cit. n.* 15. *§. Addo. Vide quæ dixi de hac re resol.* 3. *q.* 16.

A casibus autem reseruatis non habentibus adnexam censuram absolutus in articulo mortis, vel ob aliud impedimentum de iure communi non tenetur se præsentare, quia non extat talis obligatio, vt omnes docent cum Floron. *part.* 1. *c.* 4. *§.* 6. *in fine*, *Bonac. q* 3. *de cens. p.* 2. *num.* 19.

Quæres 16. An Superior possit concedere licentiam pœnitenti, vel ipsi Confessario absoluendi à reseruatis sub ea conditione, seu potius onere præsentandi se Superiori? Seu, quod idem est, an Superior possit facere statutum in quo concedat facultatem absoluendi à reseruatis, cum onere præsentandi se Superiori reseruanti. Præsentatio autem potest habere duplicem sensum, quorum primus se præsentandi pro obtinendo iterum absolutione à reseruatis iam rite dimissis ab inferiori; alter est se præsentandi pro accipienda condigna pœnitentia pro illis peccatis. Deinde hoc onus adiectum spectari potest dupliciter, vel vt conditio adiecta in ipsamet absolutione, quæ nulla sit ea omissa, vel vt modus, & obligatio extra ipsum Sacramentum, quod tamen consequitur ipsam absolutionem iam præmissam. Videtur autem, quod non possit concedi huiusmodi licentia, neque statutum fieri, quia id est peccatū iam semel ritè dimissum, iterum reseruare, quod fieri non potest, cum id non possit esse materia reseruationis, ex probatis *quæst.* 6. Præterea sequeretur reincidentiam dari in casibus reseruatis, reprobatam mox *in præcedenti quæst. §. Primum.*

Respond. Concessio, seu statutum sub conditione 23
inserta in Sacramentali absolutione nullo modo subsistere possunt. Quod si onus adiectum sit extra ipsum Sacramentum, tenet concessio, & statutum se præ-

sentandi coram Superiore, siue pro absolutione eorumdem reseruatorum, siue pro pœnitentia recipienda, accedente consensu pœnitentis.

24 Primum, quod statutum sub conditione nullum sit, probatur, quia absolutio cum conditione de futuro, si se præsentabit Superiori, est ipso iure nulla ex communi Doctorum, siquidem absolutio non recipit conditionem de futuro, cuius proprium est suspendere effectum vsque ad tempus, quo sit adimpleta, quam vim cum non habeat respectu Sacramentalis absolutionis, quia hæc efficit Sacramentum, dum verba proferuntur, si adsint omnia requisita, aliter redditur nullũ, cum non possit manere in suspenso, nulla ratione potest subsistere huiusmodi statutum cum ea, semper irritam reddens absolutionem. Ita Doctores citandi.

25 Secundum, quod tear statutum se præsentandi coram Superiore, probatur, Tum quia super eadem peccata iam rite remissa multiplicari potest absolutio, quoties aperiuntur in confessione; ergo ad hanc repetitionem potest obligari à Superiore, si pœnitens velit eam acceptare; censetur autem eam acceptare quotiescumque petit absolutionem reseruatorum ab inferiori, quem scit non posse absoluere, nisi pœnitentes ipse contrahat hanc obligationem se præsentandi Superiori, & quia qui vult, & consequitur antecedens, necesse est, quod se obliget ad consequens, ex vulgaris iuribus, benè infertur hunc pœnitentem acceptare statutum, & onus se præsentandi. Tum quia sicut non inuitatus à Confessario, iterum peccata iam remissa sponte confiteri potest, ita & ad id inuitari à Superiore per suum statutum si velit consentire. Tum quia huiusmodi præsentatio vtilis est, & fructifera, & ex ea nullum sequitur inconueniens, ergo de illa statutum admitti potest, Tum quia huiusmodi statutum neminem absolutè cogit, sed tantum sub conditione, si pœnitens vult absolui ab inferiore Sacerdote, si enim non vult absolui, nullam contrahit obligationem ex vi statuti, debet tamen pro absolutione de iure accedere ad Superiorem; quod si accedat ad inferiorem sine animo se præsentandi iuxta statutum, nullam facit confessionem, quia non habet omnia requisita, nempe propositum obediendi. Quod si firmum habeat propositum se præsentandi, sed post absolutionem illud mutet, non ideo non fuit bene absolutus, sed solum cõtrahit nouum peccatum, & quidem mortale transgressionis statuti, quod illum obligat ad se præsentandum Superiori, quamprimum, aut tempore præfixo in statuto, & habet tractum successiuũ obligationis quousque se præsentet.

De hac præsentationis obligatione affirmant *Graff. part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 76. Nau. cap. 26. num. 12. Nal. verb. Absolutio à peccatis num. 12. quos citat Floron. cap. 4. §. 3. num. 24. Megal. lib. 1. de pœnit. cap. 13. num. 30. vbi citat Suar. Angel. ver. Confessio 5. num. 9. Beia optimè part. 2. casu 31. Faber disp. 27. de pœnit. nu. 51. vbi quamplures alios citat, Coriolanus sect. 1. art. 8. & 9. num. 3.*

Ex Doctoribus citatis aliqui duo aduertunt, primum est, hanc præsentationem videri irrationabilem, quando ipsemet pœnitens petit immediatè à superiore absolutionem, & superior illum remittit ad inferiorem confessarium cum onere reconfitendi sibi illa reseruata, & reuera ita est, quia pœnitens accessu illo ad superiorem satisfecit suæ obligationi quo ad reseruationem, *Naldus pro se citando Nauar.* Alterum est, quod huiusmodi onus, & obligatio notificanda est pœnitenti ante absolutionem, quam si acceptet absolui potest aliter non, sed tunc cogitur accedere ad superiorem; sufficienter autem dicitur notificata si fiat per statutum, si verò per concessionem, formaliter notificanda est.

Rationi dubitandi in quæsito satisfit dicendo, aliud esse statutum reconfitendi eadem peccata semel remissa cogens pœnitentes ad hoc, quod negaui posse subsistere ex *quæst. 7.* aliud statutum sub conditione se præsentandi, quando pœnitens absolutus fuit ab inferiori, nam pœnitentes huic voluntarie subiicit, illi verò cogitur, cum sit absolutum, hoc verò conditionatum pendens ex voluntate pœnitentis. Neque obstat alia ratio ex *quæst. 15.* de reincidentia, in eumdem casum reseruatum, quia non dico per hoc statutum pœnitentem teneri confiteri iterum idem peccatum absolute quasi, si non se præsentet recedat in idem peccatum siue numero, siue specie, cum peccatum rite remissum non reuertatur *ex c. Ferrum dist. 50.* sed ideò tenetur illud reconfiteri, quia ad id se obligauit, vnde exequi id debet ad euitandum nouum peccatum.

Quæres 17. Anin Ecclesia Catholica sit potestas reseruandi casus? & à quo iure hæc proueniat? Sit ne hæreticus hanc negans?

26 Respond. Est in Ecclesia potestas reseruandi casus, à Christo Domino immediatè tributa Summo Pontifici, & ab hoc aliis inferioribus Prælatis communicata; & id negans est hæreticus.

Primum, quod sit potestas in Ecclesia reseruandi casus tam pro foro exteriori seu pro externa politia, quam pro interiori, & coram Deo, ita quod pœnitens non possit obtinere validam absolutionem ab inferiori confessario non habente facultatem super, reseruata, probatur. Tum ex antiquissimo vsu Ecclesiæ, quæ sibi reseruare consueuit quædam peccata, nam in Concilio Carthaginensi III. de anno 397. edito, relato *cap. fin. 26. q. 6.* prohibetur, ne presbyter reconciliet pœnitentem inconsulto Episcopo, nisi vltima necessitas cogat; *& cap. Latorem 32. q. 1.* Matricida absoluendus mittitur ad Papam. Tum quia ita dicitur *sess. 14. ca. 7.* & de fine definitur ibi *can. 11.* Episcopos habere hanc potestatem pro vtroque foro. *Ita docent omnes cum Fabro disp. 27. de Pœnit. num. 1. ad 9. Megalio lib. 1. de pœnit. cap. 11. num. 1. Coriolano sect. 1. art. 1. Becano cap. 40. q. 1. alios Doctores citatos habes apud Barbosam ad hoc ca. 7. sect. 14.*

27 Secundum, quod hæc potestas immediatè à Christo tributa fuerit Papæ, & ab eo reliquis probatur de Papa Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Quibus verbis Christus fuit loquutus Petro, & consequenter omnibus eius legitimis successoribus. Probatur de reliquis Prælatis, quia Papa potest illorum potestatem ampliare, & restringere, immo auferre, vt omnes docent in c. Inter corporalia, de translat. Episc. quod signum est eam potestatem omnes inferiores recipere à Papa; de Episcopis patet, quando creantur à Papa, qui profert hæc verba. *Committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus*, &c. De Prælatis regularibus constat ex eo, quod ad solũ Papam spectat approbare Religiones, & eorum superiores, c. fin. de relig. domib. & in 6. De communicatione potestatis huius iurisdictionis fere omnes *cum Bellar. li. 4. de Rom. Pontif. c. 23. Suar. cum aliis citatis à Megal. lib. 1. c. 7. n. 2. Faber disp. 31. n. 46.* & deinceps, *& disp. 27. initio, Rodr. tom. 1. quæst. 17. art. 2. quem pro se citat ab aliis Coriolanus sect. 1. art. 3.*

Authoritates autem, & rationes, quas aduersarij in oppositum adducere possunt, aut loquuntur de potestate ordinis, aut de Apostolis, quibus ex priuilegio potestas etiam iurisdictionis immediatè à Christo concessa fuit, aut intelligendæ sunt, quod omnes eam habent immediatè à Papa, mediatè verò à Christo, vt à capite supremo fonte omnium potestatum, quatenus primatio communicatur Summo Pontifici.

28 Tertium, quod negans potestatem reseruandi casus Ecclesia sit hæreticus, definitum fuit *Can. 11. sess. 14.* vbi expresse sermo est de Episcopis, & sic docent omnes cum Fabro *disp. 27. nu. 1. Graff. pr. lib. 1. cap. 2. num. 3.* vbi ait esse hæreticum negare hanc potestatem non solum Episcopis, sed etiam aliis Prælatis habentibus potestatem quasi Episcopalem, *Coriolanus sect. 1. art. 1. num. 9. Megal. lib. 1. cap. 11. num. 1. Compend. resol. 22. num. 1. cum suo Authore q. 21. art. 1. & 2. Mirand.*

tom.

tom.2.q.1.concl.1. dicunt illi tres cum Grassio negantes hanc potestatem Prælatis Regularibus hæreticare, quod mihi verum non videtur, quia Concilium loquitur expresse de Episcopis in dicto Canone 11. quorum nomine non veniunt prælati alij, quia propositiones de fide non deducuntur à pari, a simili, a maiori, neque ex altera tantum de fide, *Corduba*, *Arrag.cum Sanch.l.2.c.7.n.33.* Sed in se talea esse debent, quia in terminis exprimuntur in Sacra Scriptura, vel occultæ, determinantur, & declarantur à Papa.

Quæres. 18. Quinam superiores seculares possint sibi reseruare peccata, & censuras?

29 Respond. Omnes illi, qui habent iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem volentes approbare sacerdotes suos ad audiendas confessiones suorum subditorum, *vt docent Floren.c.2.n.1.Coriolanus sect. & art.1.n.11.Mirand. tom.2.q.34.art.1. Compend. resol.22.n.1.Bonac. quæst.7. de Pænit.p.5 propos.2. Megal.lib.1.c.12. num.2.*

Isti autem sunt Papa, Episcopus, Patriarcha, Archiepiscopus, Primas, seu Metropolitanus, Capitulum Sede Vacante, Concilium Prouinciale, & ab his delegati.

Papa igitur in toto orbe Christiano fideles subiicit suis casibus, & censuris sibi reseruatis, & in hoc omnes conueniunt cum citatis Doctoribus.

Episcopus non solum consecratus, sed etiam solum confirmatus, & nondum consecratus licet non sit sacerdos, habens sub se populum potest sibi casus reseruare, & illis afficere omnes sibi subditos. Quod solum confirmatus possit, probatur, quia habet potestatem iurisdictionis pro vtroque foro sufficientem ad hoc munus. *Sic docent Suar.disp.141 sect.2. Sanch. lib.8.disp.2.num.11.* Homob. *part.1. de casibus cap. 2.§. Natura, & ex eis Floren. cap.2.nu.16.* Licet non sit sacerdos, quia sacerdotalis potestas ad hoc necessaria non est, sed solum potestas iurisdictionis, quæ sacerdotium non supponit, licet Sacramentaliter absoluere non possit. *Ita ex Homobon. cit. asserit Floren. cap. 2. num.16.§. Item.* Debet habere populum sub se quia reseruatio fit ad continendum populos in disciplina Christiana, vnde qui renuntiauit Episcopatui, vel solum Titularis Episcopus non possunt sibi casus reseruare, tum quia iurisdictionem non habent, tum quia carent subditis, quos subiiciant casibus reseruatis, & Confessariis, quorum potestatem restringant. Quod si Episcopus habeat populum, sed sit priuatus potestate, vt quia est excommunicatus non toleratus, sed denuntiatus vitandus, non potest facere reseruationem, quia caret iurisdictione necessaria ad condendam reseruationem, *Floren. cit. numero.18.*

Patriarchæ, Metropolitani possunt sibi reseruare casus pro sua Diœcesi, quia in hoc & ipsi sunt Episcopi, *Floren. cap.2. num.14.* Qui non explicat an reseruationem facere possint pro tota prouincia, quia non solum possunt pro tota prouincia, quod reperitur in iure illis concessum, *ex cap.1. de supplend. negl. prælat. in 6.* Sed hæc potestas non reperitur a iure illis concessa, ergo non possunt, pro qua re vide *Quar ver. Archiep.author.* vbi enumerat omnes iurisdictiones, & authoritates, quam potest habere Archiepiscopus in prouincia, inter quas non numeratur hæc. Confirmatur, quia isti non approbant confessarios suffraganeorum, ergo illorum facultatem à suis Episcopis concessam non possunt restringere per reseruationem. Ad hoc faciunt quæ habent *Megal.l.1.de cens.c.3.n.14 ad 20.l.cod.c.7.28.Bonac. q.3 p.3. de cens.n.7.*

Capitulum Sede vacante habet hanc facultatem, quia succedit in potestatem iurisdictionis, ita quod expedire potest omnia quæ spectant ad iurisdictionem Episcopi, vt Doctoribus citatis pluribus tradit *Quar.ver. Capitulum Sede vacante.* Ita docent *Lazar. quæst. 10. de Blasphem.n.63.*

Concilium prouinciale sibi casus reseruare potest, vt patet ex Conciliis Prouincialibus Mediolani, & docet *Bonac. quæstione 7. de Pænit. p. 5. propos. 2. ad finem.*

Quæres. 19. An, & quinam superiores Regulares possint sibi casus reseruare?

Respond. Possunt, & hi sunt Prælati maiores nimirum Generalis, & Prouincialis, qui non solum possunt sibi reseruare peccata, sed etiam censuras; alij verò Prælati inferiores, & superiores de iure non habent, nisi sibi concedatur à maioribus superioribus, seu à Regula.

Primum de potestate probatur, Tum quia in hoc eamdem potestatem habent quàm obtinent Episcopi, cùm habeant potestatem quasi Episcopalem, *Glos.ver. Proprij, Clem 1. de reb. Eccl. non alien. Nau. consil. 23. de priuil. Coriol. sect.1. art.2. Homob. par.4. respond. 88,* & comparantur Episcopi, & Prælati maiores quo ad iurisdictionem, *Glos. ver. Regularis capit. Ne pro defectu 41. de elect. per cap. Si quis deinceps 16. quæstione.fin. Rodr. quæst. 10. art.c.10.* Sed Episcopi possunt sibi reseruare ex probatis *præced. quæst.* ergo & Prælati Regulares Tum quia qui potest soluere, potest etiam ligare, *cap: Verbum dist.1.de Pænit.* Prælati Regulares possunt absoluere à reseruatis, ergo & reseruare. Tum quia aliquibus negantibus huiusmodi reseruationem. Papa Alex.VI, constit. *Intelleximus, apud Confect.pag.111.* decreuit Generales, & Prouinciales, imò, & Guardianos posse sibi casus reseruare. Demum id supponit Decretum Clementis VIII. initio huius consilij extensum; neque de hac re dubitandum est, cum omninò sit certum, immò nonnulli dubitantes afficiunt hæresi, quorum opinionem redargui *quæst 17. §. Tertium. Sic tenent Rodriq. in sum. ca.19. part.1. Megal. lib.1. de Pænit. cap.11.num.2.ex cap.7.à num.17. Graff. pr.lib.1. c.2. n.2. Bonac.quæst.7. de Pænit.p.5.propos.2. Coriolanus sect. & art.1.num.11. & art.2.Floren.cap.2.numero.19 & 20. Mirand.tom.2.q 34. art.1. Compend. resol.22.num.1. Antonius de Sillis super capit. 12. Regula nostra collat.2.*

31 Secundum, quod soli Generalis, & Prouincialis de iure sibi casus, & censuras reseruent, constat ex eo, quod hi soli habent potestatem quasi Episcopalem in vtroque foro. Deinde, illi soli possunt sibi casus reseruare, qui possunt congregare capitulum Generale, vel Prouinciale, stante Decreto nostro Clem. VIII. sed id spectat ad solos Generalem, & Prouincialem, à quibus ideo nomen accipiunt, ergo hi soli possunt sibi reseruare, Præterea in multis Religionibus soli Generales, & Prouinciales approbant confessarios pro suis subditis, ergo hi soli possunt restringere illorum facultatem, ac proinde casus reseruare. Ita docent omnes præcitati.

32 Priores ergo, & alij superiores, cum non dicantur maiores, neque habeant potestatem quasi Episcopalem neque possint congregare capit.Generale, aut Prouinciale, neque approbare confessarios in multis religionibus, non possunt sibi casus reseruare. Ita de Prioribus meæ Religionis docet *Antonius de Sillis super citatum cap. 14. Regul. Annot.2.* Nec obstat, quod approbent confessarios pro suis subditis *cap. 22. Reg.* quia hæc ratio de se non sufficit ad constituendum quempiam legislatorem reseruationis, præterquam quod Prælati maiores videntur ad se traxisse hanc facultatem, *vide quæ dixi resol.4. quæst.7.§. Primo.* Neque pro Franciscanis primæ Regulæ amplius facit constitut. citata Alex.VI. Guardianis, quia hæc facultas à Religione sublata fuit de consensu Summi Pontificis, *ex Sorbo ver. Absolut. ordin. quo ad Fratres §.17. Bordl. sect.1. art 4 Morand. q.34.art.1.in fine.*

Dices, 1. Qui potest absoluere, potest etiam ligare *ex cap. Verbum 51. dist. 1. de Pænit.* vbi relatus D. Ambrosius dicit, quod Dominus par ius soluendi esse voluit, & ligandi: sed in multis religionibus superiores locales absoluunt à reseruatis, & de Prioribus meæ

Religionis, quod absoluaot à reseruatis probaui *resol.* 3.*n* 18. *resol.*28.*q.*20.§. *Difficultas*, & infra *resol.*39.*n.*39. *q*.... Secundo Priores possunt censuris afficere suos subditos, præsertim excommuoicare *ex capit. Cum in Ecclesiis* 10. *de maior.* vbi de Priore, *cap. Sicut suis* 33. *de Simon.* vbi de Abbate, in quibus locis supponitur hæc facultas io ipsis, *docent Nau.cap.*27.*n.*5.*Sair.l.*1.*c.*6.*n.*15. *Tolet.l.*1.*c.*7.*n. Graff. part.*1.*l.*4.*c.*4.*n.*8.*Bonac. q.*1. *de cens.p.*2.*n.*3. *Megal.l.*1. *de cens.c.*2.*n.*26. ergo & illas sibi reseruare, tum ob prioré ratiuoé, tú quia sicut sub eius potestate est fulminatio sententiæ, quod est principale, ita & eius reseruatio, quæ illi est accessoria.

Ad primum respondetur, illam regulam io multis fallere, *nam ex cap.* Nuper de sent. excommun. constat simplicem confessarium posse absoluere ab excommunicatione nulli reseruata, & tamen notum est, non posse excommunicare, vnde habet locum in eo, qui absoluit valens ligare absolutum ad satisfaciendum. Ad secundum dico aliud esse excommunicare, quod non negatur superioribus, aliud excommuoicationem latam sibi reseruare, & si enim reseruatio sit consequens ad latam excommunicationem, non tamen necessariò, ac proinde ex illatione antecedentis noo infertur consequens, quando separabilia sunt, & maximè, quando adest prohibitio in contrarium, nam in his, quæ principaliter pendent à voluntate, stat pro ratione voluntas, vt dixit *Glos.*11. *Ex quanis causa c.*43. *de elect. in* 6. Ista autem prohibitio, quod non possint superiores sibi reseruare censuram à se latam, nisi quibusdam concurrentibus, constabit iu *q.*31.

Quæres. 21. An Prælatus aliqua censura infectus possit sibi reseruare casus?

33 Respond. Potest, si sit toleratur, quia ab hoc gesta tenent ex communi Doctorum citandorum, si verò noo sit toleratus, sed vitandus, eo quod sit nominatim denuntiatus, casus sibi reseruare oon potest licitè, neque validè, quia omnia gesta ab isto irrita, & nulla sunt, cum careat iurisdictione, quæ in ipso mortua est, & cum sit extra Ecclesiam eliminatus Ecclesiastica iurisdictione priuatus omninò est Ita docent omnes de nullitate gestorum à vitando, *Megal. l.*2. *de censur.c.*3.*n.*18, Bonac. *q.*2.*de excomm.p.*3. *Sair.l.*2.*c.*6.Et in te hac Homob. *& ex eo Flor.c.*2.*n.*18. *de Episcopis.*

Quæres. 21. An Prælati hanc facultatem reseruandi casus possint aliis delegare? vti Episcopus suo Vicario Generali, vel alteri; Prælatus Regularis suis Vicariis, & similibus?

34 Respond. Possunt delegare, eo quod hæc eorum potestas est ordinaria, quæ delegari potest, vt docent omnes super.l.Ex more ff. de iur.omn.iud. & in cap. Cum Episcopus, de ordin.io 6. qui enim proprio nomine iurisdictionem exercet, illam delegare potest, ex citatis textibus; certum autem est, huiusmodi prælatis hanc facultatem iure ordinario competere, ergo aliis delegare possunt, siue præsentes sint, siue absint, præsentia enim Prælati non tollit, quin delegatus possit exercere suum munus, exceptis quibusdam casibus, vt tradit aliis citatis. *Lazar. quæst.*6. *de Monit. sect.*1. *numero.*5. Delegari autem à Prælatis Regularibus hanc potestatem noo possunt exercere nisi in capitulis Generalibus, aut Prouincialibus, iuxta quod dicam infra *q.*27. *ad.*35.

Quæres 22. An delegatus hac facultate vti possit, delegante mortuo, aut hæresi infecto, aut censurato, aut ab infidelibus capto, vel ab Officio amoto?

35 Respood. Si delegans sit mortuus, vel amotus ab officio, vel censuratus vitandus, expirat potestas in delegato, quia tota delegationis virtus perenniter pendet, & viget à potestate delegantis, ergo quando hac est priuatus non potest illius virtute delegatio perdurare in delegato, sed necesse est extingui, vt quæ viuit vita alia, & de potestate Vicarij Episcopi habetur *cap.* 1. *de off. vic. in* 6. Si verò sit captus ab infidelibus, cum propter hoc non veniat priuatus iure suo, & potestate iurisdictionis, ideo Vicarius suum prosequitur officium. Nec obstat cap. Si Episcopus, de suppl. negl. prælat. vbi dicitur quod in locum Episcopi capti succedit in administratione tam spirituali, quam temporali capitulum, quia intelligitur, quando nulla est spes regressus, aut absentia futura est longa, quia in his duobus casibus Episcopus captus æquiparatur mortuo, *ex Cardin in Clem.de off.vic.q.*18. *& ex eo Quar.ver. Capitulum sede vac.num.*12. cui proinde debet succedere capitulum, quia tunc censetur sedes vacare.

Quæres 23. An Prouincialis in reseruatione casuum subordinetur Generali, ita quod hanc potestatem ab eo habeant?

Respond. Prouincialis hanc potestatem habet immediatè à Generali, iure tamen ordinario, probatur, Tum ex dictis supra *q.*17.§.*Secundum*, Tum quia illi immediate subiiciuntur, cum ab eo confirmatur *Mirand.tom.*2. *q.*23. *art.* 32.*concl.*3.*Sigism.dub.*46. Tum quia inferiores à suis superioribus vires recipiunt, & illis subiiciuntur ex officio debitæ subordinationis, est enim ordo inferiorũ & superiorum dispositio, sed Prouinciales sunt inferiores Generali, ergo illi subiiciuntur in omnibus quæ spectant ad suum officium. Tum quia inferiores superiores habent potestatem limitabilem, & restringibilem à superiori prælato, vt omnes docent & cum eis *Mir. tom.* 2.*q.* 16. *art.* 6. De subiectione, & dependentia Prouincialis, qui in omnibus tenetur obedire Generali, statuitur *cap. secundo*, *&* 4. *Regula nostra.* 36

Quæres 24. Ao Generalis possit interdicere Prouincialibus facultatem reseruandi casus?

Respondc. Non potest, nisi iuxta interueniente causa, vt quando ea abuterentur potestate io præiudicium animarum subditorum, vel non seruata forma in Decreto præscripta; probatur argumento à fortiori, quia ex iusta caosa Generalis potest deponere Prouiocialem vt tradunt Doctores in c.Mooachi, de statu mon.& refert *Sigism. dub.*49.*n.*4 Ergo & auferre eam potestatem, quod est minus. 37

Quæres. 23. Quem modum seruare debent Episcopi in casibus reseruandis siue à iure, siue ab homine?

Respond. Prælati omnes in condendis casibus reseruatis multa debent attendere, & obseruare. Primo, debent adhibere viros præstanter doctrina, prudentia, & pietate, & examioare, atque diligenter excutere casus quos reseruandos proponunt, consideratis diligenter cuiuscumque Diœcesis, & populorum moribus, statu, & qualitate, vt dicitur in fine primis Decreti editi à Sacra Coogregatione de mandato Clem. VIII. super absolutione à casibus reseruatis Summo Pontifici, & ordinariis locorum negata, & sublata quibuscumque confessariis, qui virtute priuilegiorum absoluebant à dictis casibus, quod habes extensum apud. *Quar. & Nal.ver. eod.* vbi habetur aliud decretum prioris declaratiuum, & moderatiuum, cum literis Sacræ Congregationis directis ad Archiepiscopum Neapolitanum, ex eodem Quar. vbi dicuntur multa scitu digna pro editione casuum facienda ab Episcopis. Secundò, non quoscumque casus, sed atrociorum, & grauiorum criminum peccata sibi debent reseruare, vt colligitur *ex sess.* 24.*c.* & ex Decreto secundo mox citato, atque ex literis citatis, in quibus monétur ordinarij, ne sibi reseruét eos, in quibus licet adsit peccatum mortale, tamen versantur circa res parui momenti, & frequenter solent euenire inter personas idiotas, vt damni dati, & similium, nec eus, quibus non datur absolutio, nisi facta restitutione, vel executione, & peccatis carnalibus reseruandis debent vti multa circumspectiune propter periculum scandalorum in iis maximè personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios; vel frequentem reditum ad ordinarios suspicionis aliquid cadere potest. Tertiò, non debent sibi reseruare aliqua peccata habentia coniunctam censuram iuris communis, vnde in secundo Decreto ordinarii prohibentur. sibi reseruare casus Bullæ Cœnæ Domini, & alios Sedi Apostolicæ reseruatos, talis reseruatio videtur superflua, siquidem. sublata 38

blata Papali reseruatione, intelligitur etiam sublata Episcopalis, quod seruatur in praxi, vt insinuat *Nal. ver. casus n. 11. ex Suar. disput. 31. sect. 4. Faciunt dicta quæst.* 10. §. *Resp.* 2. Et in dictis Literis monet ordinarios ne sibi reseruent eos casus, quibus à iure est adnexa excommunicatio nulli reseruata, nisi aliter iudicauerint propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam. Quartò, quo ad numerum paucos casus sibi reseruare debent, eosque necessarios sufficiêtes ad retinendam Christianam disciplinam, ex Decreto primo, & Literis, cuius ratio redditur in secundo Decreto, ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ ministrorum coarctata potestate Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. Prædicta & alia refert *cap.* 2. *num.* 33.

Quæres. 26. An Prælati præsertim seculares pro quibus mox dicta faciunt, præscriptum non seruantes nullam faciant reseruationem?

39 Respond. Nihilominus valide casus sibi reseruant; Tum quia forma præscripta non est essentialis, sed accidentalis, neque continet decretum irritans. Tum quia illa præscribuntur sub monitione, non sub præcepto *docent Homob. part.* 1. *ca.* §. *Natura, vers. Vbi tamen illum, & ex eo Floron. cap.* 2. *num.* 22. §. *Postremum.*

Quæres 27. An numerus casuum Episcopalium par, & æqualis debeat esse respectu Confessariorum secularium, & regularium, ita quod Episcopus non possit valide sibi reseruare plures casus respectu Regularium.

40 Respond. non potest Episcopus plures casus reseruare respectu Regularium, quia illis faceret maximam iniuriam, iudicando illos imprudentiores, & minus doctos Confessariis secularibus, constat autem apud Religiosos esse personas æquè prudentes, atque Doctores, ac confessarios seculares, ne vtar comparatiuo, iure optimo in pluribus adhibendo. Sed non est immorandum, quia de hac re satis dixi *resol.* 6. *q.* 1.

Quæres 28. Quotnam sint casus, quos prælati Regulares sibi reseruare possunt virtute Decreti Clem. VIII. relati initio huius consilij. Et an omnes sint reseruati virtute illius Decreti? Et si non sunt reseruati, sed reseruandi, an superiores teneantur sibi omnes, vel partim eorum reseruare?

Respond. Sunt vndecim ibi expresse nominati, quo-
41 rum nullus ibidem est reseruatus, sed superiores, si volunt illos esse reseruatos, debent expresse, & formaliter illos sibi reseruare, non coguntur omnes referre in sua reseruatione, sed partem illorum, & quales ipsi in Domino iudicauerint expedire pro continendis Religiosis in Regulari disciplina. Hæc omnia ibi clara sunt initio Decreti. Quod non sint reseruati de iure Decreti asserunt *Beia part.* 3. *casu* 16. §. *Notandum tamen, Megal. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 2. *Faber. disp.* 27. *de Pœnit. n.* 28. *Mer. tom.* 2. *quæst.* 34. *art.* 7. Quod non teneantur omnes reseruare, iidem docent, & *Graff. lib* 3. *praxis c.* 10. *nu.* 28.

Quæres 29. An præter illos vndecim in Decreto nominatos superiores Regulares possint alios sibi reseruare?

Respond. Possunt, vt ibidem dicitur post illos vnde-
42 cim recensitos illis verbis. *Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis capituli in toto ordine, aut Prouincialis in prouincia, matura discussione & consensu.* Ex hac clausula oritur non leuis difficultas discutienda in sequenti quæstione.

Quæritur 30. An præscripta mox forma de reseruandis casibus cum matura discussione, & consensu capituli Generalis pro toto ordine, vel capituli Prouincialis in prouincia, data sit non solum pro aliis casibus non recensitis, verùm etiam pro illis vndecim enumeratis, ita quod superior propria authoritate illos vndecim non possit sibi reseruare sine capituli consensu?

Respond. Præscripta forma communis est vtrique 43
generi casuum tam enumeratorum quàm extraneorum, & non expressorum, ac proinde propria authoritate superior illos etiam expressos sibi reseruare non potest. Probatur, Tum quia causa finalis in lege expressa, quæ mouit legislatorem ad legem condendam, est illa, quæ restringit, ampliat, & declarat legem ad suos limites, *l. cum pater* §. *Dulcissimis, ff. de legat.* 3. *Panor. in cap. Quia in insulis, de regul. num.* 3. *per iura ibi adducta. Nau. consil.* 8. *de filiis presbyt. Sanch. lib.* 2. *disp.* 37. *num.* 3. Sed causa, quæ mouit Clement. VIII. ad condendum hoc Decretum fuit, vt consuleret conscientiis religiosorum pœnitentium, qui ex parum prudenti, & immoderata reseruatione peccatorum facta à superioribus, formidabant illis detegere maculas conscientiæ, ac proinde in periculum æternæ damnationis inducebantur, vt initio Decreti expresse dicitur; ergo ab hac causa venit explicandum ipsum Decretum, & ampliandum ad quoscumque casus non solum extraneos, sed etiam expressos, quatenus tradit formam reseruandi casus cum matura discussione, & consensu capituli, nam cum casus ibidem expressi non sint ipso iure reseruati, sed reseruandi omnes, vel partim, vt dixi *q.* 28. & non tantum prout iacent, sed ampliando, & restringendo, vt dicam *q.* 36. ideo in illorum reseruatione potest superior parum prudenter, & immoderate se gerere, ac proinde pœnitentes inducere in discrimen æternæ damnationis, igitur ad euitanda huiusmodi fuit intentio Papæ, vt superiores adhiberent hanc formam etiam respectu casuum ibi expressorum. Tum quia clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia, *ca. Secundo requiris* 41. *de appell.* & hoc procedit siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine: ergo hæc forma præscripta in fine, non solum refertur ad casus non expressos, sed etiam ad expressos. Tum quia illa clausula. *Si quod aliud.* Est implicatiua similium, vt docent omnes *in l. Si fugitiui*, ibi, *alia pœna*, C. de seru. fug. *iuncta glos. fin.* quæ ait, *alia pœna. i. similis*, Euer. *in loco à subiecta matern. num* 25. *& in loco a dict. implicat. num.* 4. & facit positionem eiusdem qualitatis cum præcedentibus, *Glos. ver. Alios, cap.* 1. *de prabend. in* 6. *Meg.* 2. 2. *lib* 2. *cap.* 7. *num.* 24. in fine ergo illa particula, *Si quod aliud* implicat etiam casus ibi expressos reseruandos sub eadem forma præscripta, qua veniunt reseruandi casus non expressi, similium enim debet esse idem iudicium, & iuris dispositio, *ca. inter cætera* 4. *de rescr. cap. Dudum* 54. *de elect.* §. *Sed cum in iure.* Tum quia si superioribus non præscriberetur hæc forma seruanda etiam in reseruandis casibus expressis eluderetur intentio, & finis Papæ, ac proinde vanum, & inutile esset Decretum, siquidem per illud sufficienter non fuisset prouisum periculis, & discriminibus, in quæ possunt deduci religiosi pœnitentes ob imprudentem reseruationem, quæ interdum facerent in casibus occurrentibus propria authoritate, si non tenentur seruare eam, ne igitur inutile sit Decretum, dicendum est mentem Summi Pontificis fuisse, vt in omnibus casibus reseruandis superiores adhiberent præscriptam formam. Tum quia per hoc Decretum limitatur, & restringitur potestas superiorum, vt asserunt infra citandi, quæ limitatio fieri non potest sine præscriptione nouæ formæ, quæ in duobus consistit in numero casuum, & modo illos reseruandi. Et ita nobiscum sentire videntur *Sorbus ver. Absolutio ordin. quo ad Fratres* §. *Et sic*, & §. *Et tunc*, vbi indistincte loquitur de reseruatione facienda in capitulis, etiam quando volunt ampliare materiam alicuius casus ibi expressi. *Coriolanus sect.* 1. *art.* 4. *num.* 2. & 3. *ad inuicem collatis, Floronus cap.* 2. *num.* 21. §. *Quare si præter hos casus, aliud graue, &c. Beia part.* 3. *casu* 16. §. *Not. Excommunicationem*, ibi *Nam omnis casuum reseruatio cum Prouinciali interdicta sit per Breue Clementis &c. Confect. tit.* 17. *cap.* 8. *Con-*

tra opinion-m Sanch. *lib.6. cap.1. num.15. & 16.* Fabrum *disput.7. num.28.* Mirand. *tom.2. quæst.34. art.7.* post ex-alum Decretum Megal. *lib.1. cap.12. ex num.8.* qui cum quibusdam aliis docent superiores posse propria authoritate sibi reseruare casus ibi expressos, cum quibus est Portell. *ver. casus reseru. n.12.* Auersa *q.17. de pœnit. sect.2.*

Quæres 31. An in eo Decreto non solum disponatur de peccatis casibus reseruandis, sed etiam de censuris reseruandis, ita quod sicut in reseruatione peccatorum non solum non expressorum, sed etiam ibi enumeratorum superiores tenentur seruare formam ibi expressam, ita eadem vti debeant in reseruatione censurarum? ita quod extra capitulum seu sine consensu capituli superiores sola propria authoritate excommunicationem sibi ad libitum reseruare valeant.

44 Respond. Illud Decretum disponit etiam de censuris, vt respondit Sacra Congregatio Romæ 7. Iulij 1617. apud Cokier *part.4. de exempt. quæst.56.* quem citat Peyrinus *tom.3. Priuil. cap.13. num.5.* in hæc verba. *Cum à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in Decreto fel. recor. Clem. Papæ VIII. anno 1593. 16. May super qualitate casuum ab eorundem Regularium superioribus, reseruandorum edito, censuræ etiam comprehenderentur, ita vt iisdem superioribus absque capituli Generalis, aut Prouincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto huiusmodi non contentis excommunicationem adnectere, eiusdemque absolutionem sibi reseruare liceat? Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, Illustrissimo Baudino referente, censuras in supradicto Decreto comprehendi censuit.* Hæc responsio prima fronte videtur obstare resolutis in præcedenti quæstione, nimirum posse superiores propria authoritate reseruare sibi casus ibi expressos, dum casus Sacræ Congregationi proponitur de excommunicatione adiuncta aliquibus peccatis in Decreto non contentis, quasi petentes resolutionem supponant superiores propria authoritate possint adiectam excommunicationem aliquibus ex peccatis expressis sine aliàs reseruatis, siue non: nam quamuis verba narratiua quæstionis id supponant, non tamen id pro certo tenendum est, vti decisum à Sacra Congregatione, eo quod narratiua non facit ius, neque decisionem, ex vulgatis iuribus, & S. C. censuit præcise sub dispositione decreti comprehendi etiam excommunicationem, cuius reseruatio facienda est iuxta præscriptam formam, siue adnectatur peccatis contentis, siue non contentis in Decreto, & dato etiam, quod S. C. decidat quæstionem respectu peccatorum non contentorum, ex hoc tamen non sequitur oppositum, nihil nempe disponere de excomunicatione respectu peccatorum ibidem expressorum, quia Sacra Congr. præcisè & directè respondit ad propositum casum de non contentis, nullam mentionem faciendo de expressis.

45 Quod disponat de censuris respectu quorumcumque peccatorum, ratio id suadet, Tum quia licet lex disponens de casibus præsertim sub nomine peccatorum, vt facit hoc Decretum, non videatur extendi ad censuras, eo quod hæ non sint peccata, tamen quando alias lex redderetur inutilis, & vana fit extensio de vno casu ad alium, Nauar. *consil.62. de regul. num.6. & consil.81. eod.* Megal. *lib.1. cap.12. num.8. §. Tertio*, vbi de hac re; in casu autem nostro hoc Decretum redderetur inane, & frustraretur mens Papæ, quia facta reseruatione censuram à superiore propria authoritate, necessariò remaneret peccatum reseruatum. Tum quia in legibus spectanda est intentio legislatoris potius, quàm verba, quia intentio non debet deseruire verbis, sed verba intentioni *cap. Humanæ aures 31. 22. quæst.5.* Sed intentio Papæ fuit, ne ex subitanea reseruatione parum circumspecta in casibus occurrentibus pœnitentes formidarent detegere sua peccata. Ad hæc faciunt rationes adductæ in responsione præcedentis quæstionis, & à Doctoribus mox citandis.

Disponitur ergo in hoc Decreto etiam de censuris & ita docent loquendo de excommunicatione adiecta peccatis ibi non expressis, Megal. *lib.1. de pœnit. cap.12. num.8.* Sanch. *lib.6. cap.1. num.16.* Sigism. *dubio 123. num.2.* vbi pro se citat Humob. *part.1. assert.3.* Onuphrium *tract.1. de peccat. disput.1. quæst.2. concl.2. §. Secundo, & Sigism.* indistinctè loquitur de peccatis, quibus adiungitur excommunicatio, Diana *resol.13. de regul. §. Displicet, in fine, & ex professo dub.42.* vbi se citat præter dictos Peyrinum *t.1. constit.10.* Vrbani VIII. *§.6. t. num.10.* Molfesium *tom.1. Sum. tract.7. c.20. num.18.*

Contrarium, posse nimirum superiorem propria authoritate sibi reseruare excommunicationem adnexam peccatis non contentis docent plures dicti ea potissimum ratione quod in dicto Decreto disponatur solùm de casibus, & peccatis, non autem de censuris, de quibus ne verbum quidem: & quamuis ex reseruatione censuræ sequatur reseruatio peccati, id tamen, cum sit per accidens, attendendum non est *in legib. l. Nam ad ea, ff. de legib.* Sed iam supra responsum est extendi ad censuras: & leges non considerant ea, quæ sunt per accidens, vtique verò quæ sunt per se, cuiusmodi est reseruatio indirecta peccati sequens necessariò, & non per accidens ex reseruatione censuræ. Hos Doctores contra nostrum responsum refert Diana *cit. quæstione 49.* & sunt Suarez *in part.3. tom.4. disput.23. sect.3. num.13.* Faber *disput.27. num.29.* Villalobos *tom.1. sum. tract.9. diff.58. num.5:* Tambur. *tom.2. disput.13. quæst.3. num.1.* Coriolanus *sect.1. art.6. num.1.* Fagund. *lib.8. cap 4. num.5.* Faustus in Speculo *Relig. lib.6. quæst.88.* Beia *part 3. casu 16. §. Excommunicationem.* Naldus *ver. Religiosus num.43. §. An autem*: isti ergo omnes sustinent superiorem posse valide excommunicationem à se latam pro peccatis non expressis in Decreto, propria authoritate sine capitulo sibi reseruare, quod à fortiori admittunt respectu casuum expressorum, siue sint iam reseruati, siue non, quamuis multum probabilem reputent oppositam opinionem, ac proinde iudicent melius acturos superiores, si adhibeant consensum capituli. Ex his sequitur resolutio sequentis quæstionis.

Quæres 32. An si superiores tentent propria authoritate sine consensu capituli, siue in capitulo, siue extra, & ad suum placitum reseruare aliquot ex casibus enumeratis, aut ex non expressis, aut excommunicationem adnexam vni ex illis expressis, aut aliis, valide huiusmodi sibi reseruent?

Respond. Nullum ex prænarratis sibi validè reseruare possunt propria authoritate, sed adhibere debent maturam discussionem, & consensum capituli. Probatur, quia actus sine sua forma substantiali gestus, est nullus, *l. Cum hi, §. Si prætor, ff. de Transact.* Thomaset. *Reg.213. Reg.* Quæ contra ius fiunt vtique pro infectis haberi debent *in 6. de reg. iur.* & paria sunt aliquid fieri contra legem, vel non seruata forma legis *Auth. Qui res, C. de sacros. Eccl.* Vide Barbosam Vax *in suis locis commun. lit. A, num.45.* Vbi alia iura, & Doctores quamplures citat, vbi ex Tiraq. *de Retr. Conuent. §.4. gloss.6. num.31.* dicit procedere etiamsi omittatur in minimo, Sed reseruatio huiusmodi facta propria authoritate sine consensu capituli caret forma præscripta in Decreto, quæ est essentialis, requisita ad cuiuscumque reseruationem, ergo est omninò nulla huiusmodi reseruatio. Minor continet tria, primum, quod reseruatio careat forma præscripta in Decreto, quæ consistit in eo, quod superior debet adhibere consilium, & consensum capituli in reseruatione casuum, & hoc non est probandum, quia supponitur factum in quæsito; secundum est, quod huiusmodi formam superiores adhibere debent respectu quorumcumque peccatorum tam non expressorum, quàm expressorum, quod probaui satis *quæstione 30.* & respectu censurarum adnexarum cuicumque ex dictis peccatis, quod probaui *quæst.31.* Tertium ergo quod 4

continet minor propositio est, quod huiusmodi forma est substantialis, & essentialis actibus, quibus applicanda est, nimirum reseruationibus, & hoc remanet hîc probandum, in quo consistit tota vis nostræ responsionis.

Probatur ergo huiusmodi formam esse essentialem sic. Tum ex verbis ipsius Decreti ibi. *Id non aliter fiat, quam Generalis capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, & consensu.* Nam clausula, *Non aliter fiat*, non seruata inducit nullitatem actus, Nald. *ver. Clausula §. Non alias*; dictio negatiua præposita verbo tollit potentiam, Sanch. *lib.6. cap.12. num.*10. Bonac. *p.7. de legib. §. num.*4. ergo signum est, hanc formam esse essentialem. Tum quia illa forma est essentialis, quæ præscribitur seruanda cum alterius consensu, ita quod gestum sine consensu aliorum requisito sit nullum, & irritum, *cap. Cum consuetudinis, de consuet. cap.1. cap. Ea noscitur*, ibi. *Quod fiant de collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinent firmitatem cap. Tua nuper* 8. de iis quæ fiunt à prælatis, Gloss. *ver. Expectatum, cap. Cum in veteri, de elect.* & docet Sigism. *dub.*111. *num.*1. *de elect. prelat.* aliis citatis: Sed nostra forma continet consensum præter consilium, vt notum est, ergo est substantialis. Tum quia illa forma est essentialis quando adest clausula irritatoria; vt si dicatur. *Id aliter fieri non possit*, vt docet Sanchez *libro* 3. *disput.*17. *num.*4. hæc autem clausula exprimitur in nostro Decreto, ergo continet formam essentialem.

Manet igitur probata in vniuersum nostra responsio, quæ continet partes tres: Prima, quod nulla est reseruatio peccatorum ibi expressorum sine consensu capituli Prouincialis, quam opinionem puto neminem tenere, quod viderim, nam multi dicunt contra nos, superiores posse sibi casus expressos in decreto reseruare propria authoritate, ex quo reiiciunt consensum capituli, & hi sunt expresse Sanchez, Faber, Miranda, Portel, *quos citaui in fine quæst.*30. quibus habent adhærere proponentes quæstionem. An superiores possint sibi sine consensu capituli reseruare excommunicationem adnexam peccatis non contentis in Decreto, qui sunt Megal. & alij citati à Diana *resol.*49. *de regul. quos retuli quæst.*31. *§. Disponitur, & §. Contrarium*: ad nostram sententiam reduci possunt Sorbus, Coriolanus, Floronus, Beia, & Confectius relati in fine *quæst.*30. hoc ipso, quod hanc formam, aiunt indistinctè, seruandam esse à superioribus, non obstante, quod postea aliqui eorum, superiores sine consensu capituli posse sibi reseruare excommunicationem, quia in hoc casu nituntur alio fundamento, licet apud nos falso, nimirum quia Decretum disponit tantum de casibus reseruatis, & non etiam de censuris: firmum ergo stet, non posse quemquam ex casibus expressis sibi reseruare sine consensu capituli.

47 Secunda, quod à fortiore non possunt sine consensu capituli reseruare alios casus non expressos, quia forma præscripta saltem refertur ad huiusmodi, quod negari non potest, ac proinde cum sit essentialis, ex eius omissione nulla sequitur reseruatio, & hanc tenere habent, qui negant posse superiores sibi reseruare excommunicationem sine consensu capituli respectu peccatorum in decreto non contentorum, qui sunt Megalius *c.*12. *num.*9. & 10. vbi asserit non valere reseruationem peccatorum non expressorum, Sanchez, Sigismundus, Homobonus, Onuphrius, Peyrinus, Diana, quos citaui *quæst.*31. *§. Disponitur*, & illi etiam, qui permittunt reseruationem excommunicationis sine consensu Capituli, quia ex hoc non negant, præscriptam formam esse essentialem, sed suum dictum firmant ex eo, quod Decretum nil disponit de censuris, ac proinde forma pro illis seruanda non est.

48 Tertia, quod excommunicatio reseruanda referri potest ad peccata tripliciter; primo ad peccata ibi expressa, iam reseruata à superiore, qui si illis iam reseruatis addat excommunicationem illam sibi reseruando etiam extra capitulum, & sine alicuius consensu, ex vi huius Decreti, licitè, & validè agit, quia in hoc casu cessat causa finalis, quæ mouit Clem. VII. ad condendum hoc Decretum nimirum ne ex imprudenti, & subitanea reseruatione redundet aliquod periculum in animam pœnitentis formidantis detegere sua peccata superiori, siquidem euacuatur hoc discrimen, cum iam peccatum sit reseruatum vt suppono, & nullam habet vmbram pœnitens trepidandi: Secundo ad eadem peccata ibi expressa, sed nondum reseruata, & in hoc sensu cum ex reseruatione censuræ in consequentiam necessariam remaneat peccatum reseruatum sine consensu capituli, subinde dicendum est, non posse eam sibi reseruare sine consensu capituli, quia causa finalis locum satis habet hic, vt constat, quicquid dicat Sanch. *lib.6. cap.1. num*16. *in fine.* Tertio ad peccata non contenta in Decreto, & in hoc sensu maior pars Doctorum tenent, superiorem sine consensu capituli non posse sibi reseruare censuram, quia & de his disponitur hic. Doctores nobiscum, & pro aduersa parte retuli *q.*31. *§. Contrarium.*

Dices, tota vis, & ratio in qua fundatur responsio, quod nulla sit quæuis reseruatio sine consensu capituli, in eo consistit, quia huiusmodi forma præscripta est substantialis, seu de essentia reseruationis; quod tamen falsum est, siquidem forma non est essentialis, sed accidentalis, cuius omissio gestum non vitiat, quando in eius præscriptione non communicatur potestas ad agendum, sed iam supponitur, vt docent Silu. *ver. consilium num.*4. *Tab. num.*6. *Angel. num.*3. Sa *ver. Lex num.*13. Salas Rodriq. quos citat Bonac. *quæst.*1. *de legibus p.*7. *§.*5. *num.*17. *§. Prater.* Sed ante hoc Decretum superiores Regulares habebant iam potestatem, vt constat de iure *arg. sess.*14. *c.*7. *ex constit.* Alex. VI. *Intelleximus*, apud Confect. pag. 111. ergo adiecta forma est tantum accidentalis, ac proinde eius omissio non potest viriare reseruationem.

Dico, formam præscriptam habenti iam potestatem non esse essentialem, quando non continet decretum irritans, aut perpetuam prohibitionem, vt tradunt Gloss. *in Clem.*1. *de iurepatr. ver. Inhibentes*, vbi Imola *num.*3. & 4. Viralin. *num.*13. Anchari. *in cap. Statutum, §. fin. de rescript.* quos pro se citat Lauor. *titul.*4. *de elect. cap.*21. *num.*143. ex Coccino in Treu. Abbatiæ S. Maximini 20, Nouemb. 1624. Sed forma in Decreto nostro præscripta continet Decretum irritans, vt videre est ex illa clausula, *Id aliter fieri*, quæ denotat irritationem attentati, ex supradictis, *§. Probatur*; & præterea habet causam perpetuæ prohibitionis, nam ex subitanea reseruatione contingere potest discrimen animæ pœnitentis, ergo forma, licet adiecta iam habenti potestatem, dicenda est essentialis. 49

Quæres 33. Cum reseruatio quorumcumque casuum, & censurarum debeat fieri cum consensu capituli, ex probatis *quæst.* 30. & 31. aliter nulla est reseruatio ex *quæst.* 32. Quod veniat sub nomine capituli, nam in Decreto de reseruatione habentur hæc verba. *Id non aliter fiat, quàm generalis capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu.* Et quidem loquendo de capitulis in mea religione videtur pro capitulo Generali requiri consensum Generalis Præteriti, Prouincialium, Custodum, & Discretorium Prouincialium, patres qui omnes constituunt capitulum Generale, & pro capitulo Prouinciali requiri consensum Prouincialis Præteriti, Priorum. Discreti, Prouincialis, Discretorum Conuentualium, Definitorum Generalium, & Procuratoris Generalis, isti enim omnes faciunt capitulum Prouinciale, vt constat ex constit. *Decet Romanum.* Clem. VIII. Ex quibus infertur, cum in capitulis intermedij triennij non concurrant isti, sed solus Prouincialis cum quatuor Definitoribus, ex religionis approbata consuetudine, seu potius lege allegatæ constitutionis, ideo reseruatio fieri solum potest de triennio ad triennium. Superiores aliarum religio

religionum videant quæ Patres constituant capitula Generale, aut Prouinciale, & postea iudicent. His tamen non obstantibus.

50 Respond. Patrem Generalem cum suis quatuor definitoribus Generalibus tantum, & Prouincialem cum suis item Definitoribus Prouincialibus tantum debere procedere in capitulo suo ad reseruationẽ casuum Generalem quidem in toto Ordine, Prouincialem in Prouincia siue pro vno conuentu, seu pro omnibus. Ratio est, quia ex his componitur capitulum ad agenda quæcumque negotia, vt probaui in simili de dispensatione illegitimorum *resolut.* 12. *quæst.*9. §.*Secundum*, & §.*Quarto*. Vnde non solum in triennali capitulo, sed etiam in quouis intermedio, seu annuali potest fieri huiusmodi reseruatio, quia singulis annis Patres Definitores Prouinciales cum superiore congregantur ad electiones, & alia negotia peragenda, & vocatur de iure *Reg. capit.*2. Capitulum Prouinciale, de consuetudine vulgari Congregatio; & cum in Decreto Clementis indistinctè sumatur nomen Capituli, ac proinde tam pro triennali, quàm annali, & intermedio, ideo reseruatio fieri potest in vtroque. Neque obstat ratio dubitandi in quæstione, quia Capitulum spectari potest dupliciter, vno modo pro vniuersitate vocalium ad electionem capitis, & membrorum, & in hoc sensu non sumitur in Decreto Clementis; altero pro congregatione eorum ad quos spectant negotia expedienda à capite electo cum suis membris, ad quæ procedunt solum Definitores cum superiore Generali in capitulo Generali, vel Prouinciali in capitulo Prouinciali.

Quæres 34. An ista matura discussio facienda, à Patribus Definitoribus cum Prouinciali facienda sit capitulariter, & ab omnibus nullo discrepante, an possit fieri etiam singulariter, ita quod si Pater casu oblitus sit reseruationis, possit per suas literas admonere vnumquemque petendo ab illis consilium, & consensum super tales, & tales casus reseruandos, quorum oblitus fuit reseruandorum tempore capituli?

51 Respond. Reseruatio nequaquam fieri potest extra tempus capituli, quia Decretum dicit, quod reseruatio fiat cum consensu capituli, extra autem tempus capituli, capitulum non est, ergo nec reseruatio fieri potest. Igitur tempore capituli in capitulo celebranda est reseruatio à Patribus non singulariter sed collegialiter & simul in vnum congregatis, vt fit in electione, nam actum singulariter à singulis non dicitur factum de consensu capituli quod requirit vnitatem consentientium non solum in re, sed etiam in ipsis personis simul personaliter in vnum congregatis; aliter præstitus consensus nullus est, & subinde secuta reseruatio, quia consensus collegialiter requisitus, singulariter tantum præstitus vitiat actum, *capit. in Genesi*, *de elect. l.*1. *C. de decim.* Decius *in cap. Cum omnes*, *de constit. numero* 47. in quibus locis de electione; extenditur autem ad quæcumque negotia collegialiter facienda, Panorm. *in capit. Cum Ecclesia*, *de causa possess. numero* 14. Gonzal. *super regul.* 8. *Cancell. Glossa* 47. *numero* 64. cum multis aliis citatis pro se à Sigism. *dub.*111. *num.*3. Demum non requiritur vnanimis consensus, sed sufficit, quod maior pars consentiat, eo modo, quo fit in electionibus quia factum à maiori parte, censetur factum ab omnibus de capitulo, ex vulgatis iuribus.

Quæres 35. An superior, reseruans, se solo possit casus iam reseruatos interpretari, & illos ampliare, vel restringere? & quæstio procedit de quibuscumque siue expressis, siue aliis non contentis; & de censuris quoque.

52 Respond. Superior propria authoritate potest casus dubios interpretari, immo & restringere auferendo ex parte, non autem ampliare sine consensu capituli.

Primum de interpretatione, suadetur, quia declaratio nihil de nouo addit, sed quod ex natura rei inest demonstrat. *l. Heredes palam*, *ff. de testam.* & habet Panormit. *in capit. Ex parte*, *de consuet. num.*4. & *in cap. Cum te, de vsur.* cum ergo ex natura rei demonstret, quod inest, non facit nouam reseruationem, sed iam implicitè factam, quod ad speciale dubium, expressè proponit.

Secundum, de restrictione, probatur, quia ea nulla ratione potest præiudicare conscientiæ Religiosorum, vnde nec accidere potest, quod quis formidet confiteri sua peccata superiori, quia restringere non est reseruare, sed id quod erat reseruatum, relaxare. Quare superior casum hunc reseruatum in hæc verb. *Copula carnalis*; restringere potest sic. *Copula sodomitica*. excludendo copulam naturalem, quia hæc non dicitur noua reseruatio, sed relaxatio partialis reseruationis iam factæ. 53

Tertium de ampliatione, probatur, quia in re hac ampliare casum, est illum per additionem reseruare, seu partialem casum reseruare; reseruatio autem non potest fieri extra capitulum, & sine consensu capituli, ex probatis *quæst.*30.31. & 32. ergo neque ampliatio, nam ex prohibitione totius sequitur interdictum cuiuslibet eius partis. Præterea in ampliatione militant omnes illæ rationes, quæ locum habent in reseruatione simpliciter, de quibus supra, *quæst.*50. 54

Quæres 36. An superiores in celebranda reseruatione illorum vndecim casuum, teneantur illos reseruare sub iisdem terminis, sub quibus proponuntur in Decreto? An verò possint illos ampliare vel restringere? Exempli gratia, An nouum casum. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus*, possint sic restringere. *Copula carnalis.* Ex quibus verbis excluditur pollutio, vel ampliare sic. *Lapsus carnis*, & *tactus impudicus.*

Respond. Possunt illos casus restringere, vel ampliare, quia id illis expresse non prohibetur in Decreto, quæ autem prohibita non inueniuntur, permissa, censentur *cap. Omnes, dist.*3. *cap. Nuper* 29. *de sent. excommun. iuncta* Gloss. *ver. Retinuit*, vbi dicitur, quod concessum videtur, quod non est prohibitum, *per l. Nec non*, §. *Quod eis ff. ex quibus causis maior.* Quod possint ampliare respondit Papa Sorbo petenti in exemplo adducto, vt ipse testatur *ver. Absolutio ordin. quo ad Fratres, in fine*, *Quar. ver. casus reseru.* §. *Circa nonum, sequitur* Graff. *pr. lib.*3. *cap.* 10. *num.*27. Coriolanus *sect.* 1. *art.*4. *num.*4. Quod possint restringere patet, & quia contrariorum eadem est disciplina *Arist.* 1. *Topic. Instit. De iis*; *Qui sunt sui*, & quia cui licet quod est plus, licet etiam quod est minus, *Reg.*36. *in* 6. sed licet prætermittere totum casum, ergo eius partem; & quia quod iuris est de toto quo ad totum, hoc iuris est de parte quo ad partem, sed Decretum reseruationem totius alicuius casus prudenti superioris arbitrio relinquit, ergo partis. 55

Quæres 37 An ex vi huius Decreti soli Generalis, aut Prouincialis habeant ius reseruandi casus, ita quod superiores locales non possunt sibi casus reseruare?

Respond. Isti solum ex vi Decreti habent ius circa reseruationem casuum, & id colligitur ex ipsa forma præscripta in reseruandis casibus ibi. *Id non aliter fiat, quam Generalis capituli in toto ordine*, *aut Prouincialis in Prouincia matura discussione*, & *consensu*: ergo reseruatio facienda est à superiore de consensu capituli, sed nullus præter Generalem, aut Prouincialem potest petere consilium, & consensum in dictis capitulis, ergo reseruatio restringitur ad ipsos, non enim inferiores superiores aliquod ius habent in capitulo quatenus capitulum est; Confirmatur, & quia soli Generalis, & Prouincialis conuocant huiusmodi capituli, & quia non à superioribus localibus, sed à maioribus hæc capitula denominantur. 56

Quæres 38. An in illis religionibus, in quibus non adest capitulum Prouinciale, sed tantum Generale, in illius

illius locum succedat capitulum Conuentuale, ita quod superior localis cum suis consultoribus, vel Definitoribus possit celebrare reseruationem.

57 Respond. Capitulum conuentuale non succedere loco Prouincialis, quia cum diuersa sint, vnum non dicitur alterius vices, & facultatem habere, ex diuersis enim diuersa sunt conferenda, vnde pro reseruatione in his recurrendum est ad capitulum Generale. Ita docet Megal. *lib. 1. de pœnit. c. 12. n. 7.* loquendo in terminis suæ religionis, quæ caret capitulo Prouinciali. Confirmatur ex probatis in præcedenti quæsito de superiore locali non potente facere hanc reseruationem virtute Decreti.

Quæres 39. An possit fieri reseruatio pro vno conuentu tantum, & pro aliis tam in capitulo Generali, quã Prouinciali non solum de peccatis non contentis, sed etiam expressis?

58 Respond. Potest, quia in Decreto huiusmodi partialis reseruatio non prohibetur, & facta dicitur esse pro conseruatione religionis, & pro puritate conscientiæ, & dicetur facta etiam in toto Ordine, seu in prouincia iuxta mentem expressam Papæ in Decreto §. *Si quod aliud*; & ratio est, quia facta pro vno conuentu, in toto Ordine, seu in prouincia edita reputantur, cum redundet in conseruationem regularis disciplinæ. Confirmatur, quia pars includitur in suo toto. *l. Si quis cum totum ff. de except. rei iud.* & dubium non est partem contineri in toto *Reg. 80. in 6.* ergo facta reseruatio pro vno conuentu dicitur facta in toto ordine, vel prouincia, aliud enim est facere reseruationem in prouincia, aliud pro prouincia, & in beneficium totius prouinciæ, in Decreto autem dicitur. *In Prouincia*, & non, *Pro Prouincia.* Ita docent Megal. *part. 1. lib. 1. capit. 12. numero 6.* Beia *part. 3. casu 16. §. Notandum.* Coriolanus citando Suarez *sect. 1. art. 4. num. 5.*

Quæres 40. An religiosi possint renunciare huic formæ reseruandi casus cum consensu capituli maioris, contenti, vt superior propria authoritate, & quoties voluerit, possit sibi reseruare casus, & censuras?

59 Respond. Non possunt, quia illud axioma, quo vnusquisque dicitur posse renunciare iure suo, procedit de iure, & fauore priuato, non autem quando lex illud introduxit in fauorem boni publici, vt est hoc nostrum Decretum emanatum in fauorem publicum, cui nullus renuntiare potest, *cap. Si diligenti, de foro compet. l. Ius publicum, ff. de pactis.* Ita sentit Megal. *lib. 1. cap. 12. num. 10.* Ratio etiam id suadet, quia cum secundum mea principia Prouincialis cum quatuor Definitoribus tantum concurrat, iam horum renontiatio præiudicaret aliis, ac proinde irrationabilis esset renuntiatio.

Quæritur 41. An vt obliget reseruatio, debeat publicari in conuentibus?

60 Respond. Debet in singolis publicari. Probatom, Tum quia lex Pontificia vbique non obligat, nisi in singulis prouinciis, aut Diœcesibus publicetur, vt tenet Angel. *ver. Lex num. 13.* Soto *lib. 1. de Iust. quæst. 1. art. 4.* Molin. *disputat. 395.* & multi apud Becan. *quæst. 6. de lege hum. num. 5.* ergo idem dicendum de lege reseruationis. Tum quia Clem. VIII. in fine Decretorum pro Reformatione Regularium editorum, mandat illa publicari in singulis conuentibus, ergo idem dicendum de reseruatione casuum. Demum in specie nostræ Religioni Clem. VII. in constit. *Ad vberes* in nostro Bullario, pag. 77. mandat, vt omnes constitutiones à superioribus factæ legantur in singulis conuentibus, ergo idem dicendum est etiam in reseruatione casuum.

Quæres 42. An reseruatio facienda sit cum aliqua solemnitate à superiore in opinione eorum probabili, qui dicunt posse casus expressos in decreto propria authoritate sibi reseruare? Ita quod non sufficiat qualiscumque reseruatio, vt si superior dicat. Intendo casus expressos in Decreto Clementis esse mihi reseruatos; vel eos, quos sibi reseruauit præteritus superior; vel, nolo, vt à casibus reseruatis aliquis absoluat; vel, in singulis conuentibus constituo talea N. pœnitentiarios, qui absoluant à reseruatis; vel, placet ne vobis, vt omnes illi casus, quos reseruati fuerunt in præterito capitulo, sint mihi reseruati.

Respond. In illorum sententiam tenet reseruatio, 61
quia superior sufficienter declarat suam voluntatem, ac proinde per hoc legem suam de casibus reseruatis promulgat, si tamen sic loquatur per se, vel alios in singulis conuentibus. In nostra tamen sententia nulla est reseruatio, quia per dictos modos reseruandi non apparet consensus capituli, cuius omissione viriatur reseruatio; in vltimo tamen exemplo videtur tenere reseruatio, quia licet tunc actu desint matura discussio, & consensus capituli, non desunt tamen virtualiter, cum vtrumque duret virtute præcedentis capituli. Fateor etiam in sententia aduersariorum adesse difficultatem, quia non videtur discreta reseruatio sine quodam solemni ritu, in quo consistit promulgatio essentialis legis, & quia illi modi, qui supponunt reseruationem, vt negatio absolutionis à reseruatis, & constitutio pœnitentiariorum, non inducunt reseruationem, sed supponunt; nihilominus dicta superiorum quandoque sustinenda sunt, licet in illis deficiat, quod illis inculcat Psalmista. *Erudimini, qui iudicatis terram.* Vnde dici potest, sufficere quamuis externam declarationem, voluntatis legislatoris dicamus indiscretam, ratione cuius dicitur deficere in modo, non in substantia; & quamuis verba formalia supponant reseruationem, tamen spectata eius intentione, cui verba deseruire debent, saltem indirectè inducunt etiam reseruationem, quæ sufficere videntur, vt peccata verè dicantur reseruata, ita vt nullus inferior confessarius possit absoluere, loquendo in sententia aduersariorum, modo superioris voluntas publicetur in singulis conuentibus, *ex q. 41.*

Quæres 43. An reseruatio facta à superioribus sit à iure idest an duret post finitum officium reseruantis siue per terminationem temporis, siue mortem, siue renunciationem, aut remotionem ab officio, an ab homine idest: An duraret stante superiore in officio suo?

Respood. Quando superior propria authoritate facit reseruationem, in sententia aduersariorum, tunc 62
quibuscumque verbis vtatur, dicitur reseruatio ab homine, quæ proinde com ipso amoto cessat. Quando celebrat reseruationem cum matura discussione, & consensu capituli, tunc potest facere reseruationem à iure idest perpetuo duratura, seu donec positiuè reuocetur, vel ab homine id est duraturam, donec permaneat superior in officio. Censetur autem reseruatio perpetua quando fit sub similibus verbis. *Ordinamus perpetuo*, &c. *Isti casus durent donec reuocentur, Nullus ab his absoluere possit præter superiorem pro tempore existentem. Reseruamus Patri Prouinciali*, &c. Censetur verò ab homine, si adhibeantur verba respicientia personam superioris præcise reseruantis; vt, si dicatur. *Nobis reseruamus: Durante nostro officio*, &c.

Quæres 44. An Pater Generalis in suo capitulo de consilio, & consensu suorum Definitorum Generalium, qui constituunt capitulum Generale pro peragendis negotiis totius religionis, possit facere reseruationem pro toto Ordine, & singulis prouinciis reseruando sibi aliquos casus, alios Prouincialibus, alios superioribus localibus? Et hoc posito, an quilibet Prouincialis pro sua prouincia in suo capitulo possit alios sibi, & Prioribus reseruare?

Respond. Vtrumque fieri potest, quia in decre- 63
to neutrum probibetur, immo conceditur ibi. *Id*

non

non aliter fiat, quam Generalis capituli in toto ordine, aut Provincialis, in Provincia matura discussione, & consensu. Et reseruatio vnius Capituli non prohibet, quin alterum possit concedere suos casus pro sibi subiectis. Et ita factum fuit à patribus Conuentualibus, vt testatur Bartolucius *in suo speculo Regul. ad capit.7. Regula.*

Quæres 45. An superior negligens facere reseruationem peccat mortaliter? & an possit eam supplere alieno modo?

64 Respond. Peccat mortaliter, & eam supplere non potest in sententia nostra, cum extra capitulum fieri non possit ex probatis *quæst.30.* De peccato, suadetur, quia deficit in re graui, & est occasio subditis liberius peccandi; & superior negligens circa ea, quæ spectant ad suum officium peccat mortaliter, maximè deficiendo in re graui, vt in casu hoc, Graff. *lib.4. Append. cap.4. num.24.*

Quæres 46. Quænam excommunicationes comprehendantur sub sequenti casu his terminis expresso. *Omnis excommunicatio maior.* Nam excommunicatio alia lata est à iure siue Pontificio, seu speciali Religionis; alia ab homine superiore Regulari, vel alias legitimo iudice; & vtraque interdum reseruatur expressè in iure, vel in edicto superioris aliquando non reseruatur. Spectari etiam potest excommunicatio prout requiritur publicata iure, vel statuto, seu edicto, antequam huiusmodi casus reseruetur; aut prout fertur per legem, aut per hominem post factam reseruationem. Quando prædictis verbis adnectitur sic. *Omnis excommunicatio maior reseruata.* Tollitur difficultas quoad non reseruata, quia hæc per hunc casum non euadit reseruata, quia apertè excluditur à reseruatione, eo quod is casus includat excommunicationes alias reseruatas. Difficultas igitur procedit, quando abest illa particula. *Reseruata*, & quidem duplex est; vna, An sub eo casu comprehendantur tam reseruatæ, quàm non reseruatæ? Altera, An non solum latæ, sed etiam ferendæ post factam reseruationem?

65 Resp. Ille casus comprehendit omnes excommunicationes latas tam reseruatas, quàm non reseruatas, non tamen ferendas.

66 Primum de latis probatur. Tum quia expressio reseruationis, aut eiusdem suppressio non alterat naturam excommunicationis, cum reseruatio sit illi quid accidentale, & vtraque siue reseruata, siue non reseruata retinet nomen, & rem excommunicationis, ergo vtraque comprehenditur sub reseruatione. Tum quia propositio Generalis vniuersali signo expressa magis extenditur, quàm indefinita signo carente, vt iuribus citatis docet Nauarr. *consil.9. de iis, qua vi, numero tertio, & consil.5. de statu Monachor. numero primo.* Sed casus noster exprimitur per propositionem generalem signo vniuersali, ergo debet comprehendere vtramque excommunicationem, si alias non includeret defectu signi vniuersalis. Tum quia potior ratio est dicendi sub eo casu comprehendi magis, & specialius non reseruatam, quàm alias reseruatam de iure; finis enim reseruationis effectiuus est auferre potestatem Confessariis, seu, vt proprius loquar, restringere illorum facultatem absoluendi, quam iam habent restrictam per veterem reseruationem de iure, cui solum additur noua de homine, quæ non habent locum in excommunicatione aliàs non reseruata, & ideo per nouam reseruationem superiorem videtur magis intendere in hanc posteriorem, quàm priorem, & veterem.

67 Secundum, quod ferenda post reseruationem non comprehendatur sub casu, probatur. Tum inductione in singulis casibus reseruatis tam peccatorum, quàm censurarum, nam in omnibus dum fit reseruatio à superiore præsupponitur extare legem prohibentem, vel præcipientem aliquid fieri, & postea contra transgressores imponitur pœna, siue temporalis, siue spiritualis, cuiusmodi sunt censuræ, quas si superior non vult auferri per absolutionem ab inferiori confessario, afficit reseruatione; sed circa ferendas excommunicationes nulla extat lex præceptiua, aut prohibitiua; ergo hæc non possunt comprehendi sub reseruatione, quæ semper legem, vel statutum supponit. Tum quia non entis nullæ sunt passiones, neque qualitates. *l. Nec vllam; §. Si quis absenti, ff. de petit. heredit. l. Qui superstitis, ff. de acquir. heredit.* Sed excommunicatio ferenda non est in se, neque in causa, cum non sit eius lex, aut statutum, vel præceptum, ergo nulla ratione potest intelligi cadere sub reseruatione. Tum quia sicut accidens dari non potest nisi in præsuppositum subiectum, vt docent omnes Philosophi, quorum rationes, & authoritates tenentur in moralibus, *l. Septimo mense, ff. de statu hom. & facit capit. Turbat. 7. distinct. 37.* ita neque reseruatio, nisi in præsuppositum subiectum legis præcipientis, vel prohibentis, quæ hic non datur ex casu nostro. Oppositum tenet in hoc casu Graff. *prax. libro secundo, capitulo tertio, numero sexto, decimo septimo, & præcipuè. §. sed quia*, id non probat, ideo reiicientur ex supradictis

Hinc deducitur resolutio sequentis dubij alias mihi oblati. Superior protulit excommunicationem contra Sacerdotes sibi retinentes eleemosynas Missarum; & in hoc edicto latam excommunicationem sibi non reseruauit, quia non poterat ex probatis hic *quæstione trigesima prima*, dubitatur an ab hac excommunicatione possit absoluere confessarius inferior, quia in Tabella casuum reseruatorum habetur iste casus. *Omnis excommunicatio maior reseruata.* Responsum fuit, posse absoluere, quia huiusmodi excommunicatio dicitur ferenda, quæ non potest cadere sub reseruationem præcedentem, quia antea non erat nec in se, neque in causa legis, vel statuti, Præterquam quod adiecta particula, *Reseruata*, satis exprimit, casum excludere futuras excommunicationes, quibus applicari non potest præterita affectio reseruationis. Hinc insurgit alia difficultas expendenda in sequenti.

Quæres 47. An Prouincialis in capitulo Prouinciali iuxta formam subditam in Decreto Clem. VIII. de qua *quæst.30. ad 35.* hic, possit statuere sequentem casum? *Nobis reseruamus absolutionem cuiuscumque censuræ latæ à iure, vel statuto, aut deinceps ferendæ post hanc reseruationem.* 68

Respond. Non potest, quia iste casus etsi iuxta formam Decreti sit conditus, tamen ex circumlocutione verborum inducit easdem difficultates, & præiudicia Religiosis pœnitentibus, quæ attuli locis citatis, & æquiualet ei reseruationi, quæ fieret extra capitulum à Prouinciali propria authoritate. Confirmatur id totum, quia ex vna parte superior quouis tempore propria authoritate potest præcipere, vel prohibere aliquid ex rationabili causa, adiecta excommunicatione, ex quo subditus delinquens sit timidius in detegendis suo superiori delectis, vnde facilè deduci potest in discrimen æternæ damnationis ob repentinum præceptum, & excommunicationem quandoque parum consideratè prolatam contra inobedientes.

RESOLVTIO XXXVIII.

De illis, qui ligantur casibus reseruatis.

SVMMARIVM.

1 *Quinam ligentur casibus Papalibus,*
2 *Quinam Episcopalibus?*
3 *Regularibus ligantur professi,*
4 *Nouitij.*
5 *Commensales perpetui.*
6 *Moniales subiecta.*
7 *Cum cæteris morantibus ibidem.*
8 *Religiosi ligantur quandoque casibus extraneorum.*
9 *Inquisitores sibi casus reseruant.*
10 *Scholares quandonam ligentur.*
11 *Aduena, & forenses quibus casibus ligentur?*
12 *Idem quæritur respectu censurarum*
13 *Quid dicendum de aduenis?*
14 *Quomodo aduena absoluatur?*
15 *An extraneus sortiatur forum conscientia ratione delicti.*
16 *Reseruans non incidit in suos casus.*
17 *Impuberes ligantur.*
18 *Exceptis peccatis carnis.*
19 *Furiosus, & semifatuus non ligantur.*
20 *Mulieres subduntur.*
21 *Resuscitatus subditur.*
22 *Mandans consuleas, &c. subduntur.*
23 *Casus aliquando loquitur in rem, interdum in personã.*
24 *Causa efficax peccati quando ligetur.*
25 *Mandans ligatur.*
26 *consulens quis dicatur?*
27 *Auxilians.*
28 *Consentiens.*
20 *Palpans.*
30 *Recursum dans.*
31 *Participans.*
32 *Mutus.*
33 *Ratam habens.*
34 *Fautor.*
35 *Reuocatio mandati excusat à reseruatione.*
36 *Quomodo reuocetur mandatum, & consilium.*
37 *Mutus, & ratificans non possunt reuocare.*
38 *Non incidunt nisi secuto effectu.*
32 *Causa in communi non incidit.*
40 *Causa ex qua non sequitur effectus mandatus non incidit.*
41 *Causario recusante, causa non ligatur.*
42 *Causa excusatur, causario dante mandatum tertio.*
43 *Complices quomodo ligentur?*
44 *In peccatis luxuriæ.*
45 *Est peccatum reseruatum licet alter non seminet.*
46 *Contractus illicitus non ligat nisi sit completus, vtrinque.*
47 *Reseruatio quandonam incipiat ligare?*
48 *Peccatum inculpabiliter omissum non ligatur reseruatione.*
49 *Vtique omissum culpabiliter.*
50 *Cœpta confessio superueniente reseruatione perfici potest sine superiore.*
51 *Ignorantes ligantur reseruatione.*
52 *Ignorantia quid, & quotuplex.*
53 *Ignorantia inuincibilis.*
54 *Super qua proponuntur dubia sex.*
55 *Inculpabilis excusat à peccato.*
56 *Quanta diligentia in excludendo ignorantiam?*
57 *Inculpabilis datur respectu legis etiam naturæ.*
58 *Ignorantia pœnæ non excusat à peccato.*
59 *Iuris, & facti excusant.*
60 *Ignorantia non excusat à reseruatione.*
61 *Quãdo excusat à peccato excusat etiam à reseruatione.*
62 *Culpabilis ignorantia quid, & quotuplex?*
63 *Affectata.*
64 *Crassa.*
65 *Tenuis.*
66 *Comitans.*
67 *Nulla ex his excusat ab incursione reseruationis.*
68 *Mortale erronee veniale non excusat.*
69 *Blasphemare se putans excusant.*
70 *Inaduertentia, & obliuio non excusant.*
71 *Inaduertentia aliorum quandoque excusat.*
72 *Quæ causa excusent à reseruatione?*
73 *Peccatum actuale quid sit?*
74 *Peccatum non nisi voluntarium.*
75 *Aduertentia requiritur ad peccatum.*
76 *Consensus item.*
77 *Libertas quoque.*
78 *Peccati definitio communis mortali, & veniali.*
79 *Quatuor conditiones ad peccandum requiruntur.*
80 *Quæ causa excusant à mortali excusant etiam à reseruatione.*
81 *Causa excusantes à peccato quot sint?*
82 *Voluntas sine consensu excusat à peccato.*
83 *Duplex dissensus.*
84 *Conditionalis voluntas quid?*
85 *Impotentia quid & & quotuplex.*
86 *Vis duplex.*
87 *Metus quid, & quotuplex.*
88 *Grauis metus.*
89 *Qui excusat à peccato, & reseruatione.*
90 *Metus circa mala intrinsecè excusat à reseruatione.*
91 *Inaduertentia excusat.*
92 *Ignorantia excusat.*
93 *Dispensatio tollit reseruationem.*
94 *Generalis potest eximere à reseruatione Prouincialis.*
95 *Quod faciendo non dicitur dispensare.*
96 *An consensus tertij possit excusare.*
97 *Compensatione excusatur.*
98 *Quis possit interpretari casus reseruatos? vbi de triplici interpretatione.*
99 *Quid obseruandum in interpretatione casuum?*
100 *Interpretatio stricte fit.*
101 *Non fit extensio.*
102 *Contra Grassium.*
103 *Qui reycitur.*
104 *Dictio qui, quid importet?*
105 *Dictio* Committit *explicatur.*
106 *Casus dubius excluditur à reseruatione.*
107 *Casus explicantur secundum ius commune.*
108 *In dubio resoluitur veniale.*

REgula generalis est, quod illi ligantur casibus reseruatis, qui sunt, vel subditi illius superioris, qui sibi casus reseruauit, more aliarum legum, quæ obligant suos subditos, in quos iurisdictionem habent; vel se subijciunt confessariis Prælati reseruantis, quamuis aliàs non sint subditi, sed forenses, & extranei, quia reseruatio ligat subditos, aut etiam extraneos dependenter à confessariis Prælati reseruantis. Id autem magis constabit ex sequentibus quæsitis resoluendis.

Quæres autem 1. Quinam ligẽtur casibus Papalibus?

Resp. Omnes Christi fideles, in quibuscumque par- 1
tibus mundi existant, vel reperiantur subduntur casibus Papalibus, seu censuris ab eo latis, & sibi reseruatis, quia Christi fideles vbicumque reperiantur; siue in proprio domicilio, siue extra per vniuersũ orbem subijciuntur constitutionibus Papalibus, *c. Cuncta per mundum* 17. & 18. *quæstione* 3. & definiuit Bonifac. VIII. *in extr. Vnam sanctam de maior. & obed.* Procedit responsio pro illis locis, vbi lex Papalis est acceptata, nam vbi non est acceptata, reseruatio nullius roboris est. consequenter ex hoc capite, Confessarij absoluere possunt, nisi aliud

aliud obstet. Ita docent Suarez *de cens. disput.5. sect.4: num.3.* Coninckius *disp.13. de cens. dub.7. n.49.* & cum aliis Bonac. *q.1. de cens. p.11. n.16.* Megal. *lib.1. de cens. cap.3. num.11.*

Quæres 2. Quinam ligentur casibus Episcopalibus, seu Episcopis reseruatis?

2 Resp. Omnes illi, qui sunt eius subditi, siue per contractionem domicilij, siue per habitationem maiori parte anni, siue per voluntariam subjectionem in actu confessionis, hi enim omnes dicuntur subditi, ac proinde afficiuntur casibus reseruatis, quia Episcopus habet iurisdictionem ordinariam in tota sua Diœcesi, exceptis locis exemptis, *ex cap. Cum Episcopus, de off. ordin.* ergo eam ligare potest omnes existentes in sua Diœcesi ratione subiectionis. Ita omnes.

Quæres 3. Quinam ligentur casibus reseruatis superioribus Regularibus?

3 Resp. ligantur non solum religiosi professi, sed etiam nouitij, & quicumque alij collegialiter viuentes cum regularibus sub obedientia prælatorum regularium, & etiam moniales cum aliis commensalibus nouitiis, & puellis, aut aliis infra clausuram degentibus.

Primum de Religiosis professis constat omnes Regulares eiusdē Ordinis ligati casibus reseruatis à Generali pro toto Ordine, vel pro aliquo loco, quia ideo vocatur Generalis, quia habet generalem potestatem super omnes religiosos sui Ordinis, ergo omnes ligat suis casibus. Regulares verò addicti vni prouinciæ ligātur casibus reseruatis in illa prouincia, & non extra illam, cum reseruatio non excedat Religiosos extra prouinciam. Quando demum reseruantur casus pro vno conuentu, & non pro aliis, tunc ligantur Religiosi ibi de familia commorantes, quia reseruatio restringitur ad habitantes ibi, & non extra.

4 Secundum de nouitiis ostenditur. Tum quia intra monasterium contraxerunt domicilium, aut habitationem, ergo subduntur legi reseruationis Prælati Regularis. Tum quia in materia Sacramentorum subiiciuntur superioribus, & confessariis Regularibus, ergo iudicandi sunt secundum potestatem, quam habent confessarij Regulares à suis superioribus. Tum quia non subduntur casibus Episcopalibus, cum amplius non habeant domicilium, aut habitationem in Diœcesi Episcopi, qui olim erat suus superior, licèt habitent in eadem Diœcesi, in qua ante existebant, quia sunt in loco exempto, qui reputatur quo ad hoc locus extra Diœcesim, *Ioan Andr. in Clem. de foro compet. ver. Quia nomine*, Graff. *tom.2. consil. 2. diff.3. de Pœnit. numero 7.* & locus exemptus quamuis sit in Diœcesi, non tamen est de Diœcesi, Lapus *in Clement.2. de priuileg.* & ex eo Graff. *part.1. lib.3. cap.27. num.107.* Sigism. *dub.51. de elect. num.2.* Tum quia per casuum reseruationem restringitur facultas Magistro nouitiorum, cum non sit maioris conditionis aliorum confessariorum Religiosorum, ergo nouitius tenetur reseruatione in religione, hoc ipso, quod non potest absolui à magistro, qui per aliam potestatem illum non absoluit, nisi per illam, quàm à suo superiore Regulari recepit. Hoc idem pluribus probaui *capit.4. de Nouitiatu quæstione 52. in meo Tractatu de profess. regular.* vbi obiectis sufficienter respondi.

5 Tertium, quod perpetui commensales subiiciantur casibus regularibus, probatur ex eo, quod domicilium, seu habitationem habent intra claustra, ergo subiiciuntur casibus regularibus à simili de secularibus, qui ideo subiiciuntur reseruationi alicuius Episcopi, quia in eius Diœcesi contraxerunt domicilium, aut saltem habitationem. Deinde confitentur solum approbatis *resol.2. quæst.4. & resolut.4. quæst.5.* & illis suffragantur priuilegia professorum faciendi se absoluere à reseruatis Papæ *resol.3. quæst.14.* & subduntur in receptione Sacramentorum superioribus regularibus; vt docent Mirand. *tom.1. quæst.19. art.6. & tom.2. quæst.33. art.7.* Belloch. *part.1. de casibus reseru quæst.2. num.108.* & docui etiam locis citatis, Nomine autem commensalium veniunt non solum Tertiarij deferentes habitum imperfectum, sed etiam quicumque alij incedentes cum proprio habitu siue seculari, aut Ecclesiastico modò continuè habitent intra religionem, si enim cōfiteantur cōfessario regulari solum approbato intra religionem iudicari non possunt, nisi secundum legem reseruationis intra religionem, si Confessariis Episcopalibus, iuxta leges reseruationis Episcopalis.

Quartum, de monialibus subjectis regularibus, probatur. Tum quia prælatis regularibus subiiciuntur, quo viri religiosi, cum prælati dicantur superiores iure ordinario vtriusque sexus, ergo sicut ligantur viri, ita fœminæ. Tum quia moniales tenētur ad omnes constitutiones factas à prælatis regularibus, quando monialibus earum materia accommodari potest, Mirand. *quæst.5. art.3. de Monialibus*, ergo tenentur etiam casuum reseruatorum, cum comprehendantur sub statutis, & ordinationibus. Nec obstat, quod modo earum confessarij debeant approbari per Episcopos ex constitut. Greg. XV. de qua satis dixi *resol.5. initio, & quæst.5. & 6. & resol.36. quæst.27.* quia per hoc non tollitur reseruatio, nec moniales subiiciuntur reseruationī Episcopali, sed adhuc subsunt prælatis regularibus, quia per approbationem non recipiunt Confessarij iurisdictionem absoluendi ab Episcopo, sed adhuc à suis prælatis, sub ea tamen conditione, vt approbentur ab Episcopis, sicut approbantur pro audiendis confessionibus regularium, & tamen immediatè recipiunt à Papa iurisdictionem ex probatis *resolutio 37. quæstione 4.* 6

Quintum de nouitiis, puellis, & aliis commensalibus intra clausuram monialium Regularibus subiectarum, suadetur, Tum quia contraxerunt domicilium, vel saltem habitationem maiori parte anni, ergo ligantur casibus reseruatis in Religione. Tum quia confitentur confessariis regularibus, ergo iudicandæ sunt iuxta facultatem sibi factam à superiore Regulari. 7

Quæres 4. An Religiosi quandoque subiiciantur reseruationi Episcoporum, inquisitorum, & aliorum prælatorum extra Religionem?

Respond. Affirmatiuè, vt de Inquisitore dixi *resol.3. quæst.3.* Neque possunt eorum superiores, & multo minus Confessarij absoluere à suspensione propter celebrationem nuptiarum sine licentia Parochi, quia huius absolutio spectat ad Episcopum, de iure communi Tridentini, & faciunt *dicta resolut.7. quæst.15. dubitat.13. §. Sacerdos.* Neque Religiosus ab Episcopo denuntiatus absolui potest intra Religionem, vt probaui *resol.7. q.8.* ob rationes ibi adductas. 8

Quandò igitur Inquisitores sibi reseruant aliquam censuram ob transgressionem suorum præceptorum incursam, Religiosi etiam ad eam tenentur, similiter & Episcopus, quando procedit vt delegatus à Sede Apostolica de iure sibi reseruat excommunicationem, vel aliam censuram, quam religiosus incurrit, si sit nominatim denuntiatus, in hoc enim casu Prælatus Regularis nullum ius habet absoluendi suum Religiosum, cū ex natura rei eiusmodi censura auferenda sit ab eo, qui illam singulariter intulit, vt iudicium ab eo terminetur, à quo cæptum fuit; aliter si sententia sit generaliter lata nequaquam comprehendit Religiosos quo ad reseruationem, cum tunc non procedat vt iudex sed potius vt Legislator, & ordinator, cui in hoc non subditur Religiosus, nisi tunc procedat vt inquisitor, quia tunc Episcopus super Regulares ius habet, in reseruatione tamen censuræ necessaria est expressa mentio Religiosorum. 9

Non placet quod dicit Graff. *pr. lib.2. cap.26. n.1.* & ex eo in terminis Belloch. *part.2. quæst.1. num.366.* affirmantes Religiosos omittentes exequi vltimas voluntates, quarum possunt esse executores de licentia obtenta suorum Superiorum *ex cap. Religiosus, de testam. in 6.* incidere in huiusmodi casum, si reseruetur ab Episcopo,

Epiſcopo, ſiue exprimantur in lege reſeruationis, ſiue non, & id poſſe facere non vt Epiſcopum, ſeu vt Sedis Apoſtolicæ delegatum, quia Epiſcopus non ſolum de iure communi, *cap. Nos quidem, cap. Tua nobis, de teſtam.* ſed etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus in caſibus à iure conceſſis poteſt eſſe executor cauſarum piarum, & voluntatum vltimarum *ſeſſ.22.cap.8.* ergo talem caſum etiam reſpectu Regularium ſibi reſeruare poteſt, nam cui datur facultas exequendi, videtur etiam data poteſtas adhibendi media, ſine quibus facultas commodè exequi poteſt.

Nam, in corrigendo negligentiam Religioſi alio medio procedere non poteſt, niſi quatenus eſt iudex illum citando, & procurando vt exequatur ſub pœnis tum ſpiritualibus, tum corporalibus, & hoc modo procedere dicitur tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ; in reſeruatione autem caſuum cum procedat vt legiſlator, ac proinde iure ordinario, & non delegato, cum nullibi reperiatur huiuſmodi Papalis delegatio reſpectu reſeruationis, quæ poſſit afficere Religioſos, nulla ratione per reſeruationem poteſt ligare Religioſos, cum iure ordinario nullam iuriſdictionem ſuper ipſos habeat, ſed in hoc pœnitùs dicantur exempti.

Quæres 5. An Scholares collegialiter viuentes ſub cura, & diſciplina Religioſorum exemptorum, vt ſunt nobiles in collegiis Societatis Ieſu, aut aliorum Regularium ſubiiciantur caſibus reſeruatis ab exemptis Superioribus Monaſterij, vbi manent, an Epiſcopo, in cuius Diœceſi habitant?

10 Reſpond. Si confitentur Confeſſariis Regularibus ab Epiſcopo neceſſariò approbatis, tenentur caſibus Epiſcopalibus, quia ille Confeſſarius, cui reſtricta eſt poteſtas; illos iudicare non poteſt, niſi virtute poteſtatis, quam habet à ſuo Epiſcopo, ac proinde à reſeruatis abſoluere non poteſt ſecum collegialiter viuentes. Quod ſi confiteri poſſunt Confeſſariis ſolum intra Religionem admiſſis, ſubiiciuntur caſibus Regularibus, quia talis Confeſſarius eos iudicare habet iuxta limites poteſtatis ſibi communicatæ à ſuo Superiore. Faciunt dicta ſuperius *ſub quæſt.3.* Confirmatur, quia iſti confiteri poſſunt Confeſſariis ſolum in Religione approbatis, cum ſint continui commenſales, ex probatis *reſol.2. q.4. & reſol.4.q.5.*

Quæres 6. An extranei ligentur reſeruatione caſuum alieni Epiſcopi, vbi confitentur? Vel ſubiiciantur caſibus ſui Ordinarij?

11 Reſp. Extranei, ſeu forenſes abſentes à ſua Diœceſi, ſi volunt confiteri in aliena Diœceſi ſubduntur reſeruationi peccatorum illius Epiſcopi, in cuius Diœceſi confitentur illius Confeſſariis, vbicumque peccatum reſeruatum commiſerint, ſiue in Diœceſi aliena, ſiue in propria; ſiue ibi ſit caſus reſeruatus, ſiue non; quamuis ſtatim inde receſſuri ſint ad ſuum domicilium, & à fortiori, quando contrahunt domicilium, & à fortiori, quando contrahunt domicilium, vel habitationem, quod procedit quando Confeſſarius vtitur poteſtate ſui Epiſcopi, non autem ſi eligatur à pœnitente extraneo, quia tunc Confeſſarius electus debet eum abſoluere iuxta facultatem ſibi communicatam à Superiore pœnitentis eligentis, vnde ſi peccatum non ſit reſeruatum ab Epiſcopo pœnitentis, ſed tantum ab Epiſcopo Confeſſarij, tunc abſolui poteſt à Confeſſario, qui quãuis habeat reſtrictam poteſtatem à proprio Superiore delegatam, tamen quia illa non vtitur, ſed poteſtate ſibi communicata ab Epiſcopo pœnitentis, qui illud peccatum ſibi non reſeruauit, bene abſoluere poteſt.

Probatur reſponſio, Tum quia iudex qualis eſt etiam Confeſſarius *ſeſſ.14. cap.6.can.9.* debet iudicare ſecundum leges, & conſuetudines loci, in quo exercet iudicium, Gloſſ. *ver. Contrario more cap. illud 4. diſt.12.* Tum quia ſubiiciendo ſe Confeſſario alieno intendit ſe obligare ordinationibus factis in illo loco pro exercitio huius Sacramenti, ergo & caſibus reſeruatis. Tum quia aliquis tenetur caſibus reſeruatis non ſolum quatenus eſt ſubditus, ſed etiam quatenus ſe ſubiicit. Tum quia potiſſima huius rei ratio illa eſt, quia reſeruatio immediatè afficit Confeſſarium reſtringendo illius facultatem abſolutè, & independenter à quouis pœnitente ſiue eiuſdem Diœceſis ſiue extraneo, qui intendit vti beneficio ſuæ poteſtatis; ergo neceſſe eſt, quod ligetur caſibus qui reſtringunt poteſtatem Confeſſarij. Ita docent multi cum Bonac. *in quæſt.7. de pœnit. p.5. §.2.num.9.* à quibus non videtur diſcedere Floron. *part.1. de caſib. capit.3. §.4. num.4. §. Aut non,* dum dicitur non poſſe abſolui, quia tenetur caſibus reſeruatis, vbi confitetur, contra Vgolinum, quem pro ſe citat Nald. *ver. Caſus reſeru.n.8.*

Ex his deducitur aliquem non teneri caſibus reſeruatis in ſua Diœceſi, ſi alibi confitetur, quia in eo caſu iudicandus eſt ſecundum leges Confeſſarij electi, ex probatis, quicquid dicant Graff. *part.1. lib.1. cap.13. num.46.* Zerola cum Soto *de pœnit. cap.15. quæſt.8* multi alij, ex ratione, quia ex quo quis ratione domicilij, vel habitationis dicitur ſubditus conſequens eſt dicere, cum ratione ſubiectionis contraxerit reſeruationem, teneri reſeruatione, ac proinde non poſſe abſolui à quouis Confeſſario. Sed hæ, & ſimiles rationes nullius ſunt momenti, quia alio modo afficit lex reſeruationis, alia ratione reliquæ leges, & ſtatuta, nam ſtatuta alia, & leges ſtatim afficiunt, & ligant ſubditos quo ad peccatum, & pœnas cenſurarum, reſeruatio autem pœnitentes non ſtatim afficit, ſed ex ſuppoſitione confeſſionis, ſi enim volunt confiteri Confeſſariis ſui Epiſcopi tunc ſubduntur, ſi verò volunt accedere ad extraneum, tunc non ſubduntur proprio ordinario, ſed ei, cuius Confeſſario ſe ſubiiciunt. Itaque ſubditi dicuntur exempti à proprij Epiſcopi reſeruatione, quando ſe ſubiiciunt per actum confeſſionis alieni Epiſcopi Confeſſario, vbi caſus non eſt reſeruatus.

Quæres 7. An quæ prædicta de peccatis locum habeant in cenſuris, ita vt qui contraxit cenſuram reſeruatam in proprio Epiſcopatu dicatur ligatus, ſi confiteatur in alieno Epiſcopatu, vbi non eſt reſeruata? Et è contra, an quando ſunt in alieno Epiſcopatu incurrant reſeruationem, ſi ibi perpetrarint cenſuras reſeruatas.

Reſpond. Qui contraxit cenſuram generaliter latam, & reſeruatam in ſua Diœceſi, ſi alibi confitetur 12
vbi non eſt reſeruata, non ligatur, quia Confeſſarius alieni Epiſcopatus illum iudicare habet ſecundum leges proprias, non ſecundum leges pœnitentis: Dixi, *generaliter latam*, nam ſi ſit nominatim excommunicatus, debet abſolui à ſuo Prælato excommunicante. Quando autem peccat in alieno territorio, vbi lata eſt cenſura contra tranſgreſſores, ſicut forenſis, & extraneus non ligatur legibus ſpecialibus illius loci, neque cenſuris, ita neque incurrit reſeruationem, quæ eſt acceſſoria cenſuræ, conſequenter quæſtio non habet locum in caſu noſtro. Suppono autem extraneum, ſeu forenſem, qui non habet domicilium, neque habitationem pro maiori parte anni in ſolo alieno non ligari legibus, ſeu ſtatutis ſpecialibus loci, vbi reperitur breui inde receſſurus, vt multis citatis docet Sanch. *lib 3. diſput.18.num.6. & lib.1.cap.12.num.38.* & ratio eſt, quia legiſlator ſuis legibus aliquem ligare non poteſt, niſi illam habeat iuriſdictionem, quam non habet in forenſes, qui non contraxerunt domicilium, vel habitationem; quæ procedunt etiam reſpectu cenſurarum, ſiue ſint latæ per modum ſtatuti, ſiue ſententiæ contra tranſgreſſores.

Dices eſt commune axioma, quod non ſubditus ſortitur forum ratione delicti, & fit de iuriſdictione alterius, *cap.c.3. quæſt.6. cap. fin. de foro compet.* vbi Gloſſ. 1. quamplura iura ad hoc adducit, & procedit etiam in cenſuris, nam poteſt Epiſcopus e. g. Laudenſis cenſuris ligare Cremenſem ratione delicti commiſſi in Diœceſi Laudenſi per dictam regulam, & de ſententia excommunicationis clarè colligitur *ex cap. Placuit 4. 6.*

quæst.3.cap.Propoſuiſti 14. *de foro compet.cap.1.de raptor.* & de communi Canoniſtarum tradit Megal. *lib.1. de cenſ.c.3. n.46. qui n.49.* aſſerit extraneos fieri ſubditos ordinarij loci, vbi peccant, ita quod incurrunt excommunicationem latam per modum ſtatuti,eo quod ſit in bonum territorij, & Diœceſis,ac proinde omnes ibi repertos indifferenter ligans, cum non extendatur extra territorium ſicut facit ſententia;ergo ex his conſtat extraneum ligari cenſuris latis in loco alieno , vbi delinquit contra ſtatutum ordinarij loci,ac proinde incurrere etiam reſeruationem.

Reſpond. Quod Superior, cui ratione delicti extraneus , ſeu forenſis ſit ſubditus ratione delicti ſpectari poteſt dupliciter , vno modo , prout eſt legiſlator , & in hoc ſenſu extraneus , qui contraxit domicilium , neque habitationem pro majori parte anni , ratione delicti commiſſi non ſit ſubditus , ita quod ligetur ſtatutis , ordinationibus , & conſuetudinibus , atque pœnis ab eo Superiore inflictis contra tranſgreſſores , quia ad hanc ſubiectionem legalem requiritur , quod tranſgreſſor extraneus , & aliàs non ſubditus fuerit ſubditus ante tranſgreſſionem , vt ex Suare , Filliucio , & aliis docet Bonac. *quæſt.1. de cenſ. p.11. propoſ.4.* vbi ait hoc procedere , ſiue cenſura lata ſit per modum ſtatuti, ſeu per modum ſententiæ , vtraque enim fertur in perſonas iam ſubditas actu , vel ſpe : ideſt quæ naſcituræ, vel contracturæ habitationem , & id totum fundatur in illa communi , & probabiliori opinione aſſerentium forenſes non ligari ſtatutis loci , per quem tranſeunt, vel breui tempore exiſtunt , vt dixi ſupra. Igitur illud axioma locum non habet in hoc caſu quando Superior ſe gerit vt legiſlator. Altero igitur modo Superior ſe gerere poteſt vt iudex , citando ſub pœna cenſuræ vel alterius extraneum , qui deliquit intra limites ſuæ iuriſdictionis,illum etiam caſtigando,quatenus opus eſt,neceſſe tamen eſt, vt citetur antequam actu egrediatur limites Diœceſis , intra quam iudex exercere poteſt ſuam iuriſdictionem , aliter impune paretur minimè ius dicenti extra territorium *capit.2. de conſtit. in 6.* & in hoc ſenſu procedit axioma cum iuribus citatis ; ad propoſitum noſtrum, cum reſeruatio fiat à Superiore, quatenus legiſlator eſt, non quatenus iudex,nulla ratione obſtare poteſt dicta regula , quæ procedit,de Superiore iudice,non legiſlatore.

Quod ſi dicas ſaltem ſequi , latam à ſe excommunicationem contra tranſgreſſorem citatum non comparentem , de iure cenſeri reſeruatam , ac proinde non poſſe tolli à quouis Confeſſario ſimplici alterius Epiſcopatus. Concedo id totum quo ad forum externum, non internum , quamuis Confeſſarius ſe prudenter gerit illum non abſoluendo , ſed remittendo ad ſuum iudicem.

Quæres 8. An dicta in quæſtionibus 6.& 7.procedant inter Religioſos,itavt Religioſus tranſeundo ab vna ad aliam Prouinciam vbi confitetur, ligetur caſibus ibidem reſeruatis,non autem reſeruatis in propria Prouincia? Quod idem de cenſuris quæritur?

13 Reſpond. Eodem prorſus modo ligari, vel eximi habito ſemper reſpectu ad poteſtatem Confeſſarij abſoluentis, nam reſeruatio abſolutè non afficit pœnitentem ſed quatenus reſtringit poteſtatem Confeſſarij , cuius iuriſdictionem cum proprius ſolum Prælatus caſuum reſeruatione reſtringere poſſit , ideo ab hac reſtrictione inducitur reſeruatio,& non aliàs.

Dices , hactenus dicta , & reſoluta *in quæſt.6. 7. & 8.* procedere , quando Confeſſarius electus ab extraneo abſolit virtute propriæ iuriſdictionis delegatæ à ſuo Epiſcopo , non autem ab Epiſcopo pœnitentis ; vnde ſi extraneus , ſeu forenſis Secularis , vel Religioſus habeat à ſuo Superiore ius eligendi Confeſſarium , nulla facta mentione in licentia conceſſa eligendi Confeſſarium , de facultate abſoluendi à reſeruatis, certum eſt, Confeſſarium electum virtute delegationis ſibi communicatæ ab extraneo non poſſe illum abſoluere à reſeruatis proprio Superiori , eo quod fecit illi gratiam ſolum eligendi Confeſſarium pro abſolutione peccatorum non reſeruatorum , hoc ipſo , quod non expreſſit reſeruata in conceſſione *ex c.2. de pœnit. in 6.* & id maximè procedit in Religioſis , qui extra in itinere habeant facultatem eligendi ſibi Confeſſarium , qui per hanc electionem non poteſt illos abſoluere à reſeruatis, *reſol.34.q.5.*

Iam *in reſp.quæſt.6.* dixi Confeſſarium electum,quando vtitur poteſtate ſibi communicata à Superiore pœnitentis eligentis , non poſſe tunc abſoluere à reſeruatis,quia in hoc caſu Sacerdos factus eſt confeſſarius ordinarij pœnitentis,ac proinde habet reſtrictam facultatem quo ad reſeruata.

Quando Religioſus extraneus confitetur in Conuentu,vbi hoſpes eſt,& forenſis, tunc abſolui poteſt à reſeruatis in proprio Conuentu, ſi non ſit reſeruatus etiam reſpectu Confeſſarij, quia tunc Confeſſarius vtitur facultate proprij ordinarij , non pœnitentis. Quod ſi dicas , Religioſus quoties iter agit , & peregrinatur habet licentiam ſui ſuperioris , ac proinde licentiam eligendi Confeſſarium , ergo cum Confeſſarius electus vtatur poteſtate ſibi commiſſa à Superiore pœnitentis, non poterit illum abſoluere à reſeruatis , cum tunc dicatur Confeſſarius Superioris pœnitentis , iuxta cuius leges iudicare debet. Reſpondeo ita eſſe ; Quod ſi inſtes , ex his ſequi poſſe pœnitentem ſubterfugere reſeruationem accedendo ad Confeſſarium rogando illum vt abſoluat ex poteſtate ſui Superioris , non electione ſibi communicata , quando reſeruatio eſt facta à Superiore ipſius pœnitentis , ſicut & eandem eludere quando eſt facta à Superiore Confeſſarij , rogando illum vt abſoluat ex communicata delegatione à Superiore pœnitentis vi electionis; quæ omnia videntur abſurda ab omnibus, maximè Religioſis euitanda ; & videtur in his artificiosè electionibus iuriſdictionis patrocinari malitiam, & fraudem. Reſpondeo illum,qui vtitur iure ſuo , nullum committere abſurdum, malitiam, aut fraudem , ac proinde non eludere reſeruationem; quia iſte non habet obligationem accedendi ad Superiorem ſimpliciter , & abſolutè , ſed ex ſuppoſitione, quod velit confiteri Confeſſariis à ſuperiore approbatis nullam habentibus facultatem ſuper reſeruata, tunc enim inſurgit obligatio reſeruationis faciendi ſe abſoluere à ſuperiore, ratio ſæpius adducta eſt,quia reſeruatio primò, & immediatè afficit Confeſſarium reſeruantis Superioris , ergo accedendo ad extraneos Confeſſarios, quando iure poteſt,nullum committit abſurdū,aut dolum, quæ talia non dicuntur , niſi quando quis facit id,quod de iure facere non poteſt. Ex his colligitur intelligentia ſequentis Axiomatis. 14

Quæres 9. An in foro conſcientiæ extraneus ſortiatur forum ratione delicti in loco , vbi illud confitetur ?

Reſpond. Ex dictis *quæſt.6.7. & 8.* colligitur, quod quis non ſortitur forum alterius Diœceſis,itavt teneatur ibi confiteri, vbi peccauit, tamen ex ſuppoſitione,quod velit ibi confiteri , fit de illius foro non ſolum ratione peccati ibi,ſed etiam extra commiſſi,hoc eſt,debet ibi iudicari pœnitentialiter iuxta leges, quas obſeruare tenetur Confeſſarius electus,ſi iudicaturus eſt virtute iuriſdictionis proprij ordinarij. Regula igitur hæc procedit.I. in foro Sacramentali ex ſuppoſitione Confeſſarij electi,vt mox.II. etiam in foro externo ratione iudicij,non ſtatuti,aut legis,ex probatis ſupra *quæſt 7. §. Dices.* De hoc axiomate vide plura apud Rodriq. *tom.1. quæſt.60.art.6.* Graff. *part.1.lib.1.cap.13.num.47.in fine* ſibi contrarium in praxi *lib.2. cap.28. num.31.* Nau. *tom.3.in cap.Placuit , num.83.* Belloch. *part.2. de caſibus reſeru. quæſtione 16. num.64.* Boſſium *ſect.3. de Iubilæo caſu 2. num.196.* 15

Quæres 10. An ipſemet reſeruans incidat in caſus à ſe reſeruatos ?

Reſpond. Reſeruans non incidit,probatur. Tum quia Superior 16

Superior per seruationem restringit potestatem Confessariorum sibi subiectorum, non autem propriam, cum nemo agat de iure in seipsum maximè iurisdictione coactiua, *l. Iurisdictioni, ff. de iur. om. iud.* Valerus *ver. Iurisdictio diff.* 11. Tum quia nullus legislator quo ad vim coactiuam suis legibus tenetur, omnes docent cum Bonac. *quæst.* 1. *de legib. p.* 6. *num.* 14. Becan. *quæst.* 12. *de lege hum. num.* 5. ergo nec ad reseruationem casuum, quæ est quædam lex pœnalis, & coactiua ex probatis *resol.* 37. *quæst.* 2.

Quæres 11. An pueri impuberes habentes vsum rationis, quales sunt masculi infra quatuordecim annos, & feminæ intra duodecimum inclusiuè ligentur casibus, & censuris reseruatis?

17 Respond. Affirmatiuè, nisi expresse excipiantur à reseruante. Probatur, Tum quia obligantur cœteris legibus, & subiiciuntur censuris, *capit.* 1. *cap. Quamuis* 58. *cap. Pueris, fin. de sent. excommun.* & licet in citatis locis dicatur, quod non sunt mittendi ad Sedem Apostolicam, quando incidetunt in excommunicationem ob percussionem Clerici, non idcirco infertur non ligari reseruatione Episcopali, aut non esse absoluendos ab Episcopo, cui in hoc casu reseruatur huiusmodi excommunicationis absolutio, quicquid dicat Megal. *libro* 1. *de cens. cap.* 7. *num.* 10. posse quemuis Confessarium simplicem ab hac censura absoluere, quia non reseruatur *cap.* 1. *de sent. excommun.* nam errat pater iste, cum *capit. fin. ead.* dicatur expresse absoluere Diœcesanum. Tum quia habent vsum rationis sufficientem ad peccatum mortale, & ad intelligendas leges; & reseruationem; ergo si possunt peccare mortaliter, consequenter ligari censuria, & reseruatione. Tum quia ad incurrendam reseruationem non requiritur cognitio reseruationis, cum etiam ignorantes incidant, vt docet Floron. *capit.* 3. *num.* 14. aliis citatis, & dicam *quæst.* 25. sed cognitio huius rei spectat ad Confessarium vt sciat ad quæ se extendat sua potestas. Ita docent Floron. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 34. §. *Quod autem*, Lazar. *q.* 8. *de Blasph. n.* 41. Belloc. *part.* 2. *q.* 1. *n.* 253. *de Blasphemia loquendo*, Graff. *pr. libro* 2. *caput.* 5. *de allocut. cum Mon. num.* 18.

18 Excipiuntur tamen peccata carnalia à Graff. *loco citato, & part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 30. *& cap.* 13. *num.* 28. & ab aliis communiter, quos citat Lupus *part.* 1. *de casibus* Bergomi *dist.* 4. *artic. & diff.* 2. *num.* 6. quia peccata carnalia, quæ genitalibus fiunt non tribuuntur impuberibus *ex cap.* 1. de delictis puer quia infra hoc tempus nequeunt seminare, & si quandoque semen emittunt, non ideo incidunt, quia reseruatio instar aliarum legum non aptatur ad ea, quæ rarò accidunt, *l. Nam ad ea ff. de legib.* & hoc procedit etiam quando impubes patitur à pubere, qui licet ligetur casibus, non tamen impubes, quia ex eo quod miscetur cum pubere non amittit impubertatem, ratione cuius eximitur à reseruatione, nonobstante, quod agens, & patiens pari pœna debeant puniri, quia id procedit, quando lex intendit vtrumque punire, quod non accidit in casu præsenti.

Quæres 12. An furiosus, semifatuus, semidormiens, magna ira percitus incidant in casus reseruatos?

Respond. Non incidunt in casum reseruatum, quam-
19 uis illis imputetur peccatum commissum in ebrietate, &c. ex eo, quod illud præuidendo non procurauerint impedire, abstinendo nimirum à vino, ita, turpi collocutione, seu imaginatione. Probatur, Tum quia præscindendo à præuisione peccati futuri, isti non peccant mortaliter, quia voluntarium non fuit in causa defectu præuisionis, neque in se, cum tunc carerent vsu rationis saltem perfecto necessario ad peccatum mortale, vt omnes docent, ergo non incidunt in casum reseruatum, qui sine peccato mortali non consistit. Tum quia posita etiam præuisione, peccatum commissum non dicitur in se perpetratum directè, neque in se dicitur voluntarium, sed tantum in causa; lex autem reseruationis non comprehendit negligentes impedire crimina, & peccata, sed peccata non inde secuta, sed in se spectata, quæ cum non sint mortalia, ideo sub reseruatione non sunt *Ita docent Graff. Append. lib.* 1. *ca.* 7. *num.* 26. *& in praxi lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 50. *Lazar. q.* 8. *à n.* 47 *Belloch. part.* 2. *quæst.* 12. *num* 46. qui loquuntur de Blasphemantibus in ebrietate, vel iracunda, *Floron. cap.* 3. *num.* 29.

Quæres 13. An mulieres subdantur casibus reseruatis? procedit difficultas non solum quando verba casus loquuntur in personam peccantem per relatiuum, *Qui* vt, *Qui blasphemauerint. Qui percusserint parentes*, &c. Verum etiam quando verba referuntur ad ipsum peccatum sic. *Iuramentum falsum in iudicio, Homicidio voluntario; Percussio clerici.*

Respond. In vtroque casu sub reseruatione compre- 20
henduntur mulieres, nisi expresse excipiantur, aut materia illis non sit applicabilis. Ratio est, & quia in obseruatione, & subiectione legum pares sunt conditionis cum viris, ergo sicut viri obligantur ita & mulieres; & quia finis reseruationis retrahendi à peccatis conuenit vtrinque sexui; & quia ligantur censuris, *cap. Mulieres, de sent. excom. ex cap. Si quis* 22. 16. *quæst.* 4. *iuncta glos. Si quis*, vbi dicitur masculinum concipere fœmininum *per l.* 1. *ff. de verb. signif. & patet ex constit. Effrenatam*, Sixti V. contra procurantes abortum, Sic tenent de mulieribus blasphemantibus *Lazar. q.* 7. *de Blasphem. num.* 58. *de supponentibus partum Graff. prax. lib.* 2. *cap.* 30. *Belloch. part.* 2. *quæst.* 15. *num.* 58. de monialibus non recitantibus diuinum Officium, de quibus etiam patet in citata constit. Sixti V. & cap. De monialibus, de sent. excom. Lupus par. 2, de casibus Bergomi in explicatione singulorum casuum, qui exprimuntur cum relatiuo, *Qui.*

Quæres 14. An resuscitatus subiiciatur casibus, & censuris reseruatis, in quæ incidit ante mortem?

Respond. Affirmatiue, probatur, Tum quia resurre- 21
ctio sicut non tollit peccatum, ita neque reseruationem. Tum quia in mortuo remanet excommunicatio, ex cap. A nobis, ergo resurgendo eget eius absolutione danda à superiore Confirmatur, quia reseruatio vti accessoria sequitur censuram, & peccatum, ac proinde illis non sublatis adhuc remanet reseruatio.

Quæres 15. An mandans, consulens, & huiusmodi personæ in his versibus contentæ. *Iussio consilium, consensus, palpo, recursus. Participans, mutus, non obstans, non manifestans.* Comprehenduntur sub casuū reseruatione, quando non exprimuntur? Expresso autem horum de esse potest duobus modis, vno modo directè, quando verba casus referuntur ad personam peccantem, vt *Qui homicidium commiserit.* Secundo indirectè, quando verba casus loquuntur in peccatum sine expressione alicuius agentis personæ? vt, *Homicidium voluntarium.*

Respond. Non incurrunt, siue casus exprimatur per 22
nomen peccati, siue peccantis, quod alij dicunt, siue casus loquatur in rem, siuæ in personam. Probatur, Tum quia illi solum subiiciuntur casibus, qui exprimuntur sub terminis casus propositi. Tum quia mandare, & consulere, &c. sunt quid diuersum à facere & committere peccatum mandatum, & consultum ab illo, vt de se patet, respiciunt enim distinctas personas, licet circa idem crimen versentur. Tum quia qui per alium facit vel mandat, verè non facit ipse, sed solum fictè, & tantum præbet causam, vt aliter faciat *l. Deiecisse ff. de vi. arm. l. Item si obstetrix* §. *ff. ad legem Aquil.* casus autem interpretandi sunt verè, & non fictè cum in pœnalibus, & odiosis fictio locum non habeat. Tum quia si casus exprimeret solum mandantem vel consulentem, non includeret facientem, ergo neque faciens includit mandantem. Tum quia censura lata contra facientes non includit mandantes, neque consulentes, aut alios, nisi exprimantur, *Nau. cap.* 27. *nu.* 51. *Regin. lib.* 9. *num.* 234. *cum communi apud Bonac. quæst.* 1. *de cens.*

p.6. ergo neque illis reseruatio. Ita docent Floron,*c.3. num.12.* vbi Nau.& Saitum citat,Nald.*ver.casus reseru. num.3.*

Dixi *Siue casus loquatur in rem,siue in personam*: quia hæc distinctio parum refert nostræ responsionis, siquidem quouis modo loquatur casus non comprehenduntur mandans, consulens, &c. nisi exprimatur, quod probatur exemplo casus 6. pro regularibus registrati sub *resolut.37.* his verbis.*Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum*, &c. Si enim sub casu expresso per rem comprehenderentur etiam mandans, & consulens, seu auxilians, frustra adiecisset legislator auxilium, aut consilium, & exprimendo huiusmodi causas in aliquibus casibus, & non aliis, signum est exclusionis non expressis. Deinde in duobus Decretis à Sacra Congregatione editis de mãdato Clem.VIII. promiscuè sermo est de casibus, modo de re, modo de personis, ad iudicandum nullam esse differentiam in ordine ad peccantem immediatè,& peccantem accessiuè,& mediatè, in ordine etiam ad reseruationem, ideo in vtroque modo loquendo excluditur mandans, aut consulens &c.quando expressè non nominatur, contra Graff. *pr. lib.1. cap.4. n.59.lib.3.c.9.n.17.* quam sequitur Floron.*c.1.n.51.*

Aduersarij nituntur præcipuè duplici ratione, quarum alteram deducunt *ex cap.Si quis suadente 22.17.q.4.* vbi non exprimuntur mandans, consulens,&c.& tamen incidunt,ergo siue casus loquatur in rem, siue in personam,vt casus iste de percussione, comprehendit mandantem,consulentem,&c.licet non exprimantur. Alterum,*ex c. Mulieres,de sent.excom.*vt dicitur.*Cum is verè committat, cuius mandato,vel authoritate delictum committi probatur*, ergo mandans verè dicitur committere, sicut qui facit peccatum, ergo comprehenditur, licet non exprimatur.

Respondetur, ad primum, mandantes consulentes, &c.percussionem clerici,non incidere in canonem præcisè,quia ibi id prohibeatur ex vi citati canonis;sed quia aliunde canon extenditur ad dictas personas, vt dixit Tolet.*lib.1.cap.32.num.15.& colligitur ex cap.Mulieres, §.Illi verò,cap.Quanta 47.* Vide Megal.*lib.4.de cens.c.1. n.7.* Ad secundum dico,terminum,*verè*,referri ad peccatum,non autem ad ipsam actionem facientis,ita quod sensus est, quod verè peccat mandans, non tamen verè facit delictum mandatum. Vel dic verè committere actione mandati, non operationis immediatè in peccatum reseruatum.

Quæres 15. Quando mandans,consulens,&c.exprimuntur in reseruatione casuum.An,& quando,& quomodo incidatur in casum reseruatum? Pro resolutione quæstionis, quoniam mandans, consulens, auxilians, consentiens, palpans, recursum habens, participans, non obstans,non manifestans,ratum habens,vel fauens, omnes isti communi vocabulo nuncupari possunt causa peccati perpetrati, hinc spectari potest duplex causa in istis, efficax nimirum,& inefficax.Causa efficax est illa, qua faciens mouetur ad perpetrandum delictum, quod aliàs immediatum agens non commisisset;vt si quis consulet furtum, alicui aliàs non parato, neque affecto ad furtum, quod dicitur facere hortatu consulentis. Causa inefficax est illa,quæ faciens non mouetur ad peccatum,ad quod faciendum iam paratus erat, ac si consulens illi nihil dixisset. Causa ergo efficax mouet, & influit in effectum, non autem inefficax, quamuis aliquando augeat voluntatem iam parati, vel affecti ad malum. Vide Bonac.*q.de cens.in genere à p.3.ad 12.* Megalium *2.2.de contr.lib.2.c.1.*Cognosci autem potest aliquem esse causam efficacem, vel inefficacem ex pluribus.Ex dictis malefactoris, si enim dicat, se iam determinasse facere delictum, censetur causa inefficax. II. ex coniecturis, vt si malefactor iam minatus fuerat delictum,vel inimicitiam habebat,vel solitus erat furari. Vide Sanch.*lib.1.cap.10.n.44.*Bonac.*q.1.de cens.p.6.num.8.* Ex his

Respond. Vniuersaliter, quod existens causa inefficax non incidit in casum de ea expressum sed tantum causa efficax. Probatur, Tum quia sicut causa tenetur de damno illato solum quando fuit causa efficax, *l. Non solum, §.Si mandato,ff.de iniur.* & docent præcitati,ita & solum causa efficax incurrit reseruationem. Tum quia causa inefficax aut nullo modo influxit in peccatum,aut si aliquo modo, solum imperfectè; ergo non incidit,quia ad hoc vt quis incurrat casum reseruatum,debet perfectè influere,& causare peccatum.Censetur etiam causa inefficax,& imperfecta,quando verbis tacitis, & obscuris mandat, vel consulit,&c. quia perfectè, & adæquatè non influit in effectum peccati reseruati, ac proinde illud non incurrit; vnde inquit Floron.*part.2.casu 4.vers.Item mandans*,mandantem verbis tacitis non incidere in casum. 24

Respondendum modo est ad singulas causas,quomodo per illas incurratur reseruatio casuum. 25

Mandans,qualis est ille,qui alicui præcipit, vel committit aliquod delictum faciendum *ex l.1.ff. Mand.*qui in re nostra, non differt à rogante, sed pro eodem accipiuntur mandans,& rogans,vt fecit Vulpian. *in l.1. ff. Quod ius*, incidit in casum reseruatum, io quo exprimitur, si mandatum fuit efficax, & verbis expressis, Probatur,quia,quia sicut tenetur de delictū, *ex cap.1. & fin. de iniur.* ita & de reseruatione: & patet quia verba casus illi aptantur, cui enim accommodantur verba legis, & ipsam legem necesse est aptari. Debet autem mandatum esse efficax, & verbis expressis ex mox dictis *§.Resp.* Mandatum autem expressum illud dicitur, quo verbis subobscuris insinuatur, vt si quis iniuria effectus, dicat filio, vel seruo,ac domum reuertaris, donec aliquid noui audiã,Flor.*part.2.casu 4.§.Item mandans n.10.*

Consuleos dicitur ille, qui alium mouet ad delictum, persuadendo, monendo, rogando, instigando ad malè agendum, etiam docendo modum, tempus, locum, & alia ad perpetrandum delictum. Megal. *lib.2. de contr. cap.2. num.21.* Graff *pr. lib.1. cap.15.* Consulens autem efficaciter, & mouendo aliàs non paratum ad malum, peccatum reseruatum incidit, ratio est, & quia iste tenetur de delicto consulto, *§. Interdum, Instit. De obligat. quæ ex delict.* Megal. *cit. num.23.* ergo & casum incurrit; & quia incurrit censuram consulens efficaciter, non autem inefficaciter. Nauarr. *c.27. num.51.* ergo & casum, quando causa efficax. Ita docent Graff. *pr. lib.1. cap.15. num.28.* Belloch.*part.2.q.6. num.23.* 26

Auxilians dicitur ille, qui scienter adiuuat alterum ad faciendum delictum, vt, qui armatus assistit scienter alteri occidenti, vt securius interficiat, etiamsi nihil faciat. Item,qui commodat equum, ensem, vel aliud instrumentum, etiam furtiuo ad committendum delictum. Item si consulto retineat verbis occidendum.Vide Graff. *pr. lib.1. cap.15. num.22.* Dixi scienter, quia si ignoret auxilium suum profuturum delicto,vel adiuto, non dicitur auxiliari delicto. Auxilians igitur hoc modo scienter, & efficaciter incurrit reseruationem, & non aliter ex eodem Graff. *citat. & lib.1. c.37.n.32.* 27

Consentiens dicitur ille, qui concordat cum voluntate eius, qui cogitat de committendo delicto: seu est ille, ex cuius voluntate pendet delictum. Consensus autem spectari potest dupliciter; primo, pro consensu approbatiuo includente authoritatem ex parte consentientis; vt, qui consentit sibi subdito volenti malè agere, & in hoc sensu condistinguitur à reliquis causis; altero, pro participatione in delicto per modum mandati, consilij, dissensionis, &c. Gloss. *in capit. 5. de off. deleg.* apud Graff. *pr. libro 2. capitulo decimo quinto, numero decimo secundo.* Quando in reseruationis lege exprimitur præcisè sine aliis causis intelligitur hoc secundo modo,aliàs primo modo, Consentiens igitur efficaciter incurrit casum reseruatum exprimentem consentientem, vt mox dixi, 28

Palpans

29 Palpans dicitur ille, qui laudat, seu approbat delictum faciendum, aut vituperat nolentem illud committere. Palpans efficaciter tenetur reseruatione, non autem inefficaciter, qualis est ille, qui lætatur, aut sibi complacet in delicto, is ergo non incidit.

30 Recursum dare dicitur ille, qui volenti male facere promittit illi dare securitatem, vel vt commodius agat, vel vt post delictum se recipiat in tuto; recipiens verò malefactorem alio titulo non dicitur habere recursum. Ista ergo ratione incidit in reseruationem.

31 Participans in delicto ille dicitur, qui vel in facto simul cum aliis delictum facit; vt, cum plures simul furantur, occidunt, &c. vel post factum, vt, cum quis scienter emit à latrone, vel dat recursum. Contingit autem participatio duobus modis; opere, cum quis simul cum aliis male agit, aut eos adiuuat, furando, percutiendo, receptando, auxiliando, contrahendo cum latrone; aut verbis, nutibus, signis, vt contingit in mandato, consilio, consensu, palpatione; & fere participans coincidit cum Consentiente. Pro incurrendo casu reseruato attendenda sunt verba casus, an referantur ad participantem in facto delicto, vel post delictum, & iuxta illorum proprietatem intelligenda est reseruatio.

32 Mutus non obstans, non manifestans dicitur ille, qui ex officio tenetur impedire delictum, & non impedit, *si potest*. Dico *Ex Officio*, quales sunt Superiores respectu subditorum, serui, famuli, respectu dominorum, &c. alij verò non tenentur, quia tale onus non habent. Dico. *Si possit*, quia aliàs ad impossibile nemo tenetur, & in iure illud reputatur impossibile, quod commodè, seu salua propria honestate fieri non potest *lib. Nepos Proculo ff. de verb. signific.* Valens igitur impedire malum, ad quod ex Officio tenetur, & non impediens incurrit casum reseruatum expressum sub dictis terminis. Hic autem non cadit distinctio causæ efficacis, & inefficacis, quia hæc causa supponit malefactorem iam paratum ad malum.

33 Ratum habens dicitur ille, qui delictum suo nomine factum ratificat, & gratum habet, incidit autem in censuram, & reseruationem canonis, Si quis tribus concurrentibus conditionibus. I. Quod ratificans tempore delicti potuisset illud mandare, vnde excluduntur infans, amens furiosus. II. Quod ratificans exterius aliquo saltem signo, vel nutibus approbet delictum factum. III. Quod delictum sit factum nomine ratificantis, ita docent omnes cum *Bonac. disput. 5. de cens. quæst. 4. p. 3. num. 7. Megal. lib. 4. de cens. cap. 1. num. 7. §. Tria*, loquentibus de rata percussione Clerici.

34 Fautor dicitur ille, qui malefactori ratione delicti fauorem præstat, quod fit excusando, commendando, laudando, consilium dando; aut si ex officio tenetur, illum non capit, punit, aut negligit id facere. Ita Doctores loquentes de fautoribus hæreticorum.

Quæres 17. An qui fuit causa efficax ad delictum perpetrandum, incidat in reseruationem, si ante delicti perpetrationem reuocet datum mandatum, consilium, consensum, &c.

35 Respond. Reuocans mandatum, consilium, auxilium, consensum, palpationem, receptationem, & fauorem ita quod reuocatio perueniat ad aures eius, cui fuit datum mandatum, consilium, &c. non incidit in reseruationem. Ratio, quia delictum non amplius imputatur causæ, sed immediatè agenti tantum, qui non amplius virtute causæ operatur, cum suspenderit suam virtutem, & influxum in delictum perpetrandum. Confirmatur, quia ex reuocatione mandati, consilij, & similium quis excusatur à censuris latis contra causantes delictum aliquod sub censura prohibitum, vt docent omnes cum *Bonac. quæst. 1. de cens. p. 6. num. 6. Silu. ver. Homicidium 1. num. 11. & 12. Sair. lib. 3. cap. 26. num. 33. ergo & à reseruatione. Ita docent. Graff. lib. 1. cap. 25. num. 15. Floron. part. 2. casu 4. §. Item mandans num. 10. §. Quarto, loquendo de reuocato mandato, Belloch. part. 2. quæst. 6. num. 23. de mandato, & consilio reuocatis, Lupus casu 8. Bergomi part. 2. cum. 16.* vbi ait sufficere tacitam reuocationem notam mandatario, Floron. cit. tenet mandantem, quem mandati pœnituit non incidere, si procurauit, vt id sciret mandatarius, quamuis non peruenerit ad eius aures, quia licet mandans teneatur de mandato reuocato si non peruenit ad aures mandatarij, id tamen procedit pro foro externo, non conscientiæ. Sed non placet, & quia non excusatur à censura ex communi opinione, ergo neque à reseruatione maximè illi accessoria; & quia etiam apud Deum illi imputatur culpa delicti, & quia sola pœnitentia extra absolutionem non tollit reseruationem, nisi prius tollat efficaciam causæ; & quia sequeretur percutientem cum animo occidendi non incidere in casum, si pœniteat antequam sequatur mors, quod est falsum, Idem Floronus *cit. num. 11. §. Notandum autem*, asserit reuocationem consilij faciendam esse non simpliciter, sed legitime, suadendo oppositum rationibus, nam sicut rationibus consilium dedit, ita eisdem contrariis auferendum est, quia vnumquodque tollitur eo, modo, quo inductum fuit; & hoc inducitur ex differentia mandati, & consilij, quia illud solum mandantis interest, ac proinde facili negotio, & solis verbis reuocatur, non sic consilium, quod interest consulti, in cuius gratiam datur. Sed non placet eius dictum, quia per simplicem reuocationem consilij, de quo consultus cognitionem habuit, amplius non imputatur futurum peccatum: Nec obstant rationes, non prior, quia facilius factum reuocatur, quàm quod construatur, *capit. 1. de translat. Episcop.* vbi dicitur, quod corporalia facilius destruuntur, quàm construantur, spiritualia verò è contra se habent, in casu autem nostro consilium se tenet ex parte corporalium, ergo si facilius destruitur, quam construatur, non tanta efficacia rationum requiritur in eius constructione, quanta adhibita fuit in eius constructione, sed sufficit simplex reuocatio; neque secunda ratio ex differentia vim aliquem habet hic, quia non tollit, quin sublatum sit consilium, sed solum indicatur modus quo alter mouetur ad agendum ex consilio, & mandato.

Reuocatur ergo mandatum, consilium, & consensum dicendo nolo vt amplius hoc malum agas ex meo mandato, consilio, aut consensu; nullo modo facias hoc delictum. Auxilium reuocatur auferendo instrumentum datum, vel nondando promissum, aut recedendo ab assistentia, vel sinendo abire occidendum, aut remouendo commoditatem malefactori. Palpatio remouetur dicendo oppositum quod proponebatur malefacturo. Recursus reuocatur, quoties promissa secularitas aufertur illi, qui malefacturus est, nam post factum reuocatio non releuat à reseruatione. 36

Mutus, & ratificans non dicuntur reuocare causam præstitam, quia cum iam delictum sit factum respectu ratificationis, & in fieri, & quasi in facto esse respectu Muti, consequenter non possunt excusare à reseruatione, cum iam delictum factum intuitu illorum reuocabile non sit. 37

Quæres 18. An qui est causa efficax suo mandato, consilio, consensu, &c. quantum est ex se, quia efficaciter alterum mouit ad peccatum reseruatum, incurrat casum reseruatum, si ex aliquo accidendi non sequatur effectus mandatus consultus, &c.

Respond. Non incidit, ratio est, & quia verba cum effectu sunt accipienda, *cap: Hac autem verba 17. distinct. 1. de pœnit.* vbi *Nauar. tom. 3. numero 10.* explicat intelligenda esse cum illo effectu, de quo verba loquuntur, *capit. Relatum 4. de Cler. non resid.* & quia verba in quauis materia intelligenda sunt formaliter, 38

ex Caiet.ver. Excommun. Sed hæc verba mandans, consulens, &c. homicidium intelliguntur propriè, & formaliter de homicidio secuto, ergo necesse est, vt sequatur effectus intentus postremo à causa, quod est homicidium, vel quid simile expressum in lege reseruationis. *Floron. casu 4. de homicid. Versu. Item mandans n. 10. Excipitur, & de consulente num.10.§.Secundo, & reliqui omnes.* Dicta non procedunt, quando reseruator excipit, vt casus incurratur, quamuis non sit secutus effectus, vt se declarat Clem. VIII. in Decreto de casibus reseruandis à Prælatis Regularibus relato resol. 37. casu 6.

Quæres 19. An qui est causa in communi committendi aliquod delictum incidat in casum reseruatum? Causa autem in communi censetur esse ille, qui coram multis non requisitus, sed sponte præcisè, & determinatè dirigendo sermonem, ad male agendum.

39 Respond. Non incidit, Tum quia per talia verba nulli dat consilium, neque inducit ad malum, sed tantum declarat voluntatem suam, Tum quia in communi loquens, ad nullum in specie dirigit sermonem, ergo nullum inducit ad malum; Tum quia effectus secuti non est proprie causa, sed tantum occasio, quæ non inducit reseruationem. Tum quia inducens in communi ad homicidium, mitius punitur, quam homicida, *cap. Sicut dignum, §. Qui vero, de homicid.* si verò incitet ad certi homicidium punitur vt homicida, ergo qui neminem in specie incitauit, nullo modo est puniendus reseruatione casuum, cum in tali casu causa dicatur imperfecta.

Quæres 20. An qui est causa mandato, consilio,&c. non delicti mandati, sed alterius inde secuti per accidens, incurrat reseruationem, si reseruetur delictum secutum?

40 Resp. In neutrum incidere, non primum, quia secutus non fuit effectus, vt suppono, non secundum, quia respectu secundi nequaquam fuit causa saltem efficax, & proxima, quæ possit illi imputari. Confirmatur, quia mandans non tenetur de excessu mandatarij *ex Bald.in l. Non ideo minus, vers. Item quæro ff. de ui. & vi arm.* Si res mandata talis sit, vt sit in potestate mandatarij seruare fine mandati, ergo neque ad casum reseruatum. Ita docent *Graff.pr.l.1.c.15.n.9.Flor.casu 4.de homicid. Versu. Item mandans, n.10.§. Secundo.*

Quæres 21. An causans, causario recusante, & postea se mouente ad peccatum reseruatum perpetrandum, incidat in reseruationem?

41 Respond. Non incidit, Tum quia excusat reuocatio ex probatis q. 15. ergo & recusatio, cum ambo quo ad effectum paria sint, vtrumque enim suspendit influxum causæ in effectum. Tum quia malefactor stante recusatione non dicitur amplius operari virtute causæ mandantis, consulentis, &c. ergo ei non potest imputari peccatum secutum, neque proinde reseruatio. Tum quia censetur solùm causa inefficax hoc ipso quod causarius dicit se nolle malum agere, quod si postea faciat, censetur à propria voluntate moueri, non à causa. *Quicquid dicat Flor. casu 4.§. Item mandantes n.8.§. Sexto.* motus ea ratione, quia præsupponitur durare prior voluntas causæ, quæ non fuit reuocata, licet recusata; sed hæc ratio solum concludit causam peccasse in ordine ad malum consilium, mandatum, &c. non in ordine ad effectum, quia delictum fit à solo causario, sine influxu culpabili causæ, quæ solum materialiter concurrit, & remotè.

Quæres 22. An causa incidat, quando causarius cuidam tertio dat mandatum, consilium, &c.

42 Respond. Non incidit, Tum quia delictum reseruatum non fuit perpetratum ex eius influentia, seu mandato saltem proximè, quod requiritur ad reseruationem casuum, quæ continet dispositionem odiosam, ac proinde restringendam. Tum quia causarius, seu mandatarius excedendo finem mandati mandans non tenetur *argum.l. Diligenter ff. Mand.* ergo pari ratione neque ligatur reseruatione. Intellige hæc, quando causa non dixit causarium posse agere per alium, nam si dixit, age per te, vel per alterum, tunc tenetur. *Floron. casu 4.§. Item mandantes num.8.* Ait hunc non teneri reseruatione quando expressè commisit causario ne per alium ageret, vtique verò obligari, si id non expressit, ductus duplici ratione, & quia qui est causa causæ, est etiam causa causati, *c.fin. de iniur.* & quia si socios adhibuisset, adhuc causa incidisset. Reiicitur vtraque ratio, nam prima locum habet quo ad peccatum, non quo ad consequentia peccatum, cuiusmodi est reseruatio, damnificatio, &c. nam huiusmodi imputantur solum causæ mediæ, proximæ, non autem remotæ, & primariæ, *ex Glos. ver. Causam dedisse, capit. De cætero 11. de homicid.* Præterea axioma non facit ad rem, nam interponitur inter duo extrema, in casu autem nostro mediant duo causarij inter causam, & effectum. Secunda nil contra nos, quia adhuc per se concurrit prior causarius, qui non supponitur agere in casu nostro.

Quæres 23. An complices immediate in aliquo delicto ambo incidant in reseruationem? Exemplum fit in speciebus luxuriæ, An masculus, & femina ex æquo incidant in casum adulterij reseruati, &c. Item in quibusdam contractibus illicitis simoniæ, vsuræ, &c. Et quæstio procedit primo in ordine ad verba casus, quando vtrique sexui applicabilia sunt, vt si loquantur in rem, de quo non videtur dubitatio, quando vtrique, potest conuenire sensus verborum, si loquantur in personam, videndum est an soli masculo applicentur, vt in his. Raptores, defloratores virginum, solicitantes Moniales, &c. non hæc verba referuntur solum ad sexum masculinum. Secundo in ordine ad executionem peccati, nam in speciebus luxuriæ, quandoque vnus sine altero seminat, item in contractibus interdum alter adimplet suam obligationem, alter nondum, &c.

43 Respond. Vterque incidit quo ad verba casus, quando vtrique sexui applicari possunt quo ad peccata luxuriæ, modo alter seminauerit iuxta præscriptionem casus reseruati. Loquendo de contractibus neuter incidit nisi contractu perfecto nisi lex aliter disponat expressè.

44 Primum, quod vterque complex incidat, si verba legis sint vtrique communia, probatur, quia agens, & patiens, seu consentiens pari pœna puniuntur, *capit. Quanta 47. capit. Nuper 29. de sentent. excommun. cap. Notum sit 10. in fine 2. quæst. prima.* Tum quia dispositum in vno relatiuorum intelligitur & in altero, & relatiua ad imparia non iudicantur *l. fin. ff. de acceptil facit capit 10. Matth. de magistro,* & discipulo, qui sufficit si sit sicut ipse *ex cap. Si quis 4. 32 q. 1.* Tum quia huiusmodi peccata, quæ copulatiue consumantur talia sunt respectu vtriusque. In specie de Sodomia docet Bonacin *q. 4. de matrim. p. 11. nu. 2. & ex eo Belloch. par. 2 quæst. 1. nu. 19. Lupus casu 10. Bergomi part. 2. §. I. n. 9.* Etiam quando casus exprimitur his verbis. *Qui commiserint Sodomiam.* Contra Suarez Secularem *ver. Interpretatio, Graff. pr. lib. 1. cap. 31. num. 5.* Polletam *ver. Sodomiticus actus,* Anton. Berardducium *part. 1. de circumst. num. 12.* Apud dictum Lupum asserentes sub dictis verbi non comprehendi patientem sodomiam, eo quod cum his mitius agatur, & non dicantur committere, quod est agere, sed pati. Mitius autem castigantur ratione iuuentutis, & pueritiæ, quibus facile parcitur, & sic procedit pro foro externo, demum verbum, *committere*, indifferenter tam actionem, quàm passionem significat in sensu morali.

45 Secundum, quod species luxuriæ intelligantur reseruatæ licet alter non seminet, suadetur ex eo quia in his, quæ se habent per modum agentis, & patientis vt delictum consumatum dicatur sufficit, vt agens illud perficiat, patiens enim quantum est ex parte sua & vt patiens delictu dicit perficere hoc ipso, quod præcisè patitur agentis semen recipiendo in suo vase. Dico, *modo agens seminet*, quia cum actio ipsi potissimum tribuatur,

tur, si ea perfecta non est peccatum non subiicitur reseruationi, neque ex parte patientis, licet etiam seminet, quia complementum peccati semper attenditur ex parte agentis, vt qui est nobilior patiente.

46 Tertium, quod ad contractus illicitos respectu quorum neuter incidit, nisi illo completo, ostenditur ex differentia præcedentium, in quibus complices se habent vt agens, & patiens, in contractibus verò agunt tantum, consequenter delictum requirit absolutionem contractus ex parte vtriusque. Confirmatur ex contractu simoniaco, qui non inducit excommunicationem, nisi post completum ex parte vtriusque, vt docent Less. *lib.2.c.35 dub 24. n 13. cum aliis apud Megal. l.4. de censur.c.5.n.76. Bonac.q.7. de simon.§.2 n.6.* Ergo neque in casum reseruatum.

Quæres 24. Quandonam reseruatio incipiat ligare subditos reseruantis?

47 Respond. Reseruatio, facta promulgatione, statim incipit ligare non solum quo ad peccata ante commissa, & nondum remissa per absolutionem, verum etiam quo ad committenda deinceps. Quod statim liget facta promulgatione, patet ex eo, quod ad modum aliarum legum incipit tunc obligare cum promulgatur, vt est communis opinio cum Canonistis *in cap. In istis, Leges, distinct.4. & Legistarum in l. Leges Sacratissimæ C. de legibus, & Theologis cum D. Thoma 2.2 quæst.90. artic. 40.* Et ita docet Floron. *cap.3. num.* 16. Quod huiusmodi ligatio referatur ad quæcumque peccata non solum committenda, sed etiam commissa ante promulgationem, probatur, quia in reseruatione non attenditur præcisè tempus, quo fit, sed quo per absolutionem tollitur, & cum tunc intelligatur iam restricta potestas Confessarii in actu promulgationis, consequens est, vt peccatum antecedens promulgationem sit subiectum reseruationi. *Ita docent Floron. cap.3. num.* 17. *vbi citat Vgolinum, Nald.ver. Casus num.7.*

Dixi, *nondum remissa per absolutionem*, quia si quis præuideat promulgationem potest anticipare Confessionem, etiam hoc prætextu, vt euitet reseruationem futuram, quia sic faciendo vtitur iure suo, & non tenetur expectare reseruationem, quia id nullo iure cauetur. Quid si omiserit peccatum reseruandum? respondetur mox *q.25.*

Quæres 25. Quid dicendo de eo, qui nondum facta reseruatione præuisa, siue non, omisit in confessione peccatum postea à Superiore factum reseruatum, an dicatur reseruatum, quando postea illud reperitur.

48 Respond. Si omissio fuit inculpabilis non ligatur reseruatione, sed potest absolui, nequaquam verò, si fuit culpabilis. Primum suadetur, Tum quia reseruatio ligat solum eos, qui habent conscientiam peccati mortalis, cum id solum sit materia reseruationis ex probatis *resolut.37.quæst.1.§. Dixi.II.* Sed qui inculpabiliter omisit aliquod mortale, eius conscientiam non habet, cum remissum fuerit in priori absolutione, quæ tantæ efficaciæ fuit, & est, vt se extendat ad quæcumque mortalia etiam inculpabiliter omissa, ergo reseruationi non tenetur. Tum quia licet pœnitens illud peccatum omissum teneatur confiteri, id tamen non euenit, quia non fuerit remissum, sicut alia expressa, sed omissum ideo repetit, vt perficiatur, & compleatur Sacramentum, & directam absolutionem pœnitens consequatur; ergo cum sit idem Sacramentum, quod prius, quod non subiiciebatur iudicio reseruationis, ita complementum. Confirmatur, quia sicut qui recordatur peccati inculpabiliter obliti non impeditur à sumptione Eucharistiæ, habens animum postea repetēdi illud in futura Confessione, ex opinione multorum *Apud Henr. & Reginald. quos refert, sed non sequitur Bonac. q.6. de Euchar.p.1.n.17.* Id negans præcisa rationabili causa: ita nec impeditur quin possit absolui.

49 Quando igitur omissio est culpabilis ligatur reseruatione, Tum quia illa prior Confessio nulla fuerit, nullum quoque producit effectum. Tum quia dolus, & malitia nulli prodesse debet, ex vulgaris iuribus. Tum quia in secunda Confessione habet adhuc totam conscientiam illius peccati ex nulla parte remissi.

Quæres 26. An si quis incipiat Confessionem ante promulgationem reseruationis, & postea illam continentem aliqua peccata ex reseruatis perficiat post factā reseruationem, ligetur reseruatione, ita vt non possit absolui à simplici confessario, qui incæpit eius peccata audire?

50 Respond. Non ligatur, ac proinde absolui potest ab eo Confessario, cui ea prædixerat; Probatur, Tum quia reseruatio intelligitur de peccatis nondum Confessioni subiectis; hæc autem, legitimè subiecta sunt Confessioni, ergo non sunt subiecta reseruationi. Tum quia in capit. Proposuisti, de foro compet. decernitur, quod Iudex potest prosequi incæptam causam eius, qui postea factus est alterius fori, ergo pari ratione Confessarius, qui est iudex in foro animæ sessione 14. *capitulo sexto, & can.9.* Potest prosequi causam incæptæ Confessionis absoluendo pœnitentem, licet quo ad reseruata sit factus alterius fori, quia id intelligitur de peccatis committendis post terminationem illius causæ iam cœptæ. Tum quia sicut dies cœpta habetur pro completa in fauorabilibus, *ex l. Qua ætate, de testament.* Ita & incæpta Confessio habetur pro completa vsque ad absolutionem inclusiue, ac si esset perfecta ante promulgationem. Tum quia coram eo iudice causa definienda est, coram quo eius cognitio cœpta est *l. penult.ff. de iurisdictione. omn.iud.l Si quis postea ff.de iudic.* quia vbi cœptum fuit iudicium, ibi finiri debet l. *Vbi cœptum ff.de iudic.* Sed Confessio cœpta fuit coram simplici Confessario, ergo ab eo finienda est. Demum continentia causæ diuidi non potest, *ex l. Nulli. C. de iud.* Ergo absolutio, quæ simul cum Confessione continetur sub hoc Sacramento Pœnitentiæ, imò est ipsum formale Sacramenti, diuidi non potest, consequenter hoc signum est, talem pœnitentem non ligari reseruatione illorum peccatorum.

Quæres 27. An reseruatio liget ignorantes hoc, vel illud peccatum esse reseruatum? Procedere autem potest quæstio dupliciter, vel enim ignorantia refertur ad ipsam reseruationem, vt videtur insinuare directè proposita quæstio; vel ad ipsam malitiam peccati. In vtroque sensu difficultatem discutiam?

51 Respond. Nulla ignorantia immediatè excusat à reseruatione, sed tantum mediatè, & consequenter, quatenus excusat à peccato, & censuris, quibus coniuncta est reseruatio. Nonnulla autem præmittam, ex quibus probatur responsio.

52 Ignorantia, quæ est carentia sciendorum, quantum facit ad rem nostram, diuiditur in ignorantiam Iuris, qua nescitur ius, exempli gratia, ignoro legem prohibentem percussionem Clerici. Facti, qua nescitur aliquod factum esse peccatum, e.g. ignoro talem percussionem esse peccatum sacrilegij, quia nescio percussum esse Clericum. Et pœnæ, qua ignoratur pœna imposita transgressoribus; vt si quis sciat percussionem Clerici esse prohibitam lege, ignoret tamen inflictam esse excommunicationem contra percussores Clericorum. Hæ tres species ignorantiæ quandoque simul reperiuntur in eodem, interdum vna potest esse sine alia. Quælibet autem istarum diuiditur in Ignorantiam Inuincibilem, & Vincibilem, quæ subdiuiditur in affectatam, Crassam, Tenuem, & Comitantem; singulæ sunt exponendæ breuiter.

53 Inuincibilis ignorantia est illa, qua quis nescit ea, quæ scire non tenetur, aut si tenetur, nulla præcessit in eo aduertentia, cogitatio, aut dubitatio, & si aliqua præcessit, adhibuit ignorans sufficientem diligentiam, & non potuit scire veritatem, neque dubium vincere. Vocatur autem, variis nominibus. I. Inculpabilis, quia caret omni culpa. II. Inuincibilis, quia diligentia vinci non potest. III. Probabilis, quia probatur esse sine peccato. IV. Iusta, quia iustum est illa laborantem

non

non peccare agentem contra legem. V. Antecedens vocatur, non solum quia est ante actum, sed etiam, quia præcedit consensum in actum factum contra legem, vnde Antecedens ignorantia dicitur illa, quæ si non adesset, actus malus non fieret.

54 Circa hanc igoorantiam obiter quæri possunt quinque. I. An excuset à peccato operantem cum illa? II. Qualis diligeotia adhibenda sit ad vincendum illam, vt peccatum ex ea non imputetur? III. An hæc ignorantia dari possit respectu cuiuscumque legis? IV. An ignorantia inuincibilis pœnæ excuset à peccato legis continentis pœnam ignoratam? V. An hæc ignorantia excuset à pœna quacumque? VI. Demum An à pœna reseruationis?

55 Primò, Ignorantia inculpabilis excusat à peccato, quia cum actus procedens ab hac ignorantia sit inuoluntariè factus, non potest imputari ad peccatum, quod ad suam essentiam requiritur rationem voluntarij, quod cum Ignorantia hac stare non potest, eo quod voluntas non dicatur ferri in incognitum, & peccatum non sit nisi volontarium procedit à voluntate directa ab intellectu in suis operationibus. Obserua autem, quo hæc igoorantia excusat à peccato respectu illius actionis circa quam versatur, non verò circa alias, quæ sunt notæ agendi, constat enim actum eundem bumanum posse habere coniunctas simul plures malitias, quarum aliquæ possunt iouincibiliter ignorari, aliæ solum vincibiliter, & culpabiliter nesciri aliæ possunt esse notæ operanti; vt, si quis sciat, percussionem esse peccaminosam, ignoret verò percussum esse Clericum, quia habitum non habet, percutienti imputatur simplex percussio, & læsio, non verò sacrilegium. Item quis scit furtum externum esse peccatum, illius verò desiderium esse peccatum potest inuincibiliter ignorare, sicut & imperare illud. *Ita Sanch. lib.1.c.16.nu.10.Bonac.q.8. de peccatis p.3.nu.* 24.

56 Secundò, quanta diligentia adhibenda sit in excludendo ignorantiam, vt si adhuc remaneat non imputetur peccatum ex ea sequens, certa regula dari nō potest, sed relinquitur arbitrio prudentis, habita ratione earum circumstantiarum, quæ hic, & nunc pertinet ad factum ignorantiæ, nempe personæ, Officij, status, temporis, loci, &c. Veritas autem debet inquiri ab illis, quibus ex Officio incumbit vt à Parocho, quinam sint dies festi, ieiunij, &c. vel ab illis, qui capaces sunt, & docti circa illud, de quo ignorantia habetur. Adhibita sufficienti diligentia, si adhuc perseuerat ignorantia non amplius vocatur culpabilis, sed inculpabilis, & inuincibilis, eo quod non potuit vinci adhibitis sufficientibus remedijs ad inuestigandum veritatem. Ita autem diligentia semper supponit præuisionem aliquam de re, de qua dubitatur, facienda sit nec ne, aliter opposita negligentia non imputaror, quia impossibile est, quod quis dicatur negligens circa ea, de quibus nullam præhabuit cognitionem, aut dubitationem, facienda sint necne.

7 Tertiò, Ignorantia inuincibilis dari potest respectu cuiuscumque legis siue naturalis, siue diuinæ, siue humanæ, quia accidere potest, vt quis nunquam cogitauerit de aliqua lege, & si cogitauit potuit adhibuisse requisitam diligentiam, adhuc tamen maneat ignarus, sed hæc ignorantia iouincibilis est, ex probatis, §. Inuincibilis. Constat in aliquibus mysteriis fidei ignoraris à rusticis, immo & à ciuibus sine peccato. Quidam inculpabiliter ignorant meodacium esse peccatum, dictum pro liberando aliquem à malo, aut ad inpediendum aliquod malum. Aliqui actus luxuriosi inter coniuges ignorantur probabiliter peccaminosi, &c. *Vide Cordubam lib. 2. quæst. 4. Sanch.lib.1.c.16.num.33.Sair. l.2.cap.9.nu.17.Bonac.q.8. de Peccat. p. 3.* contra Megalium *lib.1.c.2.nu.22. & lib.5.c.7.num.* 4.cum aliis asserentem circa decem, præcepta decalogi non cadere hanc ignorantiam.

58 Quartò, Ignorantia inuincibilis pœnæ non excusat à peccato transgressioois legis continentis pœnam ignoratam, quia ignorantia pœnæ non tollit voluntarium respectu legis, nisi & ipsa inuincibiliter ignoretur; & in hoc nulla difficultas. *Sanch. lib. 1. cap. 16. num.* 15.

Quintò ignorantia tam iuris, quàm facti probabilis, immo & qualitatis facti, atque etiam pœnæ prouenientis ex delicto, excusant transgressorem ab incursione pœnarum prouenientium ex delicto, & aliæ pœnæ. Probatur, Tum *ex capit.* 2. *de constit. in* 6.illis verbis. *Vt animarum periculis obuietur; sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Tum quia pœna debet proportionari culpæ, *c. Felicis, de pœnis in 6.* ergo sicut delictum est leuius factum contra legem ignoratam, quam scitam, ita leuior debet esse pœna, ac proinde alia à lege statuta, & sic ab ea ignorans excusatur. Tum quia in censuris hoc maxime constat, quia illæ non incurruntur nisi propter peccatum mortale, ergo ignorantia hæc probabilis cum excuset à peccato, excusabit etiam ab ipsa pœna censuræ. Dicta procedunt in omnibus censuris, & etiam irregularitate prouenire ex delicto, in his enim omnibus consequens est, vt sicut ignorantia probabilis excusat à peccato, eximat etiam à pœna, quæ ex tali peccato, & delicto incurrenda esset. Ita multis citatis *docet Sanch.lib.9.disput.32.nu.29.Bonac.q.1.de censur.p.1. propos.1.2.& 3.* 59

Dixi, *Immo, & qualitas facti*, vt quando probabiliter quis ignorat actui malo esse adiunctam aliam malitiam, ratione cuius inducitur censura, vt si quis percutiat Clericum putatum Secularem, eo quod vestem non portabat Clericalem, is siquidem excusatur ab excommunicatione, quia ignorauit qualitatem nempe sacrilegium adiunctum percussioni, propter quod inducitur excommunicatio, sicut ergo percutienti non imputatur sacrilegium, sed sola læsio, ita neque imputanda est censura à sacrilegio peodens, & habetur *capit. Si verò 4. de senteut. excommun.* Confirmatur id totum, quia factum malum perpetranti non imputatur secundum omnes malitias, quas habere potest, sed tantum secundum illas, quæ cognitæ sunt malè agenti, vnde rem habens cum consanguinea, quam talem non agnouit, sed putabat esse extraneam, non dicitur committere incestum sed fornicationem aliam.

Sexto demum, Ignorantia probabilis respectu reseruationis, quæ dicitur ignorantia iuris reseruantis probabilis non admittitur, hoc est, ille qui peccauit, ac proinde incidit in casum reseruatum, non excusatur ab incursione casus reseruati, licet ignoret tale peccatum reseruari à Superiore. Probatur, Tum quia sequeretur absurdum nullum subditum ligari reseruatione casuum, quia hanc probabiliter ignorant, cum teneantur solum Confessarij huiuscognitionem habere. Tū quia sequeretur reseruationem non afficere pœnitentem quo ad peccata commissa ante promulgationem, nam habet inuincibilem, & excusabilem ignorantiam, futura enim contingentia inuincibiliter ignorantur, sed consequens est falsum ex probatis *quæstione* 22. Tum quia ad Confessarium tantum spectat habere cognitionem casuum, & non pœnitentem, cum illis solis Superior possit promulgare reseruationem. Igitur ignorantia reseruationis non excusat ab illa incurrenda. Demum ratio cur leges supponant sui cognitionem in subditis est, vt per eam possint cognoscere illius obligationem, & secundum illam viuendo obseruare; reseruationem verò obseruare possunt pœnitentes, licet eius cognitionem non habeant, hoc ipso, quod, vel absoluuntur ab habente potestatem super casus reseruatos; vel mittuntur ad Superiores; & ex hoc patet differentia, per quā ignorantia inuincibilis excuset à peccato §.Primo, & à reliquis pœnis præsertim spiritualibus ex delicto prouenientibus, ex §.Quinto, quia leges de peccatis, & censuris ad sui obseruationem supponunt 60

ponunt cognitionem, non autem reseruatio nisi ex parte Confessarij, ad quem spectat obseruatio reseruationis, & non pœnitentem, nisi dependenter à Confessario *Ita cum Floron. capit. 3. num. 14. docent Vgolin. de potest. Episc. capit. 39. cum. primo, §. Tertio, Homobon. part. 1. nap. 2. Afficit secundo, Molina tom. 1. de iustit. tractat. 2. disputat. 93. quem pro se citat. Sanc. libro nono, disput. 32. num.* 18. asserunt, quod quando in noua constitutione reseruatur absolutio alicuius peccati in odium peccantis, vt fecit Sixtus V. contra male promotos ad ordines, ignorantem constitutionem non incurrere reseruationem, licet non ignoret suum peccatum, vnde isti duo tenent ignorantes non affici reseruatione lege præcepta vtique verò illa, quæ fit in bonum commune fidelium, vt à peccatis retrahantur. Sed dic tu, vt supra, reseruationem immediatè semper afficere Confessarium, non pœnitentem, cui non est necessaria cognitio reseruationis, ac proinde cum sit quid extraneum, ignorantia hîc locum habere non potest sicut nec cognitio.

61 Quando autem ignorantia inuincibilis excusat factum à toto peccato, vel ab aliqua eius malitia iuxta exempla adducta supra §. Dixi, in eo casu consequenter excusat etiam à reseruatione, quia reseruatio præcisè, & in terminis cadit super peccatum mortale, quod cum subditus non contraxerit sub ea ratione malitiæ specialis, sub qua in terminis casus reseruatur, ignorantia inuincibili suffragante, nulla ratio suadet, illum ligari reseruatione peccati mortalis, cum peccatum mortale non commiserit, sine quo reseruatio subsistere non potest. Vnde benè dixit Graff. pt. *libro 2. capitulo 40. numero* 28. Percutientem patrem de nocte ignoranter, non incidere in casum reseruatum, quia probabiliter ignorauit malitiam peccati in patrem, quem putabat alterum. Item qui ignoranter commisit incestum non incidit, licet non ignorauerit fornicationem, vel adulterium, *ex Sanche libro 7. disputatione 15. & libro nono, disputatione 32. numero 44. Homobon. part. 2. capitulo quarto, sectio. prima, §. 4. docet Floron. casu 6. numero 31. §. Octauo.* Item ignorans pœnitus quædam verba sonare in blasphemiam non incidit, Graff. pr. *libro 1. capit. 10. numero 49. quem cum D. Anton. part. 3. tit. 17. capit. 16. sequitur Floron. casu 3. numero 8. §. Quod maximè*, incurrit verò modo sciat sonare in blasphemiam, licet nesciat distinguere inter hæreticalem, & simplicem, ex eisdem cum Lazar. *q. 7. num. 60. Belloch. part. 2. q. 1. num.* 255.

62 Culpabilis ignorantia est illa, qua quis præuidendo id, quod scire tenetur ex negligentia non addiscit. Habet igitur semper adiunctam negligentiam, ratione cuius dicitur inducere peccatum: Variis nominibus vocatum. I. culpabilis, quia culpam includit. II. vincibilis, quia studio, & diligentia vinci potest. III. improbabilis, quia reprobatur, eo quod peccatum inducat. IV. iniusta, quia causat peccatum, quod iniustitia, & iniquitas est. V. demum consequens, quia ex ea sequitur peccatum.

Diuiditur hæc ignorantiæ species in quatuor in Affectatam, Crassam, Tenuem, & Comitantem.

63 Affectata est illa, qua quis ex industria, & studiose non vult addiscere, vt liberius peccet; iuxta illud. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Et hæc inducit peccatum graue, & ex malitia dictum, atque ex temeritate cum voluntarium augeat, vnde neque à censuris excusat, vt multis citatis docet Sanch. *l. 9. disput. 32. n. 40. Bonac. q. 2. de cens. p. 1. n. 10. §. Addo.*

64 Crassa est illa, quæ procedit ex maxima, aut magna negligentia, & temeritate sciendi necessaria. Vel est illa, qua quis ignorat publica, manifesta, & ea quæ omnes fere eiusdem professionis sciunt. *Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 18. n. 55.* Dicitur autem crassa, quia crassi negligentes multum sunt in suis operibus, Supina, quia homines ita dispositi censentur otiosi, ex eodem *Megal par. 3. lib. 2. c. 4. n. 3. Vide Sanch. lib 1. c. 17. n. 7. Bonac. q. 2. de cens. p. 1. n. 4.* Hæc autem non excusat à peccato, neque ab incurrendis pœnis censurarum, vt colligitur *ex cap. 2. de const. in 6.* & aliis citatis docet *Bonac. cit. n.* 10. Limita id, nam quando ad incurrendam censuram lex præscribit scientiam, ausum, aut temeritatem, non sufficit quæcumque ignorantia crassa, & supina, sed requiritur magna negligentia, quæ coniuncta sit cum temeritate, & dolo, quia agere scienter contra legem denotat transgressionem cum temeritate, & dolo, nam in iure facere scienter, & dolose æquiparantur per ea quæ docet Sanch. *l. 9. disp. 32. nu. 36. 37. 38. & 39.* in quibus locis huius est opinionis, vnde dari potest ignorantia crassa ex negligentia mediocri, quæ sit peccatum mortale, & tamen excuset à censuris; vnde ad propositum nostrum consequenter excusabit etiam à reseruatione illis adnexa, quia si non incidit in censuram, multo minus in reseruationem illi accessoriam, non enim datur reseruatio censuræ, nisi prius quis inciderit in censuram.

Tenuis ignorantia est illa, quæ procedit ex leui ignorantia addiscendi necessaria. Crassa, ergo, & Tenuis per hoc differunt, quod illa coniungitur cum tali negligentia, quæ est peccatum mortale, & si nullam habet adiunctam rationem diligentiæ censetur dolosa, & temeraria non excusans à censuris, vtique verò, si admixtum habeat aliquid diligentiæ, ratione cuius excludit dolum, & temeritatem. Tenuis autem coniungitur cum leui negligentia, habens plus de diligentia, & quod ignorans laborauit magis in diligentia, & quod ignorans laborauit magis in diligentia, licet non sufficienter. Hæc autem excusat, in his terminis accepta, à peccato mortali, non tamen à veniali, quod sicut non est materia reseruationis, ita consequens est dicere hanc ignorantiam excusare à reseruatione, quæ non accedit nisi peccato mortali. 65

Comitans ignorantia est illa, quæ si non adesset, actus tamen malus adhuc fieret, e.g. Petrus ita male affectus est erga suum inimicum, vt si sciret, ipsum esse in illo loco obscuro, vbi videt feram, illum occideret, sicut vult occidere feram: in hoc casu Petrus dicitur habere ignorãtiam comitantem hunc actum occisionis, quia si non adesset ignorantia, actus ille externus adhuc fieret ab illo. Hæc ignorantia media inter culpabilem, & inculpabilem, nam cum inculpabili hoc participat, quod excusat à peccato externo, quia quantum est ex se nullam malitiam tribuit actui externo, qui pœnitus est inuoluntarius ratione huius ignorantiæ; cum culpabili verò, quia hæc semper est coniuncta cum actu peccaminoso ratione mali affectus ad peccandum. Sanch. *lib. 1. c. 16. n. 13. Azor. part. 1. l. 1. c. 14. q. 4.* Hæc igitur ignorantia comitans excusat actum externum à malitia ignorata; quia censetur inuincibilis, ad quod tamen duo requiruntur, vnum, debita diligentia, ne offendatur proximus, alterum est, quod in actu exercitij desit actualis animus occidendi verbi gratia inimicum, si esset, in loco feræ. Et sicut excusat à peccato externo, ita & à censura, si qua lata sit contra committentem tale peccatum, ac proinde etiam à reseruatione adnexa censuræ, ex eodem Sanche cit. cum Suar. Vasq. Molina, Filliuc. quos pro se citat Bonac. *q. 2. de cens. punct. 1. propos. 4.* 66

Responsio itaque ad quæsitum est, nullam, ignorantiam siue iuris inuincibilem, aut vincibilem, aut comitantem immediatè, & directe excusare ab incursione reseruationis, sed solum mediatè, & consequenter, in quantum ipsamet ignorantia excusat à peccato, aut à censuris habentibus adnexam reseruationem, eo quod reseruatio vti accessorium sequitur conditionem sui principalis, sine quo subsistere non potest, ergo peccato, seu censura non existentibus, neque etiam subinde reseruatio existere potest. 67

Quæres 28. An putans actum esse peccaminosum solum venialiter, quem non fecisset, si cognouisset esse mortalem, vt reuera est, excusetur à reseruatione?

Respond.

68 Respond. Ligatur reseruatione, quia non obstante ea cognitione, seu potius errore sic putans peccauit mortaliter, nam ad hoc incurrendum sufficit plene aduertere ad malitiam in genere, vt docent multi *cum Vasq. 1. 2. disputat. 117. num. 64. & Bonac in quæst. 2. de peccatis punct. 3. num. 14.* Neque enim excusat a peccato mortali illud putare, quod actus sit peccaminosus solum venialiter, quia hæc ignorantia, seu potius error illi non suffragatur, *vt docet Faber. disputat. 6. de Pœnit. num. 32.* aliter multi excusarentur à peccato mortali, si se fundarent in hac credulitate, quæ nulla nititur ratione. Neque excusat ille affectus negatiuus, cum sit inefficax, & habeat oppositum effectum. Oppositum sentit *Floron. cap. 3. num. 35. vbi pro se citat Graff. lib. 1. cap. 13. n. 71. sed ibi nihil, Henr. lib. 3. de pœnit. cap. 14. num. 6. Possen. cap. 7. num. 49. §. Si veniat habens, & dicit esse communem sententiam, qui citat Silu. ver. Casus reseru. q. 5.* sed ibi nil tale dicit spectans præcise ad hunc casum in terminis.

Quæres 29. An erronee putans se blasphemare, vt credunt rustici, & alij idiotæ, dum proferunt quædam verba sonantia maledictionem, seu iniuriam in hominem, seu iurant, dicendo; sis maledictus; possim mori; ad corpus, ad sanguinem, per Deú verum, &c. incidat casum blasphemiæ?

69 Respond. Non ligatur sic perperam loquens, Tum quia verba accipienda sunt secundum propriam significationem, ex vulgatis iuribus, maxime in odiosis; sed propria eorum significatio non sonat in blasphemiam, ergo neque ex his incurritur reseruatio. Tum quia reseruatio non extenditur ad casum fictum cum in foro conscientiæ attendatur veritas, & non fictio, quæ cessat, vbi veritas locum habere debet *l. Nec ei, §. Primum ff. de adopt.* & in terminis, quod non reseruetur casus fictus, *docent Graff. pr. lib. 3. cap. 3. num. 20. & ex eo Belloch. part. 2. quæst. 6. num. 103.* sed huiusmodi locutiones sunt fictæ, & non verè blasphemiæ, vt docent omnes. Tum quia Confessarij periti huiusmodi verba non iudicant blasphemias in huiusmodi personis, idiotis.

Dices, Qui facit aliquid conscientiam erroneam incidit in peccatum illius speciei, quam conscientia iudicat, vt docent *cum Bon. q. 4. de peccat. p. 6. num. 18.* sed conscientia erronea in casu nostro dictat præfata verba significare blasphemiam, ergo sic male loquens incidit in casum blasphemiæ.

Resp. quod conscientia erronea spectari potest dupliciter. Primo prout habet pro obiecto aliquid apprehensum sub ratione boni, quod tamen malum est vel sub ratione mali, quod tamen bonum est, vel indifferens, & hoc modo accipitur nomen conscientiæ in maiori apud Doct. *cum Fabr. disp. 6. de pœnit. nu. 28. Becano q. 7. de bonit. actuum inter. Bonac. cit.* sub qua ratione non accipitur in minori, sed Secundo hoc modo prout habet pro obiecto aliquod malum apprehensum sub vna specie, sub qua verè non est qua ratione conscientia non causat peccatum illius speciei, quæ falso apprehenditur, sed peccatum vere est illius speciei, sub qua ex parte rei est, abstrahendo ab errore conscientiæ.

Quæres 30. An obliuio, inconsideratio, & inaduertentia eximant à reseruatione?

70 Respond. Non excusant directè, & immediatè, pro qua re faciunt dicta *q. 15.* de ignorantia non excusante, nisi consequenter, & mediante excusatione à peccato, quod pari ratione dicendum est hic, si huiusmodi inaduertentia, seu obliuio excusat à peccato, excusat etiam à reseruatione, quæ solum peccatum, vel adnexam censuram incurritur. Inaduertentia autem excusat à peccato, modò excludat negligentiam, quia aufert voluntarium, sine quo peccatum non potest recipere suum esse; tale autem erit peccatum, nempe, mortale, vel veniale, qualis ex hoc capite erit negligentia iuxta dicta superius de ignorantia culpabili *q. 15. §. Culpabilis.*

Quæres 31. An aliorum inaduertentia possit excusare à casu reseruato alterum peccatum e. g. casus est talis. *Blasphemans coram pluribus. Occidens publice.* An si circumstantes non aduertant, incidat male agens?

Respond. Non incidit, quia vt aliquis dicatur esse coram seu præsens, seu vt aliquid dicatur factum publice, seu coram, necesse est quod fiat coram pluribus videntibus, aut sentientibus, seu aduertentibus ad id quod fit. *ex l. Coram ff. de verb. signif. Glos. in cap. 7. 2. q. 1. & in cap. 14. 3. q. 9.* Sed circumstantes in casu nostro sciunt, nec intelligunt id, quod fit, hoc ipso quod aduertunt, ergo idem est, ac si non essent præsentes, sicut reuera non sunt formaliter, sed tantum materialiter, & situ corporis non situ animæ, consequenter verba reseruationis verificari non possunt. *Ita docet Graff. pr. l. 1. c. 10. de Blasphem. n. 64.* 71

Quæres 32. Quæ causæ excuset ab incurrenda reseruatione?

Respond. Omnes illæ, quæ excusant ab incurrendis peccatis, vel censuris, quibus adnexa est reseruatio, & ratio est, quia nemo ligatur reseruatione casuum, aut censuratum, nisi prius incidat in peccatum mortale, aut censuram, quibus connectitur reseruatio ad illa consequens. Ad cuius cognitionem præmittenda sunt nonnulla circa causas excusantes à peccatis, vt sciatur, quando quis ligatur reseruatione, aut ab ea sit exemptus. 72

Notandum. 1. Quod Peccatum actuale, præscindendo ab originali, dictum etiam personale, est transgressio voluntaria legis obligantis ad sui obseruationem sub culpa. *Colligitur ex S. Ambrosio lib. 1. de Parad. cap. 8. & D. Aug. lib. 2. de consensu Euang. apud Becan. cap. 1. de natura peccati actualis.* Ad peccatum igitur duo requiruntur, transgressio legis, & quod hæc sit voluntaria. Dixi I. *Actuale*, non solum ad differentiam habitualis, quod vt effectus sequitur ex transgressione, vt macula, deformitas, & turpitudo remanens in homine peccatore post factam trasgressionem; sed etiam, quia peccare consistit in commissione, seu omissione debiti ex lege, non autem in habituali dispositione, seu inclinatione ad malè agendum, vel debitum bonum omittendum, vnde ista inclinatio peccatum non est, sed causa peccati, nisi habeat adiunctum actualem affectum ad malum, quia tunc est actuale peccatum circa futurum malum. Dixi. II. *Transgressio*, quo venit non solum actus positiuus ad male agendum contra præceptum negatiuum, seu prohibitiuum, ratione cuius transgressio vocatur Commissio, verum etiam actus negatiuus, seu priuatiuus desistendo ab obseruatione præcepti contra legem affirmatiuam, & præceptiuam, ratione cuius transgressio dicitur Omissio. Dixi. III. *Legis*, quo nomine venit quæuis lex, siue naturalis siue Diuina, siue humana, modo hæc obliget immediatè ad sui obseruationem sub culpa, nam aliquæ sunt leges, seu constitutiones, seu potius ordinationes, quæ non obligant ad sui obseruationem sub culpa, ita quod earum transgressores neque venialem culpam contrahunt, vt expressis verbis de constitutionibus contentis in nostris Regulis Nicol. IV. Leonis X. cap. fin. & ex proœmio nostrorum statutorum, dicitur & hoc patet etiam in quibusdam aliis legibus pœnalibus exprimentibus pœnam corporalem, vel temporalem infligendam in transgressores, ex probabili opinione *Nau. cap. 23. num. 55. & aliorum apud Bonac. p. 7. de peccatis §. 12. num. 3.* contra communiorem opinionem, quæ licet sit tutissima, tamen prior fundatur in solidis rationibus, & sanet animæ, sufficit enim si corpus, vel marsupium corripiantur. Ex his apparet, cur in mea definitione addiderim illa verba, *Legis obligantis ad sui obseruationem sub culpa.* Dixi. IV. *Voluntaria*, necesse enim est, quod transgressio sit voluntaria, aliter non est peccatum, nam peccatum ad sui factionem requirit hominis liberam voluntatem, secundum omnes Doctores secutos *D. August. cap. cap. 4. de vera confess. relatum in q. 3. causa 25.* 73

Voluntarium

74 Voluntarium autem requisitum ad constituendum in esse peccatum actuale, est quicquid liberè, & aduertenter fit ab homine, per voluntatem ab intellectu male directam contra legem, siue ab ea sit solum elicitum scienter, vt odium, turpe desiderium, &c. siue ab illi imperatum eliciendum ab aliis potentiis, vt hæresis ab intellectu, mendacium à lingua, homicidium à manibus, luxuria a genitalibus. Est autem præterea hoc Voluntarium in peccato duplex, Directum, quod quis ex industria intendit, approbat, & vult: siue indirectum, quod præuisum sequitur ex intento per se: vt, inebriatio præcisa ex intemperata potatione vini, tamquam voluntarium indirectum à voluntario directo. Indirectum autem sequi potest ad aliud voluntarium dupliciter. I. proximè, quando scilicet sequitur ex causa ordinata ex sua conditione, & per se ad illius productionem; vt, inebriatio ex vino intemperanter hausto, sicut fatigatio ex cursu. II. remotè, & occasionaliter, quando sc. sequitur à causa ex sua natura non ordinata ad illius productionem, sed occasionaliter, & per accidens se habente ad illud; vt occisio innocentis facta ab inuaso à suo inimico, à quo alio medio mortem sibi instantem fugere non potest, & in naturalibus madefactio ex itinere, pluuia superueniente dicitur voluntaria indirecte hoc secundo modo, nam iter non est causa ordinata ex se ad madefactionem, sed solùm incidenter, & remotè, In moralibus *Megal. t. 2. lib. 3. cap. 1. nu. 14. §. Dices*, declarat adductum exemplum, loquit, Si inimicus æquo à me fugiendus esset, ne ab illo occidar, & puer mihi occurret in angusta via, vel ponte, vel præcipitio, & paululum diuerterem, vel calcaria æquo applicarem credens probabiliter saltu, vel diuersione, meam, & pueri vitam saluandam fore, tunc non sum reus homicidij, etiam morte pueri secuta, quia saltus, aut diuersio illa non ordinantur nisi remotè ad illius homicidium. Vide ipsum ibi, *& lib. 2. cap. 17. num. 107. & cap. 18. num 56. & cap. 31. num. 16.* bene de hac re discurrentem, *cum Caiet. 2. 2. q. 150. art. 1. & 4* Itaque voluntarium duplex directum, seu in se, indirectum, & in causa proxima nimirum, & per se ordinata ad effectum malum, in ordine ad peccatum, ad quod nihil prodest voluntarium in causa remota, hæc enim non multum consideratur in moralibus, *dicit Ioseph de Sesse Aragon. decis. 187. num.* 68. & causa mediata, quæ multum remota est proximæ non potest æquiparari. *l. Vxori ff. de auro, & arg. leg. Aretin. consil. 6. circa finem, & ex eis Barbosa Vaz in suis locis communibus lit. C, num.* 54. Causa ordinaria attenditur, non ea, quæ venit per accidens. *Si quis nec causam ff. si cert. pet. Rodriqu. tom. 1. quæst. 61. art. 4. §. Secundo.*

75 Aduertentia ad peccandum requisita ex connexione cum voluntario est vsus rationis, seu actualis recordatio, aut consideratio malitiæ annexæ actui, dum fit, vel omittitur, quia peccatum cum necessario debeat voluntariè procedere, ex dictis, & voluntarium, secundum Philosophos cũ Aristotele sit id, quod est in cognoscente singula, in quibus est actio, fieri debet intellectu, & ratione aduertente, sine qua voluntas dicitur cæca, ac proinde non peccare. Requiritur ergo ad peccandum aduertentia ad malum quod fit, præuidendo malitiam, periculum, aut aliquam dubitationem, vel suspicio peccati, vt docent communiter *cum Sanchez libro 1. cap. 2. à numero 8. & capit. 16. numero 21. vbi citat alios plerosque cum Bonac. q. 2. de peccatis p. 3. num.* 12. contra multos alios asserentes sufficere, quod potuerit, vel debuerit malitiam aduertere, *Becan. cap. 14. de fide quæst. 2. num. 7.* excipiendo peccatum hæresis, cui præsupponit aduertentia, cum hæresis coniuncta sit cum pertinacia. Quando autem actus potest habere plures malitias, non imputantur nisi illæ, ad quas intellectus habuit aduertentiam, vnde comedens aduertendo se intemperanter edere, non autem esse præceptum ieiunij, reus est intemperantiæ, non fractionis ieiunij, quia cum peccatum sit voluntarium, & hoc dicatur esse in cognoscente singula, in quibus est actio, nec. sic est, quod comedens in sua actione comestionis non solum cognoscat intemperantiam, sed etiam comestionem esse contra præceptum ieiunij, vt peccet contra legem ieiunij. Dicta locum habent non solum in lege humana, sed etiam diuina, & naturali, non semper tamen, sed quandoque & maxime, quando circumstantia mala per accidens coniungitur actui bono, siue malo, vt celebrationi, ministrationi Sacramentorum existentis in peccato mortali, &c. in his enim, & similibus ad peccatum requiritur aduertentia, vt videtur insinuare *Megal. part. 1. lib. 1. cap. 4. num. 2.* Quando verò circumstantia necessariò connectitur cum actu, sine qua actus exire non potest, tunc licet desit aduertentia, adhuc imputatur peccatum, vt id patet in Religioso luxuriante, cui non aduertenti ad votum imputatur sacrilegium. Duplex autem est aduertentia, plena, seu perfecta, qua quis mente, & sensibus parum, aut nihil distractus, & perturbatus expresse considerat aliquam malitiam in actu, aut dubitat de illa; & hæc necessaria est ad constituendum peccatum mortale, sicut enim ex hoc sequitur grauissima pœna priuatio æternum visionis Dei, & deputatio ad æternos cruciatus, quibus maior dari non potest, necesse quoque est, vt ad illud incurrendum non sufficiat quodcumque voluntarium, sed tale voluntarium, quod sit cum plena aduertentia ex parte rationis, & perfecto consensu ex parte voluntatis in peccatum, non quatenus mortale, sed quatenus peccatum, seu quatenus homo sciat se malè agere contra legem. Altera verò aduertentia dicitur semiplena, seu imperfecta. qua quis mente, vel sensibus ita distractus, & perturbatus est, vt ad malitiam, vel eius periculum leuiter, aut parum aduertat, quod contingit in semiebriis, semidormientibus, semifatuis, pueris iuxta decennium, multum iratis, &c. & ex hac imperfecta aduertentia sequitur solum veniale peccatum, quod sicut non priuat gratia Dei, neque damnat ad gehennam, ita rationabile est, vt sequatur ex quouis voluntario quamuis imperfecto.

Consensus ad peccandum præterea requiritur, cum aliquid esse voluntariè factum, & in illud consensum 76
præstari, sit idem, est autem in peccatum consensus actus voluntatis libere approbantis, & volentis aliquid contra legem ab intellectu sibi propositum. Triplex est, vnus directus, quo quis immediatè, & ex industria approbat aliquid. Secundus indirectus, quo quis facit, vel omittit aliquid præuidendo inde secuturum esse aliquod malum; vt, consentiens directè in potationem intemperatam vini, consentit etiam, indirecte tamen, inebriationem præuisam ex tali potatione prouenientem, Tertius negatiuus, quo quis neque assentit, neque dissentit actui turpi, sed ab eo abstrahit. Quilibet prædictorum consensuum subdiuiditur in perfectum, dictum formalem, seu plenum, aut expressum, & in semiplenum, seu imperfectum, Perfectus procedit. I. ex plena aduertentia. II. ex graui negligentia. III. ex actuali affectu ad peccatum, vt si haberet commoditatem, peccaret. IV. ex assensu vt plurimum in prauas cogitationes. Imperfectus cognoscitur I. ex semiplena aduertentia. II. ex leui negligentia. III. ex bona dispositione non peccãdi, occasione etiam oblata. IV. ex victoria tentationis, vt plurimum, & in his præstitus consensus censetur semiplenus necessarius ad peccatum veniale, sicut ille ad mortale.

Libertas demum necessaria est ad peccatum, hoc
ipso, quod voluntarium dicitur debere esse peccatum, 77
in quod homo suo consensu prolabitur, Consistit autem libertas in eo, quod in potestate sit hominis facere, vel nõ facere contra legem, vt bene docet Toletus *lib. 3. cap. 1. in fine.*

Definitio peccati hactenus exposita communis est
omni peccato, tam mortali, quàm veniali actualibus, 78
quia etiam veniale est contra legem, *Nau. prælud. 7. numero. 11. Dur. in 2. dist. 34. q. 6. quos sequitur Becan. q. 7. de*

de peccato mort. Faber. disp.3. de Pœnit. cap.3. defendens Scotum contra quosdam dicentes, veniale non esse contra legem in via Scoti, sed patet etiam veniale esse contra legem, cum illius sit transgressio, & prohibeatur à Deo omne peccatum.

79 Deducitur ex hactenus traditis in ratione voluntarij ad peccandum quatuor conditiones requiri, duas ex parte voluntatis, consensum nempe, & libertatem; ex parte intellectus aduertentiam, quartam ex parte obiecti, seu legis contra quam fit, nimirum trangressio legis, cui homo peccans sit subiectus, seu vt vno verbo dicam, ad peccandum requiruntur Consensus, Libertas, Aduertentia, & Subiectio, quæ conditiones iam explicatæ sunt in præcedentibus.

80 Notandum.2. Quod in responsione quæstionis dixi subditum non ligari reseruatione, sed excusari in omnibus causis, in quibus quis excusatur ab incursione peccati mortalis, aut censuræ habentium adnexam reseruationem; ordo Doctrinæ expostulauit, vt nonnulla præmitteremus spectantia ad cognitionem peccati, quantum fuit ad institutum nostrum, ex cuius postea consideratione possemus deducere causas excusantes à peccatis, de quibus sequentia breuiter dicenda sunt.

81 Causæ excusantes ab incurrendo peccata reduci possunt ad carentiam prædictorum quatuor siue ex parte, siue simul, malum enim ex singulis defectibus, consequenter reducētur ad quatuor capita, I. ad carentiā consensus, seu ad dissensum. II. ad carentiam libertatis, sub qua sunt Impotentia, Vis, & Metus. III. ad carentiam aduertentiæ, sub qua sunt inaduertentia, & ignorantia. IV. ad carentiam subiectionis, sub qua est dispensatio, & exemptio à lege. Septem igitur sunt causæ excusatiuæ à peccatis. Dissensus voluntatis. Impotentia, Vis, Metus, Inaduertentia, Ignorantia, & dispensatio. De singulis aliquid disserendum est quantum nostrum patitur institutum, præsupponendo has omnes causas ideò excusare à peccato, quia aut tollunt omninò voluntarium, vt dissensus, impotentia, vis, metus grauis, inaduertentia, & ignorantia inuincibilis excludentes omnem negligentiam, aut illud multum minuunt, vi metus, ignorantia includentes cum inaduertentia aliquam negligentiam, aut demum eximunt à subiectione legis, vt dispensatio, data ergo exemptione, & inuoluntario certum est peccatum subsistere non posse, cum essentialiter includat voluntarij rationem.

82 Sicut voluntas per suum consensum liberè præstitum, intellectu dirigente, sed malè, transgrediendo legem peccatum facit, ex probatis subiectis primo Notabi ita è contra excusat à peccato, quoties excludit consensum à malitia actus humani, quod contingere potest dupliciter. I. per protestationem. II. per conditionem, ex quo oritur duplex dissensus voluntatis, nempe

83 protestatiuus, & conditionalis in ordine ad peccatum non faciendum. Voluntas protestatiua est illa, quæ protestando impedit, ne actus humanus exeat cum malitia, *vt putana, che non voglio*, &c. Vt autem hîc dissensus potestatiuus excludat peccatum, obseruandum est, quod actus humani, ad quos dirigi potest protestatio, sunt in duplici differentia: Alij enim sunt, cum quibus malitia coniungitur dependenter à nostra intentione, & in protestatio, seu intentio excusat à peccato, siue verbis exprimatur, vt in dicto exemplo, siue intentione ab actu humano malitia excludatur, vt accidit in scandalo speciali, quod sine expressa intentione accipit specialem malitiam. Ratio horum est quia ad constituendum peccatum requiritur consensus voluntatis, quo caret homo mediante protestatione. De primo exemplo *vide Graff. pr. lib.1. cap.10.n.12. Lazar. quest.3. de Blasphem. numero 31.* quod non sit peccatum, quia sic dicens protestatur se nolle blasphemare, & negatio proposita verbro propositionem efficit negatiuam, ex eisdem Doctoribus, & Sanchez *lib. 7. cap. 15. numero 36. Nau. consil.3. de sent. excomm. n.3.* Quare protestatio in iis, quæ pendent à voluntate nostra, contraria facto nō est in moralibus, sed est declaratio proprij animi nolēdi male agere, ac proinde dicitur releuare potestatem: necesse tamen est, quòd non habeat actualem affectum ab blasphemiam, quia sic non releuaretur per subsequentem protestationem à peccato, neque à reseruatione. De secundo vide *Bonac. p.1. de Iuram. numero.7.* cum aliis dicentem, verbo, *Iuro*, vtentem, non dici iurate, si habeat contrariam intentionem. Alij verò actus secundi generis, ad quos dirigi potest protestatio, sunt illi, cum quibus coniungitur malitia independenter à nostra intentione, posita etiam potestatione in contrarium, in quibus non excusat protestantem à peccato, quia malitia necessario coniungitur cum actu humano, qui sine illa exire non potest; vt, percussio, luxuria, &c. ab his enim actibus intentio nostra nullatenus excludere potest malitiam læsionis, & fornicationis; & in his tenet illud commune axioma. *Protestatio non releuat protestantem*, Quod pluribus adductis exposui in mea Topica morali *lit. P. num.460.*

Conditionalis voluntas est illa, per quam homo declarat voluntatem suam esse, quod faceret, vel omitteret tale quid, si peccatum non esset, si non offenderetur Deus, vel addendo similem conditionem excludentem peccatum, vt furarer, si peccatum non esset. Hæc voluntas excusat à peccato, ac proinde à reseruatione, quoties conditio in se continet honestatē, qua omne peccatum excludatur, quia cum huiusmodi actus dicantur inefficaces, & desiderij, seu velleitatis, qualitatem, quam habere possunt, accipiunt à fine, seu conditione, quæ cum honesta sit, vt constat ex dictis exemplis, consequens est, vt reddat actum voluntatis conditionalis bonum, & honestum, vel saltem non peccaminosum. *Suar. l.8.c.7. Valent.1.2.disp.6.q.4. Vasq.disp.26.c.2.Sa ver. Peccatum num.2.* 84

Impotentia, prout facit ad rem præsentem est illa, qua quis non potest legem adimplere. Diuiditur in Physicum, & Moralem. Illa est, qua quis detentus non potest physice audire Missam. Moralis est illa, qua quis non potest legem adimplere, nisi cum graui incommodo proprio, vel alieno; vt, si domo egrediar ad audiendam Missam, probabiliter occidar ab inimico, dicor moraliter impotens ad sacrum. Vtraque impotentia excusat à peccato, Tum quia impossibilium nulla est obligatio; Tum quia peccatum non erit nisi voluntariè, & liberè, sed impotentia aufert voluntarium, & libertatem, vt omnes concedunt; peccato igitur non existente, neque censura ab eo pendente, neque subsequenter dari potest reseruatio, cum non reperiatur id, quod reseruandum foret. Quare impotens ad soluendum legatum, cuius generis sunt multi à militibus in mea patria de populati præterito anno 1636. non incidit in hunc casum, *vt docet Graff. pr.l.2.c.26.n.26. benè Lupus casu 3.§.4.à n.29.* 85

Vis duplex est, vna sic propriè dicta, vocatur absoluta, seu præcisa, quæ omnino aufert voluntarium ex communi cum D. Thom. *1.2.q.6.art.5.* hoc enim modo agens contra propriam voluntatem, & sine consensu operatur, cum ab alio extra se existente moueatur, quia motus voluntarius procedit ab intrinseco principio existente in eo, qui agit. Altera impropriè dicta, vocatur Metus, qui non aufert pœnitus voluntarium, sed tantum reddit illud mixtum, & imperfectum, & quo maior & grauior est metus, eo minus actus humanus participat de voluntario, & de hoc secundo mox dicam §. *Metus.* Vis igitur definitur maioris rei impetus, cui resisti non potest, Vel. Est violentia, & coactio facta ab extrinseco principio, resistente passo, & nullam vim actiuam conferente. *Colligitur ex 3. Eth. capitulo 2.* Vbi Aristoteles violentum vocat id, quod fit ab extrinseco, passo vim non conferente. Vel dic clarius. Vis est violentia hominem contra suam voluntatem impellens ad aliquod agendum, vel omittendum e.g. si quis impellatur ad percutiendum, 86

cutiendum, eo quod impellens arripiat manu impulsi, & sic percutiat, iste dicitur per vim sibi illatam ab extrinseco agere. Vnde duo requiruntur ad vim. I. vt coactus nullo modo consentiat violentiæ sibi factæ, & id se tenet ex parte voluntatis. II. vt nulla ratione concurrat actiuè ad actionem faciendam ab extrinseco operante, cuius violentiam repellere debet, resistendo, fugiendo, clamando, &c. & id se tenet ex parte virium, & membrorum. Vis igitur modo exposita sicut excusat à peccato, cum omninò auferat voluntarium, ita excusat etiam à reseruatione, quæ incurreretur posito peccato mortali reseruato, Demum scias vim non habere locum in ijs, quæ immediatè pendent à potentiis, quæ sunt sub alieno imperio, nempe ab intellectu, vel voluntate, aut à lingua, vnde quis non potest cogi ad hæreticandum, ad turpia desideria, ad blasphemandum, &c.

87 Metus est perturbatio, & animi trepidatio proueniens ex apprehensione mali probabiliter imminentis. Potest autem incuti vel à causa intrinseca, seu naturali, vt ex infirmitate, tempestate, feris, &c. vel à causa extrinseca, hoc est, ab homine minante aliquod malum pœnæ, vt mortem, exilium, percussionem, &c. quod contingere potest dupliciter, vel iustè, vt cum quis minatur iuridicè, seu rationabiliter malum alicui; vt, cum iudex minatur mortem reo, nisi ingrediatur Religionem: vel iniustè; vt cum quis iure contradicente, seu irrationabiliter alteri malum minatur; vt si latro ad extorquendam pecuniam minatur mortem alteri, Diuiditur autem metus in grauem, seu cadentem in constantem virum, & leuem cadentem in virum inconstantem. Grauis est ille, qui cogit metuentem eligere minus malum ad euitandum maius probabiliter imminens; vt si quis eligat omissionem Missæ minus malum, ad euitandum mortem maius malum. Mala autem grauia sunt mors, mutilatio, cruciatus atroces, longus carcer, exilium, seruitus, amissio status honorifici, rei magni momenti, infamia tam iuris, quàm facti, iniusta excommunicatio, timor reuerentialis sui superioris cum mala tractatione, &c In his autem exemplis metus non semper grauis est, sed nonnulla spectanda sunt, ex quibus deducitur grauitas. I. mensuranda ex dictis exemplis vt sic, sed etiam à persona, cui infertur, attentis aliis circumstantiis, nam minor metus cadit in fœminam, quàm in virum, & in puerum, quàm in virum, hoc est, metus, qui in viro iudicatur leuis, in femina censetur grauis. II. mensuranda est ab obligatione, & à periculo imminente, comparando ad inuicem obligationem legis, & periculum imminens, seu quodnam ex duobus præceptis magis vrgeat, requiritur enim periculum maioris damni ad excusandum à maiori obligatione legis, quàm à minori, quo ergo strictior est obligatio legis, eo grauior debet esse metus, seu malum incursum, vt quis ab illius transgressione excusetur malum euitando. *Vide Sanch. lib. 1. cap. 18. Azor. lib. 1. cap. 11. Sair. lib. 3. cap. 7. Bonac. quæst. 8. de peccat. p. 2.* Leuis vero metus est ille, qui cogit fugere maius malum ad euitandum minus; vt, si femina eligat fornicationem maius malum ad euitandum mortem minus malum.

88 Grauis metus excusat à peccato tribus concurrentibus. I. quod metus verè immineat, & non fingatur. II. quod legislatoris intentio non sit obligandi, non obstante etiam mortis periculo, quæ intentio debet esse expressa, quod raro, & ferè nunquam legislatores obligant. III. quod sit ex metu, non sit intrinsece malum, quia in malis intrinsecis, vt sunt hæresis, blasphemia, periurium, luxuria, & facta in contemptum Religionis Christianæ, aut Reipublicæ, metus non excusat, nec locum habet quia in his maius malum censetur illud culpæ quàm pœnæ, ideo non potest dici metus grauis, sed tantum leuis; in aliis casibus metus grauis excusat à peccato, quia credibile non est, legislatorem velle cum tanto incommodo obligare, præterquamquod metus ille inducit voluntarium imperfectum non sufficiens ad peccandum mortaliter.

Excusat igitur metus grauis à peccato, ac proinde etiam à reseruatione, quæ semper supponit peccatum mortale. 89

Dubium autem est, an quando metus est circa ea, quæ sunt ex sua natura, & intrinsece mala sicut tunc non excusat à peccato, ita neque à reseruatione? 90

Respond. Excusat à reseruatione. Tum quia metus grauis excusat ab incurrenda excommunicatione, licet aliàs quis peccet, vt docent plerique *teste Bonac. q. 2. de cens. par. 3. num. 4.* Tum quia agens cum metu graui satis imperfectè voluntarium operatur, quod non sufficit ad incurrendam reseruationem, ad quam requiritur voluntas perfecta. *Ita tenet Graff. pr. lib. 1. cap. 13. num. 33.* de femina committente incestum coacta metu mortis, *Florem. casu 4. §. 1. num. 16.* de occidente ob metum mortis, *& casu 5. num. 14.* de muliere abortiente; Quicquid dicat *Longus casu 9 de lapsu carnis num. 20.* asserens Religiosum coactum morte fornicando incidere in reseruationem, quia ab initio licèt sit imperfectè voluntaria, ex post tamen fit voluntaria perfectè; sed dicas talem fieri potius naturaliter, quàm ex conditione voluntatis & dato hoc, solum sequitur esse perfectè voluntariam ad inducendum peccatum, non reseruationem, ne aggrauetur pœna delinquenti; qui aliàs libertatẽ habet confitendi confessario cuilibet.

Inaduertentia, quæ est carentia actualis scientiæ, seu recordationis circumstantiæ peccati dum fit, si excludat negligentiam, sicut excusat à peccato, ita & à reseruatione consequenter illud, 91

Ignorantia item excusat à peccato, ac proinde à reseruatione, iuxta ea, quæ supra dixi *q. 25.* 92

Dispensatio demum, quæ est actus iurisdictionis, quo quis eximitur ab obligatione legis, sicut excusat à peccato, si iuste, & valide obtineatur, cum exemptus & dispensatur non subiiciatur amplius legi, est enim subiectio conditio necessaria, vt quis transgrediendo legem peccet, ex probatis hic sub hac *quæstione 36. in Notab. 1. & 9. Deducitur*; ita excusat etiam à reseruatione non solum mediante excusatione peccati, sed etiam immediatè, & directè, quatenus conditor legis potest dispensare cum aliquo, vt non sit subditus reseruationi, sed quæcumque peccata respectu aliorum reseruata, possit confiteri, & ab illis absolui à quocumque simplici confessario. Hinc deducitur resolutio sequentis quæstionis. 93

Quæres. 33. An pater Generalis possit eximere aliquem Religiosum subditum Prouinciali, vel etiam sibi ipsi immediate subiectum à reseruatione casuum.

Respond. Superior potest eximere, & dispensare Religiosum, vt non sit subiectus legi suæ, seu sui inferioris de reseruatione. Probatur, Tum quia vnusquisque legislator dispensare potest in lege non solum propria, sed etiam alterius sibi subiecti, vt docent omnes; ergo etiam in lege reseruationis. Tum quia subiicere aliquem reseruationi, est auferre, seu restringere facultatem absoluendi à confessariis sibi subditis, & cogere pœnitentem, vt accedat ad superiorem pro absolutione; sed hanc facultatem vtrique concedere potest non solum post incursionem, sed etiam ante, cum facilius impediatur faciendum, quàm destruatur factum, *Monach. & Archid. ex glos. ver. Additio, cap. Si super gratia. 9. de off. deleg. in 6. per c. fin. §. Sicut ergo 15. quæst. 5. & cap. Quemadmodum 25. de iureiur.* ex illo dicto ibi allegato. *Turpius eiicitur hospes, quàm non admittitur.* Tum quia licet Generalis non possit eximere aliquem Religiosum; ne subsit suis inferioribus prælatis, quia exemptio subditorum ab ordinario de iure communi Papæ est reseruata, vt docet Mirand. *tom. 2. quæst. 7. art. 6. ex Silu. ver. Casus quæst. 1.* casu argumento exemptionis Episcoporum ab Archiepiscopo illo tributa de iure communi, nihilominus cum id intelligendum sit de totali exemptione, non ex parte, *vt cum Fausto in Thesauro Relig. lib. 6. quæst. 146.* docet Peyrinus

in suo Formul. *lit. E. cap. 35. numero 3. seipsum citans tom. 1. Priuileg. in constit. 5. Iulij II. numero 6. & constit. 15. eiusdem*, nobis nihil officit, quin dicamus, posse superiores maiores eximere reseruatione respectu minorum.

Quæres 34. An pater Generalis eximendo aliquem à reseruatione casuum suorum, censeatur etiam dispensare in casibus Prouinicialis, licet expressam mentionem non facit de exemptione à casibus Prouincialibus?

95 Respond. Per hoc non dicitur eximere etiam à reseruatione Prouincialis, vel alterius inferioris superioris, Tum quia exorbitantia à iure non sunt trahenda in consequentiam idest non sunt extendenda ad ea, de quibus priuilegium non loquitur, *Reg. 28. in 6.* sed priuilegium in professione telanim non loquitur de casibus inferiorum, ergo exemptio priuilegij ad hos referenda non est. Tum quia huiusmodi exemptio cum sit dispensatio in iure, strictè interpretanda est, cum vulneret ius alterius per ea, quæ diai de dispensatione *resolut. 10. quæst. 4* ex differentia dispensationis, & facultatis dispensandi.

Quæres 35. An consensus tertij excusare possit ab incurrendis casibus reseruatis? e.g. An occidens vel mutilans de consensu patiendi excusetur à reseruatione? Item an excusetur exponens hospitali de consensu præsidentium hospitali? Item, an excusetur differens solutionem legati de consensu eius cui debetur? & sic de
96 similibus?

Respond. Quando consensus est circa ea, quæ non sunt intrinsece mala, excusat consensus à reseruatione, si sit legitimus, quia in tali casu alter ex consensu accepto non peccato, ergo neque incidit in reseruationem. Ita delegato *Graff. l. 2. cap. 26. n. 29.* Eo quod paria sunt solutio, & promissio, seu promittere, & dare, per iura ab eo allegata, *Lupus casu 3. numero 29. §. Tertio, §. Quarto.* Idem dic de exponentibus infantes, modo sit licitus, aliter si non potest dare talem licentiam, non excusatur exponens, aut differens solutionem, si sit pro defuncto, quia hæres non potest differre suffragium testatoris; neque quis excusatur à reseruatione allocutionis cum moniali de consensu Abbatissæ, cuius licentia non valet, cum id sit munus ordinarij, non Abbatissæ. Qando consensus est circa ea, quæ sunt intrinsece mala, sicut non excusat à peccato, aut à censura, ita neque à reseruatione adiecta, vt patet in percutiente clericum permittentem sui læsionem, vterque enim ligatur excommunicatione, ac proinde peccato mortali, & reseruatione, vt pluribus probat *Bonac. qu 3. de excom. p. 2.*

Quæres 26. An compensatione, aut remissione quis excusetur ab incurrenda reseruatione? e.g. Quis est obligatus ad restitutionem, aut solutionem legati Ecclesiæ facti, si vtatur compensatione, vel remissione excusatur
97 à reseruatione?

Respond. Excusatur, Tum quia remissio sponte facta debitori à creditore liberat debitorem in vtroque foro, *vt docet Glos. in Reg. Peccatum in 6. ex Lazar. sect. 3. de monit. quæst. 7. num. 7.* remissio enim debiti æquipatatur solutioni, iuribus citatis à *Nauar. concil. 14. de vsur. concil. 2. de censib.* Tum quia compensatio & solutio paria sunt *l. Si debitor. ff. qui potest. in pign. habeant. l. Si peculium §. De illo ff. de statu liber. l. 1. ff. de compens.* sed soluens non ligatur, ergo neque compensans. Tum quia compensans ex eo quod illi Ecclesia erat vera debitria, nil Ecclesiæ retinet, sed ei satisfecit, & virtualiter suum recuperauit, ergo ad nullam tenetur obligationem, neque proinde aliquam incurrit reseruationem. Ita de recompens. docent Graff. *lib. 2. praxis cap. 26. num. 28. Lupus de casibus Bergomi casu 3. num. 29. paragrapho Secundo.*

Quæres 37. Quis possit interpretari casus reseruatos,
98 quando sunt dubij?

Respond. Certum est id spectare ad legislatorem illorum, quia eius est interpretari leges, cuius est illas concedere. *l. Cum de nouo C. de legibus, cap. Sicut enim 27. §. Ex his omnibus, 11. quæst. 1. Cap. Inter alias 31. de sent. excom.* vbi dicitur. Vnde ius prodiit, interpretatio quoque procedat *Glosa super citatum cap.* Sicut enim, triplicem refert interpretationem, quæ fieri potest in quauis lege, aut statuto, seu constitutione dubiis, dico, *dubiis*, quia clara non egent interpretatione, seu declaratione, in claris enim non est locus coniecturis, vt habent vulgaria iura. Prima interpretatio dicitur authoritatiua, quæ procedere potest vel à consuetudine, quæ ideò dicitur optima legum interpres, *cap. Cum dilectus 8. de consuet. l. Minime ff. de legib. l. Si de interpretatione ff. eod.* Vel ab ipso legislatore, & secundum vtramque agendum est. Verum quidem est, quod hoc intelligendum est, quando declaratio facta à superiore solemnis est, cum expressa intentione ligandi subditos, eo quod ipsa interpretatio est ipsamet lex prius obscura & dubia, declaratione facta clara, & certa, declaratio enim nihil de nouo ponit, sed quod ex natura rei inest, demonstrat. l. *Hæredes palam, ff. de testam. l. Adeo, §. Videtur, ff. de acquir. rerum dom.* vnde est aliquid accessorium legi. Sed ei ab initio inest, *l. Ita fidei ff. de iure fisci*, hæc igitur sola per modum legis facta ligat subditos, cum in substantia rei sit ipsamet lex ab initio condita, ex allatis iuribus, ergo necessario ligat vt lex. Potest verò superior quandoque consultus respondere declarando legem dubiam, non vt legislator, sed vt Doctor, & peritus priuatus adducendo suam opinionem interpretando suam legem ita esse intelligendam, non ideo tamen obligat quemquam adsequendam suam interpretationem, eo quod illam non protulit solemnitate quadam, & vt legislator, sed vt priuatus Doctor, ideò sicut aliorum Doctorum declaratio, seu potius responsio, & opinio, non obligant, ita neque responsio superioris. Et ita in re nostra distinguit *Bonac. q. 4. de matrim. p. 11. n. 5.* ibi enim refert Federicum Cardinalem Borrhomæum interrogatum, An sub casu reseruato Sodomiæ comprehendatur abusus mulieris? respondisse affirmatiuè; hanc responsionem datam fuisse ab illo non vt legislatore, sed Doctore priuato, ac proinde non obligare vti authoritatiuam interpretationem, & eam Bonacinæ distinctionem pro se citat *Lupus casu 10. Bergomi num. 5. & dist. 1. art. 3. diff. 11. num. 4.* Quando in legibus prohibetur interpretatio, & glosarium legum, prohibitio refertur ad declarationem authoritatiuam, & necessariam, quæ est ipsamet lex declarata, non autem ad interpretationem doctrinalem, vt priuati Doctoris, de qua mox, & ita docent omnes cum *Bonac. p. 8. de legib. num. 1. & 3.* Secunda interpretatio vocatur iuridica in occurrentibus causis faciunt fauore, vel contra reos, & hæc quandoque prohibetur à lege, exempla huius prohibitionis habes ex constitut. *Romanus Pontifex.* Pauli V. apud Bariolam in suis Floribus pag. 445. ibi. *Sicque per quoscumque indices, & commissarios quauis authoritate fulgentes*, &c. *eorum cuilibet quauis aliter, iudicandi & interpretandi facultate*, &c. ibidem refert alias Bullas continentes huiusmodi prohibitionem. Confessarius in dubiis occurrentibus super casuum reseruatione dum interpretatur aliquod peccatum comprehendi, vel excludi à reseruatione, dicitur vti declaratione iuridica in actu exercitij Sacramenti Pœnitentiæ, in quo se agit vt iudex, *ex ca. 6. & can. 9. sess. 14.* Quandoque etiam confessario prohibetur huiusmodi interpretatio, vt fecit Clem. VIII. in suo Decreto primo, in quo confessariis vi mte priuilegiorum prohibuit absolutionem à reseruatis Sedi Apostolicæ, Bulla Cœnæ siue claris, siue dubiis, vt ibi dicitur, & latius retuli *resol. 6. q. 9. §. Quarta, & resolut. 9. quæst. 5. §. Septima.* Et ita in re nostra *docet Graffius pr. lib. 1. cap. 4. num. 51. & ex eo Floron. cap. 1. numer. 48. §. Si verò, & alij communiter.* Tertia interpretatio vocatur Doctrinalis, probabilis; seu magistralis inducens opinionem, quam quisque sequi potest, sed non tenetur, & hæc interpretatio fieri potest à quocũque viro docto,

& pro

& prodente, etiam non doctore nomine, modo in re ipsa talis sit, & hanc nullus legislator prohibet, & in materia casuum quilibet facere potest tam pro se, quam pro aliis interpretationem discretam tamen, & fundatam solidis rationibus, ex eisdem Doctoribus, & *Lupo par. 1. de casibus Bergomi dist. 1. art. 3. diff. 1. & 2.*

Quæres 38. Quid obseruare debeant Confessarij, & alij in interpretandis casibus reseruatis, quando dubij sunt?

99 Respond. Consideranda est in primis mens legislatoris, si apparere potest *ex cap. Marcion. 63. 1. quæst. 1. cap. Humanæ aures 11. 22. quæst. 5. cap. Intelligentia 6. cap. Propterea* 8. *cap. In iis*, 15. quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & mentem legislatoris, quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni, ex citatis iuribus, plerumque etiam dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur, *cap. Propterea cit. eod.* Igitur si constat de intentione legislatoris non est recurrendum ad significationem verborum; si verò non constat de mente legislatoris, recurrendum est ad ipsum, si haberi potest facilis recursus, vel etiam ad peritos, & immediate, quia data conditione temporum, & occupatione superiorum, nec non qualitate inferiorum, recursus reputatur multum difficilis; igitur vir prudens, & peritus ad quem fit accessus duo spectare debet, primom est, an dubium versetur circa factum, an circa faciendum; circa factum videat si potest rationabiliter excusare consulentem à reseruatione, eo quod in dubiis fauendum sit reo *Reg. 11. in 6.* & in obscuris minimum est sequendum *Reg. 30. eod.* circa faciendum expedit magis concludere reseruationem, quàm oppositum, vt interpretatione dicatur habere suam vim à fine reseruationis, quæ fit, vt subditus retrahatur à culpis grauibus, secundum verò est, quod interpretaturus casum dubium talem declarationem dare debet, quæ sit conformabilis cum intentione, & mente legislatoris, quam peritus colligere debet ex ratione finali, quæ mouit legislatorem ad condendam legem reseruationis, & præcipuè considerandus est sensus, & proprietas verborum, à quibus recedendum non est, cum lex non excedat proprios terminos verbis expressos, & tunc verborum significatio accipitur à iure, si in eo reperiantur, aut à simili, aut à ratione, vel doctore, semper habendo oculum, ne ex declaratione sequatur aliquod inconueniens tam contra legem reseruationis, mens enim legislatoris talis esse debet, qualis de iure præsumitur. *Bald. in l. Ex facto ff. de vulg. & pupill. Felin. consil. 31. numero. 7. & ex illis Megal. consil. 33. num. 13.* quam contra pœnitentem, eo quod irrationabiliter aggrauandus non est. Vide in terminis nostris *Graff. prax. lib. 1. cap. 5. num. 54. Floren. cap. 5. num. 50. Lupum part. 1. art. 3. diff. 1.*

Quæres 39. An casuum reseruatio strictè sit explicanda, an latè? quod est etiam quærere, An valeat argumentum à pari, à simili, à maiori, ab æquipollentibus?

100 Respond. interpretatio casuum stricte facienda est, neque proinde valet argumentum ex prædictis, sed verba casus secundum propriam eorum significationem, in terminis secundum quod iacent explicanda sunt. Probatur, Tum quia reseruatio casuum non omnino pendet à ratione, sed magis à voluntate superioris, qui vnum peccatum etiam minus vult reseruare, & non aliud maius, vnum simile, & non aliud, sed dissimile. Tum quia In odiosis, & pœnalibus interpretatio stricte est facienda *Reg. 15. in 6. ca. Pœnæ, 18. dist. 1. de pœnit.* vbi ideo dicitur, quod non debent pœnæ proprium casum excedere, & in pœnis benignior interpretatio est, facienda *Reg. 49. in 6.* quæ procedunt etiam in foro conscientiæ, *Besa part. 2. casu 4. §. Ratio ergo, Bariola consil. 22. in fine.* Sed reseruatio casuum est lex pœnalis, & odiosa tam confessario, quàm pœnitenti ex probatis *resol. 37. q. 2.* ergo stricta interpretatio facienda est.

Ita docent Graff. pr. li. 1. cap. 4. nu. 24. Floren. ca. 1. nu. 42. Coriol. sect. 1. art. 5. num. 4. Lazar. q. 10. de Blasph. nu. 11. & 17. Nald. ver. Casus nu. 3. Lupus dist. 1. art. 3. diff. 1. nu. 7.

Inferuntur hinc multa, in reseruationem nimirum homicidij, seu alterius peccati incidere tantum immediate occidens, non autem reliquæ causæ non expressæ, vt etiam probaui hic supra *q.* 14. Item, sub reseruatione vnius speciei luxuriæ expressæ non comprehenduntur aliæ etiam maiores; vt sub adulterio non comprehenditur sodomia, aut bestialitas, neque sub sodomia bestialitas, quia non fit extensio secundum interpretationem. Item, sub sodomia non continetur abusus mulieris, quia hæc non est propriè sodomia. Item, neque sub cognatione spirituali continetur copula cum confessario, quia est impropriè incestus secundum cognationem spiritualem quæ proprie prouenit ex Sacramento baptismi, aut confirmationis. Item, casus æquè dubius sit ne reseruatus, interpretatur non reseruatus, quia in pœnis benignior interpretatio est facienda.

Quæres 40. An dicta præcedenti quæsito procedant regulariter, ita quod aliquando possit fieri lata interpretatio, & extensio in casibus reseruatis?

Respond. interpretatio stricta in casibus reseruatis 101
semper facienda est. Tum quia id probant allatæ ibi rationes. Tum quia si reseruator vellet alios casus comprehendere, illos exprimeret, lex enim si aliud voluisset expressisset, *l. vn. §. Sin autem C. de caduc. toll. l. Si seruus §. Prætor ait. Non dixit ff. de acquir. rer. dom.* vnde presumitur lex aliquid noluisse, si facile potuit illud exprimere, & non expressit, vt dicit *Menoch. consil. 30. num. 8. cum aliis citatis à Barbosa Vaz ver. Lex num. 32.* Sed facili negotio potest reseruator exprimere in sua Tabella hos, vel illos casus, vt notum est, ergo quos non expressit, censentur exclusi, quamuis sint maiorum peccatorum, & ad hoc facit illud commune pronunciatum. *Inclusio vnius est exclusio alterius.* Tum quia sicut censura, quæ contrahitur ob peccatum in lege expressum, non trahitur neque extenditur ad alterum peccatum, seu ex alio peccato simili, aut maiori, ita neque reseruatio vnius mortalis expressi extenditur ad aliud non expressum. Tum quia numeratio peccatorum, quam communiter faciunt reseruatores, manifeste ostendit illorum intentionem esse, alia non expressa, quantumuis grauia, maiora, & peiora, non includi sub reseruatione.

Responsio hæc est *contra Graff. pr. li. 1. c. 4. n. 25. vsque* 102
ad. 31. & ex eo Floren. ca. 1. n. 46. Rodr. part. 2. cap. 220. Quar. ver. Sodomia, asserentes in legibus pœnalibus fieri extensionem. I. Quando est in fauorem publicum, seu animarum. II. Quando resultat absurdum. III. Quando constitutio aliàs redditur inutilis. IV. Quando peccatum non expressum est atrocius, seu maius, aut simile, vel eiusdem generis cum expresso, in his ergo casibus extenditur reseruatio per prædictos, quia id non est propriè extendere legem, sed potius similes casus includere, & id colligitur ex diuersis iuribus, vnde *ex ca. Pœnale 14. quæst. 5. & cap. Meretrices 32. quæstione 4. probat Graff. reseruato furto*, intelligi etiam reseruatam rapinam, quia nomine furti venit quæuis illicita vsurpatio rei alienæ. Item reseruato adulterio, etiam intelligitur reseruata fornicatio, licet nomine Mechiæ veniat solum adulterium; Rodr. & Quar. citati sub reseruatione Sodomiæ includunt etiam bestialitatem, & alij abusum mulieris.

Ad hæc respondeo vniuersè, data non concessa ex- 103
tensione legis pœnalis in aliquibus, excludendo reseruationem ex ea disparitate, quod ideo in aliis legibus quandoque admittitur extēsio, quia Legislator nō potest omnes casus præuidere, ideo quando occurrunt, & ratio dictat legem ad eos esse extendendam, præsumitur talis intentio legislatoris, & ideo lex illos potius includit, quā ad eos se extendat; in reseruatione autem casuum hoc cadere non potest, quia præuidit reseruator illos

omnes casus, quos sibi vult reseruare, & ideo exprimit, & numerat. Ad singula respondetur ad I. ad retrahendum hominem à peccato, non potest, vel nega absolute, aliàs sub reseruatione deberent reseruatores quamplura peccata comprehendere, quia id esset fauore animarum, eo quod id esset medium retrahendi illas à peccatis, sed id esset non leuis confusio, & indiscreta reseruatio non multum ad ædificationem, ideo ad hæc absurda tollenda, standum est verbis reseruationis. Ad secundum in re nostra non potest resultare absurdum, quia mens legislatoris est satis clara quo ad numerum expressum, & in his facit illud axioma. *Stat pro ratione voluntas*. Et sic eluditur omne absurdum. Ad tertium dic vt ad secundum, quia vnusquisque casus benè recipit suam interpretationem, consequenter reseruatio vtilis est, sine extensione. Ad quartum iam constat ex dictis in præcedenti quæstione non tenere argumentum à minori, à simili, à pari, &c. Ad illud de furto dico benè includi rapinam vt illius speciem, non tamen fit extensio, quia genus sub se complectitur suas species, quia genere posito, ponuntur, & quælibet eius species, *l. ff. de auro, & arg. legat. Barbosa Vaz. lit. G. nu.* 12. Ad aliud de Mechia dico, si non prohibentur illo vocabulo aliæ species luxuriæ, satis constat prohiberi in aliis locis Sacræ Scripturæ, & in iure positiuo satis clarum est sub vna specie non contineri aliam siue maiorem, siue minorem. Quod reliqui dicunt de Sodomia, communis opinio Doctorum casum Sodomiæ non extendi ad bestialitatem, neque ad abusum mulieris *ex Bonac. q.* 4. *de matr. p.* 11. *n.* 5.

104 Obiicies, casus expressus per relatiuum, *Qui*, extenditur ad femininum, vt probatum fuit supra q. 13. Quod idem dictum fuit q. 23. de relatiuis, siquidem sub expressione vnius continetur & alterum. Sed hæc non obstant, quia vt locis citatis dixi, hæc non est extensio, sed proprietas verborum, quæ talem sensum patitur, nam in primo casu relatiuum, *Qui*, qui specificatur ab actione prohibita sub verbis reseruationis, vnde sub his verbis. *Qui incestum commiserit*, tam masculus, quàm fœmina comprehenditur, quia actio commistionis vtrique ex proprietate vocis applicatur, & in illis terminis docet *Lupus casu* 2. *eodem n.* 2. Deinde dici potest quod hæc extensio potius legalis, quàm Doctorum. Loquendo de correlatiuis in terminis expressis cum exclusione alterius nequaquam fit extensio, vnde si dicatur: *Vir incestum committens*, excluditur fœmina alterum correlatiuum. Si verò dicatur, *Committens*, seu, *Committentes incestum*, vtrumque correlatiuum comprehendit non ex ratione extensionis, sed ex natura vocabuli, cum vtraque persona tam agens, quàm patiens, dicatur æquè peccatum incestus committere, licet enim mulier in quantum recipit semen dicatur pati, ac proinde non videatur agere, neque committere incestum, tamen quia in hoc sensu verba interpretantur materialiter potius, quàm formaliter, ideo is sensus non videtur facere ad rem, siquidem formalis significatio verbi, *Committens*, in materia subiecta in esse moris, & reseruationis desumitur ex actione peccaminosa, ita quod verbum, *Committens*, idem significat quod peccans, cum igitur æquè peccet mulier, sicut vir, casus verba vtrumque indifferenter ex vi vocis comprehendunt. Neque vim faciendum est dubitantibus in prolatione singulari, aut plurali, quasi casus expressus singulariter referatur ad virum, non ad fœminam, ad differentiam plurali locutionis, quæ respicit vtrumque relatiuum, quia singulariter acceptum distribuit significatum, *Committens*, idest vir, vel fœmina committens.

105 Infero hinc nonnullos minus consonè dixisse casus incestus, & Sodomiæ sub eo verbo, *Commiserit*, singulari, reseruatos Mediolani sub Eminentissimo Borrhomæo in Synodali Sessione die 23. Aprilis 1627. & subsequenter ab Eminentissimo Montio nunc feliciter Archiepiscopante, sub die 11. Aprilis 1636. afficere tantum masculos, eo quod casus isti exprimantur per verbum singulare, quasi actio commissionis referenda sit ad solum masculum, nam comprehendendo fœminam, debuisset reseruator loqui in plurali, eo quod sint plures committentes, & non vnus tantum, sed iam patet hanc explicationem debilem esse, & infirmam, quia verborum sensus non ex superficie vocum, sed ex medulla mentis, non in foliis sermonum, sed ex radice rationis accipiendus est, *cap. Marcion.* 63. 1. *q.* 1. Nec vrget quod Felix memoria Borrhomæi in alia priori sessione sub 12. Apr. 1606. loquutus fuerit in plurali, vt videre est in eius libello, *Auuertenze*, pag. 118. & postea cum Archiepiscopo Montio in singulari tantum, quasi velint deinceps comprehendere solum masculos sub reseruatione agentes, quia illa alteratio fuit potius librariorum, quàm Superioris condentis.

Quæres 41. An casus dubius explicandus sit esse reseruatus, an excludendus à reseruatione?

Resp. Stante dubio idest dubitans si non magis inclinet vnam ad partem, quàm ad alteram, nisi Superior casum quatenus etiam dubium reseruet, concludere potest, post adhibitam diligentiam, & studium, non esse reseruatum; Tum quia in dubio melior est conditio possidentis, cum ergo Confessarius sit in possessione potestatis absoluendi, ea vti potest absoluendo pœnitentem tanquam non incursum in reseruationem. Tum quia ex reg. 11. cum partium iura sunt obscura reo fauendum est. *Ita docent Suar. tom.* 5. *disp.* 4. *sect.* 6. *n.* 5. *Sanch. l.* 2. *c.* 10. *nu.* 74. *quos prose citat; Floron. c.* 5. *n.* 30. Hinc Confessarius à casu dubio absoluere potest, vt multis citatis docet Bonac. *q.* 7. *de Pœnit.* §. 4. 106

Dixi. *Nisi superior casum dubium sibi reseruet.* quia sine dubio intelligitur reseruatus, ac proinde Confessarius manus suas extendere non potest extra suam messem & ita se explicauit Clem. VIII. prohibendo, ne quis Confessarius virtute priuilegiorum absolueret à casibus Bullæ Cœnæ Domini, siue clarè, siue dubiè ibi contentis, quam dispositionem minus benè extendit ad casus ordinariis reseruatos Floron. *c.* 5. §. 4. Vide quæ dixi resol. 6. *q.* 9. §. *Quarta*.

Quæres 42. An quando Superiores reseruant aliquod peccatum, vel censuram, quæ in iure communi reperiuntur expressa, explicanda sint secundum quod reperiuntur expressa à Doctoribus de iure?

Resp. Si præcisa verba iuris communis resumantur in reseruatione, vtique est explicandus casus secundum interpretationem iuris communis, & Doctores, quia statuta intelligenda sunt secundum ius commune *cap. Cum dilectus* 8. *prope fin. de consuet. ibi glos. ver. Nec iuri communi, c. Inter dilectos*, §. *Cæterum de fid. instrum.* Quod si integra verba, sed dissimilia in sensu recipiantur, tunc interpretatio fit secundum quod patitur propria verborum significatio, quia cum tunc varietur substantia casus, necesse quoque est mutare interpretationem, quæ semper confirmari debet cum materia. Vnde in reseruatione casus incendij, nulla facta mentione de mandante, aut consulente incendium, non comprehenditur mãdans, vel consulens incendium, sed solum apponens ignẽ & incendens, quia diuersificatur casus à verbis iuris cõmunis, *c. Si quis* 30. *c. Pessimam* 31. 23. *q.* 8. vbi exprimuntur etiã mandans, & consulens aut auxilium dans. Quicquid dicat *Graff. pr. l.* 2. *c.* 23. *n.* 4. *&* 17. *& ex ipso Bel. p.* 2. *q.* 6. *n.* 101. sub nomine præcisè incẽdiarij venire reliquas causas, eo quod statutũ intelligendum est iuxta ius cõmune, hoc enim, vt dixi, procedit, quando statutum continet eademmet verba in substantia saltem, quæ includit ius commune. 107

Quæres 43. An in dubio peccati mortalis, vel venialis, concludi possit veniale, ad excludendam reseruationem.

Resp. Potest, quia in dubio non solum pœnæ, sed etiam culpæ interpretatio fieri potest de minori, cum in pœnis benignior interpretatio sit facienda *Reg.* 49. *in* 7. *quod* procedit etiam de culpa, *Beia part.* 2. *casu* 4. §. *Ratio ergo, Bariola cons.* 22. *in fine*; & duorum peccatorum minus 108

minus præsumitur Bonac. *quæst.2. de legib. p.3. num.18. §. Obseruant.* Sanch. *lib.8. disp.4. num 17. per l. Si adulterium cum incestu §. 1. & 3. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Quicquid dicant Graff. *pr. lib.1. cap.4. num.21.* & Floron. *cap.1. §1. in fin.* ea ratione, quia in dubiis tutior pars est eligenda, sed locum non habet cum agitur de amissione possessionis potestatis, neque de peccato iam facto.

RESOLVTIO XXXIX.

De Absolutione, & relaxatione casuum reseruatorum.

SVMMARIVM.

1 *Reseruatio tolli potest sine absolutione.*
2 *Pluribus modis tollitur.*
3 *Reuocatione.*
4 *Morte reseruantis.*
5 *Priuatione, vel abdicatione officij.*
6 *Non autem si sit vitandus.*
7 *Mortis articulo.*
8 *Et eiusdem periculo.*
9 *De iure Ecclesiastico.*
10 *Omnes Sacerdotes possunt absoluere.*
11 *A quibuscumque reseruatis.*
12 *Seruandus est ordo in petendis Sacerdotibus.*
13 *Simplex prosequitur superueniente approbato.*
14 *Absolutus sic se præsentat pro censuris.*
15 *Bonacina opinio expenditur*
16 *Iubilæi priuilegio tollitur reseruatio.*
17 *Dubia quædam de Iubilæo.*
18 *Tolluntur Episcopales licet non exprimatur hoc.*
19 *Bulla Cœnæ requiritur expressio.*
20 *Pluries quis non potest absolui.*
21 *Indulgentia, instar Iubilæi non admittit absolutionem à reseruatis.*
22 *Remanet absolutus licet postea non lucretur iubilæum.*
23 *Peccatum oblitum absoluitur postea à quouis.*
24 *Censuræ absolutione tollitur reseruatio peccati.*
25 *Consuetudine non potest tolli reseruatio.*
26 *Domicilium quomodo acquiratur.*
27 *Domicilium quando dicantur mutare Religiosi.*
28 *Mutatione domicilij tollitur reseruatio.*
29 *Quomodo verum sit apud Religiosos.*
30 *Relaxatione extinguitur reseruatio.*
31 *Electione Confessarij non semper tollitur reseruatio.*
32 *Absoluere quinam possint à reseruatis Episcopo?*
33 *Quinam habeant delegatam hanc potestatem?*
34 *Vicarius quatenus talis non habet eam facultatem.*
35 *Regulares non absoluunt à reseruatis Episcopis.*
36 *Neque à Papalibus.*
37 *Censuratus quomodo absoluatur?*
38 *Quinam absoluere possint à reseruatis in Religione.*
39 *Priores in meo ordine absoluunt.*
40 *Potestatem ordinariam aliis delegant.*
41 *Superior absoluit à solis reseruatis quandoque.*
42 *Confessarius simplex absoluit indirectè à reseruatis.*
43 *Ex rationabili causa.*
44 *Cui inferiori omnia patefacienda sunt.*
45 *Superiori sufficit aperire sola reseruata.*
46 *Petitam facultatem delegare non tenetur.*
47 *Quod probatur.*
48 *Ex charitate tenetur.*
49 *Denegata iustè à nullo absoluitur.*
50 *Vtique Religiosus pro vna vice.*
51 *Accedendum est ad designatum à Superiore.*
52 *Absolui potest extra habens facultatem.*
53 *Facultas absoluendi extenditur etiam ad committenda.*
54 *Attendenda est petitio, & responsio.*
55 *An priuilegium se extendat ad nouam reseruationem.*
56 *Vtique si sit iure aliquo.*
57 *Non autem si sit priuata concessio.*
58 Casus reseruatus, *an hac dictio se extendat ad futura?*
59 *De variis modis delegandi facultatem absoluendi.*
60 *Quamdiu duret delegatio?*
61 *Duobus modis fit delegatio.*
62 *Gratia alia facta, alia facienda.*
63 *Valens alios absoluere vtitur pro se eadem.*
64 *Priores delegant hanc facultatem.*
65 *Delegatus an pro omnibus conuentibus?*
66 *De pœnitentiariis.*
67 *Quorum facultas tanta est quanta illis exprimitur.*
68 *Quandoque subdelegant.*
69 *Facultas est ad omnia reseruata concedenti.*
70 *Pro foro animæ tantum.*
71 *Deputare illos est Superiorum maiorum.*
72 *Et Priorum in meo ordine.*
73 *Taxare pœnas possunt.*
74 *Ad quos fit recursus?*
75 *Quid de casu pluribus reseruato?*
76 *An habens facultatem a Generali absoluat ab omnibus.*
77 *Superior absoluit à reseruatis inferiori.*
78 *Absolui possunt extra de licentia.*
79 *Simplex absoluit antequam sequatur effectus reseruationis.*
80 *Gratia pro reseruatis durat ad tempus approbationis.*
81 *Gratia concessa ab Episcopo, & Vicario non limitatur.*

SVperior cuidam Religioso ad se accedenti pro absolutione à certo casu reseruato, coram ipso manifestato, dixit, signo tantum crucis super eum præmisso. Vade ad tuum Confessarium ordinarium, qui te absoluat. Accessit Religiosus ad suum Confessarium, cui factum narrauit. Dubitat modo Confessarius, an Superior per illud Crucis signum liberauerit petentem Religiosum à reseruatione, ita quod possit illum absoluere eadem potestate, quam ante habebat, an verò Superior communicauerit suam facultatem super reseruata per illa verba: Vade, &c. Quidam dixerunt, in hoc casu Superiorem communicasse suam facultatem inferiori simplici Confessario, qui proinde tenetur absoluere virtute illius a reseruatis, quod probant. Tum authoritate Tridentini *sess. 14. cap.7.* illis verbis. *Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibusuis, sed à Summis dumtaxat Sacerdotibus absoluerentur.* In his sermo est de casibus reseruatis, qui non nisi absolutione Sacramentali tolluntur, ex illo verbo, *Absoluerentur*, cum sint peccata, quorum relaxatio ea absolutione contingit; ergo non potest tolli per illud signum crucis, tacitis verbis absolutionis, consequenter necesse est, quod Confessarius vtatur facultate sibi communicata. Tum quia & si reseruatio distinguatur à peccato, vti accessorium à suo principali, & non sit peccatum, videatur proinde tolli posse sine Sacramentali absolutione, hoc tamen verum non est, quia reseruatio vt accessoria peccato, debet auferri eodem medio, quo tollitur peccatum, *arg. Reg. 42. in 6.* sed peccatum deletur absolutione, ergo & reseruatio: consequenter ille Confessarius debet necessario vti non antiqua facultate, sed sibi tunc communicata à Superiore per remissionem pœnitentis ad illum: Alij asseruerunt confessarium simplicem, quamuis possit absoluere vti delegatus in illo speciali casu ad reseruata, quod tutius est, nihilo-

minus posse etiam antiqua facultate, quam habebat super non reseruata, absoluere, ea ducti ratione, quia per illud crucis signum, remittendo subditum ad suum confessarium, sufficienter exemit, ac liberauit à reseruatione, licet non absoluerit à peccato. Igitur horum vnica ratio est, Superiorem absque absolutione Sacramentali posse auferre reseruationem, & consequenter peccatum remanere absolubile à quouis Confessario, quod suadetur: & quia censuræ tolluntur sine absolutione Sacramentali, vt docent omnes, quia non sunt peccata, ergo & reseruatio, quæ peccatum non est in se: Et quia licet reseruatio sit accessoria peccato, ac proinde non videatur tolli, nisi per remissionem peccati, nimirum per absolutionem, hoc tamen non probatur per hanc regulam, sed solum, quod tolli potest per absolutionem, sicut peccatum, & non excluduntur alia media; præterquam quod regula locum non habet, quando est diuersa ratio, Nau. *conf.4. de iis, quæ vi.* Barbos. Vaz. *lit. A*, *num.7.* vt in casu nostro, in quo reseruatio multis modis tollitur, vt dicam mox, peccatum verò non nisi per pœnitentiam diluitur, ergo non est necesse, quod reseruatio sequatur naturam peccati in hoc, cum aliis mediis tolli possit. Tum quia illa licentia confitendi inferiori Confessario est reuocatio reseruationis, quæ fit extra Sacramentalem absolutionem, vt mox dicam, ergo Confessarius propria authoritate absoluere potest à peccato non amplius reseruato. Et ita tenent multi Doctores apud Busſ. *sect.1. de Iubil. casu 34. num.4. in fin.* ad relaxationem reseruationis, censurarum, & huiusmodi, quæ non sunt peccata, non esse necessariam sacramentalem absolutionem. Et ex his patet responsio ad duas rationes prioris opinionis, sicuti tuta est, ita sequenda videtur, cum in ea nullus errandi locus inueniatur; posterior tamen spernenda non est, quia per illam remissionem ad inferiorem censetur sublata reseruatio, ac proinde peccatum à quouis Confessario absolubile est, & dicam *quæst.10.*

Quæres 1. Quot modis tolli possit reseruatio?

1 Respond. Multis modis I. Reuocatione facta à Superiore. II. Morte reseruantis. III. Priuatione iurisdictionis. IV. Articulo mortis. V. Priuilegio Iubilæi VI. Absolutione censuræ. VII. Relaxatione. VIII. Absolutione Sacramentali. IX. Contraria consuetudine secundum aliquos. X. Translatione domicilij. XI. Electione Confessarij. Primis octo modis ablatio reseruationis se tenet ex parte Superioris, reliquis ex parte pœnitentis. De singulis distinctè dicendum in subiiciendis quæsitis.

Quæres 2. Quomodo reuocatione tollatur reseruatio tam peccatorum, quàm censurarum?

2 Respond. Reseruationem tollere potest Superior per constitutionem, aut literas à se editas de hac re, quia vnusquisque legislator sicut per suam voluntatem, & potestatem facit legem, ita & illam destruere potest, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; est autem reseruatio lex quædam, ergo more aliarum legum, seu ordinationum auferri potest. Ita docent Vgol. Floron. *cap.4. §.3. num 1.* Nald. *ver. casus reseru. num.10.* Procedit, siue reuocatio fiat in vniuersum, siue in aliquo casu speciali, aut etiam respectu alicuius particularis hominis petentis facultatem, potest enim Superior dicere, Reuoco à te reseruationem, & faciunt quæ dixi initio quæsiti. Censetur etiam facta reuocatio casuum ab homine, quando Superior condit nouam Tabellam, omissis casibus antiquæ, non verò censentur reuocati casus à iure constitutionum, siue statutorum, iuxta *dicta resolut.37. quæst.4. & 5.* Igitur reuocatione facta à Superiore tollitur reseruatio, quod intelligitur non solum respectu reseruationis in se, & in transitiuè, hoc est antequam delinquens in illam incurrat, sed etiam postquam in illam incidit, ita quod absolui potest à quouis simplici Confessario, ex quo simpliciter sublata fuit reseruatio. Hanc autem reuocationem facere potest etiam Superior reseruantis, posita legitima causa, eo quod omnis potestas in legislatore inferiore accumuletur in Superiore, à quo inferior illam recepit, sicut ergo inferior suam legem reseruationis reuocare potest, ita & eius Superior idem facere potest, & in hoc nullam puto esse difficultatem. Dixi. *Posita legitima causa.* Quia hanc potestatem Superior habet in inferiorem in ædificationem, non in destructionem, & titulo subordinationis, quod est Superioris ordinata potestas in inferiorem, aliter puto non tenere reuocationem ab illo factam, cum tunc non dicatur inferior subordinari superiori, & inferioris potestas sit ex officio, & ordinaria, cui sine ratione præiudicari non potest. Ad quod faciunt tradita à Becano *capit. 40. de Sacrament. quæstione 5. num.3.*

Quæres 3. Quomodo morte reseruantis tollatur reseruatio?

Respond. Quando reseruatio casuum, siue censurarum facta fuit à Superiore vt legislatore, seu per modum legis, aut statuti, morte condentis non tollitur reseruatio, eo quod reseruatio, ad modū aliarum legum, & statutorum perpetuò durat, consequenter etiam post mortem Superioris, quia lex semper loquitur, *l. Ariani, C. de heret.* Reseruatio autem facta à iure ea censetur, quæ exprimitur per nomen dignitatis, aut in qua exprimitur etiam successor, aut talibus verbis fit reseruatio, quæ indicant perpetuam reseruationem; vt, si dicatur. Reseruamus Patri Prouinciali pro tempore existenti. Reseruamus nobis, & successori nostro. Seu, Curiæ, aut Sedi. Hac perpetua constitutione. Isti casus intelligantur, & volumus esse reseruatos Patri Prouinciali, vel Superiori locali, &c. sub his locutionibus intelligitur reseruatio à iure perpetuò duratura, donec reuocetur positiue, iuxta dicta præcedenti quæstione. Quando reseruatio fit, vt ab homine, in eo casu morte reseruantis, cessat ipso facto reseruatio, ita quod quilibet pœnitens, qui etiam antea incurrit reseruationem potest absolui à quouis simplici Confessario. Ratio illius est, quia reseruatio huiusmodi in esse continuè pendet ab influxu potestatiuè voluntatis reseruatoris, ergo extincto reseruatore, ac proinde eius voluntate, necesse est tolli etiam reseruationem. Probaui hanc partem fuse *resolut.6. quæst.14.* Cognoscitur autem reseruatio ab homine, quando exprimitur, vel nomine proprio reseruantis: vt, Frater Antonius, &c. sibi reseruat infra scriptos casus, &c. vel his verbis. Nobis reseruamus. Item, quando registrantur in Tabella Item quando in singulis capitulis solent Superiores illos de nouo edicere. Ita docent de extinctione huius reseruationis, Graff. *pr. lib.1. capit.2. num.11. & capit.4. Reg.11.* Vector. *ad c.7.* Posseuini *n.48.* Floron. *cap.4. §.8. num.5. Quar. ver. casus reseru. in fine, in Addit.* Megal. *lib.1. de pœnit. cap.11. num.13.* Nald. *ver. casus reseru. num 10.* 3

Quæres 4. Quomodo priuatione, seu abdicatione officij, & iurisdictionis cesset reseruatio, vt quando Prælatus est excommunicatus vitandus, tunc enim amisit iurisdictionem; quando est ab officio suspensus, vel illi renuntiauit, aut finiuit suum triennium; vel de Prouinciali electus fuit Generalis, vel Episcopus assumptus fuit ad Paparum; aut proptium officium cum alio commutauit, vt si Prouincialis commutauit cum alio in alia dignitate, &c. Quæstio autem procedit de reseruatione ab homine, cum petita difficultas in allaris exemplis referatur ad influxum perenne potestatiuæ voluntatis reseruatoris.

Respond. Priuatione, seu desitione, vel abdicatione, seu renuntiatione officij definit reseruatio ab homine facta, probatur, quia in his omnibus casibus iurisdictio definit prioris officij remotione, ergo & reseruatio, quæ continuè pendebat ab influxu officij, Ita Floron. *cap.4. §.8. num 5.* de abdicatione, priuatione, aut commutatione, vbi citat Graff. *pt. lib.1. cap.4. reg.11.* 4

de

de mortuo, aut amoto ab officio, quod idem docet *Ghilinus ver. Casus reseruatus numer. 2. vbi citat Granado. quem etiam allegat Diana resolut. 23. de regul.* In terminis de Superioribus regularibus, *Nald. num. 10.* vbi mouet nouum dubium de Episcopo assumpto ad Papatum, an per hanc assumptionem extinguatur reseruatio Episcopalis a se facta, & probat, quod non, quia nec cessat præcedens eius iurisdictio, sed extenditur, & prorogatur ad totam Ecclesiam, & adducit simile, quod Notarius creatus Doctor non amittit priuilegia Notariorum, quia priuilegium priuilegio non aufertur, nec quis amitit vsum fructum in ædibus, quæ in parte, vel in toto renouantur, quia dicuntur permanere eædem domus, & adducit leges pro his similibus; & Cardinalis effectus Papa non desinit esse Cardinalis, *secundum Archidiac. in capit. Sacro sanctam dist. 22.* contra Antonium *Burgos in c. At si Clerici, de iud. n. 8.* vnde concludit resolutionem huius petendam esse à Sede Apost. Sed dicas tu contra Naldum cessare reseruationem, quia Episcopus, vel alius assumptus ad Papatum præsertim, Ipso iure cessat esse Episcopus, non quoad potestatem ordinis, sed tantum iurisdictionis, ac proinde cessat etiam reseruatio, quæ subsistebat influxu illius iurisdictionis. Probatur illud hac vnica ratione, quia Papa potestatem iurisdictionis in vniuersam Ecclesiam, & etiam in eam, in qua ante erat Episcopus, acquirit immediatè a Deo, vt docent omnes Catholici, & dixi aliquid *resol. 37. quæst. 17.* Ergo prior iurisdictio extincta fuit. Imò dato, quod transeat cum Papali, ea ratione, quod inferiora reperiuntur in Superioribus, & iurisdictio inferiorū cumulatur in Superioribus, id tamen non sufficit, quia formaliter non est verum, sed tantum virtualiter, eo quod Superior potestas sit talis efficaciæ, & virtutis, quod ex se potest operari, quicquid causa inferior illi subordinata, quare cum non remaneat eadem in se translatam ad altiorem statum, hoc sufficit, vt pendentia ab illa dicantur cessare, eo quod dicantur pendere à formali influxu, quod amplius non est. Et ex his patet ad rationes Naldi, nimirum falsum esse non cessare iurisdictionem Episcopalem; nec est simile de gradibus notariatûs, & doctoratûs, cum non subordineotur; neque facit ad rem vsus fructus, quia remanet domus eadem numero persona verò mutatur de vno statu ad alium, in quibus datur diuersitas iurisdictionis, mutata enim conditione personæ, mutatur status rei, *l. 1. Codic. de impon. lucr. descr. ex Grilenzonio consil. 69. numero 3.* & mutata persona, mutatur qualitas beneficij, *gloss. in cap. vnic. de iurepatron. in 6.*

6 Excommunicati vitandi, seu suspensi à iurisdictione reseruatio non cessat, modo non sit etiam amotus ab officio, quia tunc cum careat non solum vsu, sed ipsamet iurisdictione, cessat reseruatio, quæ in esse conseruari non potest sine actuali influxu iurisdictionis, probatur illud, quia in excommunicato etiam declarato, aut suspenso, sed non amoto ab Officio, & prælatura, adhuc perseuerat iurisdictio si non quo ad vsum exercendi aliquem actum suæ potestatis, vt excommunicandi, iudicandi, conferendi beneficium, seu Officium, reseruandi casus, vt de hoc dixi *resol. 37. q. 20.* saltem remanet quo ad habitum, & conseruationem iam gestorum ante censuram, ergo sicut remanent omnia gesta ante, ita & reseruatio casuum pendens in esse à iurisdictione adhuc perseuerante licet impedita, quo ad futura gesta. Quod remanent iurisdictio, & impediatur eius vsus docent *c. 1. de suppl. Prælat. iuncta glos. ver. Culpis,* vbi dicitur, quod licet Episcopus excommunicatus sit, ita quod iurisdictionem exercere non potest, non tamen propter hoc iurisdictio transfertur ad Metropolitanum, quod signum est adhuc remanere in Episcopo excommunicatio, cui solum impeditur eius vsus, & exercitium, vnde dixit Panorm. in *cap. Duobus, de sent. excomm.* quod excommunicatio maior aufert potestatem in actu absoluendi, & non in habitu, quem citat *Tabien. ver. Excommun. 1. nu. 12.* dicendo excommunicatum suspendi ab offici., & vsu iurisdictionis; *Megal. lib. 2. cap. 5. de cens. num. 16.* Ait excommunicatum suspendi ab officio, & beneficio, *& §. Quem tamen,* ab eo tolli vsum Ecclesiasticorum officiorum, & beneficiorum; suspensio autem non tollit iurisdictionem, sed tantum eius vsum, & denotat verbum, *Suspensione.* Sanchez *lib. 3. disputat. 22. nu. 31.* vbi ait excommunicatum toleratum validè omnia agere, quia non est ab Ecclesia priuatus vsu iurisdictionis; vitandum verò inualidè agere, quia ab Ecclesia est priuatus vsu iurisdictionis, Bonac. *p. 5. de excomm. num. 1. qui ibidem num. 11.* Ait non tolli sententiam latam in surripientes à iudice postea excommunicato tantum, sed quando non solum suspensus fuit ab vsu iurisdictionis per excōmunicationem sed etiam priuatus de facto iurisdictione, vel officio, itaque vt gesta antea ab homine extinguantur per subsequens excommunicationem, non sufficit vt excommunicatus declaretur excommunicatus, & subsequenter priuatus vsu iurisdictionis, sed præterea amoueri debet ab officio, vnde subdit, de communi, iudicem iterum assumptu ad idem officium, seu iurisdictionem, delinquentem non affici, nisi illa sententia fuerit reuocata. Oppositum sentiunt *Nald. numer. 10. Vgolin. cum Floreno cap. 4. §. 8. num 5. arg. cap. Ad probandum. de sent. & re iud. extrau. Ad euitenda.* Sed hæc capita cum aliis non vrgent, nec quicquam contra nos probant, cum in illis solum dicatur excommunicatos vitandos, & suspensos a iurisdictione non posse validè aliquid agere postquam incurrerint in censuram, nō verò ibidem negatur non extingui præterita gesta dependentia a iurisdictione, aut adhuc in illis subsistat,

Quæres 5. Quomodo in articulo mortis tollatur reseruatio tam peccatorum, quam censurarum? Articulus autem mortis est quando mors proximè, & quasi ineuitabiliter imminet, atque quasi est in fieri, aut per causam naturalem, vt per morbum, & infirmitatem, aut per senectutem; aut per violentam causam, vt, per vulnera lethalia; aut per ministerium iustitiæ, vt cum quis à iudice damnatus est ad mortem; in his tribus casibus dicitur Articulus mortis, in quo quis non se constituit. sed inuitus compellitur per morbum, vulnus, aut iudicem. Periculum mortis est illud, quod frequenter mortem inferre solet; vt cruentum bellum, nauigatio periculosa, transitus per loca periculosa, partus mulieris, quæ nunquam peperit, aut partus difficiles, aliàs experta est. In his, & similibus casibus, in quibus vt plurimum mors sequitur, dicitur periculum mortis, in quo quis saltem inchoatiuè se constituit, ad differentiam articuli mortis in quem periclitans coactè, & inuitus incidit. *Vide hac de re Bonac. q. 3. de censur. p. 3. n. 4. fusius Floren. c. 4. §. 20.*

Respond. In articulo, seu periculo mortis, de iure 7
Ecclesiastico quicumque Sacerdos nondum approbatus, siue sit excommunicatus etiam vitandus, imò degradatus, etiam hæreticus potest absoluere à quibuscumque peccatis etiam reseruatis in Bulla quoque Domini, etiam ab hæresi, & quibuscumque censuris, siue occultis, siue notoriis, & latis etiam in determinatam personam, eo ordine seruato, in actuali exercitio, & vsu Sacramentalis Pœnitentiæ, vt petatur ab existente in periculo Sacerdos approbatus, & habens facultatem super reseruata, qui si non possit haberi, recursus fiat ad simplicem Sacerdotem, qui post inceptam Confessionem perficere potest, non obstante, quod superueniat alius habens facultatem; demum tenetur se præsentare post absolutionem à censuris.

Prima pars, quod tam in articulo, quàm periculo 8
mortis quilibet simplex Sacerdos valeat absoluere, probatur, quia in ordine ad absolutionem non differunt, vt colligitur, *ex cap. Si quis suadente 17. quæst. 4. ibi, Mortis vrgente periculo, & in cap. Non dubium, & cap. Eos, de sentent. excom.* in quibus locis lex non distinguit inter periculum, & articulum, sed pro eodem accipit.

accipit. Ita maior pars Doctorum cum Nau. *capit.27. num.272. in fine*, qoem cum aliis multis refert Florou. *cap.4. §.20. §. Secunda*, vbi §.*Quid*, sequitur Bunacin. *quæst. 3. de cens. p.3. num.4.* Nec obstat Clem.VIII. in Decreto suo priori, in quo prohibet, ne quis confessarius virtute priuilegiorum, *nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo*, à reseruatis absoluere audeat, ex quibus verbis colligitur articulum mortis distingui à periculo mortis in ordine ad absolutionem, non obstat inquam, quia nomeo casus necessitatis, seu impedimenti non includit periculum mortis, sed alios casus, de quibus *in cap. Quod de his 26. cap. Quamuis 58. de sentent. excommun.* in quibus locis enumerantur quædam impedimenta, & casus necessitatis, in quibus Episcopus potest absoluere à reseruatis Papæ sibi subiectos, & Prælatus Regularis maior, *ex probatis resolutio 3. quæstione 17.* Vel dic, verba illa referri ad Confessarios absoluentes virtute priuilegiorum, vt dixi *resolutio 6. quæstione 9. §. Ad obiectionem*, de quibus hîc sermo non est, vt patet.

9 Secunda pars, quod hanc iurisdictionem absoluendi habeant sibi communicatam ab Ecclesia, & oou de iure diuino, probatur, *capit.7. sess.14.* illis verbis, *In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, ac ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.* Ita docent Domin. Soto. Medina. Turrecr. Bonau. & Anton. quos pro se citat Becan. *capit.38. de Sacrament. quæst.4. num.2.* Megal. *libro 1. de pœnitent. capit.9. num.24.* Faber *disputat.25. de pœnitent. num.68.* contra nonnullos apud citatos asserentes Sacerdotes tunc à iure diuino habere eam facultatem, sed cum id nullo iure probetur, relinquitur.

10 Tertia pars, quod quilibet Sacerdos, quouis impedimento detentus, siue approbationis, siue censuræ, siue degradationis, siue hæresis possit absoluere, probatur ex mox citatis verbis, ibi: *Omnes Sacerdotes*, omnes enim Sacerdotes complectens nullum pœnitùs exclusit, ad quod faciunt diuersa iura, *capit. Romanorum dist.19.* ibi, Dicendo verò omnia Decretalia, nullum de Decretalibus constitutis prætermisit, *cap. Sunt nonnulli 113. 1. quæst.1.* ibi. Non dixit solum à munere, sed ab omni munere, *cap. Non æstimemus 19. 13. quæst.2.* ibi. Oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur. Dictio enim vniuersalis magis extenditur quàm iodefinita, sub qua non veniunt omnia particularia, quando diuersa est ratio, vtique verò si addatur dictio vniuersalis, qoia tunc comprehenduntur omnia inferiora, quamuis aliqua aliàs oon essent comprehendenda propter diuersitatem rationis vt constat *argum. l. Si cui ff. de legat.3.* vbi dicitur quod si lana indefinitè legetur, non venit tincta sub legato, vtique verò, si legetur omnis lana, *per l. Pediculis, §. Labeo ff. de auro, & arg. legat.* quas leges refert Gloss. *ver. Aliorum, cap. Vt circa 4. de elect. in 6.* cum alio exemplo de legato marmoris, & omnis marmoris, Nauat. *consil.9. de iis, quæ vi num.5. de statu Monach. num.1.* in quibus locis adducendo dictas leges, ait propositionem vniuersalem multo magis extendi indefinita, vnde cum nostra propositio vniuersalis sit, extenditur sine dubio ad omnes Sacerdotes, quouis impedimento detineantur; quod confirmatur ex motiuo, quod habuit Ecclesia pia mater, ne scilicet quisquam in tanto periculo vtriusque vitæ careret spirituali remedio Sacramentalis pœnitentiæ in illo puncto necessarissimo vnde amplam facultatem omoibus indifferenter fecit, & sicut nullum excipitur peccatum, nulla censura quomodolibet reseruata, ita nullus excluditur Sacerdos quomodolibet impeditus. Ita docent Angel. *ver. Confessio 3. num.2. §. Ego tamen*, Silu. *ver. Confessor 1. quæst. 6. num. 16.* Suar. Regin. Tabien. & multi aliis quos citando Floron. *cap.4. §.18. sequitur num. 4. §. Quid igitur.* Bonac. *quæst.3. de cens. p.3. num.1.* Megal. *lib.1. de pœnit. cap. 9. num. 24.* Becan. *cap. 38. quæst.5.* Faber *disput.25. de pœnit. num.68.* Alij apud citatos negant hanc facultatem concessam fuisse ab Ecclesia excommunicatis, & alij censuratis præsertim vitandis, eo quod Ecclesia huiusmodi non tolerat, immo à se abiecit, sicut facit eo magis Hæreticos, & Schismaticos, qui omninò sunt extra Ecclesiam. Sed cum isti per hanc exclusionem non amiserint necessaria ad absolutionem de iure diuino, cuiusmodi sunt intentio, & ordo Sacerdotalis, quamuis indigni sint tanta authoritate iurisdictionis absoluendi ab omnibus, quia tamen Ecclesia non respicit eorum demerita, sed indigentiam fidelium, quos non vult perire in extremo suæ vitæ sine spirituali remedio, ideo ad communem vtilitatem, Christianorum istis quantumuis extra corpus Ecclesiæ proiectis membris hanc facultatem communicat.

Quarta pars, quod existens in periculo, aut articulo mortis possit absolui à quibuscumque peccatis, & censuris quouis modo reseruatis, etiam publicis, licet sit nominatim excommunicatus, probatur ex verbis eiusdem Concilij relatis supra §. *Secunda pars*, ibi. *Quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris.* Hæc enim verba sunt generalissima, & ita geminata in sua vniuersalitate, vt excludant quamlibet exceptionem, pro qua faciunt iura, & rationes adductæ præcedenti, §. *Tertia pars.* Quo ad censuras videtur limitanda, vt nimirum dari possit absolutio solum ab illis censuris, quæ impediunt receptionem Sacramentorum in articulo mortis, & sepulturæ Ecclesiasticæ, vt colligitur ex eodem Consilio, ibi. *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, quæ facultatem Sacerdoti restringunt ad eas censuras, quæ possunt impedire receptionem Sacramentorum, & sepulturæ, vnde constitutus in articulo mortis non potest absolui à suspensione officij, vel beneficij, aut ab irregularitate, quia huiusmodi noo impediunt dictam receptionem, neque animam perire faciunt. Sic docent Nau. *capit.27. num.270. §. Sexto*, Sanchez *lib. 2. cap. 13. num.12.* Bonac. *quæst.3. de cens. p.3. num.8. & 9.* Faber *disput cit.25. num.68.* nullam facit distinctionem, sed dicit absolutionem dari posse super omnibus peccatis, & censuris; Lupus *part. 2. distinct 9. artic. & diff. 1.* distinguit cum prædictis citando Homobon. *de exam. Eccles. tractat.5. cap.27.* 11

Quinta, quod seruandus sit ordo in petendis Sacerdotibus pro confessione in articulo mortis, vnde seruandus est sequens, vt in primis vocetur habens facultatem super reseruata, si potest, & ipse velit accedere, postea in huius defectum vocandus est Sacerdos approbatus; in cuius defectum succedit simplex Sacerdos, hoc deficiente suspensus, deinde excommunicatus, postea depositus, dehinc Schismaticus, demum hæreticus. Hunc ordinem ex Suar. refert Megal. *lib.1. de pœnit. cap.9. num.24.* Intellige quando isti commodè per ordinem vocari possunt absque periculo, quod periclitans moriatur sine Sacramentis, aliter Sacerdos simplex vel Confessarius non habens facultatem super reseruata celeriter vocatus, quia timetur mors probabiliter instare, benè absoluere potest. Probatur ex intentione ipsiusmet Concilij, & vniuersalis Ecclesiæ, quæ hanc facultatem omnibus Sacerdotibus contulit, ne fideles in extremo suæ vitæ destituerentur tam salubri remedio Sacramentalis pœnitentiæ, ergo si tunc commodè remedium recipere possunt à Confessario habente facultatem super reseruata, Ecclesia non censetur concedere hanc facultatem aliis Sacerdotibus facultate carentibus, tunc enim pœnitens nullam habet necessitatem confitendi simplici Sacerdoti, si Confessarij copiam habere potest. Sic docent Sanchez *libro secundo, capite decimo tertio, num.7.* Megal. *lib.1. cap.9. num.24.* Bonac. *quæst.3. de cens. p.3. num.3.* Floron. *cap.4. §.19. num.5. §. Quid igitur.* 12

tur. Contraria opinio aſſerens quemuis Sacerdotem, quamuis adſit copia proprij Confeſſarij habentis facultatem ſuper reſeruata in caſu, poſſe abſoluere, probabilis eſt, quam tenent pluresa cum Nau. Angel. Chapeauilla, Zerola, Conrad. apud Floronim 9. *Contrarium*, cum aliis multis apud Sanchea *citat. numero* 6. quos ſequitur, Nald. *ver. Confeſſio numero* 31. & probabilem putat Megal. *citat. numero* 26. ſequitur Graff. *tom.* 1. *conſil.*15. *de pœnit. num.*16. Coriol. *ſect.*2. *art.*16. *num.*16.

13 Sexta, quod ſuperueniente Confeſſario habente facultatem, poſſit ſimplex Sacerdos proſequi cæptam Confeſſionem, & ab omnibus abſoluere etiam cenſuris, probatur, tum quia præſentia ſuperuenientis legitimi Confeſſarij iure ordinario, non tollit facultatem acquiſitam à ſimplici Sacerdote per incæptam Confeſſionem. Tum quia cæpta confeſſio terminanda eſt ab eo, à quo cœpta fuit, ne primum iudicium reddatur inutile. Et faciunt dicta *reſol.*38. *quæſt* 26. & hoc multis probat Sanchea *lib.* 2. *cap.* 15. *num.*13. & ex eo Lupus *part.*1. *de caſibus* Bergomi *diſt.* 19. *art.* 1. *diff.* 3. *qui num.*5. aſſerit non poſſe ſimplicem Sacerdotem, vel non habentem facultatem ſuper cenſuris ab his abſoluere, ſed ſpectare ad Superiorem ſuperuenientem, ductus ea ratione, quia Confeſſarius tenetur onus imponere pœnitenti, vt quam primum commodè poſſit, ſe legitimo Superiori præſentet, cum ergo tunc adſit, & commodè poſſit pœnitens ſe illi præſentare tenetur, ſed non cogitur peccata repetere, cum habeat, ſolùm eam excommunicationem illi manifeſtare ad quod tenetur licet etiam poſt abſolutionem ſuperueniat Superior. Sed non placet huiuſmodi reſponſio, qui aliud eſt non poſſe tunc abſoluere ab excommunicatione, Superiore ſuperueniente, quod nego, cum in eo caſu ſit legitimus Confeſſarius, reſpectu cuius facultatis nulla adeſt reſeruatio, aliud obligatio ſe præſentandi Superiori, vt notum eſt, quare non obſtante præſentia Superioris, poterit abſolui à ſimplici Sacerdote, & poſtea ea opportunitate captata ſe præſentate, pro parendis Eccleſiæ mandatis; igitur Sacerdos optionem habet abſoluendi à cenſuris, vel cedendi abſolutionem Superiori.

14 Septima, quod teneatur ſe præſentare pro cenſuris à quibus abſolutus fuit, non autem pro peccatis, probata fuit ſufficienter *reſol.*3.*q.*16. *& reſol.*37. *q.*15. §. *Secundum.*

15 Bonacina *quæſt.* 3. *de cenſ. p.*3. *num.*18. monet difficultatem, vtrum vitandus ſit Titius, qui fuit abſolutus in articulo mortis ab excommunicatione ad reincidentiam, quàm antea contraxerat, & erat nominatim excommunicatus. Ad quam reſpondit, vitandum eſſe, ad quod, vti quid nouum: adducit tres rationes. Prima eſt, quia ſi non poteſt ſepeliri in loco ſacro antequam Superiori conſtet de abſolutione, multo minus admitti poteſt ad participationem fidelium, ſi ſuperuixerit, & reciderit in eandem ſpecie excommunicationem, quæ retinet eoſdem effectus, & reſeruationem. Ad quam dico eſſe eandem ſpecie quo ad intrinſeca ſua, non verò quo ad accidentalia, & conſequenter quo ad denunciationem, quæ requirit factum iudicij, quod cum in caſu noſtro deſit, ideo abſolutus in articulo mortis ex inobedientia non ſe præſentando, incidit quidem in eandem excommunicationem, non tamen cum hoc effectu extrinſeco denuntiationis, quia recidit ſine facto iudicis, cum non incidat vt contumax iudicis, cum ab eo non ſit de nouo vocatus, ſed tantum vt contumax legis. Secunda ratio eſt, quia imponitur onus præſentationis, ne cenſuræ videantur illudi, vt dicitur *cap. Eos* 22. *de ſentent. excommun. in* 6. illuduntur autem ſi non ſe præſentet abſolutus, ergo vitandus eſt ſi non ſe præſentet, ne ſequatur illuſio cenſuræ. Hoc argumentum probat ſolum abſolutum peccare non ſe præſentando, & incurrere in excommunicationem, nihil vero de vitatione fidelium, quia hic effectus non ex intentione legis, ſed ex facto iudicis ſequitur. Tertia ratio eſt, quia in textu citato dicitur, quod reincidat in eandem non excommunicationem, ſed in eandem ſententiam; Titius autem per ſententiam fuerat denuntiatus excommunicatus, & conſequenter vitandus, ergo idem dicendum, quo ad reincidentiam. Ad quam dico, quod ſi faciat vim in verbo, *Sententia*, eius argumentum multum debile eſſe, quia in iure indifferenter accipitur tam pro excommunicatione iuris, quàm iudicis, vt videre eſt toto *tit. de ſentent. excommun.* & facit expui citatum, *Eos* 22. *eod.* ibi enim diſponitur non ſolum de excommunicatione iudicis, ſed etiam iuris, vt apertis verbis ibidem habetur initio diſtinguendo ſententiam canonis, & hominis, ergo nomine ſententiæ venire habet ipſamet excommunicatio, & cenſura, non factum iudicis, Confirmatur, quia reincidentia refertur ad excommunicationem, non ad eius declarationem, & denuntiationem, quæ indiuidua, & neceſſariò connexa erant cum cenſura ablata in articulo mortis, ac proinde ſublata ſimul cum illa, nam ſtatim poſt abſolutionem ſine dubio vitandus non erat, quia non erat tempus ſe præſentandi ex morbo impediente, neque dicebatur inobediens, cum haberet voluntatem ſe præſentandi vt ſuppono, poſita ergo inobedientia non ſe præſentandi cum poſſit abſolutus in articulo mortis, ſtatim reincidit in articulo mortis, ſtatim reincidit in eandem ſpecie excommunicationem, & non numero, ergo noua excommunicatio non habet eadem accidentia denuntiationis, ſicut prior, aliter potius eſſet eadem numero, quam diuerſa, quia ex eiſdem accidentibus arguitur identitas numerica. Vel demum dicas, ſi vis tenere opinionem Bonacinæ, ne dum vitandum eſſe ratione reincidentiæ, verum etiam reſpectu prioris excommunicationis denuntiatæ, eo quod in foro externo non ſuffragatur ea abſolutio, ſed tantum pro anima; vel dic ſuffragari etiam pro vtroque foro ſub conditione ſi moriatur,

Quæres 6. Quomodo priuilegio iubilæi tollatur reſeruatio peccatorum, & cenſurarum?

Reſpond. Virtute Iubilæi ceſſant omnes caſus reſeruati, tam Papales, etiam Bullæ Cœnæ Domini, excepta hæreſi, quam Epiſcopales, & aliorum Superiorum, 16
vt Inquiſitorum, & Superiorum Regularium, excepto caſu excommunicationis eius, qui fuit nominatim denuntiatus, ita quod Confeſſarius electus à reliquis omnibus reſeruatis peccatis, & cenſuris eligentem abſoluere poteſt. Quod alia ratione non probatur, niſi quia hæc ampla facultas in ſingulis iubilæis quaſi de forma exprimitur huiuſmodi verbis. *Cupientes autem omnes Chriſti fideles participes fieri huius pretioſiſſimi Theſauri, vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus, tam Laicis, quàm Eccleſiaſticis Secularibus, & Regularibus cuiuſuis Ordinis, Congregationis, & inſtituti licentiam concedimus, & facultatem damus, vt, ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque presbyterum Confeſſarium, tam Secularem, quàm cuiuſuis Ordinis regularem ex approbatis à locorum ordinarijs, qui eos ab omnibus, excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à iure, vel ab homine quauis cauſa latis, ſeu inflictis; nec non ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis quantumuis grauibus, & enormibus, etiam locorum ordinariis, ſiue nobis, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, & alias per quaſcumque noſtras, aut Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodocumque reſeruatis, in foro conſcientiæ, & hac vice tantum, non tamen à crimine hæreſis abſoluere, & liberare valeat.* Et paulò infra. *Neque etiam eaſdem præſentes iis, qui à Nobis, & Apoſtolica Sede, vel ab aliquo Prælato, ſeu Iudice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeu aliàs in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denuntiati fuerint, niſi infra tempus*

tempus celebrationis huiusmodi Iubilæi satisfecerint, aut cum partibus concordauerint, vllo modo suffragari posse aut debere. Hæc est forma facultatis, quæ solet concedi Confessariis electis tempore Iubilæi, quam transcripsi ex postremo Iubilæo Vrbani VIII. anno 1636. Quamuis autem in supra scripta forma fiat mentio solum de casibus Episcopis reseruatis, tamen idem omnino dicendum de peccatis, & censuris reseruatis quibuscumque aliis Superioribus, vt colligitur ex dictione, *Etiam*, quæ est implicatiua etiam casus magis dubitabilis, Nauar. *tom.3. Notab.26. de Iubilæo num.3. per l. Etiam, ff. de minor. Clem. Religiosi, de procur. prope finem, & Clem.1. de testam.* initio, ergo eo magis comprehendit casus minus dubitabiles, quales videntur aliorum Prælatorum. Præterea in dicta forma exprimuntur casus Episcopales vt notiores, & in exemplum; cum autem exempla regulam non restringant, *l. Damni infecti, ff. de damn. infect. l. penult. §. fin. ff. de iuris, & facti ignorant. Surd. consil.* 308. *num.* 10. Sanchez *libro 1. disputat.57. n.6.* facultas absoluendi tempore iubilæi extenderetur ad reseruatos respectu cuiuscumque reseruantis.

Dubia quædam hac occasione emergunt, quæ mul-
17 tum faciunt ad perfectam intelligentiam huius responsionis. I. An sub hac facultate continerentur casus reseruati inferioribus à Papa, si in Iubilæo non exprimerentur casus Episcopales? II. An huiusmodi facultas extenderetur ad casus Bullæ, si Papa eosdem præteriret? III. An quis pluries absolui possit durante tempore iubilæi? IV. Quid si non exprimatur facultas absoluendi, sed tantum concedatur indulgentia? V. An absolutus, sed non perficiens opera, reincidat in eandem censuram reseruatam? VI. An oblitus reseruatorum possit tempore exacto Iubilæi absolui à quouis simplici Confessario?

Primo, quamuis in Iubilæo nulla exprimeretur con-
18 cessio casuum reseruatorum Episcopis, adhuc tamen electus Confessarius ab illis absoluere posset, quia licet priuilegia, quæ lædunt ius tertij strictè sint explicanda, *cap. Dilectus, de consuetud. cap. Porrò de priuileg.* & lex generalis, quàm Papa fert, non deroget specialibus statutis locorum particularium, & Episcoporum, vt dicitur *cap.1. de constit. in 6.* tamen id applicandum non est Iubilæis, quia illud intelligitur de priuilegiis particularium ex citatis iuribus, non autem de Iubilæo, quod est priuilegium vniuersale concessum omnibus Christi fidelibus, largissimè explicandum, vt docet rectè Bossius *sect.1. de Iubilæo casu 3. num.5.* Et Iubilæum non dicitur lex, eo quod perpetuò non durat, sed tantum quindecim dies statutos, vt id omnibus notum est, vnde dictum de lege generali non derogante specialibus statutis locum non habet hic. Et sic patet ad argumenta Bonacin. qui *quæst.3. de cens. p.1. num.10.* tenet oppositum etiam in Iubilæis ob solutas rationes; adducendo præterea Decretum Clem. VIII. prohibens Confessarius prætextu priuilegiorum Pontificiorum absolutionem reseruatorum Episcopis, nam in eo Decreto, & alio eiusdem declaratorio, & moderatorio nulla fit mentio de Iubilæis, sed tantum de priuilegiis aliàs concessis, quorum virtute non possunt amplius absoluere à reseruatis, eo quod illa omninò cassauit, & annullauit Papa, ex quo facto efficaciter non infertur priuilegium post factum à Summo Pontifice absoluendi à sibi reseruatis, absque expressa mentione reseruatorum Episcopis, excludere facultatem absoluendi à reseruatis inferioribus, hoc ipso, quod facto proprio, Irritat priuilegia, ne extendantur ad tollendam reseruationem inferiorum. Quamquam de iure, & rationabilius dicendum sit extra casum Iubilæi, habentem priuilegium absoluendi à Papalibus, non ideo possit remittere reseruata inferioribus, nisi fiat expressa mentio, quia Papa per sua rescripta & priuilegia non præsumitur derogare aliis, nisi faciat mentionem de illis, quibus intendit præiudicare quia priuilegium in dubio tertio præiudicare non debet *l.1. §. Si quis à Principe, ff. Ne quid in loco publ.* Sanch. *lib.8. disput.7. num.6.* priuilegium enim quantumuis contineat verba generalia, non tamen ita explicandum est, vt præiudicet tertio, Gloss. *fin. cap. Cum olim, de consuet. cap. Licet de translat. Prælat. cap. Ex tuarum, de auther. cap. Licet, de offic. ordin. cap.3. de decim.* iuncta Glossa *ver. Intentionis*, vnde Farinac. *part.1. decis.174.* quem pro se citat Suarez in suo Enchir. *ver. Ius patronatus §. Immo nunquam*, docet, quod Papa nunquam intendit derogare iuri quæsito alteri, quibuscumque verbis vtatur, & clausulis, etiam si addat, ex certa scientia, motu proprio, ex plenitudine potestatis, vbi citat Rebuffum *in praxi benefic. de iure alterius quæsito non toll. gloss.6. numero 37.* & alios. Nec obstat, quod in re nostra, priuilegium videatur inane respectu eius, qui habet reseruata ordinario, ratione quorum tunc priuilegio vti non potest, quia hæc est impotentia inuoluntaria, siquidem per accessum ad Superiorem impedimento sublato, illi valde proficuum erit priuilegium Papale, vel aliud simile.

Secundo, si Papa in aliquo Iubileo non exprimeret 19
facultatem absoluendi à reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, sine dubio non tolleretur eorum reseruatio, neque proinde posset Confessarius electus ab illis absoluere, quod alia ratione non probatur nisi ex illorum conditione accepta, nam Papa in processu Bullæ se declarat non dare cuiquam Confessario facultatem absoluendi ab illis, nisi de illis faciat expressam mentionem, vel in genere, sed cum derogatione Bullæ saltem virtualiter, vt constat ex allata forma in responsione, ibi. *Etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis.* Ecce eorum expressio in genere. *Quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis.* Ecce literatum Cœnæ derogatio in genere. Confirmatur, quia minimè derogatur iis, quæ speciali nota digna sunt, nisi expresse nominentur, *l. Item apud Labeonem, §. Ait prætor, ff. de iniur.* Sic docent Sanchez *libro secundo capit.12. numero tertio*, Bonacin. *quæstione 3. de cens. part.1. numero 12.* quos & alios plures citat Bossius *sect.1.1. de Iubilæo casu 7.*

Tertio stando in puncto iuris, puto quem non posse 20
absolui pluries ab eisdem reseruatis, postquam lucratus fuit iubilæum, seu indulgentiam. Probatur ex verbis ipsius formæ supra citatæ, ibi. *Et hac vice tantum*, nimirum absolui potest à reseruatis ad consequendum indulgentiam, si ergo nondum eam fuit consequutus, sed tantum absolutus à reseruatis, & iterum incidat potest denuò absolui, vt possit lucrari indulgentiam, post cuius consequutionem non amplius absolui potest, licet velit iterum lucrari indulgentiam, quia videtur adesse aliqualis abusus Iubilæi cum reseruatis irretitus determinet de nouo acquirere indulgentiam non præcisè, vt illam lucretur, sed potius vt absoluatur à reseruatis, à quibus cum non possit absolui sine executione præscriptorum in Iubilæo, idcirco eligit lucrari indulgentiam propter absolutionem. Confirmatur, quia multi docent, non posse iterari indulgentiam iubilæi, cum illæ duæ hebdomadæ ponantur disiunctiuè, sic docent Bonac. *quæst.7. de pœnit. part.5. §.2. num.17.* Portell. *ver. Indulg. num.16.* Sanch. *lib.4. cap.54. num.30.* alios quam plures citat Bossius *sect.1. casu 40.* cui opposita videtur probabilior, *num.13.* cum Nald. *ver. Indulg. num.4. & 3.* Floron. *cap.6. §.3. num.2.* cum aliis multis citatis ab eodem *num.8.* ergo neque iterum absolui à reseruatis, siquidem sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, nec obstat aduersariorum responsio, id non habere locum in fauoribus, sed tantum in odiosis, qua & hoc odiosum est, cum lædat iurisdictionem Superiorum, vnde sufficit si vnica vice quis gauisus fuit Iubilæo. Nec subsistere potest interpretatio ad illa verba. *Et hac vice tantum*, id est huius iubilæi occasione, & eo durante posse quemlibet toties quoties opus erit absoluere, quia potius voluntaria est, quam rationi innitatur, siquidem omnibus notum est nullum extra tempus

tempus iubilæi posse vti gratia iubilæi, si potuit consequi illud intra præfixum tempus. Ita docent Sanch. *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 30. Bonac. *cit.* Bossius *sect.* 1. *casu* 15. *num* 5. contra quosdam alios ab illis citatis, & Floron. *cap.* 6. §. 5. *num.* 2.

21 Quarto, quando conceditur iubilæum, seu indulgentia instar Iubilæi, non ideo communicatur facultas absoluendi à reseruatis, nisi expressa mentio fiat, de hac facultate, à iubilæo siquidem ad hanc facultatem non valet consequentia, quia facultas absoluendi à reseruatis non necessariò connectitur cum Iubilæo, aut indulgentia in forma Iubilæi, cum Papa huiusmodi indulgentiam sine facultate concedere possit, vnde facultas hæc concessa non subintelligitur, nisi exprimatur. Confirmatur, quia iubilæum, & indulgentia plenaria in substantia rei nil differunt, sed ambo sunt remissio omnium peccatorum quo ad pœnam, quod verò iubilæo superaddatur facultas absoluendi, & dispensandi est arbitrium Papæ, qui potest se abstinere ab huiusmodi concessione, vnde nulla facta mentione, censetur illam concedere nolle, siquidem gratia non præsumitur, cum consistat in facto concessionis. Quare concedere indulgentiam per modum iubilæi nil aliud denotat, quàm excellentiam quandam ipsius indulgentiæ quo ad copiosam remissionem omnium peccatorum, Sic sentiunt Suarez *disput.* 7. *de censur. sect.* 5. *num.* 9. Duard. *lib.* 3. *Bulla* §. 2. *quæst.* 1. *num.* 14. Lauor. *part.* 2. *de Iubil. cap.* 10. *num.* 78. quos citat Bossius *sect.* 1. *de Iubileo casu* 16. *num.* 1. vbi *num.* 2. sequitur oppositam opinionem communem cum Cordub. *lib.* 5. *quæst.* 11. Rodriq. *sum. part.* 1. *cap.* 184. *num.* 2. Graff. *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 29. Coriolano *sect.* 3. *artic.* 15. *num.* 5. cum aliis, quod probant ex differentia inter indulgentiam, & Iubilæum, quod hoc connexam habet præfatam concessionem, ergo parum refert facultatis expressio, sed ad hoc iam dixi, hanc concessionem necessariò non consungi cum Iubilæo, ideo non subintelligitur exire cum ipso, nisi exprimatur. Nec prodest, quod aiunt, in anno Sancto non exprimi huiusmodi facultatem, & tamen consequi ad Iubilæum, quia id est speciale in anno Sancto, ratione loci, & vrbis, vbi Iubilæum percipiendum est, in quo loco omnes Confessarij non solum ratione Iubilæi magni, sed etiam virtute suorum priuilegiorum ab omnibus absoluere possunt etiam casibus Bullæ Cœnæ Domini, vt patet ex duobus Decretis Clem. VIII. qui priuilegiis super reseruata derogauit solum existentibus extra Vrbem. Citatus Bossius *n.* 3. excipit casus Bullæ Cœnæ, & vota Papæ reseruata, quæ non vult subintelligi in huiusmodi Iubilæis, & indulgentiis in forma iubilæi nisi exprimantur.

22 Quinto, absolutus tempore iubilæi à reseruatis cum intentione lucrandi iubilæum, remanet verè absolutus, licet postea non perficiat opera in eo præscripta, quia absolutio simpliciter data fuit respectu omnium reseruatorum, licet occasione Iubilæi lucrandi, neque reincidit in eandem reseruationem, aut censuram, quia huiusmodi reincidentia non exprimitur in Iubilæis; neque facit *capit. Eos, de sentent. excommun.* quia ibi quis reincidit in eandem excommunicationem in duobus casibus, primo quando quis absolutus in articulo mortis, vel alio impedimento à non habente facultatem; secundo, quando quis absolutus fuit ab inferiori cum onere se præsentandi suo Superiori cum reincidentia; qui duo casus locum non habent hic, cum neque adsit mandatum se præsentandi Superiori. Ita docent Nau. *tom.* 4. *Miscell.* 93. *de orat.* Coriolanus *sect.* 3. *art.* 17. Graff. *part.* 1. *lib.* 4. *c.* 15. *n.* 37. Corduba, Zerola, Suarez, Sanch *lib.* 8. *disput.* 15. *n.* 20. *& in sum. lib.* 4. *c.* 54. *n.* 44. cum multis aliis citatis à Bossio *sect.* 1. *casu* 31. *n.* 4. Bonac. *quæst.* 7. *de pœnit. p.* 5. §. *V. num.* 17. Diana *resol.* 145. *de Sacram.*

23 Sexto, qui in confessione Iubilæi inculpabiliter reliquit aliquod peccatum, vel censuram reseruatam, potest postea iubilæo finito, facere se ab illis absoluere peccatis, quia iam ablata fuit reseruatio, tum peccatorum, ex eo, quod peccata oblita indirectè absoluuntur quo ad culpam, consequenter etiam quo ad reseruationem, quæ stare non potest sine peccato; tum censuratum, ut constat ex ipsiusmet formæ absolutoriæ verbis ibi: *In quantum possum, & tu indiges*; in quo casu cum Confessarius electus valeat absoluere à censuris, cum possit, & pœnitens verè indigeat, dicendum est, talem pœnitentem, non obstante obliuione verè absolutum fuisse. Sic docent Nau. *c.* 26. *n.* 13. Coriolan. *sect.* 1. *art.* 17. *Sanct. de Iubilæo cap.* 12. *dub.* 2. & est communis opinio, Bossius *sect.* 1. *casu* 32. *num.* 2. Bonac. *q.* 7. *de pænit. p.* 5. § 5. *num.* 1.

Quæres 7. Quomodo absolutione censuræ tollatur reseruatio peccati.

Respond. Tollitur ex ratione, quia cum per reseruationem censuræ directè non reseruetur peccatum, sed tantum in consequentiam, quatenus eius absolutio impeditur per censuram, quæ prohibet vsum Sacramentorum, ideo censura sublata, peccatum à quouis simplici Confessario tolli potest, cum non super ipsum; sed super censura cadat reseruatio. Dixi satis *resolut.* 37. *quæstione* 10. *in resp.* 3. *&* 4. vbi Doctores citaui. 24

Quæres 8. An contraria consuetudine tollatur reseruatio? Consuetudo autem est ius quoddam non scriptum, moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, *cap. Consuetudo, dist.* 1. & in ratione iuris non scriptum, sed moribus acquisitum, in ratione facti dicitur frequentatio similium actuum exercitorum à maiori parte communitatis. Ita Doctores omnes de consuetudine agentes. Lius tres sunt effectus, interpretari, iuxta illud, *Consuetudo est optima legum interpres.* Abrogare legem veterem, & nouam inducere. Non potest autem abrogare legem naturalem, neque diuinam, sed tantum humanam, *cap. fin. de consuet.* modo à lege non damnetur consuetudo, & reprobetur vt iniqua, & tanquam corruptela, in quo casu reprobata consuetudo per legem, non simpliciter per similem clausulam; *Non obstante quauis contraria consuetudine*, sed cum similibus verbis, *Quæ potius corruptela, seu iniqua, & irrationabilis consuetudo dicenda est*, nullam habet efficaciam abrogandi legem, vt docet Becan. *quæst.* 7. *de consuetud.* Sex autem conditiones requiruntur ad abrogandam legem veterem, & nouam inducendam. Prima, actus humani, quibus inducitur, debent esse boni, & vtiles communitati, non contra ius naturale, aut diuinum, exercitia maiori parte communitatis per vsum externum, & actus positiuos, qui ita non sint, vt consuetudo possit sciri a Superiore, vt docent Bonac. §. *III. de consuetud. num.* 7. 12. 22. 16. Becan. *quæst.* 4. *&* 5. vnde introduci non potest per non vsum, nisi contineat implicitum actum contra legem, vt, in Clericis, possunt abrogare legi de tonsura ferenda, quia actus non ferendi tonsuram continet in se virtualiter actum contrarium legi, vt docent Siluest. *quæst.* 8. Bonacin. *num.* 27. Becan. *quæst.* 5. Actus autem necessariò non debent esse iudiciales, loquendo de Iuribus Pontificio, & Cæsareo, sed sufficit, quod sint facti extra iudicium, quia in neutra lege contrarium statuitur, Becan. *quæst.* 4. *num* 4. cum Suarez *lib.* 7. *capit.* 11. *num.* 2. Secunda, requiritur consensus saltem legalis, vt vim habeat abrogandi legem. Est autem triplex, Expressus, qualis est ille, quo Superior consuetudinem introductam sciens approbat. Tacitus est ille, quo Superior dissimulat consuetudinem, licet eò commodè contradicere possit. Legalis, seu iuridicus, aut Interpretatiuus est ille, quo Superior semel statuit lege communi *cap. fin. de consuetud. l. De quibus, ff. de legib.* consuetudinem rationabilem, & legitime introductam habere vim legis, & iste in defectum, aliorum sufficit, Sanch. *lib.* 7. *matrim. disput.* 4. *num.* 11. Becan. *quæst.* 2. Bonac. *num.* 34. Tertia, introduci autem debet à maiori parte cum intentione abrogandi legem,

Suar. *lib.6.cap* 18. Bonac. *num.*17. Quarta, consuetudo abrogans legem debet induci ab illis, qui tenentur seruare legem. Quare amens furiosus, puer, & non subditus legem abrogare nequeunt; neque Clerici legem Secularium, neque è contra, ita omnes cum Bonac. *num.*13. *ad* 16. Quinta, tempus requisitum ad præscribendam consuetudinem contra legem Secularium est spatium decennij, Ecclesiasticam spatium 40. annorum, & hoc verum est, quando consuetudo inducitur ex consensensu legali, seu tacito, nam ex consensu expresso non est opus expectare tempus à iure statutum; & hoc procedit siue sit contra legem, siue præter, quia expressa voluntas legislatoris non habet minorem vim, quam lex scripta; notat Becan. *q.*3. *n.*5. cuius est hæc doctrina, nullum in iure assignari tempus pro præscribenda consuetudine, sed Doctores tempus accipere à præscriptione aliarum rerum. Sexta demum vt consuetudo præter legem inducat vim obligandi necesse est quod actus fiant cum intentione obligandi, & hoc à maiori parte, aliter censetur potius deuotio, quàm consuetudo, quia nullus præsumitur sibi velle onus imponere, nisi ad hoc aduertat, Bossius *sect.*4. *de Iubil. casu* 18. *n.*24. *&* 25.

Redeundo ad quæstionem, Graff. *lib.*1. *Append. cap.*7. *n.*56. asserit consuetudine contraria tolli reseruationem, ea ratione, quod vt consuetudine casus quidam reseruantur, vt habetur in extr. Inter cunctas, ita consuetudo vidente prælato prohibere potente, & non contradicente arguit casum iam non esse reseruatum, & ita aliquo modo tacitè iurisdictionem videtur concedere in casus reseruatos. Confirmatur id, quia consuetudo potest ampliare iurisdictionem, immo & illam dare non habentibus, *c. Duo simul, iuncta gloss. de off. ordin.* ex quo nonnulli inferunt peregrinos ex tacita facultate sui Episcopi, posse confiteri in aliena Diœcesi.

25 Ego puto nulla consuetudine tolli posse legem reseruationis, quod probatur. Tum quia ad absolutionem sacramentalem requiritur in Sacerdote potestas iurisdictionis per approbationem ordinarij, *cap. Quamuis* 15. *sess.*23. sed in casu nostro Sacerdos etiam Confessarius licet habeat hanc iurisdictionem quo ad non reseruata, non tamen eam habet quo ad reseruata, quam neque acquirere potest, cum reprobetur ibidem: *Priuilegiis, & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.* Vide de hac clausula Doctores citatos à Barbosa *hic num.*59. Tum quia consuetudo hæc habens vim legis huc cadere non potest, nam ex supradictis consuetudo vt vim legis habeat abrogans vetem necesse est, quod fiat per actus externos, qui innotescere possint legislatori, sed actus absolutio sacramentalis cuncta cum peccatis reseruatis est quid occultissimum, ita quod huiusmodi transgressio ex genere suo non potest, nec debet notificari Superiori, ergo hîc consuetudo locum non habet. Tum quia consuetudo incipit per actus malos, & peccaminosos, & non firmatur nisi post decennium, aut quadragenarium spatium, ex supra allatis, in casu autem nostro, id est maximum inconueniens, valde perniciosum reipublicæ pœnitentium, & error intolerabilis, consequenter corruptela, & abusus irrationabilis. Tum quia saltem casus ab homine tolli non possunt per hanc consuetudinē, cum ferè singulis annis innouentur. Tum quia pœnitentem sic absolui prætextu huius consuetudinis, est ipsum eligere confessorem præter licentiam sui Superioris, quod nulla consuetudine induci potest *ex c.*2. *de pœnit. in* 6.

Respondendum est ad dicta Graffij, nam falsum est reperiri reseruationem casuum, sed in dicta extrau. nomen, *Consuetudinis*, non accipitur pro eo, quod est in more positum, seu pro lege non scripta, sed pro facto, quo solent Superiores sibi reseruare aliquos casus siue à iure per statuta, siue ab homine per edictum, vel præceptum. Neque videre, & simul facere Prælati videntis Confessarium administrare hoc Sacramentum arguit signum tacitæ facultatis absoluendi à reseruatis, quia Prælatus non habet præsumere pœnitentem habere reseruata, cum malum non debeat præsumi, neque in Confessario, neque in pœnitente. Neque l. cum hîc habere potest ratihabitio de præsenti, quia hæc dat simpliciter iurisdictionem ad excipiendum confessionem ei Sacerdoti, quem Superior scit non habere facultatem, non tamen extendi potest ad reseruata, cum ignorentur à Superiore, qui non potest ratum habere, quod ignorat. Ex quibus patet etiam consuetudinē non posse ampliare iurisdictionem Confessarij ad reseruata, cum non habeat locum hîc, ergo neque aliquem effectum.

Quæres 9. Quomodo translatione domicilij, vel habitationis tollatur reseruatio casuum? Nota autem, quod domicilium acquiritur actuali habitatione cum animo perpetuo manendi, Gloss. *ver. Larem in l. Ciues, C. de incolis*, Ioan. Andr. *in cap. is qui, de sepult. in* 6. Sanch. *lib.*3. *disput.*24. *num.*1. *&* 2. citando multos cum Nau. *consil.*4. *de constit. num.*4. *consil.*3. *de temp. ordin. num.*2. *consil.*5. *de filiis presbyt. num.*2. sufficit actualis incœptio habitationis, vt probat Sanch. *citatus num.*2. Decennium autem requisitum *à l.*2 *C. de incolis lib.*10. procedit in dubio, quando non constat de animo habitantis, neque aliunde haberi potest, tunc decennium habitationis sufficit ad concludendum domicilium. Debet autem animus esse firmus, & stabilis, aliter aliquis etiam per centum annos manens in aliquo loco cum animo vagandi, non dicitur contraxisse domicilium, ex Rot. *decis.*279. *num.*11. Ludou. cum ibi annotatis *num.*26. apud Nald. *ver. eod. num.*3. Domicilia duo quis æqualiter habere potest in duobus locis, *ex cap.*2. *de sepult. in* 6. Megal. *part.*3. *lib.*1. *c.*3. *n.*14. Nald. *n.*7. Floron. *c.*3. *§. V.* Est autem domicilium duplex originis, & habitationis, de quo hactenus dicta. Originis autem domicilium est ille locus, à quo quis oriundus est, si ibi parentes antea habitabant, non enim quis dicitur habere domicilium originis, qui in aliquo loco casu natus est, eo quod parentes eius ibi erant causa negotij, vel alterius rei, *leg. Filios C. de mancip. l. Ciues, in fine, C. de incolis*, Sanchez *libro* 3. *disput.*23. *num.*3. Est autem hoc domicilium immutabile, quia naturale *l. Assumptio, ff. ad mancip.* Menoch. *lib.*6. *de præsumpt.*42. *num.*4. *ex eodem*, Sanchez *numero* 4. itaque domicilium originis nunquam perditur, sed vnà cum domicilio habitationis retinetur, *l. Senatores, ff. de Senat.* Sanchez *cit. num.*6, *§. Secundo*, vnde neque desinit esse subditus domicilio originis, vt docet Panorm. *in capit. Proposuisti, de foro compet. numero* 7. intellige quo ad honores, & munera, non quo ad iurisdictionem, docet Sanchez *cit. num.*8. *§. Ad* 3. in dubio nomine domicilij venit habitationis, Gloss. *ver. vnam dictam capit. Statutum §. Cum verò, de reseru. in* 6. & ibi Franc. Domin. & Anchar. In receptione autem Sacramentorum attenditur domicilium non originis, sed habitationis actualis, *ex cap. Is qui, de sepult. in* 6. immo, & simplex habitatio cæpta cum intentione manendi maiori parte anni, Angel. *ver. Domicilium*, Silu. *num.*2. *& ambo ver. Parochia*, *Tabiena numero* 3. Sanchez *lib.*3. *disput.*23. *num.*12. 13. *&* 14. & procedunt hæc quo ad Parochiæ acquisitionem, nam si loquamur simpliciter de receptione Sacramentorum præsertim Pœnitentiæ, & Eucharistiæ per solam electionem quis fieri potest subditus eligendo Confessarium Regularem, licet dedita opera recedat à patria, vt eligat Confessarium Regularem, quia ex priuilegio Pontificio, de quo dixi *resol.*6. *q.*3. *& resol.*36. *q.*5. *§. Septima, & q.*11. ministrare possunt hoc Sacramentum quibuscumque ad se accedentibus: Confessariis verò Secularibus confiteri potest; non tamen dedita opera, sed in itinere assumptio alia occasione, quia præsumitur tacitus consensus proprij Superioris.

Loquendo de Religiosis, tunc dicuntur domicilium mutare, priore relicto, quando in aliquo loco de familia constituuntur à suo Superiore, Graff. *part.*1. *lib.*3. *cap.*2. *num.*14. & vocantur ciues loci, vbi reperitur Monasterium, Bertol. *l.*1. *ff. ad mancip.* Nau. *tom.*2. 27

comment.

comment. de regul. num.63. §. Nunc. Non est autem à Superioribus transferendus de Conuentu ad Conuentum sine rationabili causa, cum aliàs de iure communi Religiosus deberet manere semper in suo conuentu determinato, vt docet Nauar. *cons.4. de statu. Mon. num.1.* ex statutis autem specialibus transferuntur, & in nostra Religione constat *ex cap.22.* illis verbis. *Nec quisquam cœnobita extra tempus capituli dimoueatur, nisi ægritudinis, scandali, & alicuius cœnobij reformationis, aut alterius causæ per Generalem Visitatorem iustè, & legitimè cum consilio iudicandæ ratio habeatur.* Non potest igitur Superior remouere aliquem extra capitulum, nisi adsit legitima causa cognoscenda à Generali, intellige hoc, quando remouendus disceptaret cum Superiore de iustitia causæ, cuius decisio tunc spectat ad Generalem, remotio autem simpliciter etiam ad Prouincialem pro sua Prouincia; tempore autem capituli omnes remoueri possunt indifferenter etiam sine causa. Quisque verò etiam sine causa potest petere mutationem, cui Superior annuere potest, si vult. Sed de hac re alibi. In receptione ergo Sacramentorum, Religiosi subduntur Prælatis, & Confessariis deputatis in Monasterio, vbi de familia sunt constituti; immo etiam hospites, & aduenæ, & alij degentes causa negotiorum, vt tempore prædicationis. His prænarratis.

28 Respond. Mutatione domicilij, immò sola habitatione maiori parte anni, & etiam sola legitima electione Confessarij extra propriam Diœcesim tollitur casuum reseruatio, si ibidem, vbi fit confessio, non sit reseruatio eorundem casuum. Ratio communis est, quia reseruatio afficit pœnitentem in ordine ad Confessarium tunc quando confitetur; ergo si Confessarius electus non habet restrictam potestatem, potest illum absoluere, ac proinde cessat reseruatio. Confirmatur respectu domicilij, vel habitationis, quia per nouum domicilium, aut habitationem extra Diœcesim priorem, quis desinit esse subditus transeundo sub iurisdictione alterius, ergo tolluntur casus reseruati, qui solùm subditos afficiunt. Sic docent Vgolin. *de potest. Episcop. cap.36. §.II. n.1. §. Secundo tollitur, & c.39. §.7.* Homob. *part.1. c.2. §. Afficit secundo*, & ex illis Floron. *c.3. n.27. c.4. §.8. n.5. §. Quarto*, Nald. *ver. Casus reseru. n.10. §. Respectu*, Graff. *part.1. lib.1. cap.13. num.46. & in Append. lib.1. cap.7. num.56.*

29 Loquendo de Religiosis, mutatio loci tunc illis suffragari potest, si diuersi sint casus reseruati, & non aliàs, locum enim mutans in tantum liberatur à prima reseruatione, in quantum accedit ad locum, vbi non est reseruatione illorum peccatorum, vnde si sint iidem, vt solet fieri inter Religiosos, mutatio nihil prodest, cum Confessarius debeat iudicare iuxta leges loci, & Conuentus, vbi Sacramentum ministrat.

Quæres 10. An sola relaxatione non peccatorum, sed reseruationis extra sacramentalem absolutionem, tolli possit reseruatio à quouis valente absoluere à reseruatis?

30 Respond. Tolli potest reseruatio à Superiore sola relaxatione, seu absolutione, sed extra Sacramentum, eo quod in peccato duo spectari possunt, nempe culpa peccati, & adnexa reseruatio, illa tolli non potest sine sacramentali pœnitentia, aut absolutione, reseruatio verò illi adnexa auferri potest ab ipsomet Superiore, sola voluntate, eo quod ipsa præcisè sumpta, & formaliter non sit culpa peccati, neque quid peccaminosum, sed quædam circumstantia; quæ peccatum non est, sed restrictio afficiens pœnitentem, qui cogitur accedere ad habentem facultatem super reseruata, & Confessarium, quatenus à reseruatis absoluere non potest; difficultas autem dubitandi, quod non possit tolli ab eo pendere videtur, quia adnectitur peccato, ac proinde videtur habere rationem peccati, & prout talem, non posse auferri nisi per absolutionem sacramentalem; sed hæc difficultas nullius est momenti, cum constet ex dictis hic initio, & faciunt *dicta resolut.6. quæst.3. §. Tertia*, reseruationem præcisè acceptam non esse peccatum in se, neque in quantum accedit peccato. Et id docet Suar. *disp.38. de pœnit. sect.4. n.5.* & ex eo Lupus *dist.12. art.2. diff.1. in fine*, dum dicit, quod Superior habens facultatem à iure, potest auferre reseruationem etiam extra Sacramentum; delegatus verò ad absoluendum à reseruatis tenetur aut sacramentaliter absoluere, aut rem integram relinquere, nisi habeat facultatem à Superiore relaxandi extra confessionem, Bonac. *q.7. de pœnit. p.5. §.3. n.3. §. Hoc tamen*, Nau. *cons.22. de pœnit.*

Posita hac responsione tollitur ea difficultas, quomodò possit Superior, auditis solum reseruatis, absoluere ab illis, & remittere pœnitentem ad inferiorem pro non reseruatis, quod videtur repugnare sacramento, in quo vnum mortale non remittitur sine aliis, cum impium sit dimidium veniæ sperare; nam responderi potest illam absolutionem non esse Sacramentalem, sed simplicem relaxationem reseruationis, ac proinde nullo modo remitti peccata reseruata, sed relinqui culpæ absolutionem Confessariis.

Quæres 11. Quomodo electione Confessarij tollatur reseruatio?

Respond. Electione Confessarij non semper tollitur reseruatio, sed solum quando quis eligit Confessarium alicui Episcopatûs, vbi casus non est reseruatus, tunc electus Confessarius cum absoluat iuxta potestatem sibi delegatam a suo Superiore, qui, et reseruationem illi potestatem non restrinxit, sine dubio potest absoluere pœnitentem se eligentem à casibus reseruatis in suo Episcopatu. Vide quæ dixi *resolut.38. quæstione 6.7.8.9.* 31

Quæres 12. Quinam possint absoluere potestate tam ordinaria, quam delegata respectu casuum Secularium?

Respond. Potestatem ordinariam absoluendi à reseruatis in primis habet ille, qui reseruationem fecit, nempe eius legislator, ex illo communi axiomate. Eius est soluere, cuius est ligare. Quare Papa absoluit ab omnibus casibus, quos sibi reseruauit. Item Episcopus ab Episcopalibus. Item Archiepiscopus à casibus quos sibi reseruauit. II. Absoluere possunt Superiores ipsorum legislaturum casuum, eo quod omnis potestas inferioris perfectiori modo, vel saltem cumulatiuè sit in Superiore, cui subordinatur inferior, vnde Papa absoluere potest à casibus Episcopalibus, & Regularibus, eo quod Episcopi, & Prælati Regulares subijciantur, & subordinentur Summo Pontifici. Archiepiscopi possunt absoluere à casibus reseruatis Episcopis suffraganeis, non semper, & quouis tempore, sed solùm in actu visitationis, vel dum appellatur à subditis suffraganeorum ad ipsum, in his enim duobus casibus Archiepiscopus habet iurisdictionem ordinariam, *cap. fin. §. Potest. de censib. lib.6.* ibi Franc. iuncta Gloss. *in cap.1. de off. ordin. in 6. Quar. ver. Archiepiscopi authoritas XXXIII. Floron. c.4. §.1.* etiam à casibus Papalibus virtute *cap.6. sess.24.* ex Suar. *tom.4. de Relig. disput.30. sect.2. num.8.* Bonac. *q.7. de pœnit. p.1. §.2. num.5.* Nald. *num.12.* Barbosa alios citans *ad sess.23. cap.15. num.27. & de potestate citati cap.6. sess.24.* quamplures refert ibidem *n.6.* Megal. *lib.1. de pœnit. cap.13. num.1.* III. Absoluere possunt successores in officio præmortui, vel amoti ab officio, cuiusmodi sunt successor Papa, vel Episcopus suffectus in locum præmortui, quia subrogatus sapit naturam eius, in cuius locum subrogatus fuit, *l. Si cum §. Qui iniuriarum, ff. Si quis caut.* procedit autem non solum in successore quoad dignitatem, vt dixi sed etiã quoad iurisdictionem, ideo Capitulũ Sede vacante per suum vicarium electum, vel alium deputatum absoluit ab omnibus, à quibus poterat Episcopus, ob adductam rationẽ sic docet Floron. *c.4. §.2. n.2.* vbi citat Quar. Homob. & Suar. procedit tamquã ad potestatem ordinariã absoluendi, quam extraordinariã iure Consilij, docet Megal. *lib.1. c.13. n.12.* Barb. quamplures *ad dict. c.6. sess.24.* refert *n.4. IV.* Legati à latere, & summus Pœnitentiarius, ab-

ſoluere poſſunt à reſeruatis ordinariis, & Papæ,& quidem ſubditos quoſcumque ſuæ Prouinciæ, cum habeat poteſtatem ordinariam, & ſic maior omnibus ordinariis,*ex c.2.de off. legati in 6. & cap. Si Abbatem, de elect. in 6.* Nald.aliis citatis *ver. Legatus num.*8.9.& 10.Megal. *lib.*1.*c.*13.*num.*1.

33 Delegatam poteſtatem abſoluendi à reſeruatis dicuntur habere omnes illi Sacerdotes Confeſſarij, qui ab vno ex prædictis ordinariis licentia habeat, quam ſeruare debent iuxta tenorem licentiæ ſibi traditæ. Et in hoc nullus dubitat, quin habentes facultatem ordinariam, & ex officio ſuo abſoluendi à reſeruatis, eandem facultatẽ aliis delegare poſſint, quia actus proprius,& extẽſiuus iuriſdictionis ordinariæ eſt delegatio, *c. Aqua 9. de conſecr. cap.fin. de offic. ordin.* & in re hac, *cap. Inter cætera* 15.*eod. cap.Omnis* 12.*de pœnit.*Ita docent præclari Floron.*cap.*4 §.3.Megal.*lib.*1.*c.*13.*num.*17. Bonac. *quæſt.*7.*de pœnit.p.*5.§.2. *num*8. Faber *diſput.*27.*de pœnit. num.*21.

34 Vicarius Epiſcopi Generalis dictus non generalitate loci, ſed cauſarum vniuerſarum ex vi ſui Vicariatûs non habet facultatem ordinariam,neque delegatam abſoluendi à reſeruatis, vt docent Nald. *ver.Vicarius, num.*1.*Angel.ver. Confeſſio* 5. *num.*4. Rebuff. Sbroz. Galeſius,Piaſecius,Vgolin Barboſa eoſdem citans *ad cap.*7. *ſeſſ.*14. *num.*22. Quod ſi ab Epiſcopo communicetur illi hæc facultas ad omnes caſus, & illi expreſſe non prohibeat delegationem, delegare poteſt, quia cum dicatur ordinarius iudex,ſequitur quod poſſit delegare,cum delegatio ſit actus proprius ordinarij, vt docent Nald. *ver.Vicarius.n.*1.& eius conciuis Floron.*c.* 4.§.3.*n.*5. cum aliis citatis.

Quæres 13. An Confeſſarij Regulares iure aliquorum priuilegiorum habeant facultatem delegatam abſoluendi à reſeruatis.

35 Reſpond. Nunc nulla habent priuilegia, cum pœnitus ſint ſublata,vt probaui *reſol.*6. *q.*9. maximè reſpectu Epiſcoporum,à quorum caſibus,ſeu cenſuris,ſiue à iure communi, ſiue Conciliorum, aut Synodorum,aut ab homine latis, nequaquam abſoluere poſſunt,vt probaui ibidem;excepi tamen duos caſus,nempe reſtitutionem incertorum, ibidem *quæſt.*12.& relaxationem votorum, ex *quæſt.*13. ſuper quæ adhuc ius habent virtute ſuorum priuilegiorum, cum ſublatata non fuerint quo ad hoc,cum non ſint propriè caſus, ſed lato modo,cum in ſe,& directè non ſint peccata, neque cenſuræ,de quibus præcisè loquuntur Summi Pontifices, dum prohibent abſolutionem à reſeruatis, aonullando priuilegia Religioſurum.

36 A Papalibus in Bulla Cœnæ Domini nequaquam abſoluere valent,neque ab aliis quinque enumeratis in ſecundo Decreto Clem.VIII. vtique verò à reliquis,cum in hoc ſublata non fuerint priuilegia,ſed tantum quo ad expreſſos caſus,vt latius docui *reſol.*6.*q.*9.

Quæres 14. An excommunicatus,ſuſpenſus, interdictus,per cenſuram reſeruatam, quam contraxit in propria Diœceſi, abſolui poſſit ab ordinario, aut etiam à Confeſſario ſimplici vti forenſis, vel ſaltem quatenus tranſtulit domicilium,vel habitationem pro maiori parte anni,vbi confitetur? Affirmaui hoc reſpectu caſuum reſeruatorũ ſupra *quæſt.*9. eo quod deſinit eſſe ſubditus prioris ordinarij tranſlatione domicilij, & longiori habitatione, & quia pœnitens iudicatur ſecundum leges Epiſcopi Confeſſarij.Videtur tamen ſpecialis ratio concludendi negatiuè reſpectu cenſuratum, quia cum non ſolum contractum fuerit peccatum, ſed etiam cenſura, delinquens ita dicitur infectus eius reſeruatione,vt tolli non poſſit niſi à Superiore priori,cum id totum contraxerit dum erat eius ſubditus.Confirmatur loquendo de cenſuris à iure ſpeciali latis à contrario ſenſu *cap. Nuper de ſent.excommun.* vbi dicitur quod Epiſcopus poteſt abſoluere à cenſura lata à iure,quando ius illam ſibi non reſeruauit, ergo quãdo Superior eam ſibi reſeruauit,alius ſe ingerere non poteſt,& ita ex Hoſtienſi & Couarr. docet Floron.*cap.*4.§24.§.*Si tibi*, Graff.*libro* 4. *capit.*15. *num.*72. excipit in caſu, quo cenſuratus longius eſſet, & non poſſet redire ad excommunicationem; & de excommunicatione ab homine, eo magis quia ab ea nemo abſoluere non poteſt, niſi qui illam tulit, vel eius Superior; *ex cap. Paſtoralis*, §.*Præterea, de offic. ordin.* ibi Abbas, & Felin & propter alia iura, quæ dicit Floron. §. *Si lata. Lupus diſtinct.* 17. *diffic. fin.* citando pro ſe Nald. *ver. Cenſura num.*13. vbi tamen hoc non dicit in terminis de eligente Confeſſarium extra, vbi cenſura non eſt reſeruata, ſed ſolum aſſerit, quemuis ſimplicem Confeſſarium abſoluere poſſe ab excommunicatione, ſiue à iure, ſiue ab homine lata, non tamen reſeruata, eo quod dicitur excommunicationem eſſe reſeruatam ſuo conditori, locum habet in excommunicationa lata à iudice contra particularem, quæ ſine dubio dicitur reſeruata, quamuis non exprimatur reſeruatio, eo quod cauſa terminanda eſt à iudice, à quo cœpta fuit, ne fiat illi iniuria,

Reſpond. Non ſolum mutatione domicilij, aut tatione habitationis maiori parte anni, verum etiam per electionem ſolius Confeſſarij præſertim Regularis extra propriam Diœceſim, vbi talis reſeruatio cenſuræ non reperitur, cenſuratus abſolui poteſt. Probatur. Tum quia reſeruatio peccatorum,& cenſurarum pari paſſu currunt; non enim eſt maior ratio, quod tranſlatione domicilij, aut habitationis, *ſupra quæſt.*9. ceſſet reſeruatio reſpectu peccatorum,& non cenſurarum,cum ſicut remanet peccatũ,& ita cenſura per abſolutionem tollenda,& ſicut non remanet reſeruatio peccati,ita neque cenſuræ. Tum quia non eſt maior ratio cur remanear ſubditus ratione cenſuræ reſeruatæ, & non peccati reſeruati;ſed non remanet ratione reſeruationis peccati,ex probatis,ergo neque reſeruationis cenſuræ. Demum allata fauore aduerſariorum ſolum probant,aut ea locum habere reſpectu excommunicationis in ſingularem perſonã latæ,vt benè docet Nald.*cit.n.*13. aut verificari,quando manet in eodem domicilio: neque *c.Nuper*,adductum à contrario ſenſu probat,quia intelligitur, affecto excommunicatione manente in eadem Diœceſi excommunicatoris,ſeu ibidem petente abſolutionem. 37

Quæres 15. Quinam poſſint poteſtate tam ordinaria, quàm delegata abſoluere religioſos à caſibus reſeruatis?

Reſpond.Poteſtate ordinaria abſoluunt.I. Legiſlatores ipſorum caſuum reſeruatorum,cuiuſmodi ſunt Generalis pro tota Religione,& Prouinciales pro ſua Prouincia, & Superiores locales, ſi qui habent facultatem reſeruandi, vel à capitulo illis reſeruetur aliquis caſus, vt factum fuit in religione Franciſcana primæ Regulæ Patrum Conuentualium. in capitulo Generali Romæ celebrato die 8. Iunij 1593. vbi aliqua peccata Decreti Clem.VIII. reſeruata fuerunt Generali,alia Prouinciali, alia Cuſtodi,alia Guardiano,prout refert Silu.Bariol.in ſuo ſpeculo *Regul.ſuper c.*7.*Regulæ.* II.Abſoluunt Superiores,vel ſucceſſores ipſorum legiſlatorum,quando caſus non expirarunt, ſed habent vim legis perpetuæ, habent enim omninò eandem facultatem,quam ipſe legiſlator, cum in hoc reputentur eadem perſona cum ipſo. III.Abſoluunt alij de iure ſpeciali Regulæ,aut ſtatutorum in Religione habent ius ordinarium abſoluendi, in hoc enim Papa in Decreto de caſibus reſeruandis à Superioribus regularibus nihil mutauit, aut diſpoſuit, ſed horum facultatem intactam reliquit in ſuo ſtatu, ac ſi Decretum, quoad hoc non emanaſſet,vt in terminis declaratum refert Sorb. *ver. Abſolutio ordin. quo ad Fratres,in fine,huius Decreti* §.*Abſoluendi,& ex eo* Coriol. *ſect.*1. *art.*7. §.*Vnde Pater,n.*2 Poteſtate verò delegata abſoluunt omnes illi Confeſſarij, qui ab vno ex illis facultatem habent ſibi commiſſam ſuper caſibus reſeruatis, à pari ex dictis *q.*13. Sic docent Megal.*part.*1. *lib.*1 *c.*13.*n.*1. §.*A caſibus*, vbi ait *à dictis caſib. regularib.* 38

poſſa

posse etiam absoluere Papam, summum Pœnitentiarium, & Legatum à latere, Bonac. *quæst.7. de pœnit.p.5 §.2. num.5. §.Idem* Coriol. citat Faber *disp.27. de pœnit. num.30.* Mirand. *tom.2. quæst.34. art.8 & art.14. conclus.2.* ubi negat delegationem hanc Guardianis, nisi in casibus occurrentibus.

Quæres 16. An in Religione nostra Priores, & alij præter Prælatos maiores possint absoluere non solum a reseruatis in Religione, sed etiam à reseruatis Sedi Apostolicæ?

39 Respond. *Ex cap.14.* Regulæ Pater Generalis, eius Commissarij, & Prouinciales, de quibus ibi expresse, possunt absoluere à reseruatis; alijs Sacerdotibus id munus denegatur illis verbis. *Caueant igitur cæteri Sacerdotes, ne huiusmodi crimina confitentibus remittant, aut Confessos absoluant.* Difficultas est, an sub ea clausula, *Cæteri Sacerdotes*, comprehendantur Superiores locales? Probaui *resolut 20. quæst. 20. §. Difficultas, §. Dico*, non comprehendi, sed iure ordinario posse absoluere à casibus reseruatis in Religione, & ahis concessis iure communi, vt tetigi *resol.3.q.5.§.In Religione, & probaui resol.28.q.20.§.Dico.*

40 Præfati omnes cum habeant potestatem ordinariam, possunt eam delegare alijs Sacerdotibus; nec obstat, quod in *Regul.cit.cap.14.in fine*, dicatur, *Præterea si placuerit principali ministro concedere alicui Sacerdoti horum facultatem, & licentiam, eam cartis committat, nominetque singula crimina, siue omnium, siue eorum partis authoritatem, vel facultatem eidem concesserit.* Quasi alij Superiores, & facultatem habentes ordinariam, & de iure Regulæ, excludantur ab huiusmodi commissione, id enim falsum est, cū Superior supremus exprimatur potius in exemplum, & per quandam excellentiam præ aliis, quod dispositionem non restringit, neque regulam *arg. l.Damni infecti.ff. de damn.infect.* Tuschus *littera E, conclus. 547.* Surd. *consil. 308. num. 10.* Neque adest particula taxatiua restringens ad solum prælatum expressum.

Quæres 17. An Superior, seu quiuis alius ordinarius ad absoluendum possit auditis solum reseruatis absoluere sacramentaliter, & pœnitentem pro aliis peccatis non reseruatis remittere ad inferiorem Confessarium absoluendum? Dico, *absoluere sacramentaliter*, quia si loquamur de relaxatione, seu absolutione extra Sacramentum, potest Superior etiam nulla cogente necessitate relaxare sola reseruata, hoc est, auferre vinculum reseruationis, non peccati, quod deinde absolubile est à quouis Confessario, vt probaui initio *resol.huius, & quæst 10.*

41 Respond. Potest absoluere sacramentaliter auditis solum reseruatis non semper, sed solum data necessitate, seu rationabili causa; & talis absolutio cum sit sacramentalis licita, & valida, verum est sacramentum, & confert gratiam.

Prima pars, de huiusmodi absolutione super reseruata tantum, probatur, quia si est aliqua difficultas, maxime, quia sequitur defectus integritatis confessionis, ex quo nulla inferatur absolutio; sed tollitur difficultas distinguendo duplicem integritatem confessionis, alia enim est, ratione cuius omnia peccata mortalia manifestantur Confessario, & dicitur materialis sufficiens ad valorem Sacramenti, alia, ratione cuius licet non dicantur omnia peccata, sed aliqua taceantur, seu omittantur ex rationabili causa, adhuc tamen confessio non caret sua integritate, quæ dicitur formaliter necessaria ad valorem Sacramenti; modo confessio facta Superiori de solis reseruatis, omissis aliis, dicitur integra integritate formali licet talis non sit integritate materiali, quæ non est necessaria ad valorem sacramenti, sicut formalis.

Secunda pars, quod seclusa rationabili causa non possit dari huiusmodi Sacramentalis absolutio, suadetur, quia Confessio dimidiari non potest sine rationabili causa, cū integritas sit illi essentialis, & de iure Diuino, ita quod defectu integritatis tam materialis, quàm formalis nulla est attentata absolutio. Neque hæc consuetudine introduci potest, vt Superior absoluat auditis solum reseruatis extra casum necessitatis, quia nulla, & vana est consuetudo introducta contra ius diuinum *ex cap. fin. de consuetud.* vbi omnes Doctores; est autem de iure Diuino integritas saltem formalis in Confessione, ergo huic contrario vsu derogari non potest, vt docet Bonac. *quæst.6. de pœnit.p.5. §.3. num.1. §. Obijces*, vbi dicit eam consuetudinem Romæ, quam referunt aliqui cum Caiet. habere locum quo ad censuras, quæ sine dubio tolli possunt sine peccatis auditis, vel dic eam consuetudinem referri ad relaxationem extra Sacramentum. Quod non possit dari absolutio auditis solum reseruatis docent Siluester, Victoria, Cano, Viguerius, Lamas, quos pro se citat Megal. *lib.5. de pœnit. cap.8. num.20.* Rodr. Suar. Henr. Valer. Nugnus, Regin. Zerola Pesantius, Sair. cum multis alijs, quos citando sequitur Bonac. *quæst.7. de pœnit.p.5. §.3. num.1.* Floron. *c.6.§.2. §.Quid igitur concludendum.* Lupus *disp.5.art.2.disp.vnica*, & abet *disp.27. de pœnit.n.70.71.& 72.* sed multum restringit, casum necessitatis, seu rationabilis causæ.

Nonnulli apud præcitatos, qui sunt Nau. *tom.3. ad §.Cautus num.12.* Sotus Graff. *Append. lib.1. cap.7.n.30. & 31.* Caiet. Palud. Ricard. D. Anton. apud Bonac. & Megalam citatos, & alios plures refert Floronus, quibus adde Curiolanum *sect.1. art.10.num.1.* asserunt, necessitate etiam, aut rationabili causa exclusa ex arbitrio suo posse Superiorem sacramentaliter absoluere auditis solum reseruatis; & quia sic se habet consuetudo Romæ; sed iam reiecta est consuetudo; & quia integritas sufficit si se teneneat ex parte pœnitentis, vt quamuis est in se paratus sic aperire omnia mortalia, non vero ex parte Confessarij; sed id falsum est, quia non tantum pœnitens, sed etiam Superior procurare debet, vt confessio sit integra, quando potest, iudex siquidem efficere debet, ne iudicium reddatur nullum, *ex cap. Cum iudicantem sin.30. q.5. ex cap. Causam 9. de iudic.* Superior autem, & Confessarius sine dubio in re hac sunt iudices *ex sess.14. cap.7. & can.9.* ergo procurare debent, vt confessio integre fiat à pœnitente, ne iudicium absolutionis nullum reddatur. Et quia duæ particulares absolutiones Superioris nempe, & inferioris Confessariorum faciunt vnam integram confessionem, & absolutionem, vt ex citato Graff. docet Pisanella *ver. Confessor. num 1.* vnde cum non desit integritas, quæ faciebat difficultatem pro aduersariis, benè absoluit Superior auditis solum reseruatis. Sed non placet cum vnaquæque absolutio ita sit diuersa, & diuisa ab altera, vt singulæ habeant proprium effectum absolutionis, cum in vtraque adsit remissio omnium peccatorum; præterea vnaquæque petit integram confessionem, vt sequatur valida absolutio, cum valor vniuscuiusque particularis absolutionis pendeat ab vnaquaque confessione integra; deficit autem integritas in prima confessione sine vlla necessitate, ergo inficit absolutionem priorem, ac proinde posterior em reddit inutilem.

Mirand. *tom.2.q.34.art.12.* absolutè negat huiusmodi absolutionem datam à Superiore auditis solum reseruatis, eo quod non est dabilis legitima causa dimidiandi confessionem in hoc casu, quia si Superior non habet tempus, aut nulla ratione potest audire omnia peccata, potest licitè pœnitentem remittere ad suum confessariū, aut ad alium prudentiorem, si casus sit grauis, Et revera multum efficax est ratio, vnde Floron. cit. ex Soto, & Fr nellio docet Superiorē melius facere, remittendo pœnitentem absoluendū ab inferiori, cum id possit facere. Verum quia id non tenetur facere, si in alius negotiis multum occupatus sit, potest absoluere. Adhuc tamen vrget negotium, quia cum Superior possit vel relaxare, vt dixi *q.10.* vel remittere ad inferiorem, nullam videtur habere rationabilem causam sic partialiter absoluendi.

Tertia pars, quod talis absolutio auditis tantum reseruatis, sit verum Sacramentum remitiens omnia peccata, etiam non reseruata, probatur, quia adsunt omnia requisita ex parte pœnitentis benè dispositi, iurisdictio, & intentio ex parte Superioris absoluentis directè à reseruatis narratis, & indirectè à non reseruatis, ex eo quod non potest remitti vnum mortale sine aliis, ergo ritè remissis reseruatis, necesse quoque est vt remittantur non reseruata. Vnde duplex est Sacramentum, per cuius primam absolutionem fit remissio peccatorum quo ad culpam, per secundam, si non accessit nouum peccatum, fit remissio eorundem quo ad pœnam. Vide Sotum, Couinchum, Suar. apud Bonac. *q.7. de pœnit. p.5.§.3.n.2.*

Quæres 18. An Confessarius simplex non habens facultatem absoluendi à reseruatis possit non solum in casu necessitatis, sed etiam seclusa necessitate, aut rationabili causa absoluere à non reseruatis, & pœnitentem remittere ad Superiorem pro reseruatis? Procedit difficultas, quando pœnitens primò accedit ad confessarium simplicem, non verò quando accedit postquam se præsentauit Superiori, nam in hoc casu, si remissus fuit à Superiore absoluendus à reseruatis per Confessarium, certum est, debere aperire omnia peccata tam reseruata, quàm non reseruata, vt ab illis omnibus absoluatur, quia nullo modo à Superiore absolutus fuit, cum solum fecerit facultatem Confessario inferiori absoluendi etiam à reseruatis, & hoc nulla est difficultas. Quando verò Superior absoluit auditis tantũ reseruatis, nonnulli cum Nauarr. *tom.3. in §. Cautus num.*12. Caiet. *ver. Confessio, condit.* 10. Henr. *lib.5. cap.4. num.4. Regin. lib.*8. *num.*90 asserunt teneri pœnitentem omnia etiam reseruata manifestare Confessario, quia de iure diuino Confessio integrè facienda est; aliam rationem reddit Caiet. quia Confessio facienda est Confessario, non Confessariis, ergo eidem Confessario omnia dicenda sunt; sed prior ratio intelligitur integra de omnibus peccatis nondum remissis, cum ergo in priori Confessione reseruata valide remissa fuerint, nulla ratio suadet, ea pertinere ad sequentem Confessionem, ita vt eorum omissio inficiat integritatem eius; & cum vnaquæque confessio in se perficiatur in sua absolutione, non est, cur dicatur facta Confessariis, sed Confessario rectè vnaquæque dicitur facta. Vnde alij probabilius sustinent cum Megal. *libro* 5. *de pœnitent. capit.*8. *numero* 21. Suarez Nugn. Conink. Vasq. Zerola, quos citando sequitur Bonacina *quæst.7. de pœnitent. p.5. §.3. numero* 4. *§. Sed mihi*, pœnitentem sic absolutum à Superiore, qui sola reseruata audiuit, non teneri eadem aperire Confessario, ad quem accedit pro absolutione non reseruatorum. Ratio est, Tum quia ritè absolutus non tenetur repetere peccata, à quibus fuit absolutus; Tum quia quando in aliis casibus ritè dimidiatur Confessio, sufficit repetere peccata omissa tantum, ergo & casu nostro. Tum quia absolutus ex causa ab inferiori, non tenetur repetere nisi reseruata coram Superiore, ergo neque nisi non reseruata coram inferiore, cum non sit maior ratio de vno, quàm de alio. Difficultas ergo tota remanet quando pœnitens primo accedit ad inferiorem Confessarium non habentem facultatem super reseruata. I. An possit absoluere, etiam seclusa rationabili causa? II. An teneatur audire omnia peccata tam reseruata, quàm non reseruata, dato quod possit absoluere? III. An accedendo ad Superiorem post acceptam absolutionem ab inferiori, teneatur aperire omnia, etiam non reseruata?

42 Respond. Pœnitens casus reseruatos habens si primo accedat ad Confessarium inferiorem, ab eo potest absolui non solum stante rationabili causa, sed etiam nulla subsistente. Debet tamen illi patefacere omnia peccata tam reseruata, quàm non reseruata. Accedendo postea ad Superiorem sufficit manifestare illi reseruata tantum.

43 Prima pars, quod possit absoluere ex rationabili causa, aut etiam seclusa, probata fuit *resol.9. quæst.9. §. Tertia.* Ratio primi, præter ibi adductas, est, quia in omni lege humana adest exceptio causæ rationabilis eam non seruandi *ex capit. Si quando* 5. *de rescriptis.* Ratio secundi, est consuetudo, & praxis Confessariorum ac proinde tacita facultas Superioris concedentis huiusmodi absolutionem, per hoc enim tollitur obligatio pœnitentis accedendi ad Superiorem pro absolutione reseruatorum; sed datur absolutio directè super reseruata contra intentionem legislatoris, & dispositionem sacrorum Canonum, præsertim Tridentin. *sess.*14. *cap.*7. vbi prohibetur non quæuis absolutio, sed tantum directa, non autem indirecta; nec obstat, quod Confessarius non possit iudicium ferre super reseruata, quia hoc intelligitur de iudicio directo, & per se, non indirecto, & per accidens, vnde cum pœnitens post acceptam absolutionem ab inferiori teneatur adhuc accedere ad Superiorem, & eius iudicium subire, hinc est, quod iudicium inferioris dicitur indirectum, & per accidens, ac quasi imperfectum à Superiore perficiendum. Primum docent ferè omnes cum Henr. Suar. Conin. Nugn. quos pro se citat Bonac. *quæst.7. de pœnit. p.5.§.3. num.5.* Secundum tenent Nau *tom.3. in §. Cautus, num.*13. Caiet. *ver. Confessio condit.* 10. *Sa ver. Absolutio, num.* 24. Valent. Summa corona, Zerola, Medina, Sair. quos contra se refert Bonac. cit. Megal. *lib.1. de pœnit. c.14. l.2.* vbi testatur de hac consuetudine cum Soto, & Nauarr.

44 Secunda pars, quod debeat omnia patefacere inferiori, probatur, quia Confessio dimidiari non potest sine rationabili causa, quæ non adest hic, vt suppono, ergo confessio dimidiari non potest. Quod si Confessarius nolet omnia audire, sed solum non reseruata, si non adsit alius confessarius, prodest absolutio pœnitenti benè disposito, quia per eum non stetit, quin confessio esset integra, vt docet Megal. *lib.5. de pœnit. c.8. n.22.* Mirand. *tom.2. q.34. art.* 11.

45 Tertia pars, quod accedendo ad superiorem, teneatur illi aperire solum reseruata, probatur, quia obligationẽ accedendi ad superiorem habet solum respectiue ad reseruata, ergo hæc tantum manifestare tenetur. Ita docet Nauarr. *cap.9. num.7. & de communi testatur Bonac. q.7. de pœnitent. p.5.§.3. num.4. §. Sed mihi, in secunda ratione.* Quæ superius diximus de absolutione à non reseruatis, & reseruatis, quo ad culpam etiam extra casum necessitatis, probat fuse respondendo obiectis Ioseph Iannarius Neapolitanus in suis Resolution. Selectis *Resolut. septima*, vir vtique subtilis speculationis.

Quæres 19. An Prælatus possit denegare facultatem super casus reseruatos tam confessario, quàm pœnitenti petentibus in casu aliquo occurrenti? Et denegata delegatione, possit confessarius absoluere, seu pœnitens facere se absoluere? 46

Resp. Superior non tenetur de iure petitam facultatem delegare, sed potest obligare subditum ad sibi confitendum, maximè quando habet rationabilem causam non concedendi, quod si timeat aliquod periculum in pœnitente, ex charitate debet concedere facultatem assignando etiam confessarium particularem pœnitenti, Negata autem facultate absolui à nullo inferiori potest, nisi sit Religiosus, qui pro ea vice potest absolui non obstante negatione superioris.

47 Prima pars, quod superior non teneatur concedere licentiam, probatur, Tum quia de conditione reseruationis est, vt tollatur à superiore, ergo non tenetur eam auferre per delegatum, quando non vult. Tum quia pœnitens pro reseruatis tenetur accedere ad superiorem, cum illi absolutio reseruetur *ex sess.*14. *capit.*7. & de Religiosis patet ex Decreto Clem. VIII. quod extendi *resolut.* 37. *Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod*

reseruatum

reſeruatum admiſerint. Tum quia aliter fruſtratoria eſſet lex reſeruationis cum accidere poſſet ſuperiorem numquam excercere ius ſuum ſuper illam abſoluendo à reſeruatis. Ita nonnullis citatis docet *Floronus cap.6.§.3.*

48 Secunda pars, quod ex charitate debeat hanc facultatem concedere, quando timet periculum in pœnitente, ſuadetur, quia reſeruatio caſuum fit in vtilitatem pœnitentiũ, vt retrahantur à grauioribus peccatis, ergo ratio dictat, vt poſtquam miſerè ceciderint releuentur eo meliori modo, quo poteſt, quod contingit per abſolutionem ex delegatione. Vnde faciles eſſe debent ſuperiores in concedendis huiuſmodi facultatibus, & magis ſunt laudandi concedentes paſſim quàm negantes, quando expreſſe non conſtat delegationem cedere in detrimentum animarum, quod ſcire difficillimum eſt, cum hæc negotia omninò occultè, & cum maxima ſecretudine peragenda. *Sic docent idem Flor. cap. 6. §. 3. num. 3 Bonac. q. 7. de pœnit. p 5. §. 2. num.* 19. *Coriolanus ſect. 1. art. 17. Miraud. tom. 1. q. 34 art. 9.* Vide Fabrum *diſp. 27. de pœnit. num. 43. ad 47.* Loquendo autem reſpectu Religioſorum, dicitur in decreto. *Quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis confeſſarius iudicauerit,* verbũ enim, *debere*, importat neceſſitatem l. Debitor ff. de verb, ſignif. vnde non poſſunt eum denegare.

49 Tertia pars, quod denegata delegatione iuſtè tamen à nullo inferiori poſſit abſolui, probatur, quia ex denegata facultate inferior nullam acquirit iuriſdictionem, ergo abſolutionem attentare non poteſt validè, nec tutè, Dico, *iuſtè*, quia ſi deneget iniuſtè *Rodr. part. 1. cap. 55. nu. 11. Henr. lib. 6. cap. 15. nu. 6. cum aliis,* volunt pœnitentem abſolui poſſe, quia idem eſt, ac ſi Prælatus eſſet abſens, in quo caſu tunc poteſtas transfertur in confeſſarium ſimplicem, & facit quod diſtantia locorum, & abſentia permittit alias prohibitum. *l. Hæres abſens ff. de iud. Beia part. 3. §. Adde caſu 2.* dicit, quod maxima diſtantia operatur, vt qui non habet ſuper aliquem iuriſdictionem, in foro conſcientiæ illam acquirat, *ca. Cum longe diſt. 63. cap. Si quis incognitus 17. q. 2. cap. Tum ex literis. 5. de integr. reſtit. iuncta gloſ. ver. Locorum diſtantiam, ad finem cap. Nihil de elect. Sequitur Megal. part. 1. lib. 1. cap. 14. num. 3. & 4.* vbi alio fundamento id probat, nimirum, in tali caſu Papam, ſeu vniuerſalem Eccleſiam ſupplere iuriſdictionem in cõfeſſarium denegatam iniuſtè à Superiore, ſi verò denegetur à Papa, nullus poteſt validè abſoluere, cum tunc Eccleſia non ſuppleat iuriſdictionem, ſed potius neget, *Bonac. q. 7. de Pœnit. p. 5. §. 2. num.* 10. §. *Ego vero*, abſoluiè negat tenere attentatam abſolutionem contra delegationem negatam. Tum quia iniuſta denegatio facultatis valida eſt, ſicut valida eſt iniuſta reſeruatio. Hoc poteſt negari, vel conceſſo dici poteſt cum Megalio Eccleſiam ſupplere facultatem, Tum quia pœnitenti patet aditus ad ſuperiorem. Dico denegata facultate ab Epiſcopo, vel à Prouinciali, perdifficilem eſſe, immo impoſſibilem aditum ad Papam, vel Generalem; ac proinde non obligare, cum nullum ius id præcipiat. Tum quia non licet extra articulum mortis abſoluere à reſeruatis. Immo videtur includi iſte caſus ſub periculo mortis, cum videatur periclitari eius animam ex iniquitate ſuperioris.

Quarta pars, quod pœnitens Religioſus, denegata
50 facultate poſſit abſolui, oſtenditur ex reſponſione ſubiecta Decreto Clem. VIII. illis verbis. *Sanctitas ſua deinceps declarauit, & declarat, vt ſi huiuſmodi Regularium confeſſariis caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus ſuperior dare noluerit, poſſint nihilominus confeſſarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à ſuperiore facultate abſoluere.* Quamuis ex his verbis negatio facultatis referatur ad confeſſarium, idem omninò dicendum eſt, ſi denegetur pœnitenti, cum pro eius fauore exierit declaratio, referendo illum ad confeſſarios, qui ſolent petere licentiam, & non ipſi pœnitentes. Et particula, *illa vice*, reſpicit illam denegationem, ita quod ſub illa, & eius prætextu non poſſit confeſſarius eumdem pœnitentem ſæpius abſoluere à reſeruatis, vtique vero toties ſemel abſoluere quoties denegatur.

Quinta pars, quod debeat accedere ad deſignatum 51
à ſuperiore, qui non tenetur complacere ei, quem petit, ſuadetur, quia deſignatio eſt quædam circumſtantia ſe tenens ex parte concedentis gratias, ergo illi reſiſtere non poteſt pœnitens, ſed debet obedire. Sic docet *Coriolanus ſect. 1. art. 17. num.* 10. *citando* Angelum, & Suarez.

Quæres 20. An Religioſus habens facultatem ſe faciendi abſoluere à reſeruatis, ſi caſu, vel alia ratione extra conuentum eligat confeſſarium presbiterum ſecularem poſſit ſe facere abſoluere à reſeruatis

Reſp. Habens facultatem faciendi ſe abſoluere à reſeruatis, nulla facta mentione de ſacerdote eligendo 52
pro abſolutione, ſeu non reſtringendo electionem ad ſacerdotem ſui Ordinis, in itinere, ſeu aliàs extra monaſterium valendo ſibi eligere confeſſarium, in eo caſu poteſt ſe facere abſoluere à reſeruatis. Probatur, quia huic Religioſo nõ limitatur huiuſmodi facultas paſſiua faciendi ſe abſoluere ab hoc, vel illo Religioſo intra Religionem, ſed ſimpliciter conceditur, ergo poteſt abſolui etiam à ſacerdote ſeculari, vel alterius ordinis legitimè electo. Confirmatur, quia hac facultate magis indiget extra conuentũ, quàm in conuentu, ergo ſi intra poteſt eligere ſacerdotẽ ſui Ordinis omittẽdo Pœnitentiariũ multo magis poteſt eligere ſacerdotem extraneũ extra conuentũ, vbi nullum propriũ ſacerdotem habet, ſiquidẽ gratia fit, vt occurrat ſuæ indigentiæ ſpirituali; ergo quo maior indigentia eſt, eo ãplius gratia explicãda eſt, maxime cum nulli noceat, & illi multum proſit. Sic ſentit *Protel ver. Confeſſor* erga Religioſos *num. 12. §. Nota*, contra Rodriq, *cum ſuo Compend. reſol. 32. num. 23.* num. 23. id negantes etiam in caſu neceſſitatis celebrandi, ea ratione, quia in generali licentia abſoluendi à reſeruatis non videtur includi facultas ad id faciendum, niſi per ſacerdotem ordinis, & non per clericum ſecularem, nec præſumitur, quod daretur petenti, niſi ſatis difficulter, ex eo, quod eſt contra bonam conſuetudinem, honeſtatem, & decorem Religionis, vnde *ex Corduba ſuper cap. 7. Regula* concludit, Religioſum non poſſe abſolui à reſeruatis extra Religionem etiam de licentia Miniſtrorum per verba Regulæ eo *cap. 7. Ipſi verò Miniſtri, ſi preſbiteri ſunt, cum miſericordia illis pœnitentiam, ſi vero preſbiteri non ſunt, iniungi faciant per alios ſacerdotes Ordinis.* Et in noſtra Regula c. 14. abſolutio reſeruatorum ſpectat ad ſuperiores, Generalem, Prouincialem, & Commiſſariis Generales, excluſis cæteris ſacerdotibus Religionis, ergo multo magis extraneis. Confirmant ex quodam Priuilegio Innocentij VIII. conceſſo Prædicatoribus, quod neceſſaria eſt expreſſa licentia Prælati, vt Religioſus poſſit extra Religionem abſolui à reſeruatis.

Sed obiectis reſponderi poteſt, in primis illa ratio locum habet quo ad abſolutionem regulariter dandam, ſuperior enim concedendo facultatem paſſiuam reſeruatorum ſine dubio intelligitur facta regulariter reſpectu ſacerdotum ordinis, in defectum autem illorum, & incidenter non excluduntur ſacerdotes extranei legitimè electi. Nequa deinde prima Regula hoc negat, quando extra eligunt confeſſarium, ſed ſimpliciter dicit, quod à ſuperiore non ſacerdote delegetur facultas ſacerdoti ordinis, non tamen prohibet, quin in caſu indigentiæ poſſit abſolui ab extraneo; præterquam quod caput Regulæ non facit ad rem in caſu noſtro, in quo ſermo eſt de pœnitente habente facultatem paſſiuam abſolutionis, de quo nihil *in Regula.* Idem dic de Regula noſtra, quæ loquitur ſolùm de abſolutione ordinaria, & non quando pœnitens habet facultatem

faciendi se absoluere à reseruatis. Demum Innoc. VIII. solum intendit, per huiusmodi licentiam passiuam non posse Regulariter quis quando habet copiam proprij Sacerdotis absolui extra Religionem, quod probatur ex alio priuilegio Martini V, quod *Portel ver. Confessor erga Religiosos num.* 13. *Compend. resol.* 32. *num.* 24, in quo conceditur, vt Religiosus extra monasterium existens possit absolui ab omnibus casibus, à quibus absolui posset, si in monasterio esset. Nec obstat responsio Compend. dicentis intelligi à non reseruatis, quia iam ex suppositione, quod habeat casus reseruatos pro se, sicut ab illis absolui potest intra claustrum, ita etiam extra, casu occurrente, eo quod licentia non fuerit restricta ad sacerdotes ordinis.

Quæres 21. An facultas tam actiua, quàm passiua absoluendi à reseruatis se extendat ad reseruata post concessionem? Potest duplicem sensum habere, prior est, An concessio referatur solum ad peccata commissa ante concessionem? Posterior est, an referatur ad seruanda impostertum à superiore, dato quod extendatur ad futura? Procedit difficultas siue concessio sit pro vnico actu, siue pro pluribus.

53 Respond. In primis attendenda sunt verba tam petentis, quàm concedentis, princeps enim, & superior concedens solet se accommodare precibus sibi porrectis. *l. Si preces, ff. de legib. cap. Inter dilectos* 6. §. *Cæterum, de fide instr. vbi gloss. ver. Petitionis*, ait, responsum conformari petitioni, *per l. De ætate, ff. de inter act.* quod intellige, nisi ratio, aut lex aliud dicet, quandoque siquidem petitio incongrua est, & tunc responsio talis præsumitur, qualis de iure debet esse. Si quis ergo petat facultatem pro talibus casibus iam perpetratis, sine dubio concessio ad eos restringitur, & non extenditur ad commissa post obtentam licentiam, eo quod concessio conformatur petitioni, & cum ea restringitur ad peccata commissa ante concessionem.

54 Quod si petitio fiat simpliciter præscindendo à commissis, & committendis post concessionem, quod contingit, quando petitur facultas simpliciter, seu generaliter etiam pro vnica vice, licet concedatur intra tale tempus, tunc facta concessio simpliciter sine restrictione ad peccata commissa, intelligitur extendi etiam ad committenda post obtentam licentiam. Probatur ex adducto axiomate, quia superior solet se accommodare precibus sibi porrectis, nisi aliter se declaret. Tum quia generaliter sunt accipienda *l. Cum quærebatur ff. de verb. signif. Glos. ver. Generaliter, cap. Quoniam* 2. *de coniung. lepros.* Tum quia beneficium à principe, seu superiore concessum late explicandum est *cap. Olim ibi* 16. *Glos. ver. Largissime* refert alia plura iura, quod propriè locum habet in casu nostro, cum nulli præiudicet, & multis prodesse potest, siue concessio sit actus absoluendi, siue facultas, vt Doctoribus adductis docet *Sanchez lib.* 8. *disp.* 4. *num.* 4. *prope finem*, & faciunt quæ habet *Bossius sect.* 1. *de Iubilæo casu* 3. *num.* 5. *& sect.* 2. *casu* 5. *num.* 22. Tum demum quia in huiusmodi concessionibus simpliciter factis nulla fit lata interpretatio, sed verba accipiuntur secundum eorum propriam significationem. Ita docent fere omnes, & in terminis *Graff. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 75. *& in Append. lib.* 1. *cap.* 7. *numero* 51. *Portel. ver. casus reseruatus num.* 13. *Floronus cap.* 4. §. 3. *num.* 19. *vbi num.* 22. §. *Idem*, docet procedere etiam quando petitio fit pro vna vice, siue à confessario siue à pœnitente. Procedit dictum non solum in his priuatis concessionibus, sed etiam in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, aut aliis quibuscumque priuilegiis, in quibus fit facultas super reseruata, quæ extêditur ad commissa etiã post obtentũ priuilegium, seu post illius promulgationem, ob adductas rationes. Ita docent *Nau. c.* 12. *n.* 80. §. *Quibus omnibus, Graff. part.* 1. *cap.* 15. *lib.* 4. *num.* 44. vbi negat facultatem extendi ad vota emissa post Bullam, sed melius alij *cum Sanch. lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 26. *& cap.* 54. *num.* 9. docent extendi, cum non sit maior ratio de votis, quàm peccatis, plures alios citat *Bossius sect.* 2. *casu* 14. Procedit dictum etiam respectu religiosorum valentium absoluere, vel dispensare in incursis etiam post priuilegium, *vt docet Sanch. cit. nu.* 9. Procedit etiam in concessionibus factis à superioribus in suis visitationibus, dum concedunt singulis religiosis faciendi se absoluere à reseruatis, intelligitur enim de omnibus vsque ad electionem confessarij, perpetratis.

Maior difficultas est circa peccata, seu censuras reseruanda post concessionẽ, an scilicet antiqua concessio, aut priuilegium se extendat ad nouam futuram reseruationem; pro parte negatiua faciunt, quæ adduxi *resol.* 3. *quæst.* 10. §. *Tertia*, vbi probaui priuilegia concessa absoluendi non referri ad reseruanda in futurum. Et hic habet locum *quæstio super cap.* 6. *sess.* 24. An priuilegium concessum Episcopis absoluendi à reseruatis Papæ, se extẽdat ad reseruata post dictã cõcessionem? Multi siquidem negant huiusmodi extensionem; & quia per nouam reseruationem tollitur priuilegium, cum antecessor non possit ligare manus successori, par enim in parem nullum habet imperium; & quia ferunt extare declarationem Sacræ Congregationis *Sic tenent Garzias, & cum eo Floronus cap.* 4. §. 21. *num.* 5. Oppositum verius sentiunt fere omnes *cum Nau. concil.* 10. *de priuileg. Bona part.* 4. *casu* 37. *Bonac. quæst.* 3. *de cens. part.* 1. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 27. *quos pro se citat Bossius sect.* 1. *casu* 10. *nu.* 249. & ad declarationem, aiunt habere locum quando in noua reseruatione adesset sufficiens clausula derogans Tridentino, & sic patet etiam ad rationem priorem superiorem non ligare manus posterioris, qui si vult potest auferre priuilegium. 55

Respondeo per nouam reseruationem non tolli facultatem, quam quis habet iure alicuius priuilegij, aut statuti, aut ex officio Pœnitentiariæ, nisi reseruator apponat reseruationi derogationem, vtique verò, quando concessio est gratia particularis nullo iure concessa, sed ex tota benignitate Prælati.

Primum, de concessione ex vi alicuius iuris, suadetur à pari priuilegio concesso Episcopis, quod non tollitur per nouam reseruationem, nisi fiat expressa derogatio, apud citatos Doctores. Tum quia loquendo de regularibus, qui ante decretum Clementis poterant aliquo iure absoluere à reseruatis in Religione, possunt etiam post illius executionem factam à superioribus, vt retuli suprà *q.* 15. Vnde posita noua reseruatione in nostra Religione absoluunt Generalis, eius Commissarij, Prouinciales, & Priores, atque Pœnitentiarij, nisi in edicto reseruationis fiat derogatio per illorum expressionem, aut amotionem ab Officio, vt si remoueatur Prior, aut instituantur noui Pœnitentiarij, tunc veteres amittunt ius suum. 56

Secundum, de priuatis concessionibus, suadetur, tum ex differentia prædictarum, nam cum istæ concessiones priuatæ sint, & facili negotio, sine graui consideratione ex solo arbitrio superioris concedantur, æquum est, vt sola voluntate inclusa in reseruatione auferantur, non illæ iuridicæ, quæ cum maturo iudicio, & de iure conceduntur. Tum quia istæ priuatæ temporaneæ sunt, illæ perpetuæ à lege pendentes. Tum quia reseruatio ex sui conditione aufert, & restringit facultatem absoluendi confessariis, quibus ex officio non incumbit absolutio à reseruatis. 57

Dices, huiusmodi particula *A casibus reseruatis*, cum contineat præteritum, referenda est ad peccata præterita, commissa ante concessionem, & sic concessio non extenditur ad futura, & consequenter concessio facta intelligitur de peccatis reseruatis iam, non verò de reseruandis post, cum reseruanda non dicantur reseruata. Sed hæc obiectio cum verborum æquiuocationem contineat, facile soluitur dicendo, eam particulam sumi posse dupliciter, vno modo participialiter, & quatenus refertur ad tempus præteritum, in quo sensu currit obiectio, sed non est contra nostram resolutionem, quia nomen, *Casus reseruatus*, non sic accipitur sed altero modo denominatiuè, quatenus transit in na- 58

turam

turam nominis excludendo, aut saltem præscindendo differentias temporis, in quo sensu participium dicitur transire in naturam nominis, vnde dicimus, *Legens lectionis*, *consultus iuris*, id est lector; sic casus reseruatus id est peccatum, quod sibi reseruat superior in aliqua differentia temporis, vnde benè dixit *Grilenz. cons. 8. n. 6. per l. Qui concubinam ff. de leg. 3.* nomina adiectiua cum substantiuis copulata non requirere semper copulationem omnium, quod in casu nostro ostendi potest ex hoc adiectiuo substantiuo coniuncto, *Casus reseruatus*, quod non semper habet copulationem præteriti, cum sufficiat, quod illius sit quandoque capax, data actuali reseruatione per legem, per quæ incursionem peccati.

Quæres 22. Quid significent isti modi concedendi facultatem absoluendi à reseruatis. I. Concedo tibi meā facultatem. II. Concedo tibi omnem meam authoritatem. III. Concedo tibi casus reseruatos. IV. Concedo tibi omnes casus reseruatos. V. Concedo tibi meos casus reseruatos. VI. Concedo tibi hunc casum. VII Concedo tibi talem casum, & omnem meā authoritatē, seu facultatē. VIII. Concedo tibi omnes casus excepto casu percussionis, IX. An concessis casibus omnibus, inter quos sunt censuræ, hæ censeantur concessæ? X. An sub concessione censurarum veniant peccata?

59 Respond. Ad singulos, præmittendo diligenter esse spectanda verba, quibus petitur facultas, & ipsa intentio petentis, & verba ipsius concedentis in dubio, maximè quando non potest haberi recursus ad superiorem & verba accipienda sunt sub propria significatione, ita quod neque restringenda nimis, neque amplianda præter quod patiatur eorum sensus.

Primus modus. *Concedo tibi meam facultatem.* Habet hunc intellectum, si sacerdos petens nondum sit confessarius, certum est, superiorem nil illi concedere super reseruata in dubio, sed illi dare facultatem tantum super non reseruata, & illum approbare in confessarium, quod patet ex illo communi axiomate, quod sub generali concessione non veniunt, quæ specialiter conceduntur. *Ita Graff. pr. l. 1. c. 4. n. 36. Nau. c. 27. n. 261. §. Vndecimo, Floron. c. 4. §. 14. n. 1.* Quod si pœnitens petat electionem confessarij, & superior annuat illis verbis, non censetur concedere casus reseruatos, *expresse ca. 2. de pœnit. in 6.*

Secundus. *Concedo tibi omnem meam authoritatem.* Intelligitur tunc concessa omnis facultas competens tam iure communi, quàm speciali secundum eius intentionem, *vt docet Homob part. 1 c. 5. §. Sexto eadem ratio, ex eo Floron. c. 4. §. 14. n. 5. Coriolan. sect. 2. art. 9.* Ita facultas se extendet non solum ad omnes casus, sibi reseruatos, sed etiam ad alios, à quibus potest ipse concedens absoluere, qui enim omne dicit, nihil excludit, imò puto extendi etiam ad censuras propter magnam vim, quam habet vniuersalis supra indefinitam, iuxta quod dixi supra *q. 5. §. Tertia*; intellige modò concessio non sit restringenda ex tenore petitionis.

Tertius. *Concedo tibi casus reseruatos.* Concessio se extendit ad omnes casus, à quibus ipse concedens potest absoluere, siue sint sibi reseruati, siue maiori, aut alteri superiori non autem Papæ, eo quod eius casus sunt censuræ.

Quartus. *Concedo tibi omnes casus reseruatos.* Item significat, quod præcedens, solum addit, quod si aliquis specialis casus requireret maiorem expressionem intelligeretur sufficienter expressus ex efficacia illius vniuersalis signi; non autem si concessio fieret per modum præcedentem.

Qintus. *Concedo tibi meos casus.* Habet locum & restringitur concessio ad casus sibi reseruatos, & non ad alios reseruatos aliis Prælatis, licet ab illis possit ipse concedens absoluere. *Graff. part. 1. l. 1. c. 13. n. 98.*

Sextus. *Concedo tibi hunc casum.* Restringitur præcisè ad illum, vt expresse indicant verba, & talis exprimitur intentio concedentis, vltra cuius intentionem non licet operari. *Floron. c. 4. §. 14. n. 3.*

Septimus. *Concedo tibi talem casum, & omnem meam authoritatem.* Restringitur ad casum expressum, nam adiecta clausula denotat expressam delegationem facultatis absoluendi non ab omnibus casibus, sed ab expresso tantum, siquidem verbum speciale restringit generale, cui adiicitur. *l. Sed etsi adiiciatur ff. pro soc. Megal. consil. 40. nu. 3.* & verba accipienda sunt secundum id, ad quod principaliter proferuntur, *Nau. concil. 6. de heret. num. 12. per l. 1. §. Non autem ff. de flumin.* sed verba concessionis prolata fuerunt principaliter pro expresso casu, ergo ad illum restringuntur. *Angel. ver. Confessio. 5. num. 5. Graff. lib. 1. cap. 13. num. 67. Floron. cap. 4. §. 14. num. 6.* afferunt per adiectam particulam concedi similes casus non expressos adducentes iura, & rationes, quæ ex præcedentibus facile diluuntur.

Octauus. *Concedo tibi omnes casus excepto casu percussionis.* Potest ab omnibus aliis absoluere casu percussionis excepto, quia exceptio firmat regulam in omnibus aliis casibus non exceptis. *Ita Floron. c. 4. §. Idem est, Armilla ver. casus Graff. cap. 13. num. 7. Coriolan sect. 2. art. 9. num. 4.* Loquendo de casibus regularibus puto exceptionem includere totum integrum casum, nempe vulnerationem, occisionem, cum hæ omnes actiones sub eodem casu comprehendantur, si reseruetur prout iacet.

Nonus. Concessis omnibus casibus inter quos recensentur aliquæ censuræ intelliguntur concessæ etiam censuræ in illis insertæ, quia veniunt sub nomine casuum reseruatorum. *Graff. pr. lib. 1. cap. 4. nu. 32. ex D. Anton.* Quare in religione concessis illis vndecim casibus, intelliguntur etiam concessæ censuræ excommunicationis contra procurantes abortum, dimittentes habitum religionis, & percutientes Ecclesiasticum.

Decimus. Sub concessione censurarum reseruatarum non veniunt peccata reseruata, quia ex diuersis non fit illatio, & licet sub concessione maiorum venire videatur concessio minorum, & peccata sint quid minus, non ideo tamen hoc verum habet vniuersaliter, sed tantum in iis, quæ lege inducuntur, non autem in iis, quæ à superioribus priuatim conceduntur, *Sigism. dub. 80. n. 2. de elect. per c. Cui de nop 27. de prabend. in 6. c. fin. de transl. Episc.* vnde maius interdum conceditur, & minus prohibetur, *glos. ver. Defensor in clem. 2. de reb. Eccl. non alien.*

Quæres 23. Quamdiu duret facultas concessa absoluendi à reseruatis?

Respond Superior potest duobus modis concedere facultatem absoluendi à reseruatis, vno modo delegando nudum ministerium in aliquo casu occurrente, in quo si moriatur, vel amoueatur concedens antequam incipiatur confessio, extinguitur delegatio cum morte concedentis, *ex ca. Gratum 20. cap. Relatum 19. de off. deleg. cap. Si super gratia 9. eod. in 6. cap. Si cui 36. de prabend. in 6.* in quibus locis dicitur, quod gratia expirat morte concedentis, si res adhuc est integra, idest, si non cœpit expediri, & sub nomine mortis venit non solum naturalis, sed etiam ciuilis, vt renunciatio, vocatio, terminatio, *ex Glos. ver. Mortuo Prelato in cap. vn. Ne sede vac. in 6.* quæ iura procedunt non solum in foro externo, sed etiam conscientiæ, & in terminis docet *Floron. c. 4. §. 3. nu. 12. allegando Palud in 4. dist. 17. q. 5. art. 3. consil. 7. nu. 25. D. Anton. part. 3. tit. 17. ca. 9. in fine.* Dicta locum habent, quando confessario immediatè fit facultas fauore alicuius pœnitentis. Si verò pœnitens ipse petat gratiam, tunc non extinguitur morte concedentis etiam re integra, quia est gratia illi facta à superiore, qui per hoc censetur abstulisse reseruationem, hoc ipso, quod dedit illi licentiam faciendi se absoluere à suo confessario. Igitur hæc concessio quando immediatè fit confessario præcisè pro pœnitente dicitur delegatio, seu gratia facienda, quæ re adhuc integra, idest nondum cœpta confessione expirat cum morte concedentis, quando verò immediatè fit pœnitenti petenti, tunc

tunc est gratia facta, & licentia faciendi se absoluere quæ durat donec absoluatur, etiam post mortem concedentis.

61 Altero modo superior concedere potest facultatem absoluendi ab hoc, vel illo reseruato non tantum in gratiam pœnitentium, quàm ipsius confessarij, vt fit concessio Pœnitentiariis, & aliis sacerdotibus maioris notæ, & doctrinæ, & hæc vocatur licentia, seu gratia facta, quæ non expirat per mortem concedentis, nisi contineat talia verba, quæ indicent eam expirare per mortem concedentis, de quibus verbis, & clausulis dixi sufficienter *resol.36.quæst.9. Ita docent Nau. tom.5.in ca.Placuit nu.162. Flor.c.2.§.3.num.14.vbi citat Silu.ver. Confessor.1.n.7.*

62 Hinc deducitur duplex gratia, nimirum gratia facta, qualis est illa, quam quis impetrat, vel pro se, vel non solum in fauorem sui, sed etiam aliorum in communi, & indistinctè, vt facultas absoluendi ab omnibus reseruatis, vel à tali reseruato, non habito respectu ad personas, quibus conferenda est absolutio, & in hoc casu Gratia dicitur facta respectu confessarij, & facienda respectu pœnitentis, quando occasio sese obtulerit; & hæc cum dicatur simpliciter facta, non expirat morte concedentis, etiam re integra, hoc est, quamuis nullum incæperit absoluere, modo huiusmodi gratia facta non coarctetur vsque ad mortem concedentis. Id totum colligitur ex citatis capitibus initio responsionis, benè *Bonac.p.1. de priuileg.nu.13. & 15.& p.8.num.19.Sanch.li.8. disp.28. Nau.concil.1.de priuil. & consil.31. de præbend. Bossius sect.3. de Iubilæo casu 2.* Gratia facienda est illa, quæ præcisè impetratur fauore aliorum; vt, si confessarius petat facultatem absoluendi quemdam à reseruatis, vel tali casu, & hæc cessat morte concedentis, si confessarius nondum cæpit confessionem eius, pro quo licentia postulauit.

Quæres 24. An habens facultaten siue iure ordinario, siue delegato absoluendi quoscumque indistinctè à reseruatis, possit eadem facultate seipsum facere absoluere ab aliquo confessario inferiori?

63 Respond. Potest non solum habens facultatem iure ordinario, sed etiam iure delegato, modò concessio sit gratia facta indistinctè. Primum constat quia habens potestatem ordinariam pro aliis erga se, illa vti potest per commissionem datam suo confessario. Secundum suadetur, quia huiusmodi delegatio æquiparatur facultati ordinariæ, qua quis vti potest etiam pro se. Communis ratio sit, ne habens huiusmodi facultatem pro aliis dicatur deterioris conditionis. Sed dixi de *hac re resol.3.q.9.& resol.34.quæst.11. & resol. 10.quæst.13.* de dispensationibus. Ita docent de reseruatis *Mirand.tom. 2.qu.34.art. 14. concl.1.Coriol.sect.1.ar.22.*vbi de Guardianis, contra *Graff.tom.1. consil.14. de pœnit.* vbi hoc negat Vicariis Episcoporum, & Prioribus in fine, plures adducendo rationes, quæ omnes tendunt in eum finem, vt nemo possit in seipsum exercere iurisdictionem, quod procedit de vsu immediato, non autem mediato, per electionem tertij. Vide Bossium *sect.1. casu 10.§ 9. de priuilegio Tridentini,* quo Episcopus erga se vti potest per electionem confessarij.

Quæres 25. An habens facultatem absoluendi alios indistinctè à casibus reseruatis vel ex statuto Regulæ, seu constitutionum; vt, in Religione nostra sunt Commissarij, Priores saltem de iure sui officij, eum expresse illis non prohibeatur in regula, vt alibi pluribus in locis dixi, & in hac resol.q.16. An inquam huiusmodi possint subdelegare si non facultatem suam, saltem nudum ministerium, & exercitium aliis confessariis absoluendi à reseruatis in casibus occurrentibus?

64 Respond. Præcitati non solum possunt in aliquo casu occurrenti subdelegare nudum ministerium absoluendi hunc, vel illum, sed etiam propriam iurisdictionem communicare confessariis, vt absoluant ab hoc vel illo casu, vel absoluantur toties, quoties occasio se se obtulerit. Probatur communiter, quia isti omnes habent potestatem ordinariam, vt de Prioribus, & Commissariis dixi quæst.16. hæc autem delegari potest, *est cap. Aqua 9.de consecr.l.More ff.de iuris.om.iud. Sanch.lib.3. disput. 31.num.1.* & non tantum nudum ministerium, & expresse colligitur *ex cap.fin de offic.deleg.§. Cæterum.* Deinde dato, quod isti non habeant potestatem ordinariam, sed tantum delegatam, adhuc ex vi potestatis delegatæ subdelegare possunt iurisdictionem, & non tantum ministerium nudum, quia illi dicuntur non posse delegare, quibus commissum fuit certum ministerium, & non iurisdictio, ex eodem ca.fin. sed præfati omnes habent iurisdictionem, ergo eam delegare possunt. Insuper isti habent potestatem super vniuersos casus, aut maiorem partem eorum, vt suppono, ergo possunt delegare iurisdictionem, cum vniuersalis delegatio æquiparetur iurisdictioni ordinariæ, quæ delegabilis est, & eam habens censetur ordinarius, *glos. ver. Si dicat* post medium, *cap. vt debitus honor.59.de appellat.* Præterea potestas, quam quis habet ex priuilegio, seu lege, aut statuto aliquo censetur ordinaria, *Rodriq. tom.1.q.17. art.11.Confect. tit.11.cap. 1.Floron. cap.4.§. 3.§.Hic ergo, ex Conar.lib.3.cap.20.num 6.§. Nec quidquam oberit;* sed præfati Commissarij, & Priores habent ex vi Regulæ. Ita sentit *Villald. apud Compend. resol.3.num.23. ex priuil.quodam, Rodr. vero apud ipsum citatum, & resol.69.num.9.* concedit Guardianis nudum ministerium delegationis. *Vide Portel ver.casus reseru. in Addi.2. Mirandam tom.2.quæst.34.art.14.consil.2.* dicit Guardianos non posse aliis committere suam authoritatem secundum *Collectorem ver.absolutio ordin. quo ad Fratres §.49. dub.3.* quia sunt delegati, qui ideo non possunt subdelegare, nisi delegati sint ad vniuersitatem causarum, vel nisi specialiter illis id concedatur; concedit ergo quod possint subdelegare nudum ministerium; & in conclusione 3. dicit Guardianos non posse suam authoritatem subdelegare, quia non videntur habere nisi nudum ministerium respectu absolutionis subditorum suorum à reseruatis, & sic nisi sint commissarij suarum Prouinciarum cum plenitudine potestatis, non possunt committere alteri suam authoritatem nisi pro vno, vel altero casu. Non placent eius dicta; & quia videtur sibi contradicere dum dicit Guardianos habere authoritatem, subdendo eosdem habere solummodò nudum ministerium, quod excludit authoritatem, & iurisdictionem *ex cap. fin.de off.deleg .§.Cæterum.* Et quia si habet facultatem super omnes casus, habet vniuersitatem causarum, ac proinde subdelegare potest suam authoritatem.

Quæres 26. An superiores Regulares, vel alij habentes facultatem absoluendi à reseruatis ea facultate vti possint in omnibus conuentibus non solum respectu suorum subditorum, sed etiam aduenarum?

Respond. Habentes facultatem hanc, vbique vti possunt pro suis subditis, quia loco non terminatur, sicut contentiosa, & sicut vbique possunt absoluere à peccatis, ex probatis de superioribus *resol.2.quæst.6.de confessariis resol.4. quæst.8.* ita & à reseruatis. Loquendo de aduenis, quando isti hospitantur in conuentibus confessariorum, possunt absolui, ex illa communi ratione, quia habent iudicari secundum ordinationes loci, & conuentus vbi confitentur. Quando verò confessarius habens facultatem hospitatur in alio conuentu, extra prouinciam, non potest absoluere à reseruatis ibidem de familia degentes, quia eius facultas restringitur pro subditis eius, à quo habet facultatem super reseruata; & hæc est regula generalis; vnde Prior si habeat ius ex vi sui officij super reseruata, solum audit suos subditos, & hospites apud se morantes, idem dic de habente potestatem ab eodem. Habens autem potestatem à Prouinciali omnes existentes in Prouincia absoluit etiam hospites; habens verò à Generali, absoluit in omnibus conuentibus Religionis. Intellige prædicta, quando concedens non limitat facultatem ad Religiosos degentes in tali conuentu, neque censetur 65

limitatio,

limitatio, quando quis constituitur Pœnitentiarius in tali conuentu, vbi degit de familia, quia designatio loci potius fit habendo rationem ad subiectionem ipsius ibidem commorantis, quàm ad restringendum eius facultatem quo ad Religiosos. Vide non nihil apud *Coriolanum sect.1.art.22. & sect.3.art.10. Graff.part.1.lib.1. cap.13.numer.69.* Quod si apertè constaret Pœnitentiarium esse præcisè conuentualem & non etiam Prouincialem, tunc limitaretur loco; in mea Religione puto esse Prouincialem & sic vbique in Prouincia absoluet.

Quæres 27. De Pœnitentiariis. I. An superiores teneantur assignare, & constituere Pœnitentiarios in singulis conuentibus, qui habeant delegatam facultatem absoluendi à reseruatis? II. Ad quos pœnitentes se extendat eorum facultas? III. An eam subdelegare possint aliis confessariis? IV. Ad quos casus se extendat eorum facultas? V. An solum in foro conscientiæ absoluant? VI. Ad quos spectet deputare Pœnitentiarios.

66 Respond. Primo, Superiores de iure ad id non tenentur, cum nullibi id reperiatur præceptum, vnde ex *Sess. 14.cap.7.* in fine dicitur, *Id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Si ergo pœnitentes accedere habent ad Superiores, ergo non coguntur constituere pœnitentiarios, Idem pro Regularibus colligitur ex decreto Clementis illis verbis. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori; iique sint docti, prudentes charitate praditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipsi in primis confessarius iudicauerit.* Per hæc autem verba nihil decernitur de Pœnitentiariis, sed tantum deputandi sunt Confessarij simplices, quibus superior in casibus occurrentibus debet committere absolutionē à reseruatis, quando ipsi confessarij id iudicauerint; Pœnitentiarij autem instituuntur cum facultate super reseruata, cum ergo confessarij iuxta hoc decretum deputandi, non habeant post deputationem hanc facultatem Pœnitentiarij dicendi non sunt. Dixi, de iure, intellige communi, quia in quibusdam Religionibus ex statutis earum, aut etiam consuetudine deputantur Pœnitentiarij, vt in nostra Religione, in cuius statutis nil determinatur de illis, tamen probata consuetudo habet deputandi illos in singulis ferè capitulis Prouincialibus. Ex officio igitur solius charitatis Superiores in singulis conuentibus habent deputare Pœnitentiarios, & sufficit vnus cum Superiore monasterij, nisi multitudo Religiosorum aliud exposcat. Et id est conforme vsui Episcoporum, qui per suas Diœceses constituunt Pœnitentiarios, ad quod faciendum eos monet Sacra Congregatio in literis directis ad Archiepiscopum Neapol. vt videre est *apud Quarant. ver. Casus reseruati, §. Sequuntur, & insinuat Megal. lib. 1. de Pœnit. cap. 13. num. 24.* Quare Superiores Regulares imitando Episcoporum laudabilem vsum in singulis conuentibus præter Superiorem, instituent vnum saltem Pœnitentiarium, qui à reseruatis absoluat.

67 Secundo, facultas horum Pœnitentiariorum ad eos Religiosos se extendet absoluendos ad quos decernet ipse Superior, vnde inspiciendus est tenor literarum, & iuxta illarum limites agendum est, Quod si institutio fiat per solam nominationem personæ non explicando personas, quas possit à reseruatis absoluere, in eo casu certum est Pœnitentiarium sic institutum posse absoluere omnes Religiosos de familia in Conuentu vbi residet Pœnitentiarius, deinde hospites ibidem repertos, immo & hoc munus exercere potest in singulis Conuentibus Superioris constituentis, quia institutio simpliciter est facta absque limitatione loci, & personarum, & de hæc iam iterum dixi *q.26.*

68 Tertio Pœnitentiarij instituti subdelegare possunt non iurisdictionem suam, sed nudum ministerium, & simplex exercitium absoluendi in vno, vel altero casu, occurrente aliis Confessariis id petentibus. Quod procedit, licet Superiores in creatione eorum nullam faciant mentionem subdelegationis, quod probatur. Tum quia delegatus non solum Principis, sed etiam Prælati inferioris subdelegare potest nudum ministerium super vnum, vel alterum articulum, vt ex communi Canonistarum, quos sequitur *Imola in cap. Cum Bertoldus, de re iud. num. 14. testatur Megal. libr. 1. de censs. cap. 8. num. 8.* loquendo de absolutione à censuris, Tum quia delegatus ad vniuersitatem causarum, qualis est ille, cui committitur vnum genus causæ sub nomine collectiuo, licet restringatur tempus, & locus *apud Sanchez lib.3. disp.31. nu.2. Florentinum cap.4 §.4. nu.9. Nald. ver. Delegatus nu.14.* potest subdelegare alterum articulum; Pœnitentiarius autem sic delegatus dicitur ad vniuersitatem reseruatorum. Tum quia id expressè colligitur ex citatis Literis ibi. *Quibus facultatē absoluendi à casibus reseruatis cōcedant, ita vt, his quoque liceat eādem aliis confessariis, si opus sit, etiam viua voce impartiri, idque maxime in solemnioribus, & præcipuis anni festiuitatibus.* Et licet loquatur de Pœnitentiariis Secularium, idem tamen ius statuendum est pro Religiosis. Sic tenet loquendo de Pœnitentiariis Secularium *Homob. part. 1. cap 5.§. Quod etiam, quem pro se citat. Floren. ca.§.23. in fine. Nau. consil. 22. de Pœnit.* loquendo de Vicario Episcopi, *Lupus dist. 12. art. & diff. 1.* qui tamen hoc negat nu.8. de Pœnitentiariis Monasteriorum, nobiscum verò sentit, eodem teste, *Peyrinus ad constit. 10. Vrbani VIII. nu. 14. Zerola cap. 24. quæst. 17. quem pro se citat Bariola ver. eodem*, loquendo de Pœnitentiariis simpliciter, aduertit tamen vnum, id locum habere in Pœnitentiario Maiori, non minoribus, sic ait practicari Mediolani, quod nunc seruatur Coriol. *sect. 2. art. 5.* cōfundendo hanc quæstionem cum alia, multa impertinenter referendo, demum concludit partem negatiuam, nisi deputatus habeat licentiam expressam à Superiore. De Pœnitentiario Cathedralis non potente subdelegare suam potestatem multos vide *apud Barbosam ad cap. 8. sess. 24. nu. 28. & 29.*

Quarto, Pœnitentiariorum facultas se extendit ad omnia reseruata ipsi concedenti, seu à quibus ipse potest absoluere, nisi limitetur ei potestas à Superiore concedente, vel ex aliquo statuto. Quare Pœnitentiarius constitutus per solam sui nominis expressionem absque vlla limitatione casus, tunc post absoluere ab omnibus illis casibus siue propriis, siue aliorum Superiorum, siue Papalibus à quibus ipse absoluere potest. 69

Quinto, Pœnitentiarij, cum eorum facultas respiciat fauorem animarum, absoluere tantum possunt pro foro animæ, ita quod extra non prodest absolutio, nisi in casu necessitatis quo non potest pœnitens accedere ad Superiorem, tunc enim ex accepta fide necessitatis absolutus excusari potest, si placuerit Superiori acceptare datam absolutionem fauore externi iudicij, ad euitandas censuras, seu irregularitates. 70

Sexto, deputare Pœnitentiarios spectat ad superiores maiores, qui sibi casus reseruare possunt, sicut enim isti restringunt per reseruationem Confessariis potestatem, ita eisdem ampliare possunt, constituendos eosdem Pœnitentiarios. 71

In mea Religione, cum Priores valeant deputare simplices Confessarios pro suis subditis ex c.14. Regulæ, & ipsi habeant potestatem ordinariam super casus reseruatos, ex probatis *q.25.* poterunt delegando huiusmodi potestatem, & ipsi facere Pœnitentiarios pro suis subditis tantum, quos poterunt absoluere ab omnibus, quos Priores absoluere valent. 72

Quæres 28. An, & quinam Superiores possint taxare pœnitentias subditis imponendas à Confessariis, non solum pro reseruatis, sed etiam aliis peccatis non reseruatis.

Respond. Possunt, vt expressè determinatur in Decreto, 73

creto, tilis verbis. *Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis à Confessarius imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandi cohibere possint.* Sic docent *Coriolanus sect.1 art.19. Faber.disp.27.n.47.* Superiores autem sunt Generalis, Prouincialis, & Prior vnusquisque respectu casuum sibi reseruatorum, quia pœnitentias taxare est actus, iurisdictionis fori pœnitentiæ, ergo huiusmodi taxatio spectat ad Superiores habentes huiusmodi potestatem, quales sunt præcitati.

Quæres 29. Ad quem Superiorem subditus casibus reseruatis subiectus diuertere habeat, maximè quando in eodem Conuentu sunt plures Superiores, vti Generalis, & Prouincialis, pœnitentiarius, & huiusmodi.

74 Respond. Habet optionem recurrendi ad quemcumque illorum, qui potest absoluere ab illo casu, in quem incurrit, cum non coarctetur recurrere magis ad vnum, quàm ad alterum, & certa regula detur, quod recurrere habet ad illum, qui sibi casum reseruauit, aut ad eius Superiorem, vel ad habentem potestatem delegatam ab illo. Scio Coriolanum *sect. 1. art. 58.* Idem asserere, sed falso fundamento, nimirum, quia ex præscripto Decreti iidem casus sunt pro omnibus Regularibus assignati, propterea pœnitentes possunt ad quem magis voluerint ipsorum Superiorum recurrere. Nam id falsum est, siquidem quamuis in Decreto iidem casus enumerentur, non tamen ipso iure reseruati sunt, sed reseruari debent vel omnes, vel partim eorum, & alij præterea, vnde vnus Superior potest sibi reseruare aliquos, alter diuersos, itaque diuersificari possunt, sicut diuersi sunt Superiores, consequenter non potest dari optio, ita quod pro reseruatis Generali qui non potest recurrere ad Prouincialem, neque pro reseruatis Prouinciali quis recurrere potest ad reseruatas Priori, licet è contra dari possit recursus ab inferiori ad maiores.

Quæres 30. An quando idem casus reseruatus est pluribus Superioribus, possit tunc tolli à quouis ex illis? e.g. talis casus reseruatus est Generali, Prouinciali, & Priori, an virtute solius Prioris tolli possit? Vel idem casus reseruatus est à iure, & ab homine, an tolli possit vnica absolutione?

75 Resp. Quando idem peccatum reseruatur à pluribus Superioribus subordinatis, tunc non potest auferri per licentiam inferioris Superioris, qui nullum ius habet in casus Superiori maioris, eo quod inferior non potest in lege Superioris, *cap. Inferior 4. dist.21. cap. Cum inferior 16. de maior. Clem. Ne Romani, de elect.* vtrique verò per licentiam superioris, ita quod deinde absoluere quilibet simplex confessarius sine licentia inferioris. Quando reseruatur ab eodem identitate numerica, sed diuersitate reseruationis per legem, aut ab homine, tunc reseruatio tollenda est ab iis, qui possunt iuxta posteriorem reseruationem, quæ priori derogat, vnde habens facultatem absoluendi à reseruatis à iure tantum, non potest absoluere, quando non habet ius super reseruata ab homine, si postrema reseruatio sit ab homine, quia in eo casu attenditur solum reseruatio ab homine, & non à iure, quæ euanuit. Idem dic è contra, postremam reseruationem existentem à iure tolli posse minime ab eo qui potest absoluere solum à casibus ab homine, eo quod casus censetur tantum ab homine reseruatus. Quando demum fit reseruatio ab eodem, vel successore eiusdem peccati eodem genere reseruationis tunc cum iudicetur vnica reseruatio, auferri potest ab vnico tantum habente facultatem. Procedunt, modò casus reseruatus non habeat adiectam excommunicationem à pluribus, quia tunc reseruatio excommunicationis à singulis auferenda est, nisi tollatur à Superiore, vel de eius licentia extensiuè etiam ad inferiorem excommunicantem, quia sicut multiplicatur excommunicatio; ita & reseruatio. *Ita ex Suar. Portel. ver. casus reseru. n.12. Faber disp.27. de Pœnit. nu.99.*

Quæres 31. An habens facultatem à Generali absoluendi à reseruatis, possit absoluere à quibuscumque reseruatis etiam inferioribus Prælatis?

76 Resp. Inspiciendus est tenor concessionis, si enim dicat. *Concedo tibi facultatem absoluendi à casibus Religione reseruatis,* potest absoluere à reseruatis non solum sibi, sed etiam aliis Superioribus in Religione. Si verò dicat. *Concedo tibi casus meos,* certum est non posse absoluere à reseruatis reliquis Prælatis, vt ex tenore verborum satis constat. Si verò dicat, *Concedo tibi facultatem super omnes casus reseruatos,* tunc ab omnibus absoluere potest. Absolutè affirmat *Portel. cit. num 17.*

Quæres 32. An superior maior possit absoluere à reseruatis inferiori, vti Generalis a casibus reseruatis Prouinciali; Prouincialis à reseruatis Custodi, vel Priori, seu Guardiano?

77 Respond. Potest, quia omnis potestas existens in Prælato inferiori cumulatiue, & perfectiori modo est in Prælato maiore. Et in Religione mea nulla est difficultas, cum facultas absoluendi à quibuscumque reseruatis tribuatur Generali, eius Commissariis, & Prouincialibus, nec non Prioribus, licet non exprimantur. In Religione Minorum de prima Regula extat const. Alex. VI. *Intelleximus,* apud Confect. pag. 111. in qua declaratur, posse Generalem, Prouincialem, & Guardianos reseruare sibi casus de occultis, & subdit Generalem non posse absoluere à reseruatis Guardianis, neque super his licentiam absoluendi dare posse. Sed puto in ea Religione hanc Bullam non seruari, quia Guardiani de obseruantia vix possunt absoluere a reseruatis maiori, vt dicit Mirand. cum aliis, quos citaui supra *q.25.* & absolutè aliquos casus reseruare non possunt, ex probatis *resol.37. q.19.* Imò ex Bulla mihi videtur surreptitia, & repugnantia continere, cum neget facultatem Generali, non autem Prouincialibus.

Quæres 33. An Religiosi sine licentia, vel saltem cum licentia possint facere absoluere à reseruatis extra Religionem.

78 Respond. Religiosi non possunt se facere absoluere à reseruatis extra Religionem, nisi cum licentia expressa Superioris habentis facultatem absoluendi ab eisdem, loquendo regulariter, & faciunt dicta *q.20.*

Quæres 34. An simplex Confessarius possit absoluere eum, qui fecit actionem proximè inductiuam in delictum reseruatum, antequam sequatur eius mors & reseruatio, e.g. An vulnerans lethaliter, vel venenum propinans possit absolui à simplici Confessario antequam vulneratus, aut veneoatus moriatur? Hic autem locum non potest habere reseruatio censuræ, quia quamuis pœnitens possit absolui à peccato, adhuc nihilominus potest incurrere censuram secuto effectu, propter quod incurritur, quod longe diuersum est à peccato, quod in se completur ex actione illicita, ex qua deinde sequitur mors, quæ peccatum non est, sed priuatio vitæ, à qua non dependet ratio peccati.

79 Resp. Potest absoluere, quia adsunt omnia requisita ex parte vtriusque vt suppono, neque difficultatem facit futura mors, quæ certò expectatur, quia huiusmodi futuritio mortis, ac subsequenter reseruationis non restringit potestatem Confessarij, ita quod huiusmodi peccata vulnerationis aut venenationis ante mortem sint affecta reseruatione, quod omninò falsum est, cum nondum sit, hoc ipso, quod habet sequi in ipsomet actu mortis, licet ad huiusmodi reseruationem sint valde proximè dispositæ, quod non impedit confessionem, neque absolutionem quæ sicut pendere non potest, sed statim ac ponuntur verba absolutionis effectus resultat si non ponatur obex, ita neque infici potest à futuro euentu à reseruationis, quæ facultatem absoluendi restringere non potest, neque auferre, nisi quatenus actu est, & pro eo tempore, vel momento, quod hoc Sacramentum exercetur. Neque post mortem iterum causam mortis inductiuam confiteri tenetur, cum illa iam

ritè

rite sublata fuerit per antecedentem absulutionem, neque ipsius causæ effectum, nempe mortem vti prioris peccati complementum, quia mors hoc modo spectata peccatum non est, neque peccati circumstantia, cum vtamque in ipsa actione vulnerationis in ratione peccati completum fuerit, & mors in se spectata est præcise priuatio vitæ hominis vulnerati, pensata verò vt actio iniusta proximi iam sublata fuit per absolutionem, ergo nihil remanet absoluendum. Huius opinionis in materia abortûs est *Homob. de casibus. reseru. part.3.c.7.sect. 2. except. 6. & ex eo Lupus casu. 9. num. 23.* eo quod tempore confessionis nondum secutus sit effectus abortûs, neque proinde reseruatio, quam pœnitens expectare non tenetur, cum possit conuerti in quolibet temporis momento, si vult, cum pœnitentia non sit differenda,

Nald. ver. Actus num.29. & ad cap. Omnis vtriusque de pœnit. opinionem tenet negatiuam, quam probat, I. quia pendentia idem operatur, quod sententia l. Reum C. de procur. l. Diximus, de execut. tur. aliis iuribus citatis, ergo sicut non potest absoluere secutâ morte, ita neque eadem pendente, cum idem operari debeat. Hoc argumentum non tenet in iis, quæ in suspenso manere non possunt, neque pendent à futuro euentu, cuiusmodi est sacramentum absolutionis. II. quia dum aliquid pendet, & potest se habere vt ad prohibitum, & vt ad permissum, semper stat vt ad prohibitum l.1.§. *Si pendeat ff. Ad Macedon. l. Nec nos C. de cap. & postlim. reuers.* ergo dum pendet hoc periculum vitæ, erit censendum vt homicidium. Procedit hoc, quando agitur de actione mala, hæc enim semper stat ad prohibitum, ex absolutione autem nil mali sequi potest cum tollatur illud peccatum, quod in ratione peccati iam consummatum est. III. probat, quia id quod est in fieri habetur pro facto l. *Ligni §. Ego autem, & l. Cum vxori ff. de legat. 3.* ergo cũ censeatur homicidium factum, non potest absolui à simplici Confessario, qui facultatem non habet super reseruata; non procedit in odiosis, quæ veritatem requirunt, non fictionem iuris; neque habet locum, quando lex requirit actum, vt tradit *Thomaset. regul 251.* in casu autem nostro ad reseruationem requiritur mors actu, & non sufficit in causa proxima. Demum vnica responsione eluduntur huiusmodi axiomata, dicendo non habere locum nisi in actibus pendentibus, in casu autem nostro de absolutione nulla datur pendentia peccati vulnerationis mortalis, cum ratione suæ malitiæ, quam habere potest in ea actione, totum suum esse simul habuerit in actu percussionis & mors sequens se habeat tantum materialiter, cum nullam malitiam quando sequitur influat in interfectorem.

Quæres 35. Quid dicendum in hoc casu. Episcopus Confessario petenti facultatem absoluendi quoscumque ad se accedentes à casu e.g. violationis diei festi. An huiusmodi gratia facta simpliciter, vt petitur, duret etiam postquam finitus est annus limitatus quo ad approbationem, quæ communiter fit ad annum, ita quod noua confirmatione obtenta, vt fieri solet, non egeat noua facultate absoluendi à dicto casu, sed illa continuo duret cum, fuerit concessa sine limitatione temporis, licet fuerat concessa approbatio audiendi confessiones limitata ad annum.

80 Respond. Illa gratia super casu reseruato facta non excedit tempus præconcessæ approbationis; sed statim ac cessat approbatio tempore transacto, extinguitur quoque gratia, quæ neque reuiuiscit per subsequentem confirmationem approbationis.

Primum, quod gratia non excedat tempus approbationis, suadetur. Tum quia accessorium congruit sequi naturam sui principalis. Reg. 42. in 6. ergo tamdiu durat gratia, quamdiu approbatio, à qua pendet in esse. Tum quia accessorium iudicatur secundum terminos rei, cui adijcitur *l. Grego ff. de leg. 1. l. Peculium ff. de legat. 2. cum aliis teste Sanch. lib. 7. disput. 29. num. 4.* quod maximè procedit quando necessario accessorium dependet à principali, vt in casu hoc in quo gratia hæc nequaquam stare potest sine approbatione, quam supponit. Tum quia fundamento non existente superædificari non potest *cap. Cum Paulus 26.1. quæst. 1. ca. Veniens 3. de presbiter. non baptiz.* Sed fundamentum vtendi dicta gratia est approbatio, ergo ea finita, & non existente, finitur, & non amplius existit gratia. Tum quia sequeretur euidens absurdum gratificatu ea vti posse, & consequenter absoluere sine approbatione, cum hæc iam cessauerit, vt suppono. Demum similes gratiæ non conceduntur nisi Sacerdotibus ante approbatis, vel in ipsa approbatione, ergo illæ regulandæ sunt iuxta tenorem approbationis. Et sic patet, gratiam prædictam non dici absolutè, & absque limitatione temporis concessam, cum virtualiter sit limitata ad ad tempus approbationis.

Secundum, quod per confirmationem, seu prorogationem approbationis non sit prorogata gratia, suadetur, quia semel extinctum non reuiuiscit, *argum. cap. Si illic 29. 23. quæst. 4. cap. Quæris 127. distinct. 4. de Consecr. ex Glos. ver. Contrahatur, Glos. fin. cap. Cum cessante 60. de appellat.* nisi de nouo causa illi det esse; sed confirmatio approbationis non excedit limites approbationis confirmatæ, cum actus vnius rei non sit alterius l. *Si non Sortem, §. Libertus ff. de condit. indeb. ex Glos. Ad eum pertinet extr. 3. de verb. signif.* neque enim ab vno actu ad alium fit extensio *Parisi. libro 1. consil. 17. Aym. consil. 55. Rota Roman. Nouiss. volum. 2. decisione 99. numero secundo.* Consequenter confirmatio approbationis non est prorogatio gratiæ, neque ab illa ad hanc fit extensio, cum de gratia nil fuerit dictum, neque excogitatum in confirmatione approbationis.

Quæres 36. An facultas absoluendi à casu violationis exempli gratia diei festi simpliciter petita, & concessa ab Episcopo; & postmodum eadem petita simpliciter ab eius Vicario, sed limitatè concessa, dummodo violator audierit Missam. Seu è contra limitatè concessa ab Episcopo, & simpliciter ab eius Vicario ad inuicem contrarientur, ita quod limitata gratia limitet seipsam simpliciter concessam; itave vna & eadem sit gratia; an potius duæ vna alteri non aduersans; seu, vt clarius loquar, an Confessarius possit vti gratia ampliori, relicta strictiori, quouis ordine sibi succedant. Videtur quod non possit vti gratia ampliori, sed tantum strictiori, & quia concessio specialis strictè interpretatur *l. C. de dot. prom. Iason in l fin. ff. de contr. princ. num. 35. cum aliis apud Mar. Anton. lib. 3. resol. 2. num 17.* & quia priuilegium secundum tollit primum, si sint contraria, vt in casu nostro; sed ista non obstant, cum non procedant in casu nostro, in quo diuersi sunt concedentes, & duæ concessiones.

Respond. Confessarius potest vti quauis illarum, 81
vt sic ampliori, licet fuerit concessa à Vicario, siue ante, siue post gratiam Episcopi. Probatur, Tum quia sunt duæ gratiæ à diuersis concessæ, ergo vnus non intendit præiudicare alteri. Tum quia non sunt contrariæ sed diuersæ, neque proinde vna destruit alteram, vt in simili dixit *Verall. part. 2. decis. 87. num. 3.* per quam rationem patet ad posterius obiectum, nam posterius priuilegium tollit prius, quando ad inuicem sunt contraria, non verò diuersa, & eo magis cum diuersa sint etiam ex parte concedentium. Ad prius dico habere locum respectu eiusdem præcipuè, præterquamquod adhuc strictè interpretatur vna quæque concessio in se cum non excedatur proprietas verborum in eius vsu.

RESOLVTIO XL.

De primo casu reseruando in Religione.

Veneficia, Incantationes, & Sortilegia.

SVMMARIVM.

1 *Superstitionis non omnes species sunt sub hoc casu.*
2 *Superstitio quid, & quotuplex?*
3 *Indebitus cultus quid?*
4 *Hic non est casus reseruatus.*
5 *Idolatria est honor creaturæ vti Deo tributus.*
6 *Diuinatio quid?*
7 *Diuersa nomina sortitur.*
8 *Astrologia est diuinatio per astra.*
9 *Phisiognomia duplex.*
10 *Sortilegium triplex.*
11 *Nullum eorum reseruatum.*
12 *Obseruatio vana quid?*
13 *Veneficium quid sit?*
14 *Incantatio quid?*
15 *Dubia tria proponuntur.*
16 *Diuinationes omnes sunt eiusdem speciei.*
17 *Quælibet ex genere suo mortale.*
18 *An aliqua pœna contra hos sit inflicta.*

OMnes scribentes super hoc casu cum *Graff. Quar. & Coriol.* docent sub illo comprehendi omnes species Superstitionis, & non tantum hic enumeratas, ducti ea ratione, quia quando agitur de salute animarum, & de euitando peccato debet fieri extensio iuris etiam pœnalis, *ex Iason.in Auth.Quas actiones,de sacrosf. Eccl.n.25.* Id enim potius dicitur inclusio similium peccatorum, quàm extensio. Nihilominus Ego semper
1 fui eius opinionis, quæ asserit, hunc casum præcisè comprehendere tantum species ibi enumeratas, & ad alias non extendi, quia probaui *resol.38. q.39.* reseruationem casuum strictè esse explicandam secundum propriam significationē verborum,itavt non possit fieri extensio, aut inclusio eorum, quæ termini formaliter accepti nõ significant, aor non includunt in sua significatione,vt satis probaui ibidem, & q.40. Quare prædictè tres voces non debent extendi ad alias species Superstitionis, qua propriè non significant, siquidem lex non plus obligat, quam verbis exprimatur,arg.Lucæ c.3. *Nihil amplius, quam constitutum est vobis,faciatis.* Ad id quod dicit Ias. respondeas illius,& multorum Doctorum esse opinionem, cui opposita opinio multum probabilis est, maximè in casu nostro,in quo præsertim attenditur voluntas reseruatoris, qui eligit potius hoc peccatum, quàm aliud cadere sub reseruatione, cum stet in hoc pro ratione voluntas.

Cum igitur omnes superstitionis species non includantur in dicto casu sub illis verbis, remanet videndum quænam excludantur, quæ verò comprehendantur, vt sciri possit, quandonam Religiosus excusetur à reseruatione casus. Hoc autem sciri perfectè non potest, nisi prius explicetur quid, & quotuplex sit Superstitio.

2 Superstitio autem,quod est vitium Adorationi oppositum, est vana religio, seu cultus alicui indebitè tributus.Huius autem quadruplex assignatur species. Prima vocatur in[illegible]bitus cultus tributus vero Deo. Secunda vocatur Idolatria, Tertia Diuinatio, Quarta Obseruatio vana. *Ita D. Thom.2.2.q.92.ad 96.Nau.cap.11.n.23. Silu.ver. Maleficium nu.8. & ver.Superstitio n.1. Sanch.l. 2.c.37.*

3 Indebitus cultus creatori, & vero Deo tributus duplex est, alter vocatur Perniciosus, quo Deus malè honoratur per sacrificia, & alios ritus infideliũ; vt,immolatio animalium,mixtio obscenitatum in diuinis officiis, mutatio substantialis in sacramentis,prædicatio falsorũ miraculorum, &c. estque id peccatum mortale, a[illegible] præcitatos. Superfluus, quo Deus honoratur indiscreta deuotione; vt, mutatio rubricarum addendo,vel relinquendo aliquid ritibus ab Ecclesia institutis, vel ponendo cultum in vanis circumstantiis loci, temporis, numeri, coloris, &c. Est peccatum veniale, interdum mortale, quando mutatio est notabilis.

Nulla autem harum comprehenditur sub casu reseruato, eo quod non sit Veneficium,Incantatio,aut Sortilegium,neque alia superstitio indebiti cultûs erga creaturam, quæ ad summum videtur includi in casu iuxta mox dicenda: 4

Idolatria secunda species est honor creaturæ tributur sicut Deo. Is ergo honor soli Deo tribuendus est, consequenter graue peccatum est mortale, à quo ignorantia,metus,neque simulatio, aut materiæ paruitas excusat. Neque hæc comprehenditur sub hoc casu, cum sit quid omnino diuersum à prædictis, vt de se notum est. 5

Diuinatio est prænuntiatio inordinata rerum occultarum virtute Dæmonis manifestatarum. Dixi, *Inordinata,* quia media ad diuinandum assumpta nullum ordinem, aut efficaciam habent ad diuinandum. Dixi,*Occultarum*, siue sint res præteritæ, vt si quis velit scire, quis furatus sit talem rem; vel quis inuenerit rem amissam, siue futuræ; vt, sunt euentus, & futura contingentia præsertim hominum. Dixi, *Dæmonis*, quia in his superstitionibus Dæmon semper habet suam partem,& in illis inuocatur, vel expressè, cum scilicet quis cum eo pactum facit, vel vtitur tali medio, per quod scit Dæmonem operari; vel tacitè, cum quis vtitur eodem medio, per quod solet Dæmon operari, Medium autem, quod adhibetur, ex se inutile est ad præstandum effectum intentum, cum effectus prouueniens superet medij virtutem, vt constat in cognitione futurorum, quæ soli Deo debetur, & in effectibus mirabilibus; vt, sanatio vulneris sine medicamine cum sola ligatura petiæ lineæ, ex quibus patet Dæmonem in his operari, & sic illi honorem tribui, ac si esset verus Deus. 6

Sortitur autem Diuinatio diuersa nomina iuxta diuersitatem mediorum, quæ superstitiosus adhibere potest; nam si vtatur medio terreo vocatur Geomantia; si aereo Æromãtia; si aqueo Hydromantia; si igneo Pyromantia; si animalium interioribus Aruspicium; si eorum volatu Auspicium; si eorum vocibus Augurium; si inspectione signorum pedum Pedomantia; si manuum Chiromantia; si hominum vocibus Omen; eorum, somniis Onirocritia; si signis totius corpori humani Physiognomia; si signis spatulæ Spatulamantia, si signis frontis Metopolcopia; si hominibus viuis arreptis Phytonia; si assumptis corporibus mortuis Necromantia; si inspectione astrorum Astrologia; si missione sortis sortilegium. Prædicta omnia inuenies apud citatos Doctores §. *Superstitio, & apud Flor. casu 1.§.1.* & alios tractantes de hoc casu reseruato, & colliguntur *ex ca.1.26.qu.3.& q.5.c. Nec mirum* 14. explicanda autem sunt hæc tria nomina Astrologia,Physiognomia,& Sortilegium. 7

Astrologia diuinatio per astra duplicis est generis, alia naturalis prænuncians quæ naturaliter contingunt ex aspectu astrorum, quæ facit multum ad cognitionem medicinæ, agriculturæ, & nauigationis, & hæc non est superstitiosa, neque peccatum. Altera iudiciaria vocatur præonntians pendentia ex libero arbitrio, vel casus fortuitos,&c est superstitiosa, falsa, & vana, peccatum mortale, nisi excuset ignorantia,bona fides, vel paruitas materiæ, vt dicam infra §. 2. 8

Physiognomia duplex est, Naturalis, quæ ex corporis dispositione,habitudine,& membrorum proportione prædicit ingenium, temperiem corporis, & hæc non prohibetur, sicut nec commutatio temperiei corporis per lineas, & partes manuum,quæ dicitur Chyromantia, Alia iudiciaria prædicens euentus prosperos, vel aduersos hominum, est hæc vana, & superstitiosa 9

peccatum

peccatum mortale, vt dicam infrà §. *Secundo.*

10 Sortilegium triplex est. Primum dicitur diuisorium, quo innotescit quid vnicuique tribuendum sit in dirimendis controuersiis, vel in distribuendis officiis Secularibus, nam in Ecclesiasticis id est prohibitum; hoc non est peccatum seruata iustitia, exclusis scilicet indignis, & non reiectis dignis, & ius habentibus. Secundum dicitur consultorium, quo diuina voluntas exquiritur, vt sciatur aliquid in aliquo negotio, & hoc raro licitum est, quia voluntas diuina non est sortibus indaganda, sed consilio suæ Ecclesiæ, & peritorum. Tertium Diuinatorium prædicens ope Dæmonis occulta iactis sortibus ad hæc inutilibus, & vanis; vt, si diuersis nominibus in vrna positis vnum extrahatur ad cognoscendum furem.

11 Sortilegium sub his tribus speciebus reseruatum non est, sed tantum sub tertia, quatenus est diuinatio per sortes iactas ope Dæmonis, illi enim propriè sortilegi sunt quo ad incurrendum hunc casum, qui diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt *c. 1. 26. q. 1. vnde & diuinatio dicitur c. Aliquanti, c. Sortes 26. q. 5.* & idem est quod ars magica, *c. Episcopi* 12. 26. *q. 5.* & cognitio de reb. mirabilibus, *c. Nec mirum* 14. 26. *q. 5.* Ita in simili casu Bergomi docet Lupus casu 12. num. 9. sub nomine Sortilegij casus reseruati venire tantum Sortilegium diuinatorium, non autem consultorium, neque diuisorium, eo quod non sunt superstitiones, sed actiones licitæ seruatis quibusdam. Sed melius dici potest omnem diuinationem per medium impertinens spectare ad hunc casum, cum de iure locis citatis dicatur sortilegium, modo sit peccatum mortale, & ita colligitur à fortiori ex *Graff. Coriol. & Quar.* dum sustinent sub hoc casu includi omnem speciem superstitionis.

12 Obseruatio vana est procuratio alicuius effectus adhibitis mediis inutilibus a Deo minimè constitutis; vt, si quis velit petiis sine medicamine sanare vulnus. Per hanc ergo quartam speciem superstitionis homo ope Dæmonis expressè, vel tacitè inuocati multa potest intẽdere. I. consequi aliquid bonũ, vti scientiam, & dicitur ars notoria, sanitatem, thesaurum, diuitias, &c. II. vitandi malum, vt mortem, offensionem inimici, dicendo talia verba, vel orationes, vel gestando collo illa, vel breuia, aut reliquias. III. facere mirabilia, vt apparere mortuos viuos, serpentes, amasiam, &c. & vocatur magia, quæ est inordinata potestas faciendi mirabilia ope Dæmonis, *c. Ne mirum* 14. 26. *q. 5.* vt, verbis sacris mouere annullum, item incantare serpentem, vel Dæmonem, eos constringendo, ligando in tali circulo, ex quo dicitur etiam incantatio, de qua mox, IV. obseruare tempora ad aliquid aggrediendum, v. g. diem martis ad bellum. V. offendere proximum, vel in persona, vel in rebus, dicitur Veneficium, si trahat ad amorem dicitur Amatorium, & communi nomine vocatur Maleficium ars aliis nocendi ope dæmonis. De Veneficio, & Incantatione aliquid est dicendum in ordine ad casum reseruatum.

13 Veneficium igitur est vana obseruatio non quæcumque sed talis, in qua quis intendit ope Dæmonis nocere proximo in persona, vel in rebus. Et ita nocens vti procurando vt quis obsideatur à Dæmone, aut infirmetur, aut trahatur amore, similiter inducendo tempestates super agros, & similia mala faciendo mediante Dæmonis auxilio expressè, vel tacitè inuocati, peccat mortaliter, ac proinde incurrit casum reseruatum. Ita supar hunc casum *Graff. numero* 19. 20. 21. *&* 22. Puto autem alios modos vanæ obseruantiæ sub numeris I. II. & IV. non comprehendi sub hoc casu, quia non significant malum effectum intentum sicut hæc vox Veneficia.

14 Incantatio videtur consistere in verbis, quibus mediante Dæmonis ope facit mirabilia. Quod referatur ad verba, quæ sint medium ad moliendum aliquid portentosum colligitur ex capit. Illud 26. q. 2. est quoque maleficium reddens stolidum aliquem, & insensatum, & quasi immobile, id enim vulgi voce significat incantare, quasi stolidum, & ligatum reddere aliquem, vnde dixit Lucanus, *Mens hausti nulla sanie polluta veneni. Incantata perit*, relatus *capit. Nec mirum* 14. 26. *quæstione* 5. Formalis autem ratio constituens Incantationem videtur consistere in molitione rei mirabilis, iuxta exempla allata supra §. *Obseruatio, sub numero* III. vnde dicit Calepinus, quid Incanto significat solis verbis, aut etiam rebus adiunctis aliquid supra naturam moliri. De hoc nomine Incantationis fit mentio *causa* 26. *capit. Illud quæst.* 2. *cap. Igitur quæst.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 5. *cap. Non liceat quæstione* 5. *cap. Non oportet q.* 5. *cap. Si quis* 5. *cap. Perueniat q.* 5. *cap. Auguriis qu.* 5. *c. Nec mirum* 95. Incantatores ergo modis prædictis pecantes incidunt in reseruationem.

Remanent tria dubia explicanda. I. An enumeratæ Diuinationes, & Vanæ obseruantiæ sint omnes eiusdem speciei? II. An & quando sint peccatum mortale? III. An sit aliqua censura contra huiusmodi superstitiosus in iure lata? 15

Primo, omnes Diuinationes, & Obseruationes, de quibus in præcedentibus sunt eiusdem speciei, quia non habent specialem deformitatem contra rectam rationem; tamen in confessione quamplures circumstantiæ adiunctæ, vt plurimum, aperiendæ sunt. I. quando Dæmon expressè inuocatur. II. Cum adoratur. III. quando ei promittitur aliquid in præiudicium alterius. IV. quando fides abnegatur. V. cum adest error circa fidem. VI. quando proximus, vel res eius læditur. VII. cum adhibentur res sacræ. 16

Secundo peccatum mortale est ex genere suo quælibet Diuinatio, aut Obseruatio, cum includat inuocationem Dæmonis, & quando expressè inuocatur ignorantia, metus, neque paruitas rei excusat, quia pactum cum Dæmone est deformitas grauissima, ac proinde includens rationem peccati mortalis. In tacita verò inuocatione aliquis excusari potest. I. ignorantia, quæ non sit crassa, neque affectata. II. loci causa ad se oblectandum, vt quærere bonam venturam ab Ægiptiis, vel cum quid leue fit vanitatis gratia. III. Prænuntiatione leuissima circa casus fortuitos, protestatione præmissa, licet sic prænuntiare vetet Sixtus V. *constit. Cæli, & terræ*, interdicendo astrologiam iudiciariam. IV. prænuntiatione ex motibus auium, & aliorum animalium, item ex somniis, & similibus, modo illis firmiter non credatur. Ita videntur communiter excusare Doctores. 17

Tertio, Nulla pœna iure ipso facto est adhuc inflicta contra huiusmodi Diuinatores, maleficos, & huiusmodi obseruatores, quamquam iure communi præcipiatur huiusmodi deponendos, & excommunicandos esse *c.* 5. 26. *q.* 5. & in specie de Religiosis diuinatoribus, vel sortilegis excommunicandis *cap. Si quis* 9. 26. *qu.* 5. *Sic sentit Sanch. li.* 2. *c.* 38. *nu.* 90. Tenentur tamen scientes denuntiare huiusmodi superstitiosos cum abusu sacrorum, vt expressè habetur in edictis Inquisitorum, qui ligant etiam Religiosos scientes. Præterea legentes, vel retinentes libros de arte diuinandi incurrunt excommunicationem Iudicis nulli reseruatam, quamquam alioquin reseruatam virtute huius casus, si reseruetur, iuxta dicta *resolut.* 37. *quæstione* 25. Imò & excommunicationem Bullæ, si libri sint Hæreticorum continentes hæresim, vel de Religione tractãtes, nec possunt absolui à suis Superioribus, vt probaui *resol.* 3. *q* 2. 18

RESOLVTIO XLI.

De secundo casu reseruando in Religione.

Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio.

SVMMARIVM.

1 *Apostasia est recessus à Religione.*
2 Septa Monasterij, & Conuentus, *quid importent?*
3 *Claustri nomine quid veniat?*
4 *Sub illis verbis Monastery, & Conuentus venit Ecclesia.*
5 *Monasterium, & Conuentus an diuersa.*
6 *Hospitium non venit sub illis nominibus.*
7 *Qualis egressio inducat reseruationem.*
8 *Quid de apostatante.*
9 *Apostasia quid sit, explicatur.*
10 *Habitus retentio, seu dimissio est quid extraneum ab Apostasia.*
11 *Tertiary Seculares non sunt propriè apostatæ retrocedentes.*
12 *Sicut sunt Regulares retrocedentes.*
13 *Quomodo cognoscatur Apostata à fugitiuo?*
14 *Transiens ad aliam non reputatur apostata.*
15 *Neque recedens ob nimiam crudelitatem.*
16 *Non obstat Tridentinum.*
17 *Fugam arripiens ob timorem pœna non est apostata.*
18 *Neque fugiens è carcere.*
19 *Vagans per Conuentus est solum fugitiuus.*
20 *Cito reuersus non præsumitur apostata.*
21 *Pœnæ apostatarum referuntur, fere nulla sunt*
22 *Suspensio ab executione suscepti ordinis.*
23 *Carcerare vbique possunt.*
24 *Sunt infames secundum aliquos.*
25 *Assumi non possunt ad dignitates.*
26 *Non gaudent priuilegiis religionis secundum quosdam.*
27 *Sunt irregulares secundum quosdam.*
28 *Sunt priuati omnibus suribus secundum quosdam.*
29 *Sunt excommunicati dimisso habitu.*
30 *Apostatæ Tertiary nullas pœnas incurrunt.*
31 *Excommunicati sunt contrahentes matrimonium.*
32 *De absolutione Apostatarum.*
33 *In meo Ordine non egent absolutione.*
34 *Pœna receptantium apostatas.*
35 *Prædicatorum.*
36 *Minorum.*
37 *Augustinensium.*
38 *Societatis Iesu.*
39 *Verba Bulla Sixti V. contra receptores Apostatarum.*
40 *Grauati in meo Ordine libere dimittendi sunt ad Superiorem.*
41 *Pœna contra receptantes Apostatas videntur cessasse.*

1 CVm Apostasia à Religione sit recessus ab ea factus à Religioso professo, vt infra probabo sub *quæst.* 5. ideo in hunc casum professi tantummodo incidunt, non autem Nouitij, aut alij Regularibus subiecti, qui professionem non emiserunt. Igitur vt quis incurrat hunc casum, necesse est, quod sit professus, & in effectu egrediatur extra septa Monasterij, seu Conuentus. Hæc omnia sigillatim explicabo in subiiciendis quæstionibus.

Quæres igitur 1. Quid significent illa verba, *Septa Monasterij, aut Conuentus?*

2 Respond. Quod cum Septa Monasterij idem significent, quod clausura, seu claustrum, dicta à sepio sepis, *vt notat Glos. in Clem. Ne in agro, de statu mon.* §. *Rursus*, vt docent omnes, dum explicant excommunicationem latam contra Religiosos tenentes arma intra septa Monasteriorum, de qua ego dixi *resol.* 22. *quæst.* 7. Est autem claustrum locus, vnde Religiosis exire non licet sine licentia Superioris, vt post Cardinalem in citata *Clem. dixit Nauar. capit.* 27. *num.* 139. §. *Secunda, & ex illis Megal. lib.* 4. *de cens. cap.* 6. *in fine, num.* 75. Ex qua definitione infertur ea omnia loca, extra quæ exire non licet, dici esse intra septa Monasterij; vt, sunt dormitoria, officinæ communes, horti, vineæ, & huiusmodi loca, modo sint muris, aut sepibus, vel alio modo munita adiacentia immediate partibus principalis fabricæ. Item Ecclesia, Sacristia, hortus Ecclesiæ cohærens; Ab his enim exire non licet Religiosis sine consensu Superiorum. Quare perueniens ad valuas Ecclesiæ, aut hortorum, vel similium locorum extremorum partes non dicitur exisse extra septa Monasterij, consequenter non incidit in casum reseruatum.

Dices I. Nomine claustri, seu septorum Monasterij non venit Ecclesia, neque Sacristia, nam sunt loca diuersa tam in iure, quam de iure; siquidem ius, Monasterij nomen distinguit ab Ecclesia, vt docet Nau. cons. 9. de testam. & ratio suadet quia ad Ecclesiam patet aditus feminis, non ad Monasterium; præterea Ecclesia deputatur adorationem, Monasterium ad quietem corporalem. II. Monasterii nomine veniunt solum claustrum, hoc est, domus, & officinæ interiores, *cap. Exiit, de verb. signific.* §. *Denique quia continetur*, *Graff. tom.* 1. *consil.* 21. *de sentent. excommun. num.* 18. non vero loca exteriora, ad quæ omnes indifferenter accedere possunt; vt, sunt Ecclesia, quidam horti, porta exterior Conuentus. 3

His tamen non obstantibus respondeo ad I. sub ea verba, *Septa Monastery*, venire etiam Ecclesiam, hæc enim venit sub nomine Monasterij in fauorabilibus, *arg. cap. Quia Monasterium, de relig. domib.* & aliis citatis refert *Suarez in suo Enchir. ver. Ecclesia*; *non vero* in odiosis, *Glos. in c.* 2. *de suppl. neglig. Prælat. in* 6. *ver. Monasteriorum per cap.* 12. *de elect. in* 6. Et ratio id suadet, quia cum ab Ecclesia Religiosis exire non liceat sine licentia, consequenter est, vt sub nomine claustri includatur. Et ita ampliare hoc nomen multum fauorabile est Religioso, ne afficiatur reseruatione huius casus egrediendo è domo in Ecclesiam. Ad 2. dico ibi sermonem esse de clausura Monialium, extra quæ loca exire non possunt, neque cum licentia Abbatissæ, consequenter ipsæ si egrediantur afficiuntur hoc casu 4

Quæres 2. An diuersa sint Monasterium, & Conuentus? & An sub illis veniat hospitium Grangiæ, & huiusmodi loca à Monasteriis distantia?

Respond. Grassius hic num. 16. & 17. videtur hæc duo diuersificare, ita quod Monasterium referatur ad loca vbi manent Monachi; Conuentus ad loca fratrum; & facit vsus Cartusianorum cum Monachi eorum habent propriam clausuram dictum Monasterium, eorum Fratres, qui solitariam vitam non degunt habent Conuentum. Vel dic Monasterium referri ad Religiosos Monachos, & non Medicantes; Conuentum referri ad Religiosos Fratres Mendicantes. Sed quid dicemus de Religionibus Clericalibus caputio non vtentibus, nam eorum habitationes nolunt vocari Monasteria, neque Conuentus, sed Collegia, aut Domus? Numquid excluduntur ab hac reseruatione? Igitur dicendum est, prædicta duo vocabula non differre in significatione rei, sed indicare, & comprehendere quæcumque loca, & ædificia, in quibus morantur Religiosi intra sua claustra, & septa. 5

Hospita non veniunt sub nomine Monasterij, aut Conuentus, neque clausuræ, vt docet Graff. in Addit. *ad primam partem lib.* 4. *capit.* 23. *num.* 9. vnde licet Regulares non possint erigere Conuentus sine licentia Episcopi, & consensu aliorum, ad quos spectet, 6

&

& interesse habent ex diuersis constitutionibus recentiorum Pontificum, de quibus *Naldus ver. Monasterium, & ver. Religiosus*, tamen erigere possunt hospitia, *vt ex Riccio. decis.652. docet Barbosa ver. Regulares, pag.* 264. Nihilominus quo ad nostra videtur comprehendi sub nomini Monasterij, ita quod ad incurrendum casum hunc non sufficit firmum animum habere relinquendi Religionem, neque se præparare exterius, sed præterea requiritur aliqua egressio extra hospitium, de qua egressione mox.

Quæres 3. Qualis debeat esse huiusmodi egressio, vt professus incurrat reseruationem? Nimirum quot passibus debeat abesse extra septa Conuentus, vt afficiatur reseruatione?

7 Respond. Id relinquitur arbitrio prudentis confessarij, vt insinuat Coriolanus in fine huius casus. Puto tamen egressum de facto per aliquot paucos passus statim reuertentem non esse apostatam, eo quod per illum breuem exitum non peccauit mortaliter, *vt docet Nau. consil.1. de Apost. num.8. in fine, Graff. hic numer.* 46. Et id probatur in ordine ad casum reseruatum, aut censuram, seu aliam pœnam. Tum quia licet huiusmodi de facto iam egressus peccauerit mortaliter ex deliberata apostasia, vt suppono, tamen hoc non sufficit ad incurrendam pœnam censuræ, aut casus, sed præterea necesse est, quod peccatum etiam exterius consummetur in ratione apostasiæ, quæ formaliter consistit in retrocessione, & recessu; breui autem reuersorus, seu reuersus non dicitur recessisse, *cap. Duorum 21. dist. 1. de Pœnit. l. 1. §. Qui profecus ff. de verb. signif. Glos. ver. Meme, cap. Si post quam 33. de elect. in 6. Bonac. quæst. 2. de claus. p. 11. §. 1. n. 1.* Vide de hac re, alia rationibus probando hunc non esse apostatam in foro externo, ac proinde neque incurrere pœnas fori externi, qualis est etiam reseruatio. Tum quia huiusmodi recessus cum breui reuersione est multum imperfectus, & contrarius Apostasiæ, quæ ex sua natura includit perpetuam desertionem Religionis cuiuscumque. Tum quia non sufficit quæcumque egressio è Monasterio; sed extra Monasterium, quod denotat apostasiam non fieri casum reseruatum per quamcumque egressionem, sed per iter factum extra Monasterium, adiecta enim præpositio, *Extra* maiorem vim habet sic expressa, quam si contineretur in verbo composito, Egredior, quod non tam amplius, & extensius iter indicat quam demonstrat, quando cum illo exprimitur, vnde vti geminata significatio actionis inducit extensionem, & plus operatur, quàm simplex verbum, argum. *l. Balista ff. ad Trebell. iuncta glos. fin ff. de pignor. act. Bart. in l. Cum semus, C. de agricol. Menoch. de arbitr. casu 213. num. 37. Marc. Ant. l. 1. resol. 61. num 6. Tuschus lit. G, conclus. 28. Barbosa Vaz. dit. A, n. 59.* igitur egressum per semihoram reuertentem reum reseruationis non damnatem.

Quæres 4. Quid dicendum est de eo, qui dum est in domo extranea, aut in itinere, si deliberet apostatare, An is statim casum incurrat? An excusetur à reseruatione, eo quod nullam egressionem fecit extra Monasterium animo apostatandi, sed extra existens deliberat apostasiam.

8 Respond. Iste post deliberationem factam egressus fuit è loco, vbi deliberauit, ac si egressus fuisset extra Conuentum incurrit casum reseruatum, quia iste est verè apostata, & iter facit extra Conuentum ad hunc finem, licet iter inceptum non fuerit à Monasterio animo apostatandi. Et quamuis verba casus videantur insinuare egressionem supponere animum apostatandi inchoatum intra Monasterium, id tamen non tollit, quin huiusmodi apostatasia deliberata extra Conuentum sit casus, quia ad eam vt casum reseruatum incurrendum sufficit adiicere egressionem, & iter inceptum siue extra septa Monasterij, siquidem inceptio egressionis designata fuit dependenter à Monasterio exempli gratia quatenus regulariter Religiosi solent manere in Monasterio, & Conuentu, vbi habent habitationem, & residentiam; exempla autem regulam non restringunt, *l. Damni infecti ff. damno infect. Surd. consil. 308. num. 10. Molin. libr. 2. de primog. cap. 8. num. 4. Tuschus lit. E. conclus. 547.*

Quæres 5. Quid sit Apostasia, de qua in præsenti casu. Omitto autem dicere, quod Apostasia quadruplex est secundum *D. Thomam 2.2. q. 12. art. 1.* Primo a fide per quam quis fidem abnegando recedit ab Ecclesia Dei, *de qua Doctores cum Sanch. lib. 2. cap* 7. Secunda dicitur ab obedientia, cum quis recedit, & resistit obedientiæ, quam alicui Superiori promisit, *Coriol. hic numero* 4. Tertia dicitur ab ordine Clericali, de qua *Silu. ver. eod. à n. 5.* intellige ab ordine Sacro, quia in minoribus constitutus potest recedere ad statum Secularem sine peccato saltem mortali. De his nil agam, quia non faciunt ad intelligentiam huius casus, sed tantum quarta, quæ dicitur à Religione constituens casum reseruatum.

Respond. Apostasia à Religione est retrocessio Religiosi validè professi sine licentia, à Religione, quam professus fuit, sine animo redeundi ad illam, vel aliam. Singulæ particulæ continent mysterium, ideò explicandæ. 9

Primo dixi, *Retrocessio*, quia licet quis sola mentis deliberationi possit fieri apostata determinãdo recessum à Religione per transitum ad Secularem vitam, vel alium statum non presè Religiosum, tamen perfecta apostasia non est, maximè pro foro Ecclesiæ, & ad pœnas incurrendas censurarum, reseruationis, & aliarum, nisi deliberationis adiiciatur retrocessio, & recessus actualis per iter aggressum siue à claustro, siue ab alio loco vbi reperitur volens apostatare, vt patet ex probatis *q. 3. & 4.*

Secundo dixi, *Religiosi professi*, quia quis non potest recedere à statu, quem non assumpsit, cum autem Religio assumatur per professionem siue expressam, siue tacitam, ideò solum professus dicitur apostatare relinquendo Religionem. Vnde nouitij sine peccato retrocedere possunt intra annum Nouitiatus, *cap. Statuimus 23. de regul.* intellige, quando habet rationabilem causam, nam irrationabiliter exeundo peccat venialiter, quia talis recessus vanus est, & temerarius Sanchez *libro 4. capit. 16 numer. 92. & docui cap. 4. de Nouitiatu q. 55. in meo tractatu de profess. regul.* Ita docent omnes *cum Nau. cons. de Apost. num. 8. Confess. tit. 13. capit.* 18. *Quar. ver. Casus numero 5. Coriolan. hic numero 7. Bonac. quæst. 2. de claus. p. 11. §. 1. numer. 2. Portel. ver. Apostata num. 1. Compend. resol. 11. num. 1. & alij communiter.*

Tertio dixi, *Validè professi*, quia nulliter verè professus recedere potest absque nota apostasiæ, cum statum, à quo recedit, efficaciter non promiserit, vnde reputatur ac alter Nouitius recedens, *Portel. ver. eod. n. 1. & ego docui resol. 8. q....*

Quarto dixi. *Sine licentia*, quia Religiosus verè professus de licentia Summi Pontificis transiens ad statum Secularem, quod quandoque contingit, vel ad Episcopatum, aut aliam prælaturam, seu dignitatem non dicitur apostatare; quia legitimè transit, & in hoc non est difficultas, quia adhuc retinet priorem statum saltem virtualiter, licet sit exemptus ab obedientia sui Superioris Regularis.

Quinto dixi, *A Religione, quam professus est*, sumitur nomen Religionis pro vera Religione efficiente aliquem verum Religiosum per solemnem professionem votorum, siue Religio sit non militarium, siue militarium, siue etiam votorum simplicium vt in Societate Iesu, nam huiusmodi Religiosi retrocedentes post vota simplicia emissa, sunt verè apostatæ, *Sanchez l. 6. cap. 8. num. 6.* Fratres verò Tertiarij tam S. Dominici, quàm S. Francisci, aut aliarum Religionum, qui in propriis domibus viuunt, vel etiam simul inter se, vel cum claustralibus, sed non emittunt professionem solemnem,

recedentes à sua professione simplici, non sunt verè apostatæ, quia solemniter non sunt professi, neque gaudent priuilegio Clericorum Societatis, sic *docet idem Sanch. aliis citatis, Bonac. quæst.2.de clauf.p.11.§.1.num.2.§.Idem. Graff. hic numero 43.& 44.*

Sexto dixi, *Sine animo redeundi, neque transeundi ad aliam*, ad inducendam apostasiam non sufficit fuga, & recessus, sed professus ita recedere debet à Religione, quam professus fuit, vt animum habeat deliberatum non redeundi amplius ad illam, neque transeundi ad quamcumque aliam, & in hoc distinguitur apostata à fugitiuo, qui alio fine recedit, nimirum, vt vagetur, vel effugiat pœnam, & disciplinam, aut quid simile. *Ita docent omnes cum D. Thom. 2.2. quæst.12. artic.1. ibi Caiet. Quar.hic num.5. Graff. part.2. lib.3.cap. 25. num. 12. Coriolan. hic num.7. Nau. concil. de Apost.nu. 8. Rodriq.tom.1.quæst. 30. art.1.cum suo Compend. resolut.11. Mirand. tom.1.quæst. 51.art.1. Sanchez lib.6 cap. 8.num.2.Bonac.quæst.2.de clauf.p.11.§.1. Lezana de obligat. regul. cap.16. num.7.& 12.*

Quæres 6. An ad incurrendam Apostasiam requiratur dimissio habitûs Religionis? Affirmat *Graff. part.2. lib.3.cap.25. num.10.& 11.* quamuis postea se declaret hic *num.7.*

10 Respond. Dimissio habitûs, siue eiusdem retentio nihil confert ad apostasiam, quæ præcise consistit in derelictione cuiuscumque Religionis. Ratio est, quia sicut habitus non facit Monachum, *cap. Porrectum de regul.* ita neque eius dimissio eum facit apostatare. Confirmatur ea verbis huius casus, in quo disponitur de apostasia præscindendo ab habitu Religionis, vnde tamquam quid accidentarium omisi in eius definitione præcedenti quæstione. *Sic docent omnes cum Tabien. ver. Apostasia q.11. num.14. Angel.num.4. Silu.q.4.num.9. Rodr.tom.1.q.30.art.1. Mirand. tom.1.q. 51.art.1.Bonac.q.2. de clauf.p.11.§.1. num.1.Sanch.lib.6. cap.8.num.4. Compend. resol.11. num.11.*

Quæres 7. An Tertij Ordinis Fratres D. Francisci tam in communi viuentes sub solemni voto, quàm in propriis domibus sub voto simplici à Religione, seu suo Ordine retrocedentes sint apostatæ.

11 Respond. Tertiarij Regulares in congregatione viuentes sub solemni voto professionis retrocedentes sine dubio sunt apostatæ, cum recedant à vera Religione, quam professi sunt, ea dictis *quæst.5. §.Quinto.* Quod sint verè Religiosi probaui in *meo Tract. de profess.regul.cap.1.quæst. 49.§.Primus.* Quod retrocedentes sint apostatæ colligitur *ex Constit. Personas vacantes, Ioan.XXIII.anno 1414 pag.19.& ex constitut. Ad Christi Vicarij, Sixti IV.anno 1480.pag. 51. ex Reg. Nicol.IV.& ex cap. 9. Constitutionum,* quæ pro Regula habentur, in iis enim locis prohibetur huiusmodi retrocessio, & reuersio ad seculum.

12 Tertiarij alij, qui solemniter non profitentur, sed simpliciter promittunt seruare regulam, cum non sint propriè Religiosi, ad seculum reuertentes, non dicuntur propriè Apostatæ, vnde in eorum Regula cap.2. non dicuntur retrocedere, sicut professi solemniter ex Constit. Ioannis XXIII. & cap.9. Regulæ, sed tantum egredi, & reuerti ad seculum. Vide supra *q.5. §. Quinto.*

Quæres 8. Quomodo cognoscendus sit Religiosus apostata à fugitiuo etiam in foro externo, & in praxi? Nam speculatiuè ille dicitur apostata, qui quamliber respuit Religionem, & vult seculariter viuere. Fugitiuus verò ille dicitur, qui Religionem non reiicit, sed ad tempus manet extra obedientiam sui Superioris. *De hac re vide Menoch. de arbitr. cent.6. casu 146. à num. 28. ad 46.*

13 Respond. Multis modis. Primo, ille præsumitur fugitiuus non apostata, qui à propria Religione recedit transeundo etiam sine licentia ad aliam, modo actu transeat, quia ad veram apostasiam non sufficit desertio Religionis propriè, sed omnis Religionis, quod non accidit in transeunte ad secunda vota, licet inutiliter, & inualide. Ita docent quamplurimi, quos sequitur *Sanch. lib.6.cap.8. num.8.* asserendo peccare quidem mortaliter, non tamen incurrere pœnas contra verè apostatas, *Rodr.tom.1.quæst. 30.art.1. cum suo Compend. resol.11.num. 24.& faciunt dicta quæst. 5. §. Sexto. Bonac. quæst.2. de clauf.p. 11.§.1.num. 4.* licet transeat ad laxiorem, *Lezana cap. 22.num.21.* is ergo est fugitiuus, quia recedit ad obedientia sui Superioris. Obserua tamen, quod tamquam apostata puniri potest, vnde Mendicans transiens indebitè ad non Mendicantes ipso iure est excommunicatus, & incurrit pœnas apostatarum, *& extr.comm. Viam ambitiosæ, de regul. iuxta quod* dixi resol.19.q.7.

14 Apostata non præsumitur secundo recedens ob nimiam credulitatem Superioris sæuientis, vt docet *Abbas in cap. Ad nostram, de appellat.* vbi dicit, quod Abbate nimis sæuiente in Monachos, illis licitum est fugere, quod probat *per l.2.§. Dominorum ff. de iis qui sunt sui. Bonac. quæst.2.de clauf.p.11. §.1.num. 5. Graff. hic num.49. & Doctores mox citandi.*

15 Tertio non præsumitur apostata accedens ad Superiorem prætextu querelæ, vel appellationis, ad tollendum grauamen illatum, vel inferendum à Superiore, quia in hoc casu est fuga illi licita pro defensione propria, ergo apostasia præsumi non potest, cum hæc omnino illicita sit, immo in hoc casu neque fuga imputatur cum sit licita, ex titulo iustæ defensionis, nec enim de iure petenda est licentia ab eo, ob cuius grauamen tollendum ad Superiorem fit recursus iuxta *glos.1.cap. Cum pastoris 2.q.7.ex c. Ex parte, de appellat. Nau.tom. 2. comment. 2.de regul.num.61. cum quo Sanchez lib.6. cap. 8. num.17. Rodr. tom.1.q. 30. art.3. cum suo Compend. resol. 11. num. 3. & 27. Portel.ver.eod. num.3. & in Addit. num. 6. Lezana cap. 16.num.8. Mirand.tom.1. quæst. 51. art. 1. conclus. 1. post med. Sair.in Claui libr.2. cap. 17. num.37. Coriol. hic §. Anima aduertendum. Bonac. quæst. 2. de clauf. p. 11.§.1. num.9.* 16

Neque his obstat Trident. sess. 25. capit. 4. illis verbis. *Nec licet Regularibus a suis Conuentibus recedere prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eis missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit ab ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur.* Quia ibi sermo est quando in nullum, vel leue grauamen est, non enim rationabile est, loco citato excludi accessum ob iustum grauamen ad Superiores, *vt docent Nau. tom.2. comment. 2.de regul. num.61. & comment.3. num.51. Sair, lib. 12. Clauis cap.17. num. 40. & ex illis Lezana cap. 16. num. 9. Sanch. lib.7.cap.8. num.17. & 102. quamplures refert Barbosa ad hoc cap. 4. sess. 25. num.10. 12. 15. Dixi etiam res. 32. q.2.*

17 Quarto fugitiuus præsumitur, quia ad euitandam pœnam delicti recenter commissi fugam arripit nondum etiam carceratus, quia delictum commissum est sufficiens argumentum concludendi illum fugisse, non vt desereret statum religiosum, sed vt sibi mediante fuga consuleret. *Bald. cap. Ad nostram, de appellat. & ex eo Mirand. tom.1. quæst.51. art. 1. conclus. 2. post med.*

18 Quinto fugitiuus præsumitur fugiens è carcere, in quo non solum iniustè, sed etiam iustè fuit coniectus quia fuga indicium est vitandi illam pœnam, non autem relinquendi statum Religiosum. In his ergo casibus fuga non debet præsumi apostasia, & maximè, quando fugit ob pœnam iniustè inflictam, quia tunc fuga est licita titulo iustæ defensionis, vt docent omnes; quod idem asserunt quando pœna est grauissima vti mortis, mutilationis, perpetui carceris, triremium, Bannez, & Salon. apud Lezana *cap. 16. num. 9. & 10.* vbi tamen probabilius putat, non licere iustè damnato fugere è carcere perpetuo, vtique è triremibus, quia tenentur Religiosi obedire Superioribus in subeundis pœnis iustè inflictis, modo non

adsit

adſit exceſſus, & facium, quæ adducit Sanchez *lib.6. cap.8. num.12. ad 17.* Bonac. *quæſt.2. de clauſ. p.11. §.I. num.7. & 8.*

19 Sexto fugitiuus præſumitur non apoſtata, qui ob aliquod delictum vagatur modò per hunc Conuentum, modò per illum ſuæ, aut alienæ Religionis non permittendo ſui capturam, ſed ſubterfugiendo obedientiam, & iudicium ſui Superioris.

Septimo non præſumitur apoſtata, qui poſt paucos dies ſponte reuertitur, & ſe conſignat Superioribus, eo quod apoſtaſia ſit perpetuus receſſus à ſtatu Religioſo, neque enim præſumitur habuiſſe perpetuò animum deſerendi Religionem, qui in breui ſponte reuertitur. Sic docent Nauar. *conſ.1. de apoſt. num.8.* Graff. *hic num.46.* Bonac. *q.2. de clauſ. p.11. §.I. n.1. faciunt dicta ſub q. 3.*

Quæres 9. Qualnam pœnas incurrant apoſtatæ de iure communi, & conſtitutionibus Summorum Pontificum?

20 Reſpond. Quamplures pœnæ à diuerſis referuntur miſcentibus pœnas iuris communis cum pœnis ſtatutorum Religionum in ſpecie. Ego referam pœnas iuris communis, & ſimiles inflictas per diuerſos Summos Pontifices.

21 Prima pœna eſt ſuſpenſio ab executione ſacri Ordinis ſuſcepti in Apoſtaſia, ex *cap. fin. de Apoſtat.* & ibi reſeruatur Papæ; ſed iure priuilegiorum tolli poteſt à Prælatis Religionis, vt aſſerit *Confeſſ. tit. 13. c. 19.* Peyr. Formul. *lit. A, cap. 20. num.6. & 7.* Non priuatur tamen executione aliorum ordinum receptorum ante apoſtaſiam, reuerſus, & emendatus, vt docet Sanch. *lib.6. cap.8. num.29.* quia in illo *cap. fin.* fit mentio de ſuſpenſione executionis ordinis tantum ſuſcepti in Apoſtaſia. Sic autem ſuſpenſus non poteſt etiam emēdatus recipere vlteriorem ordinem ante diſpēſationem non ex vi apoſtaſiæ, ſed ex illa ratione, quia maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora, *cap. Cum illorum, de ſent. excomm.* Ita Bonac. *q.2. de clauſ. p.11. §.4 num.10.* Tabien. *ver. Apoſtaſia quæſt.12. num.15.* Armilla *num.12. Compend. reſol.11. n.16.* Sanch. citando multos alios *n. 22.* Eſt autem ſuſpenſio ſolùm ordinum maiorum, quia in textu præciſe fit mentio de ſacris tantum, ſic ſentit Suar. *tom.5. de Relig. diſp.31. ſect.6. num.21.* & ex illo Sanch. *num.26.* contra plures extendentes etiam ad Minores, ſed pœnæ ſunt reſtringendæ, & non extendendæ vltra ſignificationem verborum propriam.

22 Secunda pœna eſt, quod vbique apprehendi poſſunt à ſuis Superioribus, & carcerari, ſi alia via reduci non poſſunt ad reſumendum habitum, *cap. A nobis,* de apoſtatis, immo ad id commpelli poſſunt ſub pœna excommunicationis, *cap fin. de regul.* Ita docent Nau. *tom.2. comment. de regul n.50.* Rodr. *q.30 art.6.* Sanch. *lib.6. c.7. n.33.* Lezana *capit. 16.* Gloſſ. *ver. Tolerandi capit. Tuæ de Apoſt.*

23 Tertia pœna eſt infamia *ex capit. Tuæ fraternitati de Apoſt. Compend. reſolut.11. num.17.* ſed hæc pœna non admittitur, quia ibi nulla imponitur nota infamiæ, ſed tantum dicitur, quod infamatus de apoſtaſia compellitur ſe purgare, hoc eſt, ſi publica fama conſtat aliquem eſſe Clericum, vel Religioſum, & abiecit habitum, dicendo ſe non eſſe in ſacris conſtitutum, aut profeſſum, hoc probare debet, aut reſumere habitum, & facit ibi Gloſſa *ver. Tolerandi. Nec faciunt c. Alieni 2. q 7. & 3. q.4. c. Beatus,* quia in illis ſermo eſt de Apoſtatis à fide, quicquid dicat cum Farin, Megal *part.3. de cenſ. lib.7. c.1 num.141.*

24 Quarta pœna eſt; vt etiam poſt pœnitentiam non poſſint aſſumi ad dignitates, ſed hæc non reperitur in iure communi, vt probant Oldr. *conſil.202.* & aliis allegatis Sanch. *lib.6. c.8. num.32.* Sanctar. *cap.3. de Apoſt. dub.2. num.27.* & ex illis Bonac. *quæſt.2. de clauſ. p.11. §.3. num.6.* contra Silu. *ver. Excommun.9. caſu 24. num.52.* & alios, cum quibus eſt Peyrin. in ſuo Formul. *lit. A, cap.20. num.4.*

Quinta pœna eſt, quod non gaudent priuilegiis Religiosis *ex capit. 19. ſeſſ.25.* ſed hæc pœna reſtringitur ad eos, qui prætextu nullæ profeſſionis ante reclamationem habitum proijciunt. Ita Bonacin. *quæſtione 2. de clauſ. part. 11. §.3. num.3.* Sanchez *libro 6. capit.8. num.34.* 25

Sexta pœna eſt irregularitas *ex cap. fin. de Apoſtat.* vbi dicitur, quod apoſtata quantumlibet ſuo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam abſque diſpenſatione Romani Pontificis miniſtrare non poterit in ordine ſic ſuſcepto; diſpenſatio autem refertur ad cenſuras; ergo hæc pœna non eſt ſuſpenſio, ſed irregularitas, quod confirmat Bonac. *quæſt.2. de clauſ. p.11. §.4. num.4. ex cap. Hi qui 15. quæſt.8.* vbi prohibentur Apoſtatæ ad Clericatum officium admitti, ad hæc accedit quod apoſtata eſt excommunicatus, ac proinde irregularis fit recipiendo ordines in apoſtaſia. Sic ſentiunt omnes aſſerentes apoſtatas eſſe excommunicatos cum Henr. *lib.13. cap.40. num.1.* apud Bonac. *de ſuſpenſ. contra relig. num.4.* Peyrin. in Formul. *lit. A, cap.20. num.6.* Hæc pœna verè in iure non exprimitur præciſe contra apoſtatas, vnde præſcindendo ab excommunicatione, quam de iure communi non incurrit apoſtata, vt mox probabo, *§. Octaua*; apoſtata non eſt irregularis, ſed ſolum ſuſpenſus, vt aliis citatis docet Bonac. vtrobique citatus, & Sanch. *lib.6. cap.8. n.21.* Vnde parum facit quod diſpenſatio referatur ad irregularitatem, quia in iure quandoque refertur ad cenſuras quoque. *Ad cap. Hi qui,* ibi ſermo eſt de ſuſpenſione, vt colligitur non ſolum ex verbis textûs, ſed etiam ex Gloſſa *ver. In poteſtate,* præterquam quod eſt Concilium Prouinciale contra clericos, non autem religioſos; nec obſtat *cap. fin. diſt.50.* vbi religioſi apoſtatæ prohibentur admitti ad clericatum, quia eſt pariter Prouinciale Concilium, quod non ligat vniuerſe, neque irregularitatem inducere poteſt, Sanch. *cit. n.26.* Solus enim Papa ſtatuit irregularitates, vt probaui *reſol.11. q.15.* 26

Septima pœna eſt, quod ſunt priuati omnibus actis legitimis vtriuſque vocis, iure præcedentiæ, munere prædicationis, & confeſſionis, & adminiſtratione Sacramentorum. Paulus IV. conſt. *Poſtquam,* apud Nald. *ver. Profeſſio Regul. num.12.* Sed quia huiuſmodi conſtitutio reducta fuit ad terminos iuris communis, quod huiuſmodi pœnas non infligit, ideo nunc huiuſmodi pœnæ non afficiunt. Eam reductionem fecit Pius IV. conſtitut. Sedis Apoſtolicæ ſolertia, vt teſtatur *Confeſſ. tit.15. cap.19 Quar. ver. Apoſtata,* Sorbus *ver. eod. §. De materia,* Lezana *capit. 16. num.12. Bonac. quæſtione 2. de clauſ. part.11. §.4. num.5. Reſpond.* Sanchez *libro 6. capit.8. num.30.* non fuiſſe vſu receptam. Hæ pœnæ habent locum apud Minimos, Vide *Confeſſ. tit. cap.20.* 27

Octaua pœna eſt excommunicationis *ex capit. Vt periculoſa 2. Ne cler. vel monach. in 6.* vbi ideo excommunicantur religioſi habitum dimittentes, vt eiſdem occaſio vagandi ſubtrahatur; ſed apoſtatæ dicuntur vagari, ergo ſunt excommunicati. Ita docent ſuper *cap. Gloſſ. Domin. Anchar. Bellam. Ioan. Andr. Cardin. Anton. Armilla. ver. Apoſtaſia, num.12. Tabien. ver. Excommun.5. caſu 25. quæſt.1. num.2.* Azor. cum aliis citatis apud Sanch. *lib.6. cap.8. num.19.* Mirand. *tom 1. quæſtione 51. art.1. concl.2.* vbi hoc multis enixè probat adducendo etiam conſt. Pauli IV. ferentis excommunicationem latæ ſententiæ contra apoſtatas. Sed in prædicto *cap. Vt periculoſa,* nil contra apoſtatas præciſe, ſed tantum contra dimittens habitum, & cum conſtitutio Pauli IV. reducta fuerit ad terminos iuris communis, quod immediatè nullam fert excommunicationem contra apoſtatas, ideo inferendum eſt non reperiri huiuſmodi pœnam de iure. Et ſic tenent, Gloſſ. *ver. Tolerandi capit. Tuæ fraternitati, de apoſtat.* & Gloſſ. *ver. Apoſtata capit.1. de tempor. ordinat. in 6.* Rodriqu. *tom.1. ſum. capit.43. numero 1. Cum ſuo Compend. reſolut.11.* 28

num 21. *&* 22. Sanch. *libro 6. cap.*8. *num.*20. vbi citat Host. Imola, Anan. D. Anton. Astens. Arrag. Bannea, Suar, Less. Angel. Silu. Tabien. Quar. ad hunc casum Nald. *ver. Religiosus num.*32. Bonac. *quæst.*2. *de clauf.p.*11. §.4. Coriol. *hic num.*14. Graff. *hic num.*8. Lezana *cap.*16. *num.*12.

Quæres 10. An in religione Tertij Ordinis sint aliquæ pœnæ statutæ contra Apostatas, & fugitiuos?

30 Respond. Nulla pœna spiritualis censuræ, aut irregularitatis est imposita in hac religione contra fugitiuos, vel apostatas; puniendi tamen sunt pœna carceraria, vt dicitur *cap.*10. & reducendi sunt ad religionem, vt mandauit Eugen. IV. constit. *Iniunctum nobis*, anno 1442. pag. 31. illis verbis. *Omnes, & singulos præsentes & futures Fratres prædictos pro tempore vagantes, seu aliàs delinquentes, aut inobedientes, ac statuta, & ordinationes edita, & edenda præfati Ordinis non seruantes, seu contra illa viuentes, facientes, vt ad domos, & loca prædicta redeant coarctare ac eos secundum eorum demerita, excessus, culpas, ac delicta punire, corrigere, & incarcerare, nec non suis pro tempore officiis priuare, & ab illis realiter amouere, aliaque desuper necessaria, & oportuna facere, & exequi, etiam per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia, inuocato etiam desuper, si opus fuerit auxilio brachij secularis.*

31 Dices, eatare excommunicationem latam à Sixto IV. constitut. *Ad Christi Vicarij*. anno 1480. pag. 51. Immo apostatas de iure communi esse excommunicatos asserit Pater de Sillis *Annot.*1. *super cap.*20. *Regulæ.* His tamen non obstantibus. Respond. in ea constitutione excommunicationem præcise non ferri in apostatas, sed contra eosdem, quatenus contraxerunt matrimonium, neque ibi fulminatur huiusmodi excommunicatio, sed alibi lata est, nimirum *cap.*1. *Clem. de consanguin.* vbi sicut non reseruatur, ita neque hic, vbi Papa mandat superioribus, vt sic contrahentes matrimoniū denuntient innodatos excommunicatione donec ad cor reuertentes habitum Religionis reassumant absoluendi à suis superioribus. Neque veritatem habet quod dicit Pater de Sillis, qui sicut non probat, ita simpliciter reijcitur per probata præcedenti quæstione, §. *Octaua.*

Quæres 11. A quibus sint absoluendi, & dispensandi apostatæ reuersi ad Religionem?

32 Respond. Isti benignè quidem recipiendi sunt, ita tamen quod carere non debent digna suorum errorum medicinali pœnitentia, *cap. A nobis, de apost. gloss. ver. Resipiscant* Nau. *consil.*75. *de regul.* Mirand. *quæst.*51. *art.*5. vnde Vrban. VIII. in decretis *de Regular. Apost. & eiectis.* Dat. 21. Septemb. 1624. ab hac die redeuntibus infra quatuor menses intra montes, vltra verò infra octo, omnes pœnas inflictas, & infligendas propter apostasiam condonauit. Absoluendi autem sunt à superioribus maioribus, vt dispensandi in irregularitate, si quam incurrerint, vt multis citatis Doctoribus docet Peytinus in suo Formul. *littera A*, *cap.*20. *num.*5.6.7.

33 In mea Religione apostata, qui non recepit in apostasia ordinem, neque dimisit habitum, cum nullam censuram, aut irregularitatem de iure communi, neque speciali Religionis incurrerit alia absolutione, aut dispensatione non indigebit, nisi à pœnis, quas infliaerint Superiores, Quod si dimiserit habitum absoluendus est à Superiore ab excommunicatione ob dimissionem habitûs. Si præterea celebrauit, vel exercuit actum alicuius ordinis sacri in ea excommunicatione, proinde effectus irregularis dispensandus est in ea. Si demum recepit ordinem sacrum incurrit suspensionem ab eius executione, & promotione ad reliquos, non autem irregularitatem, nisi postea exercuerit aliquem actum ordinis sacri; præterea sine licentia sui Superioris cum fuerit ordinatus in sacris, incidit in aliam suspensionem ab executione suorum ordinum, deinde si est excommunicatus incurrit aliam suspensionem suscepti ordinis donec à suo Superiore dispensetur, *ex cap. Cum illorum de sent. excomm.* Ab his ergo omnibus absoluendus est Religiosus ab apostasia reuersus ad religionem. Et cum absolutio fiat pro foro externo seruandi sunt ritus, & cæremoniæ præscriptæ *in cap. A nobis, de sentent excommun.* si vsu receptæ sunt in Religione, immo non obstante contrario vsu puto esse seruandas, quia ita postremo seruandas præscripsit Paulus V. in suo Rituali.

Quæres 12. An recipientes Apostatas incurrant aliquas pœnas?

Respond. Bonac. *q.*2. *de clauf. p.*11. §.5. refert excommunicationem latæ sententiæ contra retinentes, auxiliū, fauorem, vel consilium dantes, ne redeant ad sua Monasteria, si postquam ab ordinario loci in quo degunt admoniti à prædictis non desistant. Sed iam supra *quæst.*9. §. *Septima*, dixi, hanc excommunicationem cum constitutione, quæ erat Pauli IV. reductam fuisse ad terminos iuris communis, ac proinde nullam amplius adesse excommunicationem. 34

Prædicatorum apostatas retinentes in suis Conuentibus incurrunt excommunicationem, nisi postquam admoniti fuerint, eosdem reiecerint, ea Bulla authentica Clem. IV. apud Sorbum *ver. Apostata num.*7. Ipsi apostatæ sunt excommunicati ex Iulio II. ibidem *num.*25. 35

Minorum apostatas retinentes sunt ipso iure excommunicati, ex Bulla authentica Innoc. VIII. apud eundem *num.*4. Conuentuales recipientes, fauorem, auxilium, aut fauorem dantes, Obseruantibus fugitiuis, & Obseruantes erga Conuentuales, sunt ipso iure excommunicati excommunicatione reseruata Papæ, *& Bulla authentica Pauli II.* apud Sorbum *num.*19. Apostatæ obseruantes, & eosdem retinentes sunt ipso iure excommunicati, ex Bulla authentica Innocent. VIII. apud Sorbum *num.*21. 36

Augustinenses apostatæ excommunicationem reseruatam incurrunt, nisi post octo dies requisiti redierint, similiter retinentes, fauentes, auxiliantes, & consiliantes, ex Iulio II. apud Sorbum, *n.*26. 37

Societatis Iesu apostatæ sunt ipso iure excommunicati ex const. Pij V. & Greg. XII. apud citatum Sorbum in Annot. 38

Demum Sixtus V. Constitut. *Cum de omnibus*, quam extendit. *Quar. ver.* Monasteria viros prohibet huiusmodi vagantium receptionem sub his verbis. *Prohibemus eodem modo, atque interdicimus ne quis regularis ex vna Prouincia ad aliam Prouinciam sui Ordinis transeundo etiam in itinere intra aliquod Monasterium domum, vel locum alterius Prouinciæ ad habitandum, vel tanquam hospes recipi, aut ad modicum tempus diuertere possit, nisi à Superiore eius loci, vbi residet, expressam licentiam discedendi in scriptis obtentam, seu literas obedientiæ, vel commendatitias secum deferat, atque exhibeat; vel nisi ita cognitus sit iis ad quos diuerterit, vt de eius persona nullus omnino dubitationi, aut suspicioni locus relinquatur.* Et infra. *Et ita volumus, vt ij, qui etiam pietatis, vel hospitalitatis prætextu regulares alterius Prouinciæ ignotos, aut sine licentia, vel literis, vt supra, receperint, dictas pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum, graduum, honorum, & dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant.* Hæc ibi. Hæ autem pœnæ non restringuntur contra Superiores recipientes fugitiuos eiusdem Prouinciæ, vt satis clarè colligitur ea adductis verbis, ad quos hæc dispositio cum pœnalis sit extendenda non est. Neque locum habet respectu confugientium ad Sedem Apostolicam titulo appellationis, vt declarauit ipsemet Sixtus in sua posteriori Constitut. *Ad Romanum spectat*, apud *Quarant. cit. prioris moderatiua*, illis verbis. *Quod si dicerent, se ad Apostolicam Sedem confugere ob grauamina à suis Superioribus sibi illata, & ideo ab ipsis Superioribus licentiam, & literas obtinere non potuisse, non propterea* 39

pterea

pterea vllo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab illis licentia, & per suos Superiores denegata constiterit. Sufficiens autem fides sufficit, quæ fit à Religiosis, vel aliis, qui interfuerunt negotio.

40 In mea Religione, si quis legitima causa impulsus Generalem adire voluerit, libere dimittatur, ipsique, & aliis transmissis dimissoriæ literæ dentur, vt dicitur *capit.* 20. Idem iudicium est, quando quis voluerit adire alium Superiorem, quia exprimitur Generalis e. g. non tamen denegatur accessus aliis Superioribus,

41 Puto, illas censuras excommunicationis, quas recensui in responsione huius quæstionis antiquitate tempore abiisse in dissuetudinem, maximè stante noua Constitutione Sixti V. infligentis alias pœnas contra Superiores recipientes huiusmodi fugitiuos, & apostatas, nulla facta mentione de antiquis pœnis. Confirmatur quia pœna antiqua corrigitur per pœnam legis nouæ. Anton. Gomez *lib.* 3. *variar. cap.* 1. *n.* 38. Bossius *practic. tit. de official. corrupt. num.* 10. Nauarr. *consil.* 19. *de const. in fine.*

RESOLVTIO XLII.

De tertio casu reseruando in Religione.

Nocturna, & furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam animo non apostatandi facta.

SVMMARIVM.

1 *Egressio vt sit reseruata tria exigit.*
2. *Egressio nocturna quid?*
3 *Egressio furtiua quid?*
4 *Egressio debet esse peccatum mortale.*
5 *Clausura violatio videtur veniale.*
6 *De nocte est mortale.*
7 *Modica egressio excusat à mortali.*
8 *Egressio bono fine excusat.*
9 *Egressio diurna non videtur mortale.*
10 *Nisi apud rigorosam reformationem.*
11 Monasterij, & Conuentus *nomine quid veniat.*
12 *Differt iste casus à praecedenti.*
13 *Egrediens animo apostatandi non incurrit hunc casum.*

1 AD hoc vt egressio extra Monasterium sit casus reseruatus requiruntur tria. Primum, quod egressio sit nocturna. Secundum, quod sit furtiua. Tertium, quod sit peccatummortale. Tres similiter conditiones enumerant Graff. *hic num.* 14. & Coriol. *n.* 3. *in fine*, sed loco tertiæ nostræ ponunt, quod egressio fiat extra Monasterium, sed id non est circunstantia casus; sed potius de ipsamet eiusdem substantia. De singulis distinctè aliquid dicendum.

2 Nocturna egressio est illa, quæ fit de nocte, hoc est, intra spatium temporis intercedentis extra vesperum, & auroram, quæ communi vocabulo dicuntur Crepusculum, nimirum illud breue temporis spatium, quod mediat inter clarum diem, & obscuram noctem, tam in sero quàm in mane, & significat dubium, quia dubitatur, an illud breue tempus spectet ad diem, an ad noctem, crepusculum autem ante occasum Solis, & in sero vocatur vesper à stella sic dicta, quæ ideo Sole iam occiduo prima omnium lucere in sero conspicitur? Ante Solis ortum vocatur aurora, quæ est prima diei lux, qua sub solis aduentu aër illuminatur. Itaque crepusculum vocatur illud breue tempus medians inter diem, & noctem, quo sine candelæ lumine res cognosci possunt, in quo tempore crepusculi Religiosus egrediens non incidit in casum reseruatum; quia eius egressio non dicitur nocturna, sed extra noctem facta potius in die, quam de nocte, cum illa pars medians inter diem, & noctem dubia sit, & crepera an pertineat ad noctem, ac proinde in dubiis benignior interpretatio sit facienda concludendum est tali tempore egressionem non esse nocturnam; neque proinde reseruatam, vt docent Graff. *hic n.* 15. & 16. Coriol. *n.* 5. Immo in dubio an desierit crepusculum potest concludi negatiuè, & consequenter non incidisse, vt docent præcitati Graff. *n.* 18. & Coriol. *n.* 5. Meo iudicio in sero crepusculum videtur abiisse post semihoram noctis, quia tunc lumine naturali non possunt discerni res, & tenebræ sunt super faciem terræ, abstrahendo semper à lumine lunæ, quæ non confert ad crepusculum. Igitur egressio inducit reseruationem, quando fit in spatio temporis mediantis inter vtrumque crepusculum exclusiuè.

Furtiua egressio est illa, quæ fit ignorante Superiore, seu sine eius cōsensu saltem tacito, arg. eorum, quæ dicunt Doctores *in cap.* 1. *de eo, qui ord. furtiuè suscepit*, ibi Gloss. *ver. eod.* Graff. *pr. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 5. *lib.* 3. *c.* 3. *n.* 6. Megal. *lib.* 7. *de cens. c.* 2. *n.* 54. Igitur qui de nocte egreditur inscio Superiore, aut sine eius consensu, aut repugnante incurrit casum reseruatum. Quod procedit, quamuis egressio sit notoria apud Religiosos alios, & probari posset, quicquid dicat Graff. *hic n.* 14. §. *Tertium*, vbi asserit, quod qui de nocte egrederetur, sed non occultè, non incideret, quando talis egressio posset probari per testes, hoc est, duos, vel tres Religiosos, siue alios videntes eum exire. Igitur præter ignorantiam Superioris requirit occultam & clandestinam egressionem; & eum sequitur Coriolan. *n.* 6. Nam hæc secunda conditio præcise significat exitum contra voluntatem Superioris sub qua ratione accipitur occultè, & clam in ordine ad Superiorem, quicquid postea sit de eodem exitu noto, seu ignoto aliis Religiosis, & personis, respectu quorum sicut non dicitur furtiua, ita neque clandestina, aut notoria in ordine ad reseruationem casus, qualitas enim, seu circunstantia liciti, vel illiciti exitus non pendet à voluntate illorum, sed solius Superioris, cuius est licentiam dare, vel negare suis subditis. Præterea Religiosi facilè possent eludere reseruationem notam faciendo egressionem duobus amicis suis quod videtur impertinens, & irrationabile ad euitandam reseruationem, immo exeuntes Superiore contradicente non inciderent, quod omnino absurdum est. 3

Peccatum mortale debet esse huiusmodi egressio, vt constat ex conditione reseruationis, quæ afficit peccantes solum mortaliter. 4

Difficultatem videtur facere hæc conditio, quia violatio clausuræ, cuiusmodi est egressio è Conuentu sine licentia, non videtur esse p usquam veniale, seclusis contemptu, scandalo, aut præcepto Superioris speciali Nauar. *tom.* 2. *comment.* 4. *de regul. num.* 35. *D. Thom.* 22. *q.* 186. *art.* 9. & ex eis Graff. *pr. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 5. Mirand. *tom.* 1. *q.* 32. *art.* 2. Bonac. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 2. *de clausur.* vt refert Barbos. *ad c.* 4. *sess.* 25. *n.* 3. Rodr. *tom.* 1. *q.* 50. *art.* 1. *cum suo Compend. resol.* 27. *n.* 7. Clausura autem inducta fuit iure positiuo *ex c. Placuit* 8. *c. Iuxta* 11. 16. *q.* 1. *in Trident. cit. sess.* 25. *c.* 4. & *in Constit Clem. VIII. n.* 19. & in quauis Religione præcipitur, & de generali consuetudine in viridi obseruantia cui non videtur posse contraria potius abusus, & contra bonos mores. Et in Regula mea *c.* 21. è Conuentu nemo potest sine licentia Superioris, ad quod benè refert multa super dictum caput Pater noster de Sillis.

His tamen non obstantibus dico, violationem clausuræ de nocte esse peccatum mortale, quando fit sine consensu saltem tacito Superioris, modo non excuset paruitas temporis, aut bonus finis exeundi.

Primum, de nocturno exitu sine consensu, seu potius Superiore repugnante, constat ex eo, Tum quia fit contra speciale præceptum obedientiæ Superioris, & regulæ,

gulæ, Tum quia exitus de nocte variis scandalis subiectus est in grauè præiudicium status Religiosi. Tum quia peccata, & delicta de nocte committentes grauius puniuntur, quàm delinquentes de die, vt iuribus & Doctoribus citatis docet *Graff. hic nu.4.& 12. ad 14.* Tum quia huius peccatum est reseruantis in Religione ergo signum euidens est esse peccatum mortale, quod solum subiicitur reseruationi. Tum demum, quia rigorose prohibetur in iure ex locis citatis supra §. *Difficultatem*, & id docet nouissimè *Lezana de oblig. Regul. cap. 16. vsque ad n.7.*

7 Secundum, paruitas temporis excusat à mortali, suadetur ex illa communi regula quod paruitas materiæ excusat à mortali, videtur enim habere locum hic, vnde dicit *Nau. conf. de apost. n.*8. exeuntem breui reuersurus non violasse clausuram; itaque semihora quasi videtur excusare à mortali. Vide *d. resol. 41. q.*3. vbi egressio semihoræ non inducit casum ibi reseruatū de Apostasia. *Vide Graff. hic n.*23. vbi videtur exigere plusquam spatium vnius horæ.

8 Tertium, bonus finis excusat, suadetur, quia stante rationabili causa Superior præsumitur consentire in talem exitum factum bono fine, & ex causa honesta, exēplum sit in egrediente ad audiendum confessiones Infirmi; alloquendum amicum in re alicuius momenti; ad emendum aliquid commestibile, in his enim, & similibus casibus non videtur non sentire Superior, maximè quando Religiosus non lon longe recedit à Conuentu. Idem dic, quando fugit ob sæuitiam superioris, & licita est fuga, *iuxta dicta resol.* 41. *q.* 8. *expressè. Graff. hic n.* 25. *& cum eo Coriol. n.* 8. *&* 9. quia præsumitur consensus Superioris ad quem.

9 Facta autem violatio clausuræ de die mihi non probatur mortifera ex conditione egressionis, quia non est subiecta tantis periculis vt nocturna, ideò regulariter venialia iudicanda est, & sic intelligendi sunt Doctores supracitati, §. *Difficultatem*, præcisis scandalis, & speciali præcepto Superioris, quia tunc egressio mortalis est cum sit trāsgressio specialis obedientiæ ex voto, quæ est grauis læsio promissam obedientiæ.

10 Nono vnum, in Religionib. Reformatis, vbi clausura rigorose seruatur, egressionem plurimum esse peccatum mortale, eo quod sicut tendunt ad strictiorem perfectionem, ad quod multum conducit clausuræ obseruatio, cum sit aptissimum medium ad viuendum iuxta regulam *Rodr. tom.* 1. *q.* 44. *art.* 2. §. *Huic.* ita huius transgressio, cum multum obesse possit eorum reformationi, videtur esse error multum grauis inducens peccatum mortale, & maximè si egressio fiat de nocte, neque semihora, imò vix quadrans videtur excusare à mortali.

11 Monasterij nomine, seu Conuentus veniunt eadem loca, de quibus dixi *praced. resol.* 41. *q.* 1. *&* 2. Egressio autem ex hospitiis, grangiis, & similibus locis, qui non sunt formales Conuentus ac proinde neque in illis clausura locum non habet, non est casus reseruatus, quia licet sit vagatio sine licentia, non tamen est violatio clausuræ, quæ proponitur reseruanda in hoc casu.

12 Differt autem iste casus à præcedenti, licet ambo includant egressionem è conuentu, ex eo, quod egressio in priori casu non spectatur secundum se neque ipsa per se reseruatur, sed quatenus est externum complementum apostasiæ, quæ per se, & principaliter reseruatur, & quia hæc per se contingere potest etiam sine egressione per solum actum mentalem, qui non est reseruabilis, ideo additur actus externus egressionis egressio verò in hoc præsenti casu præscindit ab apostasia vt ibi dicitur. *Etiam non animo apostatandi facta*, ita quod per se, & formaliter reseruatio cadit super egressionem, seu violationem clausuræ de nocte.

13 Hinc infero, quod si in aliqua Religione reseruatur casus de egressione, non autem de apostasia, egredientem animo apostandi non incidere in hunc secundum casum de egressione, quia isti duo casus distinguuntur inter se, & licet omnis apostata in effectu egrediatur è Monasterio, ac proinde violet clausuram, hoc tamen non dicitur facere per se, & principaliter, sed in ordine ad apostasiam, cuius est medium executionis, ac proinde transit in naturam apostasiæ, media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur Bart. *in l. Oratio ff. de spons.* Vnde non placet, quod ait Graff *hic num.* 2. dictionem, *Etiam*, insinuare idem in contrario casu, hoc est, si egressio fieret cum apostasia, *arg. l. Suus quoque heres, ex glos. ver. eod. ff. de hered. instit.* vbi Bart. *n.*4 quia huiusmodi dictio sequente negatiua sumitur negatiuè, tantum & pro fine.

RESOLVTIO XLIII.

De quarto casu reseruando in Religione.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

SVMMARIVM.

1 *Paupertas voluntaria abdicatio proprietatis.*
2 *In hunc casum incidunt solum professi.*
3 *Proprietas debet esse peccatum mortale.*
4 *Quantitas requisita ad mortale?*
5 *Vsurpans quatuor reales incidit.*
6 *Proprietas quid sit late explicatur.*
7 *Ius haberi potest quinque modis super aliqua re.*
8 *Vsus, & vsusfructus descriptiones non sunt vniuersales.*
9 *An in his distinguatur vsus à re consumptibili?*
10 *Verior opinio affirmat.*
11 *Verbum* Disponendi *quid importet?*
12 *Obiectum proprietatis quale sit?*
13 *Dominium habens disponit ad habitum.*
14 *Dominium spectatur dupliciter.*
15 *Paupertas Religiosa debet esse voluntaria.*
16 *Proprietas in Religioso est iniusta dispositio.*
17 *Obiectum proprietatis est res pretio æstimabilis.*
18 *Nondum professus proprietarius non est.*
19 *Proprietarius dicitur habens sine licentia.*
20 *Professus iure naturali diuino est incapax proprietatis.*
21 *Quod probatur.*
22 *De iure naturali.*
23 *De iure Ecclesiastico.*
24 *Indispensabiliter etiam à Papa.*
25 *Habet tamen concessionem vsus.*
26 *Officiales habent ius administrationis.*
27 *Licentia qualis requiratur.*
28 *Taciturnitas excusat.*
29 *Consuetudo.*
30 *Ratihabitio.*
31 *Displicentia modi.*
32 *Licentia irreuocabilis dari non potest.*
33 *Ad tale tempus concedi potest.*
34 *An data sub vno à duret sub alio?*
35 *Occultans concessa ab antecedente est proprietarius.*
36 *Quinam Superior det licentiam?*
37 *An in schedula mortis possit aliquid occultari?*
38 *Dubia duo proponuntur.*
39 *Quomodo quis fiat filius Monasterij.*
40 *Nomine Discretorum apud nos qui veniant?*
41 *Licentia pro vno casu non extenditur.*
42 *Licentia dolo metu, &c. an teneant?*
43 *Superflua habens de licentia non est proprietarius,*
44 *Opinio contraria refertur.*
45 *Explicatur dicta opinio.*

46 *Licentia*

46 *Licentia expendendi in turpia excusat.*
47 *Opinio contraria vniuersalis.*
48 *Censu, linellos habere possunt.*
49 *Quid de vsu vestium cum ornatu?*
50 *Pensionem habent de indulto Sedis.*
51 *Tridentinum nil innouat circa hoc votum.*
52 *In eo prohibetur peculium libere disponendi*
53 *Habet locum post reformationem.*
54 *Declarationes Concilij non plus obligant , quàm ipsum.*
55 *Iuxta quod intelliguntur.*
56 *Incorporatio, & confusio peculij quomodo fiat?*
57 *In Conuentibus non reformatis census habetur.*
58 *Conditiones quatuor excusant ab hoc vitio.*
59 *Legata sub conditione ne Superiores se ingerant.*
60 *Rogat licite vt quid detur amica.*
61 *Furans consignando Superiori non est proprietarius.*
62 *Cibaria retinens est proprietarius,*
63 *Missas recipiens non excusatur.*
64 *Recipiens ob turpe est proprietarius.*
65 *Ludentes sunt proprietarij.*
66 *Distribuens aliquid sine licentia.*
67 *Afficlui tradere potest Religioso.*
68 *Donare est actus proprij.*
69 *Quod probatur.*
70 *Tenetur restituere.*
71 *Nisi in casu damni illati.*
72 *Eidem donatori benè fit restitutio.*
73 *Clem. de Largitione munerum.*
74 *Eleemosynas facere non possunt.*
75 *Permutationes fiunt inter illos.*
76 *Spiritualium iura habent.*
77 *Fur non semper proprietarius.*
78 *Cibaria proiiciens proprietarius,*
79 *Alienantes an sint proprietarij.*
80 *Mortale peccatum proprietas.*
81 *Tertij Ordinis quale votum paupertatis.*
82 *Pœna proprietariorum.*
83 *Adiecta conditio in Renuntiatione turpis.*

1 A Definitione , & explicatione quid sit Proprietas vitium contra votum Paupertatis , seu quinam Religiosus dicatur proprietarius, aut proprium habere, colligitur resolutio cuiuscumque difficultatis occurrentis circa præsentem casum, si prius notauero tria. Primo de quónam voto Paupertatis hic sermo sit. Secúdo, quod soli professi incidunt in hunc casum: Tertio quænam quantitas rei requiratur ad peccatum mortale proprietatis:

Primo nomine Paupertatis venit , relictis aliis eius variis significationibus, religiosa, quæ est voluntaria abdicatio proprietatis facta à Religioso, dum emittit professionem, siue solemnem, vt solent facere omnes Religiosi , post annum probationis , siue etiam simplicem, vt ex speciali statuto faciunt Iesuitæ post biennium probationis. Itaque hic sermo est de voto paupertatis sic emisso in aliqua approbata Religione, vnde ab hoc casu excluduntur , qui emittunt votum simplex paupertatis etiam publicè , vel per manus alicuius Religiosi Prælati , non tamen efficiuntur Religiosi , sicut Iesuitæ post biennium probationis ex constit. Apostolica. Votum igitur hoc debet esse solemne , Graff. *pr. libro tertio , capit. 4. numero 6. Vide infra quæstione 1. §. Sexto.*

2 Secundo , soli professi Incidunt in hunc casum, nam Nouitij , & alij habitum Religiosum gestantes , nondum professi, huius casus capaces non sunt, quia vitium proprietatis contrahitur ab iis tantum , qui transgrediuntur votum Paupertatis , quod non possunt violare nondum professi , quia nemo dicitur transgredi faciendo contra id , ad quod nondum se obligauit. Graff. *cit. num. 17.*

3 Tertio , certum est requiri peccatum mortale in vitio proprietatis , vt sit casus reseruatus, tum ex conditione reseruationis , tum quia expressè dicitur in contextu verborum casus. Et docent *Graff. pr. lib. 3. cap. 4. num. 22. Coriol. hic numer. 13.* Tota difficultas consistit, quænam quantitas rei constituat peccatum mortale proprietatis. Conueniunt autem communiter Doctores eam quantitatem sufficere , & esse necessariam ad faciendum Religiosum proprietarium cum peccato mortali, quæ requiritur in Secularibus ad peccandum mortaliter peccato furti, *quos citat Diana resol. 36. de paupert. Religiosa Sanchez lib. 7. cap. 20. nu. 3. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 49. Nauar. consil. 3. de statu Monach. nu. 17. Bonac. disp. 1. de contr. q. 10. p. 3. n. 5.* & alij communiter apud eosdem, hanc autem communissimam sententiam exponit, & limitat *Sanch. cit. n. 5. & 6.* in duobus, primo namque quantitas, quæ sufficit in seculari pro peccato mortali, in Religioso spectanda est secundum se, ita quod materia, quam Religiosus sibi vsurpat contra voluntatem Superioris, in se sit notabilis, & non ex circumstantia damnificationis, vt in furto acûs sartoris, &c. intellige quando sibi appropriat aliquid Monasterij nã furando ab extraneis, sine dubio tunc attendendæ sũt circumstantiæ, & non tantum ipsa res sublata. Et in hoc mihi placet dictum *Rebellij part. 1. de Iustit. libro tertio quæstione 15. sect. 3. num. 22.* arbitrantis hanc quantitatem considerandam esse non simpliciter respectu cuiuscumque secularis , sed secularis filij familias, quorum circumstantia videtur requirere maiorem quantitatem , quam respectu aliorum , siquidem recipiunt de bonis paternis , quæ ad ipsos spectant, licet contra voluntatem patris, ita Religiosi filij Superioris, & Religionis recipiunt de bonis Religionis , quæ ad ipsos spectant , cum pro eorum sustentatione Religio in communi illa possideat ; nec facit ea differentia, quam affert *Sanchez cit. nu. 3.* dum dicit filius familia licere aliqua possidere , & eosdem esse necessarios hæredes , consequenter parentes eorum non esse adeo inuitos quo ad rem acceptam , Sicut Superior, cui promiserunt votum paupertatis , ex quo illos dedeceat cuiuslibet rei proprietas , & possessio , id circo grauius peccant filiis familias : Quia hoc discrimen arguit solum maiorem culpam intra eamdem speciem peccati in Religioso in genere mortalis, vel venialis ratione voti adiuncti. Quod addit nouam speciem sacrilegij , præter grauitatem in genere culpæ mortalis. Secundo , quandoque breuitas temporis excusat à mortali, quamuis res vsurpata in se sit magni momenti , vt docet citatus *Sanch. li. 7. cap. 20. nu. 6.*

Quantitas notabilis constituens proprietarium in peccato mortali variè specificatur. Nam Rodriq. *tom. 4. sum. cap. 118. num. 27.* assignat summam duorum aureorum, & ante ipsum Soto *lib. de Iustit. quæst. 3. art. 3. ad 3.* quod probabile putat Arrag. 2. 2. *quæst. 66. artic. 6. conclus. 3.* quod displicet Dianæ *resolut. 36. in fine, de paupert. relig.* Secundo Ioan. Crux *lib. 1. de statu Relig. capit. 3. dub. 5. §. Prima est,* Sanchez *lib. 7. cap. 20. num. 5.* putant esse summam , quatuor iuliorum , seu realiorum , vel argenteorum , quæ pro eodem accipiuntur nimirum pro decem solidis Mediolanensibus, aut viginti Parmensibus singuli argentei. Tertio *Faustus in suo Thesauro Relig. libro 8. quæst. 193. numero 22.* respectu Monasteriorum ditissimorum summam notabilem putat trium argenteorum , respectu mediocriter ditatorum summam duorum, respectu pauperculorum, summam vnius argentei, sed hæc discretio non potest habere locum respectu Conuentuum nihil possidentium in communi, sed solum respectu capacium bonorum in communi , & præcipue respectu Monachorum , & non Mendicantium, ideo in his potest habere locum; quamquam præterea vsurpatio vnius iulij videatur ea se potius parua quantitas, quàm notabilis, ideo mihi magis placet opinio Sanchez , & aliorum requirentium summam quatuor iuliorum, & excessum trium. *Demum P. Andrea ex Societate apud Quaran. ad casum 8.* requirit summam duorum, aut trium iuliorum, seu ca- 4

solenorum

(Iu)lenorum ad summum, vt furtum in Religioso dicatur peccatum mortale, & Leaana *c.6.n.57.* duoa iulios, seu reales putat mate iam grauem.

5 Incidit igitur in hunc casum reseruatū ille Religiosus, qui sibi vsurpar tres, aut quatuor reales contra voluntatem Superioris, quia est proprietarius ex culpa mortali. *Ita in terminis P. Andrea* loquendo de tribus iuliis pro casu octauo.

Quæres autem 5. Quid sit Proprietas? ex cuius cognitione colligitur quinam Religiosi proprium habentes incurrant hunc casum.

6 Respond. Proprietas est ius, seu facultas disponendi de re aliqua ad libitum, & prout est vitium oppositum Paupertati Religiosæ, quæ consistit in voluntaria abdicatione proprij, est iniusta dispositio rei pretio æstimabilis facta à Religioso professo sine licentia contra voluntatem Superioris. Singulæ particulæ exponendæ sunt.

7 Dixi I. *Ius, seu facultas*, quæ pro eodem accipiuntur & potestare faciendi aliquid, iustitiâ, ratione sic exigente, *cap. Ius dictum, de verb. significat* Sair. *lib.9. Clauis cap.3. D.Thom.2.2 quæst.186. artic.3.* Axor. *tom.1. Instit. lib.12.* apud Lezana *cap.6. de obligat. regul. num.2.* Potest autem quis habere iua super aliqua re quinque modis. I. per modum dominij. II. per modum vsusfructus. III. per modum vsus, IV. per modum possessionis. V. per modum administrationis. Dominium autem est ius disponendi de re propria ad libitum, nisi lege prohibeatur, saluo iure alterius, ita Nauarr. *tom.2. comment.1. de regul. numero duodecimo, §. Decimum quartum*, vbi hanc definitionem paucis, sed clare explicat, dixit autem, nisi lege prohibeatur propter pupillos, qui licet sint domini suarum rerum, illas tamen alienare, vt de illis alio modo disponere non possunt ex legis prohibitione. Dominus in dispositione rerum suarum cauere debet, ne alteri habenti dominium vtile præiudicet. Ille ergo qui potest rem aliquam ad suum libitum contrahere, vel distrahere dicitur illius habere dominium, & proprietatem, quæ duæ voces idem prorsus indicant, vt ibidem docet Nauarr. Vsusfructus est facultas vtendi, & fruendi re aliena, salua illius substantia, hoc est, disponendi ad libitum de fructibus rei, quæ quoad proprietatem est alterius. Vsus est facultas vtendi re aliena, salua eius substantia, id est disponendi de re ad proprios tantum vsus, non etiam ad alienos, vt facere potest vsufructuarius. Possessio est facultas insistendi rei non prohibitæ possideri; seu est iuridica rei retinentia, siue deinde sit propria, siue aliena. Administratio demum est facultas, iuxta commissionem sibi factam ab eo, qui administrationem committit. De his vide apud Sair. *lib.9. Clauis cap.3.* Sotum *lib.4. de instit. q.1. art.1.* Nau. *tom.2. tom.1. de Regul. n.12. ad* 16. Mirand. *tom.1. q.28 art.1.* Sanchez *lib.7. c.18.*

8 Obserua, quod allatæ descriptiones Vsus, & Vsusfructua non sunt vniuersales, sed conueniunt tantum rebus, quarum vsus consumptio non est; vt, sunt domus, ager, equus, vestis, &c. his enim vti possumus, & frui, saluâ earum substantiâ, non vero rebus, quæ primis vsibus consumuntur, & quarum vsus est consumptio; vt, pecunia, granum, vinum, &c. ac proinde in his non potest dari vsus distinctus ab ipsa rei substantia, quæ salua sit, cum ipsius vsus sit consumptio, & distractio rei Nihilominus interpretari potest illa, clausula, *Salua rei substantia*, hoc est saluo iure proprietarij, qui concedit vsum rei sub his, vel illis conditionibus.

9 Oritur hunc non leuis difficultas, an his rebus, quarum vsus est ipsamet consumptio, & distractio distinguatur dominium, seu proprietas ab ipso vsu, & consumptione, ita quod vnum ab alio separari possit, & proprietas reperiatur apud vnum, vsus verò apud alterum; hæc autem difficultas originem traxit occasione sumpta ex Religiosis D. Francisci, qui in primordiis huius Religionis nil in particulari, neque in communi possidebat proprij, sed solum facti vsum habebant, & proprietatem rei quam, consumebam, dicebant esse pœnes alios, ita quod quamliber rationem iuris, aut proprietatia excludebant per votum paupertatis. Alij verò è contra non distinguebant in his consumptibilibus vsum facti ab vsu iuris, ac proinde asserebant Religiosos huius ordinis, & cuiuscumque alterius non solùm habere vsum facti, sed etiam iuris hoc ipso, quod hæc duo erant inseparabilia, & cum non possent vitam transigere sine vsu facti, consequenter etiam necessarium erat concedere illis vsum iuris; & hanc posteriorem sententiam docuerat Ioann. XXII. *in extr. Ad conditorem, de verbor. significat.* Bartolus *libro secundo, Minoric. distinct.4. capit.2. ad finem. Maior in 4. distinct. 38. quæstione nona & tertia D. Anton. part.4. titulo duodecimo capit.4. & 10.* Silu. cum aliis, quos contra se citat Sanchez *libro 7. capit.18. num.4.*

Verior autem opinio tenet distingui dominium ab ipsomet vsu rerum consumptibilium per ipsummet vsum, & suadetur tum ratione, quia proprietas, seu dominium est ius, potestas, seu facultas vtendi. & disponendi de rebus; potest autem quis ita de re sua primo vsu consumptibili disponere, vt antequam consumetur ab eo, cui conceditur, reuocari possit à concedente. Tum exemplo conniuæ, & inuitati ad cœnam, qui cibariorum habet vsum tantum facti, remanente iure, & dominio eorum apud inuitantem, hoc ipso, quod inuitans intendit vt secum manducet, non autem vt de cibariis disponat ad suum libitum. Id etiam apparet in fure, qui consumendo rem furto sublatam dicitur circa illam habere solum vsum facti, nullum autem ius, neque dominium rei sublatæ. Ita sentiunt Nicol. III. *in capit. Exiit, §. Profecto si iuxta promissum, de verb. significat. in 6. Clem. V. in Clem. Exiuis, eodem §. Proinde cum vir sanctus, glos. ibi ver. Proinde, Nauar. tom.2. comment.1. de regul. num.13, comment.2. num.2. & ibid. de Reddit. quæst.1. Monito 14. & 16. Lessius lib.2. de iust. cap.3. dub.8. num.32. Rodr. tom.3. q.29. art.4. quos, & alios citat Sanch. lib.7. cap.18. num.5.* 10

Secundò dixi, *Disponendi*, hoc verbum est vniuersalissimum significans omnes illos actus, quos efficere potest proprietarius super re, quæ isti propria est, iuxta conditionem dominij, quod super illam habet. Omnes autem actus proprietatis reduci possunt ad tria capita, & sunt Recipere, Retinere, & Contrahere Sub nomine Receptionis, seu acquisitionis venit acceptio cuiuslibet rei siue immobilis, siue mobilis corporalis, vt agri, domus, muneris, literarum, &c. Sub nomine Retentionis venit possessio cuiuslibet rei habitæ apud se, vel existentis apud tertium eius nomine. Demum sub nomine contractus venit quæcumque negotiatio, distractio, actio ciuilis, & eius generis. 11

Tertiò dixi, *De re aliqua*, nam per hæc verba insinuatur obiectum proprietatis, quod potest esse quænis res, siue immobilis, siue mobilis, aut corporea, vel incorporea, vt sunt iura, actiones, obligationes ciuiles, siue temporalis, vt prædium, domus, census, &c. siue spiritualis, vt beneficium Ecclesiasticum, iurisdictio, ius præsentandi, eligendi, conferendi, visitandi, &c. de quibus Nauarr. *tom.2. comment.1. de Regul. numero 12. paragrapho Decimumquartum.* 12

Quartò dixi, *Ad libitum*, nam proprietarius, & dominium habens de re propria disponere potest ad placitum suæ voluntatis, iure proprietatis ita exigente, quod libitum, & placitum ita accipiendum est, vt in dispositione dominus non excedat limites iuris, quod super re sua, habet; neque enim vsufructuarius fundi distrahere potest fundum, quia super illum non habet perfectam proprietatem, & domi- 13

nium

nium, sed tantum super fructus fundi, cuius immediata, proprietas, & rei substantia est apud alium, qui est dominus directus. Cum igitur proprietarius quatenus talis de re propria disponere possit ad suum libitum iure regulatum, palam est, in huiusmodi dispositione à nullo dependere, neque etiam à domino directo rei, si sit vsusfructuarius, vel vsuarius, cum dominus directus rem concesserit hoc modo, vt super illam vsum habeat independenter à sua voluntate, nam non obstante contradictione domini vsusfructuarius potest contrahere vtiliter fructus, vel eosdem, distrahere, & proijcere, cum huius vsus sit simpliciter dominus independenter à proprietario fundi. Patet id etiam in simplici vsu equi, vestium, grani, olei, & similium, siquidem, proprietarius dominus directus huiusmodi rem concessam reuocare non potest sine iniuria concessionatij, cum debeat stare promissis de iure naturæ, nisi aliud obstet, sed tempus expectare debet restitutionis faciendæ eiusdem rei, vel æquiualentis eius consumpti, ergo signum est vsuarium habere ius super re sibi præstita independenter à domino rei quo ad substantiam, si enim nullum ius haberet, sed simplicem facti vsum, teneretur reddere ad nutum domini, etiam re integra, hoc est, licet nondum incæpisset re vti. Hæc igitur particula, *ad libitum*, significat dispositionem rei, iure tamen regulatam, independenter à voluntate domini.

14 Quintò dixi, *Et prout est vitium oppositum paupertati Religiosæ.* Potest enim dominium, & proprietas spectari dupliciter; vno modo, prout est licita facultas disponendi de re aliqua, quo iure licitæ dispositionis illi tantum agere possunt, qui sunt capaces dominij, & ipso iure proprietatem habent, cuiusmodi sunt Seculares personæ, & qui per votum paupertatis à se non abiecerunt huiusmodi ius disponendi. Et in hoc sensu hactenus egi præcedentibus explicando definitionem proprietatis. Altero modo, prout est illicita facultas disponendi de re aliqua; & in hoc sensu agam in sequentibus de proprietate illicita respectu Religiosorum, ex eo, quod per votum paupertatis illam à se abdicauerunt, neque proinde ad eam sine peccato accedere possunt.

15 Sextò dixi. *Quæ consistit in voluntaria abdicatione proprij.* Paupertas igitur Religiosa est voluntaria abdicatio proprij reiecti per votum paupertatis emissum in professione. Dico, *Religiosa* ad differentiam paupertatis tædiosæ, & mundanæ quæ homini est maxima infœlicitas, vide Graff. *pr. lib.3. cap.4. num.6.* Dico, *voluntaria*, quia cum sit votum, necessariò includit promissionem voluntariam, aliter non teneret; & sic etiam, opponitur paupertati tædiosæ, temporali, & inuoluntariæ. Dico, *Abdicatio proprietatis*, sic enim vocatur *cap. Cum ad Monasterium, in fine, de statu Monach. Cap. Exiit 3. de verb. signif. in 6. §. Porro cum ipsa regula. Vide initio resolutionis.*

16 Septimò dixi, *Iniusta dispositio*, in Religioso igitur proprietas est iniusta dispositio, quia non solum illicitè aliquid sibi appropriat, & peccat mortaliter ex genere suo, cum transgressor sit voti in re graui, vt docent omnes *in cap. Cum ad Monasterium*, Graff. *ad hunc casum capit.4. numero 7. ad 16. Cruz libro 1. de statu Relig. capit.3. initio*, Sanchez alios citans *libro 7. capit.20. vsque ad num.7.* sed etiam fur euadit, cum rem alterius sibi vsurpet, & contrectet contra voluntatem, domini, ideo dixi, *Iniusta dispositio*, de hac dictione satis supra, *§. Secundo.*

17 Octauò dixi, *Rei pretio æstimabilis*, quia circa quasdam res inestimabiles pecunia, ius habere potest sine vitio proprietatis. Vnde Religiosus ius habet in bonis internis fidei, spei, & charitatis, donorum Spiritus Sancti, characteris sacramentorum, scientiæ, & aliarum virtutum tam infusarum, quàm acquisitarum. Item ius habet in officiis, prælaturis, & dignitatibus Ecclesiasticis, in quantum ab illorum promotione prohiberi, neque ab acquisitis remoueri sine rationabili causa, modo non sint de amobilibus ad nutum Superioris. Item in bonis honorariis, vt Doctoratus, Lectoratus, &c. Item ius habent eligendi, præsentandi, confirmandi, censurandi, doctorandi, &c. & in his agunt nomine proprio. Ratio horum omnium est, quia per votum paupertatis non renuntiarunt præfatis bonis, sed tantum profanis, & prætio æstimabilibus, iuxta illud Domini: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Ita docent Rodriq. *tom.3. quæst.29. artic.4. D.Thom. 2.2. quæst.186. artic.7 ad 4.* Mirand. *tom.1. quæst.28. artic.1. ad finem*, Nauar. *tom.2. comment.2. de Regul. num.2. §. Ex his infertur.* Bartolucius *in suo speculo Regul. de voto Pauper. numero 7.* Sanchez *libro 7. capit 18. numero 25. & capit.19. numero 58.* vbi prædicta limitat, quando habent adnexum aliquid pecuniæ æstimabile, nam tunc requiritur licentia, vnde sine licentia non potest acceptare Doctoratum, seu lecturam extra Religionem, &c. & eosdem sequitur Lezana *cap.6. num.4.*

Nonò dixi, *Facta à Religioso professo*, quia Nouitius, siue quiuis alius cum ha[bitu] Religioso collegialiter viuens cum professis, etiam perpetuò, sine vlla professione, quæ includat votum Paupertatis, proprium habendo fit iniustè proprietarius vitiosus, cum per votum à se non abdicauerit hoc ius habendi proprium. Dixi etiam supra initio *resolu. §. Secundo* 18

Decimò demum dixi, *Sine licentia contra voluntatem Superioris*, quia ille Religiosus dicitur proprietarius, qui de re aliqua disponit contra voluntatem sui Superioris, vt docent omnes *in capit. Non dicatis 12. quæstione 1. & in capit. Cum ad Monasterium de statu Monach.* Graff. *ad hunc casum numero 3.* vbi citat Archidiac. *ad capit. Non dicatis*, & Ioan. Andr. *ad capit. Cum ad Monasterium.* Nauarr. *consil. 75. de regul. numero 49.* Sanchez *libro septimo, capite 19. quæstione 1. per tot[um]. De qualitate huius licentiæ dicam quæst.4.* 19

Quæres 2. An Religiosus per votum paupertatis abdicet à se quodcumque ius proprietatis, siue sit dominij, siue vsusfructus, seu vsus, aut possessionis, vel administrationis, de quibus supra §. *Dixi* I. itavt sit incapax illorum, & tantum sit capax vsus facti dependenter à voluntate Superioris? Bannes 2.2. *q.62. & 1. de domin. dub.1. corol. concl.4.* affirmat Religiosos etiam Franciscanos habere vsum iuris de rebus primo vsu consumptibilibus, quia id ius non repugnat paupertati Euangelicæ, & ita tenere habent omnes non distinguentes vsū iuris ab vsu facti in huiusmodi consumptibilibus, qui sunt Sarmiento *de reddit. Eccles. p.1. c.2. n.11.12.13. & in defens. p.1. mon.12. & 14.* vbi ait Franciscanos particulares habere dominium vestium, quibus vtantur, & Arrag. *2.2. q.62. dub.3. de dominio*, apud Sanch. *lib.7. c.18. num.4. in fine.*

Respond. Religiosus professus est incapax cuiuscumque proprietatis supradictæ non solum iure naturali, & diuino ex voto abdicationis, sed etiam iure Ecclesiastico, ita quod in hoc dispensari non potest à Superioribus qui illi possunt concedere solummodo vsum facti rerum conueniētium indigentiæ sui status, & professionis. 20

Primum, quod sit incapax cuiusque ex prædictis iuribus super rebus temporalibus, probatur ex definitione ipsiusmet proprietatis, iuxta datam explicationem præcedenti quæstione, quæ est facultas disponendi de re aliqua ad libitum, hoc est, i[n]dependenter à voluntate alterius, cum ipsemet dispo[nens] propria voluntate dicatur disponere, ex tactis ibidem, in explicatione particulæ, *Ad libitum*, §. *Quarto.* Sed Religiosus professus quicquid agit, aut de quauis re disponit, seu vtitur, id totum præstat dependenter à voluntate superioris, nam omnem suam voluntatem transtulit in superiorem, iuxta cuius obedientiam omnes suas actiones de- 21

pendenter dirigere debet, iuxta promissam obedientiam, Sanch. *libro 6. capit. 2. num. 7.* non enim habet velle, neque nolle, *cap. Non dicatis 11. 12. quæst. 1. cap. Si Religiosus 27. de elect. in 6 cap. fin. de testam. & sepult. in 6.* Superior enim fit dominus voluntatis Religiosi ratione voti sibi promissi, Rodriq. *tom. 1. quæst. 25. art. 6.* ergo est incapax proprietatis cuiusuis iuris, ius enim huiusmodi dat facultatem disponendi ad libitum, independenter ab eo, cuius res est, vt rem hanc benè explicat Molina *tom. 2. disput. 6. §. His non obstantibus*, quem citat Sanch. *libro 7. capit. 18. num. 7.* Confirmatur. Tum quia habere ius in aliqua re est posse disponere de illa ad suum libitum independenter à voluntate alterius, quo priuari non potest sine causa, *arg. Reg. 23. in 6. cap. 7. dist. 56. capit. 6. de eo, qui cognou.* Sed quod Religioso concessum fuit à superiore reuocari potest, nulla precedente causa, aut culpa, modo non reuocet necessaria, ex Doctoribus *in cap. Insinuante, Qui cler.* Silu. *Religio 3. quæst. 8.* Beia *part. 4. casu 10. ad finem*, ergo omnis Religiosus caret quouis iure vtendi etiam necessariis. Tum quia Religiosus per solum vsum facti absque vllo iure, superiore concedente potest subueuire sibi in quibuscumque necessariis, & vtilibus, vt de se patet, & dicit Nicol. III. cit. vitam mortalium dictis iuribus carere posse, ergo frustra, & gratis illi conceditur vsus iuris. Ita ferè omnes sentiunt cum Nicol. III. *in cap. Exiit, de verb. signif. in 6. §. Nam cum in rebus temporalibus, & Clem V. in sua Clem. Exiui, de verb. signif.* in quibus locis licet sermo sit de solis Franciscanis primæ Regulæ, tamen id verissimum est, respectu omnium Regularium ex promissione voti paupertatis, quod excludit omne genus proprietatis, & iuris; & sic extendunt Nau. *tomo 2. comment. 1. de Regul. numero 13. comment. 2. eod. nu. 2. §. Pro resolutione*, Rodr. *tom. 3. quæst. 29. artic. 4. cum suo Compend. resolut. 110. num. 2.* Beia *part. 4. casu 17. §. Respondemus textum, & casu 32. §. Per quæ omnia*, Sanchez *libro 7. capit. 18. num. 7. 8. 25.* Lezana *capit. 6. de obligat. Regul. num. 3. Compend. resolut. 110. num. 5.*

22 Secundum, quod sint incapaces iure naturali, probatur ex promissione voti paupertatis, per quam Religiosus à se abdicat omne ius proprietatis, mediante spirituali promissione voti, quæ iure naturali diuino omninò seruanda est, ergo iure naturæ incapax est religiosus cuiusuis iuris, & proprietatis rei temporalis.

23 Tertium, quod iure Ecclesiastico prohibeatur eisdem proprium, constat *ex cap. Non dicatis 12. quæst. 1. cap. Monachi, cap. Super quodam, cap. Cum ad monasterium*, de statu monach. ibi. *Prohibemus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne quis Regularis proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet.* Nouissimè in Trident. *sess. 25. c. 2.* & Clem. VIII. pro reformat. Regul. vsque *ad n. 10.* refert Lezana *cap. 6. n. 6. 7. & 8.*

24 Quartum, quod sint indispensabiles ad habendum proprium, seu vsum iuris, apertè habetur, *c. Cum ad monasterium, de statu monach. in fine*, ibi. *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ monachali, vt contra eam, nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ita rigorosè de Papa loquendo asserit Nauarr. *tom. 2. com. 2. de Regul. num. 17.* & ex eo Beia *part. 4. casu 32. §. Per quæ omnia*, & de superioribus Regularibus id expresse prohibetur etiam *sess. 25. cap. 2.* Ratio est, quia super votis solemnibus de substantia Religionis, cuiusmodi est tum paupertatis nullus superior Regularis dispensare potest, vt probaui *resol. 11. q. 41. Vide ibi de Papa dispensante.*

25 Quintum, de concessione vsus facti rerum, & pecunij quibus indigent, est certi iuris apud omnes Doctores cum citatis supra §. *Primum*, quamplures citat Barbosa *ad c. 2. sess. 25. n. 2.*

Quæres 3. Cum in præcedenti quæsito dictum, & resolutum fuerit Religiosum esse incapacem cuiuslibet iuris, dominij, vsusfructus, vsus, possessionis, & administrationis, hoc non videtur posse subsistere, quia de iure religiosi sunt capaces administrationis non solum per factum, sed etiam per ius, vt clare colligitur *ex cap. Monachi 2. §. Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum à Communione remoueatur altaris.* Ecce, quod religiosus potest habere ius administrationis, & *cap. Cum ad monasterium, de statu monach.* vbi vocatur obedientia, quæ illi perpetuo committenda non est, sed ad nutum superioris reuocabilis. Expressius in Trident. *sess. 25. c. 2.* ibi. *Administratio autem bonorum monasteriorum seu conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amouibiles, pertineat.* Igitur religiosi possunt habere iura administrationis, & sic non continetur sub ratione proprietatis.

Respond. Religiosi sunt capaces iuris administratio- 26
nis, vt patet in citatis locis, non tamen omnes, sed solum officiales, vt in dictis locis, & expressius in Trident. Ratio est, quia bona Religiosorum gubernari non possunt sine administratione commissa officialibus, ergo necesse est, quod sint capaces administrationis, neque hoc ius à se abdicauerunt per votum paupertatis, cum non dicatur ius proprietatis, sed officij tantum, quo religiosus officialis deputatus è superiore debet bona Monasterij administrare, & illorum curam habere, non nomine proprio, sed alieno, cum vices gerat superioris, & totius monasterij. Vnde administratio non est dominium, nec vsusfructus, vel vsus, sed ius disponendi de re aliena gratis, vel cum stipendio, seu honorario, Nauarr. *tom. 2. com. 1. de regul. num. 41. per Rub. ff. de admin. tut. ff. de admin. rer. ad ciuit. pertin. cap. Grandi, de suppl. neglig. prælat. in 6.* Sic sentiunt Nau. *tom. 2. com. 2. de regul. num. 11. & 15.* vbi §. *Sexto, sibi obiicit allatum textum. Trident. respondens, §. Ad sextum*, rationabili existente causa, posse superiorem particulari religioso non officiali concedere administrationem, Beia *part. 4. casu 17. §. Respondemus secundo.* Vide Barbosam *ad dictum textum à numero 18. ad 26.* Ita autem sunt amouibiles, vt tamen subsit causa, nam *in cap. Cum ad monasterium*, ibi *Cum oportuerit*, iuncta *gloss. ver. Amoueri*, quia canonicè electi remouentur ex leuibus causis, ergo debet subesse causa, verbum enim oportet importat necessitatem ex subiecta materia, Gloss. *in cap. 4. de senten. & re iudicat.* necessitas autem remotionis supponit causam, ergo nulla subsistente causa amouendus non est, nec obstat Trident. ibi. *Ad nutum superioris*, quæ superioris arbitriũ insinuant nulla præcedente causa; quia cum Tridentinum nil de nouo statuat, sed ius antiquum renouet collapsum, limitantur ea verba iuxta quod dixi. Quod Concilium nil de nouo statuat infra probabo *sub q. 21.* Vide Barbosam *cit. n. 22.*

Hinc patet responsio ad rationem dubitandi in quæsito propositam, siquidem in præcedenti quæsito probaui Religiosum esse incapacem iuris administrationis in ordine ad se, & in suam vtilitatem, non verò quatenus officialis, & administrat in bonum aliorum, & monasterij, in quo consistit propriè ratio administrationis; de hac duplici administratione. Nauarr. *tom. 2. comment. 2. de Regul. numero 15. §. Secundo quod proprium.*

Quæres 4. Qualis licentia requiratur, vt Religiosus possit recipere, & retinere aliquid pro suis vsibus absque vitio proprietatis? Alia enim est licentia expressa, qua superior claris verbis concedit vsum rerum, & peculij. Alia præsumpta, seu tacita, qua prudenter iudicatur superiorem esse contentum, vt religiosus vtatur rebus conuenientibus suo statui.

Respond. Licentia expressa optima est, vt omnes 27
concedunt, non tamen est necessaria, sed sufficit tacita, & præsumpta, eo quod eadem sit virtus taciti, & & expressi, *l. Labeo ff. de pactis, l. Cum quid ff. si cert. pet.*

alia

alia iura citat Barbosa Vaz. lit. T. num. 3. Sententiam hanc docent *D. Ronan. in speculo discipl. ad nouit. part. 1. ca. 1 Rosella ver. Eleemosyna 2. num. 1. Ang. num. 6. quos aliosque citat. Sanch. l. 6. c. 19. n. 4. Rodr. tom. 2. q. 57. art. 2. Compend. resol. 510. n. 10. Nau c. 17. nu. 105. & tom. 2. Comment. 2. de Regul. n. 20. Cruz l. 1. de statu regul. c. 3. dub. 3. Lezana c. 6. n. 33. Megal. 1. 2. l. 2. c. 27. n. 62. Mirand. tom. 2. quæst. 28. art. 14.* Neque per Trident. *capitulo 2. sess. 25.* sublata fuit Graff. *hic n. 30. & consil. 8. de regul. nu. 23. 24. tom. 1.*

Limita responsionem non habere locum, quando in Religione adesset constitutio, vel præceptum, vt licentia expressè peteretur, nam tunc non sufficeret tacita, quæ locum non habet, quando formaliter exigitur expressa; & hoc procedit maximè in Religionibus multum reformatis circa votum paupertatis, quia per huiusmodi licentiam præsumptam valde relaxatur votum paupertatis, vt docent *Ludouic. Lopez part. 1. c. 156. & l. 2. de contr. c. 40. Rodr. tom. 2 sum. c. 31. nu. 7. & ex illis Sanch. l. 7. c. 19. nu. 4. ad finem.*

Quæres 5. An taciturnitas superioris scientis, aut videntis religiosum aliquid recipientem, vel expendentem, neque contradicentis, æquipolleat licentiæ tacitæ?

28 Respond. Vtique, per Reg. 43. in 6. Qui tacet consentire videtur; sed consensus excusat à vitio proprietatis, ergo & taciturnitas. Confirmatur, quia consentire, & non contradicere paria sunt. *l. In adoptionibus ff. de adop. Barb. Vaz. lit. C. nu. 45.* Sed tacens non contradicit, ergo consentit. *Ita Rosella ver. Abbas num. 12. Angel. ver. Monasterium num. 2. Silu. ver. Religio 8. qu. 5. Tabien. ver. Monachus quæst. 14. num. 15. quos citat Sanchez. libro 7. cap. 19. num. 11. qui num. 12. cum Nau. tom. 2. com. 2. de Regul. numer. 22. Rodr. tom. 3. quæst. 19. art. 11.* distinguit de taciturnitate permissiua, qualis est illa, qua superior ex timore, aut verecundia tacet, aut quia loqui non potest, & in hoc casu, Religiosus non excusatur à vitio proprietatis, quia causa permissiuè non excusat à peccato; & approbatiua, qualis est ea, quæ secluso timore potest repugnare, & non repugnat, & in hoc sensu taciturnitas excusat, quia propriè est tacitus consensus superioris, quod ab aliquibus vocatur tolerantia cum *Coriolano casu 4. n. 5.*

Quæres 6. An consuetudo aliquid dandi, vel recipiendi, aut expendendi sine licentia superioris æquiualeat licentiæ tacitæ?

29 Respond. Consuetudo approbata in Religione, & non damnata à superiore, accipiendi, retinendi, & huiusmodi, sine expressa licentia prælati, excusat à vitio proprietatis, quia talis consuetudo æquipollet licentiæ tacitæ, neque talis vsus præsumitur aduersari voluntati superioris, cum illi non resistat. *Ita Sanch. l. 7. c. 19. n. 7. & ex eo Lezana c. 6. n. 56.* Negant quamplures apud *Sanch. & cum eis Graff. ad hunc casum nu. 42.* ducti ea ratione, quia nulla est consuetudo contra ius naturale diuinium, cuiusmodi est obligatio voti paupertatis nil proprij habendi. Sed non obstat, quia huiusmodi immediatè non repugnat voto, cum includat tacitum superioris consensum, quo mediante Religiosus potest habere vsum facti, ex probatis *q. 4. & 5.*

Quæres 7. An Religiosus aliquid retinere, vel expendere possit sub spe ratihabitionis habendæ à Prælato?

30 Respond. Potest, quia includit virtualem consensum superioris cum in spe approbet factum subditi. *Ita Lezana c. 6. n. 56. vbi citat. D. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 5. q. 4. Tolet. c. 28. de peccat. mortal. & alios apud Sanch. l. 7. c. 19. n. 13.*

Quæres 8. An excusetur Religiosus, qui inscio superiore recipit, retinet, aut expendit aliquid, sperans, quod Prælatus licentiam daret, si peteretur, quamuis illi displiceret modus sic disponendi?

31 Respond. Excusatur à peccato mortali, quia adest virtualis, & tacita licentia, quam præsumit Religiosus probabili certitudine in superiore bene affecto erga suum subditum, maxime quando subditus expertus est in se, vel in aliis superiorem solere esse facilem in huiusmodi licentia. Confirmatur à simili in materia furti, nam accipiens aliquid credens probabiliter dominum non fore inuitum quo ad rem sublatam, sed tantum quo ad modum accipiendi, excusatur à mortali, secundum *Rosellam ver. Furtum, Angel. numero 7. Silu. numero 1. Tabien. numero 1. Armil. numero 2. Nau cap. 17. numero 5. 6. Quarto, numero 138. & alij apud Sanch. libro 7. capitulo 19. numero 13.* dicentes hunc peccare solum venialiter in furto. *Ita docent Nau. tom. 2. com. 2. de Regul. numero 20. Rodr. tom. 3. quæstione 29. art. 10. concl. 7. & art. 11. in fine, Lessius libro 2. de iust. capitulo 41. dub. 9. numero 80. quos citat Sanchez eod. numero 13. & numero 14.* rem hanc facit multum dubium propter diuersas rationes, præcipue quia quando, valor actûs pendet a licentia, necesse est illam præcedere non subsequi, vnde ad hæc nihil prodest ratihabitio de futuro, vt patet in Sacramento pœnitentiæ, quod validè conficere non potest sacerdos sperans facultatem à superiore cum ratihabitatione. Sed hæc ratio euacuatur dicendo non esse necessariam huiusmodi licentiam actualem expressam, seu tacitam de præsenti, sed sufficere virtualem in se includentem aliquid actuale, nempe affectum bonum, quo mediante non dicatur inuitus superior quod ad dispositionem rei receptæ, retentæ, vel distractæ, licet illi displiceat modus disponendi. *Vide Sanch. cit. n. 13. 14. 15. subtiliter de hac re tractantem, & Dianam resol. 31. de paupert. relig.*

Quæres 9. An superior possit dare licentiam disponendi irreuocabilem, & perpetuam?

32 Respond. Nullus superior potest talem licentiam irreuocabilem concedere, quia hoc est facere Religiosum proprietarium. *Ita omnes cum Angel. ver. Abbas n. 17. Rosella n. 10. Silu. q. 3 n. 6. Nau. consil. 15. de statu mon. quamplures alios cit. Sanch. l. 7. c. 17. n. 28.* addentes, quod neque Papa ita facere potest, nisi eum à voto Paupertatis absoluat, *Lez. c. 6. n. 26.*

Quæres 10. An superior possit dare licentiam subdito suo retinendi aliqua ad suum vsum sub conditione non reuocandi intra designatum tempus?

33 Respond. Potest concedere talem licentiam, quia ex quo limitata est tempore non dicitur irreuocabilis, neque perpetua, sed ad tempus, quod non est contra votum Paupertatis, neque proprietatem infert, cum retinatur dependenter a voluntate superioris, qui non obstante conditionem non reuocandi, adhuc reuocare potest, quia per eam conditionem sibi non ademit potestatem, licet peccet reuocando ante tempus sine legitima causa, quia iure naturæ standum est promissioni. *Ita Silu. ver. Abbas quæst. 4. n. 7. Nau. consil. 14. de statu. mon. & ex illis Lezana c. 6. n. 16. in fine. Sanch. l. 7. c. 17. n. 32. 33. vbi cit. Silu. & alios* asserentes non peccare reuocando quia inter superiorem, & subditum nulla est naturalis obligatio, sed id falsum est, hoc ipso, quod præmittitur promissio.

Quæres 11. An licentia concessa ab vno superiore duret etiam sub alio, siue successore, siue superiore nouo loci, ad quem transmittitur?

34 Respond. Licentia facta absque limitatione temporis, durat etiam post finitum officium concedentis sub alio, modo non reuocetur expressè, vel tacitè, expressè quidem reuocando licentiam concessam, tacitè verò, si ibi sit, vel fiat de nouo ordinatio, vt omnes Religiosi faciant cartam expropriationis, seu inuentarium rerum, quas in cella vel alibi habent, tunc enim censetur reuocata prior licentia, consequenter occultans aliquid reus est voti paupertatis, eo quod aliquid retinet contra voluntatem sui superioris. *Ita docent Corduba capitulo 7. in Regulam quæstione 4. Mendoza in quodlibet quæstione 8. concl. 4. & ex eis Lezana cap. 6. nu. 17.* Quod licentia facta sine limitatione temporis viget post

pendenter dirigere debet, iuxta promissam obedientiam, Sanch. *libro 6. capit. 2. num. 7.* non enim habet velle, neque nolle, *cap. Non dicatis 11. 12. quæst. 1 cap. Si Religiosus 27. de elect. in 6 cap. fin. de testam. & sepult. in 6.* Superior enim fit dominus voluntatis Religiosi ratione voti sibi promissi, Rodriq. *tom. 1. quæst. 25. art. 6.* ergo est incapax proprietatis cuiusuis iuris, ius enim huiusmodi dat facultatem disponendi ad libitum, independenter ab eo, cuius res est, vt rem hanc benè explicat Molina *tom. 2. disput. 6. §. His non obstantibus*, quem citat Sanch. *libro 7. capit. 18. num. 7.* Confirmatur. Tum quia habere ius in aliqua re est posse disponere de illa ad suum libitum independenter à voluntate alterius, quo priuari non potest sine causa, *arg. Reg. 23. in 6. cap. 7. dist. 56. capit. 6. de eo, qui cognou.* Sed quod Religioso concessum fuit à superiore reuocari potest, nulla præcedente causa, aut culpa, modo non reuocet necessaria, ex Doctoribus *in cap. Insinuante, Qui cler.* Silu. *Religio 3. quæst. 8.* Beia *part. 4. casu 10. ad finem*, ergo omnis Religiosus caret quouis iure vtendi etiam necessariis. Tum quia Religiosus per solum vsum facti absque vllo iure, superiore concedente potest subuenire sibi in quibuscumque necessariis, & vtilibus, vt de se patet, & dicit Nicol. III. cit. vitam mortalium dictis iuribus carere posse, ergo frustra, & gratis illi conceditur vsus iuris. Ita ferè omnes sentiunt cum Nicol. III. *in cap. Exiit, de verb. signif. in 6. §. Nam cum in rebus temporalibus, & Clem V. in sua Clem. Exiui, de verb. signif.* in quibus locis licet sermo sit de solis Franciscanis primæ Regulæ, tamen id verissimum est, respectu omnium Regularium ex promissione voti paupertatis, quod excludit omne genus proprietatis, & iuris; & sic extendunt Nau. *tomo 2. comment. 5. de Regul. numero 13. comment. 2. eod. nu. 2. §. Pro resolutione*, Rodr. *tom. 3. quæst. 29. artic. 4. cum suo Compend. resolut. 110. num. 2.* Beia *part. 4. casu 17. §. Respondemus textum, & casu 32. §. Per quæ omnia*, Sanchez *libro 7. capit. 18. num. 7. 8. 25.* Lezana *capit. 6. de obligat. Regul. num. 3. Compend. resolut. 110. num. 5.*

22 Secundum, quod sint incapaces iure naturali, probatur ex promissione voti paupertatis, per quam Religiosus à se abdicat omne ius proprietatis, mediante spirituali promissione voti, quæ iure naturali diuino omninò seruanda est, ergo iure naturæ incapax est religiosus cuiusuis iuris, & proprietatis rei temporalis.

23 Tertium, quod iure Ecclesiastico prohibeatur eisdem proprium, constat *ex cap. Non dicatis 12. quæst. 1. cap. Monachi, cap. Super quodam, cap. Cum ad monasterium*, de statu monach. ibi. *Prohibemus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne quis Regularis proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet.* Nouissimè in Trident. *sess. 25. c. 2.* & Clem. VIII. pro reformat. Regul. vsque *ad n. 10.* refert Lezana *cap. 6. n. 6. 7. & 8.*

24 Quartum, quod sint indispensabiles ad habendum proprium, seu vsum iuris, apertè habent, *c. Cum ad monasterium, de statu monach. in fine*, ibi. *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ monachali, vt contra eam, nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ita rigorosè de Papa loquendo asserit Nauarr. *tom. 2. com. 2. de Regul. num. 17.* & ex eo Beia *part. 4. casu 32. §. Per quæ omnia*, & de superioribus Regularibus id expresse prohibetur etiam *sess. 25. cap. 2.* Ratio est, quia super votis solemnibus de substantia Religionis, cuiusmodi est tum paupertatis nullus superior Regularis dispensare potest, vt probaui *resol. 11. q. 41. Vide ibi de Papa dispensante.*

25 Quintum, de concessione vsus facti rerum, & pecunij quibus indigent, est certi iuris apud omnes Doctores cum citatis supra §. *Primum*, quamplures citat Barbosa *ad c. 2. sess. 25. n. 2.*

Quæres 3. Cum in præcedenti quæsito dictum, & resolutum fuerit Religiosum esse incapacem cuiuslibet iuris, dominij, vsusfructus, vsus, possessionis, & administrationis, hoc non videtur posse subsistere, quia de iure religiosi sunt capaces administrationis non solum per factum, sed etiam per ius, vt clare colligitur *ex cap. Monachi 2. §. Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum à Communione remoueatur altaris.* Ecce, quod religiosus potest habere ius administrationis, *& cap. Cum ad monasterium, de statu monach.* vbi vocatur obedientia, quæ illi perpetuo committenda non est, sed ad nutum superioris reuocabilis. Expressius in Trident. *sess. 25. c. 2.* ibi. *Administratio autem bonorum monasteriorum seu conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amouibiles, pertineat.* Igitur religiosi possunt habere ius administrationis, & sic non continetur sub ratione proprietatis.

Respond. Religiosi sunt capaces iuris administratio- 26
nis, vt patet in citatis locis, non tamen omnes, sed solum officiales, vt in dictis locis, & expressius in Trident. Ratio est, quia bona Religiosorum gubernari non possunt sine administratione commissa officialibus, ergo necesse est, quod sint capaces administrationis, neque hoc ius à se abdicauerunt per votum paupertatis, cum non dicatur ius proprietatis, sed officij tantum, quo religiosus officialis deputatus è superiore debet bona Monasterij administrare, & illorum curam habere, non nomine proprio, sed alieno, cum vices gerat superioris, & totius monasterij. Vnde administratio non est dominium, nec vsusfructus, vel vsus, sed ius disponendi de re aliena gratis, vel cum stipendio, seu honorario, Nauarr. *tom. 2. com. 1. de regul. num. 41. per Rub. ff. de admin. tut. ff. de admin. rer. ad ciuit. pertin. cap. Grandi, de suppl. neglig. prælat. in 6.* Sic sentiunt Nau. *tom. 2. com. 2. de regul. num. 11. & 15.* vbi §. *Sexto, sibi obiicit allatum textum. Trident. respondens*, §. *Ad sextum*, rationabili existente causa, posse superiorem particulari religioso non officiali concedere administrationem, Beia *part. 4. casu 17. §. Respondemus secundo.* Vide Barbosam *ad dictum textum à numero 18. ad 26.* Ita autem sunt amouibiles, vt tamen subsit causa, nam *in cap. Cum ad monasterium*, ibi *Cum oportuerit*, iuncta *gloss. ver. Amoueri*, quia canonicè electi remouentur ex leuibus causis, ergo debet subesse causa, verbum enim oportet importat necessitatem ex subiecta materia, Gloss. *in cap. 4. de sent. & re iudicat.* necessitas autem remotionis supponit causam, ergo nulla subsistente causa amouendus non est, nec obstat Trident. ibi. *Ad nutum superioris*, quæ superioris arbitriū insinuant nulla præcedente causa; quia cum Tridentinum nil de nouo statuat, sed ius antiquum renouet collapsum, limitantur ea verba iuxta quod dixi. Quod Concilium nil de nouo statuat infra probabo *sub q. 21.* Vide Barbosam *cit. n. 22.*

Hinc patet responsio ad rationem dubitandi in quæsito propositam, siquidem in præcedenti quæsito probaui Religiosum esse incapacem iuris administrationis in ordine ad se, & in suam vtilitatem, non verò quatenus officialis, & administrat in bonum aliorum, & monasterij, in quo consistit propriè ratio administrationis; de hac duplici administratione. Nauarr. *tom. 2. comment. 2. de Regul. numero 15. §. Secundo quod proprium.*

Quæres 4. Qualis licentia requiratur, vt Religiosus possit recipere, & retinere aliquid pro suis vsibus absque vitio proprietatis? Alia enim est licentia expressa, qua superior claris verbis concedit vsum rerum, & peculij. Alia præsumpta, seu tacita, qua prudenter iudicatur superiorem esse contentum, vt religiosus vtatur rebus conuenientibus suo statui.

Respond. Licentia expressa optima est, vt omnes 27
concedunt, non tamen est necessaria, sed sufficit tacita, & præsumpta, eo quod eadem sit virtus taciti, & & expressi, *l. Labeo ff. de pactis, l. Cum quid ff. si cert. pet.*

alia

alia iura citat Barbosa Vaz. lit. T. num. 3. Sententiam hanc docent *D. Bonau. in speculo discipl. ad nouit. part. 1. ca. 1. Rosella ver. Eleemosyna 2. num. 1. Ang. num. 6. quos aliosque citat. Sanch. l. 6. c. 19. n. 4. Rodr. tom. 2. q. 57. art. 2. Compend. resol. 510. n. 10. Nau c. 17. nu. 105. & tom. 2. Comment. 2. de Regul. n. 20. Cruz l. 1. de statu regul. c. 3. dub. 3. Lezana c. 6. n. 53. Megal. 1. 2. l. 2. c. 27. n. 62. Mirand. tom. 1. quæst. 28. art. 14.* Neque per Trident. *capitulo 2. sess. 25.* sublata fuit Graff. *hic n. 30. & consil. 8. de regul. nu. 23. 24. tom. 1.*

Limita responsionem non habere locum, quando in Religione adesset constitutio, vel præceptum, vt licentia expresse peteretur, nam tunc non sufficeret tacita, quæ locum non habet, quando formaliter exigitur expressa; & hoc procedit maximè in Religionibus multum reformatis circa votum paupertatis, quia per huiusmodi licentiam præsumptam valde relaxatur votum paupertatis, vt docent *Ludouic. Lopez part. 1. c. 156. & l. 2. de contr. c. 40. Rodr. tom. 2 sum. c. 31. nu. 7. & ex illis Sanch. l. 7. c. 19. nu. 4. ad finem.*

Quæres 5. An taciturnitas superioris scientis, aut videntis religiosum aliquid recipientem, vel expendentem, neque contradicentis, æquipolleat licentiæ tacitæ?

28 Respond. Vtique, per Reg. 43. in 6. Qui tacet consentire videtur; sed consensus excusat à vitio proprietatis, ergo & taciturnitas. Confirmatur, quia consentire, & non contradicere paria sunt. *l. In adoptionibus ff. de adop. Barb. Vaz lit. C. nu. 45.* Sed tacens non contradicit, ergo consentit. *Ita Rosella ver. Abbas num. 12. Angel. ver. Monasterium num. 2. Sila. ver. Religio 8. qu. 5. Tabien. ver. Monachus quæst. 14. num. 15. quos citat Sanchez libro 7. cap. 19. num. 11. qui num. 12. cum Nau. tom. 2. com. 2. de Regul. numer. 22. Rodr. tom. 3. quæst. 29. art. 11.* distinguit de taciturnitate permissiua, qualis est illa, qua superior ex timore, aut verecundia tacet, aut quia loqui non potest, & in hoc casu, Religiosus non excusatur à vitio proprietatis, quia causa permissiuè non excusat à peccato; & approbatiua, qualis est ea, quæ secluso timore potest repugnare, & non repugnat, & in hoc casu taciturnitas excusat, quia propriè est tacitus consensus superioris, quod ab aliquibus vocatur tolerantia cum *Coriolano casu 4. n. 5.*

Quæres 6. An consuetudo aliquid dandi, vel recipiendi, aut expendendi sine licentia superioris æquiualeat licentiæ tacitæ?

29 Respond. Consuetudo approbata in Religione, & non damnata à superiore, accipiendi, retinendi, & huiusmodi, sine expressa licentia prælati, excusat à vitio proprietatis, quia talis consuetudo æquipollet licentiæ tacitæ, neque talis vsus præsumitur aduersari voluntati superioris, cum illi non resistat. *Ita Sanch. l. 7. c. 19. n. 7. & ex eo Lezana c. 6. n. 56.* Negant quamplures apud *Sanch. & cum eis Graff. ad hunc casum nu. 42.* ducti ea ratione, quia nulla est consuetudo contra ius naturale diuinum, cuiusmodi est obligatio voti paupertatis nil proprij habendi. Sed non obstat, quia huiusmodi immediatè non repugnat voto, cum includat tacitum superioris consensum, quo mediante Religiosus potest habere vsum facti, ex probatis q. 4. & 5.

Quæres 7. An Religiosus aliquid retinere, vel expendere possit sub spe ratihabitionis habendæ à Prælato?

30 Respond. Potest, quia includit virtualem consensum superioris cum in spe approbet factum subditi. *Ita Lezana c. 6. n. 56. vbi citat. D. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 5. q. 4. Tolet. c. 28. de peccat. mortal. & alios apud Sanch. l. 7. c. 19. n. 13.*

Quæres 8. An excusetur Religiosus, qui inscio superiore recipit, retinet, aut expendit aliquid, sperans, quod Prælatus licentiam daret, si peteretur, quamuis illi displiceret modus sic disponendi?

31 Respond. Excusatur à peccato mortali, quia adest virtualis, & tacita licentia, quam præsumit Religiosus probabili certitudine in superiore bene affecto erga suum subditum, maxime quando subditus expertus est in se, vel in aliis superiorem solere esse facilem in huiusmodi licentia. Confirmatur à simili in materia furti, nam accipiens aliquid credens probabiliter dominum non fore inuitum quo ad rem sublatam, sed tantum quo ad modum accipiendi, excusatur à mortali, secundum *Rosellam ver. Furtum, Angel. numero 7. Silu. numero 1. Tabien. numero 1. Armil. numero 2. Nau cap. 17. numero 5. 8. Quarto, numero 138. & alij apud Sanch. libro 7. capitulo 19. numero 13.* dicentes hunc peccare solum venialiter in furto. *Ita docent Nau. tom. 2. com. 2. de Regul. numero 20. Rodr. tom. 3. quæstione 29. art. 10. concl. 7. & art. 11. in fine, Lessius libro 2. de iust. capitulo 41. dub. 9. numero 80. quos citat Sanchez eod. numero 13. & numero 14.* rem hanc facit multum dubium propter diuersas rationes, præcipue quia quando, valor actûs pendet à licentia, necesse est illam præcedere non subsequi, vnde ad hæc nihil prodest ratihabitio de futuro, vt patet in Sacramento pœnitentiæ, quod validè conficere non potest sacerdos sperans facultatem à superiore cum ratihabitatione. Sed hæc ratio euacuatur dicendo non esse necessariam huiusmodi licentiam actualem expressam, seu tacitam de præsenti, sed sufficere virtualem in se includentem aliquid actuale, nempe affectum bonum, quo mediante non dicatur inuitus superior quod ad dispositionem rei receptæ, retentæ, vel distractæ, licet illi displiceat modus disponendi. *Vide Sanch. cit. n. 13. 14. 15. subtiliter de hac re tractantem, & Dianam resol. 31. de paupert. relig.*

Quæres 9. An superior possit dare licentiam disponendi irreuocabilem, & perpetuam?

Respond. Nullus superior potest talem licentiam irreuocabilem concedere, quia hoc est facere Religiosum proprietarium. *Ita omnes cum Angel. ver. Abbas n. 17. Rosella n. 10. Silu. q. 3. n. 6. Nau. consil. 15. de statu mon. quamplures alios cit. Sanch. l. 7. c. 17. n. 28.* addentes, quod neque Papa ita facere potest, nisi eum à voto Paupertatis absoluat, *Lez. c. 6. n. 26.* 32

Quæres 10. An superior possit dare licentiam subdito suo retinendi aliqua ad suum vsum sub conditione non reuocandi intra designatum tempus?

Respond. Potest concedere talem licentiam, quia ex quo limitata est tempore non dicitur irreuocabilis, 33 neque perpetua, sed ad tempus, quod non est contra votum Paupertatis, neque proprietatem infert, cum reseruatur dependentem à voluntate superioris, qui non obstante conditionem non reuocandi, adhuc reuocare potest, quia per eam conditionem sibi non ademit potestatem, licet peccet reuocando ante tempus sine legitima causa, quia iure naturæ standum est promissioni. *Ita Silu. ver. Abbas quæst. 4. n. 7. Nau. consil. 14. de statu. mon. & ex illis Lezana c. 6. n. 16. in fine. Sanch. l. 7. c. 17. n. 32. 33. vbi cit. Silu. & alios* asserentes non peccare reuocando quia inter superiorem, & subditum nulla est naturalis obligatio, sed id falsum est, hoc ipso, quod præmittitur promissio.

Quæres 11. An licentia concessa ab vno superiore duret etiam sub alio, siue successore, siue superiore noui loci, ad quem transmittitur?

Respond. Licentia facta absque limitatione temporis, durat etiam post finitum officium concedentis sub 34 alio, modo non reuocetur expresse, vel tacitè, expressè quidem reuocando licentiam concessam, tacitè verò, si ibi sit, vel fiat de nouo ordinatio, vt omnes Religiosi faciant cartam expropriationis, seu inuentarium rerum, quas in cella vel alibi habent, tunc enim censetur reuocata prior licentia, consequenter occultans aliquid reus est voti paupertatis, eo quod aliquid retinet contra voluntatem sui superioris. *Ita docent Corduba capitulo 7. in Regulam quæstione 4. Mendoza in quodlibet quæstione 8. concl. 4. & ex eis Lezana cap. 6. nu. 17.* Quod licentia facta sine limitatione temporis viget post

mortem, vel amotionem ab officio, patet ex eo, quod est gratia simpliciter facta, quæ non expirat concedente amoto ab officio, *cap. Si super gratia 9. de off. deleg. in 6. cap. Si cui 36. de prabend. in 6.* & licet ibi sermo sit de morte, tamen extenditur etiam ad mortem ciuilem, per quamcumque remotionem Gloss. *ver. Mortuo pralato cap. Vn. Ne sede vac. in 6.* Deinde, successor reputatur vnica persona cum suo prædecessore, Gloss. *ver. Contra cap. Dilecti, de foro compet.* Demum, quod resistente nouo superiore sit proprietarius probatur in sequenti quæsito de occultante. Vide Sanch. *lib. 7. c. 22. num. 25.*

Quæres 12. An religiosus occultans aliquid nouo superiori, super quod habebat licentiam à priore superiore, sit proprietarius?

35 Respond. Est proprietarius, quia retinet aliquid contra voluntatem superioris. Ita sentiunt Graff. *part. 1. lib. 3. cap. 5. n. 48. D. Anton. part. 3. tit. 16. c. 11.* & ex illis Lezana *c. 6. n. 17. Silu. ver. Religio 6. q. 7.* Intellige, si nouus superior requisiuit.

Quæres 13. Ad quémnam superiórem spectet dare huiusmodi licentiam recipiendi, retinendi, aut expendendi rem aliquam ad proprium vsum?

36 Respond. Sanch. *lib. 7. cap. 19. num. 39.* spectare ad superiorem immediatum conuentus, eo quod ipse immediatè habet administrationem omnium bonorum conuentus. Affert autem tres limitationes. Prima est Graff. *part. 2. decis. lib. 3. cap. 19. num. 53.* asserentis hanc licentiam dare ad superiorem Generalem spectare, si in eius manibus, vel alterius nomine professionem fecit; sed id non vrget, quia ferè in omnibus religionibus nouitij ad professionem assumuntur de licentia Prouincialis, aut Generalis, vt de iure speciali *cap. 9.* ordinatur in mea religione, & cum votum promittatur superioribus indistinctè pro tempore existentibus, sufficit si licentia habeatur ab vno ex illis, modo non sit speciale statutum, vt res disponatur de licentia superioris maioris, vel ab eo petatur expropriatio, tunc enim nil illi occultandum est. Secunda limitatio est, quod superior loci non potest facere hanc licentiam religioso hospiti, cum eius superior non dicatur, vt in religione Dominicana ait Ludouicus Lopez *part. 1. Instr. consc. cap. 156.* seruari in sua religione, Sanch. tamen asserit, hoc non procedere, vbi religio subjicit hospitem vti proprium subditum Prælato in cuius conuentu reperitur. Et de facto rationabilis in omnibus religionibus hospites videntur subjici superioribus localibus, nam extra domum non exeunt sine licentia superioris, & ad communem mensam accedunt, celebrant, & etiam ad chorum solent accedere more aliorum degentium de familia, & ita seruatur in mea Religione. Tertia limitatio est Cordubæ Lopez P. Nauarræ asserentium Prælatum immediatè posse concedere facultatem expendendi decem, & non vltra, quod amplius spectat ad Prouincialē; sed Sanch. ibidem *n. 42.* asserit hoc relinqui arbitrio prudentis superioris.

Quæres 14. In mea religione, instante periculo mortis, superior monasterij mandat & exigit ab ægrotante schedulam expropriationis faciendam per manum ipsius superioris, vel alterius etiam ad placitum ægrotantis. An infirmus de consensu scribentis consentiente superiore conuentus possit præterire in schedula aliquam pecuniæ summam, ad effectum ne aliquis superior ex maioribus, vti Prouincialis, aut Generalis applicet sibi, vel extraneo conuentui talem pecuniam, vel quid simile remansurum in manibus sui superioris actualis pro beneficio conuentus vbi potest, seu vbi infirmus est filius?

37 Respond. Potest præterire absque vitio proprietatis, modo illud peculium innotescat illi conuētui vbi est filius. Probatur, quia de rebus ad suum vsum concessis disponit expropriationis schedulam ad mentem superioris sui, ergo nihil retinet, neque occultat contra eius voluntatem cui propriam hic, & nunc subiicit, supposito quod non resistat huic occultationi, nam si præcipiat, vt omnia pœnitus faciat inserere in schedula, nihil potest occultare, Dixi, *modo illud peculium innotescat illi conuentui, vbi est filius*, nam spectat ad eum conuentum *ex capit. Regula*, illis verbis. *Bona autem è vita decedentium si qua habere contigerit, illi Cœnobio acquirantur, in quo eos professionem emisisse constiterit, nisi aliud de bonis eorum Generalis Minister cum Discretorum consilio duxerit statuendum.* Hoc autem statutum desumptum fuit ex constit. *Iniunctum nobis.* Eugen. IV. pro existentibus in Regnis Legionis, & Castellæ, factum à religiosis ibi degentibus, & ab illo confirmatum. Necesse igitur est, quod huiusmodi præteritio innotescat conuentui, cuius est filius, vt effugiat peccatum damni inferendi, licet excusatem à vitio proprietatis, cum non occultet contra voluntatem sui superioris. Contingere autem quandoque potest, vt religiosus parum, aut fere nunquam inseruierit proprio conuentui, sed alteri, ideo si ibi acquisiuit aliquod peculium, tuta conscientia illud ibidem relinquere potest, quia vbi incommodum dedit, ibi emolumentum relinquere debet, sic iure naturali suadente, cui cedit ius positiuum. Neque obstat occultatio facta Generali, qui aliter disponere potest de bonis decedentium, quia cum non declaratur à Regula in cuiusnam commodum bona decedentium disponenda sint à Generali cum consilio Discretorum, & cum agatur de præiudicio paterni conuentus, ad quem de iure spectant, & soleant Generales applicare aliis conuentibus, forsan non ita indigentibus, videtur infirmus naturali ratione dictante habere ius cum suo superiore immediato occultandi tale peculium superiori maiori, vt remaneat ad vtilitatē proprij cōuentus.

Suboriuntur autem hic duo dubia; alterum, quomodo quis constituatur filius alicuius conuentus, nam aliàs retro ab anno 1614. nullum statutum extabat de huiusmodi filiatione, deinceps postea introducta fuit à Reuer. Sanctoro Pecorella suffecto Vicario Apostolico die 5. Maij 1614 à Paulo V. loco præmortui Generalis Ioannis Baptistæ Prouenzani dum vixit Generalis, & reuera nunc est in viridi obseruantia, vt nullus induatur habitu probationis, vel saltem professionis, nisi prius acceptetur in filium alicuius determinati conuentus. Alterum est, quod veniat nomine Discretorum, cum quorum consilio potest Generalis disponere de bonis decedentium? 38

Primò respondetur, ante illud tempus, religiosum censeri filium eius conuentus loci vbi habitabat, vel vestiebatur habito religionis, nam ab illis religiosis professis de iure regulæ acceptatur primo ad religionem *c. 8.* vel ex æquitate dicitur filius illius conuentus, vbi ferè perpetuo mansit, & inseruiuit, licet alibi acceptatus, vel indutus fuerit. 39

Secundò, nomine Discretorum, persistendo in vocabulo iuxta vsum Regulæ *c. 1. 2. 3. & 4.* veniunt illi Patres, 40 qui dicuntur Socij Patrum Prouincialium eorum secretarij, & scribæ in visitationibus, Congregationibus, & aliis negotiis, quorum munus est redigere in scriptum acta publica, & licet in singulis Prouinciis vnicus sit Discretus, loquitur tamen numero multitudinis, sumendo plurale non copulatiuè, quasi plures debeant concurrere ad hoc negotium consulendum de bonis decedentium, seu distributiuè, ita quod vnusquisque distribuatur, & consilium dat in sua prouincia. Sed reuera res ita se habere non potest, cum nomine Discretorum veniant Patres, qui cum Priore locali solent tractare negotia conuentus, quod suadetur. Tum quia iure communi ad alienanda quæcumque bona requiritur consensus eius capituli cum superiore, *cap. Sine exceptione 52. 12. quæst. 2.* aliis citatis à Diana *resolut. 87. de Regul.* Tum quia tangitur de interesse eorum, ergo sine illis nil agendum. Tum quia istis magis notus est status Conuentus, expediat necne alienatio. Quod patet à simili de his Patribus Discretis dictis apud alios religio-

ios,

sos, Mirand. *tom. 2. quæst. 22. art. 1.* Facit etiam, quod respondit S. C. illa verba. *Liceat Episcopis cum consensu capituli.* Intelligenda esse de consensu Capituli illius Ecclesiæ, in qua fit reductio præbendarum 4. Decemb. 1592. in vna Mediol. apud Fatin. *decis.* 46. ita dicendum est in dispositione horum bonorum, vt cum Generali concurrant Discreti conuentus, & non Prouinciales, neque Generales. Res autem alienanda non est, quando proprium monasterium detinetur debitis, fabrica, paupertate, vel quando Generalis vult applicare ditiori, aut sibi, quod nequaquam potest. Aliter superior cum suis Discretis semper habet ius reclamandi, cum ex iustitia sui conuentus iura tueri teneatur, cum in eo resideat tota potestas, & administratio bonorum, *c. Nullam* 9. 18. *q. 2.* Nau. *tom. 2. com. 3. de regul. n. 5. & 6.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 26.* & ex eis Lezana *cap. 18. num. 13.*

Neque autem sufficit requirere horum Patrum, sed præterea sequendum est, aliter gestum nullius est roboris, & Generalis tenetur de damno illato, siquidem illa Reg. Nullus ex consilio, dummodo non sit fraudulentum, obligatur 62. in 6. locum non habet, quando simul cum consilio datur facultas, vt docent *Silu. 11. Concilium quæst. 4. Tabien. q. 6. Angel. num. 3. Sa ver. Lex num. 13. quos citat Bonac. part. 7. de legib. §. 5. num. 17. §. obserua; sed ibidem cap. cit.* 16. Regulæ datur facultas Generali disponendi, ergò necessario debet sequi, & stare consilio discretorum, cum Regula sit super Generalem, immo & ipsum Capitulum Generale, vt colligitur *ex cap. 28.*

Quæres 14. An licentia data pro vno vsu extendi possit ad alios? nimirum data pro receptione, aut retentione, extendi possit ad distrahendum rem acceptam? Item pecunia data pro emendis libris adhiberi possit pro soluendis debitis, vel emendis calceis, &c.

41 Respond. Non potest extendi, sed iuxta tenorem verborum seruanda est attenta mente concedentis, & consuetudine religionis, limitata enim causa, limitatum producit effectum, ex vulgatis iuribus; & quia aliter præiudicatur voto paupertatis, & relaxatur disciplina Regularis. *Ita Sanch. lib. 7. c. 19. num. 6. citans Nau. tom 2. com. 2. de regul. num.* 40. asserentem, licentiam religioso concessam conuertendi acquisita in proprios vsus, non extendi ad acquisita iure successionis, aut donationis, sed tantum opera, arte, & industria.

Quæres 15. An licentia obtenta dolo, metu, fauoribus, aut precibus importunis excuset impetrantem à vitio proprietatis?

42 Respond. Non excusat, quando prædicta superiorem ita reddunt nolentem, vt contra suam voluntatem, illam concedat, ægrè ferendo Religiosum ita agentem, quia tunc Religiosus independenter à superiore, immo contra eius voluntatem accipit, retinet, aut distrahit, vel contrahit, quod est disponere ad libitum suum, ac proinde esse proprietarium. Quod si concedat non multum ægrè ferendo, sed semivoluntarius, excusatur à vitio proprietatis, quia disponit aliquo modo dependenter à voluntate superioris, & licentia aliquid operatur, siquidem licentia coacta in iis, quæ non requirunt omnimodam libertatem, cuiusmodi est licentia est, Gloss. *ver. Licentia cap. Notificasti* 2. 33. *q. 5.* Vide Sanch. *lib. 7. c. 19. n. 16.* de precibus valde importunis erga Superiorem se habentem omnino inuoluntarie, & n. 17. loquendo de dolo, vt quando religiosus fingit rationes, vt sibi aliquid concedatur, Nau. *tom. 2. com. 2. numero 21. Corol. 7. Lezana capite sexto, numero quinquagesimo sexto.*

Quæres 16. An habens superflua, & pretiosa de licentia sui Prælati excusetur à vitio proprietatis? Superflua autem dicuntur, quæ non sunt necessaria personæ, neque condecentia statui Religiosi, Pretiosa sunt vasa aurea, argentea cochlearia, horologia, gemmæ, annuli, picturæ, vestes sericæ, vel alterius rei, sed ornatæ, tapetes, &c. quæ videntur de genere superfluorum, cum sine his Religiosus decentem vitam suo statui ducere potest.

Respond. Excusatur, quia retinet dependenter à voluntate superioris, ad cuius nutum est paratus resignare: Ita Silu. *ver. Religio 6. quæst. 7. in fine*, Graff. *part. 2. lib 3. cap. 18. num. 30. & part. 1. lib. 5. cap. 5. num. 48. & 61.* & super hunc casum *num.* 36. vbi dicit vtrumque peccare mortaliter ex auaritia, non tamen esse proprietarium ego excusarem à mortali, quia defectus non est circa substantiam rei, sed modum, & circumstantiam, illos sequitur Lessius *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 79. vers. 11.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 12. quæst.* quos contra se citat Sanch. *lib. 7. cap. 19. num. 20.* Mirand. *tom. 1. q. 28. art. 15. concl. 1.* 43

Opinio contraria asserit habentem superflua multum peccare mortaliter vitio proprietatis, quam sequuntur Nau. *tom. 2. com. 2. de regul. num. 21.* Maior *in 4. dist. 18. quæst. 9.* cum aliis pro se citatis à Sanch. *lib. 7. c. 19. num. 21.* vbi id probat I. quia Superior non est dominus, sed tantum administrator bonorum monasterij, ergo concedere non potest superflua, cum ius non tribuat illi hanc facultatem, eo quod est illicita. II. Id damnatur expresse in Trident. *sess. 25. cap. 2.* illis verbis. *Mobilium vero vsum ita Superiores permittent, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium eis denegetur.* Clem. VIII. *in constitut. Reformat. num. 8.* idem prohibuit eisdem verbis, *& num. 7.* præcedenti voluit nullam quorumcumque Superiorum dispensationem, seu licentiam quantum ad bona immobilia vel mobilia suffragari, quo minus culpæ & pœnæ Tridentini obnoxij sint. Vnde Sacra Congregatio ad quatuor quæsita de huiusmodi superfluis respondit. Ad primum, An ex dispensatione superiorum liceat possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliáque bona immobilia, & mobilia superflua, non obstante Tridentino? Censuit non licere. Ad secundum, An per talem dispensationem, seu licentiam exensentur à culpa pœnæ? Censuit negatiuè. Ad tertium, An credendum sit Superioribus dicentibus se posse dare talem licentiam? Censuit negatiuè. Ad quartum? An superiori arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares, quo ad mobilium superfluitatem, vel conuenientiam? Censuit, nisi de excessu arbitrij constiterit, vtique standum, habita ratione personæ, officij, & Regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt, & cæterarum itidem qualitatum. Hæc habes apud *Quar. ver. casus reseru.* ad nostrum casum, apud Bartoluc. *in speculo Regul. lib. 1. de voto paupert. num. 54. pag. 123.* apud Lezanam *cap. 6. num. 14.* Ex quibus clarè constat superiores non posse concedere huiusmodi superflua, proinde subditos non excusari à pœna, & culpa. 44

His tamen non obstantibus censeo nostram responsionem adhuc subsistere respectu earum Religionum, quæ non sunt reformatæ iuxta rigorosam vitæ paupertatem, quæ seruatur inter Zocolantes, Capucinos, Discalceatos, Iesuitas, Barnabitas, & eius generis, à quo excludantur Dominicani, Franciscani Conuentuales, Tertiarij, Seruitæ, Augustiniani, Carmelitæ, &c. Hi enim de licentia superioris sui possunt habere superflua, & pretiosa, eo quod id non sit contra substantiam voti paupertatis, sed tantum contra accidentalia eius, in quibus possunt superiores dispensare, cum non sit dispensare in proprio neque proprium permittere, sed accidentia voti relaxare. Nec obstat ratio Sanchez quod ad punctum superfluitatis, quia superior sicut potest administrare superflua pro toto conuentu in communi, ita & concedere in particulari hanc superfluitatem, Ad authoritatem Tridentini, Clementis, & Congregationis constabit infra *quæst.* 21. Restringi ad Religiones reformatas. 45

Quæres 17. An licentia expendendi in vsus illicitos, & turpes excuset à vitio proprietatis, & ab obligatione restituendi?

46 Respond. Religiosus expendens de licentia expressa in vsus illicitos peccat quidem mortaliter, non tamen contra votum paupertatis, nec tenetur ad restitutionem. Illud suadetur, quia abutitur re in profanos vsus, qui multum dedecent Religiosum; & quia res, & bona religiosorum sunt patrimonium Dei, quarum dispensatores sunt Religiosi, ergo malè expendentes grauem iniuriam inferunt Christo; & quia beneficiarios expendens superfluos fructus in profanos, & turpes vsus peccat mortaliter, Trident. *cap.1. sess.25.* vt docet aliis citatis Bonacin. *de obligat. benefic. disput.4. p.2. num.9.* ergo multo magis religiosus. Quod non sit peccatum proprietatis, quia non expendit independenter à voluntate superioris, ex opinione, Bannez Lopez Rebellij, Suarez quos citat Diana *resolut.65. de regular. §.Nota 3. & 98.* dicentium; quod neque teneatur ad restitutionem; quod probatur, quia nullius iustitiam læsit, neque alienam rem absumpsit inuito domino, siquidem, licet superior non sit propriè verus dominus, sed dominium resideat apud totum monasterium, tamen superior habet ministerium huius dominij, quod sufficit, vt peccatum non sit contra iustitiam præcisè acceptam ad restitutionem obligantem; nec obstat quod superior debeat esse fidelis dispensator, quia id arguit peccatum non iniustitiæ, sed infidelis tantum administrationis; neque licentia quantumuis illicita, non desinit esse licentia, in ordine ad excusandum à vitio proprietatis, licet desinat esse talis in ordine ad fidelem dispensationem; licentia ergo hæc quamuis sit illicita, ac proinde non excuset à peccato infidelis administrationis, excusat tamen à peccato iniustitiæ, & à pœna restitutionis, & proprietatis, *arg. Gloss.1. cap.Si qua 29.27. quæst.2. gloss. ver. Licentiam, cap.3. dist.45. cap.fin. dist.4. cap.2.25. quæst.1. cap.2. 21. quæst.2.* Confirmatur à simili de beneficiario expendente fructus superfluos in profanos vsus, ad quorum restitutionem non tenetur ex Couarr. *in cap. Cum in officiis, de testam. num.3.* Soto *lib..... quæst.4. art.3.* Lessio *lib.2. c.4. num.43.* *Regin. lib.30. n.83.* aliis, cum Bonac. *disp.4. Var. Tract. p.4. de oblig. benef. n.1.*

Dixi, *de licentia expressa*, quia licentia tacita in his non præsumitur, cum nemo præsumatur malus, & velle aliis præbere occasionem peccandi.

Contra nostram responsionem est maior pars Docto-
47 rum, quos sequitur Sanch. *lib.7. cap.19. à num.20. ad 31.* asserentium hoc esse peccatum mortale proprietatis, & iniustitiæ, ita quod accipiens pro vsu vano, aut turpi teneatur ad restitutionem, ex eodem Sanch. *n.30.* eo quod Superior non sit dominus, ac proinde licentia sit nulla, & dominus censeatur inuitus. Sed iam respondi superiorem secundum quid esse dominum, scilicet administrationis, consequenter licentiam tenere, si non quoad excusandum à peccato; quia est illicita, saltem quoad excusandum à pœna, & iniustitia, cum aliud sit esse illicitum, aliud iniustum, quod nimirum fit contra voluntatem domini, vel quasi domini, ergo Religiosus habens expressam licentiam expendendi etiam in vsus turpes non peccat contra iustitiam, sed tantum contra honestatem, & fidelitatem administrationis. Confirmatur, quia superior non est simplex administrator, sed quasi dominus administrator, cum nomine monasterij administret, quod est verus dominus.

Quæres 18. An Religiosi de licentiâ suorum superiorum possint habere annuos census, prouentus, & expendere in licitos vsus acquisita in prædicatione, lectione, confessione, & aliis mediis licitis? Non obstante Tridentino *c.2. sess.25.* prohibente concessionem stabilium, inter quæ computantur census.

Respond. Possunt habere, & Superiores concedere
48 ad nutum reuocabilia; suadetur. Tum iure communi *cap.fin. Qui cler.* vbi indulgetur, vt quædam mulier post professionem religionis maneat in domo sua cum omni substantia quoad vsum, vnde Gloss. *in cap. Cum inter.1. de elect.* dicit, quod non est contra substantiam Monachatus 1. contra votum paupertatis, vt Religiosus de certis redditibus viuat, cum hoc possit Superior concedere. Tum quia licet Religioso possidere quæcumque bona suo statui conuenientia accedente licentia sui superioris, modo ea non retineat, vt propria, sed ad nutum superioris reuocabilia, *ex cap. Ioannes de Regul. cap. Monachi, cap. Cum ad Monasterium, de statu monach.* Ita docet Nauarr. *tom.2. com.2. de Regul. num.14. com.3. num.17.* Azor. *tom.1. libro 12. capit.9. quæstione 2.* Cord. *quæst.54.* & ex eis Lezana *cap.6. num.18. qui tamen num.19.* asserit id non procedere post Tridentinum prohibens huiusmodi concessionem annuorum redditaum. Sed Tridentinum habet locum posita reformatione, vt dicam infra *sub quæst.21.* aut intelligitur prohibitio de concessione stabilium in vtilitatem totius communitatis, quæ non debent committi nisi officialibus, nobiscum sentiunt Sanch. *lib.7. cap.22. num.14.* Graff. *part.1. lib.3. cap.5. num 53. & 55. sibi contrarius in casu præsenti num.44.* Mirand. *tom.1. quæst.28. art.7.* alios plures citat pro se Diana *resolut.32. de paupert. relig.* Beia *part.4. casu 17. §.Respond.*

Quæres 19. An Religiosus occultans, vel obediens superioribus prohibentibus vsum vestium vanatum ob ornatum secularem sit proprietarius?

Respond. Non est proprietarius, quia per hanc su- 49
perioris prohibitionem subditus non dicitur retinere rem contra eius voluntatem regulantem votum paupertatis, sed inducentem honestatem, & patrimonium in vestibus, & temperantiam in indumentis, & ornatis. Confirmatur, quia huiusmodi prohibitiones non fiunt in ordine ad reformationem voti paupertatis, aut ad effugandam proprietatem, sed ornatum non conuenientem statui Religioso. Vnde Coriolanus ad hunc casum *num.6.* & Bartoluc. *de voto paupert. num.20.* distinguunt, rem posse occultari superiori dupliciter. I. ne reprehendatur, in quo sensu occultans non est proprietarius. II. ne illo ornatu priuetur, & sic dicunt esse proprietarium.

Quæres 20. An Religiosus habens pensionem ex indulto Apostolico possit eam expendere in licitos vsus sine licentia sui superioris, immo contra eius voluntatem?

Respond. Potest, quia per tale indultum censetur 50
in huius retentione, & dispositione immediatè subiectus Papæ. Ita docent Graff. *part.1. lib.3. cap.5. num.42. & 52.* Beia *part.4. casu 32. initio,* Lezana *cap.6. n.26.* asserit recipientem aliquid à Papa teneri illud manifestare suo superiori, quia semper credendum est Pontificem velle seruari iura Ordinis, nisi cōstet ipsum concedere illa solum dependenter à se; vt ego putarem in concessione pensionis, qui in hoc sibi subijcit Religiosum ob aliqua eius merita, quæ non demererentur reuocationem ad nutum Superioris Regularis.

Quæres 21. An Concilium Tridentinum *sess.25. cap.2.* super reformatione voti Paupertatis, dum prohibet Religiosis annuos census, seu aliam rem immobilem, aut mobilia superflua etiam dependenter à voluntate superioris, condat ius nouum, ita quod huiusmodi licentiæ nostris temporibus concedi non possint? Verba autem sunt ista. *Nemini igitur Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam nomine conuentus possidere, vel tenere sed statim ea superiori tradantur, conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsufructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu Conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amouibiles pertineat. Mobilium verò vsum ita superiores permittent, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur.* Hoc decretū cōfirmauit fere ad verbū Clem. VIII. in suis const. *n.3.* præcipiendo vt non solù incorporētur,

acquisita

acquisita conuentui, sed etiam *cum caeteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac prouentibus confundantur. & nu. 7.* negat licentiam dare posse à superioribus excusantem à culpa, & poena proprietarij; & ita demum declarauit Sacra Congregatio respondendo superiores Regulares non posse declarare, neque interpretari hoc secundum caput Tridentini. Triplex est responsio.

51 Resp. I. Hoc caput non continet ius nouum, sed est confirmatiuum, & declaratiuum, iuris antiqui, quod Religioso professo non negabat posse de licentia sui superioris possidere stabilia ad proprios vsus, & multo magis mobilia indistinctè, siue necessaria, siue etiam superflua, cum in iuribus citandis nulla fiat distinctio necessarij, aut superflui, ideo neque nos distinguere debemus, ex vulgatis iuribus. Quod iure antiquo concedantur stabilia, annui redditus, & huiusmodi non tanquam propria, vt negat vtrumque ius tam nouum, quàm vetus, sed ad vsum tacti colligitur *ex cap. fin. Qui cler. vel vou. iuncta glos. ver. Vt in domo propria. cap. Monachi, cap. Cum ad monasterium de statu mon.* vt docent Doctores à me citati *sub quaest. 18. & à Lezana cap. 6. num.* 18. Igitur cum hoc Decretum Tridentini ius nouum non ponat, sed antiquum declaret, poterant Religiosi possidere non solum mobilia, sed etiam stabilia, non tamquam propria, quod praecise solum hic prohibetur, sed vt suis necessitatibus succurrant. Et ratio id suadet, quia expedit iura iuribus concordare, *cap. Cum expediat de elect. in 6.* neque enim à iure antiquo est recedendum, nisi quatenus cogit nouum. *l. fin. C. de appellat.* ius autem nouum non cogit, quia non continet nouam dipositionem, sed antiquam declarat, nimirum, vt superiores non concedant huiusmodi stabilla, nisi ex legitima causa. Ita docent non concedere ius nouum *Nau. tom. 2. com. 2. de regul. num. 15. P. Nau. lib. 3. de restit. cap. 1. num. 189. Rodr. tom. 2. quaest. 125. art. 4. in fine, quos pro se citat. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 27. num. 59. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 53. Beia part. 4. casu 17. §. Respondemus Concil. Sanch. lib. 7. ca. 22. num. 11. alios citans Diana Resol. 32. de pauper. Religiosa, contra quamplures à se citatos, quos sequitur Lezana cap. 6. num. 19.* asserentes condere ius nouum. Sed stemus priori sententiae, quae iura concordat, & insinuat id licitum fuisse tunc, & cur non hisce nostris temporibus; si tot sancti floruerunt in Dominicana, & Franciscana, & aliis Religionibus, cum vsu talium rerum sibi concesso à suis Praelatis iuxta ius antiquum, & quare nos florescere non possumus?

52 Respond. II. Prohibetur peculium stabilium, & mobilium, quod aliàs superiores concedebant Religiosis cum facultate disponendi pro suo libito in quoscumque vsus etiam profanos, & turpes, ac si essent eius domini, & proprietarij. *Beia part. 4. casu 32. §. Per quae, vbi citat Nau.*

53 Respond. III. Rodr. part. 2. ca. 33. concl. 3. praedictum caput Concilij non habere locum nisi postquam Superiores de facto reformauerint suas religiones, aliter omissa reformatione standum est iuri antiquo. Est bona responsio, quae confirmatur, quia illa dictio, *Igitur*, cum sit nota illationis, insinuat praesentis capitis intelligentiam pendere ex cognitione prioris, vt colligere est, ex iis, quae notat *Ioannes Andr. in princip. c. Damnamus, de sum. Triu. super dictionem, Ergo.* Sed Tridentium in priori capite mandat regularibus omnibus, & Superioribus, vt in suis Capitulis, & visitationibus reforment sua monasteria ad praescriptum Regulae, quam professi sunt, ergo in ordine ad reformationem intelligenda sunt illata secundo capite; quod suadetur, Tum quia verba intelligenda sunt non secundum quod sonat, sed iuxta subiectam materiam *Bart. in l. Si vno ff. Locat. tex. in l. Si stipulatus ff. de vsur. cum Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 3. num. 7. Sanch. lib. 6. disp. 22. num.* 18. vnde & verba generalia restringenda sunt ad rationem, & causam, qua fuerunt prolata. *l. Non est nouum ff. de legib. l. Heres meus, §. 1. ff. de legat. 1.* sed in ea sess. 25. initium auspicatur à reformatione, in ordine ad quam postea in sequentibus capitibus dat modum exequendi, & seruandi talem reformationem Tum quia vna pars aliam declarat. *Si seruus §. fin. l. Qui filiabus, ff. de legat. 1.* & verba intelligenda sunt secundum ea, quae praecedunt, vel sequuntur, vt docent Menoch. *consil. 496. n. 54.* Surd. *consil. 431. n. 12.* ergo secundum caput hoc declaratur per primum, nimirum, habere locum, positâ reformatione.

Ad rationes dubitandi propositas in quaesito, dico cũ ibi allata ex Clem. VIII. & Sacra Congregatione, sint declaratiua, & confirmatiua Decreti Concilij non plus obligare, quam ipsum Tridentinum. Dici etiam post constitutiones Clem. VIII. de Reformatione professorum acceptas non fuisse in multis praesertim in materia accidentium Paupertatis apud non reformatos, neque proinde obstare innouationem sequentium Summorum Pontificum, quia innouatio intelligitur facta respectu Reformatorum, & ea parte, qua alij huiusmodi constitutiones acceptarunt, praeterquam quod dici potest, illarum confirmationem esse in forma communi, quae de non acceptatis non tribuit obligationem nouam, sed confirmatum relinquit in suo statu. 54

Ad declarationes Congregationis dicendum est, eas regulari secundum illam triplicem responsionem ad quaesitum, siquidem cum sint factae super dictum caput, non plus obligant, quàm ipsum caput. Deinde sunt opiniones, quae nullam vim habent obligandi, vt in re hac asserit *Diana resolut. 32. de paup. relig. §. Restat, citando Sanch. lib. 8. disput. 2. num. 10. P. Ledesma tom. 1. de Sacra. poenit. c. 13. diff. 1. Bonac. q. 1. de legib. p. 4. Villalobos tract. 2. diff. 7. nu. 5. Valerum ver. Absolutio diff. 1. num. 20.* 55

Dictum de incorporatione, & confusione peculij cum caeteris rebus communitatis, vel intelligitur supposita reformatione, vel dic illam sufficienter fieri per simplicem licentiam Superioris, & eius declarationem decernentis huiusmodi bona assignata particularibus professis esse incorporata monasterio; neque enim in his incorporandis necessaria est corporalis apprehensio, vt monasterium acquirat dominium, vt ex. *l. Inter diuinum C. de Sacros. Eccl. Couar. libro secundo var. resolut. capitulo 19. docet Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 27. n. 60. & 61.* dominium bonorum Ecclesiarum conuentuum, locorum piorum, ciuitatum acquiri sine corporali apprehensione. 56

Quaeres 22. An illis conuentibus non Reformatis, & pauperibus, vbi Religiosis non subuenitur iuxta indigentiam personae, & status, vel ob paupertatem conuentus, vel ob negligentiam, aut malitiam Superiorum, Religiosi possint sibi retinere annuos census, pecuniam, & huiusmodi acquisita à parentibus, amicis, ex concionibus, lecturis, confessione, seu alia quauis industria?

Respond. Possunt licentia Superioris, modo sint parati reddere rationem, & consignare ad nutum Superioris, etiam Tridentino non obstante, & hoc benè probat *Lezana cap. 6. num. 25. ad 26. alios citans, & num. 31.* 57

Quaeres 23. Quot conditiones requirantur, ne religiosus retinendo, vel expendendo aliquod peculium, peccet peccato proprietatis?

Respond. Quatuor conditiones. Prima, vt habeat dependenter à voluntate superioris, ita quod non possideat titulo alicuius iuris proprij. Secunda, vt sit paratus illud resignare ad nutum superioris. Tertia, vt illud conuertat in licitos, & pios vsus ad decentiam sui status. Quarta demum, vt id quod habet non sit superfluum sed conueniens suo statui, & conditioni. Primae duae sufficiunt in Religionibus non reformatis ad excusandum à vitio proprietatis. Defectus tertiae, & quartae adhuc excusant ab hoc vitio, accedente expressa licentia superioris, ex probatis *quaest. 16. de superfluis, &* 58

quaest. 17. *de illicitis vsibus*, licet non excuset ab aliis peccatis auaritiæ, & malæ distractionis rerum monasterij. *Vide Beiam part.* 3. *casu* 32. §. *Duo*, *referentem postremas*, *Coriolanum ad hunc casum num.* 7. *referentem tres.*

Quæres 24. An Religiosus, qui dum erat nouitius, sibi fecit liuellum, vel eidem iam professo relictum fuit legatum, sub ea conditione, ne superior se ingerat, illud accipiendo independenter à Superiore fiat proprietarius? Item an huiusmodi legata teneant?

59 Respond. Religiosus ita acquirens huiusmodi legata peccat mortaliter, quia fit proprietarius intendens retinere independenter à voluntate Superioris. Ita de vtroque casu loquens *Graff. part.* 1. *lib.* 3. *cap. quinto num.*42. *de relicto*, & 44. de adiecta conditione in professione, & aliis communiter. Legatum autem factum sub hac conditione, ne Superior se intromittat, tenet, quia aut conditio ista est turpis, ac proinde non vitiat legatum, sed vitiatur,& pro non adiecta habetur. *leg.*1. *leg. Si qui ita*, *leg. Si quis ita constitutus*, *leg. Quæ sub conditione*, *leg. conditiones*, *quæ contra ff. de condit. constitut.* aut trahi potest in bonum sensum dicendo, per eam, nihil facti, aut commoditatis, & vtilitatis pertinere ad conuentum, cuius est solum acquisitio iuris,& dominij, & ratio huius explicationis est, quia voluntas testatoris seruari debet eo meliori modo, quo potest, ne eius dispositio fuerit inanis, & irrita, & hoc posterius multis probat *Sanchez libro septimo capitulo decimoseptimo, numero quarto.* Itaque cum teneat legatum, poterit superior benigne annuere subdito, vt potiatur legato; aliter contradicendo subditus proprietarius est cum vtatur independenter à voluntate Superioris, licet malitiose contradicentis. Quod si superior nolit consentire, vt religiosus vtatur relicto, statim relictum reuertetur ad hæredem, vel dominum, cum dicatur relictum sub ea conditione, siue via vltimæ voluntatis, siue donationis, ex eodem Sanchez numero septimo. Quando autem relinquens declarat se velle, vt legatum etiam quo ad dominium sit omnino Religiosi, & non conuentus, nonnulli censent nullum esse legatum ex Regula vbi pugnantia interseri testamento inuenirentur, neutrum ratum est *ff. de reg. iur. Ita plerique cum Rosella. ver. Abbas numero* 12. *Angel. ver. Monasterium num.* 1. *Silu. ver. Religio* 8. *quæstione* 5. loquentes delegato, contractu, & donatione, quos citat *Sanchez num.* 11. *sed non sequitur num.* 12. asserens legatum valere, & reijci conditionem vti turpem, & respondet obiectis, negat tamen *nu.*13. id locum habere in donatione, sed esse irritam, sicut contractus vitiari per similes conditiones turpes, vt potest colligi *ex ff. de condit. ob* turpem causam. Quod si testator adiiciat pœnam vt contradicente Superiore, transeat ad extraneum, *Sanch. lib.*7. *cap.* 17. *num.*16. concludit tenere pœnam, contra quamplures tenentes reiici talem pœnam 10. vti nullam, ac proinde valere relictum pro conuentu. *Vide Lezanam cap.* 6. *num.*34.

Quæres 25. An religiosus bona sibi relicta ex testamento, donatione, ex habita concione, vel alio titulo sine peccato proprietatis possit repudiare, rogando offerentes, vt huiusmodi tradant suis consanguineis, aut alteri extraneo?

60 Resp. Sibi relicta immediate à religioso quouis ex prædictis titulis repudiari non possunt neque simpliciter, neque sub ea conditione, quia in illis immediate succedit monasterium, quod hæreditatem, donatum, legatum, eleemosinam ex concione, lectura &c. potest adire conuentus absque aliquo facto Religiosi, immo ipso contradicente, vt pluribus citatis *docet Sanch. lib.* 7. *capit.*12. *à numero* 35. *ad* 41. Et de relictis ratione concionis, lecturæ, &c. patet hæc repudiare non posse, quia sicut Religio habet ius super labores professi, ita super fructus suorum laborum, super quos ius habet monasterium, sine cuius consensu professus repudiare non potest. Nec obstat ipsemet *Sanch. lib.*7. *capitulo* 19. *numero* 74. & 75. & *ex eo Lezana cap.*6. *nu.*46. *Bonac.p.*1. *de largit.mun.nu.*4. asserentes non esse proprietarium religiosum rogantem amicum, qui sibi aliquid vult donare, vt potius donet consanguineis, vel aliis; quia aliud est repudiare rem, quam alter habet voluntatem donandi, vt dicitur hoc secundo loco; aliud verò iam relictum, sed nondum acceptatum relinquere & non acceptare, quod fieri non potest sine vitio proprietatis, cum faciat actum dominij independenter à voluntate Superioris, habentis iam aliquid ius super illud relictum, cum huiusmodi immediate acquirantur conuentui. Quod autem Religiosus rogans secularem volentem sibi aliquid donare, vt donet extraneis, non sit proprietarius suadetur, Tum quia nolle acceptare talem rem, ad quam conuentus nullum ius habet est actus conformis voto paupertatis, nimirum abdicatio proprij, ergo non est actus proprietatis. Tum quia per illam rogationem nihil sibi vsurpat, neque appropriat, Peccauit tamen contra charitatem priuando monasterium vtilitate illius rei, quando non habuit causam iustam reiiciendi relinquendum; quod si rogauit pro pauperiore, quam sit monasterium nullum committit peccatum. Prædicta procedunt, modo prius non acceptauerit saltem tacite, quia tunc res facta fuit monasterij, ex quo donando aliis, facit actum proprietatis independenter à voluntate Superioris. Si adsit prohibitio repudiandi hæc, adhuc non est proprietarius, sed tantum peccat contra obedientiam superioris.

Quæres 26. An furans à seculari, seu etiam religioso ea intentione, vt consignet Superiori, fiat proprietarius?

Resp. Negatiuè, quia ablati non intendit acquirere dominium, neque vsum nisi dependenter à voluntate Superioris, quod non est peccatum proprietatis, sed solius furti. *Ita Nau. consil.*3. *de statu mon.n.*40. *Sanch. l.*7. *c.*19. *n.*55. & *ex eis Lezana c.*6. *n.*33. 61

Quæres 27. An Religiosi clam accipientes de cibariis monasterij, & ea insumentes comedendo sint proprietarij.

Respond. Sunt proprietarij, quia contra voluntatem superioris absumunt res communitatis; non peccant tamen mortaliter, nisi damnificatio sit notabilis, & nimia, neque displicentia Superioris videtur aggrauare malitiam furti, quia vt filij familias videntur tractandi Regulares clam sumentes pro se cibaria, quæ si donarent extra sine dubio peccatum mortale facilius incurrerent, quam si ipsi comederent. *Ita docet Suar. Sanchez apud Dianam resol.*3. *de paup.relig.* 62

Quæres 28. An Religiosus quotidie obligatus pro conuentu celebrare, si recipiat stipendium Missarum pro se peccet etiam peccato proprietatis.

Respond. Certum est, quod non satisfacit & peccat mortaliter cum obligatione restitutionis, iuxta quod *dixi resol.*25. præterea peccat contra votum paupertatis, quia recipit contra voluntatem Superioris, qui in huiusmodi re mala censetur inuitus. Quod si à Superiore habeat facultatem applicandi pro se, vel alio modo possit satisfacere, vti accedente consensu tradentis tunc excusatur ab hoc vitio, quia præsumitur tacitus Superioris consensus, cum sit circa rem licitam. *Vide Lezanam c.*6. *nu.*36. & *c.*21. *n.*4. vbi dicit habentes præceptum, vel statum non recipiendi eleemosynas pro Missis, aut Sacramentis ministrandis recipientes, peccant vitio proprietatis, cum accipiant contra voluntatem superioris. 63

Quæres 29. An persona Religiosa recipiens aliquid ob turpem questum sui corporis dicatur proprietaria?

Respond. Vtique, quia recipit contra voluntatem sui Superioris, qui præsumitur inuitus, & ideò non possit præsumi tacitus consensus. Verum quidem est, quod si petat licentiam à Superiore recipiendi aliquid ab amico, tacendo causam turpem, non dici proprietarium, 64

tarium, quia recipit dependenter a superiore, cui non est necesse narrare causam, nisi illam quærat, & tunc religiosus substituendum aliam fictam non ideò est proprietarius, sed tantum mendax. Dici etiam potest simpliciter, quod est proprietarius, quia cum hic duo spectentur actus turpis, & receptio muneris, seu mercedis, potest præsumi volens Superior munus inde pendentes à turpitudine, respectu cuius censetur inuitus *Vide Lezanam c.6. nu.38. vbi citat Hieronymum Grat. in disciplina Regul. par.2 c.8.§.3.* asserentes, quod primo dixi, quod est probabilius, quamuis posterius non careat sua probabilitate.

Quæres 30. An Religiosi ludentes peccent peccato proprietatis?

65 Respond. Religiosi ludentes de licentia sui superioris, si non extet prohibitio Regulæ, vel constitutionum in quibus ipse dispensare non potest, non peccant peccato proprietatis, quia rem ludo exponunt dependenter à voluntate superioris, quæ non præsumitur in ludis illicitis, sed tantum in honestis, & vbi, parua pecunia insumitur, & moderata ad statum Religiosi. *Ita Sanch. lib.7 cap.19. n.76. 78. & ex ipso Lezana ca.6. nu.50.51. Vide quæ dixi de ludo res.33.*

Quæres 31. An Religiosus recipiens aliquas pecunias distribuendas sine licentia Superioris, immo contra eius voluntatem, sit proprietarius? & An aliquid sibi vii pauperi retinere possit?

66 Respod. Recipiens, & distribuens acceptum pauperibus à Domino designatis, vel à seipso designandis non est proprietarius, vtique verò aliquid sibi applicando independenter à voluntate Superioris, cum exerceat actum proprietatis. Primum suadetur, quia recipiens, & distribuens pauperibus à domino designatis nullum actum iuris, aut dominij exercet, sed simplex factum exercet, ac si esset famulus domini, *docet Sanch. libro septimo capitulo 30. numero secundo.* Secundum de concessa facultate distribuendi ad suum libitum, probatur, quia per hanc distributionem ad suum libitum faciendam, nullum ius acquirit, sed simpliciter designat, & nominat personas, quibus acceptum distribuere habet, quod non est agere actum proprietatis, cum nihil sibi vsurpet, neque ius, neque rem aliquam. Ita præcitatus Sanchez numero quartu, qui hinc inde allatis rationibus resoluit, & respondet, *Suar. in suo Enchir. ver. Votum paupert. Ledesma in Addit. ad sum. tract. 32. capitulo quarto, diff. duodecima, & cum eis Diana resolut, 65. de Regul. & resolut. 29. de paup. Relig. vbi citat Faustum in Thesauro Relig. libro 6. quæstione 109. num secundo, & ibi Diana citat in oppositum Turrianum, Rodr. Societatis, Cenedo, & Layman,* probantes quia post acceptationem rei traditæ non potest dominus reuocare traditum, ac proinde transtulit ius administrationis in Religiosum independenter à voluntate superioris, consequenter aduersatur voto paupertatis, quod a professo reijcit omne ius etiam administrationis. Respondet Diana, adhuc dominum posse reuocare traditum, cum non abdicauerit à se dominium, sed commiserit Religioso, quasi famulo, vt distribueret; neque illa distribuendi facultas est proprium ius, & dominium, sed merum factum, & executio voluntatis domini, & impropriè ius, aut dominium, quod supponit dispositionem rei interueniente propria authoritate, & nomine, distribuens autem nil propria authoritate facit, sed nomine alterius famulatur.

Quæres 32. An superior conuentûs iustâ interueniente causâ, vti melioratio, &c. possit tradere religioso ad affictum fundum, seu prædium, ea lege vt singulis annis talem pecuniæ summam, vel quid alterius monasterio soluat, & ipse de reliquo viuat? Videtur obstare Trident. *sess. 25. capit. 2.* illis verbis. *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, administratio autem bonorum monasteriorum, seu conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles pertineant.* Ecce clarè constat huiusmodi traditione obstare Tridentinum, maximè cum is religiosus non sit officialis conuentûs.

67 Respond. Superior concedere potest huiusmodi affictum Religioso priuato, reuocabilē tamen ad suum nutum. Probatur ex capit. Cum ad monasterium, de statu monach. vbi ius huiusmodi traditionis vocet obedientiam commissam. Ratio autem id dictat, quia & Superior vtiliter agit negotium sui conuentus, & professus nihil agit contra voluntatem Superioris, immo illius voluntatem obsequitur, & conuentui prodest. *Ita docet Nau. tom. 2. com. 2. de regul. numero 15. §. Secundo adiunctis §. Ad quintum, §. Ad sextum,* respondendo ad dictum capit. Concilij ibi nil de nouo statui, sed intelligi iuxta ius antiquum, quod non negat huiusmodi traditioné ex iusta causa, neque proinde hoc idem habet negare Tridentinum illius declaratiuum, declaratio enim nil de nouo ponit, ex vulgaris iuribus, sed negatiua refertur, quando nulla adest iusta causa ita tradendi, illum sequitur *Miranda tom. 1. qu. 28. art. 7. Sanch. l. 7. c. 22. n. 13.*

Quæres 33. An donatio absque licentia Superioris inducat proprietatem in donante? & obligationem restitutionis?

68 Respond. Religiosus donans absque licentia saltem tacita aliquid notabile facit contra votum paupertatis & tenetur procurare, vt donatarium restituat monasterio, quando donauit aliquid communitatis, aliter ipsemet Religiosus tenetur resarcire damnum monasterio illatum, ex concessis ad proprium vsum; Quod si donet ex concessis sibi ad suos vsus licitos, nulla adest obligatio restitutionis; sufficit autem donatariu si restituat ipsi donanti.

69 Primum, quod sit proprietarius donans absque licentia superioris aliquid communitatis, aut etiam sibi applicatum; probatur *ex cap. Non dicatis 12. q. 1.* vbi prohibetur Religiosis aliquid dare, seu donare, quod idem est, & ratio est, quia donare est actu dominij & proprietatis. *Ita omnes docent cum Sanch. l. 7. c. 19. n. 95. Bonac. de restitut. in particulari de religios. p. 3. n. 6. & in tract. de donation. part. 2. n. 6. Lezana alios citans c. 6. n. 52. Bera part. 4. casu 32. §. Respondeo.*

70 Secundum, quod facienda sit restitutio per ipsum religiosum, nisi donatarius restituat, probatur; damnum illatum fuit monasterio, ergo iustitia dictat resarciendum esse damnum ab illis, qui illius causa fuerunt. *Ita Bonac. de restit part. 3. de restit. fac. à relig. n. 7. & in Tract. de largit. mun. p. 6. n. 30. Sanch. l. 7. c. 19. n. 109.* de donatario obligato restituere, *& nu. 112.* de religioso habente restituere in eius defectum, *Lezana c. 6. n. 53.* loquens de recipiente.

71 Tertium, quod religiosus de concessis sibi ad proprium vsum, quando monasterium inde non patitur, non teneatur restituere, probatur, Tum quia filius familias donans sibi assignata à patre non tenetur restituere patri, cum nullum damnum passus sit. Tum quia monasterium nullum passus fuit detrimentum, & Religiosus sibi illud intulit voluntariè, ergo nullam habet obligationem restituendi. *Ita Sanch. lib. 6. capit. 19. n. 112. in fine, Bonac. p. 6. de largit. mun. num. 32. §. Hac tamen.*

72 Quartum, quod bene fiat restitutio ipsi professo, suadetur, quia res prudenter constituitur in pristinum statum, nisi dubitetur recipientem iterum abusurum, aut sit remotus ab administratione, quia tunc restituendum est monasterio. *Ita Sanch. l. 7. c. 19. n. 210. Bonac. p. 6. de largit. num. n. 31. cum aliis.*

Quæres 34. An adhuc vigeat constitutio Clem. VIII. prohibens largitionem munerum?

73 Respond. Quamplures tenent non vigere, neque vsu receptam fuisse; & huius opinionis sunt *Gratianus in suis disceptat. forens. tom. 2. cap. 201. num. 17. Megal. l. 2. cap. 27. num. 65. & consil. 33. num. 17. Valerus ver. Munerarum.*

*nu.106.Homob. part.4. de casib reseru. & part.1.Exam. tract.7. ca. 30. qu. 123. quos pro se citat. Diana resol.1. de paup.relig.*in Hispania non fuit recepta *Sanch.li.7.ca.10. num.100 prope finem.* Et reuera ita practicatur etiam in fronte negotiorum, omnes enim munera diligunt.

Quæres 35. An Religiosi de licentia suorum Superiorum possint facere eleemosynam de sibi relictis ex concionibus, lecturis, aut alio modo sibi permissis non solum consanguineis sed etiam aliis pauperibus?

74 Respond. Possunt etiam de licentia præsumpta, quia nullo iure prohibetur eleemosina, imò quandoque præcipitur, vti in graui, & extrema necessitate. *D.Thom. 2. 2. quæst 32. art.8. ex eo Lezana capit.6. num.52.* Imò stante extrema necessitate Religiosus facit eleemosynam sine licentia Superioris, Angles *de eleemos. qu.4. Rodr. tom.2.qu.57. art.2. ex eodem Lezana*, Imò etiam repugnante Superiore, quia cum pauper habeat ius aliquod super bona illius Religiosi, potest Religiosus illa cedere sine licentia superioris, *Sanch.lib.7.cap.19. nu.96.* qui de facultate faciendi eleemosynam tam à Superioribus, officialibus, quàm à subditis multa docet *à numero 89. ad 105. Bonacin. p.6. de largit. mun. propos. 2. Beia part.4. quarto casu 32.* de donationibus factis consanguineis.

Quæres 36. An donationes, permutationes, venditiones librorum, & similium quæ solent fieri inter Religiosos sine expressa licentia superiorum in Religionibus non reformatis, sint actus proprietatis?

75 Respond. Minimè, quia solent fieri palam, superioribus scientibus, imò videntibus, & non contradicentibus, ergo præsumitur tacita licentia, quæ excusat à vitio proprietatis. *Ita Ledesma apud Dianam resol.36. de paupert. Relig.* licet res sit notabilis decem, aut duodecim realiorum, contra Cotiolauum ad casum 8.*n.6.* quando dat rem notabilem. *Vide Sanch.l. 7.c.19. à nu. 71. ad 74. Lezanam cap.6. num.52. Dianam resol.65. de Regul. ad finem*, vbi tenet contra Sanch. habentem licentiam donandi aliquid religioso eiusdem monasterij, recipientem non indigere noua licentia, sed eam extendi ad ipsum dispositum siquidem in vno correlatiuorum extenditur ad alterum.

Quæres 37. An Religiosi absque vitio proprietatis habeant ius super spiritualia, & super officia, seu beneficia sibi in Religione concessa, itavt ab illis remoueri non possint sine legitima causa?

76 Respond. Religiosi non solum super bona spiritualia ius habent, quod non obstat voto paupertatis, quod est abdicatio proprietatis rerum temporalium & pecunia æstimabilium, vt probaui hîc *quæst 1. §. Octauo*; sed etiam super officia sua, & beneficia illis collata per electionem, à quibus sine legitima causa remoueri non possint, *cap. Monachi, ad finem de statu monac. ibi glos. ver. Non mutentur, glos. confirmantur, capit. Porrecta 6. de confirmat. Glos. ver. Dum viueret, capit. Cum inter 16. de elect. glos.ver. Perpetuo, capit. Cum ad monasterium, de statu monach.* cæteri verò officiales, & administratores habentes officia potius seruitutis, & famulatûs, quàm excellentiæ, & Superioritatis amouibiles sunt ad nutum Superioris, licet nunquam deberet remouere illos, sine aliqua rationabili causa & hi solent remoueri sine vlla iudicij figura in mea Religione, & in pletisque ita seruatur, cum iura ita se habeant, ad nutum nempe superioris, quod insinuat arbitrium superioris, à solaratione Regularum sine strepitu iudiciali.

Quæres 38: An Religiosus proprietarius sit etiam fur?

77 Respond. Proprietatiua quandoque est fur? tunc uimirum cum sibi vsurpat aliquid monasterij sine licentia, nam committit furtum, quia aufert alienum inuito monasterio, quod est dominus; & sacrilegium, quia recipit illud sine licentia Superioria violando votum paupertatis. Aliquando potest esse solum fur, vt si rem furetur de licentia superioris, aut rem surripiat vt tradat alteri; aut comburat segetes alienas. Interdum solum proprietarius, vt si accipiat aliquid, cum pacto ne dominium acquiratur monasterio, quia tunc sibi vsurpat aliquid contra voluntatem superioris à vero tamen domino ratione cuius fur non dicitur, *Benè Sanchez libro septimo capitulo 20. numero 8. 9. 10.*

Quæres 39. An Religiosus proiiciens cibaria præpara pro cœna in flumen, quia sibi non placebant, sit proprietatius:

Respond. Est, quia donans contra voluntatem su- 78
perioris est proprietarius, sed damnare est proiicere, & perdere *l.Filiusfamilias, ff.de donat. l. Cum de indebito, § Qui non soluit, ff.de probat.* explica cum donatur indignis, Barbosa Vaz. *lit.D. num.62.* sed iste Religiosus perdit, & proiicit cibaria, ac proinde à fortiori est proprietarius. Ita respondit Megal. *consil.83.de hac re*, quia iste Religiosus talem actum dominij exercuit, quem veri Domini in re propria exercere solent.

Quæres 40. An ipsi Superiores, aut alij officiales distrahentes, aut alienantes bona tam mobilia, quàm immobilia suorum, monasteriorum incurrunt vitium proprietatis? Videtur, quod sic, quia huiusmodi sunt actua proprietatis facti contra voluntatem suorum superiorum, & patet in alienatione, quæ fit à solo Domino, *c. Abbati 16. dist.54.* & ibi redditur ratio, quia est actus dominij in alterum à solo patrono peragendus; sed superiorea, & officiales non sunt patroni, sed administratores tantum, ergo alienantes sunt proprietarij. *Et ita docet Sanch. lib.7. cap.19. num. 22. vbi citat. prater alios Nau. consil.3. de statu monach. num. 42. & tom. 2. comment.3. nu.27.* Sed vtrobique non loquitur de bonis communitatis, sed de applicatis particularibus, & in comment. nil de superioribus sub illo *numero 27.* sed immediate ante §.7. dicit superiores habentes multa suis vsibus peculiaribus deputata non esse proprietarios.

Respond. Superiores, & officiales distrahentes, & 79
alienantes indebite sibi concessa à maioribus suis contra eorum voluntatem sunt proprietarij, quia de illis tamquam domini disponunt, ac si in hoc essent Religiosi subditi alienantes, seu distrahentes sine licentia suorum. Sic intelliguntur citati Doctores. Procedunt hæc, quando huiusmodi habent applicata à suis superioribus vt seruatur in mea Religione, vbi Superiores locales habent schedulam suæ espropriationis subsignatam à Generali. Aliter propria authoritate, qua erga alios vtuntur, condecentia suo statui applicare possunt, *vt docet Sanch.l.7.c.19.num.25.* & licet male agant expendentes in actus turpes, non tamen sunt proprietarij, quia sicut subditi excusantur, ex probatis *qu.17.* & ita seipsos licentiantes excusantur. Superiores verò alienãtes bona communitatis non sunt proprietarij, quia per votum paupertatis non promiserunt abstinentiam ab alienatione rerum monasterij, quando essent Superiores, sed tantum abdicare à se peculium, & illud non acquirere, neque retinere, aut à se reiicere contra voluntatem Superioris. Confirmatur quia huiusmodi alienationes ad se spectant, ergo quod malè, & iniustè alienent non arguit propsietatem, sed malam administrationem, & dilapidationem bonorum, monasterij. Officiales verò dicuntur proprietarij, quia habent administrationem dependenter à voluntate Superioria, ergo abutentes illis contra eius voluntatem, sunt proprietarij.

Quæres 41. An omne vitium proprietatis sit peccatum mortale, itavt neque paruitas materiæ excuset? Nonnulli cum Gersone, D. Anton. & Viualdo apud *Sanch.lib.octauo, cap.20.num. primo*, apud Lezanam *cap. sexto, numero 57.* malè censuerunt leuitatem materiæ non posse excusare à mortali, sed sibi appropriantem etiam acum peccare mortaliter, quorum dictum opinio non est, sed potius error, & falsitas, cum fere in quauis materia leuitas materiæ excuset, etiam

in

ir materia votorum, vt de communi docet ipse *Sanchez libro. quarto capitulo 1x. numero quinte, Diana resolut. x4. tractat. quinto Miscellan part.3.*

80 Respond. Religiosus sibi appropians, vel disponens de aliqua re contra voluntatem Superioris si sit leuis momenti peccat solum venialiter, si grauis mortaliter. Sed de hoc dixi supra initio §. *Quantitas*, vbi dixi quænā dicatur notabilis quantitas inducens peccatum mortale. *Vide Nau. tom. 2. com. 2. de reg. n. 2. Coriolan. hic num. 13. Lezanam cap. 6. num. 17. & 58. Dianam resol. 34. & 35. de paup. relig.* vbi de religioso peccante mortaliter paulatim modica surripiendo, quando ex eis notabile damnum sequitur monasterio.

Quæres 42. Quid disponatur circa obseruationem voti paupertatis in Religione Tertij Ordinis, vt cognoscatur, quando quis dicendus sit proprietarius?

81 Respond. Circa votum Paupertatis, quod in sua professione emittere debent, vt apparet ex Const. *Personas vacantes.* Ioan. x3. 26. Octob. 1414. confirmantis diuersa statuta à nostris Flandrensibus facta, inter quæ adest forma professionis, in qua exprimendum est votum Paupertatis, & habetur in Regula Leonis X. cap. a. & in statutis, quæ Regulæ substantiam continent capit. 9. sequentia traduntur de obseruantia huius voti. Nam Eugen. IV. *constit. Iniunctum nobis*, ita loquitur *Quodque eorum omnia, & cuiuslibet ipsorum bona in domibus, in quibus professionem expressam pro tempore fecerint, illis bonis, de quibus infra tres menses à die ingressus eorum in ordine prædicto computandos testati fuerint, dumtaxat exceptis, matris tamen, vxoris, & filiorum eorumdem, pro tempore in dicto ordine post obitum parentum suorum huiusmodi remanere volentium, in omnibus semper saluo iure, cōmunia existant, & ad domus, & loca huiusmodi liberè pertineant, & pertinere debeant.* Et paulo inferius. *Quodque cum licentia extra domos cōmorantes, seu seruientes huiusmodi.* i. Ecclesiis secularibus, *pro tempore, id totum, quod interim licite acquisiuerint, & eis tunc superfuerit, domibus, in quibus professionem fecerint, integrè dare, & assignare teneantur, authoritate prædicta harum serie statuimus, decernimus atque concedimus.* Deinde Clemens VII. in sua constit. pro regnicolis incip. *Ad vberes fructus*, prædecessorum suorum constitutiones, ac eorumdem Fratrum statuta compendiose relata, & pro expressis habens confirmando, & innouando de paupertate hæc habet. *Dictúsque Antonius, & pro tempore existens Generalis Visitator super voto Paupertatis, tam in communi, quàm in particulari ad vitam, seu ad tempus, prout hactenus est consuetum cum Fratribus, & Monialibus, ac Eremitis dicti Ordinis de Pœnitentia dispensare etiam de cætero libere, & licite valeat.* Pius V. in constit. *Ea est officij nostri*, in qua nobis Italis abstulit Generalem, de voto Paupertatis ita scribere facit. *Ad hæc nullis omnino Fratrum, & Sororum Tertij Ordinis huiusmodi, qui prædicta tria vota substantialia fecerint, etiam prætextu quorumcumque priuilegiorum, dispensationum, & indultorum, permissionum Apostolicorum, aut etiam inueterata consuetudinis voto repugnantis, seu quacumque alia causa proprium quicquam, aut priuatum liceat obtinere, sed omnia etiam priuatim, ac minutis cuiuscumque personæ donata, oblata, & concessa, vbique communia, & indiuisa omnibus Religiosis esse debeant. Quicumque verò pecuniam, aut aliam rem quacumque causa concessam Prælato suo celauerit, furti reus censeatur, & tamquam fur puniatur, eam tamen diligentiam superior cuiusque domus adhibeat, vt de communi ipsius domus, singulis iuxta exigentiam consulatur.* Postremo in Regula, seu Statutis, quæ Regulæ substantiam continent, habentur sequentia cap. 10. *Legimus ineunte Ecclesia, omnes, qui credebant, fuisse pariter, & habuisse omnia omninò communia. Eorum igitur vitam affectantes, mandamus, vt omnes nostræ Congregationis Fratres, iuxta Apostolica priuilegia, in communi viuant, neque etiam sine Ministrorum licentia, sub prætextu emendi Breuiaria, vel alios libros, seu qualibet alia, propriam, priuatámque pecuniam habere, ac retinere possint. Etenim eam ipsam suis Ministris tradere debent, vndecumque eam lucrati sint, aut acceperint. Tradita sibi pecunia Ministri tradentium indigentiæ subueniant, ne malè audiant, alijs tradita maledicendi occasione. Itaque nullus ad professionem recipiatur, nisi omne peculium, aut patrimonium reliquerit, seque in communi victurum esse promiserit. Neque possit quispiam agere, negotiari, emere, vendere, vel commodare quicquam, Ministri venia non impetrata.* Capite 16. de bonis repertis apud Religiosos decedētes ita ordinatur. *Bona autem è vita decedētium, si quæ habere contigerit, illi Cœnobio acquiratur, in quo eos professionem emisisse constiterit, nisi aliud de bonis eorum Generalis Minister cum Discretorum consilio duxerit statuendum.* Verba huius capitis exposui suprà *quæst.* 14. vide ibi pro eorum intelligentia.

Deducitur ex his omnibus nequaquam licere nostris professis habere aliquid proprium, sicut alij Religiosi eius incapaces sunt, & nil aliud prohibetur in dictis locis. Quod autem dicitur de dispensatione circa votum paupertatis, quam potest facere Generalis, intelligendum est, quo ad accidentia ipsius voti, ita quod potest concedere alicui peculium ad tempus vel etiam ad vitam professi quo ad vsum facti, & à se dependentem. Habere ergo possunt peculium de licentia Superioris localis, & per illud agere, negotiari, emere, &c. impetrata venia, hoc est, habita licentia, seu consensu saltem tacito, & præsumpto coo-oentos, siquidem non solum dicitur impetrari licentia expressa, sed etiam tacita, qui enim hanc habet præsumptiuè impetrasse dicitur.

Quæres 43. Quænam pœnæ statuantur contra proprietarios?

Respond. Sunt sequentes. Prima est peccatum mortale, quando deficit in re graui, & notabili materia 82
Secunda est reseruatio peccati proprietatis, si fiat à superiore, iuxta Decretum Clementis VIII. Tertia, debet remoueri à communione altaris, ca. Monachi, de statu monac. nomine communionis venit receptio Eucharistiæ tam sacerdotum, quàm aliorum. Quarta caret Ecclesiastica sepultura *cap. Monachi. cap. cum ad monasterium, de statu mon.* vnde sepeliendus est in sterquilinio cum pecunia extra monasterium ex eodem cap. Cum ad monasterium, non est autem necesse cum eo totam eius pecuniam sepelire, sed aliquid eius, cum textus loquatur indefinitè; immo si in loco Sacro de facto sepeliatur, exhumandus est, si fieri possit sine maximo scandalo, *ex cap. Super quodam, eod.* Ista autem pœna non est danda omnibus proprietariis, sed illis tantum, qui admonitione præmissa deprehensi, & in morte inuenti fuerint cum peculio, quod noluerunt resignare, vt clarè colligitur ex citatis textibus. Quare qui tempore mortis admonitus de schedula inuentarij facienda, peculium occultauit, debet priuari sepultura Ecclesiastica. *Quinta, per idem cap. Cum ad monasterium*, erat à Religione expellendus, *sed ibi glos. ver. Expellatur* dicit eius loco succedere arctum monasterium, nimirum carcerem. Sexta, deprehensus, & conuictus proprietarius debet per sententiam priuari voce actiua, & passiua per biennium Trident. *Sess. 25. cap. 2. in fine*, hæc pœna sicut tertia, & quarta non afficit omnes proprietarios, sed tantum retinentes peculium, non autem à dantibus, aut expendentibus, *vt docet Sanch. lib. 7. cap. 20. num.* 11 *in fine* de pœna sepulturæ, & *num.* 13. de priuatione vtriusque vocis. Neque has incurrunt possidentes superflua de licentia Superioris, quia hæ pœnæ non incurruntur nisi à retinentibus contra voluntatem Superioris repugnantem. *Sanch. lib. 7. cap. 19. num. 25. ex Nau. tom. 2. com. 2. de regul. num. 21.* Alij dicunt illos esse excommunicatos, sed reuera non reperitur hæc pœna in iure, *ex eodem Sanch. & Lezana cap. 6. num. 59.*

Quæres

Quæres 44. An Nonitius in renuntiatione facienda iuxta Decretum Trident. reseruando sibi certam pensionem sibi tradendam à consanguineis ex conuentione facta cum illis, possit addere hanc clausulam, quod sit in suo arbitrio exigere illam, vel omittere exactionem relinquendo dictam pensionem consanguineis, quando illa non indigebit?

Respond. Illa conditio, seu clausula est turpis, cum sit contra votum Paupertatis, consequenter pro non adiecta habetur, quia includit actum proprietatis, ratione cuius acquirit ius disponendi de illa pensione ad libitũ independenter à Superiore, hoc ipso, quod vult libere posse illam renuntiare consanguineis, cum non indigebit. Confirmatur, quia per illam renuntiationem, secuta professione, Religio acquisiuit ius super illa pensione, ergo illi renuntiare non potest, cum sit sub dominio, & proprietate Religionis. Vt autem teneat, debet accedere expressus consensus saltem Superioris localis eius conuentus, qui succedit in iure professi.

RESOLVTIO XLIV.

De quinto casu reseruando in Religione.

Iuramentum falsum in iudicio Regulari, seu legitimo.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum est attestatio rei Sacræ.*
2 *Iuramentum actus latriæ quandoque male adhibitum.*
3 *Iuramentum quid prout est casus reseruatus.*
4 *Mendacium falsa significatio vocis cum intentione fallendi.*
5 *Iudicium Regulare quale sit?*
6 *Quale iudicium legitimum?*
7 *Credens iurare verum excusatur à reseruatione.*
8 *Interrogatus contra formam iuris non incidit iurans falsum.*
9 *Quanam sit forma iuris?*
10 *Iudex tribus modis potest procedere contra reum.*
11 *Infamia quid?*
12 *Clamorosa insinuatio?*
13 *Indicia quæ & quot?*
14 *Semiplena probatio.*
15 *Plena probatio.*
16 *Iurans falsum in hoc iudicio incidit.*
17 *Iurans æquiuocando excusatur.*
18 *Fingens iurare non incidit.*
19 *Nonitij includuntur in casu.*
20 *Mandans excluditur.*
25 *Periurium sine scriptura non est reseruatum.*
22 *Periurium coram arbitrio non est reseruatum.*

PRo intelligentia huius casus, explicandum est Iuramentum, quid iudicium Regulare, & quid legitimum.

1 Iuramentum à iure deriuatum, quia id, quod iuratur ita obligat, vt pro lege sit habendum, definitur attestatio rei Sacræ. Vel est inuocatio rei Sacræ in testimonium, & confirmationem alicuius dicti, vel facti. Idem enim significat attestatio, & inuocatio in præsenti materia. Dico, *Rei Sacræ*, sub quibus verbis venit non solum Deus, in quo tantum principaliter consistit iuramentum actus latriæ, quo ipse Deus adoratur, verùm etiam quæuis alia res Sacra Christus, Sancti, Ecclesia, Sacramenta, Sacramentalia, Sanctorum Reliquiæ, quia Iuramentum non solum committitur, cum Deus vocatur in testem, sed etiam cum inuocantur aliæ res Sacræ, quatenus in illis relucet Deus, per cuius nomen dicitur expressè inuocari, tacitè vero iuratur, cum per creaturas inuocatur. Ita docent omnes cum *Sanch. lib. 3. cap. 1. & 2. Graff part. 1. lib. 2. cap. 13. num. 5. Clauis Regia lib. 5. c. 1.* Imò quæuis verba prolata cum intentione iurandi sufficiunt, vt quis iurare dicatur, vt cum aliis docet Bonac. *part. 1. de Iuram. n. 6.* Iuramentum autem duplex vnum assertorium, in quo affirmatur aliquid, vel negatur; alterum promissorium in quo aliquid promittitur.

Licet Iuramentum sit actus Latriæ, quo Deus adoratur, & consequenter sit actus bonus, & meritorius, vt omnes Theologi, & reliqui Doctores fatentur, tamen quandoque fit malus defectu circumstantiarum requisitarum, quæ sunt tres, Veritas, Iustitia, & Iudicium, Ierem, cap. 4. illis verbis. *Iurauit viuit Dominus in iustitia, in iudicio, & veritate.* Veritas consistit in eo, quod iuraturus, aut certo sciat, aut ex sufficienti diligentia adhibita iuxta exigentiã rei, loci, & temporis, putet saltem probabiliter esse verum id, quod asserit, aliter si dubium pro certo, vel certum pro dubio dicat, periurus est, & facit iuramentum falsum, non autem si iuret dubium pro dubio. Iurans autem sine veritate, sed cum mendacio, & falsitate cognita peccat mortaliter respectu cuiuscumque materiæ, in re enim hac leuitas materiæ non excusat ex communi consensu Doctorum, quia grauis iniuria irrogatur Deo, cum adducatur in testimonium tanquam testis falsus, docet Sanch. *lib. 3. cap. 4. n. 6.* procedit siue sit assertorium, siue promissorium, quatenus in actu promittendi non habet intentionem exequendi, quod promisit iustum, & licitum. Iustitia in eo cõsistit, vt fiat de re bona, licita, & honesta, qui autẽ promittit facere rem malam mortaliter, iurando peccat mortaliter, venialiter verò eodem genere peccati afficitur, non tamen tenetur exequi iuratum, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, *cap. Inter cætera 22. quæst. 4. cap. Quanto 18. de iureiur. cap. 1. de consuet. in 6. cap. 1. de iureiur. in 6* Iurans vero asserendo, vel negando de re mala siue mortifere, siue venialiter loquendo Regulariter. *Suar. tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 2. n. 5. Sanch. lib. 3. cap. 4. num. 53. Bonac. p. 3. de iuram. in fine.* Iudicium deinque vocata necessitas est, vt fiat cum debita reuerentia, id est pro re alicuius momenti, data occasione, & raro, defectus huius conditionis inducit iurantem solum in mortale peccatum, quia leuis iniuria Deo fit, vt testantur communiter Doctores.

Iuramentum autem falsum, prout est casus reseruandus, est mendacium in iudicio Regolari, vel legitimo iureiurando firmatum. Ita Sanch. Belloch. *in simili de casibus reseru. part. 2. quæst. 1. num. 519.* ex D. Thom. *2. 2. quæst. 98. art. 1.* & aliis communiter, & vnico verbo dicitur Periurium. Duæ ergo conditiones requiruntur vt Religiosus incurrat hunc casum. I. quod iuret falsum. II. & quod id faciat in iudicio Regulari, vel legitimo. 3

Dixi. I. *Mendacium*, Est autem mendacium falsa significatio vocis cum intentione dicendi falsum; vnde mendacium est, cum homo dicit ore aliter, quàm iudicat in corde, quamuis à parte rei ita sit, vt dicit Toletus *lib. 4. cap. 21. num. 7.* Itaque de essentia mendacij est falsitas realis, vel putatiua ex communi Doctorum cum D. Tho. *2. 2. qu. 100. Graff part. 1. lib. 2. cap. 143. de Mendacio num. 1.* potest autem quis mentiri quatuor modis. Primò, quando scit aliquid non esse verum, dicit illud esse verum. Secundò, quando scit aliquid esse verum, negat esse verum. Tertiò, quando dicit scienter dubium pro certo. Quartò, quando dicit scienter certum pro dubio. Porrò, quouis ex prædictis modis mendacium sit iuramento iudiciali firmatum est casus reseruatus, quia semper est iuramentum falsum. 4

Secundò dixi. *In iudicio Regulari*, quale est illud, quod fit coram iudice Regulari, vt est Generalis in tota Religione, Prouincialis in prouincia, Prælatus in suo Conuentu, qui omnes dicuntur iudices ordinarij, vt docet Iulius Clarus *§. sent. §. fin. q. 35. vers. Quæro quis sit iudex Monachorum*, teste Ghisilerio *de Iudice Regul. c. 2. num. 11. cap. 9. num. 7.* & alij Regulares eiusdem Ordinis habentes à prædictis commissionem iudicandi, qui vocantur iudices delegati. Procedunt de quouis iudicio 5

publico

publico siue sit criminale, siue ciuile, siue tempore visitationis, siue pro aliquo puniendo; & comprehendit tam reos, quàm accusatores, seu denuntiatores, & testes, &c.

6 Tertiò dixi. *Vel legitimo*, quale est illud, quod coram Papa, Sacra Congregatione, Protectore, Inquisitore, seu Episcopis, aut aliis habentibus ius iudicandi, & deferendi iuramentum, Graff. *hic n.5.*

Quæres autem. I. An putans iurare verum, sed reuera dicit falsum ex insufficienti diligentia adhibita incidat in hunc casum?

7 Resp. Non incidit, quamuis aliàs peccet mortaliter ex graui negligentia non procurandi scire veritatem; Ratio eius est, quia iste non habet intentionem fallendi cum putet se iurare verum, licet inconsideratè agat parum cogitando de veritate inuestiganda. Ita mihi videtur sentire *Graff. pr. l.3. c.5. ad hunc casum nu. 16.* A fortiori ille non incidit, qui post omnem adhibitam diligentiam iurat à parte à rei falsum, putando probabiliter se verum iurare.

Quæres 2. An interrogatus contra formam iuris, falsum iurando peccet mortaliter, & hunc casum incurrat?

8 Respond. Iurans sic falsum peccat quidem mortaliter, quia iuramentum caret debita veritate, cuius defectum non habet supplere, neque excusare inordinatus modus interrogandi, non tamen incidit in casum reseruatum, quia iuramentum falsum non fuit depositum in iudicio Regulari, neque legitimo, siquidem, *vt dicit D. Thom. 2.2. quæstione 76. art 4. ad 2.* iudicium iniquum non est verè iudicium, iniquum autem est factum inseruato ordine iuris; neque præterea iudex est, si non sit in eo iustitia, *ca. Forus de verbor. significatione & cap. Vera, in glos. dist. 45.* sed in eo, qui procedit sine forma iuris non est iustitia, cum iure non agat, ergo iudex non est, consequenter sic iurans, vere in iudicio non dicitur iurare, sicut neque quando interrogatur à iudice non competente. *Ita Graff. pr. li.3. c.5. n.23. & 34.*

Quæres 3. incidenter quid sit forma iuris, & quotuplex, & quomodo iudex dicatur procedere iuxta formam iuris?

9 Respond. Est forma iuris, seu iudicium actus legitimus duarum personarum actoris, & rei super eadem re contracta quæstione sub eodem iudice *ex cap. Forus, de verb. signif.* ac proinde est actus trium, iudicis, actoris, & rei, *glos. in Clem. de verb. signif. ver. Non exigánt.* Est autem forma iuris duplex; vna accidentalis, quæ consistit in requisitis a iure communi tam Ciuili, quàm Canonico, quorum omissio non irritat processum de facto, & regularium iudicibus conceditur, *cap. Qualiter 24. ad finem. de accusat. & ex Bonif. VIII. Sorbus ver. Appellare, Bertius tit.5. sua praxis cap.3. Mirand. quæst. 14. artic. 1. concl. 2. de ordine indic.* Sunt autem accidentia porrectio libelli, citatio in die non feriata, &c. sine quibus iudicium consistere potest in vera iustitia. Altera forma vocatur substantialis, quæ consistit in iis, quæ sunt de iure naturali, & diuino, & sunt quatuor; primum, quod contra reum præcedat accusatio, aut denuntiatio, vel infamia aut clamorosa insinuatio, vel indicia, vel semiplena probatio. Secundum, vt testes examinentur cum iuramento; Tertium, vt absens vocetur; Quartum, vt indefensus non condemnetur nisi sit contumax, *ex Aretino in sua praxi ca.4. ex Panor. in c. Delicti, de indic. Coriolano in hoc casu §.16. Nau. conf. 1. de sent. & re iud.* Hæc omnia seruanda sunt etiam à iudicibus Regularibus, quia sunt essentialia, quorum omissione perit iudicium, & iustitia.

10 Notandum autem est, quod iudex tribus modis potest procedere contra reum. I. per modum accusationis. II. per modum denuntiationis. III. per modum inquisitionis. Non potest autem iudex primo & secundo modo procedere contra reum examinando illum, aut torquendo, nisi duo præcedant, delatio accusationis, & interrogatio testium, à quibus si habuerit semiplenam tantum probationem, poterit illum interrogare, & negando veritatem, vel eam tacendo per falsum iuramentum incurrit reseruationem aliter non, si non constet de accusatione, & testibus, potest etiam illum torquere; & si habuerit plenam probationem, poterit etiam condemnare illum ex communi Doctorum prædictorum, cum quibus *Bonac. disp.10. de legib. quæst. 2 p.6.* Quando procedit tertio modo per viam inquisitionis quæ triplex est, prima Generalis, quæ fit in communi tam respectu personarum, quàm criminum, & faciunt visitatores singulis annis, interrogat præcise quemcumque absque aliquo præuio ex prædictis: torquere tamen aut condemnare ex sola Generali inquisitione non potest, vt docet *Ghisilerius c.16. n.82. vbi n.7. ex c. Romana, de censib. in 6.* dicit in huiusmodi visitationibus non esse exigendi iuramentum à Superioribus, nisi eorum statuta id ordinent, quia prohibetur in iure communi, vnde si ab interrogatis exigatur, possunt vti æquiuocatione, ne cum iudicibus disceptent, imò præcisis statutis iurantes falsum puto non incidere in Reseruationem, quia iudicium hoc non fit seruatâ formâ iuris præcipientis non esse deferendum iuramentum. Secunda vocatur specialis, in qua quæritur contra determinatam personam de tali delicto, & in hac non potest iudex procedere contra reum, nisi præcesserit infamia, clamorosa insinuatio. Tertia dicitur mixta duplex, vna in qua quæritur de tali persona, & delicto in communi, in qua requiritur præuia infamia, vel semiplena probatio, & accusatio, aut saltem indicia manifesta: Altera, in qua quæritur de reo in communi circa tale delictum, hæc non requirit infamiam, aut aliud, sed sufficit si delictum sit notum, *Vide Bonac. cit. part.5. vbi nu.15.* ait in sex casibus iudicem posse procedere contra reum infamia præcedente. I. in criminibus hæresis, apostasiæ, & læsæ maiestatis. II. quando non procedit ad puniendum, sed ad dispensandum, vel conferendum beneficium. III. quando reus sponte fatetur delictum in iudicio saltem coram iudice, & notario. IV. Quando committitur coram iudice, & aliis circumstantibus. V. Quando communis suspicio supplet infamiam. VI. Quando præcessit generalis inquisitio, quæ infamiam indicit. Pro intelligentia prædictorum explicandi sunt termini sequentes Infamia, Clamorosa insinuatio, indicia, Semiplena probatio, & plena.

Infamia est frequens vox bonorum, & proborum hominũ, quæ reum suspectum de tali crimine rationabiliter reddit. Seu, est, quando viri probi iudicialiter testantur esse talem rumorem de tali crimine. Requiruntur ergo duo, publicatio facta de tali crimine, & quod sit facta à viris probis, cuiusmodi sunt viri, qui non sunt mali, neque leues, vt notat *Glos. in caput. Licet ex quadam, de testibus.* Quare vox malorum, aut discolorum, vel leuium hominum non inducit infamiam. Quinam verò numerus virorum requiratur ad infamiam, quidam requirunt decem, alij plures, alij maiorem partem loci, viciniæ, Conuentus, collegij, &c. alij demum relinquunt arbitrio prudentis. *Vide Bonacin. disp. 10. de legib. q.2. p.5. nu.4. Mirand. q.7. art 1.2. & 3. Ghisil. c.8. Lezana cap.27. de oblig. regul. num 6.* & alij communiter. 11

Clamorosa insinuatio est vox totius populi, vel publicus rumor inter multos, qui de tali crimine extra iudicium loquuntur, & murmurant. Ita præcitati. 12

Indicia sunt signa, & circumstantiæ, ex quibus prudenter, & rationabiliter iudicamus de alienis actibus. Sunt autem triplicia. Alia leuia sufficientia ad capiendum reum, non tamen ad illum examinandum, licet sufficiant ad capiendum informationes quod ipsum exemplum sit de assertione vulnerati in fama, & in graui inimicitia, *ex Claro qu.20.* & hæc vocantur suspiciones, si non sunt multum vrgentia; si verò multum vrgent, dicuntur præsumptiones, seu argumenta. Leue in- 13

dicium est etiam dictum socij criminis apud Bonac. *cit.num.4.p.5.* Item dictum testis inhabilis, fama sola, assertio vulnerati, ex Ghisil. *cap.18.num.3.* Grania, quæ vocantur suspiciones vehementes, & semipleuæ probationis sunt illa, quæ procedunt ex magnis, & solidis coniecturis, vt confessio delicti extra iudicium ab inquisito facta, fuga rei post delictum, dictum testis inhabilis tortura firmatum, & similia, quæ sufficiunt ad examinandum, & torquendum reum ex Ghisil. *cit.n.4.* Aretino *cap.7.de indiciis*, Coriol. *in hoc casu num.63* Vide Mirand. *quæst.7.art.4.* Grauissima verò vocata indubitata, violentæ suspiciones, & plusquam semiplenæ probationes, sunt illa, quæ oriuntur ex maximis coniecturis animum iudicis conuincentibus; vt, si quis euaginato ense egrediatur è domo habente vnicum ostium, facie turbata, vbi est occisus. Item repertus in lecto cum femina, & huius generis indicia sufficiunt etiam ad condemnandum Ghisil. *cap.18. num.5.* Aretio. Intellige ad pœnam extraordinariam, Coriol. *in hoc casu num.63.* alij apud Bonac. *cit.* volunt efficere solum ad examinandum, & torquendum.

14 Semiplena probatio est dictum vnius testis oculari iurati omni exceptione maioris, idest cui nihil opponi potest. Necesse ergo est vt is testis proprijs sensibus audierit delictum, & nullam patiatur exceptionem. Coriol. *num.20.* Bonac. *disput.10.de legib.q.3.p.5.n.5.* Ghisil. *cap.57.n.85.ad 89.* dicens procedere tam in ciuilibus, quàm criminalibus, sufficiens ad torquendum reum. Vide Mirand. *q.7.de ordine iudic.art.5.*

15 Plena probatio est dictum duorum saltem testium omni exeptione maiorum, & hæc sufficit ad terminandum processum, si nil aliud desideretur, vnde potest examinari, torqueri, & demum condemnari reus.

Multa alia dicere possem spectantia ad iudicium, quia tamen hic non intendo prosequi hanc materiam, cum sit extra præsentem locum, vnde sufficiat tetigisse ea, quibus instructas Confessarius facile scire possit, quandonam quis incurrat hunc casum.

16 Concluditur ex his, iurantem falsum coram iudice incompetente, vti defectu iurisdictionis, vel quia interrogatus non est subditos illi; aut si est iudex competens, non tamen interrogat seruato ordine iuris, vt quia procedit ad examinandum reum nulla præmissa accusatione, denuntiatione, indicijs, &c. non incidere, quia non sufficit simpliciter iurare falsum, sed in iudicio legetimo id præstandum est. Sic testis interrogatus ordine non seruato, vt quia nulla præcessit infamia, accusatio, denuntiatio, &c. licet periurus sit non tamen casum incurrit, quia iuramentum falsum verè non dicitur factum in iudicio, cum non sit verum, sed iniquum iudicium. Vide de hoc ordine respecto testis *Bonac. disput.10. de legib.q.2.p.5.num* 14. *Ghisil.cap.17.n. 96. Mirand.q.18.per totum, Coriol: hic num.49. Graff. hic num.23.*

Quæres 4. An in iurando æquiuocans contra mentem iudicis interrogantis incurrat reseruationem, siue habeat ius æquiuocandi, vt quia interrogatur à iudice incummpetente, vel non seruata forma iuris, siue nullum ius habeat æquiuocandi.

Resp. Quamuis iurans æquiuocando sine legitima
17 causa peccet mortaliter, inferendo grauem iniuriam iudici, eludendo iudicium, non tamen incidit in casum, quia sic iurando non facit mendacium, cum non eat contra mentem suam, neque proinde eius iuramentum est falsum, vt colligo *ex Sanchez libr.3.cap. 6.num.13. Bonac. de communi p.12.not. 1.& 2.* nec obstat, quod respectu iudicis sit mendacium, quia illud non est iuratum, neque mens iudicis quantum ius recta efficere potest, vt iurans periurus sit, quando habet formalem intentionem æquiuocandi, & iurare aliud, quod non intendit iudex, cum malitia periurij affici non possit iurans contra suam voluntatem, quando æquiuocat, *vt mendacium euitet.* Id quod à fortiori procedit, quando interrogatus habet legitimam causam æquiuocandi. Ergo cum non iurauerit falsum excusatur à reseruatione casus Oppositum sentiunt *Graff. hic num.23. & ex eo Belloch. part.2.de casibus reseruat. quæstione 1.numero 343.*

Quæres 5. An interrogatus fingens se iurare, sed non iurans eo quod non habet intentionem talem, proferendo nihilominus verba iuratoria semper excludendo iuramentum incidat dicendo falsum?

Respond. Non incidit, quia cum sine intentione non 58
consistat iuramentum, neque proinde ei adnecti potest falsitas, quare erit illa falsitas simplex mendacium peccatum tale, quale negotium super quod fit. Deinde fictum iuramentum non est iuramentum, ergo neque potest esse periurium.

Quæres 6. An periurij, & alij perpetuò commensales iurantes falsum in iudicio regulari, aut legitimo incurrant casum reseruatum?

Respond. Subijciuntur huic casui, quia regulares iu- 19
dices sunt eorum ordinarij, & competentes iudices, vt docent omnes cum *Nauar.consil.6.de foro compet. Rodr. tom.2.q.2. art.10. Nau. cap.12. num.65. Bonac.p.3. de legib.num. 31.§.Dixi. Faciunt dicta resol. 38.q.3.*

Quærea 7. An mandans, consilium dans ad iurandum, falsum incidat?

Respond. Non, quia isti non exprimuntur in litera. 20
Graff. *hic num.24.*

Quæres 8. An interrogatio sub iuramento facta falso sine scriptura inducat reseruationem?

Respond. Non inducit quia iuramentum hoc fal- 21
sum non dicitur factum in iudicio, publica, & cum debita solemnitate; sed potius priuatim, neque proinde exigens iuramentum procedit vt iudex.

Quæres 9 An iurans falsum coram arbitro incidat in reseruationem?

Respond. Non, quia non dicitur iurare in iudicio, 22
sed in arbitrio; diuersi enim sunt iudex, & arbiter, vnde *glos. fin.cap. 6.de arbitris* distinguit inter iudicium, & arbitrium, & hoc propriè non est iudicium, vt cum aliis *docet Gofred. tit.de arbitr.* Ita in simili *docet Belloch. pag.359. num.92.*

RESOLVTIO XLV.

De sexto casu reseruando in Religione.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum etiam effectu non secuto.

SVMMARIVM.

5 *Quid sterilitas, & abortus?*
2 *Procurare abortum quid.*
3 *Abortus casualis non reseruatur.*
4 *Pro tuenda vita, & honore non licet abortus.*
5 *Abortus causatus ex metu graui non est reseruatus.*
6 *Dubitans de animatione fœtus excusatur.*
7 *Abortus inanimati putati animati excusat.*
8 *De consulento, & auxiliante abortui.*
9 *Mandans comprehenditur.*
10 *Casus abortus, & homicidij differunt.*
11 *Pœna contra abortientes.*
12 *Excommunicatio est reseruata.*
13 *Concessa facultas pro peccato extenditur ad censuram.*
54 *Dispensant super ea irregularitate.*

CVm definitio cuiuslibet rei sit decisio cuiuscumque rei, & difficultatis, quæ solet accidere circa illam, ideò præmittendum est quid sit procurare abortum, & quomodo à sterilitate differat.

Quæres

Quæres igitur 1. Quid sit sterilitas, & abortus, & quomodo inter se differant?

1 Respond. sterilitas est infecunditas filiorum, seu defectus, quo filij procreari non possunt, quod prouenire potest naturaliter tam à mari, quàm à fœmina; & de hac infœcunditate naturali sermo non est, cum hæc sine peccato contingat; alia est infœcunditas voluntaria, per quam fœmina præcipuè certis remedijs adhibitis redditur inhabilis ad procreationem filiorum, & huius procuratio grauissimum mortale peccatum contra naturale seminarium. Abortus autem est eiectio fœtus immaturi iam concepti ex vtero, siue fœtus sit animatus, siue inanimatus. Ita Doctores omnes super Bullam Sixti V. incip. *Effrænatam.* Differunt autem, quod sterilitas non supponit fœtum, neque conceptum; Abortus autem supponit conceptionem, & fœtum. *Ita Lupus de casib. Bergomi casu 9. n. 11.* & cum latum sit inter vtrumque discrimen, pœnæ contra vnum crimen latæ non debent extendi contra alterum, nisi legislator expressè id disponat, vt facit Sixtus V. in citata constitutione; quare cum in præsenti casu nostro fiat mentio de solo abortu, & non de sterilitate, in casum incidunt procurantes abortum, non autem sterilitatem, cum ex diuersis non fiat illatio, maximè in pœnalibus, in quibus nõ fit extẽsio de casu ad casum. Et ita dicit in hoc casu pro Secularibus *Lupus cit. & Floronus in hoc casu V. de abortu, n. 11. §. 5. excipitur*, qui tamen *num. 5.* dixit abortum procurari, quando post copulam impeditur ne fœtus concipiatur, procurando, vt fœmina sterilis efficiatur; sed ego puto eiectum semen statim post copulam mingendo, vel digitis eiiciendo non dici abortum, sed tunc solum cum est conceptum semen, hoc est inceptum fieri fœtus in loco suo naturali per organizationem.

Quæres 2. Quid sit procurare abortum, vt sciatur, quando Religiosus incurrat hunc casum reseruatum?

2 Resp. Procurare abortum casum reseruatum est applicatio studiosa alicuius medij ad eiiciendum fœtum animatum mortiferè ante tempus, etiam effectu non secuto.

Dixi I. *Applicatio*, sola enim præparatio medicaminis, potionis, seu alterius medij nunquam inducit abortum, sed præterea requiritur eorum applicatio, in qua formaliter consistit procuratio, vt in datione veneni, potionis, verbationis, laboris, ponderis, &c. Lupus *casus 9. n. 19.*

Secundò dixi, *Studiosa*, hoc est determinata ad hunc finem scienter, vt sequatur abortus; alio enim fine dans potionem, &c. ex odio &c. non vt offendat fœtum, sed præcisè solam personam, quia forsan ignorat prægnantem, non dicitur procurare abortum, neque proinde incidere in reseruationem. *Graff. hic in fine.*

Tertiò dixi, *Alicuius medij*, non etiam sola voluntate, aut verbis efficitur abortus, sed præterea requiritur aliquod factum, vt potio, verberatio, labor, pondus, &c.

Quartò dixi, *Ad eiiciendum fœtum*, quia alio fine data potio, id non procurare abortum, vt dixi §. 2. vt si fiat ad recuperandam sanitatem, vt dicam infra de abortu casuali.

Quintò dixi, *Animatum*, quia procurans eiectionem fœtus inanimati, non incurrit hunc casum, quia Papa hunc ita expressit excludendo à reseruatione procurationem fœtus inanimati. Animatur autem fœtus rationaliter in masculo post quadraginta dies, in fœmina post octoginta, & in dubio masculi, vel fœminæ præsumitur animatus post quadraginta dies, vt docet *Nau. c. 15. n. 14. & consi. 26. de homicid. Quar. ver. Abortus, Floron. in hoc casu 3. pro Secularib. n. 3.*

Sextò dixi, *Ante tempus mortiferè*, quia si quis procuraret partum aliquibus potionibus non intentione necandi, sed vt filius cito exiret, ne tanto tempore mater dolore afficeretur, non incurreret casum, licet sequeretur mors. *Floron. casu 5. n. 13. §. Quinto.*

Septimò dixi, *Etiam effectu non secuto*, sufficit namque procurare abortum, licet non sequatur interemptio & necatio fœtus, sic enim Papa se explicat.

Quæres 3. An ex Abortu casualiter procurato inferatur reseruatio? Abortus autem casualis est ille, qui sequitur ex aliqua actione, quam Religiosus fecit non ex intentione, & animo abortiendi, sed alio fine, siue malo, vt ex odio, vel vt ex morte succederet in hæreditate siue bono, ne sequeretur infamia, &c.

Respond. Abortus casualis non præuisus à Religioso non inducit reseruationem, quia applicatio, cuiuscumque rei sit, non dicitur procuratio abortus, sed alterius rei. Confirmatur quia iste casus intelligi debet iuxta constitutionem Sixti V. vbi facit mentionem de abortu voluntario, non casuali. *Deinde Nau. c. 15. nu. 14.* dicit, eum, qui in periculum non tamen probabile abortiendi induxit grauidam, non peccare mortaliter, etiam si postea abortiatur, ergo neque in casu nostro *Ita Graff. part. 1. lib. 2. cap. 63. n. 9. Floron. casu 5. de Abortu n. 9. §. Quid autem, §. Excipitur primo, Lupus casu 9. nu. 17.* 3

Quæres 4. An pro conseruando honore, seu vita puellæ, vel pro conseruatione vitæ mulieris possit procurari abortus etiã à Religioso, & sic euitari casus reseruatus?

Respond. Neutrum licitè fieri potest. Primum suadetur ex illo axiomate in Rom. 3. *Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona*, neque enim illud dictum, ex duobus malis minus est eligendum hîc habet locum, quia licet extendatur ad mala culpæ, verificari non potest respectu eorum, quæ intrinsecè, & in se sunt mala, est autem malum intrinsecè procurare abortum, vt euitetur infamia. *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 61. numero 12. & 22. & ex eo Floron. in hoc casu 5. §. 1. Lupus casu 9. numero 17.* Secundum probatur per sacrum dictum mox adductum. Præterquamquod fœtus non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter necatur, quod peius est, quàm prægnantem perdere vitam. *Ita Graff. part. 1. lib. 2. cap. 63. num. 22. Floron. casu 5. num. 9. §. Quarto, Lupus casu 9. num. 28.* Quod si fœtus sit inanimatus non esse peccatum docent plerique cum, *Graff. cit. num. 24. quos citat. Floron. cit. §. 11. Vide resol. 121. quæst. 5.* 4

Quæres 5. An Religiosus ad euitandam mortem sibi comminatam, si non det potionem fœminæ ad abortiendum, incurrat reseruatum procurando, seu dando potionem?

Respond. Licet peccet mortaliter, quia metus cadens in constantem virum à peccato non excusat in iis, quæ sunt intrinsecè mala, tamen excusatur à reseruatione, quia excusat à pœna quauis metus grauis, ergo etiam à reseruatione, quæ est quædam pœna. *Ita Floron. casu 5. num. 15. §. Vndecimo. Lupus casu 9. numero 20.* 5

Quæres 6. An dubium de fœtu animato, excuset à reseruatione?

Respond. Dubitans de animatione fœtus, stante dubio, si procuret abortum, quem non tentaret, si probabiliter sciret esse fœtum animatum, non incidit, quia iste ex intentione non lædit fœtum animatum. Deinde sicut ille, qui non habet intentionem percutiendi Petrum Clericum, quem tamen ex accidenti percutit, non incidit in excommunicationem; ita neque intendens non lædere fœtum animatum, non incurrit reseruationem, licet postea ex accidenti inueniat animatum. Demum casus dubius non est subiectus reseruationi, *vt probaui resolutione 38. quæst. 41* 6

Quæres 7. An lædens fœtum inanimatum, quem putabat animatum excusetur à reseruatione?

Resp. Escusatur, quia ad incurrendam reseruationem requiritur, vt læsio talis sit non solum ex parte parantis, sed etiam ex parte læsi, enim attendatur res prout est, ex parte rei, non in imaginatione. 7

Quæres 8. Quomodo auxilians, seu consulens ad abortum faciendum incidat in casum reseruatum?

8 Respond. Auxilians dicitur qui ad hoc opem præstat, & cooperatur abortui; vt, si doceat modum abortiendi, vel conficiat potionem, vel emat, vel pecuniam det ad emendum, &c. Consulens autem dicitur qui suadet, hortatur, rogat, vel instigat ad hoc malum. Debet autem consilium esse efficax, itavt hortatu consulentis fœmina mota sumat potionem, aliter si jam præparata erat, & ideò non mouetur ex consilio, consulens non incidit, cum propriè non dicatur consulere sed tantum secundum quid, ad quod faciuot dicta *resol.* 38. *q.* 15. Ita de consilio efficaci *casu* 9. *n.* 12. & 29. Lupus. De auxiliante Coriolan. *hic n.* 8.

Auxilians autem, aut consulens casum non incurrunt, nisi posita applicatione remedij præparati, quia sicut non incurrit principale per solam præparationem positionis, vel alterius medij, sed per actualem applicationem mulieri grauldæ, ita neque habet incurrere minus principalis vt auxiliãs, & consulẽs. Ita Lupus *casu* 9. *n.* 19.

Quæres 9. An mandans comprehendatur in hoc casu? Negatiua videtur, quia regulare est non subintelligi in pœnalibus, neque reseruatione nisi exprimatur, ex probatis *ref.* 38. *q.* 15. hic autem non exprimitur.

9 Respond. Mandans comprehenditur sub illo verbo, *Procuratio*, qui enim mandat faciendum abortum sine dubio dicitur hunc procurare, ideò non excusatur à reseruatione. Et id est conforme Bullæ Sixti V. illis verbis. *Qui de cætero per se*, ecce immediata procuratio sine mandato, *Aut interpositas personas*, ecce procurationem per mandatum, mandans enim dicitur agere per interpositam personam.

Quæres 10 An affectus hoc casu incurrat etiam decimum de homicidio? qui enim interimit fœtum animatum, dicitur homicida *ex cap. Quod vero* 32. *q.* 2.

10 Resp. Vnus alium non includit, licet vtraque interemptio vocetur occisio, & homicidium siquidem hîc agunt de læsione hominis nondum nati, in decimo autem de eiusdem iam nati interfectione, vt dicam *resol.* 49. §. *Demum.*

Quæres 11. An præter reseruationem, impositæ sint aliæ pœnæ contra abortientes?

11 Resp. Sixtus V. in sua Const. *Effrenatam*, apud Quar. *ver. Abortus*, Nald. *ver. eod.* & alios, statuit sequentes pœnas contra procurantes directè, vel indirectè abortum fœtûs tam inanimati, quàm animati, effectu tamen secuto abortus; præterea contra propinantes potiones sterilitatis, aut impedientes ne fœtus sequatur, & huiusmodi curantes consulẽtes, & mulieres ipsas pocula scienter sumentes. Prima, incurrunt ipso iure omnes pœnas quas iura, tam canonica, quàm ciuilia statuunt aduersus veros homicidas voluntarios actu. Secunda, clericis tum secularibus, tũ regularibus adiecit ipso iure pœnas priuationis cuiuslibet priuilegij Clericalis, Officiorum, Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum perpetua inhabilitate ad hæc, & alia huiusmodi officia, & ordines in perpetuum, cum degradatione, & traditione curiæ seculari ad quæ prædicta sunt omninò inhabiles, qui clerici non sunt, ita quod promoueri non possunt. Tertia est excommunicatio reseruata, sublatis quibuscumque priuilegiis etiam Tridentini, etiam Iubilæi ab illa absoluendi, & alia relaxandi lata contra omnes viros, & fæminas cuiuscumque status, & conditionis committentes, auxiliantes, consulentes, fauentes ad abortum. Postea Gregor. XIV. const. *Sedes Apostolica*, dictam Bullam nimis rigidam moderatus fuit, ita quod concessit, quod à peccato, & ab excommunicatione quilibet confessarius approbatus ad audiendas confessiones fidelium possit absoluere, deputatus tamen specialiter ad hos casus per loci ordinarium. Quoad pœnas, constitutionem Sixti V. in ea parte in qua agitur de procuratione abortus fætus inanimati, & sterilitatis, reduxit ad terminos iuris communis, canonum, & Tridentini. In reliquis voluit remanere in suo robore, vnde cæteræ pœnæ remanent sub dispositione prioris constitutionis in ordine ad fœtum animatum. Itaque pœna excommunicationis est solum contra abortientes fœtum animatum, *Quar. Rodr. tom.* 2. *quæst.* 54. *art* 4. *cum suo Compend, resol.* 4. *num.* 2. *Portel. ver. eod. nu.* 3. vbi dicit neque incurrere irregularitatem, cum non sit homicidium; neque priuatum esse suis officiis, *ex eodem num.* 8. *Rodriqu. cum suo Compend. n.* 4.

Quæres 12. An huiusmodi pœna excommunicationis, quæ afficit solum abortientes fœtum animatum respectu regularium sit de iure communi reseruata, an debeat accedere factum superioris reseruantis?

Respond. De iure est reseruata superioribus, vt col- 12
ligitur ex citata constitutione præcedenti quæsito, vnde quamuis Superiores sibi non reseruarent peccatum, adhuc confessarij non possent ab illo absoluere, nisi prius à superiore tolleretur censura. *Vide id probatum resol.* 37. *q.* 13.

Quæres 13. An Superior concedendo facultatem absoluendi ab hoc casu simul etiam intelligatur concedere potestatem super censuram?

Respond. Subintelligitur concessa facultas pro cen- 14
sura; Tum quia vno concesso, ea omnia, sine quibus illud vnum expleri non potest, intelliguntur concessa *cap. Preterea, capit. Prudentiam, de off. deleg. l. Cui iurisdictio ff. de iurisd. omn. iud.* sed sine absolutione ab excommunicatione non potest confessarius explere sibi commissionem factam absoluendi à peccato. Tum quia aliàs concessio esset inutilis, & frustratoria, cum illa vti non posset. Demum & si nomine casuum non veniunt censuræ, hoc tameo fallit quando casus habet adnexam censuram ex dictis *resolut.* 37. *quæst.* 14. & *resolut.* 39. *q.* 22.

Quæres 14. An superiores saltem maiores possint dispensare super irregularitate contracta ea abortu fœtus animati?

Respond. Affirmatiuè *resol.* 13. *quæst.* 5. 15

RESOLVTIO XLVI.

De septimo casu reseruando in Religione.

Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterij, seu Conuentus.

SVMMARIVM.

1 *Falsificare manum quid sit?*
2 *Manus nomine quid veniat?*
3 *Sigilli nomine quid veniat?*
4 *Aut dictio, quomodo sumatur?*
5 *Officialium nomine qui veniant?*
6 *Quando incurratur iste casus?*
7 *Quando vero excusetur?*

FAlsificare manum alicuius est immutare sensum, 1
quem scriptura à se confecta habet, in alium diuersum cum malitia, & dolo, quia falsitas effectus falsificationis est immutatio veritatis. Ita communiter Doctores *in l. Quid sit falsum, ff. de crimine falsi.* Falsificatur autem manus alicuius non solum fingendo scripturam esse alicuius personæ, supponendo illi eius nomen, seu sigillum, sed etiam omnino imitando eius characteres, eo quod immutatio, & falsitas in rei substantia constat, in quantũ scriptura aliqua confingitur esse alicuius, cuius non est, siue deinde imitetur eius manus, siue non. Falsificatur autem manus, vel totam scripturam confingendo; vel iam scriptam de ordine officialis, subscribendo; vel addendo illi iam conscriptæ aliquod substantiale; vel detrahendo, &c. Vide Doct. super *cap. Licet regimen, de crim. falsi.*

Manus nomine non solum venit subscriptio officia- 2
lis, quæ scripturam autheuticat, sed etiam tota scri-

ptura

ptura, eum & hæc dicatur manus officialis, vnde dicit Cic. Ad Atticum, vtrumque complectens, his verbis. *Nam Al xidis manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tua litera.* Nomine igitur Manus quælibet scriptura officialis est, quatenus officialis est. & non vt talis personæ præsciudendo ab officio, vt sunt epistolæ officialis ad aliquem, in quibus tractatur de re spectante ad suum officium, literæ dimissoriæ ad ordines, ad officia, ad peregrinandum, ad aliquid peragendum, libri ratiociniorum, inuentarium, libri Missarum, &c. parum autem refert, si scriptura sit confecta per manum officialis, vel alterius eius nomine, quia vtraque dicitur manus officialis.

3 *Sigilli* nomine venit illud signum, quo officialis suam scripturam subsignat; hoc autem falsificari potest. I. constructione alterius sigilli similis. II. appositione falsi sigilli literis officialis. III. appositione veri sigilli sine licentia ad vera etiam scripturas officialis, *ex Megal. l. 3. de cens. c. 5. n. 12.* quia licet tale sigillum in se verum sit, tamen respectu literarum, quibus applicatur, falsum est. IV. appositione falsi sigilli literis falsis. V. remotione sigilli à vera scriptura, probant *Bart. & Felin. in c. Cum olim 2. de off. deleg. Vinald. in excommun. 5. Bullæ. De his modis falsificandi sigillum c. Licet regimen, de crim falsi, & Doctores super Bullam Cœnæ Domini*, de falsariis literarum Apostolicarum, nam super his doctrina applicari potest ad nostrum casum, *vide Portell. ver. Falsarius n. 1. & 2.*

4 *Aut*, hæc dictio, quandoque sumitur coniunctiuè pro, *&*, seu etiam declaratiuè, pro, *idest*; hic tamen in propria sua significatione sumitur disiunctiuè, ita quod sufficit ad incurrendum casum hunc falsificare alterum illorum, nempe aut manum sine sigillo, aut sigillum sine manu. *Ita Graff. hic n. 5. & 32.*

5 *Officialium* nomine veniunt quicumque Religiosi siue sint professi, siue non, qui habent aliquod officium superioritatis, vt Generalis, Prouincialis, Custos, Prior, Guardianus, &c. honoris, vt Definitor, Discretor, Custos vocalis præcisè, &c. aut oneris, & laboris, aut procurator, sindicus, celerarius, sacrista, depositarius, &c. & quicumque alij subscribentes, aut conficientes scripturam publicam pro interesse monasterij. Quare nomine officialis non venit tantum vices gerens alterius, sed etiam ipsemet Prælatus, *vt docent Graff. c. 7. n. 9. & 18. Coriol. n. 1. Portel. ver. Falsarius n. 4.* vbi excludit Generalē, & Prouincialem, quos non vult dici officiales conuentus, sed prouinciæ, seu Religionis; sed puto nomine monasterij venire etiam totam prouinciā, & totā Religionem, idem enim verbum relatum ad diuersas personas diuersimodè etiā interpretatur *Grilenz. conf. 156. n. 11.* nec obstat, quod nomine Officialium veniant propriè vices gerentes Prælatorum, *vt docet Graff. n. 8. per glos. ver. Officialium c. Ex frequentib. de instit.* quia quandoque idem verb. propriè, & impropriè sumi potest. *Glos. ver. Leg. c. 18. de testam. Sach. l. 8. disp. 17. n. n. 16.* præterea sicut officiorum nomine apud regulares veniunt coniuncta cum superioritate, ex const. *Ad Romanū spectat*, Sixti V. *apud Quar. pag. mihi 298. de qua re Sorb. ver. Ingressus Monast. Annot. n. 8. Sanch. l. 6 c. 17. 66.* Ita & officialium nomine veniunt Superiores, tenet enim apud Logicos argumentum secundum locum à coniugatis. Idem Portel. vbi requirit, vt religiosus falsificet manum, vel sigillum officialis eiusdem Conuentus, vbi ambo morantur, quod displicet, quia licet sint diuersorum conuentuum, adhuc est falsificatio manus officialium Monasterij, & sic verificantur verba casus, ergo & ipse casus; neque enim hæc est ampliatio casus, sed propria eius interpretatio. Comprehendit verò Sindicium secularem, quod reprobo, quia alij etiam officiales seculares deberent includi, cum sint officiales Monasterij, quod non est verisimile, ergo sufficit sub eo nomine tantum Religiosos nisi liber esset aromatoriæ, vel immediatè Conuentus conscriptos à Secularibus.

6 Procedunt hactenus dicta. I. licet nullum sequatur damnum in huiusmodi falsificatione, quia quamuis ad falsitatem tria requirantur *ex Silu. ver. Falsitas, Graff. part. 1. l. 4 c. 18. n. 87.* mutatio veritatis, dolus, & damnum, quia tamen hoc postremum hic non exprimitur, ideò sine illo incurritur. *Ita Graff. hic n. 2. contra Coriol. n. 2.* Procedunt. II. licet illis non vtatur, quia ex verbis casus sufficit falsificatio, *Ita Graff. hic n. 17. contra Coriol. num. 2.*

7 Non incurrit. I. vtens falsatis ab alio, etiam suo nomine, quia verba casus loquuntur de falsificatione, non de vsu. *Ita Graff. hic n. 20. contra Coriol. n. 4.* Non incurrit II. Mandans, consulens, & huiusmodi causæ, quia in casu non exprimuntur. *Ita Graff. hic n. 23.* Non incurrit III. falsans manum non subscriptam, quia verba casus intelliguntur de manu publica, qualis non est scriptura non subscripta. Non incurrit IV. lacerans, aut comburens scripturam publicam, aut sigillum, quia id non est falsificare, sed rem destruere in totum, quod non contingit in falsificatione, quæ rem non destruit in totum, sed alterat, & mutat à sua origine, vel veritate.

RESOLVTIO XLVII.

De octauo casu reseruando in Religione.

Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

SVMMARIVM.

1 FVrtum, quod est iniusta contrectatio, seu acceptio, aut ablatio rei alienæ inuito domino *l. 1. ff. de furtis*, vbi dicitur contrectatio, *c. Pœnale 14. qu. 5.* vbi dicitur illicita vsurpatio rei alienæ, triplicis est generis pro foro conscientiæ; primum dicitur speciale, quod fit inuito domino, sed non per violentiam, eo quod dominus ignorat rem sibi furto auferri. Secundum vocatur Rapina vsurpatio rei alienæ per vim factam domino rei scientis & videntis furtum sibi fieri. Tertium denique dicitur Sacrilegium ablatio rei sacræ, vel non sacræ de loco sacro sub custodia Ecclesiæ, vel cuiuscumque rei facta à religioso professo. Nomine, *rei sacra*, venit quælibet res consecrata, aut benedicta, vt materiæ sacramentorum, omnia vasa, & omnia indumenta sacerdotalia, lapis sacer, mappæ altarium, & huius generis vtensilia, calix, pixis, turibulum, reliquiæ sanctorum, &c. *Vide Megal. s. 2. libro 2. capit. 4. num. 4. Bonac. de sacrileg. n. 17.* Quod non sacra sublata in Ecclesia, sub cuius potestate erat, quia consignata fuit sub deposito, sub custodia, sub commodato, &c. inducat sacrilegium, constat *ex cap. Quisquis 17. q. 4.* vbi habentur hæc verba. *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro vel non sacrum de non sacro.* Et licet ibi non distinguatur sitne consignatum Ecclesiæ, tamen communior pars Doctorum ita distinguit cum *Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 4. Cruz, Fagund. Henr. Zerola, quos pro se citat Diana resolut. 27. de circumst. aggrau.* Quare furans in Ecclesia marsupium diuiti non est sacrilegus, quia cum ibi per

accidens sit marsupium ratione personæ ibi repertæ, nulla irrogatur iniuria Ecclesiæ, sicut quando auferrur res Ecclesiæ consignata. Non solum committitur furtum sacrilegum auferendo sacrum in loco custoditum, sed etiam auferendo res monasterij, vt in casu nostro, in quo furtum dicitur sacrilegium non ratione obiecti, & rei sublatæ, sed ratione personæ habentis votum paupertatis, quod per furtum violatur, & ideo sacrilegiũ vocatur, & in hoc sensu præcipuè agendum est hîc.

2 *De rebus monasterij*, quo nomine quæcumque res mobiles veniunt siue temporales siue spirituales, vt pecunia, vestis, vinum, oleum, panis, calix, indumenta sacerdotalia, vt ensilia sacristiæ monasterij, libri etiam manuscripti, &c. de quibus *vide Graff. super hunc casum n.24. 25. 26. Coriol. ad hunc casum n.10. & 14.* Procedit siue sint communitatis eiusdẽ monasterij, vt omnes fatentur, siue applicata iã ad vsum particularem alicuius religiosi, vnde incidit in hunc casum surripiens res non solũ monasterij, sed etiam alicuius fratris, & religiosi particularis, vt docet Sorb. ver. absol. ordin. quo ad Fratres, *& ex eo Beia p.3. casu 16. Graff. hic nu. 4. Coriol. nu. 13. contra Ledesmam, & Cenedum, quos citando sequitur Diana resol.44. de Paup. relig.* respondendo non constare Summum Pontificem declarasse sub illis verbis casus comprehendi furtum de rebus ad particularis alicuius religiosi vsum destinatis. Et à fortiori furtum de rebus extraneorum nõ est casus reseruandus cum limitatur furtum ad res monasterij.

In ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. Hanc quantitatem satis explicui *resol. 43. initio §. Quantitas*, vbi dixi, excessum trium Iuliorum esse quantitatem, quæ constituit peccatum mortale. Graff. *hic n. 13.* ait sufficere vnum reale, Coriol. *n.3.* relinquit arbitrio boni viri.

Quæres autem 1. Cum furtum sit vsurpatio rei alienæ inuito domino, An religiosus accipiens aliquid monasterii sine licentia, non tamen expresse contra voluntatem superioris, eo quod superior est ita bene affectus contra religiosum, vt si petiisset, libenter superior concessisset excusetur à furto, consequenter à reseruatione?

3 Resp. Non est fur, neque proinde subditur reseruationi, quia in simili casu superior non censetur inuitus, sed potius velle, vt subditus tali re vtatur. Confirmatur, quia omnis licentia excusans à vitio proprietatis, cuiusmodi est non solum expressa, sed etiam tacita, interpretatiua, non repugnantia, excusat etiam à furto, cum non dicatur superior inuitus, sed volens; quæuis autem ex prædictis licentiis excusat à proprietate ex probatis *resol.43. qu.4.* & seq. ergo, & à furto, cum dominus superior non censeatur inuitus; vnde *Graff. hic nu. 28.* ait excusari religiosum à furto, quando non contradicit, cum sufficiat consensus tacitus.

Quæres 2. An damnificans monasterium, impediendo aliquod bonum acquirendum, vel acquisitum alienando, distrahendo, proiiciendo, comburendo committat furtum?

4 Respond. Non facit furtum, neque incurrit hunc casum, quod probatur. Tum quia damnificatio proprie furtum non est, *vt docet Megal. 2.2. li. 2. cap. 1. n. 16. & 19.* Tum quia diuersi sunt tituli de furtis, & damno dato. Tum quia furtum dicitur vsurpatio rei alienæ in propriam vtilitatem, damnificans autem, & proiiciens nihil in proprium conuertit commodum, vt de se patet. Tum quia excommunicatio lata contra furem non comprehendit damnificatorem, vt *docet idem Megal. n. 19. Nau. c.17. n.4. Bonac. q. 1. de cens. p.3. num. 11.* ergo neque reseruatio lata contra furem comprehendit damnificatorem.

Quæres 3. An dicatur fur religiosus, qui sibi consignata à superiore ad distribuendum vel in eleemosynam pauperum, vel ad vsum religiosorum, sibi vsurpat in proprios vsus?

5 Resp. Furtum committit casum reseruatum, quia res traditæ adhuc remanent res monasterij donec actu distribuantur, ergo illas sibi retinens ante diuisionem fur est, & latro.

Quæres 4. An peculium sibi concessum a superiore, expendens in alios vsus, quàm designatos à superiore, dicatur furtum committere?

Respond Non dicitur fur, quia alienum non aufert, sed iam habitum de consensu superioris expendit ad non destinatos vsus, consequenter solùm est proprietarius. Nec obstat pro nostro ordine constit. Pij V. *Ea est officij* quod. *Quicumque pecuniam, aut aliam rem qualicumque causa concessam Prælato suo celauerit, furti reus censeatur, & tamquam fur puniatur.* Quia aliud est esse proprie furem, aliud pro tali puniri posse, nam id præcise indicat in foro externo puniri posse ac si esset fur, nam particula; *Tamquam*, importat similitudinem, & diminutionem eius, cui adiicitur, *cap. Quoniam. §. Quod si, Vt lite non contest. Graff. par. 2 lib. 3. c. 5. num. 20.* Igitur veritatem rei non dicit, sed eius similitudinem; consequenter fur dici non potest, qui rem habuit domino consentiente, licet inuitus sit quo ad modum vtendi, quod solum indicat proprietatem. 6

Quæres 5. An recipiens aliquid à consanguineis, amicis, vel extraneis sine aliquo consensu Superioris, immo eo inuito, dicatur fur?

Resp. Est solum proprietarius, cum exerceat actum prohibitum ex voto paupertatis, fur autem non est, quia de consensu domini recipit. 7

Quæres 6. An Religiosus fur teneatur restituere monasterio, aut extraneo?

Respond. Tenetur si potest, vel saltem admonere alterum, cui dono dedit, vt restituat, & damnum resarciat. *Bona. disp.2. de restit. q.10. p.3. num.7. Beia part. 4. casu 17.* 8

Quæres 7. An furans res Monasterij, seu alterius præter peccatum furti, dicatur etiam proprietarius.

Respond. Vtrumque peccatum quamdoque simul reperiri potest in eodem actu, aliquando contingere potest furtum sine proprietate, & vitium proprietatis sine furto, *vt dixi & de hac re exempla adduxi resol. 43. q. 38.* 9

Quæres 8. An Religiosus incurrens in hunc casum, semper etiam incurrat in casum proprietatis? Et incurrens in casum proprietatis incidat etiam in casum furti?

Respond. Fur quotiescumque afficitur hoc casu incurrit etiam alterum de proprietate, quia fur sibi vsurpans res Monasterij illas auferre dicitur contra voluntatem domini superioris, ergo non solum fur, sed etiam proprietarius dicitur, cum de re Monasterij disponat independenter, & contra voluntatem superioris. *Ita docet Graff. hic nu. 16. & 21.* Potest verò accidere, quod proprietarius quis scit circa res Monasterii, *vt dixi sub q. 2. & 4.* non commiserit furtum, consequenter incurrit illum casum de proprietate, & non hunc de furto. 10

Quæres 9. An Religiosus fur incurrat eas omnes pœnas, quibus subiicitur proprietarius?

Resp. Non, quia sicut hæc duo delicta quandoque distinguuntur, ita ratio dictat, vt pœnæ quoque distinguantur, ideo fur, qui etiam proprietarius non iudicatur, non est puniendus pœnis proprietarij, neque è contra proprietarius pœna furti. 11

Quæres 10. Quibus pœnis afficiantur fures?

Resp. De iure communi sunt perpetuo deponendi, *cap. Cum non ab homine, de iud. cap. Presbiter distinct. 81.* qui textus quamuis loquantur de clericis, bene tamen extendunt etiam ad Religiosos, qui post depositionem detrudendi sunt in arctum Monasterium, attenta quantitate, & qualitate furti, *vt docet Aldreta lib. 2. de relig. discipl.* quem citat *Lezana c. 9. num. 43.* Imò Ioan. Trullus *apud Rodr. tom. 2. q. 38. art. 3. & ex eo Coriol. hic n.18.* dicit hunc esse eiiciendum à Religione, sed id falsum est saltem hisce nostris temporibus, quibus nullus eiici potest nisi propter incorrigibilitatem etiam huius criminis, aliter pœna arbitraria punitur, *vt ex suo Doctore asserit Compend. resol. 48. num. 44.* 12

Quæres

Quæres 11. An furans calices, patenas, & alia Ecclesiæ ornamenta incurrat aliquam censuram de iure cõmuni?

13 Resp. Furans Ecclesiastica cum effractione non rei surreptæ, vt quidam malè cogitauerunt, sed portæ, muri, fenestræ, aut armarij Ecclesiæ incurrit excommunicationem latam *in c. Canonica* 105. 11. *q.* 3. *& c. Omnes Ecclesia* 3. 17. *q.* 4. *& in c. Conquesti* 22. *de sent. excom.* determinatur huiusmodi excommunicationem fulminatam in dictis capitibus, esse reseruatam Papæ post denuntiationem. Ita omnes cum Silu. *ver. Furtum n.* 7. *& ver. Excom.* 7. *casu* 8. Nau. *c.* 27. *n.* 94. Rodr. *tom.* 2. *q.* 38. *art.* 2. *cum suo Compend. resol.* 48. *n.* 45. de Religiosis loquens etiam Graff. *hic n.* 20. *Coriol. hic n.* 11. *&* 12. vbi refert actiones, & res super quas cadere potest effractio. Miror hic hos viros doctos, & alios ab his citatos requirere effractionem, siquidem de ea in prioribus textibus, vbi excommunicatio fulminatur, nulla fit mentio, sed solum *in capit. Conquesti*, non in parte dispositiua, sed in narratiua casus perpetrati cum fractione Ecclesiarum, quod ius non facit, *ex c. Ex litteris* 3. *de fide instrum. iuncta gloss. ver. Abrasæ sunt*, quia hoc ad ius non pertinet, sed ad quæstionem *l. Si vnus C. de testam.* quod procedit licet narratio fiat à Papa, c. *Si Papa* 10. *de priuil.* Grilenz. *consil.* 107. *n.* 16. nisi Papa narret de facto suo, super quod fundet suam intentionem, ibi Gloss. *ver. Asserat, per Clem. de probat.* Quare verius de iure isti fures sunt excommunicati, licet nihil fregerint. Ab hac excommunicatione possunt absoluere Superiores etiam post factam à se denuntiationem propter sua priuilegia, & etiam quia comiuetur sub dispositione huius casus.

RESOLVTIO XLVIII.

De nono casu reseruando in Religione.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

SVMMARIVM.

1 *Lapsus carnis comprehendit omnes species luxuriæ.*
2 *Luxuria est illicita, & voluntaria eiectio seminis humani.*
3 *Fornicatio est emissio seminis soluti intra vas solutæ.*
4 *Stuprum est emissio seminis intra vas virginis cum fractione sigilli.*
5 *Adulterium est emissio seminis intra vas fœminæ quorum alter saltem est coniugatus.*
6 *Incestus est emissio seminis intra vas sibi consanguineæ, vel affinis.*
6 *Raptus est emissio seminis intra vas fœminæ violenter abductæ.*
8 *Sacrilegium emissio seminis cum læsione alicuius rei sacræ.*
9 *Vitium contra naturam est emissio seminis sine ordine ad generationem.*
10 *Sodomia est emissio seminis intra vas personarum eiusdem sexus.*
11 *Bestialitas est emissio seminis intra vas alicuius bestiæ.*
12 *Abusus mulieris est emissio seminis intra vas præposterum fœminæ.*
13 *Mollities est emissio seminis extra quodcumque vas.*
14 *Supradictæ species continentur sub casu reseruato.*
15 *Lapsus, vt sit reseruatus debet esse voluntarius.*
16 *Casu pollutionem patiens non incidit.*
17 *Debet species luxuriæ esse opere consummata.*
18 *Stillatio seminis non est reseruata.*
19 *Vtique pollutio sine aliqua motione?*
20 *Pollutio solitaria est reseruata?*
21 *Tactus illiciti excluduntur.*
22 *Patiens pollutionem alterius circa se excusatur.*
23 *Pœna fornicariorum.*

1 LApsus carnis nomen comprehendit omnes species Luxuriæ, vt asserunt omnes scribẽtes super hunc casum cum Graff. *pr. lib.* 3. *c.* 8. *n.* 3. Coriolan. *hoc casu* 9. *n.* 1. *Quar. ver. casus reseru. §. Circa nonum*, & hoc nulla est discrepantia. Quare nil aliud est lapsus carnis quam voluntaria, & illicita seminis effusio, dico *illicita*, ad excludendam copulam coniugalem, quæ licet sit voluntaria seminis intra naturale vas fœminæ suæ coniugis, non tamen est illicita, sed licita, & necessaria ad humanam generationem, vt docet Graff. *cit. n.* 8. *& alij omnes*. Quod lapsus carnis vocetur luxuria, & quæuis fornicatio expresse colligitur ex pluribus textibus iuris canonici præsertim *dist.* 50. per totam, & in terminis *c. Peruenit* 19. c. *Domino* 25. *dist.* 50. *c. Paulus* 42. c. *Lator* 43. c. *Peruenit* 58. 2. *q.* 7. & alibi sæpius. Vt autem singula distinctius examinentur, videndum est quid & quotuplex sit lapsus carnis, seu luxuriæ, vel fornicationis species.

Luxuria autem, seu fornicatio in genere est voluntaria, & illicita eiectio humanis semini. Dico, *voluntaria*, quia si est peccatum necesse est, quod fiat voluntarie, quod est de essentia peccati, alias inuoluntariè proueniens ex vi præcisa nullum est peccatum, sicut quando quis metu luxuriatur, tale enim voluntarium habet adiunctum, quod à peccato non excusat. Dico *illicita*, propter rationem adductam de copula coniugali, quæ peccatum non est in se. Potest autem semen emitti duobus modis. I. iuxta ordinem naturæ ad generationem, secundum quod constituuntur sex species luxuriæ, nimirum, Fornicationis, Stupri, Adulterij, Incestus, Raptus, & Sacrilegij, in quibus semen emittitur in vase naturali apto ad generationem. II. contra ordinem naturæ prodigendo semen, vnde septima species fornicationis, seu lapsus carnis vocatur peccatum contra naturam; de singulis distinctè aliquid dicendum, cum verba casus prout iacent ad singulas referantur species luxuriæ. 2

Fornicatio simplex est emissio seminis viri soluti intra vas naturale fœminæ solutæ. Nomine, *solutus, & soluta*, veniunt liberi à voto castitatis siue simplici, siue solemni, siue expresso per professionem, seu tacito per susceptionem sacri ordinis; à coniugio, à cognatione consanguinitatis, aut affinitatis, & à virginitate. Conditio infidelitatis non diuersificat fornicationem, quia copula habetur affectu concupiscentiæ, non intuitu infidelitatis, contra Nau. c. 16. *n.* 3. Conditio sponsaliorum eandem non diuersificat, Nald. *Fornicatio, n.* 1. licet iudicet oppositum probabilius *ver. Sponsalia n.* 12. quia infertur iniuria sponsalibus. Neque ratio Nouitiatus, vt docet Megal. *lib.* 5. *de pœnit. c.* 11. *n.* 7. & ex eo Diana *resol.* 7. *de circumst. aggrau.* 3

Stuprum est emissio seminis intra vas fœminæ virginis cum fractione sigilli virginitatis, *c. Lex illa* 36. *q.* 1. vbi dicitur illicita virginum defloratio. Signaculum virginitatis est quædam tenuissima membrana carnis, seu potius aliqua complicatio partium ipsius orificij vasis fœminæi, quæ per viri accessum dilatantur, & sic aperitur, & patefit vas, ex quo dicitur amitti virginitas, vt Medicis citatis tradit Sanch. *lib.* 7. *c.* 14. *n.* 1. Vnde si fœmina patiatur copulam viri cum tali dexteritate, vt illud os non aperiatur, adhuc remanet virgo naturaliter, cum pellicula non fuerit fracta. Nomen autem stupri quando reseruatur sumitur in significatione propria mox explicata; non autem impropriè quatenus sub eo nomine venit etiam copula cum vidua, soluta, aut puero, vt plerique Doctorum dicunt, de qua re vide Graff. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 70. Tolet. *lib.* 5. *c.* 11. Belloch. *q.* 12. *n.* 74. Multi cum Sanch. *lib.* 7. *disp.* 14. *n.* 4. Megal. *lib.* 5. *de pœnit.* c. 11. *n.* 10. §. *Quarta*, docent stuprum non dicere specialem malitiam specie diuersam à fornicatione, quando virgo consentit in copulam, contra plures alios opppositum sentientes. Sed de hac re alibi. 4

Adulterium est emissio seminis viri intra vas fœminæ quorum vterque, vel alter saltem est coniugatus. 5

Incestus est emissio seminis viri intra vas fœminæ sibi consanguineæ, vel affinis intra illos gradus, in quibus non potest contrahi matrimonium. Colligitur *ex c. Lex illa* 26. *q.* 1. vbi dicitur quod incestus est consanguineo- 6

rum,& affinium abusus. Ita Magister *sent. in 4. dist.* 4. & quamplures referens Florouus *casu* 6. *num.* 8. *&* 9. Saoch. *lib.* 7. *disp.* 5. *n.* 8. Non potest autem constare mattimonium inter consanguineos,& affines ea copula licita intra quartum gradum, & ex copula illicita intra secundum gradum, vnde copola inter hos habita dicitur incestus habens specialem malitiam oppositam reuerentiæ,& obseruantiæ exhibendæ cognatis. Igitur ratio incestûs propriè accepit io his consistit, vnde in aliis excluditur,sicut & in cognatione legali,aut spirituali, inter quoa copula solum impropriè incestus est,vt docent Nao. *cap.* 16. *n.* 3. Tolet. *lib.* 5. *c.* 12. Angel. *ver. eod. n.* 1. Nald. *ver. eod. n.* 3. Florouus *casu* 6. *n.* 6. Graff. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 80. *n.* 1. contra Megal. *lib.* 5. *de pænit. c.* 12. *n.* 12. dicentem circunstantiam cognatioois necessariò esse confitendam in peccatis carnalibus inter cognatoa affines etiam vltra secundum gradum commissis, qnia Consilium sustulit quidem impedimentum,noo tamen proximitatem graduum quæ est de iure naturæ;contra Bonac. *q.* 4. *de matrim. p.* 16. *n.* 1. *&* 2. asserentem incestum committi à cognatis cognationibus non solum secundum consanguinitatem,aut affinitatem, sed etiam secoodum cognationem legalem, & spiritualem sacramentorum Baptismi, & confirmationis; sed est impropriè incestos, cum de iure sit abusus consanguineorum, & affinium,& is tantum venit sub reseruatiooe casus incestûs,vt docent supra citati cum Floron. *casu* 6. *n.* 31. *§. Tertio, §. Quarto.* Est autem commune apud omnes oon contrahi affinitatem, nisi vir intra vaa fœminæ emittat semen,quamuis fœmina noo seminet,cuius semen non facit ad rem hanc.

7 Raptus est emissio seminia intra vas fœminæ abductæ violenter extra domum; ipsa,vel quorum interest resistentibua. Scio ad raptum non requiri actualem copulam, sed sufficere violentam abductionem cum animo explendi libidinem, vel contrahendi matrimonium, vt docet cum aliis Sanch. *lib.* 7. *disp.* 13. *n.* 9. tamen provt facit ad rem nostram,Raptua consistit in copula cum abducta violenter extra domum. Quare dato, quod aliquis Religiosus fœminā abstraheret è domo causa explendæ libidinis, quam non expleuit, non incideret io hunc casum,cum non commiserit lapsum carnis.

8 Sacrilegium est emissio seminia cum læsione alicuius rei sacræ. Hoc peccatum committi potest. I. cum persona habente votum castitatis simplicis,aut solemnis per professionem,vel sacri ordinis susceptionē. II. cum persona cognata ex sacramento Baptismi,vel confirmationis;vt cum baptizans seminet cum persona baptizata,vel eius patre, & matre; item cum susceptores seminãt cum persona suscepta,vel eius ante dictis parentib. III. quando quis seminat in Ecclesia, vel cemeterio,vt docet Nau. *c.* 16. *n.* 2. *§. Interrogatus autem*, Graff. *p.* 1. *lib.* 1, *c.* 20. *n.* 28. Bonac. *q.* 4. *de matrim q fin. n.* 9. Hæc Luxuriæ species vagati per omnes alias species cum fornicatiooe simplici,quando Religiosus rem habet cum soluta,cum stupro,qoando deflorat virginem,&c.

9 Vitium contra naturam vltima species fornicationis est illud, in quo semen emittitur sine ordine ad generationem. Huius qoatuor sunt species. Bestialitas, Sodomia, Abusua mulieris,& Pollutio.

10 Sodomia est coniunctio persooarum eiusdem sexus cum emissione seminis intra vaa ionaturale,si sit cōiunctio virorū,vel etiā naturale,si sit coniunctio feminarū. Igitur hoc peccatum est contra sexum, & debitum iostrumentorum. Masculus ergo perfricando intra vas innaturale alterius masculi, ibique seminaodo sodomiam committit completè,& propriè acceptā,& hæc tantū de iure cadit sub reseruatiooe; si extrahat & extra seminet ad eludendam reseruationem,perfecta mollities est, & imperfecta sodomia, ideo vtrumque in confessiooe explicandum;si verò perfricando extra in quauis alia parte corporis,pollutio taotum est,nulla ratione sodomia. Qoando mulier perfricatur cum alia muliere, siue ante, siue retro,iuxta vaa sodomiam propriè,& perfectè committit,si semen vas intret,accedente etiam aliquo adminiculo, Bonac. *q.* 4. *de matr. p.* 11. *n.* 5. *§. Tertio.* Si vero in alia parte se refricantes seminarent, committerent solum Mollitiem, sicut & quando digito,aut alio instrumento aguot.

Bestialitas est emissio seminis intra vas alterius speciei, seu est coitus cum bellua, vel dæmooe,vt docent 11
Ang. *ver. Luxuria*, Graff. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 89. Bonac. *q.* 4. *de matrim. p.* 12. Coriol. *ad hunc casum in fin.*

Abusus mulieris est emissio seminis viri intra vas præpostetum fœminæ. Non est ergo propriè sodomia,cum 12
sit tantum inter personas eiusdem sexus,sic docent Caiet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. Silu. *ver. Luxuria, Armilla ver. Sodomia*,vnde non venit sub casu reseruato sodomia,vt docet Floron. *casu* 7. *n.* 6. nisi casu explicet sodomiam cum mulieribus, Belloch. *p.* 2. *q.* 1. *n.* 186.

Mollities est emissio seminis extra quodcumque vas. Hæc solet contingere solitaria, vel cum tertia persona, 13
cooiunctione vel manus,aut corporum,siue alio medio: aut etiam sine agitatione corporis, & genitalium,cum vehementi aspectu, vel meditatione venerea. Hæc duplex est, vna voluntaria, & in vigilia,quando persona eam procurat,& hæc semper peccatum mortale,etiam ob sanitatem causata. Altera dicitur Nocturna,quia accidit nobis dormientibus,& hæc in se peccatum non est cum non sit voluntaria, vtique peccatum mortale in causa, quando persooa præuidet ex turpi aspectu, vel collocutione,vel cogitatione futuram in somnis pollutionem, & ooo se pœnitet antequam dormiat nolendo illam euenire; semiexpergefactus si non potest semen excisum iam retinere, potest sine peccato sinere abire, quia tunc emissio motus est naturalis,& non voluntarius, si tamen eam delectatione non conitetur.

Quandu igitur reseruatur peccatum luxuriæ sub dictis verbis, *Lapsus carnis*, veniunt omnes supra numeratæ species,quæ sunt fornicatio simplex, stuprum,adulterium,incestus,raptus,sacrilegium,sodomia,Bestialitas, abusus mulieris,& mollities,vt docent Graff. Quar. Coriol. *citati initio quæsiti, & de solitaria pollutione* Graff. *cit. c.* 8. *n.* 3. Superiores ait, posse excludere hunc casum adhibitis aliis verbis,vel expresse illam excludendo. In singulis autem debet esse voluntaria seminis emissio intra vas,& intra vas destinatum ad specificationem peccati, aliter non est casus reseruatus,verum quidem est,ad incurrendam reseruationem sub his verbis sufficere quouis modo fiat seminia emissio, quod si reseruatio fiat exprimendo copulam carnalem, tunc requiritur, vt seminatio fiat intra vas,& non sufficit incipere illam. 14

Voluntarius, hæc est secunda particula casus explicanda,& videtur superfluere,quia hoc ipso,quod lapsus carnis reseruatus sit,sufficiēter arguitur hoc esse peccatum, 15
neque proinde necesse est addere,quod is lapsus debeat esse voluntarius,cum subintelligatur,hoc ipso quod reseruatur; Expressio tameo huius particulæ non caret mysterio, nam accidere potest, quod seminia emissio voluntariè,& in se non fiat,sed accidat culpabiliter tamen, ex quo imputetur ad peccatum, & tamen non sit in se, & perfectè voluntaria vt requirit huius casus reseruato;nam coactus religiosus metu mortis ad luxuriandum licet peccet mortaliter, quia io his, quæ sunt iotrinsece mala nullus metus, neque etiam mortis excusat,vt omnes docent,non tamen incurrit reseruationem, quia lapsus carnis non est voluntarius,cum metus grauis auferat voluntarium, vel saltem multum minuat in casu nostro, ex qoo non est dicendus lapsus carnis simpliciter voluntarius,sed secundum quid,& ideo immunis à reseruatione,vt docet Graff. *hic n.* 33. contra Coriol. *hic n.* 20. ea ratione quod licet incæptio copulæ fuerit secundum quid inuoluntaria,postea tamen facta,fuit simpliciter voluntaria, consequenter casus reseruatus; esto res quandoque ita sit ob vehementiam libidinis, oihilominus actus incæptus semper perficitur cum aliquid inuoluntarij, prætetquam quod in delictis inspiciendum est principium, vt docet Gloss. *ver, Ab initio, c. Dudum* 22. *de elect.* ad quod optimum exemplum refert

Sanch. *lib. 7. disp.* 12. *n.* 7. vbi ea eo, quod Initium spectandum est concludit, fœminam voluntariè abductam, & coactè violatam non dici raptam, siquidem principium potentius est perficiente, *l. 1. ff. de origine iur. l. Pomponius, ff. de negot. gestis*, Genuens. *in prax. Neap. c. 74. n. 1. post med.*

16 Pariter casu pollutiones patiens, vt est semidormitos semiebrius non incurrit, quia cum iste plenè non aduertat non potest dici lapsus carnis voluntarius, ex eodem, Graff. *cit. c.* 8. *n.* 8. *&* 35. neque illius, qui iam excitum semen expergefactus abire sinit *n.* 31. secus, si nondum excitum procurat abire totus expergefactus, *n.* 31. excusatur etiam confessarius pollutionem patiens contra suam voluntatem ex aud[it]one turpium *n.* 30.

17 *Opere consummatus.* Hæc verba important seminis emissionem, quouis modo fiat siue intra vas, siue extra vas, quando casus reseruatur sub prædictis verbis; quod si fiat reseruatio per alia verba, quæ comprehendat quamuis coniunctionem, coitum, seu copulam, quæ fit inter duas personas, tunc non sufficit quæcumque seminis emissio, sed necesse est, quod emittatur intra vas, ita qui incœpit copulam intra vas, & postea ne ibi seminet se retrahit, & extra seminat, etiam apud personam non incurrit propriè, neque perfectè illam luxuriæ speciem, proinde neque incurrit reseruationem, quod probo, tum quia ideo cœpta præposterè copula non dicitur abusus mulieris, aut sodomia, sed naturalis copula, si terminetur intra vas naturale, quia inspicitur, vbi semen emittitur, in quo consistit ratio specifica luxuriæ, ita incipiens intra vas copulam, & extra illud seminans debet dici huiusmodi seminatio Mollities cum fiat extra vas, & inspiciatur ipsa seminatio actualis, quæ specificat actum luxuriæ, & non inchoatio eius, quæ specificatio non est, sed potius dispositio ad copulam id est ad speciem peccati. Nec obstant dicta §. *Voluntarius*, in fine, vbi dixi in delictis inspiciendum esse principium, quia ibi sermo est de constitutiuis peccati, hic autem de ipsius materia, & substantia, quod ex duobus quasi materia, & forma componuntur, nimirum ex seminatione, & vase, intra quod seminatur. Tum quia incestus non est incestus, nisi vir seminet intra vas cognatæ, vt omnes docent, cum Sanch. *lib. 7. disp.* 15. *n.* 11. Bonac. *q. 4. de matr. p.* 16. *n.* 2. *in fine*. Floron. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 35. *& casu* 6. *n.* 28. ergo idem dicendum est de aliis copulis. Sic ergo docent Doctores allegati loquendo de incestu, quod proportionaliter dicere habent de reliquis speciebus, & hoc etiam respectu sodomiæ, quæ non censetur reseruata licet cœpta agitatio intra vas, si postea se retraxit, & seminauit extra, ne incurreret reseruationem, vt in terminis docent Bonac. *q. 4. de matr. p.* 11. *n.* 2. §. *Aduertendum est, in fine*, Lupus *casu* 10. *n.* 13. vbi citat Nau. *qui conf. 7. de poenit.* asserit non committere sodomiam illum, qui causa delectationis incœpit in vase præpostero, sed postea complet seminationem in alio vase, vnde priorem actum vocat factum illicitum, ergo ingressus in illud vas, sine seminatione sodomia non est, vt idem dicit etiam *c.* 27. *n.* 249. §. *Quinto dico, & ex eo Quar. ver. sodomia, limit.* 2. qui duo Doctores cum multis aliis excusant à pœnis constitut. Pij V. seminantes extra vas, ergo & habent huiusmodi excusare à reseruatione, cum hæc sit quid pœnale, sequitur prædictos in terminis Floron. *casu* 7. *n.* 9. Contrarium, incœptam sodomiam extra seminatam esse reseruatam docent Graff. *pr. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 25. *& in hoc casu n.* 39. *& resol. 3. de adult. n.* 23. Coriol. *hîc n.* 19. Belloch. *part.* 2. *p.* 1. *n.* 183. *&* 174. *& q.* 2. *n.* 15. ducti ea ratione, quod proprius dolus nomini debet patrocinari, neque ex sua iniquitate nullus debet reportare commodum, & nil in fraudem legis est faciendum. Ad quæ dico prædicta referri ad culpam, nam sic peccans non excusatur à peccato mollitiei coniuncti cum aliqua circumstantia sodomiæ, non autem esse referenda ad legem reseruationis à qua non excusatur ratione suæ malitiæ, sed quia non peccauit cum omnibus illis circumstantiis, cum quibus hoc peccatum reseruatur; neque ita se retrahere infert, & auget peccatum, sed minuit, & sub alia specie ponit.

Quæres autem. I. An stillatio seminis voluntariè causata inducat reseruationem sub hoc casu?

Resp. Non inducit, Tum quia huiusmodi distillationes, quæ solent accidere ex conuersatione, ex se non videntur nisi peccata venialia, quod suadetur & quia non sunt propriè semen, sed accidentia imperfecta seminis, Sanch *lib. 3. disp.* 45. *n.* 2. & quia vt plurimum prouenient ex imperfecto voluntario non sufficiente ad mortale. Tum quia sicut tactus leuis manuum, pedū, aut vellicatio, aut manuum intorsio non videntur nisi venialia ex Caiet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. Sanch. *lib. 9. disp.* 46. *n.* 16. quos citat Bonac. *q. 4. de matr. p.* 9. *n.* 11. non tamen sequitur, ergo neque huiusmodi humectationes, & ita nisi sint in magna quantitate, aut adsit periculum pollutionis, non sunt mortale, vt docet idem Sanch. *citat. n.* 2. & ex eo Bonac. *p.* 10. *n.* 13. Tum demum, quia non sunt lapsus carnis, & seminis emissio, ex Sanch. *cit. n.* 2. ergo neque inducunt reseruationem, quod procedit etiam quando distillatio est in aliquali quantitate, & cum peccato mortali, quia verè non est perfecta mollities, neque pollutio, Ita Graff. *hic n.* 22. 18

Quæres 2. An pollutio causata sine aliqua agitatione corporea cum sola vehementi cogitatione turpium sit reseruata sub dictis verbis?

Resp. Est reseruata, quia verè huiusmodi mollities est lapsus carnis voluntarius ex illa delectatione opere consummatus. Scio Coriolanum *hic n.* 25. tenere oppositum ea ratione, quia ad reseruationem requiritur actio externa non solum in vltimo effectu, sed etiam respectu mediorum, scilicet vt cum aliquo opere externo id procuret, quod cum si hic desit, excusatur sic se polluens. Sed falsum est medium debere esse semper externum, siquidem sufficit, si opus prohibitum de se exeat in actum externum completum in genere malitiæ, sub qua reseruatur. 19

Quæres 3. An Superiores sibi reseruando hunc casum prout proponitur, includat etiam pollutionem à seipso factam sine auxilio socij?

Resp. Sine dubio includit, quia & hæc est lapsus carnis, cum ista clausula contineat omnes species fornicationis, inter quas numeratur etiam pollutio. Ita Coriol. *hîc n.* 17. Graff. *hîc n.* 3. *&* 29. Lezana *c.* 5. *n.* 10. 20

Quæres 4. An in hoc casu comprehendantur tactus illiciti, & oscula? Vel saltem superiores possint sibi illa reseruare per expressionem horum verborum, si non veniunt sub illis verbis. Aliqui distinguunt tactus in impudicos, qui nempe fiunt in partibus honestis cum impudicitia, hoc est, cum delectatione venerea, quæ aduersatur pudicitiæ, & castitati, vt tactus, seu oscula faciei, manuum, & mammillarum, & huiusmodi partium honestarum; & enormes, qui fiunt circa pudenda. Alij tactus circa partes honestas, vt manuus, aut faciem facti inter amicos, & parentes amicitiæ, & beneuolentiæ gratia ex sua conditione non sunt peccaminosi, si omnino excludant delectationem veneream. Vide Graff. *p. 1. lib.* 2. *c.* 75. *n.* 14. & Coriol. *hîc n.* 30. §. *Pro cuius*, vbi aliter explicat illos terminos.

Resp. Sub verbis casus non veniunt tactus impudici, cum isti excludant seminis emissionem, quæ sola sub dictis verbis reseruatur. Possunt tamen superiores illos sibi reseruare ampliando casum, si volunt, iuxta regulam sibi traditam in eodem decreto, nimirum in capitulo Generali, vel Prouinciali, Graff *hîc n.* 10. *&* 40. Lezana *c.* 5. *n.* 10. Lezana *resol.* 118 *de regul.* 21

Quæres 5. An patiens pollutionem alterius circa se in vase, vel extra, non tamen se polluendo incurrat hunc casum?

Respond. Patiens alterius pollutionem, aut intra vas, aut circa se, sed non se polluens peccat quidem mortaliter cooperando alteri ad peccādum, non tamen incidit in casum reseruatum. Tum quia in hoc patiente nullus reperitur carnis lapsus cum ea sua persona semen proprium non effuderit. Tum quia sicut Religiosus se agitando cum alia persona etiam intra vas, & non se 22

corrumpen

corrumpendo, non incurrit reseruationem, ex probatis §. opere consummatus, eo quod non consommauerit lapsum, quamuis mulier seminauerit ex parte sua; ita neque religiosus patiens dicitur incurrisse, ex eo, quod alter emisit semen ex ea coniunctione, maximè cum ipse, non seminauerit. Ita docet Graff. *hic num.41.* loquendo de secundo casu nimirum pollutione extra vas. Patiens verò sodomiam sine dubio incidit, licet ipse non seminet propter rationes adductas *resolut.38. quæst. 23. & quæst.40.§. Obiicies*; quamuis non sit improbabile oppositum, quod asserunt Doctores allegati *cit. q.23.*

Quæres 6. An Religiosi committentes lapsum carnis, præter reseruationem incurrant alias pœnas?

23 Resp. In iure communi in terminis contra religiosos fornicarios nulla reperitur pœna inflicta, nihilominus videntur affligendi eisdem pœnis, quas iura statuunt contra clericos fornicarios, qui ex tit. de cohabit. cler. & mult. debent coniuncti suspendi à suis beneficiis, & si non corrigant deponendi sunt; sic ergo Iudices Regulares possunt procedere contra suos Religiosos fornicarios præterea detrudendo in arctos carceres, *vt docent Aldrete lib.2. de Relig. discipl. cap. 15. Rodriq. tom. 2. quæst.26. art.1. & cum eis citatis Lezana cap.5. num. 16.* Clerici autem & Religiosi sodomiæ exercentes hoc vitium in suis terminis, hoc est, intra vas seminantes alterius viri, priuantur omni officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico, & degradati à iudice Ecclesiastico traduntur puniendi curiæ seculari, vt videre est in constit. *Horrendum illud.* Pij V. quam exponunt *Nau. cap.27. num.250. Rodriq. tom.1. quæst. 30. art.19. & tom. 2.quæst. 28. art. 1. cum suo Compend. resol. 48. num.21. Portel ver. Pœna num.7. Quar. ver.eod. Lezana cap.5.n. 11. Coriol.hic.num. 25. Belloch. part. 2. q. 1. num. 219. 220. Bonac. de susp. p.1. §.2.* Processus autem fit intra Religionem, quod si Religiosum conuictum & confessum se hoc vitium exercuisse Superiores intendunt tradere curiæ seculari, debent prius eum facere degradari per iudicem Ecclesiasticum, hoc est per Episcopum loci, vbi moratur reus vel processatur; neque enim Religiosi habent aliquod priuilegium degradandi, cum id sit munus Episcopale, nō potest tamen Episcopus degradare Regulares sine internūtu Superioris regularis degradandi, quia ille Religiosus adhuc est subditus prælato suo regulari, sine quo, & eius consensu Episcopus degradationem facere non potest. Quod si huiusmodi conuictum nolunt ita seuerè punire, poterunt aliis pœnis plectere, vti carceris arcti ad longum tempus, & de sua emendatus vita, si sit clericus poterunt dispensare super infamia ex hoc vitio contracta, & sic admittere ad sacros ordines, *vt probaui resol. 11. quæst.11. §. Secundum.*

RESOLVTIO XLIX.

De decimo casu reseruando in Religione.

Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ.

SVMMARIVM.

1 *Occisio quid sit?*
2 *Homicidium potest esse voluntarium tripliciter.*
3 *Homicidium triplicis est generis.*
4 *Vulneratio quid sit?*
5 *Percussio grauis quid?*
6 Cuiscumque personæ *explicatur.*
7 *Mortuum percutiens non incidit.*
8 *Seipsum percutiens incidit.*
9 *Consentientem pariter lædens*
10 *Metu graui lædens excusatur.*
11 *Mandans cum aliis excluditur.*
12 *In dubio læsio arbitratur leuis.*
13 *Censura semper est reseruata.*
14 *Locales superiores absoluunt.*
15 *Veneuans sine morte excusatur.*

1 OCcisio est voluntaria iniusta actio, qua anima à corpore hominis nati separatur.

2 Dico *Voluntaria*, quia homicidium potest esse voluntarium tripliciter. I. in se, & directè; vt, cum quia ex proposito malo, & animo doloso occidit, de quo fit mentio *cap. Sicut dignum, de homicid. & l.1. ff. de sicar.* II. in causa, & indirectè; vt, cum quis facit aliquid proximè ordinatum ad homicidium præuidens illud inde sequi posse; exempli gratia quis soluendo sclopum nulla fere adhibita diligentia occidit hominem, putando se feram interficere, dicitur committere homicidium in causa tantum voluntarium, si præhabuit aliquam dubitationem, & nullam, aut insufficientem adhibuit diligentiam, quod est peccatum mortale, vel veniale homicidij casualis iuxta qualitatem negligentiæ. Potest etiam hoc homicidium contingere in ebrioso, furioso, aut dormiente, qui si illud præuideant, vel experti sunt, & non adhibent diligentiam peccant iuxta qualitatem omissæ diligentiæ. Hoc autem homicidium vocatur casuale, quia præuisum sequitur præter intentionem agentis, qui aliud intendit, quàm homicidium. Aliud tertium genus homicidij datur omnino casuale, sed inculpabile, & est illud, quod nullo modo præuisum sequitur præter intentionem ad aliud per se intentum, & hoc nullum est peccatum, cum non sit voluntarium, neque in se, cum non quæratur, neque in causa, quia in ea præuisum non fuit. De his homicidiis dixi etiam *resolut.13. quæst.1.* Hic autem sub reseruatione huius termini, *Occisio*, venit solum primum genus homicidij, voluntarie, & ex proposito facti, quia in pœnalibus nomine occisionis seu homicidij sine alio addito venit solum illud quod simpliciter dicitur voluntarium, & consequenter excluduntur reliqua, quæ cum addito dicuntur talia nempe casualia. Ita in terminis nostris *docent Graff. pr. lib. 3. cap. 9. num.16. 24. 27. clarus lib. 2. cap.23. num. 25. Belloch. quæst. 6. num. 26. Coriol. num. 1. & alij* communiter.

3 Dixi II. *Iniusta*, est autem homicidium triplex Authoritatiuum, quod quis committit authoritate Superioris, vt occisio malefactoris, banniti, &c. Priuatum quod quis sine rationabili causa committit, & de hoc sermo est in casu nostro, & ideo illud vocaui iniustam actionem, qualis etiam esset occisio malefactoris, seu banniti respectu religiosorum, quibus Princeps non potest facere facultatem, cum de iure tum diuino, tum humano clerici non possint se immiscere hoc modo in sanguine sui proximi, vnde Religiosus occidens bannitum sine dubio peccaret mortaliter, proinde incideret in hunc casum. Tertium vocatur homicidium defensiuum, quod quis committit ob defensionem sui, vel suorum quo ad vitam, honorem, facultates, quæ tueri non possunt alio modo. Vt autem non peccetur ex homicidio defensiuo tres requiruntur conditiones. I. Vt seruetur moderamen inculpatæ tutelæ, nimirum vt in defensione ea vi, & medio præcise vtatur, quibus indiget ad euitandam propriam mortem, conseruandum honorem. II. defensio facienda est in actuali conflictu, & non postea. III. necesse est, vt agressus probabiliter putet se occidendum esse, vel grauiter vulnerandum &c. *Vide Bonac. disput.2. de contr. quæst.fin. sect.1. part. 10. Floron. casu.4.§.4. & meam resol. 27. q.13.* vbi fuse de homicidio defensiuo licito Religiosi, quia alia via mortem sibi imminentē non potest euitare. Hoc autem homicidium non est casus reseruatus, quia non est peccatū, quandoque neque veniale, cum omnes leges, omniaque iura concedant vim vi repellere licere, *cap. Significasti 18. de homic.* quod autem fit lege permittente

nitente peccatum non est, *cap.Qui peccat* 23. *quæst.*4. ergo non potest inducere reseruationem, quæ circa peccata tantum mortalia versatur. Ita Graff.*hic n.*5. *&* 18. Coriol.*num.*4. Floron.*casu* 4.*num.*29. §.5. Quæ procedunt licet Religiosus det operam rei illicitæ, puta furando, luxuriando, &c. quia iura defensionem concedunt non solum iustis, sed etiam reis, & iniquis, vt dixit Couar.*in Clem.Si furiosus part.*2.§... *n.*10. Ita docet cum Floron.*casu* 4.§.4.31.§.*Nono.*

Prædicta in supradictis duobus Dixi locum habent etiam respectu vulnerationis, aut grauis percussionis, debent enim istæ esse voluntariæ, & non casuales, vindicatiuæ, non defensiuæ.

Tertiò dixi *Actio*, potest autem occisio, multis modis contingere, de quibus in *l.Qua actione*, §.*Occisum.ff.ad legem Aquil.* aut sanguinis effusione vulnerando, mutilando, vel sine sanguine, verberando, suffocando, venenum tribuendo, necando fame, inedia, &c. id tamen posterius negat Graff. *hic numero* 2. dicendo non esse occisionem hic reseruatam mors ex subtractione panis.

Quartò dixi. *Qua anima à corpore separatur*, in hoc enim propriè consistit occisio, quod est homicidium ex quo hominis sequitur mors violenta.

Demum dixi *Hominis nati*, vt hunc casum distinguerem à sexto casu de Abortu, quia licet abortus animati fœtus sit homicidium, non est tamen occisio hominis nati, sed nascendi, proinde non continetur sub hoc casu.

4 *Vulneratio* est iniuriosa incisio grauis humanæ cutis. Dico *Iniuriosa*, quia si fiat sine peccato mortali non inducit reseruationem, sicut neque si sit leuis incisio, seu foramen, eo quod leue vulnus non dicitur simpliciter vulnus, siquidem reseruatio fit de grauioribus, & atrocioribus *cap.*7. *sess.*14. Sic docent Graff. *hic num.*6. *&* 30. Coriol.*n.*7.

5 Percussio grauis est verberatio cum ingenti dolore sine sanguinis effusione; vt hanc actionem distinguam ab vulneratione. Grauis percussio in se censetur debilitatio membri, cicatrix relicta, fractio dentis, depillatio in quantitate, truncatio digiti. Leuis in se fit grauis ratione personæ percussæ; vt, si sit superior, vel vices eius gerens, vel in dignitate constitutus, vt Doctor, Magister, Definitor, Discretus, Custos, Iudex, sacris indutus. Ratione loci, si fiat in Ecclesia, si extra conuentum cum scandalo, & admiratione secularium obloquentium, si coram Superiore locali vidente, vel coram Superiore maiore, vbi reperitur in actu visitationis, etiam non vidente, &c. Sed de his percussionibus satis dixi *resol.* 28.*q.*17.

6 *Cuiuscumque personæ*, quibus verbis venit quicumque homo viuus, tam masculus, quàm fœmina, secularis, aut Ecclesiasticus, Christianus, vel hæreticus, infidelis aut paganus, cum isti omnes sint personæ, quod maximè insinuat illa vniuersalis dictio, *Cuiuscumque*, quæ comprehendit vtrumque sexum, *vt tradit Zerola in sua praxi Epic. part.*1.*ver. Monialis* §. *Ad secundum super capit.* 19. *sess.* 25. in materia reclamationis competentis tam masculis, quàm fœminis per illud verbum, *Quicumque*, refertur etiam ad omne genus personarum cuiusuis status, & conditionis glos.ver. Quibuscumque *Clem.*1.*de iudic. Bonac. quæst.*2. *de claus. part.*10.*diff.*4. §.*obiicies ex glos. ver. Quauis Clem.* 1.*de sent. & re iud. Ita docet Graff. hic num.* 12. *&* 33.

7 Mortuum vulnerans, aut percutiens, quamuis grauissimè peccet, tamen non incidit in hunc casum, quia homo mortuus, est æquiuocè homo, cum homo sit viuens constans ex anima, & corpore, neque præterea dicitur persona, ex cuius percussione incurritur casus. Ita Graff. *hic num.* 15.

Quæres autem 1. An seipsum vulnerans, vel percutiens incidat in hunc casum?

8 Respond. Incidit, quia hic reseruatur læsio corporalis cuiuscumque personæ, ergo etiam sui ipsius, cum lædens seipsum dicatur lædere personam. Confirmatur, quia ex communiori sententia seipsum percutiens incidit in excommunicationem canonis *ex Bonac. disp.*2. *de cens. quæst.*4.*p.*2.*numero.*4. ergo etiam in casum reseruatum, *Coriol. num.* 8. *&* 18.

Quæres 2. An lædens alterum consentientem excusetur ab hac reseruatione?

Respond. Incidit, quia ex consensu alterius non excusatur à peccato, cum patiens non sit dominus membrorum suorum. *l.Liber homo ff.de leg. qui.* neque à reseruatione, illius enim velle cum illicitum, & nullum sit, non potest suffragari percutienti excusando illum à reseruatione. *Ita Floron. in simili casu* 4. *de homicid.* §.1. *num.* 25. 9

Quæres 3. An Religiosus metu graui coactus lædendo proximum incurrat hunc casum?

Resp. Non incurrit, quia licet peccet mortaliter, cum perpetret rem intrinsecè malam, à qua non excusat quiuis metus etiam mortis, non tamen dicitur voluntariè simpliciter lædere, cum metus auferat voluntarium, quod requiritur absolutè tale ad incurrendum hunc casum ex supradictis initio; nec obstat quod voluntas coacta sit voluntas *cap.*5. 15. *quæst.*1. Thomas et *regul.*76. quia talis est secundum quid & imperfectè sufficiens ad excusandum a reseruatione. Ita in simili casu Floron.*casu* 4.§.1.*num.*16. *&* 17. 10

Quæres 4. An mandans, consulens, &c. includantur in hoc casu?

Resp. Non, eo quod hic non exprimuntur, sicut in casu 6. de abortu, & regula datur, quod huiusmodi causæ non comprehenduntur sub reseruatione, nisi exprimantur in propriis terminis, *vt probaui resol.*38. *qu.*15. Confirmatur id, quia sic causans excommunicationem non incidit, nisi de ipso fiat mentio in terminis, Nau. *cap.*27.*num.*51. Caiet.*Excomm.in princ.* Ita sentit Nald. *ver.Casus reseru.num.*3. contra Graff.*hic num.*17. asserentem includi. 11

Quæres 5. Quomodo confessarius se gerere debeat, quando dubius adhuc remanet post adhibitam diligentiam inuestigandi qualitatem percussionis sitne grauis, an leuis.

Respond. Potest arbitrari eam esse leuem, ac proinde non esse reseruatam, & sic absoluere, vt in simili docent Suar.Sanch.& alij cum Bonac. *q.*7. *de Pœnit. qu.*5. §.4.& ego *resol.*38. *quæst.*41. & in terminis *resol.*28.*q.*17. §.*In dubio.* 12

Quæres 6. Quando Superiores hunc casum sibi non reseruant ex ea parte qua læsio est sacrilega, ac proinde inductiua excommunicationis, An confessarij possint absoluere à censura, & peccato, non obstante reseruatione iuris communis?

Respond. Non possunt, quia adhuc durat iuris communis reseruatio, vt probaui *resol.*37. *quæst.*13. in specie de hoc casu, & aliis. 13

Quæres 7. An facta huius casus reseruatione, ac subsequenter excommunicationis contractæ ob percussionem clerici, possint superiores locales absoluere virtute iuris communis?

Respond. Possunt, quia per huiusmodi reseruationem non aufertur hæc facultas illis à iure communi concessa, de qua dixi *resol.*18.*q.*20. 14

Quæres 8. An dans venenum, vel maleficio lædens proximum, si non sequatur mors, incurrat hunc casum?

Respond. Non, quia ex huiusmodi læsione non sequitur mors, neque percussio, aut verberatio, quæ actiones hîc reseruantur. Maleficus verò incidit in primum casum, sub resolut.40. 15

RESOLV

RESOLVTIO L.

De vndecimo casu reseruando in Religione.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, ant apertio literarum à superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores.

SVMMARIVM.

1 *Malitiosum impedimentum literarum.*
2 *Retardatio earundem.*
3 *Apertio earum.*
4.5. *A superioribus, ad inferiores quid.*
6 *Vnaquaque ex dictis actio inducit reseruationem.*
7 *Intereeptio sine praiudicio reseruatur.*
8 *An incidat legens, qui non aperuit.*
9 *Casus excusantes à reseruatione.*
10 *Superiores intercipientes incidunt.*

1 M*Alitiosum impudimentum* est retentio, & interceptio literatum malitiosè facta, ita quod ille non possint peruenire ad manus eorum, ad quos diriguntur, sed pereant, lacerentur, aut combutantur.

2 *Retardatio* autem est dedita opera efficere, ne literæ perueniant debito tempore ad eum, ad quem mittuotur; vt, si literæ retineantur per vnum, vel alterum diem, immo etiam per vnicam horam, intra quam tantum suum effectum habere possunt. Differt autem impedimentum à retardatione per hoc, quod illud excludit acceptiooem literarum, hæc verò includit receptionem, sed post debitum tempus, qnod insinuat Graff. *hoc casu n.*8. & postea expressius vidi apud Portellum *ver. Litera Prælatorum in Addit.n.*3.

3 *Apertio literarum* noo solum consistit in apertione, seu fractione sigilli, hoc est, illius cædulæ, quæ epistolam claudit ne legatur, sed etiam in lectione illatum, vt ex Bart. *in l. Si quis in graui, §. Si quis tabulas ff. ad senatusconf. Syllan. & colligitur ex c. Cum olim 2. de off. deleg.* docent Graff. *hic n.* 24. *Quar. ver. Casus reseru. hic §. Non esset* contra Coriol. *hic n.*4. dicentem solum aperientem sine lectione incurrere, de quo tamen rationem non affert, & verè termini formaliter accipiendi sunt, conseqoenter apertio literarum de suo formali sine dubio includit legere, com eorum potissimum finis sit legere, aliàs apertio materialis est, vt postea ipsemet *n.*6. §. *Quartò*, dicit sibi adoersando.

4 *Literarum à superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores.* Hic reseruantur solæ literæ, quæ à superioribus mittuotur ad inferiores, & è contra titulo superioritatis, aut inferioritatis, in quauis enim re termini formaliter sunt accipiendi, vt habent vulgata iura, quare intercipiens literas eius, qui est superior, de aliquo negoti o extraneo ratione officij, vel subiectionis non incurrit casum reseruatum, quicquid dicat Portell. *ver. Litera Prælatorum n.* 4. *in Addit.* Neque pariter incidit aperiens literas missas ad non subditum, vel ad secularem, licet tractaret de re superioritatis, Portel. cit.

5 *A superioribus ad inferiores*, hoc nomine veniunt omnes officiales habentes aliquam iurisdictionem fori contentiosi, vt Superior localis. Prouiocialis, Generalis, eorum vices gerentes, commissarij, visitatores, iudices, &c. cum suis subditis respectiuè, qui veniunt sub nomine inferiorum, quales sunt non solum professi; sed etiam nouitij, tertiarij, & huiusmodi commensales perpetui.

Quæres autem 1. An ad incurrendum huic casum sufficiat vnaquæque actionum illarum seorsim accepta? 6

Resp. Vnaquæque illarum sine alia sufficit, quod aperte ostendit particula, *Aut*, interiecta, quæ est dictio alternatiua, ad cuius veritatem sufficit alteram actionum verificari, *ex c. Inter cæteras, de reser. Euer. in loco à natur. alter.*

Quæres 2. An malitiosa interceptio litarum, sed sine præiudicio tertij, quia nimirum literæ non obstante retardatione, aut apertione literatum postea suum effectum habent tempore debito, sit casus reseruatus?

7 Resp. Est casus reseruatus, quia sub verbis casus, noo exprimitur huiusmodi damnificatio, ergo neque nos eam subintelligere debemus, præsertim cum huiusmodi actiones, etiam sine præiudicio tertij sint io se peccata mortalia, eo quod superiores, & inferiores ægrè feraut huiusmodi interceptiones; & sint contra commune bonum Religionis, & regimen superiorum, & fraternam charitatem inter Religiosos, vnde cum in re graui offendatur proximus, id non potest esse non peccatum mortale, vt docet Rodr. *tom.* 2. *q.* 36. *art.* 2. & ex eo Lezana *c.*8. *n.*30. *Ita Quar. hîc ante §. Non esset*, Coriol. *n.*7.

Quæres 3. An legens eas aperto repertas etiam ex eius industria, posito quod eas noo interceperit, ueque retardauerit, incidat io casum?

8 Resp. Incidunt illi duo, quorum vnus aperit, & alter legit ex conuentione, vt eludant reseruationem, quia proprie ambo dicunt aperire, neque enim fraus legi facienda est. Quod si casu inueoit apertas nondum obsignatas: aut ab alio, sine eius scientia, aut cousensu dissigillatas, legendo excusatur, quia nou dicitur aperire, sed præcise legere, Portel. *ver. Litera Prælat. in Addit. n.*5. de legente nondum obsignatas, cuius dictum mihi non placet in eo, quod dicit ooo incidere, si illas rapiat, siquidem ratione huius actionis retardare dicitur illas, quando oon potest mittere ad quem peruenire habeut tam cito. Coriol. *n.*4. §. *Quod adeo*, ait benè non incidere legẽtem illas obsignatas ad lumen Solis, vel candelæ, aut alio modo, sine apertione.

Quæres 4. An aliquo casu impediens, retardans, aut aperiens huiusmodi literas excusetur à reseruatione?

9 Resp. Excusatur, quando in his non peccat mortaliter, quoties nimirum malitiosè prædicta non agit. I. Quando quis probabiliter timet sibi patari aliquod malum contra iustitiam, Graff. *hîc num.*22. *vel contra tertium n.*22. *Quar. §. Non esset*, Lezana *c.*8. *n.*30. *Coriol. n.*6. Portel. *in Addit. n.*2. II. Quando aperiuntur nullius momenti. Coriol. *n.*6. §. *Quarto, Quar. §. Non esset*. III. Quando bono fine aperiuntur ad præcauendum alicui malum iniustè inferendum Graff. *n.*22. vel ex inaduerteotia putans esse proprias *n.*20. IV. Quando aperit ex præsumpto consensu eius, cuius sunt, Graff. *n.*23. *Portel. ver. Litera Prælat. Addit. num.*2. vt si quis continentem proprium fauorem aperiret, aut proijceret.

Quæres 5. An Superior localis, seu Prouincialis intercipientes literas, quas maiores ad illos mittunt, incidant in casum?

10 Resp. Incidunt quia hoc ipso quod inferior habet ius scribendi ad superiorem maiorem, habet etiam facultatem recipiendi responsa independenter à suo superiore, ergo iniquè eadem intercipit, nec obstat, *c. Non dicatis* 11. 12. *q.*1. vbi prohibetur aliquid dare, vel accipere, & hoc explicant etiam de literis Graff. *pr. lib.* 2. *c.*24. *n.*15. Nau. *consil.*16. *de statu mon. & com.* 2. *n.*13. quia ibi sermo est de literis aliorum, & non superiorum.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM MAXIME NOTABILIVM

Quæ in hoc Opere continentur, ordine Alphabetico, vt moris collocatus.

Primus numerus indicat Resolutionem, secundus numerum, sicut & vnicus.

A

B

C

D

E

F

G

Q

R

S

Silua

Index Rerum.

FINIS.